SANCTI JOANNIS

CHRYSOSTOMI,

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

OPERA OMNIA,

CASTIGATA AD MANUSCRIPTOS CODICES GALLICOS, VATICANOS, ANGLICANOS, GERMANICOS, ETC.,

NECNON ET AD SAVILIANAM ET FRONTONIANAM EDITIONES,

NOVA INTERPRETATIONE, UBI OPUS ERAT, PRÆFATIONIBUS, MONITIS, NOTIS, VARIIS LECTIONIBUS ILLUSTRATA, NOVA SANCTI DOCTORIS VITA, APPENDICIBUS LOCUPLETATA,

OPERA ET STUDIO

MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

E CONGREGATIONE S. MAURI.

Editio novissima, emendata et auctior,

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS DECIMUS.

9 VOL. PRIX : 50 FR.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1852

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC DECIMO TOMO CONTINENTUR.

Homiliæ XLIV in Epistolam primam ad Corinthios.	9
Homiliæ XXX in Epistolam secundam ad Corinthios.	381
Commentarius in Epistolam ad Galatas.	611
Spuria.	681

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Præfatio

AD HOMILIAS CHRYSOSTOMI

IN BINAS

AD CORINTHIOS EPISTOLAS.

§ I. — 1. *De Homiliarum harumce præstantia*, 2. *deque prologo ad easdem.* 3. *Quidam eum negant esse Chrysostomi.*

1. Inter præstantissima Joannis Chrysostomi opera accensentur Homiliæ in Epistolam utramque Pauli ad Corinthios, ac cum primis elegantia et gravitate concertare possunt; maxime vero Homiliæ in primam Epistolam, quas Homiliis ad secundam multi putant esse anteferendas, si tropos et accurationem spectaveris. In prioribus namque diligenter omnia fusioreque stilo persequitur, salibusque frequenter utitur, ac vel minutiora discutit; nusquam certe majori studio elaboratas homilias deprehendas : qua in re fortasse quidam hodierni lectores redundare illum et ultra metas nonnumquam progredi dixerint. Verum ille, quod præcipuum est oratoris munus, auditorum ingenium et captum tam solerter explorarat, ut sibi eorum animos conciliaret, gratam concionis admurmurationem plaususque frequentes, ut in ora ionum decursu videas. Ad hæc vero in Homiliis ad primam Epistolam plurima occurrunt, pugnæ nempe et velitationes frequentes contra philosophos exteros et falsorum deorum cultores et contra hæreticos nonnullos, ac singularia quædam ad istius ævi mores et usum pertinentia, aliaque de quibus mox carptim agemus.

2. Antequam enim ulterius progrediamur, ipsum operis exordium, sive prologus concionibus præmissus, moram infert, nec parum negotii facessit. Sub initium enim ista legimus : *Multa autem in hac urbe*, nempe Corintho, *passus est Paulus, et Christus in illa apparens ei, dixit : « Ne taceas, sed loquere : quia multus est mihi populus in hac civitate. » Et mansit ibi duos annos. In hac quoque dæmon exiit, quem Judæi adjurantes, gravia ab illo passi sunt : in hac item quidam pœnitentia ducti libros magicos combusserunt; et visa sunt quinquaginta millia (denariorum) : in hac demum, Gallione proconsule in tribunali sedente, Paulus verberatus est.*

3. His conspectis quidam viri docti, an Chrysostomus prologi hujusce auctor fuerit, dubitavere. Num Chrysostomus, inquiunt, in lectione sacræ Scripturæ ita versatus, ignorare potuit, hæc quæ referuntur de Judæis filiis Scevæ, ut dæmonem ejicerent nomen Domini Jesu invocantibus et male multatis; deque iis qui libros magicos combusserunt, quorum pretium erat quinquaginta millium denariorum : hæc, inquam, non Corinthi, sed Ephesi gesta esse, ut ex Actuum libro, cap. 19, liquet? An Chrysostomus dixerit etiam Paulum in conspectu Gallionis verberatum fuisse ? id quod in 18 Actuum capite non de Paulo, sed de Sosthene dicitur ? Fateor certe his continenter positis erroribus me non parum moveri. Licet enim Chrysostomus non infrequenter memoria labatur, et alium pro alio Scripturæ librum commemoret, hic certe major lapsus deprehenditur. Verum, hoc dempto loco, prologus tam apte concinnatus est, ut mihi ipse Chrysostomus loqui videatur; et quod me magis, ut ne doctis illis viris omnino assentiar, detinet, ita desinit prologus, ut idem scriptor homiliam primam incipiens eadem serie pergere deprehendatur. Quod enim aliquando memoria labatur in hoc ipso Tomo videre potes, col. 614, lin. 46, ubi Milesios pro Ephesiis posuit, similiaque alibi non raro deprehendas. Rem tamen eruditi lectoris judicio permitto.

§ II. — 1. *Homiliæ in Epistolam primam ad Corinthios Antiochiæ habitæ fuere, ipso teste Chrysostomo.* 2. *Multa scitu dignissima complectuntur circa philosophos exteros :* 3. *circa hæreticos, Manichæos nempe et Marcionistas.* 4. *Ridiculus Marcionistarum ritus.* 5. *Contra Antiochenorum Christianorum mores.* 6. *Alia quædam observantur.*

1. Non abs re fuerit hic referre qua permotus occasione Chrysostomus in Homilia vigesima prima se Antiochiæ concionari declaraverit, col. 178. Divites multi erant in istac urbe, avari, neque ad stipem pauperibus erogandam propensi. Isti inopes quosque obvios, ne teruncio quidem oblato abigebant. Illi vero ut opulentos illos flecterent, dira quæque tentabant. Alii filios excæcare, ut ad commiserationem moverent; alii spectaculi causa, detritorum calceorum coria mandere; alii acutos clavos in caput infigere; hi in aquis gelu concretis nudo ventre immorari; illi his etiam absurdiora et acerbiora sustinere. Hujusmodi vero spectaculis illi opibus circumfluentes commoti, pecuniam largiter effundebant iis, quos obsecrantes antea repulerant. Illos autem acerrime, ut par erat, insectatur S. doctor; utque exemplo illos ad meliorem frugem reducat, Antiochenos illos priscos in memoriam revocat, qui temporibus apostolicis floruerant, et qui primi Christianorum nomine apellati, bona sua

largiter in pauperum et ecclesiarum usum effundebant; ut hinc hodiernis pudorem incuteret. Quia vero divites illi inopes et mendicos ad Ecclesiam Antiochenam, quæ amplissimis reditibus instructa erat, remittere solebant, obnititur ille, aitque, stipem ab Ecclesia erogatam opulentis nihil meriti conferre nisi et ipsi largiter spargerent. In quadam autem concione superioribus inserta Tomis dixerat ille, Ecclesiam Antiochenam ex proventu suo inopes, viduas et virgines ad ter mille numero quotidie alere. Has igitur Conciones in Epistolam primam Antiochiæ habitas fuisse ex ipsius Chrysostomi testimonio certo constat.

2. Occasione sumpta ex apostolicis verbis, multa sæpe interserit contra philosophos exteros et contra idolorum cultores. Primo disputationem quamdam Platonici cum Christiano refert, col. 27, ubi ita inconsulto utrinque adhibentur argumenta, ut ambo contrariam sententiam asserere, suam impugnare deprehendantur. Platonem non raro aggreditur, quem dicit male de diis sentientem ipsos tamen coluisse, col. 241, iter in Siciliam instituisse, col. 36, multumque laborasse circa lineam, angulum et punctum, col. 34. Poetæ cujusdam profani et ignoti versus affert et Pythiæ turpitudinem historiamque traducit, col. 241 et 242. Socratis exemplum affert, qui dicacem et procacem uxorem patienter ferre solebat: et cum auditores in clamorem et risum erupissent, ipsos compressit Chrysostomus dicens: *Magna voce exclamastis: sed ego valde nunc ingemo, cum videam Græcos magis philosophos esse, quam nos, qui jubemur angelos imitari, imo qui jubemur ipsum æmulari Deum in mansuetudinis ratione;* col. 224. De Diagora item et Theodoro atheis, col. 36 et 37. Deque Pythagora quædam interserit, col. 62 et 63. De Diogene Cynico ait, ipsum inanis gloriæ causa et in dolio habitasse et pannis obsitum sese ostentavisse, col. 302. Aliosque philosophos Græcos pari modo carpit.

3. Manichæos hic non semel impugnat, col. 61, 324, 326, 335, ut etiam in aliis operibus suis. Nam hujus hæreseos virus passim per Orientem serpebat. Puto autem hæreticos illos, qui Chrysostomo teste, col. 356 dicebant aliud corpus a priore diversum resurgere, Manichæos esse, qui cum assererent corpus humanum a malo deo seu a diabolo creatum fuisse, aliud et diversum ab illo resurrecturum esse comminiscebantur: hanc hæreticorum, tacito nomine, opinionem memorat etiam in Homiliis ad secundam Epistolam, col. 470.

4. Marcionitas quoque insectatur, maxime vero cum ad eum locum pervenit, ubi Paulus hæc explicatu difficilia profert: *Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis.* Ubi quid ea de re sentiant, et quomodo id exsequantur Marcionistæ, sic effert Chrysostomus: *Vultis primum dicam quomodo hanc dictionem adulterant qui morbo laborant Marcionis? Atque scio fore ut risum multum moveam; ideo tamen dicam, ut illorum morbum magis fugiatis. Nam postquam Catechumenus quispiam apud illos excesserit, sub lecto mortui absconso aliquo vivente, accedunt ad mortuum et alloquuntur, rogantque velitne accipere baptismum. Illo nihil respondente, qui est absconsus inferne pro illo dicit se velle baptizari; et sic eum baptizant pro eo qui excessit, ac si in scena luderent: tantum valuit diabolus in ignavorum animis. Deinde cum accusantur, adducunt hoc verbum, dicentes apostolum dixisse, Qui baptizantur pro mortuis.* Contra Pneumatomachos, qui negabant Spiritum sanctum esse Deum, pugnat Chrysostomus, col. 345. Sed ea in re non multum immoratur.

5. Antiochenorum etiam Christianorum dissolutos mores orationis vi compescere nititur Chrysostomus. Etenim in connubiorum celebritate, choreæ, cymbala, tibiæ, verba et cantica obscœna turpiaque adhibebantur, multaque diaboli colluvies erat, inquit ille, col. 103, 104, 105. Hinc appetente nocte nova sponsa cum lucernis in forum ducebatur, comitantibus verberonibus et fugitivis, qui turpia et obscœna quæque proferebant; nam diebus istis omnia licebant: præsentibus etiam virginibus, quæ turpes illas cantilenas exciperent. Deinde vero si infans ex tali connubio nasceretur, superstitiosa multa videre erat: accensis enim lucernis, queis nomina indita erant, nato nomen ejus dabant, quæ diutius lumen dedisset, hinc conjicientes futurum esse ut infans diutius viveret. Insuperque περίαπτα seu ligamina et crepitacula superstitiose appendebantur, stamenque coccineum et similia. Nutrices autem et ancillæ, lutum ex balneo sumentes digitoque tingentes, in pueri fronte imprimebant, putantes hinc malum oculum, livorem et invidiam depelli. Multa quoque alia superstitiosa usu veniebant in partus doloribus, maxime autem in funeribus, ubi præficarum agmen videre erat, more veterum gentilium, col. 105, 106.

Multi etiam apud Christianos Antiochenos erant, qui resurrectioni non credebant, qui genesim observabant: alii dierum observationibus, vaticiniis, auguriis et symbolis; alii ligaminibus et incantationibus dediti erant. Hincque videas Oratori nostro non modicam fuisse declamandi, arguendi, et objurgandi materiam, col. 38.

6. Alia quædam a Chrysostomo sparsim dicta et enuntiata, hic paucis afferenda duximus, in Homilia decima nona, col. 160 postquam de virginitate plurima dixerat, se tamen plurima prætermisisse ratus ad librum de Virginitate ab se editum remittit, quem librum nos Tomo I, col. 533, edidimus Homilia autem vigesima quarta, col. 203 et sqq., præsentiam corporis Christi in Eucharistia tam aperte declarat ac repetit, ut nemo, nisi præjudicata opinione admodum detineatur, negare possit eam vere fuisse istius ævi sententiam. Homilia vero quadragesima tertia ait Christianum neminem ad precationem illotis manibus accedere, qui exterior cultus majorem animi præparationem adhibendam esse indicabat.

§ III. — 1. *De Homiliis in secundam ad Corinthios Epistolam.* 2. *Probatur illas etiam Antiochiæ habitas fuisse.* 3. *Marcion, Manichæus aliique hæretici confutantur.* 4. *Alia quædam observatu digna.*

1. Homilias in secundam ad Corinthios Epistolam non pari elegantia atque priores, de

quibus jam actum est, scriptas fuisse quidam opinantur. Breviore utique stylo explanantur. Et quia Chrysostomus in priore epistola Paulum apostolum sequutus, qui Christianos illos, in Ecclesia tumultus et dissidia moventes, vehementer insectabatur, cum acrimonia majore loquitur, in secunda vero cum apostolo pacatius agit, nec tropis tam frequentibus utitur : non parem certe operam in ambabus adhibuisse videtur.

2. De Homiliis autem in secundam hæc habet Savilius in notis p. 227 : *De posteriore ad Corinthios subdubitare me cogit dictio, quam in proxime memoratis paulo accuratior. Si tamen genuinum est Ethicon illud vigesimum sextum, quod inter doctos disceptari video, verba certe illa* (col. 582, lin. 30) : *Nam et hic quoque Constantinum Magnum, etc. Constantinopoli clare indicant.* Quæ ut intelligantur, hæc enim obscurius prolata jacent, hoc modo sunt intelligenda. Savilius Photium sequutus, qui dixerat eas homilias, quas Antiochiæ habuit Chrysostomus, accuratius elaboratas esse quam eas, quas Constantinopoli emiserat, Homilias in Epistolam ad Colossenses, in utramque ad Thessalonicenses, et in Epistolam ad Hebræos, minus elaboratas, Constantinopoli emissas esse dixit ; de Homiliis autem in secundam ad Corinthios subdubitare se ait Antiochiæne an Constantinopoli habitæ fuerint, quia majori cum accuratione compositæ sunt, quam illæ ad Colossenses, etc. Si tamen illud, inquit, quod in Homilia vigesima sexta legitur de Constantini sepulcro, vere Chrysostomi sit, qua de re multi dubitant, Constantinopoli habitæ fuerint. Sic ille de loco illo dubitari an vere Chrysostomi sit necne asserit, neminemque tamen ex dubitantibus nominat : neque ulla dubitandi vel disceptandi causa comparet; in omnibus namque tum Editis tum Manuscriptis habetur, et optime ad seriem quadrat.

Locum vero illum pessime intellexit Savilius, cum putavit illo probari has homilias Constantinopoli fuisse habitas, cum contra probetur illas Antiochiæ dictas fuisse. En ipsum locum Homiliæ vigesimæ sextæ, col. 582, lin. 28 : *Atque id non Romæ solum fieri quispiam viderit, sed etiam Constantinopoli. Nam et hic quoque Constantinum Magnum filius ita se ingenti honore affecturum existimavit, si eum in Piscatoris vestibulo conderet.* His porro verbis, *Non Romæ solum, sed etiam Constantinopoli*, aperte declarat se Constantinopoli tunc non fuisse ; nusquam enim illum de urbe in qua degit sic loquutum deprehendas. Savilium decepit id quod sequitur, *Nam et hic;* putavit enim illud, *Et hic*, locum in quo tunc prædicabat Chrysostomus indicare. Verum et hoc loco et paucis postea versibus, et sexcenties alibi *Hic* significat locum de quo loquitur, non locum in quo versatur. Itaque hæ posteriores homiliæ Antiochiæ, non Constantinopoli habitæ fuere : quæ item fuit Tillemontii Cl. V. sententia.

3. Ut in prioribus homiliis Marcionistas exagitat, col. 455, qui dicebant rerum opificem justum esse, sed non bonum ; Manichæos item insectatur, qui ore impio hunc rerum opificem diabolum esse pronuntiabant. Hæreticos etiam istos aliquot in locis insectatur, col. 546 : necnon et alios qui dicebant mundum ipsum esse deum, qui error etiam ævo nostro renovatus fuit.

4. Alia quoque observatu digna in hisce posterioribus homiliis occurrunt. Opinatur Chrysostomus fratrem illum, de quo dicit Paulus, *Cujus laus est in Evangelio*, esse Barnabam ; vulgarior tamen sententia est Lucam esse ab Evangelio quod descripsit laudandum, col. 523, 524. Affirmat quoque S. doctor Alexandrum Magnum a senatu Romano tertium decimum declaratum fuisse, col. 581, id quod nuspiam memini me legere. Tertius decimus autem deus dictus fuerit, quia duodecim deos Romani admittebant, his duobus versibus comprehensos :

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Ritum porro singularem et usus frequentis commemorat, quod scilicet ii, qui in Ecclesiam ingrediebantur, Ecclesiæ vestibula oscularentur.

Homiliarum in primam Epistolam interpretationem Latinam, quod non accurata esset, pene totam mutavimus ; in secunda autem multa correximus.

SANCTI PATRIS NOSTRI
JOANNIS CHRYSOSTOMI,

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

ARGUMENTUM EPISTOLÆ PRIMÆ AD CORINTHIOS (a).

Corinthi dignitas. — Corinthus nunc prima Græciæ civitas multis olim florebat ornamentis et commodis, atque opum abundantia cæteris omnibus præstabat : quapropter ex scriptoribus exteris quispiam

(a) Collatum cum Codice Regio 1818, in quo priora folia desiderantur, et in decurs ualia plurima.

locum vocabat ἀρνειὸν (*a*), id est opulentum. Sita est enim in Isthmo Peloponnesi et ad mercimonia admodum opportuna erat. Oratoribus autem et philosophis plena erat : atque ex septem illis, qui sapientes vocabantur, quidam Corinthius erat (*b*). Hæc porro a nobis non ostentationis causa, nec ad eruditionem exhibendam dicta sunt : quid enim juvat hæc nosse ? sed hæc ad epistolæ argumentum nobis conferunt. Multa autem in hac urbe passus est Paulus, et Christus in illa apparens ei, dixit : *Ne taceas, sed loquere : quia multus est mihi populus in hac civitate* (*Act.* 18. 9. 10). Et mansit ibi duos annos. In hac quoque dæmon exiit, quem Judæi adjurantes gravia ab illo passi sunt : in hac item quidam pœnitentia ducti libros magicos combusserunt ; et visa sunt quinquaginta millia : in hac demum, Gallione proconsule in tribunali sedente, Paulus verberatus est. Videns ergo diabolus civitatem magnam et populosam veritatem accepisse ; illam, inquam, divitiis et sapientia mirabilem, Græciæque præcipuam ; res enim Atheniensium et Lacedæmoniorum, sublato jam olim ipsis imperio, misere jacebant : videns item Corinthios alacri animo verbum Dei suscepisse; quid facit ? Homines dividit : sciebat enim regnum omnium potentissimum in seipsum divisum stare non posse. Occasionem autem habuit ad insidias parandas, habitantium divitias atque sapientiam. Hinc illis in factiones adversum se mutuo divisis, cum quidam eorum se suopte arbitrio delegissent, multitudini præfuerunt; et alii quidem his, alii illis sese dediderunt, illis ut divitibus, his ut sapientibus qui plus possent docere : qui, adjunctis sibi illis, gloriabantur se plura dicere, quam apostolus ; id quod etiam ille subindicans dicebat : *Non potui vobis loqui tamquam spiritualibus* (1. *Cor.* 3. 1). Certe non ex Pauli penuria, sed ex illorum infirmitate factum est, ut non multa audirent : et hoc indicat illud, *Sine nobis divites facti estis* (1. *Cor.* 4. 8). Quæ res non parva, sed omnium perniciosissima erat, quod Ecclesia discinderetur. Ad hæc autem aliud scelus admittebatur, quod quidam, qui cum noverca sua coiret, nec modo non corriperetur, sed etiam cœtus cogeret, et sequacibus suis suaderet ut altum saperent. Ideo ait : *Et vos inflati estis, et non magis luxistis* (1. *Cor.* 5. 2). Ad hæc autem quidam ex iis qui perfectiores habebantur, cum ob ingluviem ea quæ idolis immolata fuerant degustarent, et in templis accumberent, omnia pessumdabant. Alii rursum lites et contentiones habentes pro pecuniis, externis tribunalibus negotia sua permittebant. Multi quoque comati apud illos circuibant, quos etiam tonderi jubet. Aliud quoque delictum erat non parvum, quod in ecclesiis seorsim comederent, neque egenis impertirent. In alia etiam re peccabant, quod de charismatibus altum saperent, indeque inter illos æmulatio oriretur : quod ipsum quoque Ecclesiam scindebat. Resurrectionis quoque doctrina apud illos claudicabat : quidam enim apud illos futuram corporum resurrectionem non admodum credebant, Græcæ adhuc stultitiæ morbo laborantes. Hæc quippe omnia ortum habebant ex philosophiæ externæ stultitia : et hæc erat malorum mater : hinc discindebantur, quod ipsum a philosophis didicerant. Nam et illi sibi mutuo adversabantur, imperii et vanæ gloriæ causa aliorum semper sententiam impugnantes, et nova prioribus addere studentes. Sic autem affecti erant, quia ratiociniis sua permittebant. Illi autem scripserunt ei per Fortunatum, Stephanam et Achaicum mittentes, quorum opera et ipse Epistolam misit. Et hoc indicavit in fine Epistolæ, non de omnibus loquens, sed de connubio et de virginitate. Ideo dicebat : *De quibus autem scripsistis mihi* (1. *Cor.* 7. 11). Ille porro et de quibus scripserunt, et de quibus non scripserunt, epistolam texit, cum omnia illorum vitia edidicisset. Et cum literis Timotheum mittit, gnarus vim magnam habituras literas esse, nec parvam accessionem allaturam discipuli præsentiam. Quia vero ii, qui Ecclesiam diviserant, verentes ne ambitionis causa id fecisse viderentur, propositi sui obtentus excogitaverunt, quod nimirum perfectiora docerent et sapientiores aliis essent; contra hunc morbum primo insurgit Paulus, radicem malorum deprimens, necnon dissensionem inde subortam : multaque loquendi fiducia utitur. Hi enim maxime omnium discipuli sui erant ; idcirco ait : *Si aliis non sum apostolus, vobis certe sum : vos enim estis signaculum apostolatus mei* (1. *Cor.* 9. 2) : et aliis infirmiores erant ; ideo dicit : *Non enim ut spiritualibus loquutus sum : nondum enim poteratis, sed nec nunc potestis* (1. *Cor.* 3. 2). Hoc autem dicit, ne putarent eum ita loqui de tempore præterito. Cæterum verisimile est non corruptos omnes fuisse, sed quosdam inter illos fuisse admodum sanctos. Et hoc in medio Epistolæ significavit dicens : *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer;* et adjiciens : *Hæc autem transfiguravi in me et Apollo* (1. *Cor.* 3. 6). Quia igitur ex arrogantia omnia gignebantur mala, et quod existimarent se quid amplius scire, hunc morbum ante alios tollit, et incipiens dicit :

(*a*) Ἀρνειόν τε Κόρινθον, inquit Homerus Il. B, v. 570, et post eum Thucydides I, 13, ex opulentia hoc nomen Corintho inditum dicit. Homeri locum refert Strabo l. 8.

(*b*) Periander Corinthius septem illis Græciæ sapientibus annumeratur a quibusdam. Non una quippe est in septem sapientium recensione sententia.

HOMILIA I.

Cap. 1. v. 1. *Paulus vocatus apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei, et Sosthenes frater,* 2. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis cum omnibus invocantibus nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco et ipsorum et nostro :* 3. *gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.*

1. Vide quomodo statim a principio arrogantiam dejecit, et humi stravit omnem illorum existimationem, vocatum se dicens. Neque enim inveni, inquit,

id quod didici, neque ex mea sapientia apprehendi, sed cum Ecclesiam persequerer et devastarem, vocatus sum. Hic autem totum vocantis est, vocati nihil, ut ita dicam, nisi quod obediat. *Christi Jesu.* Magister vester Christus est : et vos inscribitis homines doctrinæ præfectos? *Per voluntatem Dei.* Deus enim hoc voluit ut vos sic salvi essetis. Nos enim nihil præclare egimus, sed per voluntatem Dei salutem invenimus ; et quia id ipsi placuit, vocati sumus, non quod digni essemus.

Pauli modestia. — Et Sosthenes frater. Rursus modeste agit, minorem in eodem secum ordine ponens : nam multum spatii erat Paulum inter et Sosthenem. Quod si cum tantum interesset discriminis, inferiorem sibi adjunxit quid dicere possint illi, qui honore sibi pares despiciunt? *Ecclesiæ Dei.* Non hujus aut illius, sed *Dei. Quæ est Corinthi.* Viden' quomodo in singulis dictionibus illorum fastum dejiciat, per omnia mentem cælo assuefaciens. Ecclesiam autem Dei vocat, ostendens eam oportere esse unitam. Si enim Dei est, unita et una est, non Corinthi solum, sed etiam in toto orbe. Ecclesiæ quippe nomen non separationis, sed unionis et concordiæ nomen est. *Sanctificatis in Christo Jesu.* Rursus nomen Jesu, et nusquam hominum nomen ponit. Quid est autem sanctificatio? Lavacrum, purgatio. In memoriam enim illis revocat immunditiam suam, a qua liberavit eos, et suadet ut humiliter sentiant : non enim ex præclaris suis gestis, sed ex Dei clementia sanctificati sunt. *Vocatis sanctis.* Etenim hoc ipsum, inquit, ex fide salutem consequi, non ex vobis est : non enim primi accessistis, sed vocati estis. Itaque neque illud exiguum a vobis totum est. Quamquam etiamsi accesseritis innumeris obnoxii malis, neque sic vobis gratia habenda est, sed Deo.

Ecclesiæ unitas. — Quapropter ad Ephesios scribens dicebat : *Gratia salvi facti estis, per fidem, et hoc non ex vobis* (*Ephes.* 2. 8). Neque fides vestra tota ex vobis : neque enim vos credendo prævenistis, sed vocati obedistis. *Cum omnibus invocantibus nomen Domini nostri Jesu Christi.* Non hujus aut illius, sed *Nomen Domini. In omni loco et ipsorum et nostro.* Etiamsi enim literæ ad Corinthios solum scriptæ sint ; at omnes in universa terra fideles memorat, ostendens unam esse debere in orbe Ecclesiam, licet multis in locis separatam, multoque magis eam quæ est Corinthi. Quod si locus separat, at Dominus illos conjungit, communis cum sit : ideo conjungens illos subjunxit, *Et nostri et ipsorum.* Est autem hoc illo magis proprium. Sicut enim ii, qui uno in loco sunt, cum plurimos habent dominos contrarios, divisi sunt et nihil ad concordiam a loco juvantur, dominis diversa jubentibus et ad se trahentibus : *Non potestis enim,* inquit, *servire Deo et mamonæ* (*Matth.* 6. 24) : sic qui in diversis locis sunt, si non diversos habebant dominos, sed unum tantum, nihil ad concordiam servandam a locis læduntur, uno domino illos copulante. Non dico igitur, inquit, vos, Corinthii cum sitis, cum Corinthiis tantum concordes esse debere, sed cum omnibus qui in orbe sunt, cum communem habeatis Dominum. Ideo secundo adjecit, *Nostri.* Quia enim dixit, *Nomen Domini nostri Jesu Christi ;* ne apud insipientes separare videretur, rursus adjicit, *Domini nostri et ipsorum.* Et ut clarius evadat id quod dico, sic legam ut sensus postulat : Paulus et Sosthenes Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, et omnibus invocantibus nomen Domini nostri et ipsorum in omni loco, sive Romæ, sive ubicumque fuerint : *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.* Vel sic rursum, ut etiam melius esse existimo : Paulus et Sosthenes iis qui Corinthi sunt sanctificatis, vocatis sanctis cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco ipsorum et nostri. Id est, Gratia vobis et pax vobis, qui Corinthi estis sanctificati et vocati ; non solis, sed cum omnibus qui in omni loco invocant nomen Domini nostri Jesu Christi et ipsorum. Si autem ex gratia pax est, cur magnum sapis? cur tantum inflaris, cum per gratiam servatus sis? Si vero pacem habes apud Deum, cur te aliis adscribis? hoc enim est dissidere. Quid enim, si cum hoc et cum illo gratiam habetis? Ego autem peto, ut a Deo hæc vobis utraque fiant, et ab illo et ad illum. Neque enim firma manserint, nisi superna gratia fruantur : neque si non sint ad ipsum, nobis quidquam proderunt, si cum omnibus pacem habentes, cum Deo bellum habeamus ; ut nihil nocumenti nobis erit, si ab omnibus impugnemur, et cum Deo pacem habeamus : ac rursum nulla utilitas si ab omnibus celebremur, et Dominum offendamus ; ut etiam nullum periculum, si omnes nos aversentur et odio habeant, Deusque nos approbet et diligat : vera enim gratia et vera pax a Deo est. Nam qui gratiam quæ a Deo est habet, neminem timet, etiamsi innumera gravia patiatur ; nec dico hominem, sed neque etiam diabolum. Qui vero Deum offendit, omnes suspectos habet, etiamsi in tuto esse videatur. Instabile namque est genus hominum ; et non solum amici et fratres, sed etiam patres, parva sæpe de causa mutati, quem genuerunt, quem procrearunt, magis quam omnes hostes abjecerunt ; et filii patres extulerunt. Animum adhibe.

2. *Gratia Dei quærenda, non hominum.* — Gratiam habuit David apud Deum ; gratiam habuit Absalom apud homines : quem finem uterque habuit, et uter magis probatus et clarus fuerit, nostis. Gratiam habuit Abraham apud Deum, Pharao autem apud homines : hi namque gratiam ejus aucupantes uxorem justi ipsi prodiderunt : uter igitur splendidior, uter beatus fuerit, cuivis perspicuum est. Ecquid de justis loquor? Gratiam apud Deum habuere Israelitæ, et odio habebantur ab hominibus Ægyptiis : et eos qui se odio habebant superarunt, idque conspicuo quo scitis omnes modo. Hoc ergo curemus omnes : quamvis servus quis sit, hoc precetur ut apud Deum magis quam apud herum suum gratiam inveniat ; quamvis uxor fuerit, plus quam conjugis Servatoris sui Dei gratiam quærat ; quamvis miles, magis quam Imperatoris aut principis, supernam benevolentiam expetat : sic enim etiam apud homines amabilis eris. Quomodo autem

quis gratiam inveniat apud Deum? Quo alio modo, quam ab humilitate? *Deus enim*, inquit, *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Prov.* 3. 34); et, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, et humiliatum cor Deus non despiciet* (*Psal.* 50. 19). Nam si apud homines tam desiderabilis est humilitas, multo magis apud Deum. Ita et gentiles gratiam invenerunt, ita et Judæi gratia exciderunt : *Justitiæ namque Dei non subjecti fuerunt* (*Rom.* 10. 3). Humilis gratiosus et suavis omnibus est, perpetuo in pace vivens, nullamque habens belli occasionem. Etiamsi enim illum contumelia et conviciis afficias, etiamsi quidvis dixeris, tacebit ille et leniter feret; et tantam servabit apud omnes pacem, quantam ne dicere quidem possis, etiamque apud Deum. Mandata quippe Dei eo tendunt, ut cum hominibus pax habeatur : et vitam nostram ita recte transigimus, si mutua cum aliis pace fruamur. Deum enim nemo lædere poterit : natura quippe illa pernicici obnoxia non est et omni passioni superior. Nihil ita mirabilem Christianum reddit ut humilitas. Audi enim Abrahamum dicentem : *Ego autem sum terra et cinis* (*Gen* 18. 27) ; et Deum rursus de Moyse, quod fuerit omnium hominum mitissimus. Nihil enim illo humilius fuit, qui cum tanti populi dux esset, cum regem et exercitum Ægyptiorum omnium quasi muscas in mare demersisset, et tanta in Ægypto, tanta in mari Rubro et in deserto perpetrasset, tantarumque rerum testimoniis frueretur, sic affectus erat quasi unus ex plebe ; eratque socero gener humilior, illiusque consilium accepit. Non moleste tulit, non dixit : Quid hoc? post tot tantaque præclare gesta venisti nobis consilia daturus? Quod tamen multi faciunt, etiamsi quis optimum det consilium, personæ humilitatem despectui habentes. At non sic ille, sed per humilitatem omnia recte agebat. Hinc aulas despexit regias, quia vere humilis erat : mentem enim sanam et excelsam facit humilitas. Quantæ enim et mentis et animi magnitudinis fuerit et domum et mensam regiam despicere? Reges enim quasi dii colebantur apud Ægyptios, ac divitiis thesaurisque fruebantur innumeris. Attamen ille his omnibus dimissis, abjectisque Ægypti sceptris, ad captivos et oppressos, qui in luto et lateribus versabantur, quos servi regis horrebant : nam illos abominabantur Ægyptii (*Exod.* 1. 13), inquit : ad hos confugit, illosque dominis præposuit. Unde palam est, hunc humilem, excelsum magnanimumque esse. Arrogantia enim ex vili mente et illiberali animo nascitur; mansuetudo autem ex magno et excelso animo.

3. *Humilitas commendatur.* — Et si placet, utrumque exemplis discutiamus. Dic enim mihi, qui Abrahamo excelsius fuit? Atqui ille erat qui dicebat, *Ego sum terra et cinis* (*Gen.* 18. 27) : ille erat qui dicebat, *Ne sit pugna inter me et te* (*Gen.* 13. 8). Verum hic humilis manubias despexit Persicas, et barbarica contempsit tropæa. Hæc porro ex animi magnitudine et sublimitate faciebat. Ille namque vere sublimis est, qui sincere est humilis, non adulator, non qui ironia utitur. Aliud enim est magnanimitas, aliud arrogantia : hoc autem hinc manifestum est. Sit quis lutum esse lutum putans et illud despiciat ; alius autem qui lutum pro auro habeat, admiretur et magni faciat : uter excelsi animi est? annon is, qui lutum non admiratur? uter vero abjecti animi et vilis est? nonne qui illud admiratur et magni facit? Ita hic etiam reputa : eum nempe, qui se terram et cinerem dicit, excelsum esse, quamvis hoc dicat ex humilitate ; illum vero, qui se nec terram nec cinerem esse putat, sed seipsum colit et altum de se sapit, vilem utique esse, qui parva magni faciat. Unde palam est ex magna animi sublimitate patriarcham hanc emisisse vocem, *Ego autem sum terra et cinis;* ex mentis sublimitate, non ex arrogantia. Quemadmodum enim in corporibus aliud est vegetum et bona carnis habitudine esse, aliud esse humore inflatum, licet in utroque caro prominear ; at in hoc corrupta, in illo sana : ita etiam aliud est esse arrogantem, quod est esse humore turgentem ; aliud esse sublimem, quod est vegetum esse. Et rursus, est quidam corporis statura procerus; alius autem brevis statura, acceptis calceis fit altior : utrum ergo vocabimus procerum et magnum, quæso? annon eum, qui ex natura sua procerus est? Ille enim alienum hoc habet, et super humilia ascendens, sic procerus effectus est : id quod etiam multi homines faciunt, qui pecuniis et gloria sese extollunt, idque non est altitudo. Excelsus enim est ille, qui horum nullo opus habens, sed omnia despiciens, in se magnitudinem obtinet. Simus ergo humiles, ut sublimes efficiamur : nam *Qui se humiliat, exaltabitur* (*Matth.* 23. 12), inquit. Sed non ille arrogans talis est; omnium quippe est vilissimus : bulla enim inflatur, sed hæc inflatio non solida est. Ideo hujusmodi homines inflatos vocamus. Qui enim moderate sentit, ne in magnis quidem altum sapit, vilitatem suam notam habens : qui autem vilis est, etiam in parvis magnum sapit. Adipiscamur ergo ex humilitate sublimitatem : consideremus humanarum rerum naturam, ut futurorum desiderio incendamur. Non alio quippe modo potest quis humilis fieri, quam per divinarum rerum amorem et præsentium despectum. Ut enim si quis regnum sit assequuturus, deindeque pro illa purpura aliquis ei vulgarem exhibeat honorem, illum nihili faciet : ita et nos præsentia omnia deridebimus, si honorem illum concupiscamus. Non videtis pueros, cum ludentes aciem statuunt et milites, præcedentibus præconibus et lictoribus, et puer medius instar ducis incedit, et quam sint illa puerilia? Talia sunt humana, et his viliora, quæ hodie sunt, et cras non erunt. Simus ergo his altiores, et non solum hæc non concupiscamus, sed etiam erubescamus, si quis nobis illa tribuat. Ita enim horum depulso amore, divinum illum consequemur, et immortali fruemur gloria : quam nos omnes assequi contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

Cap. 1. v. 4. *Gratias ago Deo meo semper pro vobis, de gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu:* 5. *quia in omni divites facti estis in illo.*

1. *Gratiæ Deo agendæ.* — Quod alios hortatur ut faciant cum dicit: *In gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum;* hoc ipsum ille faciebat, docens nos ab hujusmodi semper verbis incipere, et ante omnia Deo gratias agere. Nihil enim tam amat Deus, quam ut grato animo simus, et pro nobis et pro aliis. Ideoque in omni fere epistola hoc præmittit; hic vero magis necessario hoc facit, quam in aliis. Nam qui gratias agit, ut beneficio affectus id agit, et gratiam gratia rependit. Gratia vero nec debitum nec merces nec retributio est. Quod ubique dicere necesse erat, maxime vero Corinthiis, qui inhiabant ad eos, qui scindebant Ecclesiam. *Deo meo.* Ex ingenti affectu quod commune erat rapit, et sibi proprium facit; quod etiam prophetæ semper dicere solebant: *Deus, Deus meus.* Hortaturque illos ut hoc ipsum dicant. Nam qui ita loquitur, ab humanis omnibus recedit, et ad illum tendit, quem cum affectu multo vocat. Hoc enim proprie et vere dicere potest is, qui a sæcularibus rebus ad Deum semper ascendit, et ubique illum omnibus præponit, ipsique perpetuo gratias agit, non solum de gratia jam data; sed si quid postea boni factum sit, pro eo etiam laudem ipsi refert. Ideo non solum dixit, Gratias ago, sed etiam, *Semper pro vobis,* nos instituens, ut illi semper gratias habeamus, neminique alteri, sed Deo tantum. *De gratia Dei.* Viden' quomodo illos ubique corrigat. Ubi enim est gratia, non sunt opera: ubi sunt opera, non est amplius gratia. Si ergo gratia, quare altum sapitis? cur inflati estis? *Quæ data est vobis.* Et per quem data est? an per me, an per alium apostolum? Nequaquam, sed per Jesum Christum: illud enim, *In Christo Jesu*, hoc significat. Vide quomodo sæpe illud, *in*, pro illo, *per quem*, ponatur. Non minus ergo est quam *per. Quod in omni divites facti estis.* Rursus per quem? In ipso, inquit: nec modo divites facti estis, sed etiam *In omni.* Cum ergo divitiæ sint, et Dei divitiæ, et in omni, et per Unigenitum, cogita quam ineffabilis sit thesaurus. *In omni verbo et in omni scientia.* Verbo, non externo, sed Dei. Est enim scientia sine verbo, et est scientia cum verbo. Sunt namque plurimi qui scientiam nacti, verbum non habent, ut idiotæ, et qui non possunt ea, quæ in mente habent, clare exprimere. At non vos tales estis, inquit, sed et cogitandi et loquendi facultatem habetis. 6. *Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis.* In laudum et gratiarum actionis ordine et modo valde illos tangit. Non enim per externam philosophiam, inquit, neque per externam eruditionem, sed per gratiam Dei et divitias et scientiam et verbum ab ipso datum potuistis veritatis dogmata discere et confirmari in testimonium Domini, id est, in prædicationem. Multa enim habuistis signa, multa miracula, ineffabilem gratiam, ita ut prædicationem acceperitis. Si ergo confirmati estis per signa et gratiam, cur vacillatis? Hæc porro simul sunt et increpantis et prævenientis dicta. 7. *Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia.* Magnum quidpiam hic quæritur: si qui divites sunt in omni verbo, ita ut nihil desit illis in ulla gratia, hi carnales sunt. Nam si tales fuerunt in principio, multo magis nunc. Quomodo ergo illos carnales vocat? *Non enim potui vobis loqui*, inquit, *ut spiritualibus, sed ut carnalibus* (1. *Cor.* 3. 1). Quid ergo dicendum est? Quod cum ab initio credidissent, et charismata omnia consequuti essent; nam zelo incensi erant, negligentiores postea evaserint. Aut si hoc non ita se habeat, quod non omnibus hæc vel illa dicantur, sed alia iis qui in culpa erant, alia iis qui laudibus insignes erant. Nam quod adhuc charismata haberent *Psalmum habet aliquis*, inquit, *revelationem habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant;* et, *Prophetæ autem duo vel tres loquantur* (*Ibid.* 14. 26. 29). Aliud quidpiam dici potest: ut moris est apud nos id quod plus est, totum dicere, ita etiam hic ille dixit. Ad hæc autem puto illum etiam quæ sua sunt subindicare, ut et in secunda ad eosdem Epistola dicit: *Signa quidem apostoli facta sunt in vobis in omni patientia;* et rursum: *Quid enim est, quod minus habuistis quam cæteræ Ecclesiæ* (2. *Cor.* 12. 12. *et* 13). Vel, ut jam dixi, quæ ab se facta sunt commemorat; vel hæc iis, qui adhuc probati erant, dicit. Erant quippe ibi sancti multi, qui ad sanctorum ministerium se dediderant, et primitiæ Achaiæ facti sunt, ut in fine declarat. Alioquin vero etiamsi laudes non omnino affines sunt veritati, attamen prudenter adhibentur, ut viam parent iis quæ dicenda sunt. Nam qui statim a principio importuna loquitur, infirmioribus auditum claudit ad cætera verba; si enim auditores honore pares sint, irascuntur; si admodum inferiores, dolore afficientur. Ne igitur hoc eveniat, ab iis quæ encomia videntur esse initium ducit. Neque enim hoc encomium illorum erat, sed gratiæ Dei. Nam quod peccata remissa ipsis essent, et quod justificati essent, hoc superni doni erat. Propterea in iis immoratur, quæ Dei benignitatem ostendunt, ut morbum eorum magis curet. *Exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi.* Quid tumultuamini, inquit, quid turbamini, quod non adsit Christus? Adest quidem, et dies jam pro foribus est. Et considera sapientiam, quomodo illos, cum ab humanis abduxisset, exterruit tremendum tribunal commemorans, et ostendens non bona tantum initia requiri, sed finem quoque. Nam cum his charismatibus et aliis virtutibus, oportet etiam diei illius reminisci: multisque laboribus est opus, ut possit quis ad finem pervenire.

2. Revelationem autem commemorat ostendens illam, etiamsi non videatur, sed esse tamen, et nunc adesse, et tunc apparituram esse. Patientia igitur est opus: ideo enim miracula accepistis, ut firmi maneatis. 8. *Qui et confirmabit vos usque in finem sine*

crimine. Hic videtur quidem illos demulcere ; sed quod dicitur omni adulatione vacat. Solet enim illos tangere, ut cum dicit : *Tamquam non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam ;* et rursum, *Quid vultis ? in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis* (1. *Cor.* 4. 18. *et* 21)? et, *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christi* (2. *Cor.* 13. 3) ? Latenter autem ipsos accusat : cum dicit enim, *Confirmabit*, et, *Sine crimine*, ostendit illos adhuc fluctuare, et crimini esse obnoxios. Tu vero consideres velim, quomodo illos semper nomini Christi affigat, et nullius hominis, neque apostoli, neque magistri, sed frequenter dilecti illius mentionem faciat, quasi ab ebrietate quadam temulentos educere parans. Nusquam enim in alia epistola tam frequenter nomen Christi jacet : hic vero in paucis versibus sæpe, et hoc nomine fere totum contexit proœmium. Considera autem superius. « Paulus, vocatus apostolus Jesu Christi, sanctificatis in Christo Jesu, invocantibus nomen Domini nostri Jesu Christi : gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino Jesu Christo. Gratias ago Deo meo de gratia, quæ data est vobis in Christo Jesu : sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis : exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi, qui et confirmabit vos sine crimine in die Domini nostri Jesu Christi. 9. Fidelis est Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri. 10. Obsecro autem vos per nomen Domini nostri Jesu Christi. » Viden' frequentiam nominis Christi ? Unde palam est etiam illis, qui admodum insipientes sunt, ipsum non sine causa nec casu ita facere ; sed hujus pulchri nominis frequentia illorum tumorem exhaurit, et saniem morbi expurgat. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus.* Papæ ! quantam hic rem dicit ! quantam doni magnitudinem exhibet ! In societatem Unigeniti vocati estis, et vos hominibus addicitis ? quid hac miseria pejus ? Et quomodo vocati estis ? Per Patrem. Quia enim per illum et in illo frequenter dicebat de Filio, ne putarent se illum ut minorem commemorare, id Patri adscribit. Non per hunc vel alium, inquit, sed per Patrem vocati estis : per ipsum etiam divites facti estis. Rursus vocati estis, non ipsi accessistis. Quid vero sibi vult illud, *In societatem Filii ejus ?* Audi illum hoc clarius alibi dicentem : *Si sustinemus, et conregnabimus : si commorimur, simul vivemus* (2. *Tim.* 2. 12). Deinde, quia rem magnam dixit, addidit etiam ratiocinium certum, cui non possit contradici : nam ait, *Fidelis Deus ;* id est, verus. Si verus, quæ promisit faciet : promisit autem se nos socios facturum unigeniti Filii; ad hoc quippe nos vocavit : dona enim et charismata ejus sine pœnitentia sunt, necnon Dei vocatio. Hæc autem nunc prius ordine ponit in sermone, ut ne post vehementem accusationem in desperationem cadant. Quæ enim a Deo sunt promissa omnino comparebunt, nisi nos admodum effrenes fuerimus : quemadmodum Judæi vocati noluerunt bona accipere.

Deo vocanti obtemperandum.—Hoc vero jam non vocantis erat, sed ingrati illorum animi. Ipse namque dare volebat ; illi vero nolentes accipere, seipsos ejecerunt. Nam etiamsi ad rem laboriosam et asperam vocasset, recusantes venia digni non fuissent, sed potuissent saltem hoc obtendere : si autem ad purgationem, ad justitiam, ad sanctificationem, ad redemptionem, gratiam, donum et præparata bona, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, et Deus est qui vocat, et per seipsum vocat ; qua venia digni fuerint qui non accurrunt ? Ne quis ergo in Deum culpam referat. Non enim ex vocante fit quod non credatur, sed ex iis qui resiliunt. Sed oportebat, inquies, vel invitos inducere. Apage : non enim vim vel necessitatem infert. Quis enim ad honores et coronas et convivia et celebritates vocans, invitos et vinctos trahit ? Nemo certe : hoc enim esset injuriam facere. Ad gehennam invitos mittit ; ad regnum lubentes vocat : ad ignem ligatos ducit, etiam ejulantes ; sed innumera bona non sic. Nam hoc ipsa quoque bona odiosa redderet, nisi talis sit illorum natura, ut ad illa sponte accurratur, et gratiam habeant maximam.

3. Et qui fit, inquies, quod non omnes ipsa eligant? Ob propriam infirmitatem. Et cur illorum infirmitatem non abscindit ? Et quo pacto, dic mihi, exscindere opus est? annon creaturam condidit docentem ejus benignitatem, et potentiam ? nam *Cæli*, inquit, *enarrant gloriam Dei* (*Psal.* 18. 2). Annon prophetas misit ? annon vocavit et honoravit ? annon miracula fecit ? annon legem dedit et scriptam et naturalem ? annon Filium suum misit ? annon etiam apostolos ? annon signa fecit ? annon gehennam comminatus est ? nonne regnum promisit ? nonne quotidie solem suum oriri facit? nonne quæ præcepit ita facilia sunt, ut multi vi philosophiæ suæ ejus mandata superent ! *Quid oportebat facere vineæ, et non feci* (*Isai.* 5. 4). Et cur non fecit nobis, inquies, scientiam et virtutem naturalem? Quis hæc dicit? Græcusne an Christianus Ambo quidem, sed non eadem de causa : verum alter de scientia, alter de vita contendit. Primum igitur nostro respondebimus : non enim mihi tanta cura est de exteris, quanta de propriis membris. Quid ergo dicit Christianus ? ipsam nobis virtutis scientiam indi oportebat. Indidit certe : nisi enim indidisset, unde nossemus ea quæ agenda et quæ non agenda sunt ? undenam leges et tribunalia ? At non scientiam, sed ipsam actionem dare oportuit. Et cujusnam rei mercedem accepturus eras, si totum ex Deo fuisset? Dic enim mihi, tene et Græcum peccantes similiter punit Deus ? Minime : habes enim interim eam quæ ex scientia manat fiduciam. Quid ergo, si quis nunc diceret tibi, et te et Græcum pro scientia eadem consequuturos esse, annon id ægre ferres? Arbitror sane : diceres enim, cum Græcus ex se posset scientiam invenire, noluit. Si ergo ille diceret, oportebat Deum nobis scientiam naturaliter indere, annon irrideres, diceresque ei, Cur non quæsivisti ? cur non conatus es ut ego ? ac cum multa stares fiducia, diceresque extremæ esse insipientiæ Deum incusare, quod naturæ scientiam non indiderit. Hoc autem diceres, quia illa, quæ ad scientiam spectant,

in te recte se habent. Sic etiam si ea, quæ ad vitam pertinent, recte se haberent, non talem quæstionem moveres; verum quia circa virtutem socors et ignavus es, ideo insanos hosce profers sermones. Quomodo autem oportuit ex necessitate fieri bonum? Ergo futurum erat, ut bruta animalia nobiscum de virtute certarent cum quædam eorum nobis temperantiora sint. Sed mallem, inquies, ex necessitate bonus esse, et omni mercede privari, quam ex libero arbitrio malus, puniri et supplicio affici. Sed non est umquam necessitas esse bonum. Si ergo ignoras quid agendum sit, ostende, et tunc dicemus id quod opus est dicere: si vero libidinem malam esse nosti, cur malam rem non fugis? Non possum, inquies. Verum alii, qui majora recte gesserunt, te accusabunt, tibique vi magna os obstruent. Tu enim fortasse etiam cum uxore tua non caste agis; alius vero absque uxore integram servat castitatem. Quam ergo habes defensionem, qui modum non serves, dum alius ipsa septa transilit? At non parem, inquies, habeo corporis naturam, non par propositum voluntatis. Quia non vis, non quia non potes: ostendo namque omnes esse ad virtutem idoneos. Nam quod non potest quis facere, neque instante necessitate poterit: quod si instante necessitate possit, qui non facit, ex propositio voluntatis non facit. Exempli causa, volare et ad cælum ferri gravi corpore præditum, omnino fieri nequit. Quid ergo, si rex jusserit hoc facere, et mortem comminetur dicens: Homines non volantes jubeo concidi vel uri, vel quid simile pati: num quis ipsi obediet? Nequaquam: hoc enim natura ferre nequit. Sin autem de castitate idipsum statuat, justaque ponat, ut libidinosus puniatur, uratur, flagelletur et mille tormenta patiatur, annon multi edicto pareant? Non, inquies: nam lex est, quæ jubet non mœchari, neque omnes obsequuntur. Non quod infirmus et levis sit timor, sed quia multi se latere posse sperent. Quod si legislator et judex adessent libidinem impleturis, posset tunc metus libidinem arcere. Nam si aliam minorem necessitatem induxero, et ab amata muliere abstractum abduxero, et vinctum inclusero, poterit ferre, et nihil grave pati.

Nemo natura bonus vel natura malus. — Ne ergo dicamus, hunc natura bonum, illum natura malum esse. Nam si natura bonus sit, numquam poterit malus fieri; et si natura malus, numquam bonus erit. Nunc autem videmus celeres mutationes, et ab his in alia mutari, et ab illis in alia cadere. Et hæc non in Scripturis tantum videre est: exempli causa, quod publicani facti sint apostoli, et discipuli proditores, et meretrices castæ mulieres, et latrones præclare agentes, et magi adorantes, et impii in pietatem conversi, idque tam in Veteri, quam in Novo Testamento: imo quotidie similia accidere videmus. Si vero naturalia hæc essent, non mutarentur. Nam cum simus natura passibiles, nullo umquam studio impassibiles erimus. Quod enim natura tale est, numquam excidet a naturalibus. Nullus a dormiendo abstinuit, nullus a corruptione ad incorruptionem transire potuit, nullus ab esurie liberatus est, ita ut non ultra esuriat. Ideo hæc non in crimen vertuntur, neque nobis ea exprobramus. Neque aliquem accusaturus quispiam dixit: O impure, et passionibus obnoxie; sed aut adulterium, aut stuprum aut quid simile semper obnoxiis proferimus, et ad judices adducimus qui criminentur et puniant, et pro contrariis honore afficiant. Cum ergo tum ex iis quæ inter nos mutuo facimus, tum ex iis quæ in judicio patimur, et in legibus descripsimus, tum ex iis de quibus nos ipsos damnamus, licet nullus accuset; ex eo quod etiam per ignaviam pejores, per timorem meliores efficiamur, demumque ex eo quod alios videamus præclare agentes ad philosophiæ culmen venisse, palam sit penes nos esse ut recte agamus; cur nos frustra frigidis obtentibus et excusationibus decipimus, quæ non modo nobis veniam non concilient, sed potius intolerabile supplicium; cum oporteret diem illum terribilem præ oculis habentes, virtutis curam gerere et post modicum laborem incorruptibiles coronas accipere? Nihil enim nobis proderunt hæc verba; sed conservi, qui contraria recte egerunt, peccatores omnes damnabunt, crudelem misericors, malum bonus, audacem modestus, invidum benevolus, vanæ gloriæ cupidum philosophus, segnem studiosus, lascivum castus. Sic nobis judicium Deus feret, utrumque statuet ordinem, hos laudans, illos puniens. Verum absit, ut præsentium quispiam ex numero eorum sit qui punientur et ignominia afficientur; sed sint potius ex numero eorum qui coronantur, et divinum regnum obtinent; quod nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

Cap. I. v. 10. *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idem dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eadem mente et in eadem sententia.*

1. *Increpationes sensim et moderate fieri oportet.* — Quod semper dicebam, sensim et paulatim increpationes fieri oportere, hoc et Paulus hic facit. Rem enim magnam ingressurus multis plenam periculis, et quæ posset Ecclesiam funditus evertere, mitiore utitur sermone. Ait enim se obsecrare illos; obsecrare autem per Christum, quasi ipse solus non sufficeret ad talem supplicationem, et ad persuadendum. Quid est autem, Obsecro per Christum? Christum adhibeo socium, et in auxilium ejus nomen injuria et contumelia affectum. Admodum apposite, ut ne illi impudenter agerent: impudentes enim peccatum facit. Ideo si statim quidem vehementer increpaveris, immitem et impudentem efficis: si incre-

paveris, cervicem flexisti, loquendi libertatem abstraxisti, ut deorsum aspiceret fecisti. Quod efficiens Paulus interim obsecrat per nomen Christi. Et quidnam obsecrat? *Ut idem dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* Schismatis emphatica vis ipsumque accusationis nomen satis erant, ut illos acriter perstringerent. Non enim fuerunt multæ partes integræ, sed etiam una perierat. Nam si Ecclesiæ essent integræ, multi essent cœtus : si autem schismata, unum periisset. Nam quod integrum est, cum in multa dividitur, non modo non multa efficitur, sed quod unum erat perit. Talis est schismatum natura. Deinde quia admodum perstrinxerat schismatis nomine, rursus lenit et mitigat his verbis : *Sitis autem perfecti in eadem mente et in eadem sententia.* Quia enim dixerat, *Ut idem dicatis ;* Ne putetis, inquit, me concordiam dixisse in verbis solum sitam : eam enim quæ in mente est concordiam requiro. Sed quia fieri potest, ut idipsum mente dicant, sed non in rebus omnibus, ideo illud etiam addidit, *Sitis autem perfecti.* Qui enim in aliquo junctus est, in aliquo autem dissidet, non utique perfectus est, neque in toto consentit. Fieri autem potest, ut quis cogitatione concordet, neque tamen sententia : ut cum eamdem habentes fidem, caritate juncti non sumus. Sic enim secundum cogitata juncti sumus (eadem quippe cogitamus), sententia vero non item : quod etiam tunc factum est, cum hic quidem illum, ille alium eligeret. Ideo ait et mente et sententia jungi debere. Neque enim quod in fide dissiderent, schismata erant ; sed quod sententia dirimerentur secundum humanam contentionem. Sed quoniam is, qui accusatur, donec testes non habet, impudenter agit ; vide quomodo non concedens ut negent, testes adducat. 11. *Significatum enim est mihi de vobis, fratres, ab iis qui sunt Chloes.* Neque statim hoc dixerat, sed primo accusationem posuerat, quod ipsum significantibus credidisse probat : nisi enim hoc fuisset, non accusasset : non temere enim Paulus credidisset. Neque statim dixit sibi significatum esse, ne videretur quasi ab illis inductus accusare : neque tacuit eorum nomen, ne videretur ex se solo dicere. Rursus illos fratres nominat. Licet enim peccatum manifestum esset, nihil impediebat quominus illos adhuc fratres vocaret. Considera autem prudentiam, quomodo non separatam personam posuerit, sed domum totam, ne ipsi impeterent eum qui id dixisset : ita enim et illum texit, et accusationem sine metu aperuit. Non vidit enim solum quod illis, sed etiam quod his expediret. Ideo non dixit, Significatum mihi est a quibusdam ; sed etiam domum indicavit, ut ne videretur comminisci. Quid significatum est? *Quod contentiones sint in vobis.* Quando illos increpat, dicit : *Ne sint in vobis schismata ;* cum autem quæ aliorum sunt annuntiat, mitius effert his verbis : *Significatum enim est mihi, quod contentiones sunt in vobis ;* ut ne eos qui dixerant, una impeteret. Deinde genus contentionis dicit : 12. *Quod unusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ.* Contentiones enim dico, inquit, non eas quæ de rebus privatis sunt, sed graviores. *Quod unusquisque vestrum dicit.* Non enim partem, sed totam Ecclesiam corruptio devastabat. Atqui nec de seipso, nec de Petro, nec de Apollo dicebant ; sed ostendit, quod si his innitendum non est, multo minus aliis. Quod autem non de his dicerent, infra dicit : *Hæc autem transfiguravi in me et Apollo, ut in nobis discatis non supra id quod scriptum est sapere* (1. *Cor.* 4. 2). Quod si Pauli, Apollo et Cephæ non oportebat sibi nomina adscribere, multo minus aliorum. Si doctorem et primum apostolorum, qui tantum instituerat populum, non oportebat sibi adscribere, multo minus eos qui nihil erant. Cum hyperbole itaque illos a morbo abducere studens hæc nomina ponit. Alioquin vero etiam minus molestam orationem reddit, non nominatim recensens eos qui scindebant Ecclesiam, sed quasi larvis quibusdam apostolorum nominibus ipsos obtegens : *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ.*

2. *Paulus non præfert se Petro.* — Non præferens se Petro, posuit illum ultimum ; imo vero Petrum sibi valde præponens, per amplificationem loquutus est, ne putaretur hoc per invidiam facere, et præ livore ipsis honorem auferre. Ideo seipsum primum posuit. Nam qui se primum reprobat, non quod honorem amet hoc facit, sed quod talem gloriam admodum despiciat. Totum ergo impetum primus excipit, tuncque ponit Apollo, postea Cepham. Non ergo sese extollens id fecit ; sed in iis, quæ fieri non oportebat, per propriam personam primo correctionem facit. Sed quod ii quidem, qui huic vel alii se adscriberent, peccarent, palam est : ac recte illos corrigit dicens : Non bene facitis dicentes, *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ.* Cur autem addidit, *Ego vero Christi?* Nam si ii qui se hominibus adscripserunt peccavere, non certe ii qui se Christo addicebant. Sed non eos hac de re accusabat, quod se Christo adscriberent, sed solum quod non omnes. Puto autem ipsum hoc ex se adjecisse, ut graviorem faceret accusationem, et ostenderet Christum uni datum esse parti, etiamsi illi hoc non sic facerent. Quod enim hoc subindicaverit, per ea quæ sequuntur ostendit dicens : 13. *Divisus est Christus?* Id est, Christum concidistis, et corpus ejus divisistis. Vides iram, vides increpationem, vides sermonem indignatione plenum? Cum enim non probatione utatur, sed interroget tantum, hoc facit quasi absurditas illa in confesso sit. Quidam vero aliud subindicare putant, cum ait : *Divisus est Christus ;* nempe dispertiit apud homines et divisit Ecclesiam, et partem quidem ipse cepit, aliamque illis dedit. Deinde absurditatem illam tollit dicens : *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Vide mentem Christi amantem, quomodo in nomen suum deinceps totum adducat, ubertim ostendens hunc honorem nemini competere. Ac ne videatur invidia motus hæc dicere, ideo se frequenter circumversat : et prudentiam considera. Non enim dixit, Num Paulus

mundum condidit? num Paulus vos ex nihilo produxit? sed quæ in fidelibus erant eximia, et magnæ providentiæ, ea ponit, crucem et baptismum, et bona inde parta. Nam Dei erga homines amorem ostendit mundi creatio, maxime vero illa per crucem demissio. Et non dixit, Num Paulus mortuus est pro vobis? sed, *Num Paulus crucifixus est?* mortis quoque genus indicans? *et in nomine Pauli baptizati estis?* Nec dixit, Num Paulus vos baptizavit? multos enim ille baptizavit : verum id non quærebatur, a quo nempe baptizati fuissent, sed in cujus nomine baptizati essent. Quia enim hoc schismatum causa fuerat, quod ex baptizantibus nomen acciperent, hoc etiam corrigit dicens, *An in nomine Pauli baptizati estis?* Et ne dixeris, inquit, Quis baptizavit, sed, In cujus nomine. Non enim quæritur quis baptizet, sed quis in baptismate vocetur : hic enim peccata dimittit. Hic gradum sistit, nec quæ sequuntur persequitur. Non enim dicit, Num Paulus vobis futura bona promisit? num Paulus vobis promisit regnum cælorum? Cur ergo hæc non adjicit? Quia non par res est regnum promittere et crucifigi. Illud enim nec periculum habebat, nec afferebat ignominiam : hoc vero hæc omnia. Alioquin autem ab his illa probat. Cum dixisset enim, *Qui proprio Filio suo non pepercit*, adjicit, *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit* (*Rom.* 8. 32)? et rursum, *Si enim inimici cum essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvabimur* (*Id.* 5. 10). Ideo non illa subjunxit, et quod illa quidem nondum haberent, horum autem jam experientiam accepissent; et quod illa quidem in promissionibus, hæc vero jam facta essent. 14. *Gratias ago Deo meo, quia neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Gaium.* Cur altum sapitis, quod baptizetis, quando ego gratias ago, quod hoc non fecerim? Cum hæc autem dicit, illorum tumorem prudenter tollit; non vim baptismatis, absit, sed arrogantiam eorum, qui de dato baptismate gloriabantur; primo ostendens non ipsorum esse donum; secundo gratias agens Deo ea de causa. Nam magnum quidem est baptisma, sed non illum magnum facit is qui baptizat, sed qui in baptismate invocatur. Baptizare enim nihil est, quod ad humanum attinet laborem; sed multo minus est, quam evangelizare. Nam magna quidem res est baptisma, iterum dico, et sine baptismate non possumus regnum consequi : sed potest hoc facere vir non admodum præclarus; evangelizare autem multi laboris est.

3. Causam vero dicit cur gratias agat, quod nullum baptizaverit. Quænam illa est? 15. *Ne quis dicat*, inquit, *quod in nomine meo baptizati estis.* Quid vero? de illisne hoc dicebant? Minime : sed timeo, inquit, ne eo morbus deveniat. Nam si cum viles et nullius pretii homines baptizarent, hæresis nata est; si ego qui baptismum annuntiavi multos baptizassem, verisimile erat eos qui convenerant, non modo nomine meo vocandos fore, sed etiam baptisma mihi adscripturos fuisse. Si enim a minimis tantum ortum est malum, forte longe gravius a majoribus provenisset. Cum igitur eos qui corrupti erant hoc modo increpasset, ac dixisset, 16. *Baptizavi autem et Stephanæ domum;* illorum fastum rursus deprimit, dicens, *Cæterum nescio an aliquem alium baptizaverim.* Hinc enim ostendit non curæ illi fuisse hoc frui apud vulgus honore, nec gloriæ causa ad hoc venisse. Non his tantum, sed etiam in sequentibus illorum fastum deprimit, dicens : 17. *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Nam hoc et laboriosius erat, sudore multo opus habebat ferreoque animo, omniaque continebat : ideoque Paulo commissum fuit. Et cur ad baptizandum non missus, baptizabat? Non pugnans adversus eum qui se miserat, sed ex abundanti hoc faciebat. Non enim dixit, prohibitum mihi fuit, sed, Non sum missus ad hoc, sed ad rem maxime necessariam. Nam evangelizare unius aut duorum erat; baptizare autem cujuslibet est, qui prædītus sit sacerdotio. Hominem namque catechumenum et persuasum baptizare cujuslibet est : voluntas enim accedentis deinceps totum efficit, cum Dei gratia. Cum autem infideles sunt ad fidem instituendi, multo opus est labore, multa sapientia : tunc autem etiam subeundum erat periculum. In baptizando enim totum factum est, et persuasus est is qui in mysterium est admittendus; nihilque magnum est persuasum baptizare : hic vero multus labor, ut voluntas et propositum mutetur, error convellatur, et veritas inseratur. Verum hæc ille non ita dicit, neque probatione utitur, nec dicit, nullum esse laborem baptizare, sed evangelizare secus : scit enim semper modum tenere : sed in comparatione cum externa sapientia valde contendit, ubi vehementiore uti potuit oratione. Non ergo contra jussum mittentis baptizabat; sed sicut cum de viduis dixissent apostoli, *Non expedit nobis relicto verbo Dei ministrare mensis* (*Act.* 6. 2), ille ministravit non illis repugnans, sed ex abundantia fervoris id fecit : ita et hic quoque. Nunc enim simplicioribus presbyteris hoc committimus, et doctrinæ verbum sapientioribus : illic enim labor et sudor est. Quapropter et ipse ait : *Qui recte præsunt presbyteri, duplici honore dignentur; maxime autem qui laborant in verbo et doctrina* (1. *Tim.* 5. 17). Quemadmodum enim docere eos, qui ludicra certamina adeunt, viri strenui est et sapientis prædotribæ; coronam autem victori imponere, ejus etiam est qui certare nequit, etsi corona victorem reddit splendidiorem : sic de baptismo dicendum : nullus enim potest sine illo salutem consequi; nihil tamen magnum facit is qui baptizat, cum voluntatis propositum paratum invenit. *Non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.* Cum depressisset illorum tumorem, qui quod baptizarent altum sapiebant; transit postea ad illos, qui de externa sapientia gloriabantur, et adversus illos vehementius armatur. Adversus illos enim, qui quod baptizarent inflabantur, dicebat, *Gratias ago, quod nullum baptizaverim*, et quod Christus me ad baptizandum non miserit; nec vehementibus usus est argumentis, sed quæ volebat paucis subindicans, prætercurrit : hic autem a prin-

cipio gravem infligit plagam dicens, *ut non evacuetur crux Christi*. Cur ergo altum sapis de iis, ob quæ pudore suffundi oporteret? Si enim hæc sapientia cum cruce pugnat et cum Evangeliis concertat, non gloriari de illa, sed pudore affici oportet. Hæc enim causa fuit, cur apostoli non sapientes sive philosophi fuerint, non ex charismatis imbecillitate, sed ut ne prædicatio læderetur. Non ergo illi verbum confirmabant, sed labefactabant; at idiotæ vere confirmabant. Hoc retundit fastum, hoc tumorem comprimit, hoc modeste agere suadet. At si non in sapientia verbi, inquies, cur Apollo virum doctum miserunt? Non vi orationis confidentes, sed quia potens erat in Scripturis, et confutabat Judæos. Alioquin autem id quod quærebatur erat, ut qui primas tenebant et verbum serere cœperunt, non essent docti. Hi magna virtute opus habebant, ut a principio errorem depellerent, et tunc in ipso ingressu magna fortitudine opus erat.

4. Qui ergo eruditis ab initio opus non habuit ut errorem depelleret, si postea eruditos admisit, non quasi illis indigens hoc fecit, sed quasi non discernens. Sicut enim sapientibus hujusmodi non egebat ad id quod volebat perficiendum : ita si postea illos inveniret, non rejiciebat. Tu vero mihi illud ostende, an Petrus et Paulus eruditi essent. Sed non poteris : erant enim idiotæ et illiterati. Quemadmodum igitur Christus quando discipulos misit in orbem, cum potentiam suam primum in Palæstina ostendisset illis, et dixisset : *Quando misi vos sine crumena et pera et calceis, numquid vobis aliquid defuit* (*Luc.* 22. 35)? tunc permisit ut deinceps et peram et crumenam haberent : ita hic quoque fecit. Nam id, quod quærebatur, erat ut Christi potentia ostenderetur; non ut propter externam sapientiam a fide ejicerentur ii qui accederent. Cum ergo Græci discipulos accusabunt ut idiotas, nos, plus quam illi, accusemus ipsos. Nec quis dicat Paulum sapientem, id est, doctum fuisse; sed eos, qui apud illos ob sapientiam et eloquentiam celebres sunt, extollentes, illos omnes qui apud nos fuere, rudes fuisse dicamus. Non parum enim in hac quoque parte illos dejiciemus : sic quippe splendida erit victoria.

Disputatio circa Paulum et Platonem. — Hæc autem dixi, quia Christianum quempiam aliquando audivi contra Græcum ridicule disputantem : ambo namque in disputatione rem suam confutabant et pessumdabant. Nam quæ Christianum dicere oportuisset, illa dicebat Græcus; et quæ Græcum dicere par erat, hæc Christianus opponebat. Nam cum de Paulo et de Platone quæstio esset, Græcus ille ostendere conabatur Paulum indoctum et rudem fuisse : Christianus vero ex simplicitate probare contendebat, Platone doctiorem et disertiorem fuisse Paulum. Ita porro Græcus victor fuisset, si hæc vicisset propositio. Nam si Platone doctior et eloquentior fuit Paulus, multi, ut verisimile est, opponent, illum non gratia, sed eloquentia superasse. Itaque sic loquens Christianus, pro Græco stabat : quod autem Græcus dicebat, pro Christiano faciebat. Nam si, ut dicebam, ineruditus erat Paulus, et tamen Platonem vicit, splendida fuit victoria : indoctus quippe ille, omnes discipulos ejus adortus, persuasos secum abduxit. Unde palam est non in sapientia humana prædicationem prævaluisse, sed per Dei gratiam. Ne igitur in eadem incidamus, neve irrideamur, cum contra Græcos sic disputamus, apostolos tamquam indoctos accusemus : talis enim accusatio encomium est. Et cum dixerint illi, agrestes fuisse apostolos, nos addamus etiam fuisse indoctos, illiteratos, pauperes, viles et obscuros. Non sunt hæc maledicta apostolis illata, sed ad illorum gloriam cedit, quod tales cum essent, toto orbe terrarum fuerint clariores. Illi enim idiotæ, agrestes, indocti, sapientes illos, potentes, tyrannos, qui divitiis, gloria et externis cæteris rebus fruebantur et gloriabantur, quasi nec viri essent profligarunt. Unde palam est magnam esse crucis potentiam, et hæc non humana vi facta esse. Non enim humanæ naturæ sunt illa, sed supra naturam patrata sunt. Cum autem supra naturam et admodum ultra naturam quædam efficiuntur cum decoro et utilitate; palam est illa ex divina quadam virtute et operatione facta esse. Animadverte autem : piscator, tentoriorum artifex, publicanus, imperitus, illiteratus, ex Palæstina regione longinqua venientes, philosophis, oratoribus, dicendi peritis, ex patria expulsis omnibus, brevi temporis spatio illos vicerunt, cum periculis multis, populis et regibus ipsos oppugnantibus, ipsa pugnante natura; temporis antiquitate, obsistente etiam longa consuetudine, armatis dæmonibus, diabolo in acie stante et omnia movente, reges, principes, populos, gentes, urbes, barbaros, Græcos, philosophos, oratores, sophistas, scriptores, leges, tribunalia, supplicia varia, mortes innumeras et diversas. Attamen hæc omnia ita repulsa sunt et cesserunt, loquentibus piscatoribus, perinde ut tenuis pulvis, qui vehementium ventorum impetum ferre nequit. Discamus ergo sic cum Græcis disputare, ut ne simus tamquam bestiæ et pecora; sed parati semper ad spem nostram tuendam. Et interim hoc caput meditemur, quod non parvum est, illisque dicamus : Undenam infirmi fortes illos vicerunt, duodecim universum orbem? iique non iisdem utentes armis, sed nudi contra armatos pugnantes?

5. *Apostolorum victoria mirabilis; exemplo magis quam philosophia prædicandum.* — Dic enim, si duodecim viri rei militaris imperiti in armatam pugnatorum innumerabilium aciem irrumpentes, non inermes tantum, sed etiam corpore infirmi, ab illis nihil male paterentur, neque innumerabilibus telis impetiti sauciarentur; habentes autem tela infixa corpori nudo, omnes prosternerent, non armis utentes, sed manu ferientes; deinde alios occiderent, alios captivos abducerent, nullis acceptis vulneribus : an quis diceret rem talem gestam humanam esse? Atqui apostolicum tropæum longe illo mirabilius est. Longe enim mirabilius est quam nudum non vulnerari, quod imperitus et illiteratus atque piscator tantam superet dicendi

vim, ac neque a paucitate, neque a paupertate, neque a periculis, neque a prævia consuetudine, nec a severitate rerum quas præcipiebant, neque a quotidianis mortibus, neque ab eorum qui decepti fuerant multitudine, neque ab eorum qui deceperant auctoritate, impedirentur. Sic ergo illos prosternamus et contra ipsos pugnemus : ac vita prius, quam sermone, impetamus illos. Hoc enim magnum certamen est, hæc ratiocinatio est, cui contradici non possit, quæ per opera procedit. Etiamsi enim innumera verbis philosophemur, si non meliorem quam illi vitam exhibeamus, nullum est lucrum. Non enim dictis attendunt, sed facta nostra examinant, et dicunt : Tu prior verbis tuis obtempera, et tunc alios admone. Quod si cum dicis innumera esse bona in futuro sæculo, quasi illa non sint, præsentibus addictus videaris, credibiliora mihi sunt facta quam dicta tua. Cum enim video te aliena rapientem, de iis qui defuncti sunt ultra modum lugentem, aliaque multa prave agentem, quomodo tibi credam dicenti resurrectionem esse? Etiamsi enim hæc non dicant, hæc cogitant et in mente versant. Et hoc impedit, quominus infideles Christiani fiant. Inducamus ergo illos per vitam nostram. Multi et illiterati viri philosophorum mentem ita perculsere, utpote qui operum philosophiam exhiberent, et vocem tuba clariorem per vitæ institutum et philosophiam emitterent : hæc quippe lingua fortior est. Cum enim dicam, non oportere injuriarum meminisse, deindeque Græco innumera inferam mala, quomodo potero verbis illum inducere, cum gestis ipsum depellam? Venemur ergo illos per vitæ institutum, et per hasce animas ædificemus Ecclesiam, et has congeramus divitias. Nihil est animæ æquiparandum, ne totus quidem mundus. Itaque etiamsi innumeras pauperibus pecunias erogaveris, nihil tale efficies quale is, qui vel unam animam convertit. *Qui enim educit pretiosum ex vili, quasi os meum erit* (*Jer.* 15. 19), inquit. Magnum quidem bonum est egenorum misereri; sed nihil tantum, quantum ab errore liberare : qui enim hoc facit, Paulo et Petro similis est. Licet enim illorum prædicationem suscipere, non ut periclitemur quemadmodum illi, et famem, pestem cæteraque toleremus; jam enim pacis tempus est; sed ut alacriter studium exhibeamus. Licet enim domi sedentes hanc exercere piscationem. Si quis habet amicum, aut cognatum, aut familiarem, hæc faciat, hæc dicat; et similis erit Petro et Paulo. Quid dico, Petro et Paulo? Os erit Christi : nam *Qui educit pretiosum a vili, quasi os meum erit*, inquit. Etiamsi hodie non persuaseris, cras persuadebis : etiamsi numquam persuaseris, tu perfectam habebis mercedem : etiamsi non omnibus persuaseris, ex multis paucos attrahere poteris; quandoquidem apostoli non omnibus hominibus persuasere, omnes tamen alloquuti sunt, et de omnibus mercedem habent. Non enim ab exitu recte factorum, sed a mente recte operantium coronas decernere Deus solet. Etiamsi duos jeceris obolos, accipit, et quod erga viduam fecit, hoc et erga doctores operatur. Ne itaque, quia non potes orbem terrarum servare, paucos despicias, neque ex magnorum desiderio, a minoribus te abstrahas. Si centum non potueris, decem cures; si denos non possis, nec quinos spernas; si quinos non possis, ne unum despicias; si unum non potueris, neque sic animo deficias, nec quæ penes te sunt cohibeas. Non vides quomodo in contractibus, non solum ex auro, sed etiam ex argento mercatores commercia exercere soleant? Nam si ne parva quidem despiciamus, magna etiam apprehendemus : si vero parva contemnamus, neque illa ipsa facile percipiemus. Sic quisque dives efficitur parva et magna colligens : sic et nos faciamus, ut in omnibus divites facti, regnum cælorum consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Cap. 1. v. 18. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est; iis vero qui salvi fiunt, nobis, virtus Dei est.* 19. *Scriptum est enim, Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba?* 20. *ubi inquisitor sæculi hujus?*

1. Laborantibus et animo fractis etiam salubres cibi insuaves sunt, amici et necessarii importuni, neque sæpe cognoscuntur, ac videntur inferre molestiam. Sic quoque solet accidere iis qui animas perdunt : nam quæ ad salutem ducunt ignorant, et illos qui ipsorum curam gerunt molestos esse putant. Hoc autem fit, non ex ipsa rei natura, sed ex illorum morbo. Et quod insani faciunt, cum illos odio habent qui ipsorum curam gerunt, illosque conviciis impetunt : hoc quoque faciunt infideles. Sed quemadmodum in illis qui conviciis impetuntur tum maxime eorum miserentur et lacrymantur, utpote qui hoc extremum esse ægritudinis indicium putent, quod illi amicissimos sibi non noscant : ita et nos circa Græcos faciamus, et magis quam propter uxores circa illos ejulemus, quia communem ignorant salutem. Non enim ita vir uxorem debet amare, ut nos homines omnes, illosque ad salutem attrahere, sive Græcus sit, sive quisquis alius. Lugeamus ergo illos, quia verbum crucis stultitia ipsis est, cum ipsum sapientia et virtus sit : nam *Verbum crucis pereuntibus*, inquit, *stultitia est*. Quia enim verisimile est illos, cum crux a Græcis irrideretur, ei quæ apud illos habebatur sapientia obstitisse et Græcorum dictis, consolans ipsos Paulus dicit : Ne putetis rem esse insolitam ac stupendam. Hanc res isthæc habet naturam, ut a pereuntibus virtus ejus non cognoscatur : mente namque capti sunt ac desipiunt. Ideo convicia efferunt, et salutaria pharmaca moleste ferunt. Quid vero dicis, o homo? Servus propter te Christus factus est, formam servi accipiens, crucifixus est et resurrexit : et

cum oporteret illum resuscitatum ideo adorare, et ejus benignitatem admirari; quia quæ nec pater nec amicus nec filius pro te fecit, hæc omnia Dominus operatus est propter te inimicum, qui illum offenderas : cum oporteret ergo illum propterea admirari, ut rem tanta sapientia plenam, stultitiam appellas? Sed nihil mirum : nam pereuntium est non agnoscere ea, quæ ad salutem ducunt.

Ratiociniis ea quæ fidei sunt sæpe labefactantur. — Ne turbemini igitur : non enim novum neque inexspectatum est illud, quod nempe a desipientibus magna derideantur. Illos vero qui sic affecti sunt, per humanam sapientiam persuadere non licet : imo si ita persuadere volueris, contrarium efficis : nam ea, quæ rationem superant, sola fide opus habent. Etenim si ratiociniis persuadere voluerimus, quomodo Deus factus sit homo, et in vulvam virginalem ingressus sit; et si rem fidei non permittamus, magis irridebunt illi. Ergo qui ratiociniis id quærunt, illi sunt qui pereunt. Ecquid dico de Deo? Nam si circa creaturas hoc faciamus, multus sequetur risus. Sit enim homo, qui velit omnia ratiociniis ediscere, et tentet tua persuaderi ratione, quomodo lucem aspiciamus; tu autem ratiocinio illi persuadere conare. Sed non poteris : si enim dixeris, quod sufficiat oculos aperire ad videndum, non modum dixisti, sed quod fieri solet. Cur enim non auribus videmus, inquiet, nec oculis audimus? cur non naso audimus, nec auribus olfacimus? Si ergo illo ea de re quærente, non possumus horum rationem reddere, et ille rideat, annon magis nos ridebimus? Nam si ambo ex eodem cerebro principium habent, amboque membra vicina sunt, quomodo non eadem ipsa possunt facere? Sed non poterimus causam dicere, neque modum ineffabilis et variæ operationis; et si tentemus, irridebimur. Ideo Dei potentiæ et immensæ sapientiæ cedentes, taceamus. Ita ergo si ea, quæ Dei sunt, per externam sapientiam explicare velimus, multus sequetur risus, non propter rerum imbecillitatem, sed propter hominum amentiam. Res enim magnas nullus sermo potest explicare. Animum autem adhibe : cum dixero, Crucifixus est, Græcus dicit : Et quomodo hoc rationi consentaneum est? sibi non opem tulit cum crucifigeretur et tentaretur tempore crucis; et quomodo postea resurrexit, et aliis opem tulit? nam si poterat, oportebat ante mortem agere (nam hoc quoque dicebant Judæi) : qui autem sibi ipsi opem non tulit, quomodo aliis tulit? non est hoc, inquit, rationi consentaneum. Jure : est enim crux, o homo, supra rationem et ineffabilis virtutis. Nam in malis gravibus constitutum, iis malis superiorem apparere, et sic congressum vincere, immensæ virtutis est. Ut enim in tribus pueris, ingressos in fornacem conculcasse flammam mirabilius erat, quam si ingressi non fuissent; et in Jona, in cetum incidentem a bellua nihil passum esse multo majus erat, quam si non incidisset; sic et in Christo longe mirabilius fuit mortuum solvisse mortem, quam si mortuus non fuisset. Ne dicas ergo. Cur sibi opem non tulit in cruce? Nam cum morte confligere volebat. Non descendit de cruce, non quod non posset, sed quod nollet. Eum enim quem mortis tyrannis detinere non potuit, quomodo clavi crucis detinere potuissent?

2. Sed hæc nobis nota sunt, infidelibus non item. Ideo dicebat, verbum crucis pereuntibus stultitiam esse, nobis autem salutem consequentibus, virtutem esse Dei. *Scriptum est enim : Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Nihil grave hactenus posuit, sed primo ad Scripturæ testimonium venit, et tunc fiducia inde assumpta, vehementiore utitur sermone, et ait : *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?* 21. *Nam quia in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Cum dixisset, *Scriptum est, Perdam sapientiam sapientium*, ex rebus demonstrationem inducit, dicens : *Ubi sapiens? ubi scriba?* simul et Judæos et Græcos perstringens. Quis enim philosophus, quis eorum qui in syllogismis versati sunt, quis ex iis qui Judaica norunt, salutem dedit et veritatem docuit? Nemo; sed totum piscatorum fuit. Cum propositum ergo concludisset, illorumque fastum depressisset, ac dixisset : Nonne infatuavit Deus sapientiam hujus mundi? causam etiam dicit propter quam hæc ita facta sunt. Quia enim in sapientia Dei, inquit, non cognovit mundus per sapientiam Deum; crux apparuit. Quid sibi vult autem, *In sapientia Dei?* In ea quæ apparuit per opera, per quæ cognosci voluit. Propterea enim et hæc et similia probavit, ut convenienter ex iis quæ cernuntur Conditor in admiratione haberetur. Magnum est cælum, et immensa terra : Conditorem ergo mirare. Nam magnum hoc cælum non modo ab eo factum, sed facile factum est, et immensa terra quasi nihil producta fuit. Ideo de illo quidem dicit, *Opera digitorum tuorum sunt cæli* (*Psal.* 101. 26), de terra autem, *Qui terram fecit tamquam nihil.* Quia ergo per hanc sapientiam noluit Deum cognoscere, per stultitiam, quæ esse videtur, prædicationis persuasit; non per ratiocinia, sed per fidem. De cætero ubi sapientia Dei est, humana non ultra est opus. Nam dicere eum, qui hunc tantum mundum creavit, Deum esse oportere immensa et ineffabili virtute præditum, humanæ sapientiæ erat sic ratiocinari, et per hæc illum comprehendere : nunc autem non ratiociniis, sed fide sola opus est. Nam in crucifixum et in sepultum credere, et certum habere eumdem ipsum resurrexisse ac superne sedere, id sapientia non eget neque ratiociniis, sed fide. Apostoli enim non cum sapientia prodiere, sed cum fide, fueruntque externis sapientibus sapientiores et sublimiores, et tanto magis, quanto majus est ea quæ Dei sunt fide suscipere, quam ratiocinia movere : hoc enim humanam superat mentem. Quomodo autem perdidit sapientiam? Per Paulum et similes nobis cognitus, ostendit illam inutilem esse. Ad suscipiendam enim evangelicam

prædicationem neque sapiens juvatur a sapientia, neque imperitus lædi'ur ab ignorantia. Sed si quid oporteat admirabile dicere, imperitia ad suscipiendum opportunior et facilior est, quam sapientia. Pastor enim et rusticis hanc citius suscipiet, ratiocinia comprimens, et Domino se dedens. Sic ergo ille sapientiam perdidit. Quia enim prior se ipsam dejecit, ad nihil deinceps utilis est. Cum oporteret enim eam sua indicare et per opera Deum videre, noluit. Ideo si se jam inducere vellet, non potest; non enim res ita se habent: hæc enim ad cognitionem Dei via longe major illa est. Ideo fide et simplicitate opus est: illam oportet semper quærere et externæ sapientiæ anteponere; nam *Stultam fecit Deus*, inquit, *sapientiam*. Quid est autem, *Stultam fecit?* Stultam esse ostendit ad fidem comprehendendam. Quia enim altum sapiebant de illa, ipsam cito confutavit. Quænam illa sapientia, quæ caput bonorum non inveniat? Effecit igitur, ut illa stulta appareret, quia illa se primam refellit. Si enim quando ratiociniis licebat invenire, nihil ostendit: nunc cum res feruntur majores, quomodo quidpiam perficere poterit, cum sola fide opus est, non facundia? Stultam ergo illam ostendit Deus. Placuit autem ipsi per stultitiam prædicationis salutem donare; stultitiam quæ vere non talis est, sed talis esse videtur. Hoc porro majus est, quod non aliam sapientiam illa excellentiorem inducens, per eam, quæ stultitia videbatur esse, superavit. Platonem quippe ejecit, non per alium sapientiorem philosophum, sed per ignarum piscatorem: ita enim et major clades fuit et splendidior victoria. Deinde crucis virtutem ostendens ait: 22. *Quoniam et Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt:* 23. *nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam,* 24. *ipsis autem vocatis, Judæis et Græcis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.*

3. Magna est dictorum prudentia. Vult enim dicere quomodo per contraria vicit Deus, et quomodo prædicatio non sit humana. Hoc autem vult significare: Cum dicimus, inquit, Judæis, Credite, respondent, Mortuos suscitate, sanate dæmoniacos, ostendite nobis signa. Nos autem quid ad hæc dicimus? Crucifixus et mortuus est is qui prædicatur. Hoc vero possit non modo nolentes non attrahere, sed etiam volentes repellere: attamen non repellit, sed attrahit et detinet et vincit. Rursum Græci a nobis exigunt eloquentiam et sophismatum gravitatem. Nos autem his quoque crucem prædicamus: et quod Judæis imbecillitas esse videtur, hoc Græcis est stultitia. Cum autem illis non modo ea quæ petunt non præbemus, sed etiam petitis contraria damus; crux enim non modo signum non videtur esse, sed etiam, si ratione examinetur, signi ademptio putatur; nec modo non videtur virtutis demonstratio, sed etiam imbecillitatis argumentum, nec modo non sapientiæ ostensio, sed etiam stultitiæ suspicio: cum ergo signa et sapientiam quærentes, non solum non accipiant ea quæ petunt, sed contraria iis quæ desiderant audiant, ac deinde per contraria persuadeantur; quomodo non ineffabilis furit ejus qui prædicatur virtus?

Christus per contraria persuadet, quomodo. — Quemadmodum si cui eorum, qui fluctibus jactantur et portum desiderant, non ostendens portum, sed aliam pelagi partem sæviorem, posses efficere, ut gratias agens sequeretur; vel si medicus saucium et medicamenta cupientem, non pharmacis, sed iterum urendo pollicens se sanum redditurum esse, ad se illum attraheret; hoc enim magnæ virtutis esset: ita et apostoli non modo non per signum, sed etiam per rem, quæ signis contraria esse videbatur, superaverunt. Quod etiam in cæco Christus fecit. Cum vellet enim ipsum curare, per rem quæ cæcitatem augeret, illam sustulit; nam lutum imposuit. Ut ergo per lutum cæcum sanavit, sic orbem terræ per crucem adduxit: id quod scandali additio erat, non sublatio scandali. Sic etiam in creatione fecit, contraria contrariis apparans. Arena quippe mare cinxit, infirmo validum refrenans: aquæ terram imposuit, molli et fluido densum et solidum imponens. Per prophetas quoque parvo ligno ferrum eduxit. Sic et cruce orbem attraxit. Quemadmodum enim aqua terram gestat, ita crux orbem terræ portat. Magnæ igitur virtutis et sapientiæ argumentum est per contraria persuadere. Crux enim scandalum esse videtur; et tamen non solum non offendiculo est, sed etiam trahit. Hæc itaque omnia cogitans Paulus, et obstupescens dicebat: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Stultum et infirmum dicens, de cruce loquitur, non quod est, sed quod videtur esse significans: nam secundum illorum opinionem respondet: Etenim quod per syllogismos philosophi facere non potuere, hoc perfecit ea quæ videbatur esse stultitia. Quis ergo sapientior, is qui multis persuadet, an is qui paucis, imo vero nulli? is qui de rebus maximis persuadet, an is qui de iis, quæ non oporteret[1]? Quantum laboravit Plato circa lineam et angulum et punctum, ac de numeris paribus et imparibus, et inter se æqualibus et inæqualibus ac de similibus aranearum telis (hæc enim in utiliora vitæ sunt, quam hujusmodi textura), et cum nec parvum nec magnum inde fructum attulisset, sic vitam finivit? quantum laboravit ut ostenderet animam esse immortalem, et nihil clarum dixit, ac cum nemini auditorum id persuasisset, sic diem obiit? Crux autem per ignaros homines persuasit, imo persuasit toti orbi terrarum; non de levibus rebus disserens, sed de Deo et de vera religione, deque evangelico vitæ instituto, ac de futuro judicio, atque rusticos indoctosque omnes fecit philosophos. Vide quomodo quod stultum est Dei, sapientius sit hominibus, et infirmum fortius. Quomodo fortius? Quod totum orbem pervaserit, et omnes vi ceperit, et quod innumeris Crucifixi nomen exstinguere conantibus, contrarium evenerit: hoc

[1] Reg. habet, *quæ non sunt*, pro, *quæ non oporteret*.

nomen floruit, et majorem in modum accrevit; illi vero perierunt et in exitium ruerunt: ac viventes adversus mortuum bellum gerentes, nihil potuere. Itaque quando me mortuum Græcus dicit, tunc ostendit se admodum stultum esse; quando ego, qui ab illo stultus esse existimor, sapiente sapientior appareo: cum me vocabit infirmum, tunc seipsum infirmiorem ostendet. Quæ enim per Dei gratiam recte agere potuerunt publicani et piscatores, hæc philosophi, tyranni, et ut ita dicam, totus orbis innumera circumcurrens, ne imaginari quidem potuit. Quid enim crux non induxit? De immortalitate animæ sententiam, de resurrectione corporum, de despectu præsentium et de futurorum desiderio. Homines angelos fecit, et omnes ubique philosophantur, omnemque virtutem exhibent.

4. Sed etiam apud illos, inquies, multi mortem contempsere. Quinam, quæso? an ille qui cicutam bibit? Sed si velis, innumeros tales ex Ecclesia proferam. Si enim liceret ingruente persequutione epota cicuta excedere, essent omnes illo clariores.

Socrates coactus cicutam bibit. Martyrum cruciatus. — Alioquin autem bibit ille, cum non liceret sibi aut bibere aut non bibere; sed vellet nollet hæc oportuit facere: quod non virtutis, sed necessitatis erat. Nam latrones et homicidæ, sententia judicum damnati, graviora passi sunt. Apud nos autem contrario modo res se habet: non enim inviti martyres passi sunt, sed sponte, et cum penes illos esset non pati, adamante quolibet firmiorem exhibuere virtutem. Non mirum ergo est, si ille cicutam biberit, cum non posset a tali potu abstinere, et ad extremam provectus esset senectutem: dicebat enim se annos septuaginta natum quando vitam contempsit, si tamen hoc sit contemnere: non enim ego illud dixerim, imo neque ullus alius. Sed ostende mihi aliquem in tormentis pro pia religione perseverantem, ut ego innumeros ubique per orbem proferam. Quis effossis unguibus, id fortiter tulit? quis, cum eruerentur articuli? quis, cum corpus ejus discerperetur et separatur a capite? quis, cum ossa capitis extraherentur? quis in sartagine frequenter positus? quis in lebetem injectus? Hæc mihi ostende. Nam ex cicuta mori perinde est atque dormientem permanere: mors enim hujusmodi somno suavior esse dicitur. Quod si qui etiam tormenta pertulerunt, horum certe laus periit: pro turpi enim causa perierunt; alii ut qui secreta revelassent, alii ut qui tyrannidem affectassent, alii in turpissimis rebus deprehensi: alii frustra et temere, nulla de causa, sese detulerunt. Sed non ita apud nos. Ideo illorum quidem gesta tacentur; hæc vero florent et in dies accrescunt. Quod cogitans Paulus dicebat: Infirmum Dei fortius est omnibus hominibus. Quod enim divina sit prædicatio, inde etiam manifestum est. Undenam in mentem venit duodecim hominibus iisque ignaris, in lacubus, fluviis et deserto manentibus, ut res tantas aggrederentur; et iis qui numquam fortasse in urbem et in forum venerant, ut contra totum orbem aciem instruerent? Quod enim formidolosi essent et pusilli animi, ostendit ille, qui de iis scripsit, qui id non recusavit, neque illorum obtegere vitia voluit: quod maximum est veritatis argumentum. Quid igitur ille de illis dicit? Quod Christo comprehenso, post innumera edita miracula alii fugerint, ille vero aliorum coryphæus ipsum negaverit. Undenam ergo illi, qui vivente Christo Judæorum impetum non tulerant, illo mortuo et sepulto, cum non resurrexisset, ut vos dicitis, neque alloquutus illos fuisset, neque animum indidisset, contra tantum orbem terræ aciem instruxerunt? Annon apud se dixissent, Quid hoc est? seipsum non potuit servare, et nos proteget? sibi opem non tulit vivus, et nobis manum tendet mortuus? ipse vivus nullam subegit gentem, et nos toti orbi, ipsius prolato nomine, persuadebimus? et quomodo non contra rationem fuerit, hæc non solum facere, sed etiam cogitare? Quamobrem palam est, si non vidissent illum resurrexisse, magnumque potentiæ ejus habuissent argumentum, non tantam jacturos fuisse aleam. Etiamsi enim amicos habuissent innumerabiles, annon statim omnium sibi inimicitiam attraxissent, dum antiquos mores amoverent, et patrios terminos transferrent? nunc autem omnes habuere sibi hostes et proprios et alienos. Etiamsi enim propter externa omnia venerabiles fuissent, annon omnes ipsos exsecrati fuissent, quod novum vitæ institutum inducerent? nunc autem deserti erant ab omnibus, et consentaneum erat, ut vel inde in omnium odium et contemptum incurrerent. Quos enim vis dicere? Judæos? At ingenti illos odio prosequebantur ex iis, quæ contra magistrum facta fuerant. An Græcos? At hi non minus quam illi ipsos aversabantur; idque norunt maxime omnium Græci. Plato enim, qui novam voluit instituere rempublicam, vel potius partem reipublicæ, qui non deorum nomina mutavit, sed acta et gesta alia pro aliis induxit, in periculum venit, ne ex Sicilia ejectus (*a*) morte afficeretur: quia autem hoc non accidit, libertatem ipse amisit. Et nisi barbarus quidam Siciliæ tyranno mitior fuisset, nihil prohibuisset quominus philosophus in aliena terra servituti addictus esset. Atqui non par res est, ea quæ ad regnum pertinent innovare, et quæ ad religionem: hoc enim maxime homines conturbat et commovet. Nam dicere, Hic et iste hanc uxorem ducant, et, Custodes hoc modo sint custodes, non multum turbare possunt, cum maxime in libro scripta sunt, nec multum curat legislator, ut scripta in opus exeant: at dicere, eos qui colunt non esse deos, sed dæmonas, cum qui crucifixus fuit Deum esse, scitis quantam accenderit iram, quantum excitaverit bellum.

5. *Protagoras et Theodorus athei.* — Nam apud illos Protagoras (*b*), quia ausus est dicere, Non novi deos,

(*a*) De Platone ejusque in Siciliam transitu, et de reditu ex eadem, vide Plutarchum in Vita Dionis, et Diogenem Laertium in Platone.

(*b*) De Protagora hæc habet Cicero lib. 1 de Natura deorum, c. 23: *Nam Abderites quidem Protagoras, cujus a te modo mentio facta est, sophistes temporibus illis vel maximus, cum in principio libri sui sic posuisset de diis, neque ut sint, neque ut non sint, Atheniensium jussu urbe atque*

non orbem circumiens et prædicans, sed in una civitate, de extremis periclitatus est. Diagoras vero Milesius (*a*), et Theodorus atheus cognominatus, quamvis amicos haberent et dicendi facultatem, et ex philosophia in admiratione haberentur, nihil tamen eorum ipsos juvit. Et magnus ille Socrates, qui apud illos philosophia superabat omnes, ideo cicutam ebibit, quod suspicio esset, illum in iis, quæ de diis scripserat, aliquid mutavisse. Quod si innovationis suspicio sola tantum periculi creavit viris philosophis et sapientibus, qui ingentem sibi pepererant existimationem, et non modo non potuere quod volebant perficere, sed etiam ipsi et vita et patria exciderunt; quomodo non miraris et obstupescis, piscatorem videns in orbe tot tantaque patrantem, quæ studebat perficientem et barbaros Græcosque omnes superantem? At hi, inquies, non deos alienos inducebant sicut illi. Hoc ipsum maxime mirabile mihi dicis, quia duplex erat innovatio, et quod eos qui tunc colebantur tollerent, et quod Crucifixum prædicarent. Undenam ad ea prædicanda permoti sunt? undenam audent de fine suo confidere? quosnam ante se viderant talem rem bene gerentes? annon omnes Deos colebant? annon omnes elementa in deos referebant? annon diversus erat impietatis modus? Attamen omnia aggressi sunt, et hæc sustulerunt, ac brevi tempore totum orbem tamquam alis instructi percurrerunt, non pericula curantes, non mortes, non rei difficultatem, non paucitatem suorum, non multitudinem adversantium, non potentiam, non sapientiam inimicorum. His quippe omnibus majora habebant auxilia, Crucifixi nempe qui resurrexerat potentiam. Non ita mirabile fuisset, si bellum sensibile in totum orbem inferre voluissent, ut mirum est illud quod nunc factum est. Nam lege belli licebat adversus inimicos stare, et contraria occupata regione, sic contra hostes aciem instruere, atque occasionem accipere invadendi et manus conserendi. Hic autem non ita. Non enim exercitum proprium habebant, sed cum ipsis inimicis permixti erant, et sic illos vincebant, atque in mediis inimicis versantes, illorum impetus propulsabant et superabant, atque victoriam reportabant splendidam, quæ prophetiam implebat dicentem: *Et dominaberis in medio inimicorum tuorum* (*Psal.* 109. 2). Hoc enim maxime stuporem injiciebat, quod cum eos tenerent inimici, atque in carcerem et vincula conjicerent, non modo ipsos non superarent; sed postea ante illos procumberent, flagellantes ante flagellatos, vincientes ante vinctos, persequentes ante pulsos. Hæc porro omnia Græcis dicimus, imo his plura; magna quippe est veritatis ubertas. Si enim argumentum sequamini, omnes vos docebimus adversus illos concertationem. Interim vero hic duo conservemus capita: quomodo infirmi fortes superarint; et quomodo ipsis venisset in mentem cum tales essent talia consilia suscipere, nisi divino potiti fuissent auxilio.

6. Et nostra quidem hactenus. Nos autem operibus vitam recte geramus, et copiosum virtutis ignem accendamus. Luminaria enim estis, inquit, in medio mundi fulgentes (*Philipp.* 2. 15): et singulis nostrum majorem Deus dedit usum, quam soli; majorem quam cælo et terræ et mari, et tanto majorem, quanto spiritualia sensibilibus præcellunt. Cum ergo solis circulum conspicimus et pulchritudinem, corpus et splendorem astri admiramur, cogitemus majorem et meliorem in nobis esse lucem; ut etiam graviores tenebras, nisi attendamus: nam nox profunda totum orbem occupat. Hanc igitur evertamus et solvamus. Nox non in hæreticis et Græcis tantum, sed etiam in multis qui nobiscum sunt, tam in dogmatibus, quam in vita. Multi enim resurrectioni non credunt, multi genethliaca sententia se muniunt; alii observationibus student, necnon vaticinationibus, auguriis et symbolis; alii ligaminibus et incantationibus utuntur. At adversus illos etiam postea dicturi sumus, postquam sermonem contra Græcos absolverimus: interim vero illa quæ dicta sunt retinete, et mecum ad pugnam accedite, per vitæ institutum illos ad nos attrahentes et transferentes. Etenim, quod semper dico, eum qui philosophiam doc t, oportet primo per seipsum hoc docere, et auditoribus esse desiderabilem.

Quomodo Græci de fide sunt imbuendi. — Simus ergo desiderabiles, et Græcorum nobis benevolentiam attrahamus. Erit autem illud, si parati simus non solum ad bene faciendum, sed etiam ad male patiendum. Non videmus infantes, quando a parentibus gestati, quomodo plagis portantis se genas verberent, et quam libenter concedat pater filio ut iram expleat, et quando videt iram explevisse, lætetur? Ita et nos faciamus; et quemadmodum patres filios, sic Græcos alloquamur. Infantes quippe sunt Græci omnes: et quidam apud illos hæc dixerunt, quod semper pueri sint, et nullus sit senex Græcus. Pueri autem de re utili nulla curant. Sic etiam Græci semper ludere volunt, et humi jacent et quæ humi sunt affectant. Pueri autem sæpe, cum de rebus necessariis loquimur, dictorum nihil sentiunt, sed semper rident. Ita etiam Græci, cum de regno disserimus, rident: et sicut ex ore parvulorum sæpe multa decidente saliva, cibus et potus inquinatur: sic et verba ex ore Græcorum fluentia, vana sunt et impura; et si necessarium dederis cibum, præbentes maledictis incessunt et ferri debent. Pueri quoque cum furem vident ingressum, et quæ intus sunt auferentem,

agro est exterminatus, librique ejus in concione combusti. Ex quo equidem existimo tardiores ad hanc sententiam profitendam multos esse factos, quippe cum pœnam ne dubitatio quidem effugere potuisset.

(*a*) Error est in omnibus Editis et Manuscriptis, cum Diagoras dicitur Milesius, qui erat Melius sive ex insula Melo, ut testificatur Suidas. Ante illum Cicero dixerat l. 1 de Natura deorum, c. 1: *Nullos esse omnino deos, Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt.* Cum ergo Manuscripti et Editi omnes *Milesius* habeant, error fortasse Chrysostomi fuerit. Hæc de Diagora. De sequenti vero quæstio est. Editi omnes *Diodorus* habent, Regius vero Codex *Theodorus*, cui favet locus allatus Ciceronis, qui cum Diagora Theodorum conjunxit, et utrumque nullos esse deos putavisse dixit. Hic *atheus* vocatus est teste Suida. De Socrate postea agit Chrysostomus. Ille cicutam bibere jussus est, quæ res omnium ore fertur.

non modo non arcent, sed etiam insidiatori arrident: si vero calathiscum et sistra auferas, aut aliud quidpiam ludicrum, ægre puellus et indigne fert, se dilacerat, solum pulsat. Sic et Græci quoque, diabolum videntes omnia paterna bona, quæ vitam sustentant, diripientem, rident, et tamquam ad amicum accurrunt : si quis autem possessionem, aut divitias aut puerile quidpiam auferat, lamentantur, se discerpunt : ac sicut pueri sine sensu nudantur, nec erubescunt : ita et Græci cum scortis et adulteris voluptati, naturæ leges nudantes, et nefarios inducentes coitus, non convertuntur. Plausistis valde et laudastis; sed cum plausu providete, ne de vobis etiam hæc dicantur. Quapropter omnes rogo, viri estote : nam si nos pueri simus, quomodo illos instituemus ut viri sint? quomodo ab infantili insipientia arcebimus illos? Simus ergo viri, ut perveniamus ad mensuram ætatis a Christo definitam et futura adipiscamur bona, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA V.

Cap. 1. v. 26. *Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles :* 27. *sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes.*

1. Cum dixisset, id quod stultum est Dei sapientius esse hominibus, ostendit humanam sapientiam abjectam fuisse, et ex testimonio Scripturarum et ex rerum eventu : ex testimonio, cum dicit : *Perdam sapientiam sapientium :* ex eventu, per interrogationem loquens ac dicens : *Ubi sapiens? ubi scriba?* Rursum ostendit rem non esse novam, sed antiquam, ut quæ jam olim fuerit præfigurata et prædicta. *Scriptum est enim*, inquit, *Perdam sapientiam sapientium.* Cum his ostendit, hæc utiliter et provide facta fuisse : quia enim in sapientia Dei, inquit, non novit mundus Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes : et quod crux sit ineffabilis potentiæ et sapientiæ argumentum, et quod multo majus sit id quod stultum est Dei, quam humana sapientia. Et hoc rursum non per doctores, sed etiam per discipulos ostendit : *Videte* enim, inquit, *vocationem vestram.* Non modo enim doctores idiotas, sed etiam discipulos tales elegit : *Non enim multi sapientes*, inquit, *secundum carnem.* Sic ostenditur hoc et validius et sapientius, cum et multis persuaserit et insipientibus persuaserit. Nam difficillimum est idiotæ persuadere, maxime cum de rebus necessariis et magnis sermo est. Attamen persuaserunt; et hujus rei testes vocat illos : nam ait, *Videte vocationem vestram, fratres*, considerate, scrutamini. Nam quod idiotæ et ignari dogmata adeo sapientia omniumque sapientissima susceperint, id magnæ doctoris sapientiæ testimonium est. Quid sibi vult autem illud, *Secundum carnem?* Si spectetur id quod apparet, et præsens vita atque externa institutio. Deinde ne videatur sibi ipsi adversari (nam proconsuli persuasit et Areopagitæ nec non Apollo, aliosque videmus sapientes ad prædicationem accessisse); non dixit, Nullus sapiens; sed, *Non multi sapientes.* Non enim ex constituto indoctos vocabat, et sapientes relinquebat; sed hos etiam admittebat, at longe plures illorum. Quare? Quia qui sapiens est secundum carnem, multa plenus est insipientia : et hic maxime stultus est, quando corruptam doctrinam ejicere non vult. Ac quemadmodum medico artem suam docere volente, qui pauca sciunt et male contrarioque modo arte utuntur, atque eam retinere contendunt, non facile disciplinam admiserint; qui vero nihil sciunt, facile dicta suscipiunt : sic et hac in re factum est; indocti magis persuasi sunt : summam enim non habebant arrogantiam, cum non putarent se sapientes esse. Illi nempe maxime stulti sunt, qui ratiociniis illa permittunt, quæ non possunt nisi per fidem inveniri. Quomodo enim si, cum faber ærarius forcipe candens ferrum extrahat, iste manu id facere contendat, illum extremæ damnabimus amentiæ : ita et philosophi, qui per se hæc invenire conati sunt, fidem probro affecerunt. Ideo nihil eorum quæ perquirebant invenerunt. *Non multi potentes, non multi nobiles.* Nam et hi fastu pleni sunt. Nihil autem ad Dei cognitionem sic inutile est, ut arrogantia et divitiarum amor. Efficiunt enim illa, ut præsentia admirentur et futurorum nullam rationem habeant : et curarum multitudine aures obstruunt. *Sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus.* Quod maximum est victoriæ signum, cum per indoctos vincit.

2. Non enim tanto pudore afficiuntur Græci, quando per sapientes superantur : sed tunc maxime pudet illos, cum viderint artificem et forensem plus quam illos philosophantem. Ideo ipse dicebat, *Ut confundat sapientes.* Neque hic solum illud fecit, sed etiam in aliis vitæ commodis. *Etenim infirma mundi elegit*, inquit, *ut confundat fortia.* Non enim indoctos solum, sed etiam pauperes, viles, abjectos vocavit, ut in potentia constitutos humiliaret. 28. *Et ignobilia mundi et contemptibilia, et ea quæ non sunt, ut ea quæ erant destrueret.* Et quænam vocat, quæ non sunt? Eos, qui nihil esse putantur, quod in nullo sint pretio. Ita magnam ostendit potentiam, cum per eos, qui nihil videntur esse, magnos dejicit : id quod etiam alibi dicit : *Virtus mea in infirmitate perficitur* (2. *Cor.* 12. 9). Est enim magna potentia, abjectos, qui nullam umquam disciplinam attigerant, repente de iis, quæ supra cælos sunt, docere philosophari. Nam et medicum et oratorem et alios omnes tunc maxime miramur, cum indoctos admodum instituunt et erudiunt. Si vero magnum miraculum est artis rationes indoctis inculcare; multo magis tantæ philosophiæ rationes. Non pro miraculo tantum edendo, neque ut potentiam suam ostenderet, id fecit, sed etiam ut arrogantes reprimeret. Ideoque antea dicebat, *Ut confundat sapientes, ut ea quæ erant destrueret;* et hic rursus : 29. *Ut non glorietur omnis*

caro in conspectu Dei. Omnia enim Deus ideo facit, (*a*) [ut superbiam et arrogantiam reprimat, ut jactationem tollat : et vos in hoc perstatis? Omnia facit], ut nihil nobis imputemus, ut omnia Deo adscribamus : et vos huic et illi vos addixistis? Et quam veniam consequimini? Nam ostendit Deus fieri non posse ut nostra solum opera salutem assequamur; et hoc ab initio fecit. Neque enim tum poterant homines per se servari, sed oportebat obeuntes cæli pulchritudinem, terræ magnitudinem, et aliarum creaturarum corpus, sic adduci ad rerum Opificem. Hoc porro fecit jam ante reprimens futuram sapientiæ vanam opinionem. Quemadmodum si quis magister, cum jusserit discipulum sequi quocumque ducatur, ubi viderit illum prævenire et velle a seipso cuncta discere, sinens illum errare, ostendit illum non sibi sufficere ad disciplinam, et tunc quæ sua sunt inducit : ita et Deus jussit initio sequi per rerum creatarum comprehensionem; quia vero noluerunt, cum experientia docuisset illos non sibi sufficere, tunc ipsos ad se alio modo ducit : pro tabula dedit mundum. Neque in his meditati sunt philosophi, neque illi obsequi voluerunt, neque hanc ad ipsum ingredi viam, quam ille jusserat. Aliam ille induxit viam priore clariorem, quæ persuaderet hominem solum non sibi ipsi sufficere. Tunc enim licebat ratiocinia movere, et externa uti sapientia, per res creatas ductos : nunc autem nisi quis stultus fiat, id est, nisi omne ratiocinium et omnem sapientiam evacuet ac fidei se tradat, servari nequit. Non parum igitur est, quod cum viam facilem reddiderit, morbum quoque inde ortum evulserit, ut non glorientur homines neque altum sapiant : *Ut non glorietur omnis caro.* Hinc enim peccatum ortum est, quod Dei legibus se sapientiores esse contenderint, nolentes ita discere ut ille constituit. Propterea neque sic omnino didicerunt. Sic etiam factum est ab initio. Dixit Adamo, Hoc fac, hoc ne feceris. Ille se plura reperturum sperans, obsequutus non est, et quod habebat perdidit. Dixit iis qui postea fuere, Ne in re creata consistite, sed per illam Creatorem contemplamini. Illi autem, quasi quid dictis sapientius invenissent, innumeros moverunt labyrinthos. Quapropter et secum et inter se mutuo conflixerunt, ac neque Deum invenerunt, neque de re creata quid ciare noverunt, neque congruentem et veram circa eam opinionem habuerunt. Ideo rursum magna vi illorum opinionem decutiens, indoctos primum induxit, ostendens omnes superna sapientia opus habere. Neque modo in cognitionis ratione, sed et in aliis omnibus homines et omnes res creatas omnino opus habere sui voluit, ut maximam haberet occasionem et subjectionis et necessitudinis, ne quæ resilirent, perirent [1]. Ideoque non permisit ut sibi ipsis satis essent. Nam si nunc etiam multi cum opus habeant, despiciunt; nisi hoc fuisset, quo superbiæ non ascendissent? Itaque tantam gloriæ ostentationem, non ex invidia ille sustulit, sed ut retraheret illos ex pernicie inde parta. 30. *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia et sanctificatio et redemptio.* Illud, *Ex ipso*, non de productione ad essentiam ipsum dicere puto, sed de fide; id est, filios Dei fieri dicit, non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis. Ne existimetis ergo, postquam a gloriatione nos exemerat, sic reliquisse : aliam enim majorem dedit gloriationem. In conspectu enim ejus non oportet gloriari. Filii ejus estis, hoc facti per Christum. Et postquam dixit, *Stulta mundi elegit et ignobilia*, ostendit illos esse omnium nobiliores, qui Deum patrem habeant. Hujus porro nobilitatis non hic vel ille, sed Christus vobis causa est, qui nos sapientes fecit et justos et sanctos; hoc enim significat illud, *Factus est nobis sapientia.*

3. Quis ergo nobis sapientior fuerit, qui non Platonis, sed Christum ipsum sapientiam habemus, Deo ita volente? quid est autem illud, *A Deo?* Cum magna dixisset de Unigenito, tunc addit Patrem, ne quis putaret ingenitum Filium esse. Cum ergo dixisset eum tanta potuisse, etiam totum tribuit Filio, dicens illum sapientiam nobis factum fuisse, et justitiam et sanctificationem et redemptionem. Per Filium rursus totum attribuens Patri dixit, *A Deo.* Cur autem non dixit, Fecit nos sapientes, sed, *Factus est nobis sapientia?* Doni ostendens abundantiam, ac si diceret, Seipsum nobis dedit. Et vide quomodo procedat. Prius enim nos sapientes fecit cum ab errore liberavit, et tunc justos et sanctos, Spiritum largitus, et sic nos a malis omnibus liberavit, ita ut ipsius simus, non per ipsius essentiam, sed per fidem. Alibi porro dicit, quod nos facti simus justitia in ipso : *Eum, qui non novit peccatum, peccatum pro nobis fecit, ut nos fieremus justitia Dei in ipso* (2. *Cor.* 5. 21); nunc autem dicit illum nobis factum fuisse justitiam, ita ut volenti liceat ejus abunde consortem esse. Non enim hic vel ille sapientes fecit, sed Christus. Qui ergo gloriatur, in illo glorietur, non in alio : a Christo omnia facta sunt. Ideo cum dixisset, *Qui factus est nobis sapientia et justitia et sanctificatio et redemptio*, subjunxit : 31. *Ut, quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*Jer.* 9. 23). Propterea etiam valde invectus est in sapientiam Græcorum; ut hoc ipso persuadeat hominibus, ut etiam justum est, ut in Domino glorientur. Nam cum a nobis ipsis quæ nos superant quærimus, nihil est nobis stultius, nihil imbecillius. Linguam enim acutam habere possumus; dogmata vero solida, non item; sed aranearum telis per se similia sunt ratiocinia. Eo enim quidam processerant amentiæ, ut eorum quæ sunt nihil verum esse dicerent, sed us, quæ apparerent, omnia contraria esse affirmarent. Nihil ergo tuum esse dixeris, sed in omnibus in Deo glorieris; nulli homini aliquid umquam tribuas. Si enim Paulo nihil est attribuendum, multo magis cæ-

[1] Hæc, *ne quæ resilirent, perirent*, Savil. posuit in margine.

(*a*) Quæ uncinis clauduntur, in margine ferunt Montf. et Savil. nobisque in textum recipere visum est.

teris : nam ait ille, *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit* (1. *Cor.* 3. 6). Qui didicit in Domino gloriari, numquam sese efferet, sed semper modeste aget, et in omnibus gratus erit. Res autem Græcorum non sunt hujusmodi, sed omnia illi sibi adscribunt. Ideoque ex hominibus deos faciunt; adeo illos arrogantia pessumdedit. Demum hora est ut cum illis concertemus. Ubi ergo die superiori orationem reliquimus? Dicebamus, non posse ex humana consequentia philosophos a piscatoribus superari : attamen fieri potuit; unde palam est, id per gratiam factum esse. Dicebamus fieri non posse, ut tot et tam præclara gesta vel cogitarent quidem ; et ostendimus illos non modo cogitasse, sed etiam cum magna facilitate ad finem perduxisse.

Ex gratia divina apostoli orbem converterunt. — In hoc ipso hodie orationis capite nos exercebimus : undenam illis venerit in mentem, ut sperarent se totum orbem terræ posse vincere, si non vidissent Christum resurrexisse. Num in mentis excessu quidpiam tale inconsiderate et temere cogitarunt? Omnem quippe amentiam superat, absque Dei gratia tantam rem perfici posse sperare. Quomodo hoc effecissent insanientes et in mentis excessu? Sin vero sanæ mentis erant, ut et res ipsæ probant, quomodo non acceptis ex cælo fide dignis pignoribus, nec supernam adepti gratiam, ausi essent ad tanta exire bella, in terra et in mari suscipienda, et ad mutandos totius orbis mores, tanto tempore confirmatos, homines duodecim se accingere et ita fortiter stare? Et quod majus est, ad cælum vocantes et supernas habitationes, unde exspectabant se auditoribus persuasuros esse? Et si quidem fuissent educati in gloria, opibus, potentia et eruditione, ne sic quidem ad tantam molem rerum se extollere posse videbantur ; sed tamen aliqua ratione potuisset exspectari : nunc vero alii in lacubus, alii in pellibus versabantur, alii in telonio. Nihil autem est his studiis ineptius ad philosophiam, et ad persuadendum, ut magna quis imaginetur, maxime vero quando nullum suppetit exemplum. At illi non modo exempla non habebant, queis se superaturos sperarent, sed etiam habebant, quod superaturi non essent, eaque recentia. Multi namque qui innovare tentaverant, exstincti fuerant (non de Græcorum rebus loquor; illæ quippe nondum erant; sed de ipsis Judæis eodem tempore), non cum duodecim hominibus, sed cum magna multitudine res aggressi. Nam Theudas et Judas magnos habentes hominum cœtus, cum discipulis perierant. Et ex his exemplis ortus timor poterat illos deterrere, nisi admodum persuasi fuissent sine divina virtute non posse quempiam superare. Quod si etiam se vincere posse sperabant, qua spe fulti tanta adiissent pericula, nisi ad futura respexissent? Ponamus autem illos se superaturos sperasse, quid lucri sperabant ex eo, quod omnes adducerent ad eum qui non resurrexit, sicut dicitis?

4. Nam si nunc homines qui crediderunt de regno cælorum et de innumeris bonis, difficile pericula subeunt, quomodo tanta incassum passi essent, imo vero ad malum? Si enim non facta fuissent illa quæ vere facta sunt, et si Christus in cælum non ascendisset, hæc fingere contendentes et aliis persuadere, Deum offensuri erant et mille a superis fulmina exspecturi. Alioquin autem etiamsi vivente Christo tantam habuissent alacritatem, ipso mortuo illam exstinxissent. Nam si non resurrexisset, ipsis deceptor et simulator fuisset. An nescitis exercitus vivente duce et imperatore, etiamsi debiles et non numerosi sint, consistere; illis vero defunctis, etiamsi validi sint, dissolvi? Quibusnam, quæso, probabilibus rationibus usuri erant prædicationem aggressuri, et per orbem totum exituri? quot impedimentis non detenti fuissent? Nam si furentes erant (hoc dicendi finem non faciam), nihil penitus recte gessissent : nemo enim furentibus obtemperat : si autem rem bene gesserunt, ut gesserunt utique, et finis ostendit, omnium sapientissimi erant. Si omnium sapientissimi erant, palam est illos non temere ad prædicationem venisse. Nisi enim vidissent illum resurrexisse, quid poterat illos ad hoc bellum educere? quid non illos avertisset? Dixit illis, Post tres dies resurgam, et regnum cælorum pollicitus est : dixit illis, quod orbem terrarum superaturi essent, accepto Spiritu sancto ; et ad hæc innumera alia dixit naturam omnem superantia. Itaque, si nihil horum evenisset, etsi viventi crediderant, eo mortuo non ultra credidissent, nisi resuscitatum vidissent. Dixissent enim, Post tres dies se resurrecturum dixit, et non resurrexit : Spiritum se daturum promisit, et non misit : quomodo ergo de futuris illi credemus, cum præsentia falsi convicta sint? Qua de causa, si non resurrexisset, prædicarent illum resurrexisse? Quia ipsum amabant, inquies. Atqui ipsum deinde odio habituri erant, quod se decepisset et prodidisset, et quod mille factis promissis, induxisset ut domos, parentes et omnia relinquerent, quod totam Judæorum gentem contra se suscitasset, ac se prodidisset. Quod si illud ex infirmitate factum fuisset, id ignovissent ; nunc vero existimaretur ex improbitate factum. Oportebat enim verum dicere, neque cælum promittere, homo cum esset mortalis, ut dicitis. Quare verisimisile est contraria facturos fuisse, fallaciam prædicaturos, et dicturos ipsum simulatorem et præstigiatorem fuisse : sic enim ex periculis liberati fuissent, sic bellum solvissent. Si enim militibus pecuniam dederunt Judæi, ut dicerent, ipsos corpus furto sustulisse; si transeuntes discipuli dixissent, Ipsum furati sumus, nec resurrexit : quanto non affecti fuissent honore? Ipsis itaque licebat honorari et coronari. Cur ergo contumeliis affici et periclitari maluerunt, nisi divina quædam virtus fuisset his omnibus potentior, quæ id ipsis suaderet? Sin autem nondum persuademus, illud quoque cogita : si hoc non esset, etiamsi valde præparati fuissent, non prædicandum illum suscepissent, sed aversati illum fuissent. Scitis enim nos ne nomina quidem eorum, qui nos ita deceperint, audire velle. Cur autem nomen ejus prædicarunt? an quod

exspectarent se per illum superaturos esse? Atqui contrarium exspectandum erat, quia etiamsi superaturi essent, periissent deceptoris nomen in medium afferentes. Sin autem volebant priora occultare, tacere oportebat : nam decertare magis excitasset et bellum et risum. Unde ergo venit illis in mentem ut hæc confingerent? nam illa quæ ipsi audierant, exciderant. Quod si cum nullus esset timor, multorum obliviscebantur, et quædam non intelligebant, ait evangelista, tanto imminente periculo, quomodo non omnia ab illis avolassent? Et quid dico verba, cum futurum esset, ut magistri amor metu futurorum sensim marcesceret? quod etiam ipsis exprobravit, Nam cum antea quidem ab illo pendentes frequenter interrogarent, Quo vadis? postea autem, cum longos texuit sermones, mala enarrans quæ tempore crucis ipsos invasura erant, deindeque metu defixi cum hiantes illi manerent, audi quomodo eis hoc proferat dicens : *Nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? sed quia hæc loquutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum* (*Joan.* 16. 5. 6). Si ergo exspectantes illum moriturum et resurrecturum esse, ita dolebant; si resurgentem illum non vidissent, quomodo non periissent, et in ipsam terram suffodi non studuissent, tum ex mœrore fraudis, tum ex timore futurorum obsessi?

5. Unde autem et sublimia illis dogmata? sublimiora enim ipsos postea audituros esse dixit : nam *Multa*, inquit, *habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Ib.* v. 12). Illa igitur quæ non dicebantur, sublimiora erant. Unus autem ex discipulis nec in Judæam cum illo abire volebat, postquam pericula audivit; sed dicebat, *Abeamus et nos, ut moriamur cum illo* (*Id.* 11. 16); ægre ferens quod se moriturum exspectaret. Quod si cum illo versans se moriturum exspectabat, ideoque refugiebat; absque eo et cæteris discipulis quid non tunc se passurum exspectasset? Et magnum hoc fuisset impudentiæ argumentum. Quid ergo etiam dicendum habebant exeuntes? Nam passionem quidem sciebat universus orbis : in alto quippe patibulo suspensus fuerat, in meridie, in metropoli, et in maximo die festo, et a quo maxime non licebat quempiam abesse : resurrectionem vero nullus sciebat exterorum, quod non parvum illis erat impedimentum, ut ne persuaderent. Et quod esset sepultus omnium rumore ferebatur; quodque discipuli corpus furati essent, milites cum Judæis omnibus dicebant : quod autem resurrexisset, exterorum nemo sciebat. Undenam exspectabant, se id toti orbi persuasuros esse? Si enim post edita miracula persuasi fuerunt milites, ut contraria testarentur, undenam sperassent hi se sine miraculis prædicaturos esse, ac ne obolum quidem habentes, terræ et mari de resurrectione persuasuros esse? Quod si ex gloriæ amore hoc fecissent, multo magis unusquisque dogma sibi attribuisset, non ei qui decesserat. At non credidissent illis homines? Et de quonam magis credidissent audientes? de illone qui comprehensus et crucifixus fuerat, an de illis qui Judæorum manus effugerant; Cur autem, quæso, hoc facturi erant? non statim Judæam dimittentes venerunt in externas civitates, sed intus versabantur? Quomodo autem persuasissent, nisi signa edidissent? Si faciebant quidem, et utique faciebant, Dei virtus erat id quod fiebat : si autem non faciebant, et tamen vincebant, longe mirabilius erat illud. Annon Judæos noverant, quæso te, et malam ipsorum mentem, invidiaque plenum animum? Etenim Moysen lapidarunt, postquam mare pedibus transierant, post victoriam et tropæum illud mirabile, quod absque sanguine per manus ejus erexerunt de Ægyptiis, qui illos in servitutem redegerant, post manna, post petras et fluviorum fontes inde manantes, post mille miracula in Ægypto, in mari Rubro, in deserto : Jeremiam in lacum injecerunt, et multos prophetas interfecerunt. Audi quid dicat Helias post famem illam terribilem, et mirabilem pluviam, et lampadem illam, quam de cœlis descendere curavit, et stupendum illud holocaustum; procul ab eorum regione ejectus : *Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua diruerunt; et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam* (3. *Reg.* 19. 10). Atqui ii leges non immutabant. Unde ergo, quæso, his animus adhibendus erat? nam omnium vilissimi erant; atque ea ipsa innovabant, ob quæ Magistrum Judæi crucifixerant. Alioquin vero non tam grave videbatur esse, quod Christus et illi eadem dicerent. Nam illum quidem forte putabant ideo id fecisse, ut sibi gloriam pareret; illos autem etiam magis odissent, cum pro alio contra se bellum gererent. Sed opem illis ferebant leges Romanorum? Imo ab illis magis impediebantur : dicebant enim, *Omnis, qui se ipsum regem facit, non est amicus Cæsaris* (*Joan.* 19. 12). Quapropter hoc solum impedire poterat, quoniam ejus, qui tyrannus existimatus fuerat, discipuli erant, et res ejus volebant firmare. Quid ergo tandem illos erexit animo, ut in tanta pericula inciderent? quid autem de illo dicentes, videbantur fide digni? quod crucifixus esset? quod ex muliere paupere Judæa natus esset, quæ desponsata fuerat Judæo fabro? quod ex gente esset orbi odiosa? Verum hæc omnia non modo non apta erant ad persuadendos et alliciendos auditores, sed ad omnes adversum concitandos idonea; maxime autem a tentoriorum artifice et a piscatore dicta. Annon hæc omnia in mentem venerunt discipulis? nam timidæ naturæ plura quam sint possunt confingere : tales erant illorum naturæ. Undenam ergo se recte acturos sperarunt? Imo non sperassent, cum innumera essent quæ illos abducerent, nisi resurrexisset Christus.

6. Annon palam est vel stultissimis, quod nisi uberem et magnam consequuti essent gratiam, et pignora accepissent resurrectionis, non modo hæc non agere et suscipere, sed ne cogitare quidem potuissent? Si enim tot impedimenta essent, non dico ad recte agendum, sed ad consultandum, et consultarunt et præclara egerunt, et quæ omni spe majora erant ad effectum deduxerunt : cuivis palam est eos non hum ana virtute, sed divina gratia omnia fecisse.

In his ergo sermonibus nos exerceamus, non apud nos tantum, sed cum aliis : sic nobis facilior erit cæterorum inventio. Neque quia manu artem exerces, alienum hoc studium esse putes. Nam Paulus tentoriorum opifex erat ; sed tunc quoque multa plenus erat gratia, atque inde omnia loquebatur. Imo ante gratiam ad pedes Gamalielis erat : et ideo gratiam accepit, quia mentem gratia dignam exhibebat, et postea rursus artem exercebat. Nemo igitur artifex erubescat, sed ii, qui frustra aluntur et otiosi sunt, qui multis utuntur ministris et ingenti famulatu fruuntur. Nam semper laborantem ali, philosophiæ genus est : horum animæ puriores sunt, horum mentes firmiores. Nam qui otiosus est, multa potius temere loquitur, et multa frustra agit, ac nihil per totam diem operatur, multo plenus torpore : qui autem operatur, nihil superfluum cito percipiet neque in operibus nec in verbis nec in mente; tota enim anima semper intenditur ad vitam laboriosam. Ne ergo despiciamus eos qui labore manuum aluntur, sed potius illos ideo beatos prædicemus. Quænam, quæso, est tibi gratia, cum accepta a patre hæreditate, perpetuo nihil agis, sed illa omnia bona frustra insumis ? An nescis non omnes eamdem rationem reddituros nos esse ; sed eos qui hic in majori licentia et rerum copia vixerunt, gravius ; eos autem qui in laboribus, in paupertate et ærumnis vitam duxere, mitius esse tractandos. Hæc autem ex Lazaro et divite manifesta sunt. Tu certe, qui ad debita officia otio non es usus, jure accusaris ; pauper vero qui reliquum temporis ad debita officia adhibuit, magnis fruetur coronis.

Contra theatrorum spectacula. — At tu militiam obtendis, et quod illa distinearis allegas ? Sed talis excusatio non est rationi consona. Nam Cornelius erat centurio, et balteus vitæ institutum nihil læsit. Tu vero cum saltatoribus et mimis das operam, et totum vitæ tempus in scena consumis, non vel militiæ necessitatem vel metum magistratuum obtendis ; quando autem te ad ecclesiam vocamus, tunc innumera affers impedimenta. Et quid dices in illa die, cum videris flammam et fluvios igneos et vincula insolubilia, et stridorem dentium audieris ? quis tibi tunc patrocinabitur, cum videris artificem, qui recte vixerit, omni gloria fruentem ; te vero, qui nunc sericis indutus es vestimentis et oles unguenta, intolerabilia patientem ? quid tibi proderunt divitiæ et rerum omnium copia ? quid detrimenti artifici affert paupertas ? Ne ergo tunc patiamur, ea quæ nunc dicuntur timeamus, et totum laborem nostrum in necessariarum rerum operibus consumamus. Ita enim placato Deo pro peccatis præteritis, additisque bonis operibus futuris, regnum cælorum consequi poterimus, gratia et benignitate, etc

HOMILIA VI.

Cap. 2. v. 1. *Et ego, fratres, cum veni ad vos, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Dei.* 2. *Non enim judicavi me scire aliquid in vobis, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.*

1. Nihil est Pauli anima ad decertandum acrius ; imo potius non illius anima : non enim ipse hoc invenit; sed nihil par gratiæ in illo operanti, quæ omnia vincit. Satis enim erunt ea, quæ prius dicta sunt, ad dejiciendum illorum fastum, qui in sapientia gloriabantur ; imo vel pars dictorum sufficiebat. Ut autem præclarior sit victoria, iis quæ dicta sunt certamina addit, prostratis insultans adversariis. Attende autem : adduxerat prophetiam dicentem : *Perdam sapientiam sapientium :* ostenderat Dei sapientiam, quia per eam, quæ stultitia videbatur esse, externam philosophiam prostravit ; ostenderat, quod stultum est Dei, sapientius esse hominibus ; ostenderat quod non solum per ignaros docuerit, sed etiam ignaros et idiotas vocaverit. Nunc ostendit et ipsum quod prædicabatur, et modum prædicationis satis fuisse ad perturbandum, et non perturbavisse. Non tantum enim discipuli idiotæ sunt, inquit ; sed etiam ego qui prædico. Ideo, inquit, *Et ego, fratres* (rursus fratres vocat, ut sermonis asperitatem emolliat), *veni, non in sublimitate sermonis, annuntians vobis testimonium Dei.* Quid enim, dic quæso, si voluisses in sublimitate venire ? poterasne ? Ego quidem si voluissem, non potuissem ; Christus autem si voluisset, potuisset. Sed noluit, ut splendidius redderet tropæum. Ideoque superius ostendens hoc illius opus fuisse, ipsiusque voluntatem esse, ut sic indocte ejus verbum prædicetur, dicebat : *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sapientia sermonis.* Est autem multo majus, imo infinite majus, quod hoc voluerit Christus, quam quod voluerit Paulus. Non ergo facundiam ostentans, inquit, neque externis armatus sermonibus, annuntio testimonium Dei. Nec dixit, prædicationem, sed, *Testimonium Dei*, quod ipsum satis erat ad avertendum. Mortem enim annuntians circuibat : ideo subjunxit : *Non enim judicavi me scire aliquid in vobis, nisi Jesum Christum, hunc que crucifixum.* Hoc autem dicebat, quia externæ sapientiæ omnino expers erat, ut etiam superius dicebat : *Veni non in sublimitate sermonis.* Nam quod ipse hoc posset habere palam est. Cujus enim vestimenta mortuos suscitarunt, et umbræ morbos expulerunt, multo magis linguæ facundiam poterat anima suscipere. Nam hoc quidem est discipulorum, illud autem artem omnem superat. Qui ergo artis majora novit, multo magis minora potuerit. Sed non permisit Christus ; neque enim consentaneum erat. Merito igitur ait, *Non enim judicavi me aliquid scire ;* nam et ego hoc volo quod et Christus vult. Mihi autem videtur humilius loqui cum illis, quam cum aliis, ut fastum illorum comprimeret. Illud ergo, *Judicavi me nihil scire*, ad differentiam externæ sapientiæ dicitur. Non enim veni syllogismos nectens neque sophismata,

neque aliud dicens vobis, quam quod Christus crucifixus sit. Illi namque innumera dicunt, et de innumeris longa verborum stadia explicant, ratiocinia et syllogismos apparantes, millia adornantes sophismata : ego autem veni ad vos nihil aliud dicens, quam quod Christus crucifixus sit, et illos omnes propulsavi, quod virtutis ejus qui prædicatur signum est ineffabile. 3. *Et ego in infirmitate et in timore et in tremore multo fui apud vos.* Hoc est rursus aliud caput. Non solum enim qui credebant indocti, neque solum is qui loquitur idiota, neque tantum modus doctrinæ est ignorantia plenus, neque tantum ipsa prædicatio satis est ad conturbandum; crux enim et mors erat quod annuntiabatur : sed cum his alia quoque impedimenta erant, pericula, insidiæ, quotidianus timor, et quod pellerentur. Infirmitatem namque etiam sæpe vocat persequutionem, ut et alibi : Infirmitatem, quæ est in carne mea, non aspernati estis (*Gal.* 4. 13. 14); et rursus, *Si gloriari oportet, in infirmitate mea gloriabor.* Quanam? *Præpositus gentis Aretæ regis Damascenorum urbem custodiebat, volens me comprehendere* (2. *Cor.* 11. 30 *et* 32). Et rursum : *Ideo mihi placeo in infirmitatibus.* Deinde dicens quibusnam, subjunxit : *In contumeliis, in necessitatibus et in angustiis* (*Id.* 12. 10). Et nunc hoc ipsum profert : cum dixisset enim, *Et ego in infirmitate;* non hic substitit, sed infirmitatem explicans, pericula vocat : rursus adjicit, *In timore et tremore multo fui apud vos.* Quid dicis? Paulus quoque timebat pericula? Timebat et valde timebat : etiamsi enim Paulus esset, at homo erat. Hoc autem non erat Pauli crimen, sed infirmitas naturæ, et propositi encomium, quod mortem et plagas timens, nihil tamen indignum ex timore fecerit : ita ut qui dicunt illum non timuisse plagas, non modo illum non honorent, sed et multum ex laudibus demant. Nam si non timebat, quæ perseverantia, quæ philosophia in ferendis periculis? Ego vero ideo illum admiror, quod timens, nec modo timens, sed tremens in periculis, semper cucurrit coronatus, et nulli cessit periculo, expurgans orbem, et ubique terrarum et marium prædicationem seminans. 4. *Et sermo meus et prædicatio mea non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis.* Id est, non habens externam sapientiam. Si igitur et prædicatio nihil habuit sophisticæ artis, et qui vocabantur idiotæ, et is qui prædicabat talis erat, aderatque persequutio, et timor et tremor, quomodo superarunt, dic mihi? Per divinam virtutem. Ideo cum dixisset, *Verbum et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis;* adjecit, *Sed in ostensione Spiritus et virtutis.*

2. Viden' quomodo quod stultum est Dei, sapientius sit hominibus; et quod infirmum, fortius? Idiotæ hæc prædicantes, vincti et pulsi, pellentes se vincebant? Undenam? Annon ex eo, quod per Spiritum fidem præberent? nam in confesso est hoc demonstrationem esse. Quis enim, quæso, videns mortuos resurgentes et dæmonas pulsos, non admiserit? Sed quia sunt etiam fallaces virtutes, quales præstigiatorum, hanc quoque sustulit suspicionem. Non enim virtutem dixit solum, sed prius, *Spiritus*, et tunc, *Virtutis :* ostendens ea quæ fiebant spiritualia esse. Non ergo imminutio est, quod prædicatio non per sapientiam annuntiata sit, sed maximum ornamentum. Hoc ergo maxime demonstrat, eam esse divinam, et radices esse supernas ex cælis : quapropter subjunxit : 5. *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Viden' quomodo clare per omnia ostendat, magnum esse lucrum ignorantiæ, et magnum sapientiæ damnum. Nam hæc quidem ipsius crucem, illa vero Dei virtutem prædicabat; hæc efficiebat, ut nihil invenirent eorum quæ oportuisset, et in seipsis gloriarentur; illa ut veritatem susciperent et in Deo gloriarentur. Rursus sapientia multis persuasisset, ut humanum esse dogma suspicarentur; hæc vero clare ostendebat, divinam illam esse et ex cælo descendisse. Cum ergo in sapientia verborum fit demonstratio, sæpe modestiores superantur a pejoribus, quia majori dicendi vi præditi pejores sunt, et mendacium pellit veritatem. Hic autem non sic : neque enim in immundam animam ingreditur Spiritus sanctus, et ingressus numquam potest superari, etiamsi invadat omnis dicendi vis. Nam demonstratio per opera et per signa longe clarior est illa, quæ fit per verba. At illorum fortasse quispiam dixerit, si prædicationem vincere oporteat, et eloquentia opus non habet ut ne crux exinaniatur, quare signa nunc cessarunt? Quare? Incredulusne hoc dicis, nec admittis illa facta fuisse apostolorum tempore, an vere hoc ediscere quærens? Si incredulus dicas, in eo primum immorabor. Si enim tunc non facta sunt signa, quomodo pulsi, vexati, trementes, vincti, et communes orbis hostes facti, omnibusque ad male patiendum expositi, nihil ex se habentes quod alliceret, non eloquentiam, non splendorem, non divitias, non urbem, non gentem, non genus, non exercitium, non gloriam, non aliud quidpiam simile; sed omnia contraria, ignorantiam, vilitatem, paupertatem, odium, inimicitiam, et contra populos integros stantes, taliaque annuntiantes, persuadebant? Nam præcepta multum laborem habebant et dogmata periculis plena erant : ac qui audiebant et persuadendi erant, in deliciis, ebrietate et multis vitiis erant educati. Unde, quæso, persuaserunt? unde fide digni erant? Nam, ut jam dixi, si absque signis persuaserunt, multo majus videtur miraculum. Ne itaque ex eo, quod nunc signa non fiant, argumentum ducas tunc etiam non fuisse. Etenim tunc utiliter fiebant, et nunc utiliter non fiunt. Non necessario sequitur autem ex eo quod nunc verbo tantum suadetur, nunc in sapientia prædicationem esse. Nam qui ab initio verbum seminabant, idiotæ et indocti erant, et nihil ex se dicebant, sed quæ acceperant a Deo, hæc orbi terrarum dederunt : et nos ipsi nunc, non quæ a nobis sunt tradimus, sed quæ ab ipsis accepimus, hæc omnibus dicimus. Neque nunc syllogismis persuademus; sed ex divinis scri-

pluris et ex iis, quæ tunc facta sunt signis, fidem facimus iis quæ dicimus. Et illi quoque tunc non signis tantum persuadebant, sed etiam disserendo. Verba autem efficaciora a signis reddebantur, necnon a testimoniis Veteris Testamenti, non autem a gravitate et eloquentia dictorum. Cur ergo, inquies, tunc utilia signa erant, nunc non item? Supponamus (cum Græco enim disputo, et ideo per hypothesin dico id quod omnino futurum est), supponamus igitur, et patiatur incredulus saltem ad disputationis tempus assentiri dictis, verbi gratia, quod Christus venturus sit : cum ergo Christus venerit et omnes angeli cum eo, et Deus esse ostensus fuerit, omniaque ipsi subjecta esse, annon ipse Græcus credet? Credet utique et adorabit, ac Deum esse dicet, etiamsi admodum pertinax fuerit.

3. Quis enim videns cælos apertos, ipsum in nubibus venientem, totumque cœtum supernarum Potestatum circumfusum, fluvios igneos manantes, omnes adstantes ac trementes, non adorabit, et Deum existimabit? Num ergo, dic quæso, adoratio et cognitio illa Græco in fidem reputabitur? Minime. Quare? Quia hoc fides non est : necessitas quippe, et eorum quæ apparent evidentia id effecit, non voluntatis propositum; sed a magnitudine rerum quæ videntur pertracta mens fuit. Itaque quanto magis clara et ad credendi necessitatem adducentia sunt illa, tanto magis fides minuitur. Ideo nunc signa non fiunt. Et quod res ita se habeat, audi quid dicat ad Thomam : *Beati qui non viderunt, et crediderunt* (*Joan.* 20. 29). Igitur quanto clarius ostensum signum fuerit, tanto magis fidei merces minuitur. Itaque si etiam nunc signa fierent, hoc ipsum eveniret. Quod autem tunc non ultra per fidem illum cognituri simus, significavit Paulus dicens : *Nunc enim per fidem ambulamus, non per speciem.* (2. *Cor.* 5. 7). Ut tunc tibi credenti, res illa non imputabitur, quod clara et manifesta sit : ita et nunc, si talia signa fierent, qualia antehac. Quando enim illa admiserimus, quæ nullo modo ullis ratiociniis inveniri possunt, tunc fides est. Ideo gehennam comminatur quidem, sed illa non apparet : nam si appareret, idipsum rursus eveniret. Alioquin vero si signa quæris, nunc etiam signa videbis, etiamsi non ejusmodi sint, prædictiones innumeras de rebus innumerabilibus, orbis conversionem, barbarorum philosophiam, agrestium morum mutationem, pietatis extensionem. Ecquas prædictiones, inquies? nam post res factas prædicta sunt omnia, quæ supra commemorata sunt. Quandonam, ubi et a quo, dic mihi? et ante quot annos? vis ante quinquaginta, aut centum? Ante centum ergo annos nihil habebant scriptum penitus. Quomodo ergo dogmata retinuit orbis, et alia omnia, cum memoria ad id non sufficiat? undenam scierunt Petrum fuisse palo affixum? quomodo venit in mentem, ut posteris prædicerent; verbi gratia quod evangelium prædicandum sit per universum orbem, quod Judaica cessatura sint, nec ultra restituenda? Qui vero animas suas pro prædicatione tradiderunt, quomodo sustinuissent prædicationem adulteratam videre? quomodo creditum fuisset scriptoribus, signis cessantibus? quomodo autem scripta et in barbarorum et in Indorum fines, et in ipsos Oceani terminos venissent, si ii qui dicebant fide digni non erant? Quinam autem erant scriptores, et quando, et ubi? qua de causa scripserunt? num ut gloriam sibi conciliarent? cur ergo libros aliis nominibus inscripserunt? At hoc fecerunt ut dogma commendarent? An ut verum? an ut falsum? nam si ut falsum habebant, non accessuri esse videbantur; si ut verum, fictione opus non erat sicut tu dicis. Alioquin vero prædictiones tales sunt, ut ad præsens usque tempus non potuerit dictis vis inferri. Nam diruta sunt Jerosolyma ante multos annos. Sunt et aliæ prædictiones, quæ ab illo tempore ad usque adventum ejus extenduntur, quas ut vis examina; ut est illud, *Semper vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* 28. 20); et, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Id.* 16. 18); et, *Prædicabitur hoc evangelium in universas gentes* (*Id.* 24. 14); et, *Dicetur, ubicumque prædicatum fuerit hoc evangelium, et quod fecit* (*Id.* 26. 13) hæc mulier; et aliæ plurimæ. Undenam ergo veritas hujus prædictionis, si erat figmentum? quomodo portæ inferi non prævaluerunt adversus Ecclesiam? quomodo semper nobiscum est Christus? Neque enim, si nobiscum non esset, Ecclesia vicisset. Quomodo evangelium ubique terrarum propagatum est? Sufficiunt autem et qui contra nos disputarunt ad testimonium antiquitatis librorum nostrorum ferendum, nempe Celsus (*a*) et Bataneotes qui post illum fuit; non enim contradicebant iis, quæ post illos edita fuerant : alioquin etiam totus orbis, qui uno consensu id suscepit. Neque certe, nisi gratia Spiritus esset, tantus fuisset consensus a finibus ad fines usque terræ; sed cito deprehensi fuissent illi deceptores, neque tam præclara gesta ex figmentis et mendaciis parta constitissent. Annon vides totum orbem accedentem? exstinctum errorem? monachorum philosophiam plus quam solem fulgentem? virginum choros? piam religionem apud barbaros? sub uno jugo servientes omnes? Neque enim a nobis tantum hæc prædicta fuere, sed jam olim a prophetis. Non enim illas quoque confutabis prædictiones : libri namque sunt apud inimicos nostros; etiamque apud Græcos quibus curantibus, in Græcam linguam translati sunt. Multa quoque illi de his prædicunt, ostendentes Deum esse illum qui venturus est.

4. *Cur non omnes homines credant.* — Quomodo ergo non omnes nunc credunt? Quia in pejus res versæ sunt, et nos in causa sumus. nam demum ad nos vertitur oratio. Non enim ex signis tunc solum credebant; sed etiam ex vita multi ad accedendum inducebantur. Nam ait ille : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Id.* 5. 16). Tunc *Erat omnium cor et anima una, et nullus quidpiam eorum*

(*a*) Hic Celsus est, contra quem scripsit Origines.

quæ habebat, dicebat esse proprium; sed habebant omnia communia, et dividebatur singulis prout cuique opus erat (*Act.* 4. 32. 35); et vitam agebant angelicam. Si nunc ita fiat, totum orbem absque signis convertemus. Interim vero, qui volunt salutem consequi, attendant Scripturis: illic enim hæc præclare gesta invenient, atque his longe plura. Nam ipsi magistri longe illa superabant, in fame et siti et nuditate degentes. Nos autem volumus multis frui deliciis, otioque ac licentia. At non illi; imo clamabant: *Ad hanc usque horam esurimus et sitimus, et nudi sumus et colaphis cædimur, et instabiles sumus* (1. *Cor.* 4. 11). Et alius quidem a Jerosolyma usque ad Illyricum currebat; alius in Indorum, alius in Maurorum terram, alius ad alias partes orbis: nos autem ne a patria quidem egredi audemus, sed delicias quærimus ædesque splendidas, et aliam omnem rerum copiam. Quis enim nostrum esurivit umquam propter verbum Dei? quis in solitudine fuit? quis longe peregrinatus est? quis ex doctoribus ex labore manuum vivens, aliis opem tulit? quis mortem sustinuit quotidianam? Hinc qui nobiscum sunt, ignaviores fiunt. Etenim si quis viderit milites et duces, cum fame, siti et morte malisque omnibus concertantes, frigus et pericula omniaque ferentes leonum instar et strenue agentes; deindeque philosophiam illam solventes, et molliores effectos, pecuniæ cupidos, negotiationibus et rei cauponariæ studentes, et ab hostibus devictos; extremæ esset amentiæ harum rerum causam quærere. Hoc autem de nobis et de majoribus nostris cogitemus: nam omnium imbecillimi facti sumus, et vitæ præsenti addicti. Quod si inventus quispiam fuerit vestigium habens veteris sapientiæ, is foris et urbibus relictis, atque in hominum medio versari et alios moderari cessans, ad montes se confert: si quis vero secessus causam sciscitetur, causam ille profert veniam non merentem. Ne peream, inquit, ac ne hebetior ad virtutem fiam, resilio. Et quanto melius esset, hebetiorem te fieri et alios lucrari, quam in alto manentem fratres despicere percuntes? Quando igitur alii virtutem non curant, alii qui curam ejus habent, ab acie procul recedunt, quomodo expugnabimus inimicos? Nam etiamsi nunc signa essent, quisnam persuaderetur? aut quis ex externis nobis animum adhiberet, nequitia sic supergrediente. Nam vita recte acta multis videtur esse magis fide digna. Signa enim apud impudentes et malos homines in pravam aliquam suspicionem venient; vita autem pura ipsum os diaboli abunde obstruere poterit. Hæc autem dico et imperantibus et imperio parentibus, et præ cæteris mihi ipsi, ut vitam exhibeamus mirabilem, et cum nos ipsos composuerimus, præsentia omnia despiciamus. Contemnamus pecuniam, et non contemnamus gehennam: despiciamus gloriam, et ne despiciamus salutem: hic subeamus sudorem et laborem, ut non illic incidamus in supplicium. Sic cum gentilibus bellum geramus, sic illos abducamus in captivitatem libertate præstantiorem. Verum hæc sæpe et frequenter a nobis dicuntur, raro autem fiunt. Cæterum sive hæc fiant, sive non fiant, æquum est per ea vos assidue monere. Si enim bonis verbis quidam decipiunt, multo magis par est eos, qui ad veritatem ducunt, non defatigari in dicendo ea quæ sunt utilia. Nam si deceptores tot machinis utuntur: pecunias enim impendunt, verba adhibent, pericula subeunt, et præfecturas ostentant: multo magis nos, qui a fallacia abducimus, et pericula et mortes et omnia sustinere oportet, ut et nos ipsos et alios lucrati, et inimicis inexpugnabiles facti, promissa bona consequamur, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA VII.

Cap. 2. v. 6. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur;* 7. *sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.*

1. Tenebræ videntur esse luce opportuniores iis qui laborant oculis; ideoque magis ad adumbratam ædiculam confugiunt. Hoc etiam usu venit in spirituali sapientia. Dei quidem sapientia externis videbatur esse stultitia; eorum vero sapientia, quæ vere stultitia erat, ab ipsis sapientia reputata fuit. Et perinde contingebat, ac si quis sapientia et arte gubernandi utens, polliceretur se sine nave et velis pelagus immensum esse transmissurum; deindeque tentaret ratiociniis probare hoc fieri posse; alius vero quispiam omnium imperitus, navi, gubernatori et nautis sese committens, sic cum securitate navigaret. Hujus enim ea quæ videtur esse imperitia, illius sapientia sapientior esset. Bona quippe est ars gubernandi, sed cum majora quam par sit pollicetur, stultitia quædam est; ut et omnis ars, quæ non suis contenta est terminis.

Sapientia philosophorum exterorum stultitia erat. — Sic etiam externa sapientia fuisset sapientia, si usa esset Spiritu: sed quia sibi omnia permisit, nec se auxilio ullo opus habere putavit, stultitia facta est, etsi videretur sapientia esse. Quapropter cum prius illam ex rebus ipsis confutasset, tunc illam stultitiam vocavit; et cum prius Dei sapientiam ex illorum sententia stultitiam vocasset, tunc ostendit illam esse sapientiam (nam post probationes tunc maxime possunt contradicentes pudore suffundi): et ait: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Nam cum ego, qui stultus esse et stulta prædicare existimor, sapientem superavero, non per stultitiam superavi sapientiam, sed per sapientiam perfectiorem, et tantam tantoque illa majorem, ut illa stultitia esse videatur. Ideo cur prius illam ita vocasset, ut illi tunc nominabant, et ex rebus ipsis victoriam exhibuisset, illosque admodum stultos esse probasset: de cætero nomen ipsi dat, quod ei conveniat, dicens: *Sapientiam vero lo-*

quimur inter perfectos. Sapientiam autem dicit prædicationem et modum salutis, nempe salvum fieri per crucem; perfectos autem, eos qui crediderunt. Etenim illi perfecti sunt, qui humana videntes esse valde infirma, illaque despicientes, persuasum habent illa nihil sibi conferre, cujusmodi fuerunt fideles *Sapientiam autem non hujus sæculi.* Ubi namque utilis est externa sapientia, quæ hic quidem desinit et ulterius non progreditur, neque hic prodesse potest iis, qui illa sunt prædíti? Principes autem sæculi hic non dæmones quosdam dicit, ut quidam suspicantur; sed eos, qui in dignitatibus et in magistratu, qui rem illam existimant præclaram, philosophos, oratores, scriptores: nam hi sæpe imperabant et plerumque populi ductores erant. Hujus autem sæculi principes vocavit, quia ipsorum imperium non ultra præsens sæculum procedit: quamobrem subjunxit: *Qui destruuntur;* ex re ipsa illam confutans et ex iis qui illa utuntur. Cum ostendisset enim illam falsam esse et stultam, et nihil invenire posse, infirmamque esse: ostendit etiam parvo tempore consistere. *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio.* In quo mysterio? Atqui dicit Christus: *Quod in aure audistis, prædicate super tecta* (*Matth.* 10. 27). Quomodo ergo illam vocat mysterium? Quia neque angelus neque archangelus, neque ulla creata potestas id noverat antequam fieret. Ideo ait, *Ut innotescat nunc principatibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei* (*Ephes.* 3. 10). Hoc autem fecit Deus nos honorans, ut nobiscum audirent mysteria. Nam nos quoque eis, quos nobis fecerimus amicos, hoc argumentum dicimus esse amicitiæ nostræ, quod nemini prius quam ipsis secreta revelemus. Audiant ii qui prædicationem traducunt, omnibusque indiscriminatim margaritas et dogma enuntiant et sancta canibus et porcis superfluisque ratiociniis projiciunt. Mysterium namque probatione opus non habet; sed id quod est annuntiatur. Etenim non erit totum mysterium divinum, cum a te ipso aliquid addideris. Alioquin vero mysterium vocatur, quia non quæ videmus, credimus, sed alia videmus, alia credimus. Talis namque est mysteriorum nostrorum natura. Alio igitur modo ego, et alio infidelis circa hæc affecti sumus. Audio ego, quod crucifixus sit Christus, et ejus erga homines amorem statim admiror; audit ille, et imbecillitatem putat: audio quod servus factus sit, et providentiam admiror; audit ille et dedecus esse putat: audio quod mortuus sit, et de potentia ejus obstupesco; quod a morte non superatus sit, imo etiam mortem dissolverit; audit ille, et imbecillitatem suspicatur. Cum audit ille resurrectionem, fabulam esse putat; ego vero post acceptas ex rebus ipsis demonstrationes, Dei œconomiam adoro. Lavacrum audiens ille, aquam tantum esse putat; ego vero non quod videtur solum aspicio, sed etiam purificationem animæ per Spiritum. Existimat ille solum mihi ablutum esse corpus; ego autem credo animam quoque puram et sanctam factam esse, et cogito sepulcrum, resurrectionem, sanctificationem, justitiam, redemptionem, adoptionem, hereditatem, regnum cælorum, datum Spiritum. Non enim ex visu judico illa quæ apparent, sed mentis oculis. Audio corpus Christi; aliter ego dictum intelligo, aliter infidelis.

2. Ac quemadmodum pueri libros videntes, literarum vim non sciunt, nec ea norunt quæ vident; imo vero si vir literarum imperitus sit, hoc item ipsi eveniet; qui vero peritus est, multam literis insitam vim inveniet, vitas integras et historias: et epistolam imperitus accipiens, chartam esse putabit et atramentum; peritus vero et vocem audiet, et cum absente disseret, et quod voluerit rursus per literas dicet: ita etiam in mysterio evenit: infideles quidem etiamsi audiant, audire non videntur; fideles autem qui per Spiritum peritiam habent, vim reconditam vident. Hoc igitur declarans Paulus dicebat, *Quod nunc quoque sit absconditum quod prædicatur: pereuntibus enim,* inquit, *est absconditum* (2. *Cor.* 4. 3). Alioquin autem prædicationem admirabilem ostendit. Ita solet vocare Scriptura illa, quæ præter spem et supra mentem humanam sunt. Ideo alibi quoque dicit, *Mysterium meum mihi et meis* (*Is.* 24. 7); et rursum Paulus: *Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur* (1. *Cor.* 15. 51). Etsi porro ubique prædicatur, etiam sic mysterium est. Etenim ut jussi sumus, quod in aure audivimus prædicare super tecta: sic jussi sumus sancta non dare canibus, neque projicere margaritas ante porcos. Nam alii sunt animales, et non intelligunt; alii velamen habent cor suum obtegens, et non vident. Ergo mysterium illud est maxime, quod quidem ubique prædicatur, non cognoscitur autem ab iis qui rectam non habent mentem; revelatur autem non a sapientia, sed a Spiritu sancto, quantum nos possumus accipere. Quamobrem non aberraverit, si quis etiam secundum hoc mysterium appellaverit arcanum; neque enim nobis fidelibus tradita fuit plena ejus perceptio et accurata notitia. Quapropter dicebat Paulus, *Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus. Videmus enim nunc per speculum quasi in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (1. *Cor.* 13. 9. 12). Ideo dicit, *Loquimur sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram. Absconditam,* id est, nulla ex supernis potestatibus ante nos didicit; neque multi nunc norunt: hoc enim declaratur ex illo, *Quam prædestinavit in gloriam nostram:* quamquam alibi dicat, *In gloriam suam* (*Ephes.* 1. 12). Suam enim reputat gloriam salutem nostram; ut etiam divitias suas vocat, etiamsi ipse sit bonorum divitiæ, et nullo indigeat ut sit dives. *Prædestinavit,* inquit, suam erga nos providentiam indicans. Illi enim maxime nos honorare et amare existimantur, qui nobis a longo tempore bona conferre parati sunt, id quod faciunt parentes filiis: etenim si postremo dant pecunias, id jamdiu et ab initio præmeditati fuerant. Hoc Paulus nunc conatur ostendere, quod Deus nos semper et jam olim amaverit, cum nondum nati essemus. Nisi enim amasset, divitias nobis non prædestinavisset.

Ne ergo cogites eam quæ intercessit inimicitiam ; erat enim illa antiquior amicitia. Illud autem, *Ante sæcula*, æternum sibi vult : nam et alibi ita loquitur : *Qui est ante sæcula.* Invenietur ergo etiam Filius sic æternus esse. Nam de ipso dicit, quod per ipsum fecerit sæcula (*Hebr.* 1. 2), quod est ante sæcula esse : qui fecit enim, ante illa quæ facta sunt erat. 8. *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit : si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Atqui ne accusationi quidem erant obnoxii, siquidem ex ignorantia crucifixerunt si non cognoverunt, quomodo dicebat : *Et me nostis, et unde sim nostis* (*Joan.* 7. 28)? De Pilato enim dicit Scriptura, quod non noverit ; verisimile autem est nec Herodem novisse. Hos dixerit quispiam vocari principes hujus sæculi. Quod si de Judæis et de sacerdotibus dixerit quispiam hæc intelligi, non aberraverit : nam illis quoque dicit : *Nec me nostis, neque Patrem meum* (*Id.* 8. 19). Quomodo ergo superius dixit, *Et me nostis, et unde sim nostis?* Sed quis sit modus hujus et illius lectionis, in Evangeliis dictum est ; et ne illud frequentius versemus, eo remittimus lectores.

3. Quid ergo? remissum est illis, quod circa crucem admiserunt peccatum? nam dixit *Remitte illis.* Si pœnitentiam egerunt, remissum est. Nam qui innumeris manibus Stephanum impetiit et Ecclesiam persequutus est, Paulus, Ecclesiæ patronus factus est. Sic igitur etiam illis remissum est, qui voluerint pœnitentiam agere : quod etiam Paulus clamans dicebat : *Dico ergo, Num quid offenderunt, ut caderent? Absit* (*Rom.* 11. 11). Et iterum, *Num repulit Dominus populum suum, quem præscivit? Absit* (*Ibid. v.* 1). Deinde ostendens, quod non sint exclusi a pœnitentia, argumentum adducit pœnitentiam suam dicens : *Nam et ego Israelita sum.* Illud autem, *Non cognoverunt*, videtur mihi non de Christo dictum hic fuisse, sed de rei dispensatione : verbi gratia, quid sibi vellent mors et crux nesciebant. Etenim non dicit ibi, Me non noverunt ; sed, *Nesciunt quid faciunt* (*Luc.* 23. 34) ; id est, œconomiam quæ peragitur et mysterium non norunt. Non enim sciebant, futurum esse ut crux ita resplenderet, nec quod fieret salus orbis, et Dei cum hominibus reconciliatio, neque futurum urbis excidium, nec quod extrema illi passuri essent. Sapientiam autem vocat et Christum et crucem et prædicationem. Opportune vero et Dominum gloriæ vocavit. Quia enim crux ignominiosa videtur esse, ostendit crucem esse magnam gloriam. Sed magna opus erat sapientia non modo ad Deum cognoscendum, sed et ad discendam hanc Dei œconomiam : externa autem sapientia non priori tantum, sed huic etiam impedimento fuit. 9. *Sed, ut scriptum est, Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus diligentibus se.*

Multi Scripturæ sacræ libri perditi. — Et ubinam scripta sunt hæc (*a*) ? Dicitur, *Scriptum est*, etiamsi non verbis, sed in rebus ipsis hæc posita sint, ut in historiis; vel si ipse quidem sensus reperiatur, licet non ipsis verbis sicut hic. Illud enim, *Quibus non annuntiatum est de illo, videbunt; et qui non audierunt, intelligent* (*Rom.* 15. 21) ; hoc idipsum est atque illud, *Oculus non vidit, nec auris audivit.* Aut hoc igitur dicit; aut verisimile est scriptum fuisse in libris, qui perierint. Nam multi libri perditi fuerunt, et pauci servati sunt, etiam in prima captivitate. Et hoc perspicuum est in Paralipomenis : dicit enim apostolus, *A Samuele et iis qui postea fuerunt prophetis, omnes de illo dixerunt* (*Act.* 3. 24). At non omnino hæc ita feruntur : Paulum autem tamquam legis peritum et ex Spiritu loquentem verisimile est omnia accurate scivisse. Et quid dico de captivitate? nam etiam ante captivitatem multi periere libri, Judæis in extremam impietatem delapsis : quod palam est ex fine quarti libri Regnorum. Deuteronomium enim vix repertum fuit in sterquilinio defossum. Alioquin autem sunt sæpe etiam duplices prophetiæ, sapientioribus facile cognitæ, ex quibus occulta multa possunt percipi. Quid ergo? non vidit oculus quæ præparavit Deus? Non : quis enim hominum vidit ea, quæ dispensanda erant? Num ergo neque auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt? et quomodo? si enim prophetæ dixerunt, inquies, quomodo auris non audivit, nec in cor hominis ascenderunt? Non ascenderunt : non enim de ipsis solis loquitur, sed etiam de universa natura humana. Quid ergo? prophetæ non audierunt? Audierunt quidem; at non erat auris hominis, sed auris prophetica : non enim ut homines audierunt, sed ut prophetæ. Quapropter dicit : *Adjecit mihi aurem ad audiendum* (*Isai.* 50. 4) ; adjectionem a Spiritu factam dicens. Unde manifestum est, quod prius quam audiret, nec in cor quidem hominis ascenderant. Nam postquam datus Spiritus fuerat, cor prophetarum non erat cor hominis, sed cor spirituale, quemadmodum et ipse ait, *Mentem Christi habemus* (1 *Cor.* 2. 16). Quod dicit autem, hujusmodi est : antequam Spiritu frueremur et arcana ediscceremus, nec ex nobis nec ex prophetis quispiam ea intellexit. Quomodo enim, cum nec angeli quidem ipsa nossent? Quid enim, inquit, dicendum est de principibus hujus sæculi, cum nullus homo ea sciret, neque supernæ potestates? Quænam autem sunt ea? Quod per prædicationis stultitiam, quæ talis esse videbatur, et gentes inducentur, et Dei cum hominibus reconciliatio erit, et tot tantaque nobis ventura sunt bona. Quomodo ergo cognovimus? 10. *Nobis autem,* inquit, *revelavit Deus per Spiritum suum.* Non per externam sapientiam : ipsi enim tamquam ancillæ quædam contemptæ non permissum fuit intus ingredi, et mysteria Dominica inspicere.

4. Viden' quantum discrimen inter hanc et illam

(*a*) Hic notat Andreas Dounæus, Chrysostomum, qui quærit ubinam reperiatur in Veteris Testamenti libris locus ille, cum Paulus inde sumptum indicat, *Oculus non vidit, nec auris audivit*, etc., non advertisse locum illum Isaiæ, ubi hæc non ad literam quidem, sed eodem sensu feruntur, nempe cap. 64. *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt : Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.*

sapientiam? Quæ angeli non noverunt, ea nos hæc docuit. Externa vero contrarium fecit : non modo non docuit, sed etiam impedivit et arcuit : et postquam illa facta fuerunt, illa obscuravit et crucem exinaniit. Non ergo ex eo, quod didicerimus, ostenditur bonor nobis concessus, nec ex eo, quod cum angelis didicerimus; sed ex eo, quod per Spiritum ejus didicerimus. Deinde postquam magnitudinem ostendit, ait : Nisi Spiritus, qui scit arcana Dei, revelasset, non didicissemus. Ita curabat Deus, ut in arcanis esset. Quapropter illo opus habuimus doctore, qui hæc clare sciret. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* 11. *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei.* 12. *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Hic enim illud, *scrutari*, non ignorantiam, sed accuratam scientiam indicat. Hac igitur dictione etiam de Deo loquens usus est dicens : *Qui autem scrutatur corda, novit quis sit sensus Spiritus* (*Rom.* 8. 27). Deinde cum accurate loquutus esset de cognitione Spiritus, et ostendisset eam ita exæquari cognitioni Dei, ut ipsa hominis cognitio sibi ipsi; et docuisset nos omnia inde didicisse, et inde necessario, subjunxit : 13. *Quæ etiam loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis; sed in doctrina Spiritus sancti, spiritualibus spiritualia comparantes.* Viden' quo nos deduxerit ab auctoritate doctoris? Tanto enim illis sumus sapientiores, quantum interest inter Platonem et Spiritum sanctum. Illi enim externos oratores habent magistros, nos autem Spiritum sanctum. Quid sibi vult autem, *Spiritualia spiritualibus comparantes?* Quando spirituale fuerit et dubium, a spiritualibus testimonia ducimus : ut exempli causa, resurrexit Christus, quia de Virgine natus est. Adduco testimonia, figuras et demonstrationes, Jonæ in ceto moras, et liberationem quæ postea fuit, sterilium partus, Saræ et Rebeccæ et cæterarum : arborum in paradiso productionem non jactis seminibus, non demissis imbribus, non sulco facto. Futura enim figurabantur et describebantur tamquam in umbra prioribus, ut ea crederentur cum advenirent. Et ostendo rursum quomodo homo ex terra, et quomodo ex solo viro mulier sine ullo coitu : quomodo ipsa terra ex nihilo, Creatoris potentia ubique ad omnia sufficiente. Ita spiritualibus spiritualia comparo, et nusquam opus habeo externa sapientia neque ratiociniis neque probationibus. Illi namque infirmam mentem concutiunt et conturbant, nec aliquid eorum quæ dicunt demonstrare possunt; sed et contrarium faciunt; turbant magis, caligine replent et dubitatione multa. Ideo ait, *Spiritualibus spiritualia comparantes.* Viden' ut supervacaneam sapientiam illam ostendit? nec solum supervacaneam, sed et contrariam et noxiam. Nam cum dixit, *Ut non evacuetur crux Christi*, et, *Ut non sit in sapientia hominum fides nostra*, hoc significavit. Hic autem ostendit non posse eos, qui ipsi confidunt et totum ipsi permittunt, aliquid utile discere. 14. *Animalis enim homo*, inquit, *non percipit ea, quæ sunt Spiritus.* Oportet igitur eam prius deponere. Quid igitur? reprobatane est, inquies, externa sapientia? Atqui opus est Dei. Unde id constat? Non enim ille fecit ipsam, sed tu adinvenisti : nam hic sapientiam vocat curiosam perquisitionem et superfluam facundiam. Si quis vero humanam prudentiam hic intelligi dicat, sic etiam in culpa es. Tu enim illam deturpas, qui illa male uteris, qui ad Dei damnum et offensionem ab illa exigis id quod non habet. Quia igitur in illa gloriaris et Deum bello impetis, ejus ille imbecillitatem ostendit. Nam bona quoque res est corporis robur; sed quia Cain illo non ut oportuit usus est, dissolvit illum Deus, et ut tremeret effecit. Vinum quoque bonum est; sed quia immoderate illo usi sunt Judæi, ejus usum Deus sacerdotibus omnino interdixit. Quoniam ergo tu sapientia ad Dei despectum usus es, et majorem illam exegisti, quam vires ferrent, ab spe humana te abducens, ejus infirmitatem ostendit. Animalis enim est, qui totum dat frigidis ratiociniis, et non putat se ullo superno auxilio opus habere, quod certe amentia est. Nam dedit illam Deus, ut discat et opem suam accipiat; non ut eam sibi ipsi sufficere putet. Etenim oculi pulchri et utiles sunt; sed si voluerint sine luce videre, nihil juvat illos pulchritudo, vel propria virtus, imo etiam lædit. Sic itaque anima, si voluerit sine Spiritu videre, sibi ipsi impedimento est. Quomodo igitur, inquies, antehac per seipsam omnia videbat? Numquam a seipsa, sed habuit rem creatam pro libro propositam in medio : quia vero, dimissa via qua Deus jussit homines incedere, ut per visibilium pulchritudinem nossent Creatorem, ratiociniis scientiæ sceptra commiserunt, in pelagus impietatis infirmi effecti demersi sunt, statim abyssum malorum inducentes, ac dicentes nihil ex non exstantibus fieri, sed ex materia ingenita; unde etiam hæreses innumeras pepererunt : et in iis quæ valde absurda erant convenerunt; in quibus autem videbantur aliquid sanum quasi in umbra somniare, divulsi ac divisi sunt, ut utrinque deriderentur. Quod enim ex non exstantibus nihil fiat, una omnes pene dixerunt et scripto tradiderunt : idque magno cum studio. In absurda itaque illos impulit diabolus. In utilibus autem, ubi videbantur ceu in ænigmate aliquid ex quæsitis invenire, in his, inquam, contra se pugnavere : verbi gratia, quod immortalis sit anima, quod virtus nullo egeat externorum : ac neque ex necessitate, neque ex fato bonos fieri, aut non tales.

5. Vidistin' diaboli malitiam? Sicubi illos aliquid corruptum dicere vidit, id effecit ut omnes consentirent; sicubi vero aliquid sanum proferre, alios contra ipsos concitavit; ut absurda non exciderent consensu confirmata, et utilia diffluerent varie intellecta. Vide quomodo anima ubique sit imbecilla, neque sibi sufficiat. Id vero jure merito factum est. Si enim cum talis facta sit, contendit se nullo opus habere, et se a Deo abducit; nisi talis facta esset, in quam non amen-

tiam incidisset? Si cum mortale corpus accepisset, ex falsa diaboli promissione multo majora exspectavit; *Eritis* enim, inquit, *sicut dii* (*Gen.* 3. 5); si hoc etiam ab initio accepisset immortale, quo non esset delapsa? Nam etiam post illud se ingenitam esse dixit, et ex essentia Dei, per putridum os Manichæorum. Occasione etiam hujus morbi diabolus deos apud Græcos effinxit. Ideo videtur mihi Deus laboriosam virtutem fecisse, animam inflectens et deducens ad moderationem. Ut autem discas hoc esse verum, ut quis ex parvis magnum conjiciat, idipsum discamus ex Israelitis. Hi enim cum vitam agerent non laboriosam, et in quiete degerent: felicitatem illam non ferentes, in impietatem sunt delapsi. Quid ergo Deus postea? Multas intulit leges, illorum arcens licentiam. Et ut discas hæc legalia ad virtutem non conferre, sed pro freno quopiam data fuisse, quæ otii occasionem tollerent, audi quid de illis dicat propheta: *Dedi illis præcepta non bona* (*Ezech.* 20. 25). Quid sibi vult illud, *Non bona?* Nihil magnum ad virtutem conferentia: ideo subjungit: *Justificationes in quibus non vivent. Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus.* Jure: quemadmodum enim his oculis nemo didicerit ea quæ in cælis sunt, sic nec anima sola ea quæ sunt Spiritus. Et quid dico ea quæ in cælis? Neque ea omnia quæ in terra. Nam procul videntes turrim quadratam, rotundam eam esse putamus: est autem oculorum deceptio talis opinio. Ita etiam quando res procul positas per mentem solam quis examinat, multus consequetur risus. Non solum enim qualia illa sint non videbit, sed etiam contraria iis esse putabit: ideoque subjunxit: *Stultitia enim est illi.* Hoc autem non ex rei natura provenit, sed ex imbecillitate ejus, qui non potest eorum magnitudinem per oculos animæ attingere. Deinde ejus rei causam ex adverso ponit dicens: *Quia non novit quod spiritualiter examinetur.* Id est, quod ea quæ dicuntur, fide indigeant, nec rationibus comprehendi possint: eorum quippe magnitudo mentis nostræ vilitatem longo spatio superat. Quapropter ait: 15. *Spiritualis autem judicat omnia; ipse autem a nemine judicatur.* Nam qui videt, omnia quidem ipse videt, etiam ea quæ ad non videntem pertinent; quæ autem ipsius, nemo non videntium aspicit. Ita etiam nunc, nostra quidem et ea quæ infidelium sunt omnia nos scimus, nostra autem illi non item. Etenim scimus quæ sit præsentium rerum natura, quæ sit futurorum dignitas, quid mundus post hæc efficietur, et quid patientur peccatores, quibus vero fruentur justi, et quod nullius pretii sint res præsentes, et scimus, et illorum vilitatem arguimus (dijudicare enim est arguere); et quod futura sint immortalia et immobilia. Hæc omnia novit spiritualis, et quid patietur animalis cum illuc migrarit, et quonam fruetur fidelis cum hinc abscesserit, quarum rerum nihil novit animalis. Quamobrem claram dictorum demonstrationem subjungens dicebat: 16. *Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruet eum? Nos autem mentem Christi habemus.* Id est, ea quæ in mente Christi sunt nos scimus, necnon ea quæ ipse vult et revelavit. Quia enim dixit Spiritum revelasse; ne quis Filium repellat, subjunxit, etiam Christum hæc nobis ostendisse: non hoc dicens, nos omnia quæ ipse novit scire; sed omnia quæ scimus non humana esse, ut sint suspecta, sed mentis illius et spiritualia.

6. Mentem enim quam de his habemus, ut Christi mentem habemus; id est, cognitionem quam de rebus fidei habemus, spiritualem habemus; ita ut jure a nemine dijudicemur. Neque enim potest animalis homo divina cognoscere. Ideo dicebat, *Quis enim cognovit mentem Domini?* mentem nostram circa res istas, illius esse mentem dicens. Et illud, *Qui instruet eum*, non sine causa adjecit, sed respiciens ad id quod jam dixit, *Spiritualem nemo dijudicat.* Si enim nemo potest nosse mentem Domini, multo minus potest illum docere et corrigere: hoc enim sibi vult illud, *Qui instruet eum.* Viden' quomodo undique repellat sapientiam externam, et spiritualem plura et majora scire ostendat? Quia enim causæ illæ (nempe, *Ut non glorietur omnis caro*; et quod ideo *Stulta elegit, ut confunderet sapientes*; et, *Ut non evacuetur crux Christi*), infidelibus non admodum fide dignæ neque inducentes, vel necessariæ et utiles videbantur esse, demum apponit principem causam; quia hoc maxime modo videre possumus, ex quo sublimia et arcana et quæ supra nos sunt scire possimus. Nam evacuabatur ratio, quod ea, quæ supra nos sunt, per externam sapientiam comprehendere non possemus. Viden' quod sic magis conferebat ediscere a Spiritu? est enim hæc doctrina et facillima et clarissima. *Nos autem mentem Christi habemus.* Hoc est, spiritualem, divinam, humanum nihil habentem. Non enim Platonis nec Pythagoræ sensa, sed Christus sua menti nostræ indidit. Ideo igitur pudore afficiamur, dilecti, et vitam exhibeamus optimam: quando et ipse hoc facit magnæ amicitiæ argumentum, cum nobis arcana revelat, dicens: *Non jam vos dicam servos: omnes enim vos amici mei estis: quia omnia quæ audivi a Patre meo annuntiavi vobis* (*Joan.* 15. 15); id est, cum fiducia tradidi vobis. Si autem hoc solum est amicitiæ argumentum, fidere; cum palam sit eum non modo cum fiducia verborum mysteria tradidisse, sed eadem ipsa operibus nobis largitum esse, cogita quantæ illud sit amicitiæ. Hac ergo de re pudore afficiamur: et si nulla nobis tanta habeatur gehennæ ratio; at sit nobis gehenna terribilius, quod erga adeo amicum et beneficum ingrati simus: neque ut mercenarii famuli, sed ut filii et liberi omnia faciamus propter amicitiam Patris; et tandem cessemus mundo addicti esse, ut etiam gentes pudore afficiamus. Nam nunc cum velim contra illos disputare, renuo, ne dum illos rationibus et dogmatum veritate vincimus, ingentem nobis risum ex vitæ comparatione inferamus: quando illi, qui errori addicti sunt, et qui nihil hujusmodi persuasum habent, philosophiæ dant operam; nos autem plane contrarium facimus. Attamen dicam: fortassis enim, fortassis adversus illos pugnare meditantes, vita etiam illis meliores effici contendemus. Nuper dicebam, apostolos ea quæ prædicarunt numquam

prædicaturos fuisse, nisi divina movente gratia; et non modo id non perfecturos, sed neque hac de re consultaturos fuisse. Age vero, hodie quoque eam rem excutiamus, ostendamusque, non potuisse eos id suscipere vel cogitare, nisi Christum secum habuissent; non quia imbecilli adversus fortes; non quia pauci contra multos; non quia pauperes contra divites; non quia indocti contra sapientes aciem instruebant: sed quia præjudicatæ opinionis magna vis erat. Scitis enim nihil apud homines validius esse veteris consuetudinis tyrannide. Quamobrem etiamsi non duodecim tantum numero fuissent, neque ita viles et quales erant; sed alius orbis fuisset huic par, ac multitudinem habuissent adversæ sibi æqualem, imo multo majorem, sic quoque difficilis res fuisset. Illis namque opem ferebat consuetudo, his vero novitas adversabatur. Nihil enim ita turbat animum, etiamsi utile quidpiam aggrediatur, ut innovare et peregrinum quid inducere, maxime cum de cultu religionis et de Dei gloria agitur. Et quanta sit hujus rei vis, jam palam faciam. Primo illud dicam, alteram fuisse difficultatem circa Judæos. Nam quod ad gentiles spectat, et deos et dogmata illorum confutabantur omnia; apud Judæos autem non ita disputabant: sed ex dogmatibus multa abrogabant, Deum vero qui legem posuerat adorare jubebant: et cum dicerent oportere legislatorem colere, addebant, Ne in omnibus obsequaris legi ab illo positæ; verbi gratia, in observatione sabbati, aut circumcisionis, aut sacrificiorum, aut aliorum similium. Itaque non modo sacrificium impedimento erat; sed etiam quod, cum Deum juberent adorare, multas ipsius leges abrogare præciperent. Apud gentiles autem magna erat consuetudinis tyrannis.

7. Etenim etiamsi decem annorum tantum, nec dico tanti temporis; etsi paucorum hominum, nec dico totius orbis consuetudinem aggressi illi fuissent: sic quoque mutatio difficilis fuisset. Nunc autem et sophistæ et oratores et patres et avi et abavi, et multi antiquiores, errore erant præoccupati: et terra, mare, montes, saltus, barbarorum omnia genera, Græcorum populi omnes, sapientes, idiotæ, principes, subditi, mulieres et viri, juvenes et senes, herietservi, agricolæ et artifices, qui urbes et qui vicos incolebant omnes. Et par erat illos omnes catechumenos dicere: Quid hoc est? omnesne qui orbem incolunt sunt decepti? sophistæ, oratores, philosophi, scriptores, et qui nunc sunt et qui ante fuerunt, Pythagoras et Plato, duces, Consules, Imperatores, urbium ab initio cives et fundatores, barbari et Græci? et duodecim piscatores ac tentoriorum artifices atque publicani, illis omnibus sunt sapientiores? et quis hæc ferre potuerit? Attamen hæc non dixerunt, nec cogitarunt, sed quieti sustinuere; noveruntque illos esse omnium sapientissimos: ideoque omnes superaverunt. Et ut discas, quanta sit vis consuetudinis, ea Dei præcepta sæpe superavit. Et quid dico præcepta? Ipsa quoque beneficia. Judæi enim manna habentes, quærebant allia; et libertate fruentes, servitutis recordabantur et Ægyptum frequenter optabant ob consuetudinem; adeo tyrannica est consuetudo. Et si velis etiam ab exteris id discere, dicitur Plato, etiamsi probe sciret errorem esse ea, quæ de diis dicebantur, ad festos dies colendos et ad cætera omnia se demisisse, ut qui non posset consuetudinem impugnare, ac re ipsa a magistro hoc edidicerat. Hic enim cum in suspicionem innovationis venisset, tantum abfuit ut quod optabat perficeret, ut etiam vitam amiserit, etiamsi apologia sese purgasset. Quot etiam nunc videmus homines ex præjudicata opinione in impietate detentos, qui nihil possunt rationi consonum dicere, cum accusantur quod ut gentiles sentiant, allegantque patres, avos et proavos? Ideo exterorum quidam consuetudinem secundam naturam vocant. Cum autem in dogmatibus consuetudo adest, ea firmior est: omnia enim facilius mutaverint quam cultum. Et pudor una cum consuetudine ad impediendum satis erat, et quod videantur in extrema senectute dediscere, etiamque ab iis qui minus intelligerent. Et quid miraris, si in anima id eveniat, quando etiam in corpore magnam vim consuetudo habet. Apostolorum vero tempore aliud erat majus impedimentum, quod non modo consuetudo tam antiqua mutaretur, sed etiam quod mutatio illa cum periculo fieret. Non modo enim a consuetudine ad consuetudinem trahebant, sed a consuetudine securitatem habente ad res pericula minitantes. Credentem statim accidebat publicari, pelli, a patria excidere, ab omnibus odio haberi, communem hostem esse et suis et alienis. Itaque etiamsi vocassent a novitate ad consuetudinem, etiam sic difficilis res fuisset: cum autem a consuetudine ad novitatem vocarent, et hæc adessent mala, cogita quantum erat illud impedimentum. Præter ea autem quæ dicta sunt, aliud non levius erat, quod mutationem difficilem redderet. Ad consuetudinem enim et ad pericula id addas, quod hæc præcepta onerosiora essent, et ea, a quibus abducebant, levia et facilia. Nam a fornicatione ad castitatem vocabant, ab amore vitæ ad mortem, ab ebrtate ad jejunium, a risu ad lacrymas et compunctionem, ab avaritia ad paupertatem, a securitate ad pericula: et per omnia extremam exigebant accurationem; nam ait: *Turpitudo et stultiloquium et scurrilitas ne exeant ab ore vestro* (*Ephes.* 5. 4). Et hæc dicebant iis, qui nihil aliud sciebant quam inebriari, ventri indulgere, iis qui dies festos agebant, non alio modo consistentes, quam ex turpitudine, risu et universa comœdia. Itaque non modo quod philosophiam exigerent, onerosa illa præcepta erant; sed quod hominibus proferrentur, qui in licentia, turpitudine, stultiloquio, risu rebusque comicis educati essent. Quis enim qui in talibus vitam duxerit, cum audit, *Nisi quis tollat crucem suam et sequatur me, non est me dignus* (*Matth.* 10. 38); et, *Non veni pacem mittere, sed gladium, et separare hominem a patre suo, et filiam a matre sua* (*Ibid. v.* 34), non obtorpuerit? quis autem audiens, Nisi quis renuntiaverit domui, patriæ et divitiis, non est me dignus (*Luc.* 14.

33), non dubitaverit, non repudiaverit? Attamen non modo non obturpuerunt, non modo non respuerunt hæc audientes; sed etiam accurrebant, et ad gravia insiliebant, ac quæ præcipiebantur arripiebant. Audire autem illud, De omni verbo otioso rationem reddituri sumus (*Matth.* 12. 36); et, *Qui respicit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam* (*Matth.* 5. 28); et, Qui irascitur temere, in gehennam incidet; quem non abegisset eorum qui tunc erant? Attamen omnes accurrebant, et multi etiam septa transiliebant. Quid ergo illos inducebat? annon virtus ejus qui prædicabatur, ut palam est? Nisi enim hoc esset et contrarium esset, et illi isti fuissent, isti vero illi; an fuisset facile repugnantes trahere? Dici certe id non potest.

8. Itaque per omnia ostenditur divinam virtutem fuisse quæ hæc perfecit. Nam unde, quæso, persuaserunt mollibus et diffluentibus, ad vitam ducentes duram et asperam? Sed præcepta quidem hujusmodi erant: videamus autem an dogma vim haberet alliciendi. Atqui hoc ipsum satis erat ad abigendos infideles. Quid enim dicebant ii, qui prædicabant? Crucifixum esse adorandum illumque Deum esse putandum, qui ex Judæa muliere natus esset. Ecquis illis credidisset, nisi movente divina virtute? Quod enim crucifixus et sepultus fuisset, omnes sciebant; quod autem resurrexisset et ascendisset, præter apostolos nemo viderat. At promissis illos erigebant, inquies, et verborum sono deceperunt. Hoc ipsum vero maxime ostendit præter ea omnia quæ dicta sunt, res nostras non esse fallaciam. Nam difficilia omnia hinc eveniebant; utilia vero post resurrectionem promitti oportebat. Hoc ipsum autem, iterum dicam, ostendit prædicationem nostram divinam esse. Cur enim nemo credentium dixit, Non accedo, neque ferre possum: difficilia mihi hic comminaris, et bona post resurrectionem promittis? undenam liquet resurrectionem futuram esse? quis eorum qui decesserunt venit? quis mortuorum resurrexit? quis horum dixit quid futurum sit post nostrum hinc exitum? At nihil horum cogitarunt; sed et animas dederunt pro Crucifixo. Itaque hoc ipsum maximæ virtutis erat, quod cum nihil horum umquam audissent, statim de tantis rebus persuaderentur, et sese appararent ut difficilia in experimentum acciperent, bona vero in spe haberent. Si autem decipere voluissent, contrarium facturi erant; hic bona promisissent, et terribilia tacuissent, tam præsentia quam futura. Ita enim facere solent qui decipiunt et adulantur: nihil asperum durum vel onerosum proponunt, sed contrarium totum; hæc quippe fallacia est. Sed multorum amentia, inquies, fecit ut dictis fidem haberent. Quid dicis? quando sub Græcis fuere, non erant stulti; sed quando ad nos translati sunt, tunc stulti evaserunt? Atqui non alios homines, neque ex alio orbe accipientes apostoli ad fidem deduxerunt. Quamquam gentilium instituta simpliciter tenebant, nostra vero cum periculo susceperunt: itaque si cum majori ratione illa tenuissent, cum tanto tempore in illis vixissent, non ab illis abcessissent, cum maxime non absque periculo abscedere possent. Postquam autem ex ipsa rerum natura cognoverunt, ridicula illa esse et errore plena; ideo, cum etiam mortis minæ intentarentur, a consuetis resilierunt, et ad nova confugerunt, utpote cum hoc dogma secundum naturam esset, illud vero præter naturam. At qui credebant, inquies, erant famuli, mulieres, nutrices, obstetrices et eunuchi. At non ex his solum nobis constituta est Ecclesia, quod utique est omnibus manifestum: si autem ab his, hoc maxime prædicationem admirabilem reddit, quod talia dogmata, quæ Plato et sui temporis alii excogitare non potuerunt, statim potuerint piscatores, omnium indoctissimum genus, ad recipiendum inducere. Neque enim, si prudentibus solum persuasissent, adeo admiranda res fuisset: cum vero famulos, nutrices et eunuchos ad tantam deduxerint philosophiam, ut illos angelis pares fecerint, magnam præbuere divinæ inspirationis demonstrationem. Nam si vilia quædam præcepissent, esset forte rationi consentaneum eorum persuasionem ad demonstrandam dictorum vilitatem proferre: si autem magna et sublimia humanamque naturam fere superantia, quæ sublimi mente opus habent, philosophabantur; quo magis stultos ostendes eos qui persuasi sunt, eo magis sapientes et divina gratia repletos ostendes eos qui persuaserunt. Sed magnitudine promissorum, inquies, persuaserunt. An hoc ipsum non miraris, quomodo persuaserint illis, ut post mortem præmia et mercedes exspectarent? Ego vero hac ipsa de re obstupesco. At hoc, inquies, ex stultitia? Quanam, quæso te, stultitia, quod anima immortalis sit, et judicium incorruptum post hanc vitam nos excepturum est, et rationes verborum, rerum et cogitationum dabimus Deo qui novit arcana, et malos quidem punitos, bonos autem coronatos videbimus? Hæc enim non stultitiæ, sed maximæ philosophiæ sunt.

9. Hoc igitur, dic mihi, præsentia spernere, magnam rem esse virtutem putare, non hic præmia quærere, sed ulterius spe progredi, animamque sic constantem et in fide firmam tenere, ita ut a nullo malorum præsentium ad futuram spem impediatur: hæc, inquam, quantæ fuerint philosophiæ? Sed vis ipsorum promissorum et prædictionum vim ediscere, et veritatem eorum quæ præcesserunt, et quæ post futura sunt? Vide mihi catenam auream varie ab initio connexam. Dixit illis quædam de seipso et de Ecclesiis deque futuris rebus; et hæc dicendo miracula edebat.

Christi doctrina et miraculis ex ex prædictionum eventu asseritur. — Ex eventu ergo eorum, quæ prædicta sunt, perspicua sunt et miracula et futura promissa. Ut autem clarius sit id, quod dictum est, ex ipsis rebus illud comprobabo. Suscitavit Lazarum solo verbo, et vivum ostendit: dixit rursus, *Portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam* (*Matth.* 16. 18); et, *Qui reliquit patrem et matrem, centuplum accipiet in hoc sæculo, et vitam æternam possidebit*

(*Matth.* 19. 29). Ergo miraculum quidem est unum, nempe Lazari ; prædictiones vero duæ, quarum altera hic ostensa est, altera in futuro erit. Considera ut omnia inter se comparata probantur. Si quis enim non crederet suscitatum fuisse Lazarum, ex prædictione quæ de Ecclesia dicta est, credat miraculo : nam quod tot ante annos prædictum fuerat, tunc evenit et finem accepit. Portæ enim inferi adversus Ecclesiam non prævaluerunt. Qui ergo in prædictione veritatem dixit, perspicuum est quod etiam miraculum fecerit : qui vero miraculum edidit, et qui ea quæ dixerat ad finem deduxit, palam est quod etiam in prædictione futurorum vera dicat, nempe, *Centuplum recipiet, et vitam æternam possidebit is*, qui præsentia despicit. Quæ enim jam facta et dicta sunt, in pignora maxima dedit eorum quæ eventura sunt. Hæc itaque omnia et his similia ex Evangeliis colligentes ipsis dicamus, illisque ora obstruamus. Si quis vero dixerit : Quomodo ergo tandem non exstinctus fuit error? hoc dixerimus : Vos in causa estis, qui adversus salutem vestram seditiones agitatis : nam Deus res ita dispensavit, ut ne reliquiæ quidem impietatis maneant. Ea ergo, quæ dicta sunt, paucis repetamus. Quænam est harum rerum natura? num ut imbecilli superentur a potentibus, an secus? qui facilia dicunt, an qui difficiliora? qui cum periculis attrahunt, an qui secure? qui innovant, an qui consuetudinem firmant? qui in asperam viam ducunt, an qui in facilem? ii qui a patriis institutis abducunt, an ii qui non peregrinas leges statuunt? ii qui postquam hinc abscesserimus omnia bona pollicentur, an ii qui in præsenti vita adulantur? multi a paucis, an pauci a multis? At vos etiam, inquies, hic promisistis. Quid hic promisimus? Peccatorum remissionem et lavacrum regenerationis. Vere quidem baptisma plus habet boni in futuris. Et Paulus clamat dicens : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem vita vestra manifestata fuerit, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria* (*Col.* 3. 3. 4). Si autem hic quoque habet bona, ut certe habet, et hoc quoque magnum est miraculum, quod potuerint persuadere iis, qui mala fecerant innumera, et quod nemo alius fecerat, fore ut omnia abluerentur, et nullius scelerum suorum rationem essent reddituri. Itaque ea de causa maxime admirari oportebat, quod barbaris hominibus persuaserint, ut talem fidem susciperent, et bonam de futuris spem haberent, ac deposita priorum peccatorum sarcina, cum magna animi alacritate deinde pro virtute labores susciperent, et ad sensilia nulla inhiarent, omnibusque corporeis rebus superiores effecti, spiritualia acciperent dona : ac Persa, Sarmata, Maurus et Indus, scirent animæ expiationem, Dei potentiam, et benignitatem ineffabilem, fidei philosophiam, Spiritus sancti adventum, corporum resurrectionem, et vitæ immortalis dogmata. Hæc quippe omnia et his plura barbarorum genera piscatores in baptismo mysteriis initiantes, philosophari suaserunt. Hæc itaque omnia accurate servantes, illa eis dicamus, et a vita quoque nostra demonstrationem rursum ipsis exhibeamus, quo utrinque et nos salutem consequamur et illos ad Dei gloriam attrahamus : quia ipsi est gloria in sæcula. Amen.

HOMILIA VIII.

Cap. 3. v. 1. *Et ego, fratres, non potui vobis loqui ut spiritualibus, sed ut carnalibus, tamquam parvulis in Christo.* 2. *Lac vobis potum dedi, et non escam : nondum enim poteratis. Sed ne nunc quidem potestis : adhuc enim carnales estis.*

1. Cum externam sapientiam confutasset, et fastum ejus omnem dejecisset, ad aliud argumentum venit. Nam verisimile est illos dicturos fuisse : Si Platonis, aut Pythagoræ, aut cujusdam alterius philosophi dicta annuntiaremus, jure ita longam in nos instituisses orationem : si autem ea quæ sunt Spiritus annuntiamus, cur externam sapientiam sus deque versas? Quomodo autem hoc repellat audi : *Et ego, fratres, non potui vobis loqui ut spiritualibus.* Sane quidem etiamsi perfecti essetis, inquit, et in spiritualibus, neque sic oporteret efferri ; neque enim vestra annuntiatis, neque ea quæ ipsi ex vobis invenistis : nunc autem neque illa scitis ut scire oportet, sed discipuli estis et omnium postremi. Itaque si de externa quidem sapientia altum sapitis, jam probatum est illam nihil esse, sed et in spiritualibus nobis esse contrariam : si autem de spiritualibus, in his quoque quod minus est habetis, et inter ultimos estis. Ideo ait, *Non potui vobis loqui ut spiritualibus.* Non dixit, Non loquutus sum, ne videretur ex invidia rem esse ; sed dupliciter illorum sensum evertit : uno quidem modo ostendens, quod perfecta nesciant ; altero autem, quod ipsi in causa sint quod nesciant ; tertio etiam, quod ostendat illos ne nunc quidem posse. Nam quod initio non potuerint, ex natura fortasse rei erat : quamquam ne hanc quidem illis reliquit defensionem. Non enim dicit illos ideo sublimia non suscepisse, quod non possent suscipere, sed quia carnales erant. Verum in principio quidem sic non fuisset reprehensione dignum ; sed cum tantum effluxisset tempus, nondum ad perfectiora pervenisse, id extremæ erat ignaviæ. Hac quoque de re Hebræos accusat, sed non cum tanta vehementia. Nam illos quidem dicit ob tribulationes tales esse, hos autem ob nequitiæ desiderium : hoc autem et illud non inter se paria sunt. Et ostendit se illos quidem increpare, hos autem magis excitantem, hæc cum veritate dixisse. His quippe dicit, *Sed neque nunc potestis :* illis autem : *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur* (*Hebr.* 6. 1. *et* 9) ; et rursum : *Confidimus de vobis meliora et saluti hærentia, etsi ita loquimur.* Et quomodo eos, qui tantum Spiritum acceperant, carnales appellat, quos initio tantis est laudibus prosequutus? Quia illi quoque carnales erant, quibus dicit Dominus : *Dis-*

cedite a me, non novi vos, qui operamini iniquitatem (*Matth.* 7. 23) : quamquam dæmonas ejecerunt, et mortuos suscitarunt, atque prophetias extulerunt.

Qui signa facit, potest esse carnalis. — Itaque potest etiam is qui signa facit, esse carnalis. Nam et in Balaam Deus est operatus, et Pharaoni futura revelavit, necnon Nabuchodonosori; et Caiphas prophetavit, nesciens quid diceret : quidam etiam dæmonia ejecerunt ejus nomine, etsi cum ipso non erant : nam non propter operantes hæc fiunt, sed propter alios. Sæpe etiam per indignos. Et quid miraris, si in viris indignis propter alios hæc fiant, cum etiam per sanctos? Paulus enim dicit, *Omnia vestra sunt, sive Paulus sive Apollo sive Cephas, sive vita, sive mors* (1. *Cor.* 3. 22); et rursum : *Ipse dedit alios quidem apostolos, alios autem prophetas, alios pastores et doctores ad perfectionem sanctorum in opus ministerii* (*Ephes.* 4. 12). Nam nisi hoc esset, nihil obstitisset quominus omnes perirent. Contingit enim principes esse malos et sceleratos, subditosque bonos et moderatos; et laicos in pietate vitam agere, sacerdotes autem in nequitia : neque futurum erat ut baptismus esset, neque corpus Christi, nec oblatio per illos, si ubique dignos gratia requireret. Nunc autem etiam per indignos Deus solet operari, et nihil læditur gratia baptismi per vitam sacerdotis : nam hinc is qui accipit, minus habiturus foret. Itaque etsi hæc raro fiunt, fiunt tamen. Hæc autem dico, ut ne quis ex præsentibus de vita sacerdotis curiose inquirens, scandalizetur circa ea quæ in mysteriis peraguntur. Nihil enim homo in ea quæ proponuntur inducit, sed totum est Dei virtutis opus, et ille est qui vos in mysteriis initiat. *Et ego, fratres, non potui vobis loqui ut spiritualibus, sed ut carnalibus. Lac vobis potum dedi, non escam : nondum enim poteratis.* Ne videretur enim ambitionis causa hæc dixisse, nempe, *Spiritualis dijudicat omnia, et a nemine judicatur;* et, *Mentem Christi habemus* (1. *Cor.* 2 15. 16); illorum fastum reprimens vide quid dicat. Non ideo, inquit, tacui, quasi nihil ultra dicere possem, sed quia carnales estis. *Sed neque nunc potestis.*

2. Cur non dixit, Non vultis, sed, *Non potestis?* Quia hoc pro illo posuit. Nam quod non possent, inde erat quod nollent; quod illis quidem reprehensionem, magistro autem veniam affert. Etenim si ex natura non potuissent, fortasse quis ignovisset; sed quia ex proposito voluntatis, defensione carent. Deinde modum ostendit, quo carnales sunt : 3. *Cum enim sit inter vos contentio, zelus et dissensio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* Atqui cum possit dicere illorum fornicationem et libidinem, illud potius peccatum ponit, quod interim corrigere studuit. Quod si zelus carnales faciat, restat ut jam omnes admodum ejulent, saccum induant et cinerem substernant. Quis enim hujus vitii expers est? nisi ex me de aliis facio conjecturam. Si zelus carnales facit nec sinit esse spirituales, etiamsi prophetent et alia miracula edant; cum non tanta aderit gratia, ubinam nostra collocabimus, quando non in hoc solum, sed et in aliis majoribus capti fuerimus? Hinc discimus jure dixisse Christum : Qui facit mala, non venit ad lucem (*Joan.* 3. 20); et quod vita impura impedimento sit sublimibus dogmatibus, non sinens animæ perspicacitatem apparere. Quemadmodum fieri non potest ut is qui in errore est et recte vivit, maneat in errore : ita non facile potest is, qui in nequitia vivit, cito respicere ad sublimia nostra dogmata, sed ab omnibus vitiis purum esse oportet eum, qui veritatem est venaturus. Nam qui ab iis liberatus est, etiam ab errore liberabitur et veritatem assequetur. Ne enim existimes ad hoc satis esse si non sis avarus, vel si non forniceris; sed oportet [1] omnia concurrere in eo qui quærit veritatem. Ideo ait Petrus : *In veritate comprehendo, quod non sit personarum acceptor Deus; sed in omni gente qui timet ipsum et operatur justitiam, acceptus est illi* (*Act.* 10. 34. 35); id est, vocat et attrahit ipsum ad veritatem. Non vides Paulum, qui vehementissimus omnium erat in bellando et persequendo? attamen quia inculpatam vitam ducebat, et non ex vitio humano hæc faciebat, et acceptus fuit et omnes longe superavit. Si quis vero dicat, Quomodo ille quispiam Græcus, qui bonus est, benignus et humanus, in errore manet? illud responderim, aliud eum habere vitium, vanam gloriam aut animi ignaviam, aut de salute sua non curare, sed putare res suas casu et temere ferri. Paulus autem eum, qui operatur justitiam, in omnibus inculpatum dicit, *Secundum justitiam quæ est ex lege* (*Philipp.* 3. 6); et, *Gratias ago Deo, cui servio a majoribus in pura conscientia* (2. *Tim.* 1. 3). Quomodo igitur, inquies, impuri prædicatione dignati sunt? Quia voluerunt et desiderarunt. Nam errantes etiam trahit, si mundi sint a passionibus; eos autem, qui sua sponte accedunt, non repellit : multi vero etiam a majoribus piam religionem acceperunt. *Cum enim in vobis sit zelus et contentio.* Demum subditos impugnaturus accedit. In superioribus enim principes dejecit dicens, externam dicendi sapientiam nullius esse pretii : hic autem subditos redarguit dicens : 4. *Cum enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, nonne carnales estis?* et ostendit hoc non modo nihil illis profuisse, neque effecisse ut aliquid acciperent, sed majorum rerum utilitatem impedivisse. Hoc enim zelum peperit : zelus autem carnales illos effecit : quod autem carnales effecti sint, id non sivit sublimiora audire. 5. *Quis igitur est Paulus, quis Apollo?* Nam post rerum probationem et demonstrationem apertius deinde reprehensione usus est; et suum affert nomen, omnem tollens asperitatem, non permittens ut de dictis irascerentur. Si enim Paulus nihil est et non indignatur, multo minus illos ægre ferre oportebat. Duplici ergo ratione illos consolatur, et quod seipsum posuerit, et quod non sinat eos omnibus privari, utpote qui nihil contulerint; sed aliquid dat illis modicum

[1] In Cod. 1. legitur... *Forniceris : non enim a talibus abstinere sufficit ad intelligentiam consequendam; sed oportet.*

certe, dat tamen. Cum dixisset enim : *Quis est Paulus, quis Apollo?* subjunxit, *Nisi ministri per quos credidistis?* Hoc vero per se magnum est et multa mercede dignum; si aspiciatur autem ad archetypum et radicem bonorum, nihil est. Non enim qui bonis ministrat, sed qui ea præbet et donat, hic est qui beneficio afficit. Nec dixit, Evangelistæ, sed, *Ministri*, quod majus est. Neque enim solum evangelizarunt, sed etiam nobis ministravere : illud enim in verbo tantum situm est, hoc in opere. Quamobrem etsi Christus minister solum est bonorum, et non ipse radix et fons tamquam Filius, vide quonam hæc res deducatur.

3. Quomodo igitur, inquies, dicit eum ministrum fuisse circumcisionis? De dispensatione secundum carnem ibi loquitur, et non eo modo quo nunc diximus : nam illic ministrum dicit illum qui adimplevit, non eum qui ex se bona præbuit. Nec dixit, Qui vos adducunt ad fidem, sed, *Per quos credidistis;* rursus illis plus tribuens, et hinc ministros declarans. Si ergo alteri ministrabant, quomodo hi arripiunt auctoritatem? Tu vero mihi consideres, quomodo nusquam eos accuset, quasi rapiant, sed ut qui præbeant : lapsus enim causa in plebe erat : nam si illi abstitissent, hi destitissent. Duo igitur sapienter confirmavit, unde oportebat peccatum tollere ibi suffodiens, adversus illos odio non concitatus, neque illos reddens contentiosiores. *Et unicuique sicut Christus dedit.* Neque enim hoc ipsum modicum a seipsis habebant, sed a Deo qui tradiderat. Ne enim dicerent : Quid ergo? iis qui nobis ministrant, non amanter hærebimus? Etiam, inquit, sed scire oportet quousque : neque enim hoc ipsum a se habent, sed a Deo qui dedit. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit; Deus autem incrementum dedit.* Id est, primus verbum inserui : ne vero semina tentationibus exsiccarentur, sua addidit Apollo; totum autem Dei fuit. 7. *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui dat incrementum Deus.* Viden' quomodo illos consoletur, ut ne asperiores fiant ex eo quod audierint, Quis est iste, quis est ille? Sunt enim utraque onerosa, et quod dixisset, Quis est iste, quis est ille? et quod dixisset, Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid. Quomodo ergo circa hæc consolationem attulit? Quod in propriam personam despectum adducat cum dicit : *Quis enim est Paulus, quis Apollo?* et quod danti Deo totum referat. Cum enim dixisset, Hic plantavit, et addidisset nihil esse eum qui plantat, addidit, sed, *Qui incrementum dat Deus.* Neque hic constitit, sed alio rursus additamento ei medetur dicens : 8. *Qui autem plantat et qui rigat unum sunt.* Per hoc enim aliud quoque molitur, ut ne alter in alterum efferantur. Unum autem illos esse dicit, eo quod nihil possint sine Deo incrementum dante. Hoc cum dixisset, ne eos quidem qui multum laboraverant permisit efferri in eos qui minora intulissent, neque alios iis invidere. Deinde, quia hoc segniores illos reddebat, quod omnes unum esse putarentur, tam ii qui multum, quam ii qui minus laboraverant, vide quomodo hoc correxerit dicens : *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Ac si diceret : Ne timeas quod dixerim unum esse; nam si Dei operi conferantur, unum sunt; secundum labores autem non sunt unum, sed unusquisque propriam mercedem accipiet. Deinde hoc etiam magis mitigat, cum id effecisset quod volebat : in quibus potest gratificatur cum liberalitate. 9. *Dei enim adjutores sumus : Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Viden' quomodo ipsis opus dederit non parvum, cum prius probasset totum ex Deo esse? Quia enim semper monet parendum esse præpositis, ideo doctores non admodum deprimit. *Dei agricultura estis.* Quia enim dixit, *Plantavi*, perstat in metaphora. Si autem Dei agricultura, non ut ab iis qui vos colunt, sed ut a Deo vocemini æquum est. Non enim ager vocatur agricolæ, sed patrisfamilias. *Dei ædificatio estis.* Rursus ædificatio, non artificis, sed domini est. Si autem ædificatio estis, non oportet esse divisos : alias hoc ædificatio non fuerit. Si agricultura estis, non oportet dividi, sed una concordiæ sepe muniri. 10. *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui.* Hic se sapientem vocavit, non se extollens, sed se typum dans illis, et ostendens sapientis esse unum ponere fundamentum. Vide namque quam moderate se gerat. Cum enim se sapientem dixisset, non sivit hoc esse suum, sed cum se prius totum Deo attribuisset, tunc se ita vocavit : nam *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi*, inquit. Simul enim ostendit totum esse Dei et quod hoc maxime gratia sit, non dividi, sed in uno jacere fundamento. *Alius superædificat : videat autem unusquisque quomodo superædificet.* Hic mihi videtur illos inducere, ut certamen incant de vita instituenda, quia illos semel conjunxit et unum fecit. 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Jesus Christus.* Non potest autem quamdiu fuerit architectus : si autem positum fuerit, jam non est architectus.

4. Vide quomodo a communibus notionibus propositum totum probet. Quod autem dicit, hujusmodi est : Annuntiavi Christum, tradidi vobis fundamentum : videte quomodo superædificetis, an ad inanem gloriam, an ad homines discipulos abstrahentes. Ne attendamus ergo hæresibus : fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est. Super ipsum ergo ædificemus, et ut fundamento hæreamus, ut palmes viti, et nihil sit intermedium inter nos et Christum : nam si aliquid intermedium sit, statim perimus. Palmes enim ex eo quod hæreat, trahit succum; et ædificium, quod sit compactum, stat : quod si disjunctum sit, perit, cum non habeat quo innitatur. Ne itaque solum hæreamus Christo, sed etiam ipsi conglutinemur, nam si disjuncti simus, perimus. *Etenim qui elongant se a te, peribunt* (*Psal.* 72. 27), inquit. Conglutinemur ergo ipsi, et conglutinemur per opera : Qui enim servat mandata mea, in me, inquit, manet (*Joan.* 14. 21). Etenim per multa exempla nos jungit. Animadverte autem : ipse est

caput, nos autem corpus : an potest intermedium esse spatium inane inter caput et corpus? Ipse fundamentum, nos ædificium ; ipse vinea, nos palmites ; ipse sponsus, nos sponsa ; ipse pastor, nos oves ; ille via, nos qui incedimus in ea : nos rursus templum, ipse inhabitat ; ipse primogenitus, nos fratres ; ipse heres, nos coheredes ; ipse vita, nos viventes ; ipse resurrectio, nos resurgentes ; ipse lux, nos illuminamur. Hæc omnia conjunctionem indicant, et nullum vacuum intermedium esse sinunt, ne vel minimum quidem. Nam qui parum abscedit, progressus etiam, multum abscedet. Etenim corpus si parvam per gladium separationem admittat, perit ; et ædificium, si vel parum dehiscat, dissolvitur ; et si palmes a radice vel minimum abscindatur, fit inutilis. Itaque parvum istud non est parvum, sed etiam fere totum est. Cum ergo parvum quodpiam peccatum admittimus vel socordes sumus, ne illud parvum negligamus : nam illud neglectum cito magnum efficitur. Sic et vestimentum si dirumpi incipiat et negligatur, per totum scissuram admittit : et tectum, paucis delapsis tegulis neglectum, totam domum dejicit. Hæc ergo nobiscum reputantes, parva numquam despiciamus, ne in magna incidamus : sin autem negligamus, et in profundum malorum venerimus, ne illic quidem animum despondeamus, ut ne in capitis gravedinem incidamus. Difficile enim deinceps erit inde ascendere, nisi quis admodum vigilet ; non solum propter longitudinem, sed etiam propter ipsum situm. Profunda enim res est peccatum, et deorsum ferens premit. Ac sicut ii qui in puteum inciderunt, non facile ascenderint, sed aliis opus habebunt, qui se educant : sic etiam qui in profundum venerit peccatorum. Demittamus ergo funes ad illos et sursum trahamus : imo vero non aliis tantum opus est, sed nobis ipsis : ut et nos ipsos alligemus et ascendamus, non quantum descendimus, sed multo magis, si velimus. Deus enim fert opem : *Non vult* enim *mortem peccatoris, sed ut convertatur* (*Ezech.* 23. 3). Nemo igitur desperet, nemo impiorum morbo laboret : illorum quippe est peccatum hujusmodi. *Impius* enim *cum in profundum malorum venerit, contemnit* (*Prov.* 18. 3).

Numquam de salute desperandum. — Itaque non peccatorum multitudo desperationem inducit, sed impii mens. Etiamsi ergo nequitiam omnem pervaseris, dic apud te : Benignus est Deus, et salutem desiderat nostram. *Etiamsi enim fuerint peccata vestra sicut coccinum, ut nivem*, inquit, *dealbabo* (*Isai.* 1. 18); et in contrarium habitum transferam. Ne ergo animum despondeamus : non enim ita grave est cecidisse, ut lapsum jacere ; sic neque ita grave est esse vulneratum, ut a vulneribus nolle curari. *Quis* enim *gloriabitur castum se habere cor? aut quis dicere ausus fuerit se mundum esse a peccatis* (*Prov.* 20. 9)? Hæc dico non ut vos socordiores reddam, sed ut impediam quominus in desperationem incidatis.

5. Vis discere quam bonus sit Dominus noster? Ascendit publicanus, mille malis onustus, et cum dixisset tantum, *Propitius esto mihi* (*Luc.* 18. 13), descendit justificatus. Per prophetam quoque dicit Deus : *Propter peccatum parum illum contristavi, et vidi quod dolore esset affectus et iret tristis, et sanavi vias ejus* (*Isai.* 57. 17. 18). Quid huic humanitati par est? Ut solum esset tristis, inquit, remisi peccata. Nos autem ne hoc quidem facimus : ideo maxime Deum ad iram provocamus. Qui enim per parva gesta propitius factus est, quando ea non fuerit assequutus, jure indignatur, et extremum de nobis sumit supplicium : est enim hoc summi contemptus. Quis enim umquam mœrore affectus fuit propter peccatum? quis ingemuit? quis pectus percussit? quis sollicitus fuit? Ego puto neminem. Sed innumeris diebus lugent homines pro famulis mortuis, pro pecuniæ jactura : cum autem animam quotidie perdamus, id ne cogitamus quidem. Quomodo ergo poteris Deum tibi propitium reddere, cum ne quidem scias te peccavisse? Etiam, inquies, peccavi. Etiam lingua quidem profers : dic mihi et mente, et cum dixeris, ingemisce, ut sis semper bono animo. Etenim si doleremus propter peccata, si pro delictis ingemisceremus, nihil aliud nos dolore afficeret, hoc dolore omnem animi ægritudinem expellente. Quamobrem aliud quoque lucraremur cum confessione, nempe quod non immergeremur in hujus vitæ calamitates, neque in rebus prosperis ac præclaris inflaremur : et hac ratione rursum magis Deum placaremus ; ut jam per gesta nostra ad iram provocamus. Dic enim mihi, si quem habeas famulum, qui multa passus a conservis, de aliis quidem nullam habeat rationem, sed unam rem curet ut ne herum suum ad iram concitet : annon hinc solum poterit iram tuam sedare? Quid autem, si eorum quæ in te deliquit nullam curam habeat, curet autem ea quæ in conservos deliquit, nonne majus inferes supplicium? Ita etiam facit Deus : cum ejus iram non curamus, illam infert vehementiorem ; cum autem eam curamus, mitiorem ; imo ne deinceps quidem illam infert : vult enim, ut nos ipsi peccatorum pœnas a nobis exigamus ; ille vero non ultra a nobis exigit. Ideo namque comminatur supplicium, ut metu contemptum auferat. Cum autem ex sola comminatione deterremur, non sinit ut ejus periculum faciamus. Vide namque quid Jeremiæ dicat : *Non vides quid illi faciunt? Patres eorum ignem accendunt : filii eorum colligunt ligna : mulieres eorum terunt adipem* (*Jer.* 7. 17. 18). Timendum est, ne de nobis quidpiam simile dicatur : Non vides quid illi faciunt? Nemo quæ Christi sunt quærit, sed omnes quæ sua sunt (*Philipp.* 2. 21). Filii eorum ad libidinem currunt : patres eorum ad avaritiam et rapinam : uxores eorum ad sæcularem fastum : quæ viros suos non modo non sedant, sed etiam provocant. Sta igitur in foro, interroga euntes et redeuntes, et neminem videbis pro re spirituali festinantem, sed omnes pro carnalibus currentes. Quousque non resipiscimus? quousque in profundum somnum dejicimur? annon malorum nos cepit satietas? Atqui etiam absque verbis ipsa rerum experientia satis est ad docendos nos,

nihil esse res præsentes et prava esse omnia. Homines certe qui externam sapientiam exercebant, et nihil futurorum noverant, cum deprehendissent magnam præsentium rerum vilitatem, ideo tantum abscesserunt. Quam ergo tu consequeris veniam, qui humi repis, nec despicis parva hæc quæ transeunt, nec deseris pro iis quæ magna sunt atque æterna, qui ipsum Deum audis hoc tibi monstrantem, et ab ipso tales habes promissiones? Quod enim hæc non satis sint ad detinendum hominem, ostenderunt ii qui absque majorum rerum promissione ab eis abstinuerunt. Quas enim divitias exspectantes, ad paupertatem venerunt? Nullas; sed quod bene scirent talem paupertatem esse divitiis meliorem. Quam sperantes vitam delicias reliquerunt, et asperæ vitæ se dediderunt? Nullas; sed ipsam rerum naturam edocti, et scientes hoc aptius esse et ad animæ philosophiam, et ad corporis valetudinem. Hæc igitur nos animo reputantes, et futura bona assidue in nobis versantes, a rebus præsentibus abscedamus, ut illa futura consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

Cap. 3. v. 12. *Si quis superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam,* 13. *uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* 14. *Si cujus opus manserit quod superædificaverit, mercedem accipiet.* 15. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

1. Non est parva hæc quæ nobis proponitur quæstio, sed de rebus maxime necessariis, et quas omnes quærunt homines, an gehennæ ignis finem habeat. Nam quod non habeat, Christus pronuntiavit dicens: *Ignis eorum non exstinguetur, et vermis eorum non morietur* (*Marc.* 9. 45). Et scio quidem vos hæc audientes torpescere: sed quid faciam? Deus enim jubet hæc frequenter insonare, dicens, *Præcipe huic populo;* et nos ad ministerium verbi constituti sumus: ac necesse est ut sim molestus auditoribus, non lubens, sed coactus. Imo si vultis, non erimus onerosi: Nam si bonum, inquit, facias, ne time (*Rom.* 13. 3). Itaque licet vobis non solum non ægre, sed etiam cum voluptate nos audire. Quod igitur finem non habeat, Christus ipse pronuntiavit: Paulus autem dicit, ostendens immortale esse supplicium, peccatores daturos esse pœnas exitiosas et æternas (2. *Thess.* 1. 9); et rursum, *Nolite errare: neque fornicatores, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt* (1. Cor. 6. 9. 10). Hebræis quoque dicebat: *Pacem persequimini cum omnibus et sanctificationem, sine qua nemo videbit Dominum* (*Hebr.* 12. 14). Et Christus iis qui dicebant, *In nomine tuo virtutes multas fecimus*, ait: *Discedite a me, qui operamini iniquitatem; non novi vos* (*Matth.* 7. 22. 23). Et virgines exclusæ sunt, neque intraverunt: et de iis, qui ipsum non nutrierunt, ait: *Ibunt in supplicium æternum* (*Matth.* 25. 40).

Peccatorum supplicium finem non habet. — Nec mihi dicas: Ubinam æqui ratio servatur, si supplicium non habet finem? Quando enim Deus aliquid facit, ejus sententiæ obsequere, et ne ea, quæ dicuntur, humanis ratiociniis subjice. Alioquin autem quomodo non justum fuerit, cum qui ab initio innumera accepit beneficia, deindeque supplicio digna patravit, ac neque minis neque beneficiis melior effectus est, supplicio plecti? Nam si id, quod justum est, quæris, ab initio nos periisse oportuit, secundum æqui et justi rationem; imo neque tunc secundum æqui et justi rationem tantum: nam benignitatis fuisset, si hoc passi essemus. Quando enim quis eum, qui se nihil læsit, contumelia afficit, secundum justi rationem dat pœnas; quando autem beneficum, qui nihil antea accepit beneficii, sed ipse beneficia mille intulit, qui sola causa est quod ille exsistat, qui Deus est et animam inspiravit innumeraque bona intulit, atque in cælum inducere voluit: si hunc post tot beneficia, non modo contumelia afficiat, sed et contumelias quotidie per opera repetat, quanam dignus fuerit venia? Non vides quomodo Adamum punierit propter unum peccatum? Etiam, inquies, paradisum ipsi dedit et effecit ut magna frueretur benevolentia. Atqui non par res est, eum qui in securitate vivit peccare, et eum qui in multis ærumnis vivit, id facere. Et hoc ipsum grave est, quod non in paradiso pecces, sed in malis hujus vitæ innumeris, neque ex miseria cautior evadas: ac si quis vinctus nequitia uteretur. Tibi vero etiam paradiso majora promisit, neque tibi jam dedit, ne te in tempore certaminum molliorem redderet: neque tacuit, ne te nimis dejiceret in laboribus. Et ille quidem uno peccato totam ad se mortem attraxit; nos autem quotidie innumera peccata admittimus. Si autem ille cum unum admisisset, tantum sibi malum attraxit, et mortem invexit; qui semper in peccatis vivimus, quid non patiemur, qui pro paradiso cælum speramus? Molesta sunt hæc, et mœstitia afficiunt auditorem: hoc bene novi ex iis, quæ ipse patior; cor enim meum turbatur et palpitat: et quo magis video probari id, quod de gehenna dicitur, eo magis tremo et ex metu refugio. Sed necesse est hæc dicere, ne in gehennam incidamus. Non accepisti tu paradisum neque ligna neque plantas, sed cælum et cælestia bona. Quod si is qui minora accepit, damnatus est, neque ulla eum eruit ratio: multo magis nos, qui plura peccavimus et ad majora vocati sumus, intolerabilia patiemur. Cogita ergo quanto tempore in morte manet propter unum peccatum genus no-

strum. Quinque mille anni et plures præterierunt, et mors nondum soluta fuit, propter unum peccatum inducta. Nec possumus dicere Adamum aliquem audisse prophetam, vel ipsum alios propter peccata punitos vidisse, et par fuisse ut inde timeret, atque exemplo cautior fieret : primus enim erat et solus, tamenque puniebatur. Tu vero nihil horum obtendere potes, qui post tot exempla deterior factus es, qui tanto dignatus es Spiritu, ac non unum vel duo vel tria, sed innumera peccata accumulasti. Ne enim consideres, quod brevi temporis momento peccatum admittatur ; neque ideo putes supplicium momentaneum futurum esse. Annon vides homines qui sæpe pro uno furto, adulterio uno, in carcere et metallis totam vitam insumpsere, cum fame perpetua et mille mortibus concertantes? ac nemo ipsos eripuit, neque dixit, brevi temporis momento peccatum peractum fuisse, et oportere et peccatum et supplicium paris esse temporis.

2. At, inquies, homines sunt, qui hæc admittunt ; Deus autem benignus erga homines est. Primum quippe ne homines quidem hæc faciunt ex crudelitate, sed ex benignitate ; et Deus etiam, ut est hominum amans, ita etiam peccata ulciscitur : nam secundum misericordiam ipsius multa est ejus redargutio et ultio. Cum dicis ergo Deum esse hominum amantem, majorem mihi dicis supplicii occasionem, quod in eum qui talis sit peccemus. Ideo dicebat Paulus : *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (*Hebr.* 10. 31). Ferte, quæso, igneam vim verborum ; hinc fortasse vobis quædam consolatio orietur. Quis homo potest ita punire, ut punivit Deus, qui diluvium immisit, et tanto generi exitium intulit ; et paulo post rursum ignis pluviam immisit, et omnes funditus delevit? quæ hominum ultio potest esse tanta? Non vides hoc supplicium immortale fere esse? Quater mille anni effluxere, et Sodomitarum ultio adhuc viget et manet. Quemadmodum enim benignitas ejus magna est : ita et supplicium. Nam si onerosa et impossibilia jussisset, posset fortasse quis legum difficultatem obtendere : quod si admodum facilia, quid possimus dicere etsi nullam horum rationem habemus? Jejunare non potes, neque virginitatem servare? Atqui potes, si velis ; et nos accusant ii qui possunt. Attamen Deus tanta erga nos severitate usus non est, neque hæc jussit, neque hasce leges posuit, sed hæc auditorum voluntati et arbitrio reliquit : castus in connubio esse potes, ac penes te est non inebriari. Pecunias omnes profundere non potes? Quamquam potes, et ostendunt ii qui hoc faciunt. Attamen ille non hoc præcepit, sed jussit non rapere, et ex facultatibus egenis erogare. Si quis autem dixerit se non uxore contentum esse posse, seipsum decipit et fallit, ut arguunt ii qui sine uxore continentes sunt. Quid vero, dic quæso, non potes non conviciis et maledictis impetere? Atqui hoc facere onerosum est, non autem non facere. Quam ergo habemus excusationem, qui tam levia et facilia non servemus? Nos aliquam habere dici nequit. Quod ergo immortalis sit ultio, ex dictis palam est : quia vero Pauli dictum videtur nonnullis adversari, age hoc ipsum in medium adductum excutiamus. Cum dixisset, *Si cujusdam opus manserit, quod superædificaverit, mercedem accipiet ; et si cujusdam opus arserit, detrimentum patietur* ; subjunxit : *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quid ergo ad hoc dicemus? Consideremus primo quid sit fundamentum, quod sit aurum, et qui lapides pretiosi, quod fœnum, quæ stipula. Fundamentum quidem ipse Paulus declaravit Christum esse, dicens : *Fundamentum enim aliud nemo ponere potest, præter ipsum, quod est positum,* inquit, *quod est Christus Jesus.* Ædificium autem mihi videntur esse actiones. Atqui dicunt quidam, hoc ipsum dictum esse de doctoribus et de discipulis ac de corruptis hæresibus. Sed hoc series non admittit. Nam si hoc est, quomodo opus quidem perit ; qui autem ædificat, salvus erit vel per ignem? auctorem enim magis perire oporteret : nunc autem majores pœnas dedisse invenietur is, qui ædificatus est. Nam si doctor auctor fuit mali, dignus est qui majores luat pœnas : quomodo ergo salvus erit? Si auctor non est, sed discipuli per suam perversitatem tales facti sunt, non dignus est is qui recte ædificavit, qui luat pœnas vel damnum subeat. Quomodo ergo dicit, *Detrimentum patietur?* Unde palam est, hic de actibus agi. Quia enim fornicatorem deinceps aggressurus est, longe antea principium ponit. Solet enim de alia re dicturus, in ipsa de alio disputatione aliud præmittere et probare, quo postea venturus est. Nam reprehendens, quod in prandiis alii alios non exspectarent, de mysteriis sermonem apparavit. Quia autem nunc ad fornicatorem festinat, de fundamento loquutus subjunxit : 16. *Nescitis quod templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Hæc autem dicebat, jam metu exagitans mentem ejus qui fornicatus fuerat. *Si quis superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam.* Post fidem enim ædificatione est opus : et ideo alibi dicit : *Ædificate vos invicem in his sermonibus* (1. *Thess.* 5. 11). Etenim artifex, et discipulus simul conferunt in ædificationem : ideoque dicit : *Unusquisque autem videat quomodo superædificet.*

3. Si hæc autem dicta sint de fide, non est ratione consentaneum quod dicitur. In fide namque oportet omnes esse pares, quoniam una est fides : in virtute autem vitæ non possunt omnes esse iidem. Fides enim non est alia minor, alia præstantior, sed eadem est omnium vere credentium. At in vita possunt alii quidem esse studiosiores, alii socordiores ; alii accuratiores, alii inferiores ; alii majora, alii minora recte agere ; et alii gravius, alii minus delinquere. Propterea dixit aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam. *Uniuscujusque opus manifestum erit.* Hic de actione loquitur. *Si cujus opus manserit, quod superædificaverit, mercedem accipiet ; si cujus opus arserit, detrimentum accipiet.* Atqui si de discipulis et doctoribus id diceretur, non oportuisset doctores de-

trimentum recipere, si non audissent discipuli. Ideo ait : *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum proprium laborem ;* non secundum finem, sed secundum laborem. Quid enim, si non attenderint auditores? Quapropter hinc liquidum est hic de operibus agi. Id autem vult significare : si quis cum recta fide malam vitam agat, huic non proderit fides ut non puniatur, ardente opere. Illud autem, *Arserit*, id est, non tulerit vim ignis. Sed ut si quis arma aurea habens fluvium igneum trajiciat, alacer transibit ; si autem fœnum habens transeat, non modo nihil proficit, sed etiam seipsum perdit : ita est et in operibus. Non enim hic loquitur quasi de personis vere adustis, sed potius ut metum incutiat, ostendat que eum qui in nequitia vivit nudum præsidio et securitate esse : quapropter ait, *Detrimentum patietur.* Ecce unum supplicium. *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ecce secundum. Hoc autem vult significare : non sic ille peribit ut opera, ad nihilum redactus ; sed manebit in igne. Salutem itaque hanc rem vocat, sed non simpliciter ; adjecit enim, *Quasi per ignem.* Nam nos quoque solemus dicere, In igne salvus est, de iis quæ non comburuntur nec statim in cinerem abeunt. Ne ergo quia ignem audisti, putes eos, qui comburuntur, in nihilum redigi. Si vero tale supplicium salutem vocet, ne mireris : solet enim etiam in iis quæ male sonant pulchris uti nominibus, et in bonis, contrariis. Verbi gratia, captivitatis nomen malæ rei nomen esse videtur ; sed in re bona illo usus est Paulus, dicens : *In captivitatem agentes omnem intelligentiam ad obedientiam Christi* (2. *Cor.* 10. 5). Et in re mala bene sonante nomine usus est, dicens, *Regnavit peccatum* (*Rom.* 5. 21) : quamquam nomen regni potius bene sonet. Sic et hoc loco cum dicit, *Salvus erit*, nihil aliud quam augmentum supplicii subindicavit ; ac si dixisset, Ipse autem manebit in æternum cruciatus. Deinde etiam infert dicens : *Nescitis quod templum Dei estis?* Quia enim de iis, qui scindunt Ecclesiam, superius loquutus est, deinceps illum perstringit, qui fornicatus erat, nondum quidem aperte, sed indefinite, ejus corruptam vitam subindicans, et peccatum amplificans a dono jam ipsi collato. Deinde alios quoque perstringit ab iis, quæ jam ipsi habuerant. Sive enim a futuris, sive ab iis quæ jam fuerant, et molestis et bonis, semper id facit : a futuris quidem, *Dies enim declarabit, quod in igne revelatur ;* ab iis autem quæ jam fuerant, *Nescitis quod templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis.* 17. *Si quis templum Deus violaverit, disperdet illum Deus.* Viden' orationis vehementiam? Sed quamdiu persona est ignota, non est adeo grave quod dicitur, cum omnes timorem correptionis participes subeant. *Disperdet illum Deus ;* id est, afferet exitium. Hoc autem non est male dicentis, sed prophetantis. *Templum enim Dei sanctum est.* Fornicator ergo est profanus. Deinde ne videretur ad illum respicere cum dixisset, *Templum enim Dei sanctum est*, subjunxit, *Quod estis vos.* 18. *Nemo seipsum seducat.* Hoc quoque ad illum spectat, ut qui se existimaret aliquid esse, et de sapientia gloriaretur. Ne videretur autem curiosius diutiusque illum impetere, cum in angorem et metum illum conjecisset, rursus ad communem accusationem orationem dedusit dicens : *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Hoc autem deinde facit cum magna loquendi libertate, utpote qui illos satis expugnarit[1]. Nam etiamsi quis sit dives, etiamsi nobilis, vilium omnium est vilissimus, quando captus fuerit a peccato. Quemadmodum enim si quis rex sit, et barbarorum postea captivus fiat, omnium est miserrimus ; ita etiam in peccato. Barbarus enim quidam est peccatum, quod animæ semel captæ parcere nesciat, sed in perniciem eorum qui capti sunt tyrannidem suam exerceat.

4. *Peccati descriptio. Avari imago.*—Nihil enim ita inconsideratum est ut peccatum, nihil ita insipiens, stultum ac violentum : omnia evertit et confundit, et perdit, quocumque insili erit : visu deforme, grave et molestum. Et si quis ipsum pictor effingeret, non aberraturum fuisse mihi videtur, si sic ipsum efformaret : mulierem nempe quamdam forma belluina, barbaram, ignem spirantem, injucundam, nigram, quales externi poetæ Scyllas depingunt. Innumeris enim manibus cogitationes nostras apprehendit, atque ex improviso ingreditur, omniaque discerpit et dilacerat, sicut canes clanculum mordentes. Imo quid opus nobis est pictura, cum liceat eos, qui illud perpetrant, in medium adducere? Quem itaque vultis primum describamus? avarum et raptorem? Ecquid est oculis illis impudentius? quid magis inverecundum, quid magis caninum? non enim canis ita impudens stat ut hic, quando omnium bona rapit. Quid manibus illius detestabilius? quid ore petulantius ejus, qui omnia devorat, et numquam satiatur? Ne ejus vultum et oculos intueris, quod sint hominis : non enim sic aspiciunt humani oculi. Non aspicit ille homines tamquam homines : non aspicit cælum tamquam cælum : ad Dominum non nutu suo tendit, sed omnia pecunias esse existimat. Humani oculi solent afflictos homines intueri et frangi ; rapacium oculi pauperes vident, et efferantur : humani oculi non ut sua intuentur aliena, sed propria sibi ut aliena vident : et ea quæ aliis data sunt non concupiscunt, sed etiam in alios quoque sua effundunt. Hi vero non contenti sunt, nisi omnium bona abripiant : non enim humanum, sed ferinum habent visum. Humani oculi nudum videre corpus suum non ferunt ; suum enim est, etiamsi aliorum quantum ad personam : hi vero, nisi omnia denudarint et omnia domi recondant, numquam satiantur, imo vero numquam implentur. Ideo eorum manus non ferarum manus tantum dixeris, sed longe ferociores et immaniores. Ursi namque et lupi cum satiati fuerint, a tali alimento recedunt : hi vero numquam satiantur. Atqui propterea Deus manus nobis dedit ut aliis opem feramus, non ut iis insidiemur. Nam si ipsis ad hoc usuri essemus, melius esset illas

[1] Savilius post *expugnarit*, ponit in margine, *et terrere commorerit non modo hujus fornicatoris mentem, sed etiam audientium, dicendorum vim præmensus.*

exscindi, et nos illis privari. Tu vero si ovem fera discerpat, doles; cum autem id in congenerem facis, non putas te aliquid immane facere? et quomodo fueris homo? Non vides nos humanam eam rem dicere, quæ misericordia plena sit et benignitate? quando autem aliquid sævum et crudele perficit homo, inhumanum illum vocamus. Itaque characterem hominis depingimus a commiseratione, feræ autem a contrario, semper dicentes, Num homo est, fera, aut canis? Homines enim paupertatem sublevant, non augent. Horum autem ora ferarum sunt ora; imo hæc sunt illis ferociora : verba enim proferunt, quæ magis quam ferarum dentes virus emittentes, cædem patrant. Et si quis omnia persequatur, tunc recte videbit, quomodo inhumanitas eos, qui sic affecti sunt, feras ex hominibus reddat. Quod si quis illorum mentem examinaverit, non ultra feras tantum, sed etiam dæmonas illos vocabit. Sunt enim multa immanitate pleni, et odio in conservos : ibi non amor regni est neque metus gehennæ, non hominum reverentia, non misericordia, non commiseratio, sed impudentia, petulantia, et futurorum omnium contemptus : et fabulæ ipsis videntur esse Dei verba de supplicio futuro, et ejus minæ risus. Talis enim est avari mens. Cum ergo intrinsecus dæmones sint, extrinsecus vero feræ, et feris deteriores : ubinam, quæso, illos collocabimus? Quod enim feris sint deteriores, hinc palam est, quod feræ natura sint tales; hi vero qui secundum naturam mansuetudinem habent, præter naturam in ferinos mores transire nituntur. Ac dæmones quidem homines insidiantes sibi opem ferentes habent; quippe si opem non ferrent, magna pars ipsis insidiarum contra nos structarum sublata esset : hi vero eos, qui ab se vexantur, etiam contendentes secum, superare nituntur. Rursus dæmon hominem bello impetit, non autem dæmonas sui generis : hic vero congeneres et necessarios omnimoda vexatione affligit, neque reveretur naturam. Scio multos esse, qui ob hæc verba nos odio habent : ego vero illos non odi, sed eorum misereor, et eos qui sic affecti sunt lacrymis prosequor : etiamsi percutere velint, libenter id tulerim, si ab hac feritate abstinere velint. Neque enim ego solus, sed etiam propheta nobiscum hujusmodi homines ab humana cognatione expellit, dicens : *Homo cum in honore esset, non intellexit, sed comparatus est jumentis insipientibus* (*Psal.* 58. 21). Simus ergo homines tandem aliquando, et in cælum respiciamus : atque illud secundum imaginem accipiamus (*Col.* 3. 10), et nos ipsos recuperemus, ut et futura bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

Cap. 3. v. 18. *Nemo seipsum seducat. Si quis videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* 19. *Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum.*

1. *Quomodo Paulus in arguendo fornicario procedat. Mori huic mundo quid sit.* — Ut supra dixi, cum ante opportunum tempus ad incusandum illum, qui fornicatus fuerat, deductus esset, et ænigmatice illum paucis perstrinxisset, ejusque conscientiam exagitasset; pergit rursus ad pugnam contra sapientiam externam, et illos adoritur, qui inde inflati scindebant Ecclesiam; ut iis quæ residua erant additis, postquam hoc caput accurate perfecerit, sic rursus contra fornicarium cum impetu feratur, quem jam supra telis emissis aggressus est. Nam illud, *Nemo seipsum seducat*, ad illum maxime respicit, et illum metu afficit mitigatque; quodque de stipula dicitur, illum præcipue subindicat; et cum dicit, *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* Hæc quippe duo maxime solent nos a peccato abducere : quando repositam peccato pœnam cogitamus, et quando dignitatem nostram nobiscum reputamus. Cum ergo fœnum ac stipulam in medium adduxit, exterruit; cum autem propriæ nobilitatis dignitatem intulit, pudore affecit; illo quidem modo stupidiores, hoc autem moderatiores reddens meliores. *Nemo seipsum seducat. Si quis videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat.* Quasi mortuum huic mundo fieri jubet : mors autem hujusmodi nihil lædit, imo juvat, cum sit vitæ causa. Sic etiam stultum huic mundo fieri jubet, hinc nobis veram sapientiam concilians. Stultus autem mundo efficitur, qui externam sapientiam despicit, persuasum habens, illam sibi nihil ad fidem adipiscendam adjumenti conferre. Quemadmodum ergo paupertas secundum Deum divitiarum causa est, et humilitas altitudinis, et gloriæ despectus est gloriæ causa; ita et stultum fieri, omnibus sapientiorem efficit. Ex contrariis enim res nostræ constant. Et cur non dixit, Deponat sapientiam, sed, *Stultus fiat?* Ut externam disciplinam supra modum dedecoret. Neque enim idipsum fuisset dicere, Depone sapientiam, et Stultus fias. Alioquin vero docet etiam non erubescendum esse de ea quæ apud nos est simplicitate : externa enim admodum irridet. Quapropter nomina non timet, quoniam in rerum virtute confidit. Ut igitur crux, quæ probrosa res videtur esse, bonorum innumerabilium causa, et gloriæ ineffabilis occasio et radix nobis fuit : sic ea quæ videtur esse stultitia, sapientiæ nobis causa fuit. Sicut enim is qui male quidpiam didicit, nisi totum deponat, animamque ei qui scripturus est planam et puram reddat, ex sanis rebus nihil clare sciet : ita etiam in externa sapientia, nisi totum eradas et mentem everras, et quasi idiota fidei te obtuleris, nihil præclarum vel sincerum accurate scies. Nam qui oblique vident, nisi clausis oculis se aliis tradi-

derint, sed male affecto visui sua permiserint, magis errabunt, quam qui non vident.

Externa sapientia reprobatur. — Et quomodo, inquies, possit hæc externa sapientia deponi? Si eorum disciplina non uteris. Deinde postquam ab illa desistere tam aspere jussit, causam etiam affert his verbis : 19. *Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum.* Non modo enim nihil confert, sed etiam impedit. Oportet igitur ab illa absistere, utpote quæ noceat. Viden' quomodo ubertim victoriam tulerit, ostendens illam non modo nihil nos juvare, sed etiam nobis contrariam esse? Neque suis contentus argumentis, testimonium rursus affert dicens : *Scriptum est enim : Qui comprehendit sapientes in astutia eorum. Astutia*, id est, suis illos armis capit. Quia enim astutia usi sunt, ut ne Deo haberent opus, per hanc ipsam astutiam illis probavit quod maxime Deo egeant. Quo modo? Quod per eam stulti effecti, merito per eamdem capti sint. Nam qui putabant se Deo non opus habere, ad tantam redacti sunt egestatem, ut piscatoribus et illiteratis minores apparerent, ipsisque demum opus haberent. Ideo ait, In astutia ipsorum cepit illos. Nam cum dicit, *Perdam sapientiam* (1. *Cor.* 1. 19), ipsam ad nihil utile inducere significat : illud autem, *Qui comprehendit sapientes in astutia eorum*, ad ostendendam Dei potentiam dicitur.

2. Deinde modum dicit quo comprehendit, aliud adjiciens testimonium; ait enim : 20. *Dominus novit cogitationes sapientium quoniam vanæ sunt.* Cum autem sapientia illa quæ est immensa, hæc de illis pronuntiaverit, et tales ipsos esse probaverit, quam aliam extremæ illorum amentiæ quæres demonstrationem? Nam hominum quidem judicia sæpe labuntur; Dei vero sententia nec reprehendi nec corrumpi umquam potest. Postquam igitur superni judicii tropæum ita splendidum erexerat, vehementer in subditos sermonem convertit, hæc dicens : 21. *Nemo itaque glorietur in hominibus :* 22. *omnia enim vestra sunt.* Rursus priora repetit, ostendens illos neque in spiritualibus altum sapere debere, ut qui nihil ex se habeant. Cum ergo externa sapientia noxia sit, et spiritualia a vobis non sint data, unde habes quod glorieris? Et in externa quidem sapientia nemo seipsum decipiat, inquit, quia ipsi in re noxia sibi placebant : hic vero, quia res habet utilitatem, nemo glorietur. Et mansuetiore utitur oratione : *Omnia enim vestra sunt, sive Paulus sive Apollo sive Cephas sive mundus, sive vita sive mors, sive præsentia sive futura : omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Quia enim illos vehementer perstrinxerat, rursus ipsos recreat. Et superius quidem dicebat, *Adjutores sumus Dei*, et aliis pluribus verbis ipsos consolabatur : hic autem dicit, *Omnia vestra sunt*, doctorum fastum amovens, ostendensque ipsos non modo nihil illis largiri, sed ipsis gratias referre debere : propter illos enim tales effecti sunt, etiamque gratiam acceperunt. Sed quoniam futurum erat, ut illi etiam gloriarentur, ideo hunc quoque morbum prædicit dicens : *Unicuique sicut Deus dedit*; et, *Deus incrementum dedit*; ut neque illi, quia præbuerunt, altum sapiant; neque hi etiam, quia audierunt, *Omnia vestra sunt*, sese extollant. Etenim etiamsi propter vos, at totum a Deo factum est. Tu vero mihi perpendas velim, quomodo usque ad finem perseveret nomen suum et nomen Petri ponere. Quid vero significat illud, *Sive mors?* Etiamsi moriantur, pro vobis moriuntur, periclitantes pro vestra salute. Viden' quomodo rursum discipulorum fastum deprimat, doctores autem extollat? Nam sic illos alloquitur ut pueros nobiles, pædagogos habentes, qui hæreditatem accepturi sunt. Licet etiam alio modo dicere, mortem Adami propter nos fuisse, ut resipisceremus; mortem vero Christi, ut servaremur. *Vos autem Christi, Christus vero Dei.* Aliter Christi sumus, et aliter Christus Dei est, et aliter mundus est noster. Nos quippe Christi sumus, ut opus illius; Christus vero Dei, ut germana proles, non ut opus : qua ratione etiam nec mundus est noster [1]. Itaque etsi una sit dictio, at diversa sententia. Mundus enim noster est, utpote pro nobis factus; Christus vero Dei est, ut qui ipsum auctorem habeat, quatenus Pater ejus est : nos autem sumus Christi, quia ab ipso conditi sumus. Si illi sunt vestri, inquit, cur facitis contrarium, dum ab ipsis cognominamini, non a Christo et Deo? (*Cap.* 4). 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Postquam illorum arrogantiam depressit, vide jam quomodo illos recreet dicens : *Ut ministros Christi.* Ne itaque, misso Domino, a ministris et famulis nomen accipias. Dispensatores autem dixit, ostendens non omnibus hæc danda esse, sed quibus oportet, et quibus ea sunt dispensanda. 2. *Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.* Id est, ne quæ sunt Domini sibi usurpet, nec sibi tamquam donino ea vindicet, sed ut dispensator illa curet. Dispensatoris enim est, ea quæ sibi credita sunt probe administrare, nec quæ domini sunt sua dicere; sed contra quæ sunt sua, domini dicere. Unusquisque hæc cogitans, sive dicendi facultatem habeat, sive pecunias, quod nempe res Domini sibi creditæ sint, non autem suæ, ne illas penes se retineat neque sibi adscribat, sed Deo omnia largienti illas acceptas referat. Vis videre fideles dispensatores? Audi quid dicat Petrus : *Quid nos respicitis quasi propria virtute* aut pietate *fecerimus hunc ambulare* (*Act.* 3. 12)? et Cornelio dicebat (*a*) : *Et nos iisdem passionibus obnoxii homines sumus* (*Act.* 14. 15); et ad Christum : *Ecce reliquimus omnia et sequuti sumus te* (*Matth.* 19. 27). Et Paulus cum dixisset, *Plus quam omnes laboravi*, subjunxit : *Non ego autem*,

[1] Reg. sic effert hunc locum... *germana proles; mundusque non est noster, ut nostrum opus, sed in quantum nostri causa factus est.*

(*a*) Hic citata verba non Cornelio dicta fuere a Petro; sed a Paulo Lystris, iis qui Barnabæ et sibi ut dus hostias immolaturi erant. Hic memoria labitur Chrysostomus, nisi sit hiatus in serie.

sed gratia Dei mecum (1. *Cor.* 15. 10). Et alibi eosdem alloquens dicebat : *Quid enim habes quod non accepisti* (1. *Cor.* 4. 7)? Nihil enim habes tuum, non pecunias, non verbum, non ipsam animam : nam et ipsa Domini est.

3. Cum igitur opus fuerit, hanc quoque depone. Quod si vitam amas, et si deponere jussus, contradicis, jam non fidelis dispensator es. Et quomodo licet Deo vocante resistere? Nam ego quoque hoc dico, et propter hoc ipsum admiror Dei benignitatem : quæ enim potest ille, etiam te invito a te accipere, ea non vult te invito inferri, ut mercedem habeas. Exempli causa, potest animam te invito accipere, sed vult te volente, ut cum Paulo dicas : *Quotidie morior* (1. *Cor.* 15. 31). Potest gloriam tuam accipere te invito, teque humilem reddere ; sed vult te quoque volente, ut remunerationem habeas. Potest te etiam invitum pauperem reddere, sed te volentem cupit talem fieri, ut tibi coronas nectat. Vidistin' Dei benignitatem ? vidistin' socordiam nostram ?

Fastus sacerdotum reprimitur. — Ad magnam pervenisti dignitatem, et principatum assequutus es ecclesiasticum ? Ne altum sapias : non tu gloriam obtinuisti, sed illa te Deus induit. Illa igitur ut aliena utere : ne illam ad ea, quæ non decet, adhibeas, ne infleris, ne tibi vindices, sed pauperem et inglorium te esse putato. Neque enim, si purpura regia tibi servanda tradita esset, oporteret abuti veste illamque labefactare, sed cum majori accuratione ipsam dantí servare. Verbi facultatem accepisti ? Ne infleris, neque arroganter agas : neque enim tuum est munus et donum. Ne ingratus esto circa ea quæ sunt Domini, sed ea conservis distribue ; neque ideo, ac si tua essent, extollaris, neque parcus sis in illis distribuendis. Et si filios habes, Dei filios habes : si ita existimes, gratias ages si habeas, iisque sublatis non dolebis. Talis erat Job dicens : *Dominus dedit, Dominus abstulit* (*Job.* 1. 21). Omnia enim a Christo habemus ; etiamque quod simus ab illo habemus, et vitam et respirationem et lucem et aerem et terram ; et si quid ex illis abstulerit, perimus et interimus : advenæ enim sumus et peregrini. Illud enim, *meum* et *tuum*, verba tantum sunt sine re. Nam si domum esse tuam dicas, verbum est re vacuum. Etenim et aer et terra et materia Conditoris sunt, ut et tu ipse, qui illam struxisti, aliaque omnia. Si autem usus est tuus, ille quoque incertus est, non ob mortem tantum, sed etiam ante mortem ob rerum instabilitatem. Hæc ergo apud nos assidue describentes, philosophemur et duo quæ sunt maxima lucrabimur. Nam et grati erimus et dum tenemus et dum a nobis auferuntur, neque serviemus iis quæ præterfluunt nec nostra sunt. Nam si pecunias acceperit, sua accepit ; si honorem, si gloriam, si corpus, si ipsam animam ; si filium tuum acceperit, non filium tuum, sed servum suum accepit. Non enim tu ipsum formasti, sed ille fecit : tu autem ejus adventui administer tantum fuisti, totum autem ille fecit. Gratias igitur agamus, quod operis administri fieri dignati simus. Sed quid ? eumne perpetuo habere voluisti ? Hoc ingrati est et ignorantis te alienum habuisse, non tibi proprium. Quemadmodum ii, qui parati secedunt, sciunt se non sua habere : sic qui dolent, regia sibi usurpant. Nam si nos non sumus nostri, quomodo illi nostri sunt ? Duplici enim ratione illius sumus, et secundum creationem et secundum fidem. Ideoque David dicit : *Substantia mea apud te est* (*Psal.* 38. 8) ; et Paulus : *In ipso vivimus, movemur, et sumus* (*Act.* 17. 28). Et de Fide tractans dicit : *Non estis vestri, et pretio empti estis* (1. *Cor.* 6. 19. 20). Omnia quippe Dei sunt. Cum ergo vocaverit et accipere voluerit, ne tamquam ingrati servi rationem reddere fugiamus, neque ea quæ Domini sunt usurpemus. Anima tua non est tua, et quomodo pecuniæ tuæ erunt ? Cur ergo ea, quæ tua non sunt, in iis quæ non oporteret impendis ? nescis nos ideo accusandos fore, quod illis male usi simus ? Quia ergo non sunt nostræ, sed Domini, oportuit illas conservis elargiri. Ideo certe dives ille accusabatur, quod hoc non fecisset ; sic et qui Dominum non aluerunt. Ne itaque dicas, Mea impendo, meis fruor. Non tuis certe, sed alienis : alienis autem dico, quia tu vis, quia tua vult esse Deus, quæ tibi pro fratribus tradita sunt. Aliena autem illa tunc tua fiunt, cum aliis distribuis ; sin autem in te ipsum largiter insumpseris, tunc tua illa aliena fiunt. Quia enim inhumaniter illis usus es, dicisque, Æquum est ut mea in meum usum et fructum impendantur ; ideo aliena illa dico. Communia enim sunt, et ad conservum etiam tuum pertinent, quemadmodum et sol communis est, et aer et terra aliaque omnia. Et sicut in corpore ministerium est et totius corporis et uniuscujusque membri ; cum autem unius tantum membri est, propriam perdit operationem.

4. *Pecuniarum usus quis esse debeat.* — Ita et in pecuniis accidit ; et ut id quod dico clarius evadat, cibus corporeus qui membris communis datur, si ad unum venerit membrum, alienus illi efficitur : cum enim non possit concoqui et nutrire, alienus evadit : si autem communis sit, et illius et aliorum membrorum proprius est. Ita etiam in pecuniis : si tu solus illis fruaris, tu quoque illas perdidisti ; neque enim mercedem accipies : si vero cum aliis possideas, tunc magis tuæ erunt, et tunc utilitatem accipies. Annon vides, quod manus ministrent, os emolliat, et venter recipiat ? num dicit venter : Quia recepi, totum retinere debeo ? Ne ergo tu quoque de pecuniis ita loquaris : recipientis enim est elargiri. Quemadmodum ergo ventris vitium est, cum cibos retinet nec distribuit ; toti enim corpori perniciem infert : ita etiam divitum vitium est, cum ea quæ habent apud se retinent : hoc enim et ipsos et alios perdit. Oculus item totam lucem recipit ; sed non totam sibi retinet ; nam corpus totum illuminat. Neque enim id ex natura sua habet ut totum retineat, donec oculus est Nares etiam bonos sentiunt odores ; sed non totos retinent, sed in cerebrum mittunt, et stomachum in bono odore servant, totum-

que hominem recreant. Pedes item soli incedunt; sed non se solos transferunt, sed et totum corpus transmovent. Ita et tu quod tibi concreditum fuit ne solus retineas, quia omnibus tibique primum perniciem inferes. Non in membris tantum id observes. Faber enim ferrarius, si neminem velit arte sua frui, et seipsum et alias artes pessumdat. Sutor similiter, agricola, pistor, et singuli qui necessarias artes exercent, si neminem alium arte sua frui velint, non alios tantum, sed se cum aliis perdunt. Ecquid de divitibus loquor? Nam pauperes quoque si vestram avarorum et divitum nequitiam sectarentur, vos magnopere læderent ac cito vos pauperes redderent, imo etiam perderent, si iis qui opus habent sua præbere nollent : exempli causa, agricola manuum suarum laborem, nauta commercium per navigationem partum, miles suam in bello fortitudinem. Ideo, si non aliud, pudore affecti benevolum illorum animum imitemini. Nemini divitias impertis? Ergo ne quidquam ab alio accipias : si autem ita fiat, evertentur omnia. Ubique enim dare et accipere bonorum multorum initium est, in seminibus, in discipulis, in artibus. Nam si quis voluerit artem penes se retinere, et sese et totum mundum evertit. Agricola si semina domi suffossa retineat, gravem inducet famem. Sic et dives si in pecuniis hoc faciat, seipsum prius quam pauperes perdet, gehennæ flammam graviorem capiti suo apparans. Ut ergo doctores, etiamsi multos habeant discipulos, singulis artem suam impertiunt : ita et tu multos acquiras beneficio affectos : et dicant omnes, Hunc liberavit a paupertate, illum a periculis; et, Ille periisset, nisi cum gratia Dei patrocinio tuo ereptus fuisset : et quod hunc a morbo, alium a sycophantia exemeris, alium hospitem exceperis, alium nudum vestieris. Innumeris divitiis et thesauris meliora sunt hæc verba ; omnesque ad se convertunt magis quam vestimenta aurea, equi et mancipia. Hæc enim id efficiunt, ut gravis et molestus videatur; atque ut communis hostis odio habeatur : illa vero ut patrem communem ac beneficum deprædicant; et quod omnium maximum est, Dei benevolentia tua semper gesta sequetur. Dicat ergo hic, Filiam meam cum dote locavit; alius, Filium meum in virorum numerum efferri curavit; alius, Calamitatem meam solvit; alius, Me a periculis eripuit. Hæc coronis aureis meliora verba sunt, mille nimirum præcones benignitatis propriæ in civitate habere : hæ voces, præconum qui ante magistratum incedunt voce longe dulciores suavioresque sunt, vocari nempe servatorem, beneficum, patronum, quæ sunt Dei nomina : non artem avarum, arrogantem, insatiabilem, parcum. Ne, quæso, ne ullam talem vocem appetamus, sed omnino contrarias. Nam si hæc in terris prolata, ita splendidum et illustrem reddunt; cum ea scripta fuerint in cælis, et in die futuro Deus illa protulerit, cogita quanta frueris claritate, quanto splendore : quem nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XI.

Cap. 4. v. 3. *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die; sed neque meipsum judico* 4. (*nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum*) : *qui autem judicat me, Dominus est.*

1. Cum aliis malis nescio quomodo inductus est in hominum naturam curiositatis et importunæ perquisitionis morbus : quem etiam Christus castigavit dicens: *Nolite judicare, ut non judicemini* (*Matth.* 7. 1). Quod certe nullam voluptatem habet, ut habent cætera peccata, sed solum pœnam ac supplicium. Nam cum innumeris repleti simus malis, et trabes feramus in oculis, proximi peccata, etiam ea quæ a festucis nihil differunt, accurate examinamus : sicut etiam Corinthi accidit. Viros namque pios et Deo caros propter inscitiam traducebant et ejiciebant, alios vero, qui innumeris erant vitiis onusti, magni faciebant propter eloquentiam. Deinde, tamquam judices sedentes, hæc petulanter pronuntiabant : Hic dignus est, iste melior illo est; et hic illi inferior, et ille isto melior; et sua lugere mala non curantes, aliorum judices erant; hincque gravia bella concitabant. Paulus ergo hunc morbum tollens, vide quam prudenter illos corrigat. Postquam enim dixit, *Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur*, et videbatur illis aditum dare ad judicandam et examinandam cujusque vitam; hoc vero seditionem concitabat : ne hoc illis accideret, ab hac altercatione illos abduxit, dicens : *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer;* rursus sermonem personam suam spectantem proferens. Quid sibi vult autem illud, *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die?* Indignum me judico, inquit, qui a vobis judicer; et quid dico a vobis? sed etiam a quocumque aliquo. Sed nemo Paulum arrogantiæ accuset, si nullum hominem dignum esse dicat, qui contra se calculum ferat. Primo enim non propter se hoc dicit, sed ut alios ab illorum molestia eripiat : deinde non ad Corinthios tantum res spectat; sed etiam seipsum a tali judicio removit, majus sua mente dicens de talibus calculum ferre; subjunxit ergo, *Neque meipsum judico.* Ad hæc vero causa quoque examinanda est, qua motus hæc dicebat : solet enim sæpe magnifice loqui, non ex fastu vel arrogantia, sed ex optima dispensatione : quandoquidem nunc non ipse sese extollens, sed alios deprimens, hæc loquitur, ut dignitatem sanctis addat. Quod enim admodum humilis esset, audi quid dicat, inimicorum hac de re testimonium in medium adducens : *Præsentia corporis infirma est, et sermo contemptus* (2. *Cor.* 10. 10); et rursum, *Novissime autem tanquam abortivo visus est et mihi* (1. *Cor.* 15. 8). Attamen humilis ille, tempo-

re vocante, vide quo discipulorum sententiam extulerit, non fastum docens, sed sanos indens spiritus. Ipsos enim alloquens dicebat: *Et si in vobis judicatur mundus, indigni estis minimis judiciis* (1. *Cor.* 6. 2). Ut enim Christianum oportet longe ab arrogantia esse, ita et ab adulatione et ab illiberali sensu. Neque enim si quispiam dixerit, Pecunias nihil esse puto, sed præsentia omnia mihi umbra et somnium sunt ac puerorum ludibria; arrogantiæ ipsum accusabimus: Nam sic Salomonem etiam arrogantiæ accusabimus cum de his rebus philosophatur et dicit: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (*Eccles.* 1. 2). Sed absit ut arrogantiæ nomine philosophiam appellemus. Non est ergo arrogantia hæc despicere, sed animi magnitudo, licet videamus reges et principes illa sibi vindicare. Verum pauper qui philosophatur, ille sæpe despicit: neque ideo illum arrogantem, sed magnanimum dicemus: sicut nec eum, qui hæc magnopere sibi vindicat, humilem et modestum, sed infirmum, pusilli animi et illiberalem dicemus. Etenim si quis filius ea quæ ad patrem pertinent despiceret, servilia autem admiraretur, non quasi humilem illum laudaremus, sed ut illiberalem et servilem vituperaremus; ipsumque vero miraremur si illa despiceret, et paterna magni faceret. Arrogantiæ enim est, se conservis meliorem esse existimare; sed eam quæ vere est de rebus ferre sententiam, non arrogantiæ est, sed philosophiæ.

2. Ideo Paulus non se extollens, sed alios humilians, et sese efferentes deprimens et modestos esse suadens, dicebat: *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Viden' quomodo illos curaverit? Nam qui audierit quod omnes similiter despiciat, et a nullo judicari dignetur, non utique dolebit quasi ipse solus ejectus. Nam si dixisset, A vobis tantum, et siluisset, hoc illos mordere poterat, quasi despecti fuissent: nunc autem cum addit, *Nec ab humano die*, plagæ medicamentum adhibuit, cum ipsis talis contemptus socios assignavit. Sed et ipse quoque huic rei rursus medetur, adjiciens: *Sed neque meipsum judico.* Vide quomodo dictum illud non arrogantiam sapiat: neque enim se satis esse dicit ad hoc accurate præstandum. Deinde quia hoc dictum sese admodum extollentis videbatur esse, id correxit dicens: *Sed non in hoc justificatus sum.* Quid igitur? annon oportet et se et peccata judicare? Maxime quidem oportet hoc facere cum peccamus; sed Paulus hoc non dixit: *Nihil enim mihi conscius sum*, inquit. Quodnam ergo peccatum judicaturus erat, cum nihil sibi conscius esset? Ille vero non dicit se esse justificatum. Qui ergo conscientiam habemus mille vulneribus sauciam, et nullius boni nobis conscii sumus, sed totum contrarium, quid dixerimus? et quomodo ille nullius sibi conscius mali, non justificatus erat? Quia contingebat illum aliqua admittere peccata, quæ ipse nesciret esse peccata. Hinc cogita quam erit accuratum futurum judicium. Non ergo, quod omni reprehensione vacuum se putaret, se indignum esse dicit, qui ab illis judicetur, sed reprimit eos qui inconsiderate hoc facerent. Alibi enim, etiamsi peccata non manifesta essent, aliis judicium ferre permisit, quoniam hoc postulabat tempus.

De aliis non judicandum est. — *Quid* enim, ait, *judicas fratrem tuum? et tu cur fratrem tuum nihil facis* (*Rom.* 14. 10)? Non enim hoc tibi mandatum est, o homo, ut alios judices, sed ut tua examines. Cur ergo Domini partes arripis? illius est judicare, non tuum. Quare subjungit: 5 *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo.* Quid ergo, non oportet doctores hoc facere? Oportet quidem in peccatis manifestis, quæ in confesso sunt, idque congruenti tempore; cum tunc doleant et mordeantur. Non ut tunc illi faciebant, ex inani gloria et arrogantia. Hic enim non de peccatis illis loquitur, quæ in confesso erant, sed quod illum alteri præferrent, et vitam illorum compararent. De his enim ille solus accurate judicare novit, qui occulta nostra judicaturus est; quænam scilicet majori, quænam minori vel supplicio vel honore digna sint: nos vero secundum id quod apparet hæc facimus. Si enim, inquit, in quibus ipse peccavi, nihil clare novi, quomodo dignus fuerim qui de aliis feram sententiam? quomodo qui mea non accurate novi, aliena potero judicare? Si vero Paulus hoc fecit, multo magis nos. Hæc enim dicebat, non ut se nulli reprehensioni obnoxium ostenderet, sed ut declararet, etiamsi quis apud illos esset qui non peccavisset, non dignum tamen esse qui de aliorum vita judicet; et quod si is, qui nullius mali sibi conscius est, se obnoxium esse dicit, multo magis illi erunt, qui mille peccatorum sibi conscii sunt. Cum sic ergo os obstruxisset eorum, qui talia judicia ferrent, demum parturientis more gestit irrumpere in fornicatorem: et sicut ingruente tempestate, præcurrunt nubes quædam atræ; deinde post tonitruum fragorem et postquam cælum una nubes factum est, tunc in terram confertim erumpit pluvia; eodem modo et tunc accidit. Nam cum posset cum indignatione multa agere in fornicatorem, non ita agit; sed præmissis terribilibus verbis ejus tumorem reprimit. Quandoquidem duplex aderat peccatum, fornicatio nempe, et fornicatione pejus aliud, quod scilicet tanti peccati non pœniteret ipsum. Non enim ita peccatorem luget, ut peccatorem non pœnitentem: Lugebo enim multos, inquit, non eorum tantum qui prius peccarunt, sed eorum qui pœnitentiam non egerunt, de impudicitia et de immunditia quam admiserunt (2. *Cor.* 12. 21). Nam qui post peccatum pœnitentia utitur, non dignus est qui lugeatur, sed qui beatus prædicetur, utpote qui in justorum chorum translatus sit. *Dic enim tu prius*, inquit, *iniquitates tuas, ut justificeris* (*Isai.* 43. 26). Si autem postquam peccavit, impudenter agat, non ita commiseratione dignus est quod ceciderit, quam quod lapsus jaceat.

3. Quod si post peccatum non pœnitere grave est, de admissis peccatis intumescere quantum meretur supplicium? Nam si is, qui de recte factis extollitur,

immundus est; qui de peccatis inflatur, quam consequetur veniam? Quia ergo talis erat fornicator, et animam per peccatum ita petulantem et pervicacem reddiderat, necessario ejus fastum primo dejicit. Neque hoc crimen primo ponit, ut ne ille exuat pudorem, eo quod ante alios accusetur; neque postremum illum ponit, ut ne putet ille rem suam ut levioris momenti quasi aliud agendo tractari: sed cum prius ipsi multum incussisset timorem ex dicendi libertate, qua contra alios usus est, tunc illum aggreditur, postquam ejus arrogantiam per aliorum correctionem prius exagitaverat. Hæc enim ipsa verba, *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum*; et, *Qui judicat me, Dominus est, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*, non leviter et eum et eos, qui ipsi applaudebant sanctosque despiciebant, perstringit. Quid enim, inquit, si quidam extrinsecus virtute præditi et admirandi apparent? Non de exterioribus tantum fert judicium ille judex, sed etiam arcana in medium adducit. Duabus ergo, vel potius tribus de causis judicium nostrum accuratum non est; primo quia, etiamsi nullius peccati nobis conscii simus, opus tamen habemus eo, qui peccata nostra accurate arguat; secundo, quia ex iis quæ fiunt pleraque nos latent; tertio demum, quia multa aliorum gesta nobis quidem bona videntur, sed non ex recta sententia procedunt. Quid ergo dicitis, Ille aut ille nihil peccavit, et hic illo melior est? Hoc enim non licet pronuntiare, neque de illo, qui nullius sibi conscius est: nam qui arcana judicat, ille est qui accurate judicat. Ecce igitur, ego nihil mihi conscius sum; sed neque ita justificatus sum: hoc est, Non sum a reddenda ratione et a crimine liberatus. Non enim hoc dicit, Non in numero et ordine justorum sum; sed, Non sum mundus a peccato. Nam alibi ait: *Qui autem mortuus est, justificatus est a peccato* (*Rom.* 6. 7): id est, liberatus est. Multa vero facimus, quæ bona quidem sunt, sed non ex recta sententia procedunt. Nam multos laudamus, non ut illos splendidos reddamus, sed ut per illos alios quospiam mordeamus. Et res quidem ipsa per se bona est; laudatur enim is qui recte fecit; sed mens laudantis corrupta est: ex satanica enim sententia procedit. Non enim fratri gratulans, sed alium ferire cupiens hoc sæpe quis fecit. Rursus quispiam grande admisit peccatum; alius vero ipsum supplantare volens, nihil fecisse dicit, et consolatur eum peccantem, ad communem naturæ usum confugiens: verum sæpe non quod ignoscere velit, sed ut segniorem illum reddat hoc facit. Rursum sæpe corripit, non ut arguat et moneat, sed ut proximi peccatum publice efferat et traducat. Consilia autem homines non norunt; qui corda vero scrutatur, accurate scit, et illa omnia tunc in medium adducet. Ideoque dicebat: *Qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.*

Homines quam falluntur in judiciis. — Cum ergo, quando etiam nihil nobis conscii sumus, crimine puri esse non possimus, et cum aliquid boni agimus, nec vero ex recta animi sententia agimus, supplicio obnoxii simus: cogita quam fallantur homines in judiciis. Hæc quippe omnia non possunt homines assequi, sed ille tantum numquam dormiens oculus: etsi homines fallamus, illum numquam decipiemus. Ne itaque dicas, Tenebræ et parietes in circuitu sunt, quis me videt? nam qui finxit sigillatim corda nostra, ipse omnia novit: tenebræ enim apud eum non obscurabuntur. Recte autem dicit is qui peccat, Tenebræ et parietes in circuitu meo sunt. Nisi enim in mente ejus tenebræ essent, non sic, ejecto Dei timore, cum libertate id fecisset. Nam nisi prius dux animus obtenebratus fuerit, peccatum cum fiducia ingredi non potest. Ne ergo dicas: Quis me videt? est enim qui penetrat usque ad animam et spiritum, compagesque et medullas: sed tu te ipsum non vides, nec potes nubem dissecare; verum ac si murum undique circumpositum haberes, non potes ad cælum respicere.

4. Fornicationis spiritus excæcat. — Quod enim peccatum vis prius examinemus? et sic factum admissumque fuisse videbis. Quemadmodum enim latrones et murorum effossores, cum quid pretiosum auferre volunt, exstincta lucerna hoc perpetrant: sic in peccatis facit corrupta ratio. Etenim in nobis quoque lux est rationabilis semper ardens. Si autem spiritus fornicationis cum impetu magno irruens flammam illam exstinxerit, statim animam obtenebrat, expugnat et omnia quæ adsunt statim diripit. Cum enim anima a lasciva concupiscentia capitur, ut nubes et caligo corporis oculos, ita mentis prospiciendi facultatem occupans, nihil sinit videre ulterius, non præcipitium, non gehennam, non timorem, sed ab illis insidiis tyrannice occupata demum, peccato facilis expugnatu evadit: et sicut paries sine fenestris ante oculos excitatus non sinit radium justitiæ menti lucere, absurdis libidinis cogitationibus ipsam undique cingentibus; et tunc occurrit illi meretrix ante oculos, ante mentem, ante cogitationes stans et apparens; ac quemadmodum cæci in ipso meridie sub cæli medio stantes lucem non excipiunt, clausis sibi oculis: sic et illi, etsi innumera undique ipsis insonent salutaria dogmata, anima hoc morbo correpta, illis omnibus verbis aures obstruunt. Idque probe sciunt ii, qui rem experti sunt. Verum absit, ut vos id experientia didiceritis. Neque hoc solum peccatum id facit, sed etiam quivis alius amor pravus.

Pecuniarum amor quanta mala pariat. — Transferamus enim, si placet, sermonem a meretrice ad pecunias, et hic quoque videbimus densas tenebras. Illic enim quod una tantum sit amasia, in uno inclusa loco, non ita vehemens est morbus: in pecuniis autem, quæ ubique apparent in argentariis officinis, in diversoriis, in aurificinis, in divitum ædibus, vehemens spirat amor. Quando enim pueros superbe agentes in foro, equos auro onustos, homines magnificis et sumptuosis vestibus ornatos, concupiscentia motus videt is qui hoc morbo detinetur, multis teno-

bris circumfunditur. Ecquid opus est dicere domos et argentarias officinas? Puto enim illos si vel in pictura vel in imagine divitias illas viderint, discerpi, efferari et in rabiem verti: adeo ut undique tenebris offundantur. Nam si regiam imaginem conspiciant, non mirantur lapillorum pulchritudinem, non aurum, non vestem purpuream, sed liquefiunt; et sicut infelix ille amator, si amasiæ imaginem viderit, manimatæ rei hæret affixus: ita et hic inanimatam videns divitiarum imaginem, hoc ipsum magis patitur, utpote magis tyrannico detentus morbo: et oportet demum vel domi manere, vel in forum venientem, mille plagis acceptis domum repetere: multa enim illius oculos dolore afficiunt. Ac quemadmodum ille nihil aliud videt quam mulierem, ita et iste pauperes quidem et alia omnia præterit, ut ne consolationem quidem accipiat: in opulentos autem oculos dirigit, ex aspectu illo multum in animam suam inducens ignem. Ignis quippe est, qui vehementer consumit illum, qui in ipsum incidit: atque etiamsi nec gehennæ, nec supplicii minæ intentatæ fuissent, hæ res præsentes essent supplicium, assidue nempe torqueri, neque morbi finem invenire. Et hæc satis essent, ut ab hujusmodi ægritudine avocarent: sed nihil pejus amentia, quæ id efficit ut rebus mœrorem et nihil lucri afferentibus illi hæreant. Quamobrem, obsecro, incipientem animi morbum exstinguatis. Sicut enim febris initio non valde siti adurit ægrotantes; cum autem creverit et flammam excitaverit, tunc sitim parit inexstinguibilem; etiamsi vero quis potum ipsis largiter præbeat, non exstinguit, sed accendit fornacem: sic etiam in hoc morbo accidit. Si initio cum animam nostram invadit, non impediamus, neque fores ipsi claudamus, ingressus demum incurabilem excipientibus parit ægritudinem. Etenim et bona et mala cum diutius in nobis manserint, potentiora fiunt.

5. In omnibusque aliis idipsum videre est. Nam planta recens insita, facile evellitur; si longo tempore egerit radices, non item, sed valido opus est vecte: et ædificium recens facile evertitur; cum vero firmitatem acceperit, difficile a conantibus decutitur: et fera quæ longo tempore alicubi mansit, ægre dispellitur. Illos igitur, qui nondum a morbo illo detinentur, rogo ne capiantur: facilius quippe est cavere ne cadant, quam lapsos exsilire. Illis vero, qui jam inciderunt et a morbo illo correpti sunt, si rationi medico se dedere velint, multam salutis spem per Dei gratiam polliceor. Nam si eos qui in morbum inciderunt et postea convaluerunt cogitaverint, bonam spem habebunt fore ut a morbo liberentur. Quis ergo incidit in hunc morbum, et facile liberatus est? Zacchæus ille. Quis enim publicano pecuniæ cupidior fuerit? Sed statim philosophus effectus est, et totum exstinxit incendium. Similiter Matthæus: nam et ille publicanus erat, in perpetua rapina vivens. Sed is quoque repente noxam exuit, sitim exstinxit, et negotiationem adiit spiritualem. Hos ergo et his similes tecum reputans, nec tu desperes. Si velis enim, cito poteris emergere. Et, si velis, secundum medicorum legem ea quæ agenda sunt tibi accurate præscribemus. Oportet ergo ante alia omnia hoc recte gerere, non animum despondere neque desperare de salute sua: deinde non modo eorum qui recte fecerunt exempla, sed etiam eorum qui perseverarunt ærumnas inspicere. Sicut enim Zacchæum et Matthæum cogitavimus, ita et Judam animo reputare oportet, necnon Giezi, Achar, Achab, Ananiam et Sapphiram; ut per illos desperationem ejiciamus, per hos vero socordiam exscindamus, neque supinus sit animus ad monita quæ præscribuntur: ac nos ipsos instituamus ad illa dicenda, quæ tunc ad Petrum accedentes Judæi dicebant: *Quid ergo oportet facere ut salvi simus* (*Act.* 2. 37)? et audiamus ea quæ facienda sunt. Quid ergo oportet facere? Nosse rerum vilitatem, et quod divitiæ sint servus fugitivus et ingratus, et quod possessores suos in mala injiciant innumerabilia: et ejusmodi verba assidue decantemus. Ac quemadmodum medici ægros frigidam postulantes consolantur, se præbituros dicentes, fontem commemorantes, et vas et tempus opportunum, pluraque hujusmodi (nam si statim negarent, in furorem et rabiem ipsos conjicerent): ita et nos cum pecunias amantibus agamus: et cum dixerint, Divites esse volumus, ne statim dicamus malas esse divitias; sed assentiamur et dicamus nos etiam hoc velle, sed in congruenti tempore, sed divitias veras, sed eas quæ voluptatem habeant immortalem, sed eas quæ colliguntur nobis, non aliis, sæpe autem et inimicis; ac philosophiæ verba in medium afferamus ac dicamus: Non jubemus non divites esse, sed male divites esse vetamus: licet enim divitem esse, sed sine avaritia, sine rapina et vi, ita ut apud omnes male audiat dives hujusmodi. His illos verbis prius leniamus, necdum de gehenna loquamur: nam qui ægrotat, talia verba statim non ferret. Quamobrem ex præsentibus his de rebus verba faciamus et dicamus: Cur ex avaritia vis ditari, ut aliis aurum recondatur, tibi vero innumeræ imprecationes et criminationes? et qui illis privatus est, ex rerum necessariarum penuria mordeatur, ejulet, sexcentosque tibi attrahat accusatores, et adveniente vespera forum circumeat, et in angiportis omnes conveniat, dubius et anxius, ne de transigenda quidem nocte fidere audens. Quomodo enim jam dormiet, dum mordet venter, ipseque vigilat, fames obsidet, ingruit sæpe gelu et pluviæ decidunt? Et tu quidem ex balneo ablutus redis, mollibus amictus vestibus, lætus et gaudens ad lautam cœnam accurris: ille autem per forum a frigore et fame sæpe pulsus circumit, prono capite, manus extendens; nec præ metu audet satiato et recumbenti verba proferre pro alimento necessario; sæpe vero contumelia affectus recessit. Cum ergo domum reversus es, cum in lecto recumbis cum lux splendida ubique fulget in ædibus, cum lauta mensa parata est, tum recordare miseri et infelicis illius, qui, ut canes solent, in angiportis, in tenebris et luto circumit: etiamsi sæpe hinc abeat, non domum, non ad uxorem, sed in fœni stratum, ut et canes vi-

demus, qui per totam noctem rabidi latrant. Et tu quidem si parvam stillam videris e tecto delapsam, totam evertis domum, famulos vocans, omnia movens : ille vero jacens in pannis, fœno et luto, ingens tolerat frigus.

6. Quæ fera his non frangatur rebus? quis adeo sævus et inhumanus, hisce rebus non mansuetior reddatur? Sed quidam ad tantam immanitatem devenerunt, ut dicant ipsos digna pati. Cum oporteret enim misereri, lacrymari, et calamitatem simul solvere : illi vero ipsos inhumaniter accusant. Quos libenter interrogarem, Cur, quæso, digna patiuntur? an quod ali velint et non fame confici? Non, inquiet, sed quia otiosi sunt. Tu vero annon otiosus deliciaris? Quid vero, annon opus sæpe exerces otio omni gravius, dum rapis, vim infers et avaritiæ studes? Melius esset si tu quoque huic te dederes otio : nam ita otiari melius est, quam avaritiæ studere. Nunc autem alienis etiam insultas calamitatibus, non modo in otio degens, nec modo opus aggrediens otio gravius, sed etiam in miseria degentes accusans. Ipsis quoque narremus alienas calamitates, immaturas orbitates, eos qui in carcere degunt, eos qui discerpuntur in judiciis, eos qui de vita timent, inopinatas mulierum viduitates, repentinas divitum mutationes, et hoc metu eorum animos molliamus. Nam per illas alienas narrationes suadebimus illis, ut eadem ipsa sibi timeant. Cum enim audierint, cujuspiam avari et raptoris filium, cujuspiam qui multa tyrannice fecerat uxorem, post mortem conjugis innumera passam esse mala, cum ii qui injuste læsi fuerant, in uxorem et filios irruissent, et commune bellum contra domum illius undique excitatum esset : etiamsi maxime omnium sensu destitutus sit, exspectans tamen se talia passurum, et suis timens ne similia patiantur, temperantior erit. Tota vita nostra talibus exemplis multis plena est, nec deficiet nobis hic corrigendi modus. Cum autem hæc dicimus, non quasi suadentes vel quasi consulentes hæc dicamus, ne molestior sit oratio, sed id tamquam narrationem proferamus : et ex alia consequentia ad similem semper narrationem veniamus, ac frequenter eis talia exempla proponamus, non concedentes ut alia quam hæc loquantur : Quomodo hujus domus splendida et illustris corruerit; quomodo ita deserta sit, ut ipsius bona omnia in aliorum manus inciderint; quot judicia quotidie de his facultatibus sunt constituta, quot negotia; quot ex famulis illius alii emendicant, alii in carcere conclusi mortui sunt. Et hæc omnia dicamus quasi lugentes eum, qui ex hac vita migravit, et quasi præsentia despicientes; ut et timore et misericordia emolliamus immitem illum animum. Et cum illos viderimus his narrationibus depressos, tunc demum illis de gehenna sermonem inferamus, non tamquam illos terrentes, sed ut alios commiserantes; et dicamus : Et quid oportet dicere præsentia? neque enim nostra his sunt limitibus circumscripta; sed gravius supplicium tales homines excipiet, et fluvius igneus et vermis venenosus et tenebræ interminabiles et supplicia immortalia. Si his illos incantemus narrationibus, et nos ipsos et illos corrigemus, atque ab ægritudine cito liberabimus, in dieque illo laudatorem Deum habebimus, ut et Paulus [1] dicit : *Et tunc laus erit unicuique a Deo.* Laus enim quæ ab hominibus procedit, et diffluit et aliquando non a bono animo proficiscitur : quæ autem a Deo est, et manet perpetuo et clare splendet. Quando enim is, qui omnia novit antequam fiant et ab omni passione vacuus est, laudat; tunc indubitata est virtutis demonstratio. Hæc ergo cum sciamus, talia operemur ut a Deo laudemur, et maxima consequamur bona : quæ utinam nos omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Morel. habet..... *cito liberabimus, ut et Paulus*, omissis interpositis.

HOMILIA XII

Cap. 4. v. 6. *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos, ut in nobis discatis non plus, quam scriptum est, sapere.*

1. Quamdiu molestis asperisque verbis opus fuit, scenam non aperuit; sed ac si ipse esset qui hæc audiret, sic loquebatur, ut dignitas personarum quæ accusabantur obsistens accusantibus, non permitteret ad iram commoveri : cum autem oporteret deinceps aliquid remittere, tunc posita larva, occultatas personas ostendit prolato Pauli et Apollo nomine. Ideo dicebat : *Hæc autem*, fratres, *transfiguravi in me et Apollo.* Et sicut in ægrotantibus, quando puerulus æger calcibus ferit, et aversatur cibos qui offeruntur a medicis, advocatum patrem vel pædagogum, ii qui assident, jubent ex medici manu accipere, et cibos afferre, ut ex timore ipsorum pueri accipiant et quiescant : sic et Paulus cum pro aliis esset accusaturus, illis quidem ut qui injuria afficerentur, his vero ut qui supra modum honorarentur, personas quidem eorum non protulit, sed suo et Apollo nomine sermonem adhibuit, ut eos reveriti, medicinam acciperent : postquam autem acceperunt, tunc demum aperuit de quibusnam hæc loqueretur. Hæc autem non simulatio erant, sed attemperatio et œconomia. Nam si aperte dixisset, Viros sanctos et admirabiles judicatis, id certe ægre tulissent et resiliissent : nunc vero cum dixisset, *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer*; et rursum, *Quis est Paulus? quis Apollo?* acceptabilem orationem effecit. Propterea dixit : *Hæc autem in me transfiguravi propter vos, ut in nobis discatis non plus quam scriptum est sapere*; ostendens quod si de illis verba fecisset, non didicissent ea quæ discere oportebat, neque correctionem accepissent, ea quæ dicebantur moleste ferentes. Nunc autem

Paulum et socium reverentes, facile admiserunt increpationem. Quid autem sibi vult illud, *Non plus quam scriptum est sapere?* Scriptum est : *Quid vides festucam in oculo fratris tui ; trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras* (*Matth.* 7. 3. 4)? et, *Nolite judicare, ut non judicemini.* Nam si unum sumus et una colligati, non oportet contra nos invicem insurgere. *Qui enim se humiliat*, inquit, *exaltabitur* (*Matth.* 23. 12) ; et, *Qui vult primus esse omnium, sit omnium minister* (*Marc.* 10. 43). Hæc sunt ea quæ scripta sunt *Ne unus pro uno infletur adversus alterum.* Rursum missis doctoribus, discipulos increpat : illi enim erant qui hos extollebant. Alioquin etiam principes non facile talem admisissent orationem, eo quod externam gloriam cuperent : hoc quippe morbo excæcati erant : ipsi vero gloria non fruentes, sed illam aliis præbentes, et facilius admonitionem tulissent, et aptiores ad morbum solvendum erant quam principes. Ergo etiam hoc est inflari, pro alio extolli, etiamsi in rebus suis hoc alicui non accidat. Sicut enim is, qui de alienis effertur vitiis, ex arrogantia hoc facit : ita etiam qui de gloria alterius. Recte autem inflationem vocavit.

Arrogantiæ malum. — Cum enim membrum aliquod insurgit, hoc nihil aliud est quam inflammatio et morbus : non enim aliter alterum membrum fit altero altius, quam cum tumor adest. Sic igitur et in corpore Ecclesiæ, qui inflammatur et inflatur, is est qui morbo laborat : tumet enim præter communem mensuram. Hoc enim est inflatio. Sic etiam in corpore accidit, quando spurius quidam et malus humor influxerit, non autem solitum alimentum. Ita nascitur arrogantia alienis nos cogitationibus invadentibus. Et vide quam apposite dixerit, *Ne inflati sitis.* Quod enim inflatum est, tumorem habet spiritus, repletum humore corrupto. Hæc porro dicit, non curationem exscindens, sed curationem illam quæ in malum vertitur. Vis istum curare? Non impedio, sed non in perniciem alterius. Non enim ut contra nos invicem aciem instruamus, nobis dati sunt doctores, sed ut nos omnes mutuo jungamus. Dux enim ideo exercitui præficitur, ut separatos unum corpus efficiat : si vero exercitum divulsurus sit, inimici magis quam ducis locum implet. 7. *Quis enim te discernit? quid enim habes quod non accepisti?* Missis demum subditis, ad principes convertitur. Hoc autem vult significare : Undenam liquet quod tu dignus laude sis? factumne est judicium? præcessitne examen? an probatio, an accurata perquisitio? Sed hoc non possis dicere. Quod si homines calculum ferunt ; at non rectum est illorum judicium. Ponamus autem te dignum laude esse, et vere gratiam et donum habere, nec corruptum esse hominum judicium : neque sic oportebat altum sapere. Nihil enim ex te habes, sed a Deo accepisti. Cur ergo te habere simulas id, quod non habes? At tu hoc habes, et alii tecum. Ergo cum acceperis habes, non hoc vel illud, sed omnia quæ habes.

2. Non enim hæc tua recte facta sunt, sed ex Dei gratia proveniunt. Si fidem dixeris, ex vocatione illa venit ; si remissionem peccatorum, si charismata, si doctrinæ verbum, si virtutes[1] : omnia inde accepisti. Quid ergo habes, quæso te, quod non acceperis, sed ex te ipso recte acquisieris? nihil dicere possis. Sed accepisti, et ideo altum sapis? Ideo certe oportebat teipsum deprimere ; non enim tuum est id quod tibi datum est, sed dantis. Si enim accepisti, ab illo accepisti : si ab illo accepisti, non rem tuam accepisti : quod si non rem tuam accepisti, cur altum sapis, quasi rem tuam habens? Quamobrem subjungit : *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Cum ergo ex concursu dictum suum probasset, ostendit vel multa illis deesse, et ait : Certe etiamsi omnia accepissetis, non oporteret gloriari ; nihil enim vestrum est : nunc autem multa vobis desunt. Et initio quidem hoc subindicavit dicens : *Non potui vobis loqui ut spiritualibus ;* et, *Nihil judicavi me scire inter vos, nisi Jesum Christum, et ipsum crucifixum :* hic vero illos pudore afficiendo id facit dicens : 8. *Jam saturati estis, jam divites facti estis.* Id est, Nulla re indigetis deinceps, perfecti evasistis, ipsum culmen attingitis, nullius ope vos egere putatis, non apostolorum, non doctorum. *Jam saturati estis.* Et recte illud, *Jam*, usurpavit a tempore ostendens improbabile esse id quod dicunt, et a ratione alienam esse illorum opinionem. Ideoque traducens illos dicebat : Tam cito ad finem pervenistis, quod fieri non poterat propter tempus. Perfectiora enim in futuro manent : paucis enim saturari infirmi est animi ; paucis existimare se divitem fieri, nauseantis est et miseri : insatiabilis enim est pietas : et puerilis est mentis a primo acceptis putare se totum accepisse, et cum vix adhuc in proœmiis sint, ac si finem apprehendissent, altum sapere. Deinde in sequentibus magis illos pudore afficit. Cum dixisset enim, *Jam saturati estis*, subjunxit : *Jam divites facti estis : sine nobis regnastis : et utinam regnaretis, ut etiam nos vobiscum regnaremus.* Gravitate multa plenus est sermo. Ideo ultimum illum induxit post multam increpationem. Ita enim gravis est admonitio et acceptabilis, cum post accusationes inferuntur verba quæ pudorem incutiant. Hoc enim vel impudentem potest animum cohibere, et magis perstringere, quam manifesta accusatio, temperareque dolorem et impudentiam ex accusatione inducendam. Illud autem in verbis pudorem incutientibus magis mirabile est, quod duo habeant contraria ; et graviorem infligant plagam quam manifesta criminatio, et eum qui arguitur graviorem sectionem passum, ad majorem tolerantiam apparent. *Sine nobis regnastis.* Hic magna est emphasis et contra doctores et contra discipulos. Ostenditur hinc illos nullam habere conscientiam atque admodum stultos esse. Hoc enim vult dicere : In laboribus omnia sunt communia et nobis et vobis ; in præmiis autem et coronis vos primi estis. Sed hæc dicens non doleo : ideoque subjunxit : *Et utinam regnaretis.* Deinde ne

[1] Hæc, *si virtutes*, desunt in editis.

videretur ironia hæc esse, adjecit, *Ut et nos vobiscum regnaremus.* Etenim et nos, inquit, hæc bona consequuti essemus. Viden' quomodo simul et gravitatem et curam ostendat philosophumque animum ? Viden' quomodo etiam fastum auferat : 9. *Puto enim quod Deus nos apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos.* Multam emphasim et gravitatem rursus exhibet, cum dicit, *Nos.* Neque hoc illi satis fuit, sed et dignitatem subjunxit, admodum eos perstringens : *Nos,* inquit, *apostolos ;* qui mala patimur innumera, qui religionis prædicationem seminamus, qui vos ad tantam philosophiam ducimus : hos novissimos ostendit tamquam morti destinatos, hoc est, ut damnatos. Postquam enim dixit, *Ut et nos vobiscum regnaremus,* et sermonis vehementiam mitigavit ; ut ne illos frangeret, idipsum rursus assumit cum majori gravitate, et ait : *Puto ego quod Deus nos apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos.* Nam ut ego video, inquit, etiamque ex iis quæ vos dicitis, omnium abjectissimi nos et damnati sumus, qui ad patiendum semper expositi sumus ; vos autem jam regnum et honores et præmia imaginamini. Volens autem ad majorem absurditatem orationem deducere, et ostendere esse illam omnino improbabilem ; non dixit, nos certe sumus novissimi ; sed, Nos Deus novissimos fecit. Nec satis habuit dixisse, *Novissimos ;* sed subjunxit et *Morti destinatos,* ut vel admodum insanus quivis dictorum improbabilitatem videret, verbaque dolentis et admodum illos pudore afficientis esse.

3. *Pauli prudentia.* — Et vide Pauli prudentiam. A quibus seipse opportuno tempore extollit, seque honorabilem et magnum ostendit ; ab iisdem illos nunc pudore afficit, damnatum se vocans. Tanta res est congruenti tempore omnia facere. Morti destinatos, hos damnatos vocat, qui mille mortibus digni sunt. *Quia spectaculum facti sumus mundo, et angelis et hominibus.* Quid est illud, *Spectaculum facti sumus mundo?* Non in angulo uno neque in parva orbis parte hæc patimur, inquit ; sed ubique et apud omnes. Quid sibi vult autem, *Et angelis?* Possunt hominibus esse spectaculum, sed non angelis, quando vilia sunt gesta ; at certamina nostra talia sunt, ut digna sint quæ spectentur ab angelis. Vide quomodo ex iisdem, queis se vilem dicit, se rursus magnum ostendat : ex quibus autem illi altum sapiebant, illos esse viles et abjectos pronuntiet. Quia enim stultos esse quam videri prudentes, et infirmos esse quam fortes, et inglorios esse quam gloriosos et illustres, abjectius esse videbatur ; et hæc quidem in illos est conjecturus, illa vero ipse sibi vindicavit : ostendit hæc illis esse meliora, si quidem per hæc non hominum modo, sed etiam angelorum populum ad sui spectaculum convertit. Non enim nobis est colluctatio adversus homines tantum, sed etiam adversus incorporeas potestates (*Ephes.* 6. 12). Ideoque magnum sedet theatrum. 10. *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo.* Rursus hoc ad pudorem incutiendum dixit, ostendens fieri non posse ut hæc contraria contingant, nec posse ea, quæ tantum a se mutuo distant, in unum convenire. Quomodo enim fieri potest, inquit, vos prudentes et nos stultos esse in rebus, quæ sunt Christi ? Quia enim illi quidem verberabantur, despiciebantur, dedecore afficiebantur, et nihil esse existimabantur ; ipsi autem honore fruebantur, sapientesque ac prudentes apud multos existimabantur : ideo hæc dicit : Quia quomodo fieri potest ut ii, qui hæc prædicant, existimentur in iis versari, quæ sunt illis contraria ? *Nos infirmi, vos autem fortes.* Id est, Nos pellimur et persequutionem patimur, vos autem securitate et famulatu multo fruimini. Sed id non patitur prædicationis natura. *Nos inglorii, vos autem gloriosi.* Hic nobiles respicit, qui de exterioribus altum sapiebant. 11. *Usque in hanc horam et esurimus et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur,* 12. *et laboramus operantes manibus nostris.* Hoc est, Non vetera narro, sed quod mihi præsens tempus testificatur. Humanarum quippe rerum nobis nulla ratio est, neque externi splendoris ; sed ad Deum solum respicimus : quod ubique facere nobis necessarium est. Neque enim angeli tantum nos spectant, sed etiam ante illos ipse agonotheta. Non itaque aliis egemus laudatoribus. Hoc enim est illi contumeliam inferre, cum illum quasi ad nos laudandos non satis sit prætercurrentes, ad conservos properamus. Quemadmodum enim qui in parvo theatro decertant, magnum quærunt, quasi illud non sufficiat ad ostentationem : sic et ii, qui ante Dei oculos decertant, deindeque laudem hominum quærentes, et majorem dimittentes ut minorem assequantur, magnum sibi attrahunt supplicium. Hoc ergo omnia sus deque vertit, hoc orbem totum turbavit, quod ad homines respicientes omnia faciamus : et in bonis nihil esse ducamus quod Deum habeamus laudatorem, sed a conservis quæramus famam et gloriam : et in contrariis rursum Deo despecto, homines formidemus. Atqui ipsi nobiscum stabunt ante tribunal illud, nihil nos juvantes ; Deus autem, quem jam despicimus, sententiam in nos feret. Attamen cum hæc sciamus, ad homines inhiamus : quod est primum peccatum : homineque vidente fornicari nemo voluerit, sed etiamsi vitio illo ardeat, affectus illius tyrannis ab hominum reverentia vincitur : Deo autem vidente non modo in adulteria et in fornicationes prorumpunt, sed et alia longe graviora audent et ausi sunt. An hoc ergo solum non sufficit ut mille fulmina de cælo inferantur ? Et quid dico adulteria et fornicationes ? Nam his longe minora ante homines perpetrare metuimus, sed Deo vidente non item. Hinc parta sunt mala omnia, quod in rebus quæ vere pravæ sunt non Deum, sed homines reveremur. Ideoque etiam ea, quæ vere bona sunt, quæque multis non bona esse videntur, fugimus, non rerum naturam examinantes, sed ad vulgi gloriam respicientes.

4. In malis quoque idipsum præstamus : quædam enim quæ vere bona non sunt, sed talia videntur esse multis, ex eadem consuetudine ut bona persequimur ; ita ut utrinque corrumpamur. Fortasse multis obscu-

rius esse videtur id quod dictum est : necesse ergo est id clarius explanare. Cum fornicamur (oportet enim a jam dictis incipere), homines magis timemus, quam Deum. Quia igitur nos sic eis subjecimus, illosque dominos nostros constituimus ; multa vero his dominis esse mala videntur, quæ mala non sunt, et illa similiter fugimus. Exempli causa, in paupertate vivere multis turpe esse videtur : et paupertatem fugimus, non quod turpis sit nec quod turpem credamus, sed quia dominis nostris esse turpis videtur, et illos timemus. Rursus inhonorari et contemni nullamque habere potestatem, a multis turpe et vilissimum existimatur. Hoc rursum fugimus, non rem damnantes, sed propter dominorum nostrorum sententiam. Rursum e contrario eamdem patimur perniciem : nam divitem esse, bonum esse videtur, itemque fastus et gloria et claritas : et hoc rursum persequimur, non rerum naturam ut bonam respicientes, sed ex opinione dominorum nostrorum persuasi. Dominus quippe noster est populus ; et vulgi turba dominus est, sævus immanisque tyrannus. Neque enim opus est ut imperet, ut ei obsequamur ; sed satis est, si nos quid illi placeat sciamus, et sine jussu paremus : tanta utimur erga illum benevolentia. Et Deus quidem quotidie minas intentans et admonens, non auditur ; turba autem incomposita, fæx hominum, ne mandato quidem opus habet ; sed satis est, ut indicet quid sibi placeat, et statim in omnibus ipsi obsequimur. Et quomodo, inquies, hosce dominos effugere quis possit ? Si majorem quam illi sensum assumat, si rerum naturam spectet, si vulgi calculum despiciat, si ante alia omnia in iis, quæ vere turpia sunt, seipsum ita instituat, ut non homines, sed insomnem illum oculum metuat, et in bonis rursum coronas ab illo quærat. Ita enim neque in aliis hominum auram feremus. Nam qui cum recte agit, ne dignos quidem censet illos, qui sua recte facta norint, sed Dei calculo contentus est, neque in contrariis aliquam eorum rationem habebit. Et quomodo, inquies, hoc ipsum erit ?

Hominum laudes non quærendæ, sed Dei. — Cogita quid sit homo, quid sit Deus, et quo dimisso ad quem confugias, et cito totum corriges. Homo tecum eidem peccato subjacet, eidem judicio, eidem supplicio : homo vanitati similis factus est, rectum judicium non habet, et superna eget correctione : homo, terra et cinis, si laudet, sæpe temere laudabit, aut ad gratiam aut ex odio ; si calumnietur et accuset, rursus eodem animo id facit. At non ita Deus ; sed irreprehensibilis est ejus calculus, et purum judicium illius. Ideoque oportet semper ad illum confugere ; neque ideo tantum, sed quia etiam ipse te fecit, et plus quam omnes tibi paruit, magisque te amat, quam tu ipse te ames. Cur ergo tam mirabili misso laudatore ad hominem confugimus qui nihil est, qui frustra et temere omnia facit ? Malum te dicit et scelestum, cum talis non sis ? Illa de causa magis illum miserare et defle, quia corruptus est, ejusque gloriam contemne, quia ejus mentis oculi excæcati sunt : siquidem et apostoli hæc audierunt, et illos se calumniantes irriserunt. At te bonum et utilem dicit ? Si talis quidem sis, nullo modo a tali gloria emolliaris ; si non talis sis, magis despice, et rem esse risu dignam puta. Vis scire quam corrupta sint vulgi judicia, quam inutilia, quam ridicula ; et alia quidem furentium et mente captorum, alia vero infantium lactentium ? Audi ut fuerint jam olim. Judicia vero tibi proferam, non populi tantum, sed eorum qui sapientissimi esse videbantur, quique legislatores fuerunt. Quis enim apud vulgus sapientior videri possit eo, qui dignus habitus est, ut civitatibus et populis leges poneret ? Attamen hisce sapientibus fornicari nihil videtur esse mali nec punitione dignum. Nulla enim externa lex fornicatores ulta est, neque hac de causa ad judicium traxit ; sed etiamsi quis eo trahatur, multi irridentet judex id non patitur. Alea ludere rursus apud illos supplicio liberum est, et nemo hac de causa pœnas dedit. Inebriari et ingurgitari cibo non modo crimen non est, sed recte factum a multis putatum fuit : et in cœnis militaribus multa ea de re est concertatio, et qui maxime egent sana mente et robusto corpore, hi maxime ebrietatis tyrannidi se dedunt, et corpus dissolventes et animam tenebris offundentes ; nullusque legislator hoc vitium punivit.

5. Quid hac insania pejus ? Num ergo laudes hominum, qui sic affecti sunt, requiris, et non teipsum defodis ? Si enim omnes ejusmodi homines te laudarent, annon oporteret erubescere et pudore suffundi plaudentibus hominibus, quorum judicia ita corrupta sunt ? Rursus blasphemia legislatoribus non terribile quidpiam esse videtur : nemo enim qui in Deum blasphemarit, ad tribunal raptatus fuit et pœnas dedit. Sed si quis vestem furetur, aut crumenam dissecet, et latera ipsi lacerantur et sæpe morte mulctatur : qui autem in Deum blasphemat, non accusatur apud externos legislatores. Et si quis uxorem habens, ancillam vitiet, id nihil apud externas leges et apud multos esse videtur.

Theatrorum ratio. Hypodromus et pugnæ ferarum quales. — Vis alia quoque audire quæ ipsorum insaniam ostendant ? nam hæc quidem non puniunt, sed alias leges statuunt. Quasnam ? Theatra colligunt, illoque meretricum choros inducunt, et pueros corruptos, qui naturam contumelia afficiunt, populum totum in superiore loco sedere jubent ; sic civitatem recreantes, sic magnos illos reges, quos semper celebrant ob tropæa atque victorias, coronantes. Verum quid est hoc honore frigidius ? quid hac voluptate ingratius ? ex hisne quæris gestorum tuorum laudatores ? et cum saltatoribus, mollibus, mimis ac meretricibus, vis, quæso te, laude frui ? et quomodo non fuerint hæc extremæ dementiæ ? Libenter enim illos interrogarem : Indignumne est naturæ leges evertere, et nefarios inducere coitus ? Omnino dicent omnes rem esse indignam ; videntur enim hoc punire flagitium. Cur ergo cinædos illos inducis, nec modo inducis, sed etiam innumeris et ineffabilibus donas muneribus ? Cum alibi eos qui talia audent punias, hic

quasi communes civitatis beneficos insumptis pecuniis, publico sumptu ipsos alis. At, inquies, infames sunt. Cur ergo illos instituis? cur per infames illos reges honoras? cur civitates enecas? cur in illos tanta impendis? nam si infames sunt, expelli debent. Cur ergo illos infames fecisti? an ut laudans, an ut condemnans? Ut condemnans utique. Ergone ut condemnans infames facis, et ut honorabiles illos visurus accurris, miraris, laudas, applaudis? Quid opus est dicere de fallaciis, quæ in hippodromis et in pugnis ferarum admittuntur; Hæc quippe omni stupore sunt plena, docentque assidue populum esse immisericordem, sævum et inhumanum, exercetque ad videndum homines discerptos, sanguinem effusum, et ferarum immanitatem omnia confundentem. Et hos omnes morbos sapientes illi legislatores ab initio induxerunt, plaudentibus ac mirantibus civitatibus. Sed, si placet, his omissis quæ aperte, ut in confesso est, absurda sunt, licet sic non visum sit externis legislatoribus, ad honoranda præcepta veniamus, et videbis etiam illa ex multorum opinione corrupta fuisse. Connubium enim res honorabilis esse videtur et nobis et externis : et est vere honorabile ; sed in celebratione nuptiarum, tot ridiculæ res accidunt, quot post hæc audituri estis. Nam ex consuetudine multi occupati ac decepti, earum absurditatem non norunt, sed egent aliis qui illos doceant. Etenim choreæ, cymbala, tibiæ, verba canticaque turpia, temulentiæ, comessationes, multaque diaboli colluvies tunc inducitur. Et scio quidem me ridiculum videri, quod hæc reprehendam, et vulgo stolidum existimari, qui veteres leges transmoveam : nam, ut supra dixi, ex consuetudine magna deceptio paritur : attamen hæc dicendi finem non faciam. Fortasse enim, fortasse, etsi non omnes, pauci tamen nos excipient, et malent nobiscum derideri, quam cum illis nos deridere, risu certe lacrymis digno magnisque pœnis atque suppliciis. Quomodo enim non fuerit extrema damnatione dignum, virginem quæ perpetuo vixerat in thalamo, quæque a prima ætate verecundiam didicerat, derepente cogi ad deponendum pudorem, et nuptiarum initio impudentiam doceri, et a lascivis petulantibusque viris, fornicatoribus et mollibus in medium produci? quod enim malum in nova sponsa non inseretur ab illo die? Impudentia, petulantia, inverecundia, vanæ gloriæ amor : volet enim dies omnes habere his similes. Hinc mulieres profusæ et sumptuosæ fiunt, hinc impudentes, hinc ipsis mala innumera. Neque mihi dicas consuetudinem. Nam si malum est, ne semel quidem fiat; si bonum, semper fiat. Dic enim mihi, fornicatio nonne mala est? an ergo concedemus illam vel semel exerceri? Nequaquam. Quare? Quia etiamsi semel tantum fiat, mala tamen est. Itaque si novam sponsam sic oblectari malum est, ne semel quidem fiat; si bonum est, semper fiat.

6. *Nuptiarum ritus describitur et damnatur.*—Quid igitur, quæso te, inquies, nuptiasne incusas? Absit : non ita insanio, sed ea quæ in nuptias advecta sunt, pigmenta, fucum et superflua alia ejusdem generis. Nam sic multos ab illo die attrahet amatores, antequam cum sponso coeat. Sed multi mulieris speciem mirabuntur. Et quid tum? Etiamsi casta fuerit, vix effugiet malam suspicionem ; sin negligens fuerit, cito capietur, accepta ab illo die libidinis occasione. Attamen cum tanta hinc mala oriantur, si quando his abstineatur contumeliam rem istam vocant illi, qui pecoribus non meliores sunt, et indignam rem putant, si mulier illa multis non producatur neque commune theatrum spectantibus prostet. Atqui oportuit existimare, illa consueta contumeliam, risum et comœdiam inferre. Nam nunc quoque scio fore ut multi nos ut stultos et risu dignos improbent : sed irrideri patiar, dum hinc aliquid lucri referatur. Etenim ridiculus essem, si dum hortor ut vulgi gloria despiciatur, ipse ante alios hoc morbo caperer. Vide quæ hinc deinceps sequantur : non solum interdiu, sed etiam vespere viros ebrios et deliciis incensos, qui ad formam virginei vultus conspiciendam sese apparant. Neque domi tantum, sed etiam per forum ad ostentationem incedunt, cum lucernis illam summo vespere traducentes, ut a cunctis conspiciatur, nihil aliud hinc suadentes, quam ut omnem illa pudorem deinceps ponat. Neque hic gradum sistunt, sed cum turpibus verbis illam ducunt : et hoc quoque in legem transiit apud multos. Et fugitivi, verberones innumeri, perniciosi homines cum licentia demum omnia pro libidine proferunt, sive in illam sive in sponsum cum illa habitaturum; et nihil honestum, sed turpia omnia et obscœnitate plena. Annon probam castitatis doctrinam percipiet sponsa, talia videns, talia audiens? Et certamen quoddam est diabolicum inter eos, qui ad talia cohortantur, ut alii alios superent opprobriis et impuris dictis, queis præsentes deturpant : illique victores discedunt, qui probra et magis turpia dicta projecere. Novi quidem me molestum, onerosum et importunum esse, qui vitæ voluptatem quamdam abscindam. Ideo doleo, quod res tam ingratæ voluptas esse putentur. Quomodo, quæso, non ingratum fuerit, contumeliis et probris affici, et ab omnibus cum sponsa dedecore et ignominia notari? Et si quispiam ex foro conjugi tuæ maledixerit, innumera moves negotia, et non vitalem esse vitam existimas; et civitate tota præsente dum turpiter agis cum futura conjuge, gaudes et te ostentas? et quantæ hæc sunt insaniæ? At, inquies, hæc ex consuetudine fiunt. Et ideo maxime lugendum, quod rem in consuetudinem concluserit diabolus. Quia enim nuptiæ res sunt honorabilis, quæ genus nostrum conservet et augeat, et multorum sit causa bonorum, dolore affectus malignus ille, et sciens illud propugnaculum esse contra fornicationem, alio ille modo omnem fornicationem inducit. In talibus enim cœtibus multæ virgines dedecore sunt affectæ. Quod si non semper; at interim satis est dæmoni, quod illa verba et improba cantica et sponsam traduxerint, et sponsum cum pompa per forum transmiserint. Deinde quia hæc in vespera fiunt, ne tenebræ malorum horumce velum sint,

lucernæ inducuntur multæ, quæ turpitudinem latere non sinunt. Quid enim sibi vult multa illa turba? quid ebrietas? quid fistulæ? nonne palam est hæc adhiberi, ut ne ii quidem, qui in domibus sunt, gravi somno obruti hæc ignorent, sed a fistulis excitati et superne ex cancellis sese inclinantes, testes sint illius comœdiæ? Quid dixeris de ipsis canticis, quæ omni plena sunt impudicitia, quæque absurdos amores, illegitimos concubitus, domorum eversiones et innumeras inducunt tragœdias, et sæpe nomen dilecti et amantis habent, nomenque dilectæ et amasiæ? Quodque gravius est, his adsunt virgines, quæ omnem exuerunt pudorem, in honorem sponsæ, imo in contumeliam; et salutem suam periculo exponunt, interque juvenes indecore se gerunt, ineptis cantilenis et verbis turpibus cum satanica symphonia utentes. Adhuene, quæso, interrogas undenam adulteria? unde fornicationes? unde nuptiarum corruptiones? At non ingenuæ et honestæ, inquies, hoc faciunt. Cur ergo me irrides, cum ipse hanc legem ante me scias? Nam si bona sunt illa, sine illas quoque id agere. Num quia illæ in paupertate vivunt? nonne et ipsæ virgines sunt, illasque castitatis curam habere oportet? Nunc autem dum saltat virgo in communi theatro impudicorum juvenum, annon, quæso, videtur tibi vel meretrice inhonestior? Quod si dixeris ancillas id facere, neque sic finem facio te accusandi: neque enim illis id oportebat permitti.

7. Omnia enim hinc mala oriuntur, quod familiæ nullam habeamus rationem; sed ad rem despiciendam satis est dicere, Servus est, ancillæ sunt: etiamsi quotidie audiant: *In Christo Jesu non servus, non liber est* (*Gal.* 3. 28). Tu vero equum quidem non despicis nec asinum, sed nihil non agis ut ne vitiosi fiant; servos autem despicis eadem qua tu præditos anima? Et quid dico servos, quando etiam et filios et filias? Quid vero postea? Necesse est, ut dolor statim subeat, cum illi omnes pessum eant; sæpe autem maximum quoque damnum, cum in turba et tumultu multa aurea pretiosa pereant. Deinde post nuptias si natus fuerit infans, eamdem videbimus amentiam et multa symbola risu plena. Nam cum infanti nomen imponere oportuerit, non sanctorum nomine appellant, ut veteres olim faciebant; sed accensis lucernis quibus nomina indunt, nato nomen indunt ejus, quæ diutius lucem dederit; hinc conjicientes futurum ut diu vivat. Deinde si immaturum morte corripi contigerit, ut sæpe accidit, multus sequetur diaboli risus, quod illos ceu stultos pueros ludificaverit.

Ligamina et crepitacula superstitiosa, aliæque superstitiones. — Quid dixeris de ligaminibus et de crepitaculis manui appensis et de stamine coccineo, deque aliis multis insania plenis; cum oporteret nihil aliud puero circumponere, quam crucis custodiam? Nunc autem hic quidem despectui est habitus, qui convertit totum orbem terrarum, et gravem diabolo plagam inflixit totamque ejus potentiam subvertit: subtegmen autem et stamen aliaque ligamina similia, ea sunt quibus creditur pueri tutela. Dicamne aliud magis ridiculum? Sed nemo nos importunitatis accuset; si eousque procedat oratio. Nam qui putredinem vult emundare, non recusabit prius inquinare manus suas. Quidnam ergo est hoc ridiculum? Quod quidem nihil esse videtur, ideoque ingemisco; sed est principium insaniæ et extremæ dementiæ [1]. Lutum mulieres in balneo accipientes, nutrices, et ancillæ, digito tingentes, in pueri fronte imprimunt; et si quis interroget, Quid sibi vult lutum, quid cœnum? Malum averti oculum, inquiunt, livoremque et invidiam. Papæ, quanta vis luti, quanta cœni potestas? tantam ut totam diaboli aciem profliget. Non pudore, quæso, suffundemini? non vel sero tandem diaboli laqueos intelligetis, quomodo ab ineunte ætate machinas suas paulatim inducat? Nam si lutum hoc faciat, cur non tu in fronte tua idipsum facis, cum vir sis et plena ætate, et plusquam puer invidos habeas? cur non luto illinis totum corpus? nam si in fronte tantam habet virtutem, cur non te totum luto inungis? Hæc sunt risus et comœdia satanica, quæ non ad irrisionem tantum, sed ad gehennam præcipitat eos qui decipiuntur. Certe quod apud Græcos talia fiant, mirum non est; quod autem apud eos qui crucem adorant, et mysteriorum arcanorum participes sunt, et tanta philosophantur, id certe multis lacrymis est dignum. Deus te unguento spirituali honoravit, et tu luto filium deturpas? Deus te decoravit, et tu teipsum dedecoras? et cum oporteret in fronte crucem adscribere, quæ insuperabilem tutelam præbet; tu his dimissis in satanicam amentiam decidis? Si quibus autem hæc parva esse videantur, discant id esse magnorum causam malorum, neque Paulo visum fuisse parva negligere. Quid enim, quæso, minus est, quam ut homo caput operiat? Sed vide quantam hujus rei curam habeat, et cum quanta prohibeat vehementia, tum alia multa dicens, tum quod caput suum dehonestet (1 *Cor.* 11. 4). Si autem qui tegit caput, ipsum dehonestat; qui luto illud ungit, quomodo non puerum reddit abominandum? quomodo, quæso, adducit eum ad manus sacerdotis? quomodo precaris, ut presbyteri manu signaculum in fronte apponantur, ubi luto unxisti? Ne, fratres, ne hæc faciatis; sed ab ineunte ætate pueros spiritualibus armis munite, et docete eos manu frontem signare; etiam prius quam possint hoc manu facere, vos ipsi eis crucem imprimite.

Præficarum usus. — Quid dixeris de aliis satanicis observationibus in doloribus uteri et in partu adhibitis, quas obstetrices in capitis sui malum inducunt? de iis item quæ in morte, et cum corpus effertur adhibentur; ejulatus nempe, planctus insani, stulta in sepulcris admissa, circa monumenta studium, intempestivum et ridiculum præficarum agmen, dierum observationes, necnon ingressus et exitus? Horumne, quæso, venaris gloriam? et quomodo hæc

[1] Hic locus sic effertur in Cod. 1: *Quod quidem nihil habere mali plerisque videtur, sed est principium incredulitatis, et extremæ dementiæ opus.*

non extremæ dementiæ fuerint, hominum ita mente corruptorum et omnia temere agentium gloriam quærere, cum oporteret semper ad insomnem illum confugere oculum, et ejus sententiam spectantes omnia facere, ac dicere? Ili certe etiamsi laudent, nihil vos juvare poterunt: ille vero, si gesta nostra ipsi fuerint accepta, et hic splendidos reddet et in futuro die arcana illa bona tribuet: quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et una Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

Cap. 4. v. 10. *Nos stulti propter Christum* (necesse enim est hinc rursum sermonem resumere); *vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes; vos gloriosi, nos autem inglorii.*

1. Postquam gravitate multa sermonem implevérat, id quod omni crimine majorem inferebat plagam, hic cum dignitate sibi congruenti hoc tractat: et cum dixisset, *Sine nobis regnastis;* et, *Deus nos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos;* per sequentia ostendit quomodo morti destinati essent, dicens: *Nos stulti et infirmi et inglorii,* 11. *et esurimus et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus,* 12. *et laboramus operantes manibus nostris:* quæ indicia vere erant doctorum et apostolorum. At illi in contrariis altum sapiebant, in sapientia, in gloria, in divitiis, quod honorarentur. Ut ergo illorum fastum deprimat, et ostendat in iis non modo non gloriari, sed etiam pudore affici oportere, primo illos traducit dicens, *Sine nobis regnastis.* Ego enim dico, inquit, præsens tempus non honoris neque gloriæ esse, queis vos fruimini; sed persequutionis et contumeliarum, quas nos patimur. Quod si hoc ita non sit, etsi jam tempus remunerationis sit, ut video (hoc autem per ironiam dicit), vos quidem discipuli jam regnastis; nos autem doctores et apostoli, qui ante omnes mercedem accipere debebamus, non modo vobis posteriores sumus, sed etiam ut morti destinati, id est damnati, semper in ignominia, in periculis, in fame degimus, contumelia affecti tamquam stulti, pulsi et intolerabilia patientes. Hæc porro dicebat, ut ex iis persuaderet ipsis, quod apostolorum gesta deberent æmulari, pericula nempe et contumelias, non autem honorem et gloriam: non enim illa, sed hæc postulat prædicatio. Sed hoc tamen non directe dicit, ut ne videatur ipsis molestus esse; sed ut illum decebat, sic tractat hanc increpationem. Nam si directe sermonem induxisset, sic dicturus erat: Erratis et fallimini et longe abestis ab admonitione apostolica: oportet enim apostolum et ministrum Christi stultum videri, atque in afflictione et contemptu degere, ut nos degimus; vos autem in contrariis estis. Sed sic hæc magis illos commovissent, utpote quæ apostolorum encomia præ se ferrent, et illos reddidissent audaciores, ut qui accusarentur socordiæ, inanis gloriæ et divitiarum. Idcirco non hoc modo dicta procedunt, sed alio, qui magis quidem perstringit, sed minus molestus est. Quapropter ita profert orationem per ironiam, dicens: *Vos autem fortes et gloriosi.* Nam si ironia non usus esset, ita dixisset: Fieri non potest, ut alius stultus putetur, alius prudens, alius fortis, alius infirmus, prædicatione utrumque non [1] postulante. Nam si liceret hos tales, alios aliud esse, quæ a nobis proferuntur, aliquam fortasse rationem haberent: nunc autem hoc non licet, nimirum prudentem vel gloriosum videri ac sine periculo degere. Sin minus, necesse est ut Deus vos nobis prætulerit, vos discipulos doctoribus, qui innumera passi sumus. Quod si hoc nemo dixerit, restat ut nostra vos persequamini. Et ne quis putet, inquit, me præterita tantum commemorare: *Usque in hanc horam et esurimus et sitimus et nudi sumus.* Viden' totam Christianorum vitam talem esse debere, non uno vel altero die? Neque enim athleta, qui in uno tantum victor certamine coronatus est, iterum coronatur cum succubuerit. *Et esurimus,* adversus eos qui in deliciis agunt: *et colaphis cædimur,* adversus eos qui inflati sunt: *et instabiles sumus pulsi,* adversus eos qui labuntur: *et nudi sumus,* adversus eos qui sunt divites: *et laboramus,* jam contra falsos apostolos, qui nec laborare nec periclitari sustinent, sed ipsi fructum percipiunt. At nos non sic, inquit; sed cum externis periculis nos quoque perpetuo exercemus labore. Quodque majus est, nemo possit dicere nos hæc ægre ferre aut persequentes nos accusare: illos enim qui nos vexant, per contraria remuneramus. Hoc quippe magnum est, non autem male pati; quod omnibus est commune; verum patientes nec ægre nec indigne ferre.

2. Nos autem non modo non ægre ferimus, sed etiam exsultamus; cujus rei hoc signum est, quod eos, qui nobis mala inferunt, contrariis remuneremus. Quod autem hoc facerent, audi sequentia: *Maledicimur, et benedicimus; persequutionem patimur, et sustinemus;* 13. *blasphemamur, et obsecramus, tamquam purgamenta mundi facti sumus.* Hoc est, stulti propter Christum. Nam qui male passus est, et neque se ulciscitur neque dolet, stultus videtur esse apud externos et inglorius infirmusque. Ac ne molestiorem redderet orationem, ad illorum civitatem ærumnas reducens, quid dicit? *Purgamenta,* non urbis vestræ, sed *mundi facti sumus;* et rursus, *Omnium peripsema,* non vestrum tantum, sed omnium. Sicut ergo cum de Christi cura loquitur, terra, cælo et omni creatura relictis, crucem in medio ponit: ita etiam quando ad se vult attrahere, signis prætermissis, quæ propter ipsos passus est dicit. Ita quoque solemus cum injuria afficimur vel despicimur a quibusdam, quæ pro illis passi sumus in medium addu-

[1] In quibusdam Codd. deest negatio.

cere. *Omnium peripsema usque adhuc.* Vehementem plagam inducit in fine. *Omnium*, inquit, non persequentium, sed eorum propter quos hæc patimur : hoc est, Magnam ipsis gratiam habeo. Graviter ferentis est verbum, non quod ipse angatur, sed quod illos perstringere velit. Nam qui potest innumera proferre crimina, illos salutat. Ideo jubet Christus contumelias nos mansuete ferre, ut et ipsi philosophemur, et contumeliosos pudore magis afficiamus. Non enim ita contumelia afficiens, ut silens hoc facit. Deinde quia vidit intolerabilem esse plagam, statim illi medetur dicens : 14. *Non ut confundam vos hæc scribo, sed ut filios meos dilectos moneo* Non ut pudore afficiam vos, inquit, hæc dico. Quod per verba fecit, se non fecisse dicit; imo vero se fecisse dicit, sed non malo animo vel ex odio. Hæc est enim optima curatio, cum verbum dixeris, excusationem ex mente proferre. Nam hæc non dicere non licebat, quia incorrecti mansissent : postquam autem dixerat, plagam incuratam relinquere, grave fuisset : quare cum gravitate excusat. Hoc enim non modo incisionem non tollit, sed etiam efficit, ut profundius infigatur, dum plagæ dolorem omnem consolatur. Qui enim audit ipsum non exprobrantem, sed amantem hæc dicere, libentius correctionem accipit. Multa est hic quoque gravitas et ad pudorem provocatio. Non enim ut doctor, non ut apostolus, non ut qui discipulos habeam, quod dignitatis est, sed, *Ut filios meos carissimos moneo :* nec tantum filios, sed desideratos. Ignoscite mihi, inquit, si quid molestum dixi : hæc ex dilectione fiunt. Nec dixit, Corripio, sed, *Moneo.* Quis vero non ferat patrem dolentem, et quæ decet consulentem? Ideo non hæc prius dixit, sed postquam plagam inflixerat. Quid ergo, inquies? non parcunt nobis alii doctores? Non sic dico, sed non ita parcunt. Verum hoc quidem breviter non dixit, sed per studia et nomina hoc indicavit, ut qui pædagogum posuerit et patrem. 15. *Nam et si multos pædagogos*, inquit, *habeatis in Christo, sed non multos patres.* Non dignitatem hic ostendit, sed caritatis magnitudinem; neque illos perstrinxit cum addidit, *In Christo*, sed consolatus est illos, non adulatores, sed pædagogos vocans illos, qui studia et labores ferebant, suamque curam ostendit. Ideo non dixit, Sed non multos doctores, sed, *Non multos patres.* Sic non dignitatem apponere voluit, neque ostendere quod multam utilitatem ab ipso accepissent; sed cum concessisset, quod illi multa præstitissent ipsis (talis enim erat pædagogus), dilectionis exsuperantiam sibi reservat. Talis enim est pater. Nec dicit modo, Nemo vos ita amat, quod absque reprehensione fuisset; sed rem uti gesta est in medium adducit, Qualis illa erat? *Nam in Christo Jesu per evangelium ego vos genui.* In Christo Jesu : non mihi hoc adscribo. Rursus illos pungit, qui sibi laudem doctrinæ tribuebant. *Vos enim estis*, inquit, *signaculum apostolatus mei* (1. *Cor.* 9. 2). Et rursum, *Ego plantavi;* et hic, *Ego genui.* Non dixit, Annuntiavi verbum; sed, *Ego genui*, naturæ usus nominibus. Unum enim illi curæ erat, ut dilectionem erga illos suam exhiberet. Illi namque cum a me accepissent, vos induxerunt; quod autem fideles sitis, per me factum est. Quia enim dixit, *Ut filios*, ne adulationis verbum esse existimares, rem ipsam profert. 16. *Rogo igitur vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Papæ, quanta doctoris fiducia, quam accurata imago, cum etiam alios ad hoc advocat? Non sese extollens autem hoc facit, sed ut ostendat facilem esse virtutem.

3. *Christum imitari possumus. Chrysostomo plauditur. Pauli et ipsius virtutum descriptio.* — Ne mihi enim dixeris, Non possum te imitari : tu doctor es et magnus. Non enim tantum spatii inter me et vos interest, quantum inter Christum et me : attamen illum ego imitatus sum. Cum ergo Ephesiis scribit, non se medium ponit, sed statim ipsos omnes illuc adducit, *Estote imitatores Dei* (*Ephes.* 5. 1) dicens : hic vero, quia infirmos alloquebatur, seipsum interposuit. Alioquin autem ostendit, quod sic quoque fas sit Christum imitari. Nam qui accuratum signaculum est imitatus, archetypum imitatus est. Videamus ergo quomodo ipse Christum imitatus sit. Nam hujusmodi imitatio non tempore et arte opus habet, sed proposito tantum. In pictoris enim officinam ingressi, non poterimus imaginem imitari, etiamsi illam millies aspiciamus : hunc autem vel ex solo auditu imitari licet. Vultis ergo, tabula in medium adducta, describamus vobis Pauli institutum vitæ? Prostet igitur tabula multo splendidior quam regiæ imagines. Nam quod hic subjicitur, non sunt asseres conglutinati, non imposita sindones, sed opus Dei subjicitur : anima enim est et corpus. Anima Dei opus, non hominum; et corpus similiter. Hic plausistis? Sed non hoc plausuum tempus est, sed in sequentibus tempus plaudendi et imitandi erit. Interim enim materia subjicitur, communis omnibus. Anima enim ab anima nihil differt, quatenus anima est, sed propositum differentiam ostendit. Sicut enim corpus a corpore, quatenus corpus est, nihil differt; sed simile est et corpus Pauli et corpus multorum, sed pericula illius corpus alio corpore splendidius efficiunt : ita et de anima dicendum. Ponatur ergo tabula nobis, anima nempe Pauli. Hæc tabula nuper jacebat fuligine obducta, plena telis aranearum : nihil enim est blasphemia pejus. Quia autem venit is, qui omnia transformat; et vidit non ex ignavia et socordia ita depictam esse, sed ex imperitia, et quod non haberet flores pietatis; zelum quippe habebat, colores vero non aderant; non enim zelum secundum scientiam habebat : dat illi florem veritatis, id est, gratiam; ac repente regiam ostendit imaginem. Acceptis namque coloribus, cum didicisset illa quæ ignorabat, non exspectavit tempus, sed statim optimus artifex visus est; et primo ostendit regium caput, Christum prædicans; deinde reliquum corpus, quod est accuratum vitæ institutum. Pictores quidem, cum se incluserint, cum accuratione magna et quiete omnia faciunt, nemini ostia aperientes : hic autem in medio orbe tabulam proponens, omnibus contradicentibus, tumultuantibus, turbantibus, ita

hanc regiam imaginem fecit, nec prohibebatur, ideoque dicebat : Spectaculum facti sumus mundo, in medio terræ et maris et cæli et totius orbis, mundique hujus tam sensibilis quam spiritualis, depingens imaginem. Vultis quoque cæteras ejus partes videre a capite usque deorsum? aut vultis ab inferiori parte sermonem sursum deducamus? Contemplare ergo statuam auream, imo ea pretiosiorem, qualem in cælo stare par est; non plumbo vinctam, neque uno in loco positam; sed a Jerusalem usque ad Illyricum currentem et in Hispaniam abeuntem, et quæ quasi alata per orbem terræ feratur. Quid his pedibus fieri possit speciosius, qui totam quæ sub sole est terram pervaserunt? Hanc speciem jam olim propheta prædicavit dicens : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem* (*Isai.* 52. 7)! Viden' quam pulchri pedes sint? Visne et pectus videre? Accede, hoc etiam tibi ostendam, et multo splendidius videbis, quam pedes illos speciosos, et ipso veteris legislatoris pectore. Moyses quidem tabulas gestavit lapideas; hic vero intus habuit Christum, ipsam regiam gestabat imaginem et propitiatorii. Ideo Cherubinis honorabilior erat. Non enim talis inde vox ferebatur, qualis hinc; sed illic plura disserebat de sensilibus, ex lingua autem Pauli de rebus quæ supra cælos sunt : et ex propitiatorio Judæis solis oracula ferebat, hinc vero toti terrarum orbi : et illic quidem per inanima, hic vero per animam virtute præditam.

4. Hoc propitiatorium cælo splendidius erat, non stellarum varietate fulgens neque radiis solaribus, sed ipsum solem justitiæ habens inde radios emittentem. Et hoc quidem cælum nubes subiens aliquando tristius reddit : pectus vero illud nulla unquam talis tempestas subiit; imo potius sæpe tempestates subtercurrebant multæ, sed lucem non obscurabant; sed in media tentatione et in periculis lux illa effulgebat. Quamobrem ipse catenis vinctus clamabat : *Verbum Dei non est alligatum* (2. *Tim.* 2. 9). Ita semper per illam linguam radios emittebat; nec metus nec periculum pectus illud obscurum reddebant. Fortasse videtur pectus illud pedes longe retro relinquere : sed illi tamen ut pedes pulchri sunt, et hoc etiam ut pectus pulchrum est. Vis et ventrem videre speciosum? Audi quid de illo dicat : *Si cibus scandalizat fratrem meum, non comedam carnem in æternum.* (1. *Cor.* 8. 13). Bonum est carnem non comedere, nec vinum bibere, neque rem quamcumque, in qua frater tuus offenditur aut scandalizatur, aut infirmatur. *Esca ventri, et venter escis* (*Id.* 6. 13). Quid hoc ventre fuerit speciosius, qui ita doctus erat quiescere, et omnem temperantiam exhibere, qui sciret esurire, famem pati et sitire? Quemadmodum enim equus bene assuetus habenas habens aureas, ita et hic numerose incedebat cum naturæ necessitatem superasset : nam Christus incedebat in illo. Hoc autem tam temperanter agente, palam est vitium aliud omne solutum fuisse. Vis etiam videre eas quæ nunc sunt manus? aut vis prius illorum pristinam nequitiam videre? Ingressus ille domos, nuper viros et mulieres trahebat, non viri manus habens, sed immanis feræ. Postquam autem colores veritatis accepit, et spiritualem peritiam, non ultra viri fuere manus illæ, sed spirituales, quotidie catenis constrictæ; et neminem umquam percusserunt, sed millies percussæ sunt. Hasce manus aliquando vipera reverita est : non enim jam erant hominis manus; ideoque non attigit eas. Vis etiam tergum videre reliquis membris simile? Audi quid de illo dicat : *Quinquies quadragenas una minus accepi a Judæis. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium pertuli, nocte et die in profundo maris fui* (1. *Cor.* 11. 24. 25). Sed ne nos in profundum immensum dejecti, multum circumagamur, singula ejus membra persequentes; age jam a corpore discedentes, aliam pulchritudinem videamus, nempe a vestimentis, quam dæmones reverebantur; ideoque fugiebant, et ægritudines curabant. Et ubicumque appareret Paulus, omnia cedebant et amovebantur, utpote cum advenisset orbis terrarum pugil. Ac quemadmodum ii, qui multas in bello plagas acceperunt, si viderint arma ejus qui illos percussit, horrescunt : ita et dæmones semicinctia tantum videntes, discedebant. Ubi sunt nunc divites, qui in divitiis altum sapiunt? ubi illi, qui dignitates suas numerant sumptuosaque vestimenta? Cum his se comparantes, sua omnia videbunt esse cœnum et lutum. Et quid dico vestimenta et aurea? Si enim quis mihi totius orbis imperium daret, unguem solum Pauli, isto imperio fortiorem esse putarem, paupertatem ejus, omni voluptate, ignobilitatem omni gloria, omnibus divitiis nuditatem, omni licentia impactos sacro illi capiti colaphos, omni diademate lapides quos excepit. Hanc coronam desideremus, dilecti : et etiamsi persequutio non sit, interim nos præparemus. Neque enim a persequutionibus tantum hic vir splendidus erat : nam dicebat : *Castigo corpus meum* (1. *Cor.* 9. 27); hoc vero sine persequutione recte fieri potest. Et admonebat carnis curam non faciendam esse ad concupiscentias (*Rom.* 13. 14); et rursus : *Habentes alimenta et vestes, his contenti simus* (1. *Tim.* 6. 8). Ad hæc enim non opus est persequutionibus. Et opulentos quoque ad temperantiam vocabat dicens : *Qui volunt esse divites, incidunt in tentationem* (*Ib.* v. 9). Si igitur nos quoque sic exerceamus, in agonem ingressi coronabimur; et licet persequutio non sit, multa pro his recipiemus præmia. Si vero corpus impinguemus, et porcorum vitam ducamus, etiam in pace multa peccata admittemus ac dedecus feremus. Non vides adversus quos nobis sit colluctatio? Adversus incorporeas potestates. Quomodo ergo cum caro simus, has superabimus? Nam si cum homine quis pugnaturus temperanter comedere debet, multo magis si adversus dæmonas. Quando autem cum carnis pinguedine divitiis etiam fuerimus alligati, unde adversarios superabimus? Vinculum enim sunt divitiæ, vinculum grave iis, qui illis uti nesciunt, tyrannus crudelis et inhumanus, servis suis omnia imperans ad perniciem. Sed, si velimus, hanc acerbam tyrannidem e solio decutie-

mus, et nobis cedere compellemus, non imperare. Quomodo ergo hoc fiet? Cum divitias omnibus distribuemus. Donec enim opulentia sola cum solis erit ut latro in solitudine, omnia inferet mala : cum autem illam in medium adducemus, non ultra nobis imperabit, cum omnes illam undique alligent.

5. *Pecuniæ non malæ, si bene illis utamur.* — Et hæc dico, non quod peccata sint pecuniæ; sed peccatum est non eas pauperibus distribuere, et male illis uti. Nihil enim malum Deus fecit, sed omnia valde bona. Itaque bonæ etiam sunt pecuniæ, sed si possidentibus non imperent, si paupertatem proximi solvant. Neque enim lux illa bona, quæ non delet tenebras, sed auget eas; neque divitias sic appellarim, quæ non solvant paupertatem, sed augeant illam. Nam qui dives est, non quærit ab aliis accipere, sed aliis opem ferre : qui vero ab aliis quærit accipere, jam non dives est, sed ipse pauper. Itaque non divitiæ malæ sunt, sed pauper animus, qui divitias deducit in paupertatem. Hi miseriores sunt illis qui in angiportis mendicant, iis qui cæci et mutilato corpore sunt; et qui sericis splendidisque vestibus amicti sunt, iis qui laceris pannis induuntur; qui in foro superbe incedunt inferiores sunt iis, qui in biviis vadunt et in aulas ingrediuntur, ab imo clamant mendicantes. Hi namque Deum laudant, et misericordiæ multæque philosophiæ verba proferunt : ideoque illos miseramur et manus ipsis porrigimus, ac numquam accusamus. Qui autem male divitias possident, crudelitatis, immanitatis, rapinæ et concupiscentiæ verba proferunt. Ideo apud omnes odiosi et ridiculi habentur. Considera autem, quid apud omnes homines turpe esse videatur, an a divitibus petere an ab inopibus? Palam certe est, ab inopibus. Hoc itaque faciunt divites; non enim auderent ad ditiores accedere. Qui autem mendicant, a locupletibus petunt : neque enim mendicus a mendico petit, sed a divite; dives autem pauperem discerpit. Rursus quid, quæso, honestius, a lubentibus et gratiam habentibus accipere, an invitos cogere et pertubare? Palam est honestius esse invitos non turbare. Sed hoc divites faciunt. Nam pauperes a lubentibus accipiunt et gratiam habentibus; divites autem ab invitis et repugnantibus : quod majoris est paupertatis demonstratio. Si enim ad prandium nemo velit accedere, nisi gratiam ipsi habeat is qui invitat, quomodo bonum fuerit pecunias vi extorquere? Canes nonne ideo aversamur et fugimus latrantes, quod nobis assidue instent et nos urgeant? Hoc et divites faciunt. At honestius, ut cum dono adsit metus. Hoc certe omnium turpissimum est : qui enim omnia movet ut accipiat, quo homine magis ridiculus non fuerit : Etenim sæpe cum canes metueremus, ea quæ tenebamus projecimus. Quid rursus, dic mihi, turpius pannis laceris involutum petere, an sericas vestes ferentem? Quando enim quis dives senes colit pauperes, ut res illorum accipiat, etiamsi liberos habeant, qua venia dignus erit? Si vultis autem, ipsa quoque verba examinemus; quænam scilicet divites petentes dicant, et quænam pauperes. Quid ergo dicit pauper? Quod qui dat eleemosynam non parce dabit, quod ea det quæ a Deo sunt, quod Deus sit benignus et majora retribuat : quæ omnia philosophiæ sunt verba et exhortationis et consilii. Rogat enim te ad Dominum respicias, et metum tibi tollit futuræ paupertatis : ac multam quis videat doctrinam in verbis mendicantium. Divitum autem verba qualia sunt? Porcorum, canum, luporum aliarumque ferarum. Nam alii de mensis, de obsoniis, de condimentis, de vino omnis generis, de unguentis, de vestibus, deque omni alio luxu et profusione : alii de usuris, de fœnoribus; et schedas fingentes, ac debitorum intolerabilem attollentes magnitudinem, tamquam a patribus et avis initium sumpserint, hujus domum, illius agrum, alterius mancipium auferunt facultatesque omnes. Quid vero dixeris ac testamentis, quæ non atramento, sed sanguine scripta sunt? Aut enim in non ferendum inductos periculum, aut modicis promissis incantatos, quos viderint quædam modica possidentes, eo induxerunt ut cognatos omnes et paupertate sæpe pereuntes missos facerent, seque pro illis heredes adscriberent. Hæc autem quarumnam ferarum non superant feritatem? Quapropter, obsecro, omnes hujusmodi divitias fugiamus, turpes et cædibus refertas; et spirituales illas possideamus, thesaurosque in cælo requiramus. Nam qui hos habent, illi certe divites sunt, illi opulenti, et fruuntur omnibus quæ hic et illic sunt. Qui enim secundum Dei verbum pauper esse vult, omnium domos habet apertas. Nam ei, qui propter Deum nihil possidet, unusquisque sua confert : qui vero parva cum injustitia vult habere, omnium sibi ostia clausit. Ut ergo et quæ hic et quæ illic sunt bona assequamur, eligamus immotam et immortalem opulentiam : quam utinam nos omnes consequamur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, etc.

HOMILIA XIV.

Cap. 4. v. 17. *Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus dilectus et fidelis in Domino, qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Jesu.*

1. *Paulus igne ardentior.* — Hic quoque consideres velim generosam animam, igne ardentiorem et acriorem. Volebat quidem ipse adesse, Corinthiis maxime sic ægrotantibus et seditione agitatis. Probe sciebat enim, quam prodesset discipulis præsentia sua, et quantum obesset absentia. Et illud quidem indicavit in Epistola ad Philippenses, dicens, *Non ut in præsentia mea tantum, sed multo magis nunc quoque in absentia mea, cum timore et tremore salutem vestram operamini* (*Philipp.* 2. 12) : hoc autem ostendit in hac epistola dicens : 18. *Tamquam non venturus sim ad vos inflati sunt quidam;* 19. *veniam autem.* Festinabat itaque et cupiebat ipse adesse; sed quia hoc

nondum licebat, promissione adventus sui illos corrigit : neque hoc tantummodo, sed etiam missione discipuli. *Ideo* namque, inquit, *misi ad vos Timotheum. Ideo :* quare? Quia vestrum ut filiorum curam gero, ut qui vos genuerim. Et cum commendatione personæ est epistola : *Qui est filius meus dilectus, et fidelis in Domino*. Hoc autem dixit, et ut amorem suum ostendat, et ut illos præparet ad illum reverenter videndum. Neque tantum fidelem dicit, sed, *In Domino;* id est, in rebus quæ secundum Dominum sunt. Quod si in sæcularibus rebus fidelem esse laus est, multo magis in spiritualibus. Si ergo dilectus ejus filius sit, cogita quantus sit amor Pauli in Corinthios, quorum gratia ab illo voluerit separari. Si autem fidelis sit, inculpate res administrabit. *Qui vos commonefaciet.* Non dicit, Docebit, ne id ægre ferrent, ut qui ab ipso discerent. Ideoque in fine ait : *Opus enim Dei operatur sicut et ego* (1. *Cor.* 16. 10) : ne quis ergo illum despiciat. Nulla enim in apostolis erat invidia, sed unum spectabant, nempe Ecclesiæ ædificationem : et si minor erat is qui operabatur, cum omni studio fovebant illum et juvabant. Quapropter non satis habuit dicere, *Commonefaciet;* sed illorum invidiam magis abscindere volens (juvenis namque erat Timotheus) : ideo subjunxit, *Vias meas.* Non suas, sed, *Meas;* id est, œconomias, pericula, mores, leges, statuta, canones apostolicos et alia omnia. Quia enim dixit, *Nudi sumus et colaphis cædimur et instabiles sumus :* et hæc, inquit, omnia vos commonefaciet et leges Christi, ut hæreses deleat. Deinde superiora repetens subjungit, *Quæ sunt in Christo :* omnia uti solet Domino referens, et fide digna sequentia reddens : quare subdit : *Sicut ubique in omni Ecclesia doceo.* Nihil apud vos novi dixi : horum mihi consciæ sunt reliquæ omnes Ecclesiæ. Vias autem illas in Christo dicit, ostendens illas nihil humanum habere, et cum ejus auxilio se recte omnia gerere. Postquam autem hæc dixit et illos curavit; aggressurus accusationem fornicatoris, rursus ira plenos sermones emittit, non quod ille ita affectus esset, sed ut illos corrigat; et fornicatore dimisso, alios alloquitur, ne suis quidem verbis dignum illum judicans : quod erga servos qui admodum offenderunt facere solemus. Et quia dixit, Timotheum mitto; ne ideo segniores evadant, vide quid dicat : *Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam.* His enim et illos perstringit et alios quosdam, altos illorum sensus exagitans. Est enim crimen appetiti principatus, absentia doctoris ad arrogantiam uti. Quando enim plebem alloquitur, perpende mihi quomodo ad pudorem inducat; quando autem eos qui in causa mali sunt, vehementius agit. Illis enim dicit, *Omnium peripsema;* illosque leniens addit, *Non ut confundam vos, hæc scribo :* his autem, *Tamquam non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam;* ostendens puerilis animi esse arrogantiam. Etenim pueri absentia magistri segniores fiunt. Hoc ergo indicatur, et quod præsentia satis sit ad correctionem.

2. Quemadmodum enim leone præsente omnia terrentur animalia : sic præsente Paulo pertimescebant ii qui Ecclesiam corrumpebant. Ideo subjunxit: 19. *Veniam autem cito ad vos, si Dominus voluerit.* Sed hoc solum dicere, comminantis esse videbatur; operum autem demonstrationem et ipsum promittere et ab illis exigere, hoc magni et sublimis erat animi. Quamobrem et hoc subjunxit, dicens : *Et cognoscam, non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem.* Non enim ex propriis recte factis, sed ex doctoris absentia suborta erat arrogantia : quod ipsum quoque animi erat despicientis. Ideo cum dixisset, *Misi Timotheum*, non statim dixit, Veniam, sed cum prius ipsos accusasset quod inflati essent, tunc ait, *Veniam.* Nam si ante accusationem illud posuisset, excusatio potius visa fuisset, ut qui non defuisset, et non comminatio, nec credibilis sermo fuisset; nunc autem post accusationem positum dictum, et fide dignum et terribilem reddidit. Et vide ejus firmitatem securitatemque. Non enim simpliciter dixit, *Veniam*, sed, *Si Dominus voluerit;* nec tempus constitutum ponit. Quia enim contigit eum tardius accedere, ex incerto vult illos dubios animi et suspensos tenere. Et ne propterea rursus concidant, addidit, *Cito. Et cognoscam, non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem.* Non dixit, Cognoscam sapientiam, neque signa; sed quid? *Non sermonem;* et illud prolato nomine deprimens, et hoc extollens. Et interim sermonem dirigit ad eos qui fornicatorem fovebant. Nam si illum alloqueretur, non diceret virtutem, sed opera, quæ corrupta erant. Et cur non quæris sermonem? Non quod verbis egeam, sed quia in virtute res nostræ consistunt. Ut igitur in bello non multa loquentium, sed multa patrantium sunt præclara gesta : ita hic quoque non loquentium, sed operantium est victoria. Altum sapis ob facundiam, inquit; sed si rhetorum certamen esset et tempus, recte ideo tibi placeres; si autem apostolorum veritatem annuntiantium, et illam signis confirmantium, quid inflaris de re superflua, quæ nihil est, et ad præsentia nihil conferre possit? Quid enim verborum ostentatio posset ad mortuum suscitandum, aut dæmones pellendos, aut aliud quodpiam miraculum patrandum. His nunc opus est, et per hæc res nostræ consistunt. Ideoque subjunxit : 20. *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* Per signa, inquit, non per facundiam vicimus, et quod divina sit doctrina nostra, et regnum cælorum annuntiemus, maximum argumentum præbuimus, signa nempe, quæ per virtutem Spiritus facimus. Si ergo magni quidam viri esse volunt ii qui nunc sunt inflati, cum advenero, ostendant, si quam talem virtutem habeant; neque verborum fastum mihi obtendant : ars enim illa nihil ad nos. 21. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?* Multum terroris et multum lenitatis hic sermo præ se fert. Dicere enim, *Cognoscam*, sese continentis erat; dicere autem : *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* ejus est qui in doctrinæ solium ascendit, et inde disserit, totamque auctoritatem accepit,

Quid est, *In virga?* id est, in castigatione, in supplicio; hoc est, De medio tollam, excæcabo: quod in Sapphira Petrus fecit, et ipse in Elyma mago. Non enim jam dicit, tamquam se cum illis comparans, sed cum auctoritate. Et in secunda epistola hoc ipsum dicere deprehenditur, cum ait: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Christi* (2. *Cor.* 13. 3)? *In virga veniam, an in caritate?* Quid enim, in virga venire, annon caritatis? Caritatis quidem erat; sed quia qui diligit, vix ad pœnam sumendam ducitur, ideo ita loquitur. Cum ergo de supplicio dicebat, non dixit, Et spiritu lenitatis, sed, *Virga.* Quamvis illud quoque Spiritu fieret: est enim spiritus mansuetudinis et spiritus severitatis; verum non vult illum ita, sed a benignioribus vocare. Propterea Deus quoque etiamsi puniat, quod sit misericors, longanimis et dives in misericordia et miserationibus, sæpe dicitur; quod vero puniat, semel aut bis aut certe raro, idque urgente causa. Et vide sapientiam Pauli. Cum potestatem haberet, alterutrius rei dat ipsis, optionem, dicens: *Quid vultis?* res est posita in vestra potestate. Etenim et hoc et illud est positum in nostra potestate, ut vel in gehennam incidamus, vel regnum consequamur: quoniam Deus sic voluit. *Ecce* enim, inquit, *ignem et aquam: ad quod volueris extendes manum tuam* (*Eccli.* 15. 16. *in Græco*); et, *Si volueritis, et me audieritis, bona terræ comedetis*[1] (*Isai.* 1. 19).

3. *Regnum cælorum quomodo acquirendum.* — At fortasse dicet quispiam, Volo. Et nemo ita stultus est ut nolit, sed non sufficit mihi velle. Enimvero sufficit, si velis ut oportet, et ea facias quæ volentis sunt: nunc autem non admodum vis. Et hoc in aliis exploremus, si placet. Dic enim mihi, qui vult uxorem ducere, satisne habet quod velit? Nequaquam; sed etiam pronubas quærit, et amicos rogat secum vigilent, pecuniasque colligit. Rursus mercator, non domi sedens satis habet quod velit, sed navem conducit, et nautas remigesque colligit, pecuniam dat fœnori, et de locis, deque rerum venalium pretio curiose inquirit. Quomodo igitur non absurdum fuerit in terrenis tantam adhibere curam; cælum autem emere volentes, sola voluntate contentos esse? imo vero ne hoc ipsum cum congruenti diligentia præstare? Nam qui vult ut oportet, res quoque aggreditur, quæ ad rem expetitam ducunt. Etenim quando esuries necessitatem affert cibi, non exspectas ut alimenta sponte sua ad te veniant, sed nihil non agis ut escam colligas: et in siti et in frigore, in aliisque omnibus navus es et ad curam corporis paratus. Hoc ergo circa regnum cælorum facito, et omnino ipsum consequeris. Ideo namque te libero arbitrio præditum fecit Deus, ut ne postea accuses eum quasi necessitate colligatus. Tu vero de iis, quorum honorem es consequutus, de iis, aquam, indignaris? Nam multos audivi dicentes. Cur ne fecit virtutis, si velim, compotem? Sed oportebatne te dormientem et dormitantem, vitiis addictum, deliciantem, ventri indulgentem in cælum inducere? At a vitio non abstinuisses. Si enim nunc instantibus minis, neque sic a nequitia abstines, etiamsi cælum tibi præmium proposuisset, quandonam cessavisses fieri socordior et multo deterior? Non enim dicere possis, Ostendit quidem bona, sed opem non tulit: multum enim auxilii tibi pollicetur. Sed virtus, inquies, onerosa est et molesta; cum vitio autem multum commiscetur voluptatis; et hoc quidem latum est et spatiosum, virtus autem arcta et angusta. Num, quæso, semper an ab initio ambo ejusmodi fuerunt? De virtute enim invitus dicis ea quæ dicis; ita potens est veritas. Nam si duæ essent viæ, quarum alia ad fornacem, alia ad paradisum duceret, et lata quidem ad fornacem, arcta vero ad paradisum: utram eligeres viam? Etiamsi enim nunc disputans contradicas, quantumvis impudens fueris, iis quæ in confesso sunt non poteris contradicere. Nam quod ea sit magis eligenda, quæ habet durum initium, non autem finem, ab iis quæ in promptu sunt docere conabor. Et si placet, artes primum tractemus: illæ namque initium labore plenum habent, finem vero quæstuosum. At nemo, inquies, artem attigit, nisi a quopiam cogeretur. Nam si puer sui juris sit, malet in deliciis vivere initio, et in fine innumera perpeti mala, quam in principio misere vivere, et laborum illorum fructum postea assequi. Ergo illa eligere est orphanicæ mentis et puerilis socordiæ; contraria vero prudentis et virilis animi. Sic igitur et nos, nisi animo pueri simus, non illi orphano et insano, sed illi patrem habenti similes erimus. Oportet ergo puerilem mentem abjicere, non autem res ipsas accusare, et aurigam conscientiæ imponere; qui non sinat ventri indulgere, sed currere et decertare. Quomodo enim absurdum non fuerit, pueros cum labore et sudore initium ducere in rebus quæ principia habent laboriosa, finem autem gratiosum; nos autem contrario modo affici erga res spirituales? Etiamsi in rebus sæcularibus non omnino certum sit finem fore bonum. Nam immatura mors, paupertas, sycophantia, rerum mutationes et similia multa, post multos labores ut fructu privemur efficiunt. Si vero iidem quod quærunt assequantur, non magnum percipient fructum; in præsenti namque vita illa omnia dissolvuntur. Hic autem non curramus pro hujusmodi rebus frigidis et fluxis, neque de fine timemus; sed major et securior spes est post discessum ex hac vita. Quænam ergo venia erit, quæ excusatio nolentibus adire labores pro virtute suscipiendos? Sed adhuc interrogant, Cur angusta est via? Ad regias ædes terrenas non sinis intrare scortatorem quemquam vel ebrium aut mollem; et in cælum ipsum cum licentia, deliciis, ebrietate, avaritia vitiisque omnibus, homines induci rogas? an hoc venia dignum est?

4. Non hoc, inquies, dico; sed cur virtus non viam latam habet? Atqui si velimus, admodum facilis erit. Quid enim, quæso, facilius est, murumne perforare, et alienum bonis direptis in carcerem conjici; an suis

[1] Duo Codd. alterum addentes versiculum legunt: *Quod si nolueritis, gladius devorabit vos.*

contentum omni metu esse liberum? Atqui non dixi totum. Quid enim facilius, dic mihi, an cum omnium bona subripueris, et ex paucis breve tempus in deliciis egeris, immortaliter torqueri et flagris cædi, an cum in justa paupertate vixeris parvo tempore, perpetuo postea in deliciis agere? nondum examinemus quid sit fructuosius, sed interim quid sit facilius.

Virtus non est aspera. — Quid jucundius gratum videre somnium, et vere supplicio affici; aut molestum somnium vidisse, et vere deliciari? annon palam est hoc jucundius esse? Quomodo igitur, dic mihi, asperam vocas virtutem? aspera etenim est, si cum negligentia nostra comparetur. Quod enim sit facilis et suavis, audi quid dicat Christus : *Jugum meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* 11. 30). Si autem non sentis levitatem, perspicuum est te non robustum habere animum. Sicut enim cum talem habes, onerosa levia sunt : sic cum non habes, levia sunt onerosa. Quid enim, quæso, suavius erat, quam mensa ex manna, quid paratu facilius? Sed ægre ferebant Judæi talibus fruentes deliciis. Quid fame acerbius, necnon aliis laboriosis, quæ passus est Paulus? At ille exsultabat, delectabatur ac dicebat : *Nunc gaudeo in passionibus meis* (*Col.* 1. 24). Quæ est ergo causa? Animi differentia. Si igitur animum ut oportet adornaveris, virtutis facilitatem videbis. Quid ergo, inquies, talisne fit ex eorum qui illam suscipiunt affectu? Non ex affectu animi solum, sed natura sua talis est. Etenim si semper illa esset laboriosa, et vitium omnino contra, jure quis eorum qui lapsi sunt diceret vitium esse facilius virtute : si vero initium habeant illa durum, hoc suave; finis autem æternus illius sit suavis, hujus gravis, utrum, quæso, ut facilius eligas? Cur ergo multi non eligunt id quod facilius est? Quia alii quidem non credunt; alii vero licet credentes, corruptum habent animum, et temporaneam voluptatem æternæ prætulerint. Est ergo hoc facile? Non facile, sed ex imbecillo animo hoc provenit. Ac quemadmodum febri laborantes, non quia jucundius est brevi tempore deliciari, quam semper uri, ideo amant potum aquæ frigidæ, sed quia absurdam cupiditatem continere non possunt : sic et isti. Atqui si quis ad supplicium illos cum voluptate duceret, nequaquam ipsum eligerent. Vidistin' quomodo non facile sit vitium? Si vis autem, hoc iterum in ipsis rebus excutiamus. Quid enim, quæso, dulcius, quid facilius est? Sed ne iterum res ex multorum cupiditate judicemus : neque enim ab ægrotantibus, sed a bene valentibus calculum ferre oportet. Neque enim si millenos mihi febricitantes ostendas, qui sanitati contraria quærant, et malint postea supplicio affici, talem umquam admiserim optionem. Quid facilius, inquam, dic mihi, multas concupiscere pecunias, an hac cupiditate esse superiorem? Hoc certe postremum, ut mihi videtur : si autem ipse non credis, ad res ipsas sermonem ducamus. Et sit quispiam qui multas cupiat, alius vero qui nullas : quid ergo melius, dic mihi, quid honestius?

5. *Pecuniarum cupiditas quanta inducat mala.* — Sed hoc quidem mittatur : in confesso enim est, quod hic postremus sit illo honestior : neque de hac re quæstio jam est, sed uter faciliorem et suaviorem ducat vitam. Avarus certe ne iis quidem quæ habet fruitur : nam quod amat, non impendere voluerit, sed libentius seipsum consciderit, et carnes projecerit, quam aurum : qui autem pecunias despicit, hoc interim lucratur, quod iis quæ habet libere ac secure fruatur, seque illis præferat. Quid ergo suavius est, libere frui bonis, aut sub dominis divitiis viventem, nihil suorum contingere audere? Perinde enim mihi videtur esse ac si viri quidam duas habentes uxores, et admodum ipsas amantes, non eodem modo ipsis utantur; sed alteri quidem uxorem contingere et cum illa versari, alteri vero ne prope quidem liceat accedere. Dicam et aliud, quo alterius voluptatem, alterius mœrorem commonstrem. Avarus numquam sistet hanc cupiditatem, non modo quod nequeat omnium bona invadere, sed etiam quod quantacumque possederit, se nihil habere putet : qui vero pecunias despicit, superflua omnia existimabit, neque infinitis cupiditatibus animam cruciabit. Nihil enim est quod supplicii rationem ita habeat, ut concupiscentia usu et fructu privata, id quod maxime perversam exhibet mentem. Considera autem : qui pecunias cupit et multas possidet, ita affectus est, ac si nihil haberet. Hoccine morbo perplexius quid esse potest? Neque hoc solum grave est, sed etiam quod qui habet, ea ipsa quæ tenet non habere videatur : etiamsi omnium bona acceperit, magis cruciatur; etiamsi centum talenta possideat, quod mille non habeat dolet; si mille habeat, quod decies mille non habeat mordetur; si decies mille acceperit, quod non decies plura obtinuerit angitur : majorque acquisitio fit illi paupertatis accessio : nam quanto plura acceperit, tanto plura desiderat. Ergo quanto plura acceperit, tanto magis pauper evadit : qui enim plura desiderat, magis pauper est. Cum igitur centum talenta habuerit, nondum tam mendicus est; nam mille desiderat; cum mille acceperit, tunc magis pauper evadit; non jam enim mille ut prius quærit, sed decies millium sibi opus esse dicit. Quod si concupiscere et non consequi voluptatem esse dicas, voluptatis naturam mihi admodum ignorare videris. Quod enim hoc non voluptas, sed supplicium sit, rem ad aliud rursus adducentes examinemus. Quando sitimus, non ideo delectamur bibentes quod sitim sedemus, et ideo voluptas est potus, quod a magno nos liberet cruciatu, a cupiditate bibendi nempe? hoc cuivis perspicuum est. Quod si in tali appetitu semper mansuri essemus, non meliori conditione essemus quam dives ille, qui Lazari non misertus est, quantum scilicet ad supplicii rationem : nam et illi hoc supplicium et punitio erat, quod cum stillam parvam cuperet, non assequutus sit. Id quod mihi avari perpetuo pati videntur, et illi similes esse qui rogabat ut stilla frueretur, neque assequutus est : imo magis avarorum, quam divitis illius, anima comburitur. Et pulchre dixit

quispiam avaros esse hydropicos. Quemadmodum enim illi multam in corpore gestantes aquam, magis exuruntur : sic et avari multas circumferentes pecunias, plures concupiscunt. Causa autem hæc est : neque illi in congruentibus locis aquas habent, neque isti in congruentibus cogitationibus concupiscentiam. Fugiamus ergo hunc alienum et inanem morbum, fugiamus radicem malorum, fugiamus præsentem gehennam; gehenna enim est eorum cupiditas. Explica ergo cujusque animam, et ejus qui pecunias despicit, et ejus qui non despicit; et videbis hunc quidem furentibus esse similem, qui nihil vel videre vel audire velit; hunc vero portui a fluctibus libero : hic omnium est amicus, ut ille hostis. Nam etsi quis accepit, non illum afficit molestia; si quis rursum ipsi dederit, non inflavit; sed est quædam apud illum libertas omnem habens securitatem : et hic quidem omnibus adulari cum dissimulatione cogitur, ille autem nemini. Si ergo et pauper est avarus et timidus, simulator et hypocrita, ac terroribus plenus, cruciatu atque supplicio; qui vero pecunias despicit, contrariis fruitur omnibus : annon palam est virtutem esse suaviorem? Ac reliqua etiam insectaremur mala, queis ostenditur, nihil quod malum sit habere voluptatem, nisi jam multa a nobis superius dicta fuissent. Hæc ergo cum sciamus, eligamus virtutem, ut et hic voluptate fruamur, et futura consequamur bona, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XV.

Cap. 5. v. 1. *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, quæ non inter gentes nominatur, ut uxorem patris sui aliquis habeat.* 2. *Et vos inflati estis, et non magis luxistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.*

1. Quando disserebat de illorum dissensione, non statim vehementi usus est sermone, sed mansuetius primo oravit, demumque in accusationem desiit his verbis : *Significatum enim est mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloes, quod contentiones sint in vobis* (1. *Cor.* 1. 11). Hic autem non sic, sed statim pungit; et quantum fieri potest, criminis exprobrationem communem reddit. Neque enim dixit : Cur ille fornicatus est? sed, *Omnino auditur in vobis fornicatio :* ut ne quasi alieni omnino a criminatione negligenter agerent, sed in communi percussi, et Ecclesia in crimen vocata, sic solliciti redderentur. Nemo enim dicet, inquit, Ille fornicatus est; sed in Corinthiorum Ecclesia factum est peccatum. Nec dixit, Perpetratur fornicatio; sed *Auditur, quæ ne quidem inter gentes* nominatur. Semper enim ex gentibus probra ingerit fidelibus; et Thessalonicensibus scribens dicebat : *Unusquisque vas suum possideat in sanctificatione, non in passione desiderii, sicut et cæteræ gentes* (1. *Thess.* 4. 4. 5); Colossensibus autem et Ephesiis : *Ne ultra ambuletis sicut reliquæ gentes ambulant* (*Ephes.* 4. 17). Si autem eadem ipsa quæ gentes peccare ignosci nequit, gentiles ipsos ea in re superare, quonam, quæso, in loco ponemus? Apud illos enim, inquit, non modo nihil perpetratur hujusmodi, sed ne nominatur quidem. Vidistin' quousque crimen extulerit? Cum enim tales cernuntur invenisse luxuriæ modos, quos infideles non modo perpetrare non audent, sed ne norunt quidem, ineffabilis est peccati magnitudo. Illud autem, *Inter vos*, per emphasin dictum est; hoc est, inter vos fideles, qui tanta percepistis mysteria, qui arcanorum participes fuistis, qui ad cælum vocati estis. Viden' quanta indignatione plenus sit sermo, quanta ira contra omnes. Nam si non ira multa incensus fuisset, neque adversus omnes illa extenderetur, sic utique dixisset : Quia audivi quod ille talis fornicatus sit, castigate illum. Nunc vero non sic, sed etiam adversus omnes armatur. Etenim si priores illi scripsissent, illa dixisset : quia vero non solum non scripserunt, sed etiam scelus illud texerunt et obumbrarunt, ideo vehementiori utitur sermone. *Ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Quare non dixit, Ut fornicetur cum muliere? Id quod admodum turpe erat respuit : quare honestius hoc prætercurrit, ut quod in superioribus esset declaratum; in hoc etiam rursus augens crimen, ostendensque apud illos talia perpetrari, quæ ne clare dicere quidem Paulo liceat. Ideo in sequentibus eodem utitur loquendi modo dicens, *Eum qui hoc ita fecit :* et rursus erubescit et pudet eum aperte dicere, uti solemus in rebus admodum turpibus. Nec dixit, Novercam, sed *Uxorem patris*, ut gravius feriret. Etenim cum nomina sufficiunt ad accusandum, per ea procedit, nihilque addit. Nec mihi dicas, inquit, unum esse fornicatorem; commune omnibus factum est crimen. Ideo etiam subjunxit : *Et vos inflati estis.* Non dixit propter peccatum : hoc enim irrationabile esset, sed propter illius doctrinam. Ipse autem hoc non posuit, sed medium reliquit, ut magis feriret. Et considera Pauli prudentiam. Cum primo externam sapientiam dejecisset, ostendissetque illam per se nihil esse, etiamsi peccatum non sit adjectum; tunc demum etiam de peccato loquitur. Nam si ad comparationem fornicatoris, qui fortasse sapiens quispiam erat, magnum esse spirituale donum dixisset, nihil magnum fecisset; sed etiam absque peccato dejicere et nihil esse demonstrare sapientiam externam, hoc erat ostendere illam admodum esse vilem. Ideo cum sic prius comparationem fecisset, tunc etiam peccati meminit : et cum illo quidem disserere non dignatur, et in hoc summam ostendit infamiam; his autem dicit : Oportebat vos flere, lugere et præ pudore lamentari; nunc autem contrarium facitis : ideoque subjunxit : *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis.* Et quid factum est, inquies, ut nos lugeamus? Quod in commune Ecclesiæ progressa sit criminatio. Et cur bene faciemus lugentes? *Ut tollatur ex vobis qui est talis.* Et neque hic nomen ejus ponit, neque uspiam, ut solemus facere in iis quæ valde ab-

surda et indigna sunt. Nec dixit, Et non magis ejecistis; sed sicut in morbo aliquo et in peste, luctu opus est et intensa supplicatione, *Ut tollatur*, inquit; et precatione ad hoc utendum est, nihilque non agendum ut ille abscindatur. Neque accusat eos, quod hoc sibi non indicarint, sed quia non luxerunt, ut ille de medio tolleretur : ostendens id sine doctore præstandum fuisse ob delicti evidentiam. 3. *Nam ego quidem tamquam absens corpore, præsens autem spiritu.*

2. *Cum publico fornicatore quomodo agat Paulus.* — Vide animum : ne sinit quidem exspectare adventum suum, ut ipse ligetur, sed tamquam pestem aliquam expulsurus, priusquam diffundatur in reliquum corpus, illam detinere properat : ideoque adjicit : *Jam judicavi ut præsens.* Hæc autem dicebat, non modo urgens illos ad sententiam ferendum, neque sinens ut aliud consilii capiant; sed etiam terrens, ut qui sciret illa quæ ibi essent futura. Illud enim est adesse spiritu; ut Elizæus Giezi præsens et dicebat : *Nonne cor meum erat tecum* (4. *Reg.* 5. 26)? Papæ, quanta est virtus charismatis, cum omnes simul congregatos præstet, et ea quæ procul fiunt nota faciat! *Jam judicavi ut præsens.* Non sinit eos aliud quidquam cogitare : Nam sententiam tuli ut præsens : ne mihi moras et procrastinationes dicas; nihil enim aliud fieri oportet. Deinde ne magna videretur esse auctoritas, neque arrogantius dictum esse censeretur, vide quomodo et ipsos judicii socios faciat. Nam cum dixisset *Judicavi*, intulit : *Eum qui sic operatus est*, 4. *in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi* 5. *tradere hujusmodi hominem satanæ.* Et quid est, *In nomine Domini nostri Jesu Christi?* Secundum Deum, non humano detenti præjudicio. Quidam autem sic legunt : *Eum qui sic operatus est in nomine Domini nostri Jesu Christi :* et puncto hic apposito seu virgula, his verbis pergunt, *Congregatis vobis et meo spiritu tradere hujusmodi hominem satanæ.* Et dicunt hujus lectionis hunc esse sensum : Eum qui hoc operatus est in nomine Christi, tradite satanæ; id est, eum qui nomen Christi contumelia affecit, qui postquam fidelis factus est, et cognomen accepit ab illo nomine, talia est ausus, hunc tradite satanæ. Mihi autem prior lectio verior esse videtur. Quænam illa est? *In nomine Domini congregatis vobis;* hoc est, Ejus nomine vos congregante, pro quo convenitis. *Et spiritu meo.* Rursus seipsum cum illis constituit, ut cum judicaverint quasi ipso præsente, sic illum abscindant, et nemo ausit ipsum venia dignum habere, sciens fore ut Paulus sciat ea quæ facta fuerint. Deinde ut rem exhibeat terribiliorem, ait : *Cum virtute Domini nostri Jesu Christi.* Id est, vel quod Christus possit eam vobis gratiam dare, ut possitis eum diabolo tradere; vel quod ipse vobiscum laturus sit sententiam. Non dixit autem, ipsum dedere satanæ; sed *Tradere*, ipsi aperiens pœnitentiæ fores, et ipsi tamquam pædagogo talem hominem tradens. Et rursus, *talem*, nec usquam vult illum suo nomine vocare. *In interitum carnis.* Sicut et in beato Job factum est, sed non eadem de causa. Nam illic pro splendidioribus coronis, hic pro peccatorum remissione; ut flagellet eum malo ulcere aut alio morbo. Atqui alibi ait : *A Domino judicamur* hæc patientes. At hic magis illum pungere volens, satanæ tradit. Et hoc certe Deo placitum fuit, ut castigaretur ejus caro. Quia enim ex crapula et deliciis carnalibus concupiscentiæ nascuntur, carnem castigat. *Ut Spiritus salvus sit in die Domini Jesu.* Id est, anima : non quod illa sola salva sit, sed quasi id in confesso sit, quod illa salva, sine ulla contradictione corpus salutis particeps erit. Nam mortale factum est propter ipsam quæ peccaverat; et si illa justitiam exercuerit, rursus et corpus ipsum magna fruetur gloria. Quidam vero spiritum dicunt esse charisma seu donum, quod nobis peccantibus exstinguitur. Ne igitur hoc fiat, inquit, puniatur, ut sic melior factus, attrahat gratiam, et inveniatur salvam ipsam exhibens in illo die. Itaque magis est curam gerentis ac medentis, quam secantis vel temere et inconsiderate punientis. Majus quippe lucrum est pœna : nam illa temporanea est, lucrum autem perpetuum. Nec simpliciter dixit, *Ut spiritus salvus sit;* sed, *In illo die.* Probe illis et opportune diem illum commemorat, ut et ipsi promptiore animo ad medicinam accederent, et ille melius susciperet, non ut iræ verba, sed ut patris curam gerentis providentiam. Ideo enim, *In interitum carnis*, dixit; jam diabolo leges ponens, nec sinens ipsum ulterius progredi : ut de Jobo dicebat Dominus, *Cæterum animam ejus ne tangas* (*Job.* 2. 6).

3. Deinde cum sententiam absolvisset et eam paucis dixisset nec immoratus esset, rursus increpationem inducit, illos alloquens : 6. *Non bona est gloriatio vestra;* ostendens illos ad istud usque tempus non sivisse eum pœnitere, de illo gloriantes. Deinde declarat se non illi modo parcentem hoc facere, sed et ipsis : ideoque subjungit : *Nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit?* Licet enim illius sit peccatum, inquit, sed neglectum potest et reliquum Ecclesiæ corpus corrumpere. Cum enim is qui prior peccavit non dedit pœnas, cito et alii eadem perpetrabunt. Hæc autem dicit, ostendens pro tota Ecclesia, non pro uno sibi certamen et periculum adesse : quare fermenti similitudine opus habuit. Sicut enim fermentum, inquit, cum modicum sit, totam massam in se transmutat; ita et hic, si impunitus maneat et multum sit peccatum, cæteros corrumpet. 7. *Expurgate vetus fermentum.* Id est, hunc improbum; imo potius non de hoc tantum loquitur, sed et alios subindicat. Non enim fornicatio tantum vetus fermentum est, sed et omnis nequitia. Nec dixit, Purgate, sed *Expurgate;* cum accuratione purgate, ut nec residuum nec umbra talis rei maneat. Cum dicit ergo, *Expurgate*, ostendit adhuc nequitiam apud illos esse; cum autem dicit, *Ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi;* declarat et indicat, non ita multis vitium dominari. Si vero dicat, *Sicut estis azymi;* non ita loquitur quasi omnes puri essent, sed ut decet vos esse. *Et enim pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.*

8. *Itaque festum celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Sic Christus fermentum doctrinam vocavit. Ipse autem in metaphora manet, veterem historiam ipsis in memoriam revocans, necnon pascha et azyma et beneficia, quæ tunc et quæ nunc collata sunt, et supplicia pœnasque irrogatas.

Christianis omne tempus dies festus est. — Est ergo diei festi præsens tempus. Cum enim dixit, *Festum celebremus;* non quod Pascha, non quod Pentecoste adesset, hoc dicebat, sed ostendens tempus omne diei festi tempus esse Christianis, ob ubertatem collatorum bonorum. Nam quod bonum non exstitit? Filius Dei homo factus est propter te; te a morte liberavit, ad regnum vocavit. Tu ergo qui talia consequutus es et consequeris, quomodo non debeas per totam vitam festum agere? Nemo itaque sit tristis propter paupertatem vel morbum vel insidias: nostrum enim tempus totum est festivitatis. Ideo ait Paulus: *Gaudete in Domino, gaudete; iterum dico, gaudete* (*Philipp.* 4. 4) In festis nemo sordidis indutus est vestibus, neque nos etiam: nuptiæ enim factæ sunt, nuptiæ spirituales. *Simile enim,* inquit, *factum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit nuptias facere filio suo* (*Matth.* 22. 2). Ubi vero rex nuptias facit et nuptias filio suo, quid majus fuerit festo illo? Nemo itaque pannis laceris indutus introeat. Non de vestimentis nobis sermo est, sed de actibus impuris. Si enim cum omnes splendidis induti essent vestibus, unus solus in nuptiis repertus, laceris pannis vestitus, abjectus fuit cum ignominia; cogita quantam requirat observantiam et puritatem ingressus in nuptias illas Non ideo autem tantum illis azyma commemorat; sed ostendens Veteris Testamenti cum Novo cognationem, demonstransque non licere post azyma in Ægyptum ingredi; sed si quis reverti voluerit, eadem passurum esse quæ illi: illa enim umbra horum erant, etiamsi impudens sit Judæus. Quapropter si interrogaveris eum, nihil magnum dicet; imo magnum quidpiam dicet, sed nihil tale, quale nos, quia veritatem non novit. Ille namque dicet, quod se detinentes Ægyptios ita mutavit Deus, ut ipsi nos depellerent, quos antea vi detinebant, nec permiserant nos massam fermentare. Sed si quis me interroget, non Ægyptum audiet, non Pharaonem, sed libertatem ab errore dæmonum et a tenebris diaboli; non Moysem, sed Dei Filium; non mare Rubrum, sed baptisma innumeris plenum bonis, ubi vetus homo suffocatus est. Rursus si Judæum interroges, cur ex omnibus finibus fermentum ejiciat; hic et silebit et causam non dicet. Quia enim alia quidem erant figuræ futurorum, et causas habebant eorum quæ fiunt; alia vero non item, ut non liceat Judæis maligne agere, ut ne illi permaneant in umbra. Quid enim, quæso, sibi vult, *Masculum, sine macula, unius anni,* et illud, *Os non comminuetur* (*Exod.* 12. 5. 46)? quid sibi vult vicinos vocare? aut illud, *stantes,* aut in vespera comedere? aut sanguine munire domum? Nihil aliud dicet ille, quam sus deque Ægyptum: ego vero dicam et quid sanguis significet, quid vespera, quid omnes comedere simul omnesque stantes.

4. Prius autem dicamus cur ex omnibus finibus ejiciatur fermentum. Quodnam ergo est ænigma? Omni nequitia liberum et solutum oportet esse fidelem. Sicut enim ille perit, apud quem inventum fuerit vetus fermentum: sic et apud nos ubi inventa fuerit nequitia. Non enim in umbra tanta fuerit punitio; apud nos autem non multo major. Nam si domos sic expurgant a fermento, et de murium foraminibus sunt solliciti, multo magis nos animam perscrutari oportet, ut omnem impuram ejiciamus cogitationem. Verum hoc apud illos nuper factum est; nunc autem non amplius: ubique enim fermentum est, ubi est Judæus. In mediis enim civitatibus fiunt azyma: id quod jam magis ludicra res est, quam lex. Quia enim venit veritas, non ultra locum habent typi. Itaque per hoc quoque exemplum maxime ejicit ex Ecclesia fornicatorem. Non solum enim, inquit, præsens nihil prodest, sed etiam nocet, commune corpus deinde corrumpens. Nescit enim quivis unde fœtor oriatur, si occultum sit id quod est putridum, sed toti cœtui illum imputat. Ideo illos valde urget ut expurgent fermentum: *Ut sitis,* inquit, *nova conspersio, sicut estis azymi: etenim Pascha nostrum immolatus pro nobis est Christus.* Non dixit, Mortuus est; sed proposito convenientius, *Immolatus est.* Ne quære igitur azyma hujusmodi, quia neque agnum habes talem: ne quæras fermentum tale, quia azyma tua non talia sunt. In sensibili quidem fermento azymum fieri potest fermentatum; fermentatum vero numquam possit fieri azymum: hic autem contrarium reperitur; sed tamen hoc non indicavit.

Pauli prudentia. — Et vide prudentiam: in priore epistola spem reversionis non dat fornicatori; sed vitam totam ipsius in pœnitentia jubet esse, ne promissione illum segniorem redderet. Neque enim dixit, Tradite illum satanæ, ut cum pœnitentiam egerit, rursus Ecclesiæ tradatur; sed quid? *Ut salvus sit* in ultimo die. Mittit ipsum in tempus illud, ut sollicitum redderet: et quod post pœnitentiam largiturus ipsi erat, non aperit, Dominum suum imitans. Quemadmodum enim Deus dicit, *Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur* (*Jonas* 3. 4); neque addidit, Si autem pœnitentiam egerit, servabitur: sic et iste non dixit, Si digne pœnitentiam egerit, confirmabimus in illum caritatem; sed exspectat ut ipse opus illud faciat, ut tunc gratiam accipiat. Nam si ab initio hoc dixisset, forte metum ejus solvisset: quapropter non modo non hoc facit, sed per exemplum fermenti ne sinit quidem ipsum reditum sperare, sed eum ad diem illum reservat dicens, *Expurgate vetus fermentum;* et, *Ne festum celebremus in fermento veteri.* Postquam autem pœnitentiam egit, cum omni studio illum introduxit. Cur autem vetus vocat? Vel quia vetus vita nostra erat hujusmodi: vel quia vetus illud proximum interitui est, fœtidum et turpe, quale est peccatum:

neque enim sine causa vetus vituperatur, nec sine causa novum damnatur, sed ratione habita eorum de quibus agitur. Nam alibi ait: *Vinum novum, novus amicus: si autem inveteraverit, tunc cum lætitia bibes ipsum* (*Eccli.* 9. 15); in amicitia magis laudans vetustatem, quam novitatem. Et rursus, *Antiquus dierum sedebat* (*Dan.* 7. 9); hic quoque antiquum sumens pro majoris gloriæ encomio. Alibi autem Scriptura antiquum pro vituperio accipit. Nam quia res variæ ex multis compositæ sunt, et in bonis et in malis iisdem utitur, non secundum eamdem significationem. Vide ergo et alibi vetus vituperio datum: *Inveteraverunt et claudicaverunt a semitis suis*; et rursus, *Inveteravi inter omnes inimicos meos* (*Psal.* 17. 46. *et* 6. 8); et iterum, *Inveterate dierum malorum* (*Dan.* 13. 52). Ita et fermentum sæpe pro regno cælorum accipitur, etiamsi hic vituperetur: sed illic ad aliud, hic ad aliud refertur.

5. *Avaritia vetus fermentum quomodo.* — Mihi vero maxime videtur id, quod de fermento dicitur, etiam ad sacerdotes referri, qui sinunt intrinsecus esse multum fermenti veteris, non expurgantes ex terminis, id est, ex Ecclesia, avaros, raptores, et quodcumque ex regno cælorum excludit. Nam avaritia est vetus fermentum, et quocumque ceciderit, atque in quamcumque domum inciderit, immundam illam efficit. Etiamsi parva ex injustitia lucreris, id totam tuam substantiam fermentavit. Ideo sæpe accidit, ut modica male inducta, multa quæ bene collecta jacent ejecerint. Nihil enim est magis putridum avaritia: etiamsi enim cellæ penuariæ clavem induxeris, etiamsi januam et vectem, frustra hæc facis, avaritiam perniciosissimum furem intus includens, qui omnia auferre possit. Quid igitur, inquies, cum multi avari hæc non patiantur? Certe patientur, etsi non statim illis accidat: si vero nunc effugiant, tunc magis timeto; ad majus enim supplicium reservantur. Imo vero si ipsi effugiant, at heredes eorum ea ipsa patientur. Et quomodo, inquies, hoc justum fuerit? Certe valde justum. Nam qui excepit hereditatem injustitia plenam, etiamsi ipse non rapuerit, attamen aliena retinet: et hoc plane persuasum habet, ideoque æquum est ut patiatur. Si enim illo rapiente tu acceperis, deindeque accedens is cui raptum fuit, id repetat: num satis est ad tui purgationem, te non rapuisse? Minime: quid enim, quæso, accusatus dixeris? quod alius spoliarit? sed tu retines: ille rapuit? sed tu frueris. Hæc porro etiam sciunt externorum leges, quæ iis dimissis qui rapuerunt et abstulerunt, ab illis jubent expetere, apud quos sua omnia deposita repererint. Si ergo nosti eos, qui injustitiam passi sunt, redde et fac quod fecit Zacchæus cum multa accessione: si autem ignoras, alteram tibi do viam, nec excludo te a remedio: hæc omnia pauperibus distribue, et sic malum curabis. Quod si qui hæc in filios et in nepotes transmiserunt; at alia pro his mala passi sunt. Ecquid loquor de iis, quæ hic accidunt? Non enim in illo die hæc dicentur, quando ambo nudi apparebunt, ii quibus raptum est, et ii qui rapuerunt: imo vero non similiter nudi: nam pecuniis ambo pariter nudi erunt; alter vero plenus criminibus, quæ ex iis orta sunt. Quid ergo faciemus illo die, quando ante tribunal illud horrendum is, qui male passus est et omnia sua perdidit, adducetur in medium, te nullum habente patronum? quid Judici dices? Nunc enim judicium hominum corrumpere poteris, illud vero judicium non item: imo vero neque nunc; nunc enim quoque adest judicium illud. Nam Deus omnia quæ geruntur videt, et prope illos est qui injuria afficiuntur, etiamsi non vocetur. Nam qui malo afficitur, etiamsi indignus sit qui ultionem nanciscatur; attamen quia res gestæ Deo non placent, habet ille certe ultorem. Quomodo ergo, inquies, ille quispiam prospere agit, licet sit malus? Sed non usque in finem. Audi quid dicat propheta: *Noli æmulari in malignantibus, quoniam tamquam fœnum velociter arescent* (*Psal.* 36. 1. 2). Ubi enim, quæso, est is qui rapuit, postquam hinc abductus fuit? ubi spes conspicua? ubi honorabile nomen? annon omnia transierunt? nonne omnia illum spectantia somnium sunt et umbra? Hoc ipsum exspecta de singulis qui hujusmodi sunt, de vivente, et de eo qui post futurus est. At talia non sunt ea quæ ad sanctos viros spectant; neque poteris eadem de illis dicere, quod quæ ad illos pertinent umbra sint et somnium et fabula. Et si vis illum qui hæc dixit, tentoriorum opificem, Cilicem, cujus ne patrem quidem certo novimus, in medium adducamus. Et quomodo, inquies, fieri possit ut quidam talis sit? Omnino ergo desideras, omnino vis esse talis? Etiam, ais. Ergo viam ingredere, quam ille ingressus est, et qui cum illo erant. Et quam in viam venit? Ille quidem ait, *In fame et siti et nuditate* (2. *Cor.* 11. 27); ille vero, *Argentum et aurum non est mihi* (*Act.* 3. 6). Sic illi nihil habebant, et tamen omnia possidebant.

6. Quid hac voce honorabilius? quid beatius et locupletius? Nam alii quidem in contrariis gloriabantur dicentes: Habeo tot et tot auri talenta, et jugera terræ immensa, et domos et mancipia: hic vero, quod sit omnibus nudatus: neque se occultat ob paupertatem, quod stulti faciunt, neque pudet illum, sed etiam gloriatur. Ubi sunt nunc divites, qui usuras numerant, et usuras usurarum, qui omnium bona invadunt et numquam satiantur? audistis Petri vocem, quæ paupertatem monstrat divitiarum matrem, quæ nihil habet, et iis qui diademate redimiuntur opulentior est? Hæc quippe nihil habens mortuos suscitabat, claudos erigebat, dæmonas pellebat, et ea largiebatur, quæ ii qui purpura amiciuntur et magnos tremendosque exercitus ducunt, numquam præstare potuerunt. Hæc vox est eorum, qui jam in cælum translati sunt; et verticem illum occuparunt. Sic potest is qui nihil habet, omnium occupare bona; et quæ sunt omnium possidere. Si vero ea possideamus quæ sunt omnium, omnibus privati sumus. Fortassis ænigma videatur esse illud, quod dictum est, sed non est. Sed quomodo, inquies, is qui

nihil habet, omnium bona possidet? annon multo magis ille qui omnium bona habet? Nequaquam; sed totum contrarium. Nam qui nihil habet, omnibus imperat, ut et illi faciebant : omnes enim per orbem domus ipsis erant apertæ, gratiamque illis habebant qui excipiebant ipsos, et tamquam ad cognatos et amicos veniebant. Veneruntque ad purpurariam, et illa quasi ancilla sua ipsis apposuit; et ad carceris custodem, et ille totam ipsis domum aperuit; et ad alios innumeros. Sic omnia habebant, et nihil possidebant. Nihil enim suorum sibi proprium esse dicebant : ideoque omnia sua erant. Qui enim omnia communia putat, non suis tantum, sed et alienis utetur ut propriis : qui autem abscindit et se suorum tantum dominum facit, neque horum dominus erit. Et hoc ab exemplo liquet. Qui nihil omnino possidet, neque domum neque mensam neque superfluam vestem, sed propter Deum omnibus privatur, communibus ut propriis utitur, et ab omnibus quæcumque voluerit accipiet : et sic qui nihil habet, omnium bona possidet. Qui autem habet aliqua, ne horum quidem dominus erit. Neque enim dabit quis possidenti; et latronum et furum et sycophantarum et mutationis rerum, et omnium magis quam illius hæc bona erunt. Totum enim orbem pervasit Paulus, nihil secum ferens, non amicos adiens, non familiares; erat enim in principio omnibus hostis : attamen ingressus cum esset, omnium habebat bona. Ananias vero et Sapphira, curantes ut tantillum quid ex bonis suis sibi retinerent, ab omnibus exciderunt et a vita simul. Abscede igitur a tuis, ut alienis utaris quasi propriis. At enim nescio quomodo in hanc hyperbolen delatus sim, homines alloquens, qui utinam vel tantillum suorum erogent.

Eleemosynæ bona. — Ideo hæc perfectioribus dicta a nobis sunto; imperfectioribus vero illa dicamus : Date egenis ex bonis vestris, augete facultates vestras : *Nam qui dat pauperi*, inquit, *fœneratur Deo* (*Prov.* 19. 17). Si autem festinas, et non exspectas tempus retributionis; cogita eos qui pecunias hominibus fœnerantur : nec enim hi volunt statim usuram accipere, sed cupiunt ut caput majori tempore in manus debitoris maneat, qui ad fœnus accepit, modo tuta sit redditio nec suspectus sit is qui accepit. Hoc igitur hic quoque fiat : dimitte illa apud Deum, ut reddat tibi multiplicatam mercedem. Ne hic totum quæras : si enim hic totum recipias, quomodo illic recipies? Ideo et Deus illic reconditum tenet, quod vita hæc fluxa sit. Dat tamen et hic quoque : ait enim : *Quærite regnum cælorum, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* 6. 33). Sed nos ad illud respiciamus, et ne festinemus ad omnium retributionem, ut ne minuamus mercedem; sed tempus exspectemus. Non enim tales sunt hæ usuræ, sed quales a Deo dari par est. His igitur cum ubertate magna collectis, ita hinc abeamus, ut et præsentia et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et una Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

Cap. 5. v. 9. *Scripsi vobis in epistola : ne commisceamini fornicariis;* 10. *non utique fornicariis hujus mundi aut avaris aut rapacibus aut idolis servientibus: alioqui debueratis ex mundo exisse.* 11. *Nunc autem scripsi vobis non commisceri : si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator aut avarus aut idolis serviens aut ebriosus aut maledicus aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere.*

1. Quia enim dixit, *Non potius luctum habuistis, ut de medio tollatur qui est hujusmodi;* et, *Expurgate vetus fermentum;* et verisimile erat suspicari illos, fugiendum esse ab omnibus fornicariis; si enim is qui peccavit malum suum impertiit iis qui non peccaverunt, multo magis externos oportet aversari : nam si familiari parcere non oportet, quod tantum ille damni inferat, multo minus aliis parcendum : hoc posito consentaneum erat separari etiam a fornicatoribus qui apud Græcos erant; et si re ad impossibile redacta, magis ægre tulissent : hac correctione utitur dicens : *Scripsi vobis, ne commisceamini fornicatoribus; et non utique fornicatoribus hujus mundi;* illud, *Utique*, quasi in confesso ponens. Ne enim putarent hoc ipsum illis non præcepisse quasi imperfectioribus, et ne ipsi ut perfecti illud facere aggrederentur, ostendit hoc fieri non posse, etiamsi id maxime velint : oporteret enim alium quærere orbem. Ideo subjunxit : *Alioquin debueratis ex mundo exiisse.* Viden' quam non molestus sit, et ubique non modo quod fieri possit, sed etiam quod facile sit in lege ferenda perspiciat? Quomodo enim potest homo, inquit, qui et domui et liberis prælicitur, et civitatis munera præstat, aut qui artifex vel miles sit, cum tam multi sint Græci, fornicatores qui ubique sunt fugere? fornicatores enim mundi vocat illos, qui apud Græcos erant. *Nunc autem scripsi vobis, si quis frater talis sit, ut cum illo ne quidem comedatis.* Illic et alios subindicat in iniquitate viventes. Et quomodo frater cum sit, idololatra esse potest? Ut apud Samaritanos contigit olim, qui ex dimidia parte piam religionem sectabantur : alioquin etiam fundamentum jacit futuri sermonis de idolothytis, quem sub hæc instituturus est. *Aut avarus.* Nam adversus hos certaturus est; ideoque dicebat, *Cur non potius injuriam patimini? Cur non privamini? sed vos injuriam facitis et privatis* (1. *Cor.* 6. 7. 8). *Aut ebriosus.* Nam hac quoque de re accusat in sequentibus, ut cum dicit : *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est* (1 *Cor.* 11. 21) : et, *Escæ ventri, et venter escis* (1. *Cor.* 6. 13). *Aut maledicus aut rapax.* Nam et hos supra quoque increpavit. Deinde etiam causam addit, ob quam non prohibet cum externis, qui tales sint, commisceri; ostendens non modo id non fieri posse, sed etiam superfluum esse.

12. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?* eos qui intus et qui foris sunt Christianos vocans et Græcos : ut et alibi ait : *Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt* (1. *Tim.* 3. 7). Et in epistola ad Thessalonicenses idipsum dicit his verbis : *Ne commisceamini cum ipso, ut confundatur* : et, *Nolite ut inimicum existimare, sed admonete ut fratrem* (2. *Thess.* 3. 14. 15). Illic porro causam non ponit. Quare? Quia illic quidem consolari volebat, hic vero non item. Non enim idem nunc peccatum est quod illic erat, sed illic minus : de otio enim illic accusabat, hic de fornicatione et aliis gravissimis peccatis. Et si quis Græcos adire velit, non prohibet cum illis comedere, ob eamdem videlicet causam. Sic et nos quoque facimus : pro filiis et fratribus nihil non agimus, alienorum autem non magnam rationem habemus. Quid ergo? externos non curabat Paulus? Curabat : sed postquam prædicationem acceperant, et Christi sese doctrinæ subjecerant, tunc illis leges dabat : quamdiu autem illi despiciebant, superfluum fuisset, illis præcepta Christi proferre, qui ne Christum quidem noverant. *Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?* 13. *Eos autem qui foris sunt Deus judicabit.* Postquam enim dixerat, *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* ne quis putaret illos impunitos relinqui, aliud illis statuit tribunal terribile. Hoc autem dixit, tum ut illos terreret, tum ut hos consolaretur, et ostendit hanc temporalem punitionem ab æterna et perpetua eripere ; quod et alibi declarabat his verbis : *Nunc autem judicati castigamur, ut non cum mundo damnemur* (1. *Cor.* 11. 32) ; et, *Auferte malum ex vobis ipsis* (*Deut.* 17. 7.

2. Meminit dicti quod in veteri Lege fertur, simul ostendens quod ipsi maxima sint lucraturi, ut a peste quadam gravi liberati ; simul ostendens hoc non esse innovationem, et jam olim a legislatore visum fuisse, ut qui tales essent exscinderentur : sed illic quidem vehementius, hic vero mansuetius. Quapropter jure quærat aliquis, cur tunc quidem eum qui peccaverat puniri et lapidari permitteret ; hic vero non item, sed illum ad pœnitentiam vocet. Cur ergo aliter illa, aliter ista efformabantur? Ob duas hasce causas ; primam quia ad majus certamen hi ducebantur, et majori animo et patientia opus habebant ; secundam autem veriorem, quia hi quidem ab impunitate facilius corrigebantur ad pœnitentiam venientes, illi vero ad majorem nequitiam irrepturi erant. Nam si postquam primos punitos viderant, in iisdem perseverabant ; si neminem punitum vidissent, multo magis id facturi erant. Ideo illic adultero et homicidæ statim mors infertur ; hic vero, si per pœnitentiam absolvantur, supplicium effugerunt. Cæterum etiam hic vehementiora, et in Veteri mitiora videas supplicia, ut per omnia ostendatur cognatione juncta esse Testamenta et unius ejusdemque esse legislatoris ; atque et hic et illic supplicia e vestigio sequi ; sæpeque post multum temporis in utroque, sæpe etiam non post multum temporis ; sed Deum pœnitentia sola contentum esse. Nam in Veteri cum David in adulterium incidisset et cædem patrasset, per pœnitentiam servatus est ; et in Novo, cum pauca ex agri pretio substraxisset Ananias, cum uxore periit. Quod si hujusmodi plura observantur in Veteri, et contraria plura in Novo, differentia personarum differentiam talis œconomiæ efficit (*Cap.*6) 1. *Audet aliquis vestrum adversus fratrem suum habens negotium, judicari apud iniquos, et non apud sanctos?* Hic etiam accusationem inducit eorum quæ in confesso erant. Etenim illic dicebat : *Omnino auditur in vobis fornicatio* ; et hic, *Audet quis in vobis?* statim a principio iram indicans, et ostendens audax et iniquum esse facinus. Et cur injecit sermonem de avaritia et quod non oporteat foris judicari? Suam implens legem : nam mos illi erat ea quæ incidebant emendare ; ut quando de communibus mensis disserens, in sermonem de mysteriis digressus est. Et hic igitur, quia de avaris fratribus mentionem fecit, fervens ob curam emendationis peccatorum, ordinem servare non sustinet ; sed quod ex consequenti in medium adductum est peccatum, rursus emendat, et sic ad prius revertitur. Audiamus ergo quid de hoc etiam dicat : *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus fratrem, judicari apud iniquos, et non apud sanctos?* Interim ex nominibus rem aperit, et avertit et accusat. Et ab initio quidem non evertit judicium, quod fit apud fideles : postquam autem illos multis exterruit, tunc omnino judicium hujusmodi abstulit. Maxime quidem, inquit, si judicare oportet, apud iniquos non oportuit ; omnino autem non oportet judicari. Sed hoc postea ponit : interim vero primo id de medio tollit, ut ne foris judicentur. Quomodo enim non absurdum fuerit, adversus amicum disceptantem, inimicum accipere conciliatorem, inquit? quomodo non te pudet nec erubescis, cum Græcus sedet Christianum judicans? Si autem de rebus privatis non oportet a Græcis judicari, quomodo ipsis res majores committemus? Et vide quomodo loquatur : non dixit, Apud infideles, sed, *Apud iniquos*, voce illa usus qua maxime opus habebat in proposito argumento, ut averteret abduceretque. Quia enim de judicio sermo ipsi erat ; qui vero judicantur nihil adeo requirunt, quam ut multa justi cura et ratio habeatur a judicantibus : inde illos avertit, propemodum dicens : Quo pergis et quid facis, homo, contrarium patiens eorum quæ desideras, et ut justitiam assequaris, ad iniquos homines te convertis? Et quia statim molestum fuisset audire non judicio disceptandum esse, non statim hoc induxit, sed judicantes solum mutavit, ab externis in Ecclesiam inducens eos qui judicandi erant. Deinde quia contemptu dignum videbatur esse, ab iis qui intus erant judicari, et tunc maxime (non enim erant fortassis idonei ad rem intelligendam, neque tales quales erant externi judices, legum periti et diserti, utpote qui ex privatis et indoctis quamplurimi essent) : vide quomodo illos fide dignos faciat, primum sanctos vocans. Sed quia hoc vitæ puritatem, sed non accuratam cognitionem ad audiendum, testificabatur ; vide quomodo hanc quoque partem

tractet, ita dicens : 2. *An nescitis quod sancti mundum judicabunt?*

3. Tu ergo, qui illos aliquando judicaturus es, quomodo sustines nunc ab illis judicari? Judicabunt autem, non ipsi sedentes et rationem repetentes, sed condemnabunt. Hoc enim indicans dicebat : *Et si in vobis judicatur mundus, indigni estis minimis judiciis?* Non enim dixit, A vobis, sed, *Inter vos;* ut cum dicit, *Regina Austri surget, et condemnabit generationem hanc;* et *Viri Ninivitæ surgent, et condemnabunt generationem hanc* (*Matth.* 12. 43. 41). Quando enim eumdem solem videntes, et earumdem rerum omnium participes, nos quidem credidisse inventi fuerimus, illi vero non credidisse, non poterunt ad ignorantiam confugere: nos enim illos accusabimus per ea quæ fecimus. Et multa alia quis inveniet ibi judicia. Deinde ne videretur cuipiam de aliis dicere, vide quomodo communem faciat sermonem : *Et si in vobis judicatur mundus, indigni estis minimis judiciis?* Pudorem vobis res affert, inquit, et ineffabile dedecus. Nam quia, ut verisimile est, pudebat eos ab iis qui intus erant judicari : e contrario autem vobis est dedecus; cum ab iis qui foris sunt judicamini : illa enim minima sunt judicia, non hæc. 3. *Nescitis quia angelos judicabimus? quanto magis sæcularia?* Quidam dicunt hic sacerdotes subindicari : sed apage; nam de dæmonibus agit. Nam si de corruptis sacerdotibus dixisset, supra subindicasset illos cum dixit : *In vobis judicatur mundus;* solet enim Scriptura improbos quoque homines mundum vocare : neque iterum hoc ipsum dixisset, neque ut majus quidpiam dicens ipsum postea posuisset. Sed de illis loquitur angelis, de quibus dicit Christus: *Ite in ignem paratum diabolo et angelis ejus* (*Matth.* 25. 41); et Paulus, *Angeli ejus transfigurantur tamquam ministri justitiæ* (2. *Cor.* 11. 15). Cum enim Potestates illæ incorporeæ inventæ fuerint minus habere quam nos, qui carne induti sumus, graviores dabunt pœnas. Quod si adhuc quidam contendunt illum de sacerdotibus loqui, interrogabimus, quos sacerdotes? Omnino eos qui sæculari more vixerunt. Quomodo ergo, inquies, *Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia?* nempe ad differentiam sæcularium ponens angelos, et merito : quia extra eorum usum sunt ob excellentiam naturæ. 4. *Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Volens cum hyperbole nos docere, quodcumque tandem fuerit, non oportere nos externis committere, cum objectionem vel quæ talis esse videbatur, movisset : prius illam solvit. Hoc enim vult significare : Fortasse dicet quispiam, nullum esse apud vos sapientem, neque ad judicium ferendum aptum, sed contemptibiles omnes. Et quid hoc? Etiamsi enim nullus sit sapiens, inquit, vos minimis permittite. 5. *Hoc autem ad verecundiam vestram dico.* Est refellentis illorum objectionem, ut quæ superfluus sit obtentus : ideoque subjunxit : *Sic non est sapiens in vobis quisquam?* Tantane est, inquit, inopia? tantane apud vos raritas virorum intelligentium? Quod autem subjungit, majorem infert plagam : cum enim dixisset, Non est sapiens in vobis neque unus? subjunxit : *Qui possit judicare inter fratrem suum?* Cum enim frater cum fratre judicio contendit, non magna intelligentia et solertia est opus litis arbitro, affectu et cognatione magnam opem afferente ad contentionis talis solutionem. 6. *Sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles.* Viden' quomodo in principio quidem utiliter incusabat eos qui judicarent, iniquos vocans; hic autem ut illos pudore afficiat, dicens infideles? Etenim admodum turpe est, si ne fratribus quidem reconciliationis causa possit esse sacerdos; sed necesse sit ad externos accurrere. Itaque cum dixit *Contemptibiles*, non hoc præcipue dixit, quod abjectos sedere judices oporteat, sed illos perstringens. Nam quod iis, qui discernere possint, committere oporteat, significavit dicens : *Sic non est inter vos sapiens quisquam?* et ex abundanti os obstruens, et dicens : quod etiamsi nullus esset sapiens in vobis, insipientibus potius committenda causa fuisset, quam externis. Quomodo enim non absurdum fuerit, cum domi lis oritur, externum neminem vocari, sed pudore affici, si quæ intus fiunt foris evulgentur; ubi autem Ecclesia est, arcanorum mysteriorum thesaurus, omnia extra efferri? *Sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles.* Duplex est crimen, et quod judicetur, et quod apud infideles. Si enim per se peccatum est cum fratre judicio contendere, id apud externos facere quam veniam mereatur? 7. *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos.* Viden' ubinam illud reservarit? et quam opportune hoc sustulerit? Nondum enim dico, inquit, aliquis injuriam facit, aliquis injuriam patitur : interim eo ipso, quod judicio contendatur, uterque improbatur, et in hoc non est alius alio melior.

4. Si autem juste vel injuste judicio contenditur, hoc ad aliam pertinet disputationem. Ne itaque dicas, Aliquis injuria affecit : hinc enim jam te damno, quod judicio contendas. Si autem injuriam inferentem ferre non posse crimen est, injuriam facere quanta dignum erit accusatione? *Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* 8. *Sed vos injuriam facitis et fraudem etiam fratribus.* Rursus duplum crimen; imo forte triplum et quadruplum. Unum quidem injuriam inferentem ferre nescire; secundum autem, etiam injuriam inferre; tertium, iniquis judicium de his committere; quartum, hoc in fratrem facere. Neque enim similiter de peccatis judicatur, cum admittuntur in quemvis obvium, et cum in proprium membrum. Hoc enim quis audet ex majori petulantia : et illic quidem conculcatur sola rei natura, hic vero etiam personæ qualitas. Postquam igitur pudorem intulit a communibus rationibus, et ante hæc a propositis præmiis, comminatione concludit adhortationem, vehementiorem reddens sermonem his verbis : 9. *An nescitis quod iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores,* 10. *neque avari, neque fures, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces re-*

gnum Dei possidebunt. Quid dicis? de avaris loquens, sceleratorum hominum tantam induxisti nobis turbam? Etiam, inquit: sed non confundens orationem hoc facio, sed et ordine procedens. Quemadmodum enim de fornicatoribus loquens, omnium simul meminit: ita rursum avarum commemorans, omnes in medium adducit ad reprehensiones assuefaciens eos, qui horum et similium sibi conscii sunt. Nam in aliorum commemoratione frequenter audire pœnam iis repositam, id efficit ut facilius audiatur reprehensio, cum adversus sua quisque peccata pugnaturus se apparat. Neque enim hæc tamquam sciens illis competere, neque tanquam reprehendens, commminatur: quod maxime potest auditorem retinere et impedire ne resiliat, cum oratio illum non respicit, sed indeterminate prolata, ejus conscientiam latenter pungit. *Nolite errare.* Hic subindicat quosdam dicentes, quod nunc multi dicunt, Benignus cum sit Deus et clemens, delicta non ulciscitur: ne timeamus; nam de nullo re a nemine umquam pœnam exiget. Et propterea dicit, *Nolite errare.* Error enim extremus et fallacia est, cum bona speres, contraria consequi, et illud de Deo suspicari, quæ ne de homine quidem quisquam cogitaverit. Quamobrem ait propheta ex persona ejus: *Existimasti iniquitatem, quod ero tui similis: arguam te et statuam contra faciem tuam iniquitates tuas* (*Psal.* 49. 21.) et Paulus hic, *Nolite errare; neque fornicatores* (eum, qui jam damnatus fuerat, primum ponit), *neque adulteri, neque molles, neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt.*

Contra maledicos. — Multi hunc locum reprehenderunt, tamquam valde asperum, si quidem ponit ebriosum et maledicum cum adultero et muliebria passo et masculorum concubitore. Atqui non paria sunt scelera, quomodo ergo paria supplicia? Quid ergo dicemus? Quod certe non parva res sit ebrietas et maledictum: quando quidem Christus eum qui fratrem suum fatuum vocavit, gehennæ tradidit. Sæpe enim hinc mors consequuta est: et Judæorum populus ex ebrietate gravissima admisit peccata. Deinde non de supplicio hic sermonem habet, sed de amissione regni. A regno igitur certe similiter et hic et ille excidunt: si vero in gehenna aliquam sint habituri differentiam, non erat præsentis temporis disquirere; non enim hoc propositum nobis est. 11. *Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Magnum ingerens pudorem subjunxit dicens: Cogitate ex quantis malis vos eripuerit Deus, quantam vobis benignitatis suæ præbuerit experientiam et demonstrationem; neque ad solam liberationem mercedem extendit, sed longe amplius beneficium auxit: etenim mundum et purum fecit. Num hoc tantum? Nequaquam, sed et sanctificavit; neque hoc solum, sed etiam justificavit. Atqui vel a peccatis liberari magnum est donum: nunc autem te innumeris replevit bonis. Et hoc factum est, *In nomine Domini nostri Jesu Christi:* non in hoc vel in illo, sed *Et in Spiritu Dei nostri.* Hæc ergo cum sciamus, dilecti, et accepti beneficii magnitudinem cogitantes, maneamus temperanter viventes, ab iis omnibus quæ enumerata sunt mundi, et tribunalia fugiamus, quæ sunt in externis foris, et nobilitatem quam nobis Deus largitus est custodiamus. Cogita enim, quantæ sit turpitudinis, tibi jura dicentem sedere Græcum.

5. Quid ergo, inquies, si is qui intus est inique judicet? Cur, quæso? secundum quas leges judicat Græcus, et secundum quas Christianus? annon palam est Græcum secundum leges hominum, et Christianum secundum leges Dei? Hic ergo magis justitia reperitur, quia leges ex cælo sunt missæ. In externis enim præter ea quæ dicta sunt, alia sunt suspecta multa, oratorum vis dicendi, principum corruptio, et multa alia quæ justitiam labefactant: hic vero nihil horum est. Quid ergo, inquies, si adversarius dynasta sit? Et ideo maxime hic judicare oportet: in externis enim illic judiciis te erit omnino superior. Si autem ille non acquiescit, et si id quod intus est judicium despicit et foras vi trahit? Melius est id, quod ex necessitate passurus es, te libentem sustinere et judicium non subire, ut et mercedem habeas. Nam *Si*, inquit, *quis velit tecum in judicio contendere, et tunicam tuam accipere, dimittes illi etiam pallium;* et, *Sis benevolus adversario tuo cito, donec es in via cum illo* (*Matth.* 5. 40. 25). Ecquid nostra dicere opus est? nam ipsi quoque externorum tribunalium patroni hæc sæpissime dicunt, melius esse foris lites componere.

Pecuniarum amor omnia subvertit. — Sed, o pecunias! imo potius, o absurdum pecuniarum amorem! qui omnia subvertit et dejecit; nugæque et fabulæ multis sunt omnia propter pecunias. Et quod ii, qui sæcularibus sint addicti, in tribunalibus lites commoveant, nihil mirum; quod autem multi ex iis, qui sæculo abrenuntiarunt, eadem ipsa faciant, hoc certe est extra veniam omnem. Nam si vis videre quantum te abesse ab hoc usu, nempe tribunalium, præceperit Scriptura, et discere quibusnam leges positæ sint, audi quid dicat Paulus: *Justo lex non est posita, sed injustis et non subditis* (1. *Tim.* 1. 9). Quod si ille de Mosaica hoc dicit, multo magis de externis legibus. Si ergo injuriam feceris, palam est te non esse justum; si autem injuria afficiaris et feras (hoc enim maxime justi est), non opus habes externis legibus. Et quomodo, inquies, injuria læsus ferre potero? Atqui Christus aliquid etiam amplius præcepit. Non modo enim injuria læsum ferre jussit, sed etiam affatim erogare ei qui facit injuriam, et patiendi affectu et animo superare cupiditatem mala inferentis. Non enim dixit, Ei qui velit tecum in judicio contendere et tunicam tuam auferre, dimitte tunicam; sed cum illa et pallium dato. Vince illum, inquit, male patiendo, non male faciendo: hæc est enim clara et splendida victoria. Ideoque postea dicit Paulus: *Jam enim delictum est vobis, quod judicia habetis inter vos: et cur non potius injuriam accipitis?* Quod enim is qui injuria afficitur, magis vincat, quam is qui injuriam non fert, hoc vobis palam faciam. Etiamsi qui injuriam non fert in judicium traxerit, etiamsi superarit, tunc maxime vincitur. Quod enim nolebat,

passus est : illum enim coegit adversarius et dolere et judicio contendere. Quid enim quod vicisti? quid quod universas accepisti pecunias? Quod nolebas interim passus es, ut coactus in judicio contenderes. Si vero iniquitatem feras, vincis privatus pecuniis, sed non victoria quæ est ob tantam philosophiam : non potuit enim ille te cogere ad id faciendum, quod nolebas. Quod autem hoc sit verum, dic mihi : Quis vicit, invidusne, an is qui jacebat in sterquilinio? quis superatus est, an Job, cui omnia abrepta sunt, an qui omnia ipse abstulit diabolus? Conspicuum est, quod is qui omnia ipsi abstulit diabolus. Quem miramur ob victoriam, diabolumne qui percussit, an Jobum percussum? Palam est, quod Jobum. Atqui non potuit pereuntes pecunias retinere, non filios suos servare. Ecquid dico pecunias et filios? corporis sui salutem servare non potuit. Attamen hic est qui vicit qui omnia sua amisit. Pecunias quidem retinere non potuit, pietatem vero cum omni accuratione retinuit. Sed pereuntibus filiis non opem tulit. Et quid hoc? nam illos ipse casus splendidiores reddidit; sibi quoque malis affecto similiter opem tulit. Nisi vero male passus et injuria affectus a diabolo fuisset, non splendidam illam retulisset victoriam. Si malum erat injuria affici, non id nobis jussisset Deus : mala enim Deus non jubet : an nescitis quod ipse sit Deus gloriæ? nec nos voluisset turpitudine, risu et damno involvere, sed contraria conciliare. Ideo jubet nos injuriam pati, nihilque non agit ut nos a sæcularibus abstrahat, et persuadeat quid sit gloria, quid turpitudo, quid damnum, quid lucrum.

6. Sed durum est injuria et damno affici? Non est durum, non est, o homo! Usquequo præsentibus inhias? Neque enim hoc præcepisset Deus, si malum esset. Considera autem : qui injuriam fecit, abiit pecunias habens, sed malam quoque conscientiam : qui autem injuria læsus est, pecuniis quidem privatus fuit, sed fiduciam apud Deum habet, possessionem mille thesauris pretiosiorem. Hæc cum sciamus, ex proposito voluntatis philosophemur, nec eadem quæ stulti patiamur, qui tunc se non injuria læsos putant, cum hoc illis a judicio accidit. Prorsus vero e contrario illud est damnum maximum, et universim quando non philosophamur sponte nostra, sed inde superati. Nihil enim lucri referunt qui superati a judicio, id patiuntur : nam tunc demum illud ex necessitate fit. Quænam ergo splendida victoria est? Quando tu id despexeris, quando judicio non contenderis. Quid dicis? omnia mihi ablata bona sunt, et silere jubes? damno affectus sum, ut mansuete feram hortaris? et quomodo illud potero? Facillime utique, si in cælum respexeris, si videris hanc pulchritudinem et ubi te susceperum esse Deus pollicitus sit, si injuriam generose feras. Hoc itaque facito, et postquam cælum respexeris, cogita te similem facium esse ei, qui illic super Cherubim sedet. Nam et ille contumelia affectus est, et id tulit; et probris est affectus, nec sese est ultus; sputis dehonestatus est, et non sese vindicavit, sed contrariis remuneravit, innumeris afficiens beneficiis eos qui talia fecerant, et nos ipsius imitatores esse jussit. Cogita te nudum exiisse ex utero matris tuæ; nudus reverteris et tu et qui te affecit injuria; imo vero ille cum innumeris vulneribus, quæ vermes gignant. Cogita quod temporanea sint præsentia : tecum reputa sepulcra majorum. Disce aperte ea quæ facta sunt, et videbis eum qui te injuria affecit, te fortiorem fecisse : passionem namque suam graviorem reddidit; amorem pecuniæ dico; tuam vero imbecilliorem, ablato feræ illius alimento. Ad hæc vero te liberavit a curis, ab animi angore, ab invidia sycophantarum, a turba, a tumultu, a perpetuo metu; et malorum colluviem in caput suum congessit. Quid igitur, si cum fame, inquies, concertem? Cum Paulo hoc pateris, qui ait : *Usque in hanc horam et esurimus et sitimus et nudi sumus* (1. *Cor.* 4. 11). At ille, inquies, propter Deum. Et tu quoque propter Deum : quando enim non te ultus fueris, propter Deum id fecisti. Sed qui me injuria affecit, cum divitibus in deliciis degit. Imo vero cum diabolo : sed tu cum Paulo coronaris. Ne ergo famem timeas : *Non enim fame necabit Deus animas justorum* (*Prov.* 10. 3). Et alius rursum ait : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet* (*Psal.* 54. 23). Si enim passeres agri nutrit, quomodo te non nutriet? Ne simus ergo modicæ fidei, neque pusillanimes, o dilecti. Qui enim regnum cælorum promisit et tanta bona, præsentia quomodo non dabit? Ne superflua desideremus, sed quod sufficiat, et semper divites erimus : tegumentum quæramus et alimenta, et omnia accipiemus, et hæc et multo majora. Si autem adhuc doles et deorsum respicis, vellem tibi ejus qui te injuria affecit animam post victoriam ostendere, quomodo cinis facta sit. Tale namque est peccatum : quamdiu patratur, quamdam voluptatem affert; quando autem consummatum est, tunc modica illa voluptas avolat, succedit autem animi mœror. Hæc porro patimur, cum quosdam contumelia afficimus; postea vero nos ipsos accusamus. Sic etiam cum rapimus, gaudemus; deinde vero a conscientia pungimur.

Qui egenis non eleemosynam erogat, in gehennam mittitur. — Vides apud quempiam domum pauperis? Defle, non eum qui privatus fuit, sed eum qui accepit; non enim dedit, sed accepit malum. Nam illum quidem præsentibus spoliavit, se vero ex bonis ineffabilibus ejecit. Nam si is, qui egenis non elargitur, in gehennam abit; qui illa quæ egenorum sunt accipit, quid patietur? Et quænam utilitas, inquies, si ego male patiar? Magna certe utilitas. Non per supplicium ejus, qui te malo affecit, remunerationem tibi constituit Deus; nam illud non magna res esset. Quæ enim utilitas, si et ego et ille mala patiamur? quamquam multos novi, qui hoc pro maxima habent consolatione, et totum se accepisse arbitrantur, cum eos qui sibi nocuerunt plexos vident. Attamen Deus non hic sistit remunerationem. Sed vis scire quot te bona exceptura sint? Totum sibi cælum aperit, sanctorum conclavem facit, in eodem choro ut sis effici, a peccatis absolvit, justitia coronat. Si enim qui re-

mittunt iis, qui peccaverunt, remissionem consequuntur; qui non modo remittunt, sed ipsis abunde largiuntur, quam non consequentur benedictionem? Ne itaque pusillo animo feras, sed etiam precare pro eo qui te læsit. Pecunias tuas accepit? sed etiam peccata, ut in Neemano et Giezi accidit. Quantas pecunias non dare voluisses, ut peccata tibi remitterentur? Hoc itaque nunc etiam usu venit: si enim generose feras, nec maledicas, splendida redimitus es corona. Non meus est sermo, sed audisti Christum dicentem: *Orate pro iis qui vobis molestiam creant.* Et cogita quantum sit præmium, *Ut sitis similes Patris vestri qui est in cælo* (*Matth.* 5. 45. 46). Itaque nullo privatus es, sed etiam accepisti; non injuria affectus, sed coronatus es, animo magis philosophus effectus Deoque similis, pecuniarum cura liberatus, regnum cælorum assequutus. Hæc itaque omnia nobiscum reputantes, in injuriis philosophemur, dilecti, ut et a præsentis vitæ perturbatione liberemur, et inutilem mœrorem abjiciamus, futurumque gaudium consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et una Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVII.

Cap. 6. v. 12. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt; omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.*

1. Helluones hic subindicat. Quia enim rursus ad fornicatorem est rediturus, fornicatio autem ex deliciis et immoderato cibo oritur, vehementer vitium illud castigat. Neque enim de prohibitis hæc dicit; illa namque non licent; sed de iis quæ indifferentia esse videntur. Exempli causa: licet, inquit, comedere et bibere; sed cum copia nimia non expedit. Quodque mirum inexspectatumque est, quod tamen facere sæpe solet in contrarium convertens orationem, hic quoque illud exsequitur; et ostendit quod in potestate facere, non solum non expediat, sed nec potestatis quidem sit, verum servitutis. Et primo quidem avertit ab eo, quod non expediat, dicens: *Non expediunt;* secundo autem a contrario, dicens, *Ego sub nullius redigar potestate.* Hoc autem sibi vult: Penes te est manducare, inquit: ergo mane in illa potestate, et cave ne hujus affectus servus efficiaris. Nam qui ut convenit illo utitur, illius dominus est; qui autem mensuram excedit, non ultra dominus est, sed servus ejus efficitur, gula in ipso tyrannidem exercente. Viden' quomodo eum, qui se potestatem habere putabat, sub potestate esse ostendat? Solet enim Paulus hoc facere, ut jam dixi, in contrarium objectiones vertere: quod hic etiam fecit. Animadverte autem: quisque eorum dicebat, Licet mihi deliciari: ille vero dicit, Non hoc tu ita facis ut qui id habeas in potestate, sed ut qui sis ipse redactus sub hanc potestatem. Neque enim ventris potestatem habes, quamdiu fueris ventri nimis indulgens, sed ipse te in potestate habet. Hoc autem de pecuniis etiam deque aliis dici potest. 13. *Escæ ventri.* Ventrem hic non ventrem, sed ingluviem vocat: ut cum dicit: *Quorum deus venter est;* (*Philipp.* 3. 19); non de hoc membro loquens, sed de voracitate. Quod enim ita sit, audi sequentia: *Et venter escis: corpus autem non fornicationi, sed Domino.* Atqui venter quoque est corpus. Sed duas posuit conjunctiones, escas et ingluviem, quam quidem ventrem vocavit, Christum et corpus. Quid sibi vult illud, *Escæ ventri?* Escæ, inquit, amicitiam habent cum ingluvie, et hæc cum ventre. Non potest ergo ad Christum nos ducere, sed ad hæc trahit. Gravis enim et belluina est passio servosque reddit, et ut sibi serviatur efficit. Cur ergo alimenti inhias, o homo? Illius namque ministerii talis est finis, et nihil amplius exhibebit; sed tamquam alicui dominæ ministrans, manet hanc retinens servitutem, neque ulterius procedit; nullumque aliud opus habet, sed hoc inane ministerium. Et ambo mutuo connectuntur, et simul dissolvuntur venter cum escis, et escæ cum ventre, cursum quemdam qui numquam finitur involventes, ac si a corrupto corpore nascantur vermes, et rursus a vermibus corpus consumatur; vel quemadmodum si fluctus in summum sublatus dissolvatur, nihil ultra efficit. Hæc porro non de esca et de corpore dicit; sed gulæ vitium et cibum immoderatum traducit, ut sequentia ostendunt: subjungit enim: *Deus autem et hunc et hæc destruet.* Non ventrem dicit, sed immoderatam concupiscentiam: non escam, sed delicias. Neque enim illam ægre fert, sed de illis legem statuit sic loquens: *Habentes alimenta et tegumenta, his contenti sumus* (1. *Tim.* 6. 8); sed hac ratione rem improbat, ejus emendationem post consilium datum orationi relinquens. Quidam vero dicunt, dictum illud esse prophetiam, quæ statum futuri sæculi declarat, in quo non ultra manducabitur vel bibetur. Si autem moderatus usus finem habebit, multo magis ab immoderato abstinendum. Deinde ne quis putet reprehensionem id esse corporis, neve illud suspicetur, quod nempe a parte totum damnaverit, neve dicat corporis naturam causam esse fornicationis; audi sequentia: Non enim corporis naturam, inquit, accuso, sed immoderatam animi cupiditatem: ideoque adjicit: *Corpus autem non fornicationi, sed Domino.* Non enim ideo formatum fuit, ut luxui et fornicationi operam daret, ut neque venter ut ingurgitetur, sed ut Christum caput sequatur, et Dominus imponatur corpori. Revereamur, horreamus, quod tanto honore dignati, ut illius supra collocati membra efficiamur, tot malis nos deturpemus. Cum ergo helluones satis carpsisset, futurorum etiam spe ab hac nequitia abducit, dicens: 14. *Deus autem et Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam.*

2. Vidistin' rursum sapientiam apostolicam? nam

fide dignam resurrectionem esse a Christo semper probat, maxime vero nunc. Si enim corpus nostrum membrum est Christi, Christus vero resurrexit, etiam corpus omnino caput sequetur. *Per virtutem suam.* Quia enim rem dixit, quæ non creditur et ratiociniis percipi non potest, ejus virtutis incomprehensibilitati concessit ea, quæ Christi resurrectionem spectant, non parvam hinc contra incredulos præbens demonstrationem. Et in Christi quidem resurrectione ipsam non posuit : neque enim dixit : Deus autem etiam Dominum suscitabit ; res enim jam contigit ; sed quomodo ? *Deus vero et Dominum suscitavit ;* nec opus habuit probatione. De nostra autem resurrectione, quia nondum evenit, non ita dixit, sed quomodo ? *Et nos suscitabit per virtutem suam ;* ex eo quod fide digna sit ejus qui suscitavit potestas, os obstruens contradicentibus. Si autem Patri adscribit Christi resurrectionem, nihil te conturbet. Non enim quod Christus non posset, hoc posuit : ipse namque Christus dixit : *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud* (*Joan.* 2. 19) ; et rursus, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* 10. 18) ; et Lucas in Actibus ait, *Quibus exhibuit scipsum vivum* (*Act.* 1. 3).Cur ergo Paulus sic loquitur ? Quia quæ Filii sunt, Patri adscribit, et quæ Patris, Filio : nam *Quæ ille facit*, inquit, *et Filius similiter facit* (*Joan.* 5. 19). Opportune autem admodum hic resurrectionem memorat, et tali spe gulæ tyrannidem reprimens, et tantum non dicens : Comedisti, bibisti sine mensura, et quis erit finis ? nullus, nisi corruptio tantum. Conjunctus es Christo, et quis erit finis ? magnus et mirabilis, futura resurrectio gloriosa illa, sermonem omnem superans.

Resurrectio futura probatur. — Nemo itaque resurrectioni fidem neget : si quis autem non credat, cogitet quanta ex nihilo produxerit, et hinc de illa demonstrationem accipiat. Nam quæ jam facta sunt, multo sunt mirabiliora, et ingens miraculum exhibentia. Animadverte autem : terram accepit et miscuit, hominemque fecit ; terram, inquam, quæ non antea erat. Quomodo ergo terra facta est homo ? quomodo ipsa cum non esset, producta fuit ? quomodo quæ ex ipsa fiunt omnia, immensa genera brutorum, seminum, plantarum, nullis partus doloribus præmissis, non pluviis in illa demissis, nulla cum agricultura, non bobus, aratro vel alio ad ortum illorum administro ? Ideo enim ex inanimato et insensibili tot in principio genera et plantarum et brutorum animalium orta sunt, ut te jam olim resurrectionis rationem doceret. Illud enim resurrectione cogitatu difficilius est. Non paria enim sunt exstinctam lucernam accendere, et nondum apparentem ignem exhibere : non paria sunt dirutam domum reædificare, et nullo modo exsistentem producere. Hic enim, etsi nihil aliud, at materia subjecta erat : illic vero ne substantia quidem apparebat. Ideoque quod difficilius esse videbatur, primo fecit, ut ex hoc quod facilius erat admitteres. Difficilius autem dixi, non Deo, sed secundum ratiociniorum nostrorum consequentiam : Deo namque difficile nihil est ; sed quemadmodum pictor, qui unam facit imaginem, innumeras facile faciet : sic et Deo facilius fuit, innumeros facere mundos atque infinitos : imo potius, ut facile tibi est urbem et infinitos cogitare mundos, ita Deo illos condere facile est, imo longe facilius. Tu enim parum saltem temporis in hac cogitatione insumis ; Deus vero non item : nam quanto re quadam levissima, imo etiam mente nostra, graviores lapides sunt ; tanto mentis nostræ celeritas a Deo in creando superatur. Admiratus es ejus in terra virtutem ? Cogita rursum quomodo cælum factum sit cum non esset, quomodo stellæ innumerabiles, quomodo sol, quomodo luna ; et hæc omnia, cum non antea essent. Rursus, dic mihi, quomodo postquam facta sunt steterunt et in quo ? quod habent fulcrum, quodnam terra ? quid post terram ? et post illud rursum quod post terram est, quid ? Vides in quantam vertiginem decidat mentis tuæ oculus, nisi statim ad fidem accurras et ad incomprehensibilem operantis virtutem ? Si velis autem etiam ex humanis conjecturam facere, paulatim poteris mentem tuam ceu alis instruere. Ex quibus, inquies, humanis ? Non vides figulos, quomodo fractum et sine forma factum vas effingunt ? eos qui metallicam terram fodiunt, quomodo terram aurum esse monstrent, et ferrum atque æs rursus alia ? qui vitrum conficiunt, quomodo arenam in corpus solidum et pellucidum transforment ? Dicamne coriarios, eos qui purpurea vestimenta tingunt, quomodo illud quod tincturam excepit aliud pro alio monstret ? dicamne generationem nostram ? nonne modicum semen informe et sine figura in excipientem vulvam ingreditur ? unde ergo tanta animalis efformatio ? Quid vero frumentum ? nonne granum nudum in terram injicitur ? nonne postquam injectum est putrescit ? unde spiciæ, aristæ, calami et cætera omnia ? nonne parvum fici granum sæpe in terram cadens, et radicem et ramos et fructum tulit ? Sane unumquodque horum admittis nec curiose inquiris, a Deo autem solo nostrum corpus transformante rationes exigis ? et quomodo hæc venia digna fuerint ?

3. Hæc et talia Græcis dicamus : nam apud eos qui Scripturis obsequuntur, ne sermone quidem opus est mihi. Si enim illius omnia curiose scrutari velis, quid plus habebit Deus quam homines ? quamquam nec de multis quidem hominibus curiose perquirimus. Quod si in hominibus hoc facimus, nec curiose inquirimus ; multo minus Dei sapientiam scrutari oportet, vel rationes ab illa expetere. Primo quidem, quia fide dignus est is qui pronuntiavit ; secundo, quia res ipsæ ratiociniorum perscrutationem non admittunt. Non enim adeo egenus est Deus, ut ea solum operetur, quæ ratiociniorum tuorum imbecillitate possunt comprehendi. Si enim fabri opus non comprehendis, multo minus Dei præstantissimi artificis. Ne fidem ergo negetis resurrectioni : nam a spe futurorum longe

aberitis. Sed quænam est sapientia contradicentium, imo ingens stultitia? Et quomodo, inquiunt, quando corpus terræ commixtum est et factum est terra, et hæc rursum alio translata fuerit, resurget tamen illud? Hoc tibi dubium videtur esse, sed non insomni illi oculo : ipsi enim manifesta omnia sunt. Et tu quidem non vides divisionem quæ est in confusione; ille vero omnia novit; quandoquidem tu ignoras illa quæ in corde proximi sunt; ille vero omnia novit. Si ergo, quia ignoras quomodo resuscitet Deus, non credis quod resuscitet, non credes etiam, quod ea quæ in mente sunt noscat : nam neque illa apparent. Atqui in corpore materia quidem est visibilis, etsi dissolvatur; illæ vero cogitationes invisibiles sunt. Qui ergo invisibilia cum omni accuratione novit, visibilia non videbit, nec facile corpus dividet? Est cuivis perspicuum. Ne igitur resurrectioni fidem neges : est quippe dogma diabolicum. Hoc diabolus curat, non modo ut resurrectioni non credatur, sed et ut virtutis opera dissolvantur et pereant. Homo enim qui non exspectat se resurrecturum, et operum suorum rationem redditurum, non cito virtutem adibit; virtuti vero non dans operam, rursus non credet se resurrecturum : ambo enim alterum ab altero probantur, nequitia ab incredulitate, et incredulitas a nequitia. Conscientia enim multis plena malis, timens ac tremens futuram ultionem, quia non vult a mutatione ad meliora consolationem assequi, ab incredulitate vult quietem adipisci. Te enim nec resurrectionem dicente nec judicium, ille quoque dicet : Ergo neque ego scelerum rationem dabo. Sed quid dicit Christus : *Erratis, nescientes Scripturas neque virtutem Dei* (*Matth.* 22. 29). Neque enim tam multa Deus esset operatus, nisi nos resuscitaturus esset, sed dissoluturus et in nihilum redacturus : non tantum cælum extendisset, non terram stravisset, non cætera omnia pro hac solum brevi vita fecisset. Si autem hæc fecit pro præsenti, quid non faciet pro futura? Si vero nulla sit futura, iis, quæ pro nobis facta sunt, longe sumus viliores. Nam cælum, terra, mare et flumina sunt nobis stabiliora, necnon bruta quædam : nam et cornix et elephantorum genus, et multa alia diuturniore vita præsenti fruuntur. Nobis etiam et brevis et laboriosa est vita; sed non illis : nam longa eorum vita est, ac mœroribus curisque vacua. Quid ergo, dic mihi, servosne melioris conditionis fecit quam dominos? Ne, quæso, ne talia existimes : neque sis mente inops, o homo, neve ignores divitias Dei, cum talem habeas Dominum. Nam ab initio Deus te immortalem facere voluit; sed tu noluisti. Immortalitatis enim ænigmata erant illa, colloquium cum Deo, vita non laboriosa, liberum esse a dolore, cura atque laboribus aliisque temporaneis. Neque enim veste opus habebat Adam, non tecto, non alio quovis simili apparatu; sed magis angelis similis erat, multa futurorum præsciebat, et sapientia erat multa plenus. Et quod latenter Deus fecit, id ille cognovit, circa mulierem scilicet; ideo dicebat : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea* (*Gen.* 2. 23). Labor autem postea ortus est, deinde sudor, postea pudor et timor et libere loquendi difficultas : tunc enim non mœror, non dolor, non gemitus. Sed in dignitate illa non mansit.

4. Quid ergo, inquies, faciam ego? propter illumne peream? Non sane propter illum : neque enim tu sine peccato mansisti, sed etiamsi non idipsum peccatum, aliud utique admisisti. Alioquin autem a punitione non damnum accepisti, sed lucratus es. Nam si debuisses semper mortalis manere, aliquam forte rationem haberet id quod dictum est : nunc autem immortalis es, et si velis, plus quam sol ipse splendere poteris. Sed nisi mortale corpus accepissem, inquies, non peccassem. Quid ergo, an ille, quæso, mortale corpus habens peccavit? Nequaquam : nam si mortale fuisset, non poena supplicii loco mortem passum esset. Quod autem mortale corpus non sit impedimentum ad virtutem, sed et temperantem reddat et multum conferat, hinc palam est. Si enim immortalitatis exspectatio solum Adamum tantum extulit; si revera immortalis mansisset, in quantam arrogantiam non processisset? Et nunc quidem post peccatum potes peccata solvere, cum corpus sit humile, abjectum et dissolutum; hæ quippe cogitationes possunt temperantem reddere : si autem peccasses in immortali, stabiliora fortasse fuissent peccata. Non ergo mortalis natura causa peccati est, ne accuses; sed malum voluntatis propositum est radix malorum. Cur enim Abelem corpus non læsit? cur nihil profuit dæmonibus, quod essent incorporei? Vis scire quomodo corpus mortale non læserit, sed etiam juvet? audi quanta hinc lucreris, si vigiles. Mœroribus, doloribus atque laboribus aliisque similibus te retrahit et avellit a vitio. Sed etiam ad fornicationem, inquies, trahit? Non corpus, sed incontinentia : hæc quippe omnia, quæ dixi, omnino corporis sunt. Quapropter fieri nequit ut homo in hanc vitam veniens non doleat, laboret et mœreat; non fornicari vero potest. Itaque si naturæ corporis essent ea, quæ ad vitia pertinent, universalia essent : talia enim naturalia sunt; at non talis res est fornicari : dolere inde provenit, fornicari autem ex proposito voluntatis. Ne ergo corpus accuses, ne honorem tibi auferat diabolus, quem tibi dedit Deus. Si enim velimus, optimum frenum erit corpus, quod animæ insultus coerceat, arrogantiam avellat, fastum reprimat, et in præclaris operibus nobis ministret. Ne mihi furentes quosdam dicas : nam sæpe videmus equos aurigam deturbantes cum freno et per præcipitia sese dantes; sed frenum non culpamus; non enim illud abjectum in causa est, sed auriga, qui non retinuit, omnia perdidit. Ita hic quoque reputa : si videris juvenem orphanum, et mala innumera perpetrantem, ne corpus incuses, sed aurigam qui trahitur nempe rationem. Sicut enim frena non negotium faciunt aurigæ, sed ille omnium causa est, qui habenas non probe retinet; ideoque ab illo pœnas repetunt, cum illo complicatæ habenæ et eum attrahunt et cogunt esse participem infortunii sui : ita et

hic quoque. Ego enim, inquiunt, os equi habenis regebam, quamdiu tu tenebas : quia vero abjecisti, abs te exigo pœnas contemptus tui, et tecum complicor et attraho, ut ne amplius tale quidpiam patiar. Nemo itaque habenas culpet, sed seipsum et corruptum animum. Nam in nobis auriga est ratio, habenæ corpus, quæ equos cum auriga conjungunt. Si ergo illæ recte positæ sint, nihil grave patieris ; sin illas dimittas, omnia abolevisti et perdidisti. Temperantes ergo simus, et ne accusemus corpus, sed malum animum. Nam hoc maxime diaboli opus est, ut stultos magis moveat ad accusandum corpus et Deum et proximum, quam corruptum animum ; ut ne, si causam invenerint, liberentur a radice malorum. Sed vos cum insidias cognoscatis, iram vertite in illum, et aurigam jugo imponentes, ad Deum mentis oculum convertite. Nam in aliis quidem is nihil affert qui certamen proposuit, sed exspectat finem : hic autem omnino agonotheta est Deus. Hunc ergo propitium habeamus, et omnino consequemur futura bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVIII.

Cap. 6. v. 15. *Nescitis quod corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.*

1. Cum a fornicatore in avarum transiisset, rursus ab hoc venit ad illum, non ultra ipsum alloquens, sed alios qui fornicati non fuerant ; et illos muniens, ut ne in paria incidant, ipsum denuo perstringit. Nam qui peccavit, etiamsi ad alium orationem dirigas, sic etiam pungitur, concitata conscientia ipsumque verberante. Sufficiebat quidem metus supplicii ad illos in castitate continendos : quia vero non metu tantum vult hæc recte constitui, minas simul et ratiocinia affert. Illic ergo cum peccatum dixisset, et pœnam statuisset damnumque ostendisset, quod omnibus afferebatur ex tali fornicatoris concubitu ; ad avaritiam transiit, et minatus fore ut a regno excidant, et hic et cæteri omnes, quos recensuit, sic orationem absolvit : hic autem horribiliorem inducit admonitionem. Nam qui peccatum punit tantum, nec admodum grave et iniquum ostendit, nihil tam magnum per supplicium facit : qui vero ad pudorem inducit tantum, neque per punitionem terret, non admodum pungit eos, qui non sunt sensu præditi. Quamobrem utrumque facit Paulus, et pudorem infert dicens, *Nescitis quia angelos judicabimus?* et terret his verbis, *Nescitis quia avari regnum Dei non possidebunt?* Et de fornicatore iterum eodem utitur sermone : cum enim terruisset per ea quæ prius dixerat, et cum excidisset atque Satanæ tradidisset futurique diei meminisset, rursus illi pudorem infert, dicens : *Nescitis quod corpora vestra membra sunt Christi?* tamquam ingenuos pueros deinceps alloquens. Quia enim dixit, *Corpus Domino*, nunc clarius ostendit ipsum. Et alibi quoque hoc ipsum facit, dicens : *Vos estis corpus Christi, et membra ex parte* (1. *Cor.* 12. 27). Et hoc ipsum exemplum sæpe ponit, non pro rebus iisdem, sed aliquando ut dilectionem ostendat, aliquando ut timorem angeat ; hic autem ipsum posuit terrens et timorem incutiens : *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* Nihil hoc dicto est horribilius. Et non dixit, Tollens ergo membra Christi, conjungam meretrici ? sed quid? *Faciam membra meretricis?* quod certe magis pungebat. Deinde probat quomodo is qui fornicatur id fiat, dicens : 16. *An nescitis quod qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur?* Undenam hoc perspicuum? *Erunt enim, inquit, duo in carne una* 17. *Qui autem adhæret Domino, est unus spiritus.* Neque enim permittit concubitus ut duo sint duo, sed ambos unum facit. Et vide rursum quomodo per nuda nomina procedat, per meretricem et per Christum deducens accusationem. 18. *Fugite fornicationem.* Non dixit, Abstinete a fornicatione ; sed, Fugite ; id est, Cum studio facite ut a malo liberemini. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Hoc est minus priore ; sed quia ab eo agebatur de fornicatoribus, undique illud extollit, et a majoribus et a minoribus crimen amplificans. Illud quidem prius religiosioribus dictum est, hoc autem imbecillioribus. Nam et hoc quoque Pauli sapientiæ est, non modo a majoribus pudorem incutere, sed etiam a minoribus, et a turpitudine atque ab indecoro. Quid ergo, inquies, an homicida manum non polluit? quid vero avarus et rapax? Id cuique palam est : sed quia dici non poterat nihil esse pejus fornicatore, alio modo hoc crimen auxit dicens, in fornicatione totum corpus fieri exsecrandum. Tamquam enim incidens in lebetem immunditiæ, inquinamento tinetum sic polluitur. Hoc autem nobis etiam in more est. Nam ab avaritia quidem et rapina nemo nostrum curaverit in balneum ire, sed sine ullo discrimine domum redit : a coitu autem cum meretrice, ac si totus immundus sit effectus, ad lavacrum venit : ita turpiorem quamdam suspicionem ex hoc peccato habet conscientia. Utrumque certe grave est, avaritia nempe et fornicatio, et in gehennam injicit : verum quia Paulus omnia œconomice et prudenter administrat, quæ suppetebant omnia adhibuit ad fornicationis crimen augendum. 19. *An nescitis, quod corpus vestrum templum est ejus qui in vobis est Spiritus sancti?*

2. Non simpliciter dixit, *Spiritus ;* sed, *Qui in vobis est*, quod consolantis erat ; et rursus explicans ait : *Quem habetis a Deo.* Eum qui dedit posuit, simul et sublimem reddens auditorem, et terrens magnitudine depositi, et desiderio studioque deponentis. *Et non estis vestri.* Hoc non pudorem inferentis modo est, sed etiam cogentis ad virtutem. Quid enim? quod vis facis, ais : non es tui dominus. Hæc autem dicebat,

non liberum arbitrium tollens; nam cum dixisset, *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, non libertatem nostram abstulit : et hic rursus scribens, *Non estis vestri*, non propositum voluntatis labefactat, sed a nequitia abducit, et Domini curam ostendit : ideo subjungit, 20. *Empti enim estis pretio.* Si autem non sum meus, quomodo exigis a me ea quæ sunt agenda? quomodo in sequentibus rursum dicis, *Glorificate Deum in corpore vestro et in spiritu vestro, quæ Dei sunt.*

Facultatem non peccandi habet homo. — Quid ergo sibi vult illud, *Non estis vestri?* et quid per hoc vult probare? In securitate constituere, ut ne peccemus, nec animi concupiscentias absurdas sequamur. Nam multa volumus absurda et gravia, sed ea reprimere oportet; nam id possumus : si enim non possemus, superflua esset admonitio. Vide ergo quomodo firmaverit. Cum dixisset enim, *Non estis vestri*, non adjecit, Sed sub necessitate estis, sed, *Pretio empti estis.* Cur hoc dicis? nam aliunde, dixerit fortasse quispiam, oportebat hortari, ostendendo nos habere Dominum. Sed hoc quidem cum Græcis nobis est commune; illud vero, *Pretio empti estis*, nobis est præcipuum. In memoriam enim revocat beneficii magnitudinem, et salutis modum, ostendens nos cum alienati fuissemus, emptos fuisse; et non simpliciter, sed pretio. *Glorificate ergo, portate Deum in corpore vestro et in Spiritu.* Hoc porro dicit, ut non corpore solum fugiamus fornicationem; sed etiam in spiritu animæ nihil mali cogitemus, nec gratiam abigamus. *Quæ sunt Dei.* Quia enim dixit, *Vestro*, ideo adjicit, *Quæ sunt Dei;* sæpe nobis in memoriam revocans, omnia Domini esse, corpus, animam et spiritum. Enimvero quidam dicunt, illud *In spiritu*, dici quasi in charismate. Nam si illud in nobis fuerit, Deus glorificatur; erit autem, si cor mundum habeamus. Dei autem illa esse dixit, non modo quia illa produxit, sed quia abalienata secundo rursus acquisivit, pretium ponens sanguinem Filii. Vide quomodo in Christo totum perfecit; quomodo nos in cælum adduxit. Membra estis Christi, inquit, templum estis Spiritus : ne ergo sitis membra meretricis : non enim corpus vestrum contumelia afficitur; neque corpus vestrum est, sed Christi. Hæc porro dixit, simul benignitatem ejus ostendens, quod corpus nostrum sit suum, et ut a maligna potestate nos eripiat. Nam si alienum est corpus, non potestatem habetis alieni corporis contumelia afficiendi, inquit, maxime vero cum sit Dominicum, neque templum Spiritus inquinandi. Si quis enim privatam domum ingressus, petulanter egerit in illa, extremas dabit pœnas; qui templum regis receptaculum latronis fecerit, cogita quanta passurus sit mala. Hæc ergo cogitans, inhabitantem reverere; is enim est Paracletus : time illum, qui tecum complicatus est et tibi adhæret; Christus enim est. Num tu membrum Christi te ipse fecisti? Sic cogita et castus mane : cujus fuerint membra et cujus facta sint. Meretricis antea membra erant, et Christus fecit illa membra sui corporis. Non ergo illa nunc in potestate habes : illi servias qui te liberavit. Non enim, si filiam haberes et eam præ stultitia mercede locasses lenoni, ut fornicaretur; deindeque filius regis transiens, a servitute liberatam uxorem duxisset, penes te esset postea illam in prostibulum ducere : semel enim dedisti et vendidisti. Res nostra sic habet : carnem nostram mercede conduximus diabolo gravi lenoni : videns Christus eripuit illam et liberavit a tyrannide illa acerba. Non est ergo jam nostra, sed liberatoris. Si velis uti illa tamquam regis sponsa, nemo prohibet; sin ad priora duxeris, eadem patieris, quæ par est pati contumeliosos. Ideo potius illa est exornanda, quam probro afficienda. Neque enim potentiam carnis habes in pravis concupiscentiis, sed in iis solis, quæ Deus præceperit. Cogita ergo a quanta illam contumelia liberaverit Deus : quavis enim meretrice turpior prostabat antea natura nostra. Nam latrocinia, homicidia, et quævis iniqua cogitatio in illam ingrediens, cum anima concumbebat, parva vilique mercede, præsentis nempe voluptatis. Anima quippe commixta cum malis cogitationibus et actibus, hanc solum percipiebat mercedem.

3. Sed hæc quidem antea fieri grave cum esset, non tam grave erat : post cælum autem, post regnum, postquam tremenda perceperis mysteria, rursum inquinari, quam habebit veniam? Annon existimas cum avaris et aliis omnibus quos enumeravit, ipsum accumbere diabolum? mulieres autem ad libidinem ornatas non censes cum illo commisceri? ecquis huic sermoni contradixerit? Quod si quis sit contentiosus, exuat animam mulierum quæ se adeo indecore gerunt, et videbit malignum illum dæmonem cum illis valde complicari et commisceri. Difficile enim est, dilecti, difficile est, imo fortasse impossibile, ut sic ornato corpore, simul quoque ornetur anima; sed necesse est alterum negligere cum qui alterius curam habet : neque enim ex natura sua hæc simul esse possunt. Ideo ait : *Qui adhæret meretrici, est unum corpus : qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* Ille namque tandem spiritus efficitur, licet corpore sit circumdatus. Quando enim nihil corporeum, nihil crassum, nihil terrenum circa ipsum fuerit, simpliciter corpore circumdatur : cum totus principatus sit animæ et spiritus, sic glorificatur Deus. Quamobrem in oratione dicere jubemur, *Sanctificetur nomen tuum;* et Christus ait : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est* (*Matth.* 5. 16). Sic ipsum glorificant etiam cæli, non vocem emittentes, sed per aspectum admirationem commoventes, et gloriam Creatori referentes. Sic glorificemus illum et nos; imo magis quam illi; possumus enim si velimus. Neque enim ita cælum et dies et nox Deum glorificat, ut anima sancta. Sicut enim quis cæli pulchritudinem respiciens dicit, Gloria tibi Deus : quale opus fecisti! ita et viri virtutem intuens, imo hic multo magis. Ab illis namque creaturis non omnes Deum glorificant, sed etiam multi illa automata esse dicunt; alii vero dæmonibus attribuunt mundi creationem et providen

tiam, quod peccatum vix veniam admittat : circa virtutem autem hominis, nemo sic impudenter agere poterit, sed omnino glorificabit Deum, dum videt eum qui Deo servit sancte viventem. Quis enim non obstupescet, quando quispiam, homo cum sit communisque naturæ particeps, in mediisque versans hominibus, sicut adamas, non convertitur ad passionum agmen? cum inter ignem et ferrum et feras versans adamante fortior est, et per pietatis verbum rationemque omnia superaverit? quando probris afficitur, et benedicit? quando male audit et laudat? quando molestia ei creatur, et ille orat pro iis qui secum inique agunt? quando insidiis appetitur, et ipse beneficia præstat insidiatoribus et adversariis? Hæc et similia magis quam cæli glorificant Deum. Græci namque cælum videntes, non pudore afficiuntur; sanctum autem virum videntes accurate philosophiam exhibentem, pudore suffunduntur seseque damnant. Cum enim is, qui ejusdem naturæ consors est, ita superior illis est, et multo magis, quam cælum terram superat; vel inviti cogitant, quamdam divinam virtutem hæc operari : ideo ait : *Et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Vis et aliunde discere, quomodo a servorum suorum vita glorificetur Deus, quomodo etiam a miraculis? Immisit aliquando Nabuchodonosor tres pueros in fornacem. Deinde quia vidit ignem non illos superare, ait : *Benedictus Deus, qui misit angelum suum, et eripuit pueros suos* a fornace, *quia confiderunt in eum : et verbum regis mutaverunt* (*Dan.* 3. 95). Quid dicis? contemptus fuisti, et miraris eos qui respuerunt? Etiam, inquit, et propter hoc ipsum quod contemptui habitus sim; et miraculi hanc statuit esse causam. Itaque non propter signum tantum tunc gloria Deo fuit, sed propter propositum eorum qui illo injecti sunt. Quod si quis hoc et illud per se examinet, non hoc illo minus est. A fornace enim liberasse, non est majus ad rationem miraculi, quam animis persuasisse ut ingrederentur in fornacem. Quomodo enim non dignum stupore fuerit, cum rex orbis, tam multis armis circumseptus, exercitus habens, duces, toparchas et consules, terræ et mari imperans, a pueris captivis despicitur, et vincti vincientem superant et totum ipsius vincunt exercitum? Non enim potuerunt id, quod voluerunt, rex et clientes ejus, qui et hæc et fornacis copiam habebant; sed nudi, servi, exteri pauci (quid enim tribus paucius sit)? immensum exercitum vincti profligarunt. Jam enim mors despiciebatur, quia adventurus erat Christus : et sicut jam orituro sole, antequam radii appareant, splendida efficitur lux diei : sic etiam venturo justitiæ sole mors tandem cedebat. Quid illo theatro splendidius fuerit? quid victoria clarius? quid novis tropæis insignius?

4. Hoc fit etiam nostro tempore. Et nunc rex est Babylonicæ fornacis, nunc etiam fornacem accendit illa graviorem : est etiam qui nunc illam jubet admirari imaginem : adsunt ipsi et satrapæ et milites et musica demulcens; multique illam imaginem admirantur, variam, magnam. Tale enim quidpiam est avaritia, quale imago illa, ne ferrum quidem despiciens, sed ex dissimilibus composita rebus, omnia admirari jubens, æs, ferrum, et quæ sunt illis admodum viliora. Sed quemadmodum hæc sunt; ita etiam nunc sunt puerorum illorum imitatores qui dicunt : Diis tuis non servimus, et imaginem tuam non adoramus; sed et paupertatis fornacem sustinemus et aliam omnem miseriam pro Dei legibus. Et illi quidem qui multa habent, ut et veteres illi, hanc sæpe adorant et comburuntur; qui vero nihil possident, hanc despiciunt, et in paupertate versantes, in rore magis deliciantur, quam illi qui in rerum copia vivunt : sicut et tunc quoque, qui injecerunt combusti sunt, qui autem in medio erant, ceu in aqua et rore versabantur. Tyrannus autem ille tunc magis a flamma urebatur, ira vehementius illum incendente, quam pueri illi incenderentur. Nam illorum ne summos quidem capillos potuit ignis tangere; hujus autem mentem igne vehementius ira incendit. Cogita enim quantum illud esset, in tam multorum conspectu a pueris captivis ipsum contemn.. Tunc enim ostendit, se illorum urbem cepisse, non vi sua, sed propter multorum peccata. Nam si vinctos non potuit superare, etiamque in fornacem injectos, quomodo illos lege belli superasset, si omnes tales fuissent? Unde manifestum est multorum peccata urbem tradidisse. Vide autem quam a vana gloria alieni pueri essent. Non enim insilierunt in fornacem, sed jam olim Christi præceptum servabant dicentis : *Orate ne intretis in tentationem* (*Matth.* 26. 41) : neque fugerunt quando ducti sunt, sed steterunt in medio fortiter : neque non vocante decertantes, neque vocante molles et ignavi, sed ad omnia parati et strenui omnique fiducia pleni. Audiamus enim quid dicant, ut inde eorum philosophum sensum ediscamus : *Est Deus in cælis potens eripere nos* (*Dan.* 3. 17). Non enim de se sunt solliciti, sed mox comburendi, de gloria Dei solliciti sunt. Ut enim, nobis combustis, Deum non damnes imbecillitatis, jam tibi totum dogma nostrum accurate annuntiamus. *Est Deus in cælis*, non talis qualis hæc imago in terra, inanimata et muta, sed qui possit ex media fornace ardenti eripere. Ne itaque illum damnes imbecillitatis, quod nos sinat in eam incidere : tam potens est, ut postquam inciderimus, nos a flamma eripere possit; *Et si non faciat, notum sit tibi, o rex, quod diis tuis non servimus, et auream quam posuisti statuam non adoramus* (*Ibid. v.* 18). Vide eos certo consilio et dispensatione non nosse futurum. Sic enim scivissent, admirandi non fuissent hæc facientes : quid enim mirum, si pignora salutis habentes, gravia illa audacter adiissent? sed glorificaretur quidem Deus, qui potuisset eripere ex fornace; ipsi vero non admirabiles fuissent, utpote qui non in pericula seipsos conjecissent. Ideo permisit, ut ipsi quod futurum erat ignorarent, ut magis eos glorificaret. Et sicut ipsi confirmabant regem, ut ne Deum imbecillitatis damnaret, si ipsi combusti fuissent : ita et Deus utrumque præstitit, et potentiam suam ostendit, et

puerorum animum præclariorem effecit. Undenam ergo illis hæc dubitatio, inquies, ut non confiderent se salvos exituros esse? Quod se viliores omnino esse putarent, et tali beneficio indignos. Quod autem non ex conjectura hoc dicam, in fornacem conjecti lamentabantur, hæc dicentes : *Peccavimus, injuste egimus : non licet nobis os aperire* (*Dan.* 3. 29). Propterea dicebant, *Et si non.* Si enim non clare dicebant, Potest nos Deus eripere; si autem non eripuerit, propter peccata nostra non eripiet, ne mireris : visi enim essent apud barbaros peccatorum suorum obtentu Dei imbecillitatem obtegere. Propterea cum de ejus potentia tantum loquuti essent, causam non ponunt. Alioquin recte eruditi erant Dei judicia non curiose inquirere. Cum hæc ergo dixissent, in ignem ingressi sunt, nec regem contumelia affecerunt, neque statuam evertere. Virum enim fortem talem esse oportet, moderatum et mansuetum, maxime in periculis, ut ne videatur ex ira et vana gloria talia adire certamina, sed ex fortitudine et temperantia. Nam qui contumelia afficit, in suspicionem illorum criminum venit : qui vero sustinet et trahitur ac cum mansuetudine decertat, non modo ut fortis in admiratione habetur, sed etiam ob moderationem et mansuetudinem, non minus celebratur. Id quod et ipsi tunc fecerunt, cum et fortitudinem et mansuetudinem omnem exhibuerunt : nec quidquam fecere propter mercedem et præmium. Et si noluerit, inquiunt, nos eripere, diis tuis non servimus : jam enim remunerationem habemus, ut digni habiti, qui ab impietate liberaremur, et quod propterea corpora cremarentur. Et nos igitur habentes jam mercedem; nam habemus, digni habiti qui illum cognosceremus, et qui membra Christi efficeremur, ne faciamus illa membra meretricis. In hoc enim tam horrendo dicto finienda est oratio : ut validum habentes comminationis timorem, maneamus auro puriores hoc metu redditi. Sic enim poterimus a fornicatione erepti Christum videre : quem utinam cum fiducia videamus in illo die, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIX.

CAP. 7. v. 1. *De quibus autem scripsistis mihi : Bonum est homini mulierem non tangere : 2. propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum.*

1. Postquam gravissima tria correxit vitia, unum quidem quod divelleretur Ecclesia, secundum autem fornicatoris, tertium avari; deinde mitiore usus est oratione : et admonitionem consiliumque interponit de matrimonio et de virginitate, a molestioribus auditorem ad quieta ducens. In secunda autem epistola contrarium facit : incipit enim a mitioribus, desinit autem in tristiora. Hic vero postquam de virginitate sermonem perfecit, rursus exit ad ea quæ magis pungunt ac feriunt, non omnia continenter ponens, sed sermonem in utroque varians, ut tempus exigebat, necnon præsentium rerum usus. Ideo ait : *De quibus autem scripsistis mihi.* Scripserant autem ei, an oporteret ab uxore abstinere an non. Et ad ea rescribens, et de matrimonio legem ferens, sermonem de virginitate inducit : *Bonum est homini mulierem non tangere.* Nam si, inquit, quod bonum est et admodum excellens quæris, melius est cum muliere nullam habere consuetudinem; si quod tutum est, et quod infirmitatem tuam juvet, matrimonio utere. Quia autem verisimile erat, ut etiam nunc solet, virum velle, mulierem vero non item; vel etiam contra, vide quomodo de utroque disserat. Et dicunt quidam, hoc ab illo dictum sacerdotibus fuisse : ego vero ex iis quæ sequuntur rem examinans, non dixerim rem ita se habere : neque enim universe admonitionem constituisset. Si autem sacerdotibus tantum hæc scripsisset, dixisset sane : Bonum est doctori uxorem non tangere; nunc autem universim hoc posuit : *Bonum est homini*, dicens, non tantum sacerdoti; et rursus, *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.* Non dixit, Tu sacerdos et doctor, sed indefinite; et totus omnino sermo sic procedit. Et cum dixit, *Propter fornicationes unusquisque suam uxorem habeat*, ex ipsa concessionis causa ad continentiam duxit. 3. *Uxori vir debitum reddat; similiter et mulier viro.* Quid est autem debitus honor? Mulier non habet potestatem sui corporis, sed et ancilla et domina viri est. Si defeceris ab ea quæ convenit servitute, Deum offendis : si autem abscedere vis, cum vir hoc permiserit, saltem ad breve tempus fiat. Propterea et debitam rem vocavit, ut ostenderet nullum esse sui dominum, sed esse alterum alterius servum. Cum ergo videris meretricem te ad peccatum allicientem, dic : Non est meum corpus, sed uxoris. Eadem dicat uxor illis, qui castitatem suam violare satagunt : Corpus meum non est meum, sed viri. Si vero nec maritus nec uxor potestatem corporis habent, multo minus pecuniarum. Audite quæcumque maritos habetis, et quicumque uxores. Si enim corpus sibi proprium habere non licet, multo minus pecunias. Alibi sane magnam dat marito prærogativam et in Novo et in Veteri Testamento dicens, *Ad virum tuum conversio tua, et ipse tibi dominabitur* (*Gen.* 3. 16); Paulus autem sic dividens et scribens : *Viri diligite uxores, uxor autem timeat virum* (*Ephes.* 5. 25) : hic vero non ultra majus aut minus ponit, sed unam potestatem. Quare? Quia de castitate sermo ipsi erat. In aliis quidem prærogativam, inquit, habeat maritus : ubi autem de continentia agitur, non item. *Vir potestatem sui corporis non habet, neque uxor.* Multa est æqualitas, et nulla prærogativa.

5. *Conjugii jura.—Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu.* Quid hoc est? Ne se continent, inquit, uxor marito nolente, neque maritus invita uxore. Quare? Quia magna ex tali continentia oriuntur mala:

nam et adulteria, et fornicationes et domorum eversiones sæpe inde consequutæ sunt. Si enim cum uxores habeant, fornicantur, multo magis si illos ab hac consolatione privaveris. Et recte dixit, *Nolite fraudare*, fraudem hic et debitum superius appellans, ut dominium majus ostenderet. Nam invito altero alterum se continere; illud est fraudare; utroque volente, non item. Non enim, si postquam mihi persuaseris, aliquid ex meis accipias, fraudari me dico. Qui enim ab invito et per vim coacto accipit, ille fraudat. Quod multæ mulieres faciunt, quæ peccatum admittunt justitiam exsuperans, et hac ratione libidinis maritorum in culpa sunt, omniaque in dissensionem vertunt. Oportet autem concordiam omnibus anteponere, quia hoc omnibus est præferendum. Et si placet, id in rebus ipsis examinemus. Sint uxor et maritus, et se contineat uxor nolente marito : quid ergo, si ille hinc ad fornicandum inducatur; aut non fornicetur quidem, sed doleat, turbetur, incendatur, pugnet ac litiget, et innumera uxori negotia exhibeat? quid lucri ex jejunio et continentia, cum caritas fracta sit? Nihil. Quot enim inde convicia, quot negotia, quantum bellum necessario oriatur.

2. Cum enim domi maritus et uxor dissident, non melius se habebit domus, quam navis agitata tempestate, gubernatore qui ab eo proram regit dissentiente. Idcoque ait : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus ut vacetis jejunio et orationi;* de oratione cum majori studio facta hic loquens. Si enim orare prohibeat eos qui inter se coeunt, illud, Sine intermissione orare, quomodo locum et tempus habebit? licet ergo et cum uxore consuetudinem habere, et orationi incumbere : sed per continentiam precatio accuratior redditur. Non enim simpliciter dixit, Ut oretis; sed *Ut vacetis*, utpote cum res vocationem præbeat, sed non immunditiam. *Et iterum in idipsum convenite, ne tentet vos satanas.* Ne videretur enim, rem esse lege constitutam, causam addit. Quænam illa est? *Ne tentet vos satanas.* Et ut discas non diabolum tantum adulterii causam esse, subjunxit : *Propter incontinentiam vestram.* 6. *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* 7. *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, in continentia.* Hoc sæpe facit, quando res difficiles suadet : se in medio ponit et ait, *Imitatores mei estote. Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic* (1. *Cor.* 4. 16). Quia enim valde illos accusavit dicens, *Propter incontinentiam vestram*, rursus ipsos consolatus est subjungens, *Unusquisque proprium donum habet ex Deo;* non hoc declarans, quod hoc recte factum nostro studio non egeat; sed, ut prius dixi, consolans illos. Nam si donum est, et nihil homo ad hoc affert, quomodo dicis? 8. *Dico autem non nuptis et viduis : bonum est illis, si sic permanserint ut ego.* 9. *Quod si se non continent, nubant.* Vidistin' Pauli sapientiam, quomodo et meliorem ostendat esse continentiam, et non cogat eum qui non assequitur, timens ne in lapsum incidatur? *Melius est enim nubere, quam uri.* Indicavit quanta sit concupiscentiæ tyrannis. Hoc autem vult significare : Si vim multam et æstum pateris, a laboribus et sudoribus te libera, ne forte subvertaris. 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus.* Quia legem disertis verbis a Christo latam est lecturus, de uxore non dimittenda nisi sit fornicata, propterea dicit, *Non ego.* Nam quæ prius dicta sunt, etiamsi non disertis verbis dicta sint, ipsi tamen ea esse videntur. At hoc quidem ille disertis verbis tradidit : itaque illud, *Ego;* et *Non ego*, hanc habent differentiam. Ne enim sua esse humana putares, ideo subjunxit : *Puto enim quod et ego Spiritum Dei habeam.* Quid est ergo, quod Dominus conjugatis præcepit, *Uxorem a viro non discedere?* 11. *quod si discesserit, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur : et vir uxorem non dimittat.* Quia enim et propter continentiam et propter alios obtentus et dissensiones, divisiones fieri contingebat; melius quidem a principio fuisset, non illa fieri, sed si facta sunt, maneat uxor cum viro, etsi non ad concubitum, tamen ut nullum alium inducat virum. 12. *Cæteris autem ego dico, non Dominus : Si quis frater uxorem habeat infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* 13. *Et si qua mulier habeat virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Quemadmodum enim cum loqueretur de separatione a fornicatoribus, correctione quadam rem difficilem reddidit dicens, *Et non utique a fornicatoribus hujus mundi :* sic et hoc loco magnam providit esse facilitatem : Si quis aut uxor virum, aut vir uxorem habeat infidelem, ne dimittat eam. Quid dicis? si quidem infidelis sit, maneat cum uxore; si fornicator, non item? quamquam minus est peccatum fornicatio; sed Deus tuis rebus valde parcit. Hoc etiam in sacrificio facit, dicens : *Dimitte sacrificium, et reconciliari fratri tuo* (*Matth.* 5. 24). Ita etiam illum, qui decem millia talenta debebat sibi, non punivit; conservum autem centum denarios exigentem supplicio affecit. Deinde, ne timeret mulier, ne propter coitum esset immunda, dicit : 14. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem, et sanctificata est mulier infidelis per virum.* Atqui si is, qui meretrici adhæret, unum corpus est, palam est eam, quæ idololatræ adhæret, unum corpus esse : unum quidem est corpus, at non fit immunda, sed vincit munditia mulieris viri immunditiam : vincit quoque munditia viri fidelis immunditiam mulieris infidelis.

3. Cur ergo hic victa est immunditia, ideoque concubitus permittitur; in muliere autem adultera non crimini datur viro, cum illam ejicit? Quia hic spes est fore ut per matrimonium pars illa quæ peribat salutem consequatur; illic vero matrimonium jam solutum est : et illic quidem ambo corrumpuntur, hic vero alterius crimen est. Exempli causa : quæ fornicata fuit, exsecranda certe est. Si ergo qui adhæret meretrici, unum corpus est, et impurus ille fit qui cum meretrice miscetur; ideo certe tota munditia avolat. Hic autem non sic; sed quomodo? Immundus est idololatra, sed mulier non est immunda. Nam si

consors ipsi esset in illa re secundum quam immundus est, in impietate, inquam, ipsa quoque immunda foret : nunc autem alio modo immundus est idololatra; in alia autem re ipsi jungitur uxor, in qua ille immundus non est. Connubium enim est et corporum mixtio, in qua est societas. Ad hæc vero spes est illum ab uxore revocatum iri, cui adhæret. Ille autem alius non ita facile (curabitur). Quomodo illa uxor, quæ ipsum prius dedecore affecit, et alteri se dedidit juraque matrimonii abolevit, injuria affectum revocare poterit; cum maxime ille quasi peregrinus maneat? Præterea autem post fornicationem maritus non est ultra maritus : hic autem mulier, licet idola colat, viri jus non amittit. Nec sine causa cum infideli habitat, sed ipso volente : ideoque dixit: *Et ipse consentit habitare cum illa.* Quid enim, quæso, detrimenti fuerit, cum ea quæ ad religionem spectant integra maneant, et de infideli bona spes sit, si jam sunt conjugati maneant, nec superflui belli occasio inducatur? neque enim hic loquitur de iis qui nondum juncti sunt, sed de conjugatis. Non enim dixit : Si quis velit accipere infidelem : sed, *Si quis habet infidelem;* id est, si quis postquam connubio junctus fuerit, accipiat verbum piæ religionis; deinde pars altera manserit in infidelitate, velitque tamen una habitare, ne separetur : *Sanctificatus enim est*, inquit, *vir infidelis per uxorem.* Tanta est munditiæ tuæ copia. Quid ergo, sanctusne est gentilis? Nequaquam : non enim dixit, Sanctus est; sed, *Sanctificatus est per uxorem.* Hoc porro dixit, non ut sanctum illum declararet, sed ut hinc magis uxoris metum depelleret, ipsumque ad veritatis desiderium induceret. Non enim in corporibus conjugatis est immunditia, sed in libero arbitrio et cogitationibus. Hinc sequitur probatio. Si enim immunda manens gignis; infans autem non est ex te sola; immundus ergo est infans, aut ex dimidia parte mundus : nunc autem non est immundus. Ideoque subjungit : *Alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt;* id est, non immundi. Ille vero sanctos ipsos vocavit, ut vi verborum hujusmodi suspicionis metum eliminaret. 15. *Si autem infidelis discedit, discedat.* Hic enim nulla est fornicatio. Quid sibi vult autem illud : *Infidelis si discedit aut separatur?* Verbi gratia si te jubet sacrificare aut sociam impietatis esse propter connubium, vel discedere; melius est disrumpi connubium, quam piam religionem. Quapropter subdit : *Non enim servituti subjectus est frater aut soror in ejusmodi rebus.* Si quotidie ea de causa pugnet et bellum moveat, inquit, melius est separari. Hoc enim subindicat cum dicit : *In pacem autem vocavit nos Deus.* Ille enim jam causam præbuit, ut is qui fornicatus est. 16. *Quid enim scis, mulier, si virum salvum facies?* Hoc refertur ad illud, *Ne dimittat ipsum.* Nam si turbas non movet, mane, inquit; hinc enim lucrum refertur; mane, hortare, consilium dato et persuade : nullus enim doctor tantum poterit, quantum uxor. Neque imponit illi necessitatem, neque rem ab illa exigit, ne gravius onus imponat, jubetque ne desperet; sed rem in futuro incertam et suspensam relinquit, dicens : *Quid enim scis, mulier, si virum salvum facies? aut quid scis, vir, si mulierem salvam facies?* et rursum : 17. *Nisi unicuique sicut divisit Deus, unumquemque sicut vocavit Dominus, ita ipse ambulet.* 18. *Circumcisus vocatus est aliquis? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur.* 19. *Circumcisio nihil est, et præputium nihil est; sed observatio mandatorum Dei.* 20. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* 21. *Servus vocatus es? non sit tibi curæ.* Hæc ad fidem nihil conferunt, inquit : ne ergo contendas neque turberis : fides enim hæc omnia ejecit. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Uxorem habens infidelem vocatus es? mane cum illa : ne propter fidem ejicias uxorem. Servus vocatus es? ne sit tibi curæ : servus mane. Præputium habens credidisti? cum præputio mane. Circumcisus credidisti? mane circumcisus. Hoc enim sibi vult illud : *Unusquisque sicut divisit Deus.* Hæc quippe non sunt impedimenta ad pietatem. Tu cum servus esses, vocatus es : alius uxorem habens infidelem, alius circumcisus.

4. Papæ! ubinam servitutem posuit? Ut nihil juvat circumcisio, nihilque nocet præputium, sic neque servitus neque libertas. Utque illud clarius ex abundantia ostendat, ait : *Sed si potes fieri liber, magis utere;* hoc est, magis servias. Et cur eum, qui possit liber effici, jubet servum manere? Ut ostendat servitutem nihil lædere, imo prodesse. Neque ignoramus quosdam esse qui illud, *Magis utere*, de libertate dictum esse putent, dicentes : Si potes, libertatem adipiscere. Sed Pauli scopo valde oppositum esset hoc dictum, si hoc subindicaret. Neque enim ille, dum servum consolatur dicitque ipsum nihil lædi, juberet eum libertatem adipisci. Diceret enim fortasse quispiam : Quid igitur, si non possim, an injuria vel damno afficior?

In iis, quæ ad Christum spectant servus et liber pares sunt. — Non hoc ergo dicit; sed ut supra explicavi, ostendere volens, nihil plus accedere, si liber efficiatur, ait : Etiamsi penes te esset, ut libertatem acciperes, servus potius maneto. Deinde causam subjungit : 22. *Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini : similiter qui liber vocatus est, servus est Christi.* In iis enim, quæ ad Christum spectant, inquit, ambo sunt pares : similiter et tu Christi servus, similiter herus tuus. Quomodo ergo servus est libertus? Quia liberavit te, non tantum a peccato, sed etiam ab externa servitute, dum manes servus. Neque enim servum sinit esse servum, neque hominem manentem in servitute : hoc enim mirabile est. Et quomodo servus liber est, manens servus? Quando ab animi morbis et affectibus liberatur : quando divitias contemnit : iram cæterosque animi motus. 23. *Pretio empti estis : nolite fieri servi hominum.* Hoc dictum est, non servis modo, sed etiam liberis. Potest enim qui servus sit, non esse servus, et qui liber, servus esse. Et quomodo qui servus est, servus non sit? Quando propter Deum omnia fecerit, quando non simulate egerit,

quando non ad oculum servierit : hoc est hominibus servire, et esse liberum. Et quomodo rursum liber cum sit quispiam, servus efficitur? Quando apud homines malum obit ministerium, aut propter gulam, aut propter pecuniarum cupiditatem, aut propter potentiam. Nam qui talis est, etsi liber, servis omnibus demissior est. Hæc ambo considera : servus erat Joseph, sed non hominum servus : ideoque in servitute liberorum omnium liberrimus erat. Heræ itaque non cessit, ad cupidinem suam famulum impellenti. Rursum illa libera erat, sed servis omnibus demissior, quæ famulo adulabatur ipsumque provocabat; sed libero non persuasit ut id faceret quod nollet. Non ergo servitus illa erat, sed suprema libertas : quid enim illi ad virtutem impedimento fuit servitus? Audiant servi et liberi : quis servivit, qui rogatus est, an quæ rogavit? quæ supplicavit, an qui supplicantem despexit? Sunt enim termini servis a Deo positi : et quousque eos modum servare oporteat, statutum est in legibus, quas prætergredi non licet. Cum enim herus nihil præcipit quod Deo displiceat, tunc obsequi et parere illi oportet; ulterius autem minime : sic enim servus liber efficitur. Si ultra procedas, etiamsi liber sis, servus effectus es. Hoc itaque subindicat cum dicit : *Nolite fieri servi hominum.* Si autem non ita sit, et si jussit heros relinquere, et pro assequenda libertate contendere, quomodo hortabatur dicens : *Unusquisque in hoc maneat, in quo vocatus est?* et alibi : *Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos censeant, et non despiciant qui fideles habent dominos, quia fratres sunt qui beneficium consequuntur* (1. *Tim.* 6. 1. 2)? Et Ephesiis atque Colossensibus scribens eadem ipsa præcipit et statuit (*Ephes.* 6. 5. *seqq.*; *Col.* 3. 22). Unde palam est, illum hanc servitutem non tollere, sed eam quæ per vitia etiam liberos invadit, quæ est gravissima, etiam si quis liber ipsi serviat. Quid enim lucrati sunt Josephi fratres, liberi cum essent? annon erant omnibus servis seviliores, qui apud patrem mentirentur, et mercatoribus falsa narrarent, ut etiam fratri? At non talis erat liber ille, sed ubique et in omnibus verax : nihilque illum in servitutem redigere potuit, non vincula, non ipsa servitus, non heræ amor, non quod in aliena terra esset : sed ubique liber mansit. Hoc enim maxime libertas est, quando ea in servitute quoque fulget.

5. Talis res est Christianismus : in servitute libertatem elargitur. Ac sicut corpus, quod ex natura facile vulneratur, tunc invulnerabile ostenditur, cum excepto telo nihil grave patitur : sic qui vere liber est, tunc talis apparet, quando etiam cum heros habet, non in servitutem redigitur. Ideo jubet servum manere. Si autem fieri non potest ut, cum sit servus, sit Christianus qualem esse oportet, magnæ imbecillitatis piam religionem accusabunt Græci; quod si discant illam nihil a servitute lædi, prædicationem mirabuntur. Nam si neque mors nobis nocet neque flagella neque vincula, multo minus servitus, ignis, ferrum, mille tyrannides, morbi, paupertas, feræ, et sexcenta his graviora fideles non læserunt, imo potentiores fecerunt. Et quomodo servitus nocere poterit? Non ipsa servitus nocet, dilecte, sed peccati servitus, quæ vere talis est. Si hanc non subeas servitutem, confide et lætare; nullus tibi nocere poterit, ut qui mores habeas ab omni servitute liberos : si vero peccati servus sis, etiam si millies liber fueris, nihil tibi libertas illa prodest. Quæ enim utilitas, quæso, si homini quidem non servias, sed animi morbis te subjicias? Homines quippe sæpe parcere sciunt, illi vero domini numquam tua pernicie satiantur. Homini servis? Sed herus quoque tibi servit, qui alimentum tibi ministrat, valetudinem tuam curat, vestes, calceos et alia omnia suppeditat. Neque ita tu times, ut ne dominum offendas, ut ille curat, ne quid tibi ex necessariis desit. At ille accumbit, tu vero stas. Et quid hoc? neque enim id apud illum tantum observatur, sed etiam apud te. Sæpe namque te recumbente et suaviter dormiente, ille non modo stat, sed etiam mille pœnis afficitur in foro, et molestius quam tu vigilat. Quid ergo, tantumne passus est Joseph ab hera, quantum illa a concupiscentia sua? Hic enim quæ illa jubere voluit, non fecit : illa vero quæ domina ejus libido imperavit, omnia fecit; neque prius destitit, donec eam dedecore affecit. Qualis herus talia imperat? qualis immanis tyrannus? Roga, inquit, servum tuum, adulare emptitio, supplica captivo : etiamsi respuerit, rursus insta; etiamsi sæpius dixeris et ille non assensus fuerit, observa solitudinem, et vim facito et te risu dignam præbe. Quid ignominiosius, quid turpius hisce verbis? Si autem ne ita quidem aliquid perfeceris, illum calumniare et decipe conjugem. Vide quam illiberalia, quam turpia præcepta sint, quam immitia, quam sæva, quam furiosa. Quid tantum præceperit herus quivis, quantum lascivia tunc præcepit regiæ mulieri? et tamen non ausa est non obsequi. Joseph vero nihil tale passus, sed contraria omnia, quæ gloriam et honorem afferrent. Vis alium videre virum, cui sæva domina multa imperavit, nec ausus est ille non obsequi?

Invidiæ malum. — Cainum cogita, quanta nempe ab invidia jussa acceperit. Ut fratrem occideret imperavit, ut Deo mentiretur, patrem dolore afficeret, impudenter ageret : et omnia exsequutus est, ac nihil prætermisit. Ecquid miraris, si hæc domina tantam vim habeat in uno, quæ integros sæpe populos perdidit? Judæos certe Madianitarum mulieres vinctos et fere captivos abduxerunt, cum formæ suæ concupiscentia illos omnes allexere. Hanc itaque servitutem ejiciens Paulus, dicebat : *Ne sitis servi hominum;* id est, ne obsequamini hominibus absurda imperantibus; imo ne vobis quidem ipsis. Deinde cum mentem erexisset, sublimemque fecisset, ait : 25. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo : consilium autem do, tamquam misericordiam consequutus a Domino, ut sim fidelis.* Recto ordine procedens de virginitate deinceps mentionem facit. Postquam enim eos de continentia loquutus exercuit et composuit, ad id quod majus est egreditur, *Præceptum*, inquit, *non*

habeo; sed bonam rem esse puto. Quare? Eadem de causa, quam de continentia posuit. 27. *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.* Hæc non sunt repugnantis prioribus; imo valde iis assentientis. Nam et illic ait: *Nisi forte ex consensu*; hic vero dicit: *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem.* Hoc porro contrarium non est: nam quod præter mentem est et voluntatem, est solutio; si autem continuerint ex utriusque consensu, non est solutio.

6. Deinde, ne hoc videatur lex esse, subjunxit; 28. *Si autem acceperis uxorem, non peccasti.* Sub hæc præsentium causam affert, instantem necessitatem, tempus contractum et tribulationem. Multa namque connubium secum trahit, quæ et hic subindicavit, et in sermone de continentia: illic quidem dicens, mulierem non sui potestatem habere; hic autem, *Solutus es. Si autem uxorem acceperis, non peccasti;* non de ea loquens quæ virginitatem elegit; ipsa enim jam peccavit. Nam si viduæ in crimen vocantur, cum secundas nuptias contraxerint, si semel elegerint viduitatem; multo magis virgines. *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* Atqui etiam voluptatem, inquies. Sed vide quomodo illam temporis brevitate contraxerit, dicens: 29. *Tempus breve est.* Id est, jubemur peregrinari et excedere demum; tu vero interius curris. Atqui etiamsi nihil molestum haberet matrimonium, ad futura tamen festinare oporteret; cum autem molestiam secum trahat, quid opus est onus attrahere? cur tantam suscipere molem, quando postquam susceperis, ita uti illa oportet ac si non haberes? etenim ait: *Qui habent uxores, tamquam non habentes sint.* Deinde, cum de futuris quid interposuisset, rursus ad præsens tempus sermonem reducit. Etenim alia sunt spiritualia: illa quippe quæ viri sunt, hæc autem quæ sunt Dei curat; alia vero sunt præsentis vitæ; illud nempe, 32. *Volo autem vos sine sollicitudine esse.* Attamen illud quoque in eorum potestatem remittit. Nam qui postquam ostendit id quod est eligendum, rursus cogit, videtur non suis fidere verbis. Quapropter concessione magis ipsos induxit et retinuit, dicens: 35. *Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat.* Audiant virgines, quod virginitas in hoc non terminetur: nam quæ res mundi curat, nec virgo fuerit nec honesta. Cum dixisset enim, *Divisa est mulier et virgo,* hanc differentiam posuit, et qua in re discrepent dixit. Ac cum definitionem dedit virginis et non virginis, non nuptias, non continentiam dixit, sed sollicitudinis vacuitatem et magnam sollicitudinem. Non enim coitus malus est, sed impedimentum ad philosophiam malum. 36. *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua.* Illic videtur quidem de matrimonio loqui; totum autem dicit de virginitate: nam et secundum concedit matrimonium, tantum *In Domino.* Quid est illud, *In Domino?* Cum castitate, cum honestate. Hac enim ubique est opus, ipsamque insequi oportet: alioquin ne licet quidem Deum videre. Si autem prætervimus ea, quæ dicenda erant de virginitate, nemo nos negligentiæ condemnet. Librum enim integrum in eam rem edidimus (*a*), et cum ibi accurate quantum potuimus illam rem tractaverimus, supervacaneum esse duximus eadem ipsa hic repetere. Quamobrem illo remittentes auditorem, hic illud dicemus, continentiam esse sectandam: nam ait ille: *Pacem persequimini et sanctificationem, sine qua nemo videbit Dominum.* Ut ergo eum videre dignemur; sive in virginitate degamus, sive in primis sive in secundis nuptiis, hanc persequamur, ut regnum cælorum adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Hic librum suum de Virginitate memorat, quem edimus Tomo 1, col. 581-582. Lege Monitum operi præmissum, ubi clare probatur idem ipsum opus et non aliud in fine hujus Homiliæ in Epist. ad Corinth. memorari.

HOMILIA XX.

Cap. 8. v. 1. *De iis autem, quæ idolis immolantur, scimus quod omnes scientiam habemus. Scientia inflat, caritas vero ædificat.*

1. Necesse est primo dicere quid sibi velit hic locus: sic namque facile intelligetur quod dicturi sumus. Qui enim aliquem accusari videt, nisi prius peccati naturam noscat, quæ dicentur non intelliget. Qua ergo de re tunc Corinthios accusabat? Crimen erat magnum, ac multorum causa malorum. Quale illud? Multi ex illis cum didicissent, non quæ intrant inquinare hominem, sed quæ exeunt: et idola, nempe ligna, lapides et dæmones nec nocere nec juvare posse, sine modo ullo hac perfecta rei cognitione utebantur, et in suum et in aliorum detrimentum. Nam ad idola ingrediebantur, et mensarum ibidem participes erant, hincque magnam inferebant perniciem. Nam qui adhuc idola timebant, nec contemnenda illa esse didicerant, cœnarum hujusmodi participes erant, cum perfectiores viderent idipsum facientes, et hinc maxime lædebantur (neque enim eadem qua illi mente apposita, sed quasi idolis immolata habebant: et ea res via erat ad idololatriam): et illi quoque qui perfectiores erant, non levi damno afficiebantur, dum mensis dæmonicis fruerentur. Et hoc quidem crimen erat. Beatus autem vir, ut illud emendaret, non statim vehementi utitur oratione: nam ex insipientia magis, quam ex malitia id designabatur. Quare initio adhortatione magis opus erat, quam vehementi increpatione et indignatione. Animadverte igitur ejus prudentiam, quomodo statim admonitionem incipiat: *De iis autem, quæ idolis immolantur, scimus quod omnes scientiam habemus.* Infirmioribus relictis, quod semper facit, valentiores primum aggreditur. Hoc enim etiam in epistola ad

Romanos fecit, dicens : *Tu vero quid judicas fratrem tuum* (*Rom.* 11. 10)? hic enim est, qui facilius possit increpationem accipere. Quod hic quoque facit : et primo fastum eorum evacuat, dum quod illi præcipuum putabant et perfectam scientiam, hoc commune esse pronuntiavit : *Scimus* enim, inquit, *quod omnes scientiam habemus.* Nam si illos altum sapere sinens, primo ostendisset rem esse aliis noxiam, non tantum utilitatis, quantum damni attulisset. Ambitiosus quippe animus, cum aliqua re se ornari putat, etiamsi aliis sit noxia, eam accuratius retinet ob vanæ gloriæ tyrannidem. Ideo Paulus primo rem ut in se est examinat, ut circa externam sapientiam superius fecit, illam omnino dejiciens. Sed illic quidem id jure faciebat; totum enim reprehensione dignum erat, et facilis res erat : quapropter id non modo supervacaneum, sed etiam prædicationi contrarium esse dixit. Hic autem non liceat ita facere : nam id de quo agebatur scientia erat, et scientia perfecta. Neque ergo eam dejicere tutum erat, nec aliter licebat fastum ex illa conceptum dejicere. Quid ergo facit? Primo illam ostendens esse communem, illorum fastum deprimit. Qui enim magnum quidpiam et pulchrum habent, si soli habeant, magis efferuntur; si vero cum aliis id possidere deprehendantur, non pari tunc modo affecti sunt. Primum igitur hoc commune ostendit, quoniam ipsi putabant id sibi tantum competere : deinde postquam illud commune fecit, non se solum participem dicit : sic enim illos magis extulisset. Ut si unus tantum habeat se extollit : ita si unum tantum vel alterum ex præcipuis consortem habeat, non minoris rem facit. Ideo non se solum ponit, sed omnes : non enim dixit, Ego scientiam habeo; sed, *Scimus quod omnes scientiam habemus.* Hoc igitur priore dicto eorum fastum dejecit; secundo autem vehementius. Quodnam illud est? Quod ostendat rem non perfectam, imo admodum imperfectam esse; neque modo imperfectam, sed et noxiam, nisi sit aliud adjunctum. Cum dixisset enim, *Scientiam omnes habemus*, subjunxit; *Scientia inflat, caritas autem ædificat.* Itaque cum est sine caritate, ad arrogantiam extollit. At neque caritas, inquies, absque scientia aliquid lucri habet. Verum non hoc dixit, sed quod in confesso est relinquens, ostendit hoc illo valde egere. Nam qui diligit, utpote qui præceptum impleat omnium præstantissimum, etiamsi quid ipsi deficiat, cito per caritatem scientia fruetur, ut Cornelius et alii multi : qui autem scientiam quidem habet, sed non caritatem, non modo nihil assumet, sed ab illa quam habet excidet, sæpe in arrogantiam labens. Itaque scientia caritatem non parit, imo contra ab ea abscindit eum qui non attendit, dum illum inflat et extollit. Etenim arrogantia dividere solet; caritas vero conjungit et ad scientiam adducit. Quod significans ille dicebat : *Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab ipso* (1. *Cor.* 8. 3). Itaque non impedio, inquit, quominus perfecta scientia habeatur; sed ut cum caritate habeatur, hoc præcipio : alioquin lucrum nullum, sed detrimentum.

2. Viden' quomodo jam viam parat ad sermonem, quem de caritate est habiturus? Nam quia hæc omnia mala hinc accidebant, non autem ex perfecta scientia, sed quod non admodum diligerent, nec rebus proximi parcerent; unde contingebat illos dissidere, efferri, cæteraque omnia evenire, de quibus ille et ante et post hæc redarguit : frequenter de caritate tractat, fontem omnium bonorum puriorem reddens. Quid ergo inflati estis, inquit, de scientia? Si enim caritatem non habueritis, hinc damnum accipietis : quid enim arrogantia pejus? si vero illud adsit, etiam hoc in tuto erit. Etiamsi enim aliquid amplius scias, quam proximus; si ames illum, non extolleris, sed ipsum quoque ad hoc deduces. Quamobrem cum dixisset, *Scientia inflat*, addidit, *Caritas autem ædificat.* Non dixit, Modeste se gerit, sed aliquid longe majus et utilius : scientia enim non modo inflabat, sed etiam disjungebat. Ideoque hoc illi opposuit. Deinde tertium quoque ponit, quod illos possit dejicere. Quodnam illud est? Quod etiamsi conjuncta sit caritas, ne sic quidem perfecta sit scientia : ideoque subjunxit : 2. *Si quis autem existimat se scire aliquid, nondum cognovit, quomodo oporteat eum scire.* Hæc maxima plaga infligitur. Non dico enim, inquit, scientiam communem esse omnibus : non dico te, qui odio habes proximum et arrogans es, tibi ipsi maxime nocere. Etiamsi enim solus haberes, etiamsi modeste ageres, etiamsi fratrem diligeres, sic quoque imperfectus esses secundum scientiam : nondum enim scis quidpiam, ut scire oportet. Quid si nullam adhuc accuratam scientiam habeamus; quomodo quidam in tantam insaniam processerunt, ut dicerent se Deum cum omni accuratione cognoscere? nam etiamsi omnium aliarum rerum accuratam scientiam haberemus, neque sic fieri posset, ut hanc etiam haberemus. Quantum enim sit spatium inter Deum et alia omnia, ne dici quidem potest. Et vide quomodo illorum fastum dejiciat. Non enim dixit, De rebus propositis congruentem scientiam non habetis, sed de re qualibet. Neque dixit, Vos tantum, sed, quicumque sit : etiamsi Petrus fuerit, etiamsi Paulus, etiamsi quivis alius. Hoc enim dicto illos accurate et consolatus est et repressit. 3. *Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo.* Non dixit, Novit eum, sed, *Cognitus est ab eo.* Non enim nos ipsum novimus, sed ipse nos novit (*a*). Ideo dicebat Christus : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.* 15. 16); et Paulus alibi : *Tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (1. *Cor.* 13. 12). Perpende igitur quot dictis illorum fastum deprimat. Primo ostendit illos non solos scire ea quæ sciunt; *Omnes* enim, inquit, *scientiam habemus :* deinde rem esse noxiam, si sit sine caritate; nam *Scientia inflat*, inquit : postea, quod etiamsi sit cum caritate, id non absolutum sit neque perfectum : *Si* enim *quis putat se scire aliquid, nondum scit, quemadmodum oportet scire.* Ad hæc vero, quod non hoc ex se habeant, sed Deo dante;

(*a*) In sequentibus Regium Codicem sequimur. In Editis quædam necessaria deerant.

non enim dixit, Novit Deum, sed, *Cognitus est ab eo* : deinde, quod hoc a caritate fiat, quam non habent ut oporteret. Nam *Si quis*, ait, *diligit Deum, hic cognitus est ab eo.* Cum per hæc leniisset illorum tumorem, incipit doctrinam instituere his verbis : 4. *De esca igitur quæ diis immolatur, scimus quod nullum sit idolum in mundo, et quod nullus Deus alius nisi unus.* Vide in quantam angustiam inciderit. Vult enim utrumque probare, quod a tali mensa abstinere oporteat, et quod vim non habeat ad lædendos eos qui sunt ejus participes : quæ quidem non admodum inter se conveniebant. Nam cum didicissent ea non afferre damnum, ea tamquam indifferentia adituri erant : cum vero impedirentur ne illa tangerent, rursus suspicabantur, quod prohibiti essent quasi illa vim haberent lædendi. Ideo cum idolorum opinionem sustulisset, abstinendi primam causam affert fratrum offendicula, sic dicens : *De esca igitur, quæ diis immolatur, scimus quod nullum sit idolum in mundo.* Rursus ipsum commune facit, nec concedit hoc illorum esse solum, sed extendit cognitionem per totum orbem terræ. Neque enim apud vos tantum, inquit, sed ubique terrarum hoc dogma vim obtinet. Quodnam illud? *Quod nullum sit idolum in mundo, et quod non sit Deus alius nisi unus.* Non sunt ergo idola? non sunt statuæ? Sunt quidem, sed nullam vim habent; neque dii sunt, sed lapides et dæmones. Ad utrosque enim nunc orationem dirigit, et ad crassiores et ad eos qui philosophari videntur. Quia enim alii nihil plus sciunt quam lapides, alii vero dicunt virtutes quasdam in illis habitare, quas etiam deos vocant; illis quidem dicit nullum esse idolum in mundo, aliis vero, non esse Deum in mundo nisi unum.

5. Viden' quomodo non frustra dogma constituens hæc scribat, sed ad differentiam externorum? nam illud ubique observandum, sive absolute qui dicat, sive aliis obsistens. Neque enim hoc parum nobis confert ad dogmatum accurationem et ad dictorum intelligentiam. 5. *Nam etsi sunt qui dicuntur dii, sive in cælo sive in terra; ut sunt dii multi et domini multi:* 6. *nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Quia dixit, nullum esse idolum et nullum Deum alium; erantque tamen idola, et erant qui dii vocabantur : ne videatur contra rem manifestam pugnare, subjungit (si sunt ita appellati Dii, ut revera sunt, non vere sunt, sed ita dicuntur; non in re, sed in verbo hoc habentes) : *Sive in cælo, sive in terra;* in cælo dicens solem et lunam et reliquum astrorum chorum; nam hæc etiam adorabant gentiles; in terra, dæmonas, et eos ex hominibus qui in deos relati sunt. *Sed nobis unus Deus Pater.* Cum prius posuisset absque illa voce *Pater*, et dixisset, *Nullus est alius Deus nisi unus;* nunc hoc addit, postquam illos omnino ejecerat. Deinde quod est maximum divinitatis judicium addit : *Ex quo omnia.* Hoc enim ostendit illos non esse deos. Dii enim, inquit, qui cælum et terram non fecerunt, pereant. Deinde, quod non minus est, adjicit : *Et nos in ipso.* Quando enim dixit, *Ex quo omnia*, creationem memorat et productionem ex nihilo ad existentiam; cum autem dicit, *Et nos in ipso*, fidei et conjunctionis verbum profert : quod antea quoque dicebat : *Ex ipso autem et vos estis in Christo Jesu* (1. *Cor.* 1. 30). Duplici enim ratione ex ipso sumus, et quod cum non essemus, facti simus, et quod fideles facti simus : nam hoc quoque est creatio : quod etiam alibi dicit : *Ut duos crearet in seipso in unum novum hominem* (*Ephes.* 2. 16). *Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum.* Et etiam de Christo similiter hoc cogitandum. Per ipsum enim ex nihilo productum est genus hominum ad existentiam, et ex errore ad veritatem reductus est. Itaque illud, *Ex quo*, non est, sine Christo : ex ipso enim per Christum creati sumus. Neque ergo nomina tamquam sorte distributa divisit, Filio quidem Dominus, Patri vero Deus, attribuens. Nam ea quoque solet sæpe mutare Scriptura, ut cum dicit, *Dixit Dominus Domino meo;* et rursus, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus* (*Psal.* 109. 1 *et* 44. 8); et, *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus* (*Rom.* 9. 5). Et sæpe videris hæc mutata nomina. Si autem essent quasi sorte assignata unicuique naturæ, neque Deus esset Filius, neque Deus ut Pater, manens Filius; cum dixit, *Sed nobis unus Deus*, superflue addidisset illud, *Pater*, volens significare ingenitum : satis enim fuisset illud, *Deus*, si ejus solius exhiberet cognitionem, ad id significandum. Non hoc autem solum, sed aliud quoque dici potest. Si enim dixeris, quia Deus unus dictus est, illud, *Deus*, non convenit Filio; observa quod hoc etiam de Filio dici possit. Etenim Filius, unus Dominus dictus est; neque tamen ideo illud, *Dominus*, ipsi soli competere dicimus. Quapropter quam vim habet illud, *Unus*, erga Filium, eamdem habet erga Patrem : ac quemadmodum ille non impedit quominus Pater Dominus sit, eo modo quo Filius est Dominus, eo quod Filius unus Dominus dicatur : ita neque Filium impedit quominus sit Deus, eo modo quo Pater est Deus, quod Pater dicatur unus Deus. Quod si quidam dixerint, cur Spiritum non memoravit? illud dixerimus, ipsum nempe idololatras alloqui, et de diis multis deque dominis multis esse certamen. Ideo cum Patrem Deum dixisset, Filium Dominum appellavit. Si ergo Patrem non ausus est nunc appellare Dominum cum Filio, ne in suspicionem veniret quod duos diceret Dominos, neque Filium Deum cum Patre, ne putaretur duos dicere Deos, quid miraris, si Spiritum non memoraverit? adversus illos enim tum concertabat, ut ostenderet non esse apud nos multiplicitatem deorum. Ideo illud, *Unus*, assidue retinet dicens, *Non est Deus alius nisi unus;* et, *Nobis unus est Deus et unus Dominus.* Unde manifestum est illum, auditorum infirmitati parcentem, hoc arguendi modo usum esse, ideoque Spiritum non memoravisse. Nam si hoc non esset, nec alibi oportuisset Spiritum memorare, neque illum cum Patre et Filio conjungere. Nam si a Patre et Filio esset exclusus, multo magis illum in baptismo

cum ipsis conjungere non oportuisset, ubi maxime divinitatis dignitas apparet, et dona dantur quæ Deo soli dare competit.

4. Ego igitur causam dixi, cur hic silentio prætermissus sit : tu vero, si res non ita se habet, dic cur in baptismo conjungitur. Sed non aliam possis causam dicere, quam quod sit honore par. Cum ergo nullam talem habet necessitatem, vide quomodo ipsum conjungit, ita dicens : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei et Patris, et communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis* (2. *Cor.* 13. 13); et rursum, *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem autem Deus* (1. *Cor.* 12. 4-6). Sed quia nunc adversus Græcos sermo erat, et eos qui Græcis imbecilliores erant, propterea id interim reservatur et tacetur. Id quod etiam prophetæ faciunt de Filio, quem nusquam aperte nominant ob auditorum imbecillitatem. 7. *Sed non in omnibus est scientia*, inquit. Quænam illa ? an ea, quæ est de Deo, an ea, quæ de iis quæ immolata sunt idolis ? Aut certe Græcos hic subindicat, qui dicebant multos esse deos et dominos, nec sciebant Deum qui vere est ; aut eos qui inter gentiles imbecilliores erant, qui nondum clare scirent idola non esse timenda, et nullum esse idolum in mundo. Cum hoc autem dixisset, paulatim illos consolatus est et erexit. Neque enim omnia insectari oportebat, cum maxime illos rursum vehementius esset impetiturus.

De idolothytis. — *Quidam autem cum conscientia idoli usque nunc quasi idolothytum manducant : et conscientia eorum cum sit infirma, polluitur.* Adhuc tremunt, inquit, et metuunt idola. Ne mihi enim præsentem rerum statum dixeris, et quod piam religionem a majoribus acceperis ; sed mentem tuam transfer in illa tempora, et cogita, cum modo constituta esset prædicatio, et impietas adhuc regnaret arderentque aræ et sacrificia, libamina peragerentur, et plures essent gentiles, qui a majoribus impietatem acceperant, a patribus, avis et atavis talibus orti, atque a dæmonibus mala multa passi essent : illos, inquam, repente mutatos, quomodo verisimile erat effici : quomodo timendæ tremendæque erant dæmonum insidiæ : propter quos etiam id subindicando dicebat, *Quidam autem cum conscientia idolothyti.* Neque enim aperte declarat illos, ne percellat, neque omnino prætercurrit, sed indefinite eorum meminit, dicens : *Quidam autem cum conscientia idolothyti usque nunc quasi idolothytum manducant ;* id est, cum eadem mente qua prius ; *et conscientia eorum cum sit infirma, polluitur :* cum nondum possit despicere, neque omnino illa irridere, sed adhuc in dubio versetur. Ac si quis, si tangat mortuum, putet seipsum polluere, secundum Judaicam consuetudinem ; deindeque alios videns tangentes cum pura conscientia, non cum eadem mente tangens, polluere tur ; sic et illi tunc erant affecti. *Quidam enim*, inquit, *cum conscientia idoli usque nunc.* Non sine causa illud, *Usque nunc*, posuit, sed ut ostendat, illos nihil profecisse non sese accommodantes. Neque enim sic illos inducere oportebat, sed alio modo, verbo et doctrina persuasos. *Et conscientia illorum cum sit infirma, polluitur.* Nusquam adhuc circa rei naturam verba facit, sed semper et ubique circa conscientiam accipientis versatur. Timet enim ne, dum vult infirmum corrigere, fortem perstringat, illumque infirmum reddat. Quapropter non minus huic parcit, quam illi. Neque sinit quid simile existimari, sed sermone utitur prolixo, ut ne tale quid in suspicionem veniat. 8. *Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundamus; neque si non manducaverimus, deficimus.* Viden' quomodo rursus eorum fastum deprimat ? Nam cum dixisset, non modo illos, sed etiam omnes scientiam habere ; et neminem scire quemadmodum scire oportet ; et quod scientia inflet ; deinde cum illos esset consolatus, ac dixisset, non in omnibus esse scientiam, et hos pollui propter imbecillitatem ; ne dicerent illi : Et quid ad nos, si non est in omnibus scientia ? cur enim ille talis non habet scientiam ? cur est infirmus ? ne hæc objicerent, non statim ad claram demonstrationem venit, quod ne lædatur ille, abstinere oporteat ; sed primum quadam velitatione adversus illum usus, ostendit id, quod est illo majus. Quodnam est hoc ? Quod etiamsi nemo læderetur, neque proximi perversio metuenda esset, ne sic quidem hoc agendum esset : vanus quippe labor ille esset. Nam qui audivit alium lædi, sed sibi lucrum esse, non multum abstinet ; sed tunc magis cum didicerit, nihil se ab ea re juvari. Ideo hoc primum ponit dicens ; *Esca autem nos non commendat Deo.* Viden' quantum id vilipendat, quod videbatur a perfecta scientia effici ? *Neque enim si manducaverimus, abundamus;* id est, apud Deum probati sumus, ut quid bonum vel magnum operati ; *neque si non manducaverimus, deficimus ;* id est, minus quid habemus. Interim igitur illud ostendit superfluum et nihil esse : nam id, quod neque si fiat prodest, neque si non fiat nocet, superfluum certe fuerit.

5. Progressus autem totum rei damnum aperit. Nunc autem dicit, id quod fratribus accidit : 9. *Videte enim*, inquit, *ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis fratribus.* Non dixit, Quod licentia vestra sit offendiculum, neque id pronuntiavit, ut ne impudentiores illos redderet ; sed quomodo ? *Videte*, terrens illos ac pudore afficiens et ad faciendi negationem inducens. Neque dixit, Hæc vestra scientia, quod magis laudi esset ; neque, Hæc vestra perfectio ; sed *Licentia :* quod magis temeritatis, petulantiæ et arrogantiæ esse videbatur. Nec dixit, Fratribus ; sed *Infirmis fratribus*, crimen augens, quod ne infirmis quidem parcant, imo fratribus. Esto enim, non corrigis neque excitas ; cur supplantas et dejicis, cum oporteret manum porrigere ? Sed hoc non vis : ergo ne dejicias. Nam si malus esset, correctione opus haberet ; si autem infirmus, medicina. Nunc autem non modo infirmus est, sed etiam frater. 10. *Cum quis enim te*

viderit scientiam habentem in idolio recumbentem, nonne conscientia ejus, cum sit infirmus, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Cum dixisset, *Videte ne licentia vestra sit offendiculum*, dicit quomodo hoc fiat, et ubique infirmitatem ponit, ne videatur damnum ex natura rei esse, et terribiles esse videantur dæmones. Nunc enim prope est, inquit, ut omnino deficiat ab idolis : te autem videns cum illis libenter versantem, rem accipit pro admonitione, et in illa re versatur etiam ipse. Itaque non solum ex illius imbecillitate, sed ex intempestivo tuo opere insidiæ oriuntur : tu enim illum infirmiorem reddis. 11. *Et peribit infirmus frater in esca tua, propter quem Christus mortuus est.* Duo namque sunt, quæ te venia privant ob hoc illatum damnum, et quod infirmus, et quod frater sit; imo tertium quoque additur, quod omnium terribilissimum est. Quodnam illud est? Quod Christus pro illo mori non recusaverit; tu vero ne quidem ad ejus imbecillitatem te attemperas. Per hæc autem perfectum admonet, qualis ipse prius esset, et quod pro illo etiam mortuus sit. Et non dixit : Pro quo etiam mori te oportebat; sed quod multo majus erat, quod etiam Christus propter ipsum est mortuus. Sic Dominus quidem tuus pro illo mori non recusavit; tu vero ejus nullam rationem habes, ut nec propter ipsum a scelesta mensa abstineas; sed sinis ipsum perire post salutem ita partam; quodque gravissimum est, per escam? Neque enim dixit, Propter tuam perfectionem, vel propter tuam scientiam, sed *Propter tuam escam.* Sunt itaque quatuor crimina, illaque maxima : quod et frater sit, et infirmus, et cujus Christus tantam habuit rationem, ut pro illo moreretur; et quod post hæc omnia propter escam pereat. 12. *Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Viden' quam sensim et paulatim peccatum illud ad culmen iniquitatis deduxerit? Rursusque infirmitatis illorum meminit. Nam quod ipsi pro se esse existimabant, hoc ubique in illorum caput convertit. Neque dixit, Scandalizantes, sed *Percutientes*, ut per dictionis emphasin crudelitatem ostenderet. Quid enim sævius fuerit homine, qui ægrum percutiat? Etenim quovis vulnere gravius est scandalizare, seu offendiculum ponere : sæpe namque hoc mortem induxit. Et quomodo in Christum peccant? Uno quidem modo, quia quæ sunt famulorum ut propria sibi attribuit; secundo, quod qui verberantur, ad corpus et membra ipsius pertineant; tertio, quod opus suum : per suam cædem propriam ædificatum, ipsi per ambitionem suam diruant. 13. *Quapropter, si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Hoc tamquam optimus magister, cujus est per se docere quæ dicit. Neque dixit, Sive juste sive injuste; sed quomodocumque. Nec dico, inquit, idolo immolatum, quod etiam propter aliam causam est prohibitum; sed si quid etiam eorum, quæ in potestate et concessa sunt offendat, ab illis quoque abstinebo, non uno vel altero die, sed toto vitæ meæ tempore : *Non manducabo* enim, inquit, *carnes in æternum.* Nec dixit, Ne perdam fratrem, sed simpliciter, *Ne fratri offendiculo sim.* Etenim extremæ dementiæ fuerit ea quæ Christo ita cordi fuere, et talia ut propter ea mortem elegerit, nos ita parvi facere, ut ne propter illa quidem ab escis illis abstineamus. Hæc porro non illis solum, sed etiam nobis opportune dicantur, qui proximi salutem despicimus, et satanica illa verba proferimus. Nam dicere, Quid mihi curæ est, si ille offendatur et ille pereat? satanicæ est crudelitatis et inhumanitatis. Atqui tunc quidem illorum imbecillitatis erat, quibus hæc offendiculo erant; apud nos vero non item. Nam illa peccata admittimus, quæ fortibus etiam offendiculo sint. Cum enim percutimus, rapimus et avaritiæ studemus, liberisque tamquam mancipiis abutimur, cuinam hæc non offendiculo fuerint? Nam ne dixeris, Ille sutor, iste tinctor est; neque dixeris, Ærarius faber alius est : sed cogita illum esse fidelem et fratrem. Illorum enim discipuli sumus, piscatorum, publicanorum, tabernaculorum opificum : illius qui in domo fabri nutritus fuit, qui sponsam ejus matrem habere dignatus est, qui pannis involutus in præsepi recubuit, qui non habebat ubi caput reclinaret, qui tanta suscepit itinera, ut ex via fessus esset, qui ab aliis nutriebatur.

6. *Fastus humanus nihil est.* — Hæc cogita, et humanum fastum nihil esse putes; sed et tabernaculorum opificem, et eum qui curru vehitur, et mille famulos habet, et foro obvios arcet, fratrem esse existima; imo illum magis quam hunc. Nam ille opportunius frater dicatur, qui magis similis est. Quis ergo similis est piscatoribus? qui quotidiano alitur opere, non habens famulum neque domicilium; sed omnium expers; an ille, qui tanto fastu circumdatur, et contraria legibus divinis operatur? Ne ergo despicias illum, qui magis frater tuus est : nam ille magis similis est apostolicæ imagini. At non libenter, sed invitus, inquies : non enim ex animi sententia hoc facit. Undenam hoc? non audistis, *Nolite judicare, ut non judicemini* (*Matth.* 7. 1)? Ut autem discas illum non invitum operari, accede et da illi decies mille auri talenta, et videbis illum hæc recusare. Itaque etiamsi a majoribus divitias non acceperit, sed et cum accipere liceret, non acceperit, nec suis addiderit, magnum affert indicium quod pecunias despiciat. Nam et Joannes Zebedæi admodum pauperis filius erat; sed non propterea coactam fuisse dicemus illius paupertatem. Cum ergo videris ligna cædentem, malleo tundentem, fuligine tinctum, ne ideo contemnas, sed ideo mireris. Nam et Petrus succinctus erat, sagenam tractabat et piscabatur post resurrectionem Domini. Ecquid dico Petrum? Paulus ipse post emensa tanta terrarum spatia, post tot edita miracula, in tentoriorum officina stans, pelles consuebat, et reverebantur eum angeli et trementes dæmones formidabant : nec pudebat dicere : *Necessitatibus meis, et iis qui mecum erant, ministraverunt manus istæ* (*Act.* 20. 34). Ecquid dico, non pudebat eum? In hoc certe ille gloriabatur. Ecquis est, inquies, nunc Paulo virtute par? Scio et ego nullum

esse ; sed non ideo contemnendi qui nunc sunt. Nam si propter Christum honores vel ultimum, sed fidelem, dignus sane est qui honoretur. Etenim si accedentibus duci cuipiam et militi, Imperatoris amicis, ambobus domum aperueris ; per quem magis Imperatorem honorare videaris? Plane per militem. Nam dux præter Imperatoris amicitiam plurima habet, quæ tibi suadere possunt, ut talem illi conferas honorem ; miles vero nihil aliud quam Imperatoris amicitiam. Ideo claudos, mutilos, et eos qui non possint gratiam referre, ad cœnas et convivia nostra vocare jussit Deus, quia hæc magis proprie propter Deum præstita sunt beneficia. Si vero magnum quempiam et illustrem exceperis, hæc non ita pura est eleemosyna ; sed partem aliquam apud te sæpe sibi vindicat inanis gloria, et quod beneficio sis affectus, et propter illum apud multos insignior sis effectus. Multos certe ostendere possim, qui propterea insignioribus sanctorum famulantur, ut per illos apud principes majori fruantur fiducia, ac rebus suis et ædibus utiliores fiant : et a sanctis illis multa hujusmodi exigunt beneficia ; quo fit ut illis pereat hospitalitatis merces, quando tali mente accedunt. Et quid opus est hoc de sanctis dicere? Etenim qui a Deo laborum præmia hic quærit, et propter præsentia virtutem adit, mercedem suam minuit : qui autem integras illic expetit coronas, longe mirabilior evadit ; sicut Lazarus ille, qui bona omnia accepit ; sicut tres pueri, qui in fornacem mox injiciendi dicebant : *Est Deus in cœlis, qui possit eripere nos ; sin minus, notum sit tibi, rex, quod deos tuos non colimus, nec statuam auream quam erexisti adoramus* (*Dan.* 3. 17. 18) ; sicut Abraham, qui filium suum adduxit et mactavit, et hæc non pro mercede fecit, sed magnam existimans remunerationem, quod Domino obediret. Hos et nos quoque imitemur. Sic enim copiosa nobis bonorum retributio veniet, quod tali animo omnia faciamus, et splendidiores assequemur coronas ; quas utinam nos omnes adipiscamur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

Cap. 9. v. 1. *Non sum apostolus? non sum liber? nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? nonne opus meum vos estis in Domino?*

1. Quia cum dixisset, *Si esca scandalizat fratrem meum, non comedam carnes in sæculum;* quod non fecerat quidem, sed se facturum promiserat, si opus esset : ne quis diceret, Frustra gloriaris et verbis philosopharis oreque promittis, quod et mihi et cuivis facile est : nam si ex animo hæc dicis, re ipsa ostende, quid dexpexeris, ut ne fratri offendiculo esses : ideo cogitur deinceps in horum demonstrationem descendere, ostendereque, quomodo a rebus concessis abstinuerit, nulla lege ipsum cogente. Neque adhuc mirum hoc est, etiamsi sit mirandum, quod a concessis abstinuerit, non modo ut non offendiculo esset, sed etiam quod cum multo labore et periculo hoc faceret. Quid enim dicere oportet, inquit, de iis quæ immolata sunt idolis? Nam cum Christus statuerit, ut ii, qui evangelium prædicant, ex doctrinæ ministerio vivant, hoc ego non feci ; sed statui, si opus esset, etiam fame vitam finire et mortem subire acerbissimam, ne quid acciperem ab iis qui instituebantur : non quod id illis offendiculo foret, si non acciperet, sed quia ædificandi erant ; quod longe majus erat. Et hujus rei testes ipsos in medium adducit, apud quos operans et esuriens vixit : et apud alios nutritus, in angustia vixit, ut ne illis offendiculo foret : etiamsi frustra offensi fuissent ; ipse namque legem implebat, attamen ex abundanti illis parcebat. Quod si supra legem hoc faciebat ille, ut offendiculo esset, et ab iis quæ permissa sibi erant abstinuit ad aliorum ædificationem ; quid merentur isti, ab idolothytis non abstinent? idque cum multi ex ea re percant, quod certe etiam absque offendiculo fugere oporteret, eo quod sit dæmonum mensa. Caput igitur totum hoc est, quod multis tractat versibus. Oportet autem rem propositam altius repetere. Neque enim hoc clare exposuit, ut jam dixi ; neque ad id statim resilit, sed aliunde incipit his verbis : *Non sum apostolus?* Nam cum iis, quæ dicta sunt, multum quoque discriminis interest, quod Paulus sit qui hæc facit. Ne dicerent enim, Licet se signanti gustare, interim quidem huic rei non insistit ; sed dicit, Etiamsi liceret, ob fratrum damnum non oporteret hoc facere, demumque ostendit non licere. Nunc autem primum illud probat ex iis quæ ad se spectant ; et dicturus se nihil ab illis accepisse, non statim illud ponit, sed dignitatem suam primo dicit : *Non sum apostolus? non sum liber?* Ne dicerent enim : Etiamsi non acceperis, quod non liceret non accepisti ; ideo primo ponit causas, propter quas jure accepisset, si voluisset accipere.

Paulus cur seipsum laudet. — Deinde ne videretur hæc dicens Petrum et suos criminari (nam illi accipiebant) : primo ostendit illis accipere licuisse : deinde ne quis diceret : Petro quidem accipere licuit, tibi vero non licuit ; auditorem prævertit laudibus suis ; vidensque necessarium esse, ut se laudaret (sic enim Corinthii corrigebantur) ; nihilque tamen volens de se magnum dicere, sed quantum exigebat usus præsentis propositi : vide quomodo utrisque ut e re fuit usus est, tantum se laudans, non quantum ipse sibi conscius erat, sed quantum exigebat præsens necessitas. Cum posset enim dicere, Me plus quam omnes et quam illos oportebat accipere, quia plus quam illi laboravi ; hoc quidem non dicit, quod sublimius fuisset ; sed ea sola ponit, ex quibus illi magni erant, et unde jure accipiebant, sic loquens : *Non sum apostolus? non sum liber?* Id est : annon mei ipsius potestatem habeo? an cuipiam subditus sum, qui me

cogat et vetet accipere? At illi aliquid plus habent, quod fuerint cum Christo. Verum ne illo quidem expers fui : ideo dicit : *Nonne Dominum nostrum Jesum Christum vidi? Novissime quippe omnium*, inquit, *tamquam abortivo visus est et mihi* (1. Cor. 15. 8). Non parva autem hæc erat dignitas. *Multi* enim *prophetæ et justi*, inquit, *voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt* (*Matth* .13. 17); et, *Venient dies quando voletis videre unum ex his diebus* (*Luc.* 17. 22). Quid tum, etiamsi sis apostolus et liber, et Christum videris ; si nullum exhibueris apostoli opus, quomodo debes accipere? Ideo postea subjunxit : *Nonne opus meum vos estis in Christo?* Hoc quippe magnum est : nam illa absque hoc nihil juvant. Etenim Judas apostolus erat et liber, atque Christum viderat; sed quia apostoli opus non habuit, nihil hæc ipsi profuerunt. Propterea et hoc adjicit, ipsosque testes vocat. Et quia magnum loquutus erat, vide quomodo illud castiget dicens, *In Domino :* id est, Dei opus est, non meum. 2. *Si aliis non sum apostolus, sed tamen vobis sum.*

2. Vides quomodo non supervacaneus sit? Atqui poterat dicere orbem terræ et gentes barbaras et terram et mare; sed nihil horum dicit, sed ex concessione et ex abundantia vincit. Quid enim, inquit, mihi opus est supervacaneis, cum hæc sufficiant ad præsens argumentum? Non dico igitur illa præclara, quæ apud alios a me facta sunt, sed ea quorum vos testes estis. Quapropter etiamsi non aliunde, a vobis maxime oportebat, me accipere : attamen a quibus me maxime oportebat accipere (doctor enim vester fui), ab iis non accepi. *Si aliis non sum apostolus, sed vobis sum.* Rursus ex concessis loquitur : nam orbis apostolus erat. Attamen hoc non dico, inquit, neque pugno et contendo, sed quod vestrum est pono. *Nam signaculum apostolatus mei vos estis* (2. *Cor.* 12. 12) : id est, demonstratio. Et si quis scire velit unde sim apostolus, vos profero : omnia enim quæ sunt apostoli, in vobis ostendi et nihil prætermisi; ut in secunda quoque epistola dicit, *Etiamsi nihil sum*, inquiens, *signa tamen apostoli in vobis facta sunt in omni potentia, in signis et prodigiis et virtutibus* (*Ibid.* v. 11. et 12). Quid est enim, quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis? Ideo ait : *Signaculum apostolatus mei vos estis.* Nam et signa ostendi, et verbo docui, et pericula subii, et vitam inculpatam duxi. Et hæc omnia videre licet per hasce duas epistolas, quam accurate nempe hæc singula demonstret. 3. *Mea defensio iis, qui me interrogant, hæc est.* Quid est, *Mea defensio iis, qui me interrogant, hæc est?* Iis qui discere volunt undenam sim apostolus, aut iis qui me criminantur ut qui pecunias accipiam, aut iis qui causam quærunt cur non accipiam, aut iis qui volunt ostendere, me non esse apostolum, vestra institutio, et ea quæ dicturus sum, in demonstrationem et defensionem afferuntur. Quænam autem illa? 4. *Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi?* 5. *numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi?* Et quomodo hæc defensio sunt? Quia, cum apparuerit me etiam a concessis abstinere, non jure in suspicionem venerim quod fallax sim, vel quod pecuniæ causa aliquid faciam. Ea igitur quæ prius dicta sunt, et vestra doctrina, et quæ jam dixi, ad defensionem vobis sufficiunt; et adversus omnes qui interrogant me, hic jam sto, et hæc et illa dicens : *Annon habemus potestatem manducandi et bibendi? annon habemus potestatem sororem mulierem circumducendi?* Attamen licet habeam, abstineo. Quid ergo? non manducabat? non bibebat? Sæpe certe nec manducabat, nec bibebat : nam ait : *In fame et siti, in frigore et nuditate* (2 *Cor.* 11. 27) versabamur. Hic autem non hoc dicit; sed quid? Non manducamus nec bibimus, a discipulis accipientes, etiamsi potestatem habeamus accipiendi. *Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut et cæteri apostoli et fratres Domini et Cephas?*

Pauli sapientia. — Vide sapientiam : coryphæum ultimum posuit : nam quod inter capita fortius est, tunc ponit. Neque enim ita mirandum erat, alios ostendere hoc facientes, ut primum et eum cui traditæ sunt claves regni cælorum. Cæterum non solum ponit, sed omnes, ac si diceret : Sive inferiores quæras sive superiores, omnium posita sunt exempla. Etenim fratres Domini a priore incredulitate liberati, inter clariores erant, etsi ad apostolos non pervenerant : ideoque in medio illos posuit, summis utrinque positis. 6. *Aut ego solus et Barnabas non habemus potestatem non operandi* (*a*)*?* Vide humilitatem et animam omni invidia liberam, quomodo eum, quem curarum socium sciebat, non tacuerit. Si enim alia communia, cur hoc non commune fuerit? Apostoli sunt et illi et nos, et liberi; et Christum vidimus et quæ apostolorum erant exhibuimus. Ergo nos quoque potestatem habemus in otio vivendi, et alimenta a discipulis accipiendi. 7. *Quis militat suis stipendiis umquam?* Quia enim, quod validissimum erat, ex apostolis ostendit, quod nempe liceat hoc facere; ad exempla demum venit et ad communem usum, ut mos est illi facere. *Quis militat suis stipendiis?* inquit. Tu vero mihi perpendas velim, quam opportuna sint propositæ rei exempla illa, et quomodo primum meminerit periculosæ rei, militiæ, armorum et belli. Hujusmodi enim res est apostolatus, imo his multo major. Neque enim adversus homines tantum bellum ipsis erat, sed et adversus dæmones et principem illorum instructa acies. Hoc est autem, quod dicit : Neque externi principes hoc exigunt, sævi licet et iniqui, ut milites bellum gerant et pericula adeant, exque suis facultatibus alantur : quomodo ergo Christus hoc umquam exegerit? Neque uno contentus est exemplo. Nam vel simpliciorem et crassiorem hoc maxime sedat et placat, cum videt communem consuetudinem cum Dei legibus consentire.

(*a*) In Vulgata legitur : *Aut ego et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?* Id quod etiam cum siere quadrat.

3. Ideoque ad aliud pergit, et ait : *Quis plantat vineam, et ex fructu ejus non edit?* Per illud enim pericula, per hoc vero laborem, defatigationem multam et curam declaravit. Tertiumque rursus apponit exemplum dicens : *Quis pascit gregem, et de lacte ejus non edit?* Curam multam, quæ doctorem in erudiendis discipulis decet, hic ostendit. Nam et milites et agricolæ et pastores apostoli erant; non terræ neque brutorum neque bellorum sensilium, sed animarum rationalium et aciei, quæ adversus dæmonas instruitur. Illud quoque observandum est, quomodo ubique moderationem adhibuerit, utilitatem solum quærens, non res superfluas. Non enim dixit, Quis pugnat et non dives est? sed, *Quis militat suis stipendiis umquam?* Non dixit, Quis plantat vineam et non colligit aurum, aut fructum totum non decerpit? sed, *Ex fructu ejus non comedit?* Neque dixit, Quis pascit gregem et de agnis non exercet mercaturam? sed quomodo? *Et ex ejus lacte non comedit?* Non ex agnis, sed *Ex lacte;* ostendens doctorem parvo solatio contentum esse oportere, soloque necessario cibo. Hæc ad eos, qui volunt omnia comedere, et fructum totum decerpere. Hanc et Dominus legem posuit, dicens : *Dignus est operarius cibo suo* (*Matth.* 10. 10). Non hoc autem solum exemplis probat, sed etiam ostendit qualem oporteat esse sacerdotem. Etenim militi habere fortitudinem opus est, agricolæ curam, pastori sollicitudinem : ac post hæc omnia nihil amplius quærere quam necessaria. Cum ostendisset ergo, non esse vetitum doctori accipere, et ex doctoribus et ex vitæ quotidianæ exemplis, ad tertium caput venit, sic dicens : 8. *Numquid secundum hominem hæc dico? an et lex hæc non dicit?* Quia enim hactenus ex Scripturis nihil dixit, sed communem protulit consuetudinem, Ne putetis me, inquit, hisce niti solis, neque ex hominum placito hæc statuere : possum enim ostendere, hæc Deo quoque placita esse, et veterem lego legem hæc præcipientem. Ideo per interrogationem progreditur, uti solet fieri in iis, quæ omnino in confesso sunt, sic dicens : *Numquid secundum hominem hæc dico?* Id est, Num humanis tantum exemplis nitor? *Annon etiam lex hæc dicit?* 9. *Scriptum est enim in lege Moysis : Non alligabis os bovi trituranti.* Et cur hæc memorat, cum haberet exemplum sacerdotum? Admodum ubertim hæc probare volens. Deinde, ne quis diceret : Ecquid ad nos, quod de bobus dictum est? hoc accurate discutit dicens : *Numquid de bobus cura est Deo?* Boves ergo non curat, quæso te, Deus? Curat utique, sed non ita, ut de illa re legem tulerit. Quapropter, nisi magnum quid subindicaret, Judæos per bruta exercens ad benignitatem, atque etiam illos per hæc de doctoribus alloquens, non tale suscepisset studium, ut et legem scriberet de bobus camo non ligandis. Inde autem aliud ostendit, multum esse doctorum laborem et esse debere; aliudque rursum. Quodnam illud? Quod quæcumque in veteri lege de brutorum cura dicuntur, ad hominum doctrinam præcipue conferant; ut et alia omnia : verbi gratia, quæ de variis vestibus, quæ de vineis, de seminibus, de terra, quod non diversa facienda sit, de lepra; deque aliis, ut ita dicam, omnibus. Cum enim illi crassiores essent, hinc disserebat cum illis, paulatim ipsos erigens. Et vide quomodo hoc non ultra probet, utpote quod planum et ex se manifestum sit. Cum dixisset enim, *Numquid de bobus cura est Deo?* subjunxit : 10. *An propter nos omnino hoc dicit?* Nec sine causa illud, *Omnino*, ponit, sed ne liceret auditori vel tantillum contradicere. Atque in metaphora perstat dicens et pronuntians : *Nam propter nos scripta sunt; quia in spe debet qui arat arare :* id est, doctor debet laborum mercedem habere : *et qui triturat, in spe fructus percipiendi esse.* Et vide prudentiam. A semine enim ad aream rem traduxit; hic rursum multos doctorum sudores ostendens, quoniam ipsi et arant et aream terunt. Et in arando quidem, quia nullus percipiendus fructus erat, sed labor tantum aderat, spem posuit : in terenda vero area, jam usum fructum concessit dicens : *Et qui triturat, ejus spei particeps est.*

4. Deinde, ne quis dicat, Hæccine est tantorum merces laborum? adjecit, *In spe*, scilicet futura. Nihil ergo aliud clamat os hujus animalis camo non ligatum, quam quod oporteat doctores laborantes mercede frui. 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Ecce quartum etiam addit ratiocinium, quod oporteat alimenta præbere. Quia enim dixit, *Quis militat propriis stipendiis umquam?* et, *Quis plantat vineam?* et, *Quis pascit gregem?* et adduxit bovem triturantem; aliam profert causam rationi valde consonam, propter quam jure accepturi erant; quod non modo laborassent, sed et longe majora præbuissent. Quænam ergo est? *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Vidistin' causam justissimam, et magis quam priores rationi consentaneam? Illic namque dicit, Carnale semen est, carnalis et fructus? hic autem non sic, sed semen spirituale, merces vero carnalis. Nam ne multum sibi placerent ii, qui aliquid doctoribus præberent, ostendit illos majora quam dent accipere. Agricolæ namque, quæ seminant, eadem ipsa accipiunt : nos autem, qui in animabus vestris spiritualia serimus, metimus carnalia : tale namque est alimentum ab illis datum. Deinde majorem infert pudorem : 12. *Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos?* Ecce aliam rationem, quæ et ipsa ab exemplis sumitur, sed non a similibus. Neque enim hic Petrum nec apostolos memorat, sed alios quosdam adulterinos, contra quos deinceps pugnam instruit, ac de quibus dicit : *Si quis vos devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit* (2. *Cor.* 11. 20); et belli contra eos gerendi jam facit præludium. Ideoque non dixit, Si alii a vobis accipiunt; sed ostendens illorum arrogantiam, tyrannidem et commercium, dicit : *Si alii potestatis vestræ participes sunt;* id est, si imperant vobis, si potestatem exercent, si ut famulis utuntur, non modo accipientes, sed cum multa accuratione et auctoritate. Ideo addidit, *Non*

potius nos? quod non dixisset, si de apostolis sermo esset. Sed palam est, illum quosdam subindicare perniciosos, qui ipsos deciperent. Itaque præter Moysis legem vos quoque legem tulistis, quod præbere oporteat. Cum dixit autem, *Non potius nos?* non probat cur multo magis oporteat, sed illorum conscientiæ probandum relinquit, simulque et terrere volens et majorem incutere pudorem. *Sed non usi sumus tali potestate.* Id est, Non accepimus. Viden' quomodo, cum prius tot rationibus probasset, non esse contra legem, accipere, tunc dixit : Non accipimus, ne videatur abstinere tamquam a prohibito. Non enim, inquit, quod non liceat, non accipio ; licet enim, et hoc ex multis demonstravimus; ex apostolis, ex rebus quæ in vita fiunt, ex milite, agricola, pastore, a lege Moysis, ab ipsa rei natura, quia semi navimus vobis spiritualia; ex iis, quæ vos fecistis erga alios : sed sicut, ne videretur pudore afficere apostolos, qui accipiebant, hæc posuit, pudorem illis incutiens et ostendens se non a re ut prohibita abstinere : ita rursum, ne per multam illam probationem et frequentia exempla, queis ostendit accipere oportere, videretur ut accipiat quærere, ideoque talia proferre; jam illud corrigit; et clarius demum hoc posuit, cum dicit : *Non scripsi autem hæc, ut sic in me fiat :* hic porro dicit, *Non usi sumus hac potestate.* Quodque majus est, Ne illud quidem poterit quisquam dicere, quod cum nobis amplæ facultates essent, his non usi simus; siquidem urgente necessitate, non cessimus necessitati : id quod etiam in secunda ait : *Alias Ecclesias exspoliavi, accipiens stipendia ad ministerium vestrum ; et cum essem apud vos et egerem, nulli onerosus fui* (2. *Cor.* 11. 8) ; et in hac rursus : *Et esurimus et sitimus et nudi sumus et colaphis cædimur* (1. *Cor.* 4. 11). Et hic rursus idipsum subindicat, dicens, *Sed omnia sustinemus.* Dicens enim, *Omnia sustinemus,* famem subindicat et angustiam multam, aliaque omnia. Sed neque sic, inquit, coacti sumus solvere legem, quam nobis ipsis imposuimus. Quare ? *Ne quod offendiculum demus evangelio Christi.* Quia enim infirmiores Corinthii erant, Ne vos, inquit, offenderemus accipientes, maluimus plus quam præceptum erat facere, quam obicem quempiam afferre evangelio ; id est, institutioni vestræ. Si autem nos, etiamsi liceret nobis et multam vim pateremur, exemplumque haberemus apostolos, id non fecimus, *Ne offendiculum demus* (nec dixit eversionem, sed offendiculum, nec simpliciter offendiculum, sed offendiculum quoddam, ut ne vel levissimam moram verbi cursui inferremus) : si ergo nos tanta usi sumus diligentia, inquit, quanto magis vos, qui ab apostolis longe abestis, neque legem potestis dicere quæ id permittat ; sed contra etiam prohibita tangitis, atque etiam quæ damnum magnum afferunt evangelio; non offendiculi modo vitandi causa, sed nullam videntes instantem necessitatem, abstinere oportet. Hanc enim totam movit orationem propter illos, qui per cibum idolothytorum imbecillioribus fratribus offendiculo erant.

5. Hæc nos quoque audiamus, dilecti, ut ne despiciamus eos qui offenduntur, ne offendiculum ponamus evangelio Christi, neu nostram prodamus salutem. Ne mihi enim dicas, cum frater offenditur : Non prohibetur hoc vel illud in quo ille offenditur, et licitum est. Ego enim tibi majora dico : vel si ipse Christus permiserit, viderisque offendi quempiam, abstine et ne permissione utaris. Hoc enim et Paulus fecit : qui cum permittente Christo liceret accipere, non accepit. Cum enim benignus sit Dominus, multam præceptis suis miscuit mansuetudinem, ut non solum ex jussu, sed etiam multa ex libera faciamus animi sententia. Poterat enim, nisi hoc voluisset, præcepta magis augere ac dicere : Qui non semper jejunat, puniatur ; qui virginitatem non servat, supplicio afficiatur; qui non se omnibus exuit facultatibus, extremas det pœnas. Sed non hoc fecit, licentiam tibi dans, si velis, majora suscipiendi. Idcirco cum de virginitate loqueretur, dicebat : *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* 19. 12) ; et diviti alia præcepit, alia ejus voluntati permisit. Neque enim dixit, Vende quæ habes ; sed, *Si vis perfectus esse vende* (*Ib. v.* 21). At nos non modo non majora suscipimus neque ea quæ præcepta sunt superamus, sed multum abest, ut præceptorum mensuram impleamus. Et Paulus quidem esuriebat, ne offendiculum præberet evangelio ; nos autem ne recondita quidem nobis attingere audemus, innumeras videntes animas eversas. Rodat enim, inquit ille, tinea, et non rodat pauper ; edat vermis, et non induatur nudus. Omnia consumantur tempore, et non alatur Christus, dum esurit.

Contra avaros. — Ecquis hoc dicit? inquies. Hoc enim grave admodum est, quod non verbis, sed factis hæc dicantur. Nam minus grave esset si verbis diceretur, quam cum reipsa efficitur. Annon enim hæc quotidie clamat avaritia, immanis illa et sæva tyrannis, captivis suis? Apponantur vestra comedenda sycophantis, latronibus et insidiatoribus, non autem famelicis et egenis. Annon vos facitis latrones? annon vos escam præbetis igni invidorum? annon vos facitis fugitivos et insidiatores, dum quasi escam illis divitias vestras apponitis? quæ est hæc insania? Insania quippe et manifesta amentia est, arcas implere vestibus, et eum, qui ad imaginem et similitudinem Dei factus est, nudum, a frigore trementem ac vix rectum stantem despicere. At ille, inquies, tremorem et infirmitatem simulat? Annon times ne fulmen ab hoc verbo accensum ex alto dejiciatur? ira enim disrumpor, ignoscite. Tu quippe ventri indulgens et pinguis, et ad profundam usque vesperam compotationem extendens, mollibusque fotus stragulis, non censes te pœnas daturum, cum tam inique Dei donis utaris (neque enim vinum datum est ut inebriemur, neque concessus cibus ut ventrem distendamus et dirumpamus) : pauperem vero, miserum, non meliore conditione quam mortuum, illum, inquam, ad exactam rationem reddendam cogis ; nec metuis Christi tribunal illud horrendum et formidabile? Nam si simulat, ex necessitate et egestate simulat, ob imma-

nitatem et sævitiam tuam, quæ hujusmodi opus habet larvis, quæ non flectitur ad misericordiam. Quis enim adeo miser est et infelix, ut nulla instante necessitate pro uno pane tam indecore se gerat, pulsetur, et tantas sustineat pœnas? Illius itaque simulatio circuit inhumanitatem tuam prædicans. Quia enim supplicans, obsecrans, et miserabilia emittens verba, lamentans, lacrymans et per totam diem circumiens, ne necessarium quidem invenit alimentum, hanc fortasse technam excogitavit, quæ non tantum illi, quantum tibi affert dedecus et probrum. Illius enim ut misereamus æquum est, quia in tantam redactus est necessitatem : nos vero mille suppliciis digni, quia pauperes ad hæc facienda cogimus. Nam si facile flecteremur, numquam ille vellet talia sustinere. Et quid dico nuditatem et tremorem? Quod enim longe horribilius est dicam : coacti sunt quidam filios excæcare ætate immaturos, ut in tantæ calamitatis sensum veniremus. Quia enim videntes et nudi circumeuntes, neque ex ætate neque ex calamitate immisericordes attrahebant, tot malis etiam graviorem tragœdiam addiderunt, ut famem sedarent; levius esse existimantes hac communi luce et omnibus concesso radio privari, quam cum perpetua fame luctari et mortem subire miserrimam. Quia enim non didicistis misereri paupertatis, sed calamitatibus delectari, insatiabilem vestram implent cupiditatem, et sibi et vobis gehenna graviorem incendentes flammam. Et ut discatis, hæc et similia ideo contingere, argumentum vobis proferam quod in confesso sit, cui nemo contradicet. Sunt alii pauperes leves animoque elati, qui famem ferre nesciunt, sed omnia potius quam hoc patiuntur. Hi sæpe vos miserabilibus et gestibus et verbis adeuntes, cum nihil consequuti essent, missis supplicationibus, præstigiatores demum longe retro reliquerunt; alii quidem mandentes coria detritorum calceorum, alii acutos clavos in caput infigentes, alii autem in aquis gelu concretis nudo ventre immorantes; alii autem his absurdiora et acerbiora sustinentes, ut improbum exhibeant spectaculum.

6. Tu autem dum hæc fiunt stas ridens et admirans, et de aliorum malis ceu pompam agens, dum communis natura dedecore afficitur. Et quid amplius faceret immanis dæmon? Deinde ut promptius hæc faciat, largiorem pecuniam erogas. Et ei quidem qui precatur, Deum invocat, placideque accedit, ne respondere quidem dignaris neque respicere illum; imo etiam molesta in illum verba effundis, quando frequenter tibi importunus est : Hunccine oportet vivere? hunccine respirare, aut hunc solem videre? erga illos autem lætus es et liberalis, utpote qui sis ceu agonotheta quidam illius ridiculæ et satanicæ turpitudinis. Quamobrem congruentius iis, qui hæc proponunt certamina, et nihil omittunt donec alios viderint male affici, talia verba dicerentur : Hoscine vivere, omnino respirare? hunc solem videre, qui in communem delinquunt naturam, et Deum contumelia afficiunt? Et cum Deus dicat : Da eleemosynam, et do tibi regnum cælorum; non audisti : diabolo autem ostendente caput clavis confixum, statim liberalis effectus es : magisque te inflexit maligni dæmonis machina, tantum inferens damnum, quam Dei promissio millia afferens bona. Cum oportuisset, etiamsi aurum numerare oporteret, ut hæc non fierent nec facta spectarentur, nihil non agere et pati, ut tanta illa tolleretur insania; vos autem, ut et fiant et facta videantur, nihil non agitis et operamini. Adhucne interrogas, dic mihi, cur sit gehenna? At ne hoc ultra interroges, sed cur una tantum sit gehenna. Quot enim non sunt suppliciis digni hi, qui tam crudele et inhumanum constituant spectaculum, ridentque de iis, de quibus lugere et illos et vos oporteret, magisque vos qui ad tam indecore agendum cogitis? Sed, inquies, non cogo. Quomodo, quaso te, non cogis, qui modestioribus et flentibus ac Deum invocantibus ne aurem quidem præbere velis; his vero largiter pecuniam erogas, et multos advocas admirantes? Et recedamus, inquies, eorum miserentes. Et tune hoc jubes? Non est hoc misereri, o homo, tantas exigere pœnas pro duobus obolis, præcipere ut pro necessario cibo sese lacerent, et capitis cutem tam acerbe et miserabiliter in multas partes dissecent. Bona verba, inquies; neque enim nos capita clavis configimus. Utinam tu faceres, et res non tam gravis esset. Nam qui quempiam interficit, multo gravius facit, quam is qui seipsum jubet interficere. Quod etiam in his usu venit : acerbiores enim sustinent dolores, quando sua manu jubentur hæc male jussa exsequi; et hæc Antiochiæ, ubi primum appellati sunt Christiani, in qua fuere omnium hominum mitissimi, in qua olim vigebat magnus eleemosynæ fructus. Neque enim præsentibus tantum, sed etiam iis qui procul aberant mittebant, idque dum fames exspectaretur. Quid ergo, inquies, faciendum? Hanc feritatem demittere, egenis vero omnibus edicere, si hæc faciant, nihil accepturos illos esse; si vero modeste accedant, magna fruituros largitate. Si porro hoc ediscant, etiamsi omnium miserrimi fuerint, numquam eo inducentur ut se sic lanient, ego polliceor; sed etiam vobis gratiam habebunt, quod illos ab irrisione et dolore tali eripueritis.

Eleemosyna largiter danda. Antiochenæ ecclesiæ reditus in pauperes effusi. — Nunc autem pro aurigis etiam filios obtuleritis, et pro saltatoribus etiam ipsas profuderitis animas; pro Christo autem esuriente ne minimam quidem facultatum partem dederitis; sed si tantillum argenti detis, ac si totum solveritis, sic affecti estis, nescientes, quod non dare, sed cum largitate dare, illud maxime est eleemosyna. Ideo propheta non eos qui solum dant prædicat et beatos dicit, sed eos qui largiter dant. Non solum enim dixit, Dedit; sed quomodo? *Dispersit, dedit pauperibus* (*Psal.* 111. 9). Quid enim prodest, si ex divitiis tantum dederis, quantum dederit quispiam verbi gratia ex mari cyathum, neque viduæ magnitudinem animi æmulatus fueris? quomodo dixeris, *Domine, miserere mei secundum magnam misericordiam tuam,*

et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam (*Psal.* 50. 3) ; cum ipse non secundum magnam misericordiam miserearis ; imo fortassis neque secundum parvam? Valde enim me pudet, cum video divites multos equis freno aureo instructis vectos, qui secum trahunt famulos aurum gestantes, et lectos habent argenteos multumque alium fastum ; cum autem pauperi erogandum est, etiam valde pauperibus esse pauperiores. Sed quid est illud quod sæpe dicunt? Habet, inquit, ecclesiæ commune. Et quid hoc ad te? neque enim, si ego dedero, tu salvus eris : neque, si ecclesia dederit, tu peccata tua delevisti. Ideoque non das, quia ecclesia dare debet egenis : quia sacerdotes precantur, tu numquam precaturus es? et quia alii jejunant, tu perpetuo ebrius eris? Nescis quia non ita propter pauperes eleemosynæ legem posuit Deus, ut propter eos ipsos qui largiuntur? An tibi sacerdos suspectus est? Est quidem hoc grave peccatum ; sed de hoc non accurate disputabo : propter te omnia facito, et sic duplicem assequeris mercedem. Etenim quæ nos de eleemosyna dicimus, non dicimus ut ad nos offeras, sed ut tu per teipsum ministres. Nam si mihi offeras, fortassis a vana gloria corripieris, sæpeque etiam offensus recedes mala suspicatus : si autem per vos ipsos omnia faciatis, et offensionibus et absurdis suspicionibus liberi eritis, majorque vobis merces erit.

7. Non igitur hæc dico, ut vim vobis faciam ad pecunias huc afferendas ; neque indignatus propter sacerdotes qui male audiunt. Nam si succensere et dolere oportet, pro vobis dolendum est qui male dicitis. Iis enim, qui frustra et temere male audiunt, merces major ; dicentibus autem judicium et supplicium gravius erit. Non ergo pro illis hæc dico, sed quod de vobis curam et sollicitudinem geram. Quid enim mirum, si ætate nostra quidam in suspicionem veniunt, cum etiam illorum tempore sanctorum qui angelos imitabantur, qui nihil sibi proprium possidebant, apostolorum inquam, murmur fuerit in ministerio viduarum, quod despicerentur pauperes, quando nemo quidquam ex suis facultatibus sibi proprium esse dicebat, sed erant ipsis omnia communia? Ne hos proferamus obtentus, nec in defensionem nostram conferre putemus quod ecclesia multa possideat. Cum enim facultatum ejus magnitudinem perspicis, cogita etiam inscriptorum pauperum gregem, infirmorum multitudinem, innumerarum expensarum occasiones : curiose inquire et scrutare : nemo impedit, imo parati sumus ad rationes vobis reddendas. Sed hyperbole uti volo. Cum enim rationes reddiderimus, et ostenderimus expensam proventu non esse minorem, imo et aliquando majorem : illud a vobis libenter sciscitarer, cum illo migraverimus, et audierimus Christum dicentem : *Esurientem me vidistis, et non me nutrivistis, nudum, et non operuistis* (*Matth.* 25. 42) : quid dicemus? quam afferemus defensionem? hunc vel illum adducemus in medium, qui his non obsequutus est, et quosdam ex suspectis sacerdotibus? Et quid hoc ad te, inquiet? ego enim te accuso de peccatis, quæ admisisti. Purgatio eorum est, ut propria abluas peccata, non ut ostendas alios in eadem incidisse. Ecclesia enim ob vestram parcitatem retinere cogitur ea, quæ nunc habet. Quod si omnia secundum apostolicas leges agerent, ejus proventum oporteret esse vestrum animum : quod quidem et tutum esset penuarium, et thesaurus inexhaustus. Nunc autem cum vos quidem thesaurizatis in terra, et omnia in penuariis vestris clauditis ; ecclesia vero impendere necesse habet, viduarum cœtibus, virginum choris, hospitum adventibus, peregrinantium ærumnis, vinctorum calamitatibus, infirmorum et mutilorum necessitatibus, aliis hujusmodi occasionibus : quid faciendum? eosne omnes aversari, et tot portus obstruere? ecquis naufragiis hinc partis suffecerit, fletibus, lamentis, ejulatibus undique allatis? Ne ergo temere loquamur quod in mentem venerit. Nunc enim, ut jam dixi, rationes vobis reddere parati sumus. Si autem secus res se haberet, et si doctores haberetis corruptos, qui omnia raperent et avari essent, neque sic purgatio vestra esset eorum nequitia. Nam benignus ille et sapientissimus unigenitus Dei Filius omnia videns, sciensque quod contingat multos in diuturno tempore et tanto orbis spatio esse sacerdotes corruptos ; ut ne per illorum incuriam, eorum qui ipsis subditi sunt socordia augeatur, omnem tollens negligentiæ excusationem ait : *Super cathedram Moysis sederunt scribæ et Pharisæi. Omnia ergo, quæ dixerint vobis facere, facite : secundum opera autem illorum ne faciatis* (*Matth.* 23. 2) ; ostendens, quod etiamsi doctorem improbum habeas, nihil tibi prodesse poterit, nisi iis quæ dicuntur attendas. Neque enim ab iis quæ doctor operatus est, sed ab iis quæ audisti, nec obsequutus illis es : ab his tibi calculum feret Deus. Itaque si ea quæ præcepta sunt feceris, cum multa tunc stabis fiducia ; si vero dictis non obsequutus fueris, etiamsi mille corruptos sacerdotes ostendas, nihil hoc tibi proderit. Nam et Judas apostolus erat ; hoc tamen nihil umquam sacrorum expilatores et avaros excusabit. Neque poterit quis accusatus dicere : Enimvero apostolus fur erat, sacrorum expilator et proditor : sed hoc nos maxime supplicio tradet et damnabit, quod non aliorum malis ad sanam mentem reducti simus. Ideo enim illa scripta sunt, ut fugiamus illorum imitationem. Idcirco hunc et illum relinquentes, nobis ipsis attendamus : unusquisque enim nostrum pro se rationem dabit Deo. Ut ergo hanc rationem cum bona reddamus purgatione, nostram componamus vitam, et largam manum egenis porrigamus : scientes hanc solam nostram esse defensionem, si ostendamus nos præcepta recte exsequutos esse ; nullamque esse aliam. Si hanc exhibere possimus, intolerabiles illos gehennæ dolores effugiemus, et futura consequemur bona : quæ nos omnes adipisci contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXII.

CAP. 9. v. 13. *Nescitis quod qui sacra operantur, ex sacrario vivunt? qui altari deserviunt, cum altari participant?* 14. *Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.*

1. Multum curat ostendere non esse vetitum accipere. Ideoque cum tot tantaque antea dixisset, non satis habuit, sed etiam ad legem procedit, præbens exemplum priori convenientius. Non enim par res erat boves in medium adducere, et legem de sacerdotibus diserte latam afferre. Perpende autem mihi etiam in hoc Pauli prudentiam, quam decore et magnifice rem memoret. Neque enim dixit : Qui sacra operantur ab offerentibus accipiunt; sed quid? *Ex sacrario vivunt;* ut nec accipientes probro afficiantur, nec qui præbent extollantur. Quapropter id quod sequitur sic posuit. Neque hic enim dixit, Qui altari assident, ab immolantibus accipiunt; sed, *Cum altari participant.* Nam quæ oblata fuerant, non ultra offerentium erant, sed sacrarii et altaris. Nec dixit, Sacra accipiunt, sed, *Ex sacrario vivunt;* rursus ostendens moderationem, et quod non oporteat pecunias colligere nec ditari. Si autem dicit, *Cum altari participant,* non ex æquo factam distributionem dicit, sed id quod ex debito datur eis solatium. Atqui longe majora apud apostolos erant. Illic enim honor erat sacerdotium; hic autem pericula, jugulationes, cædes. Ideo omnibus aliis exemplis longe majus erat id quod dicit, *Si nos vobis spiritualia seminavimus.* Cum enim dicit, *Seminavimus,* tempestates, pericula, insidias et inenarrabilia mala ostendit, quæ sustinebant ii qui prædicabant. Attamen etsi tanta esset excellentia, noluit ea quæ veteris erant legis deprimere, neque sua extollere : sed sua quodammodo comprimit, non a periculis, sed a magnitudine doni dans illi excellentiam. Non enim dixit, Si pericula adiimus, si insidiis impetiti sumus; sed, *Si nos vobis spiritualia seminavimus* : et quæ sunt sacerdotum, quantum fieri potest extollit dicens : *Qui sacra operantur, et qui altari assident;* perpetuam illorum servitutem et perseverantiam volens ostendere. Et cum dixisset sacerdotes qui sunt apud Judæos, et Levitas et Pontifices, utrosque ordines indicat, et qui sunt inferiores et qui superiores, alios quidem cum dicit, *Qui sacra operantur;* alios vero cum dicit, *Qui altari assident.* Neque enim omnibus unum opus mandatum erat, sed aliis crassiora, aliis altiora concredita fuerant. Hos igitur omnes complexus, ne quis diceret, Cur vetera nobis memorasti? nescis perfectiorum mandatorum nobis esse tempus? post illa omnia, quod omnibus fortius erat posuit dicens : *Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.* Et neque hoc dicit, Ali ab hominibus; sed sicut in sacerdotibus, *Ex sacro,* et *Ex altari,* ita et hic, *Ex evangelio,* dicit : et sicut illic *Edere,* ita et hic *Vivere;* non mercaturam facere vel thesaurizare. *Dignus est* enim, inquit, *operarius mercede sua* (*Matth.* 10. 10).

15. *Ego autem nullo horum usus sum.* Quid tum, inquies, si nunc non usus es, in futuro autem vis uti, et propterea hæc dicis? Apage; statim namque propterea usus est correctione, sic dicens : *Non scripsi autem hæc, ut sit fiat in me.* Et vide cum quanta vehementia rem negat et depellit : *Bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.* Et non semel, neque bis, sed sæpius hac utitur dictione : nam et superius dixit : *Non usi sumus hac potestate;* et postea rursum, *Ut non abutar mea potestate;* et hic : *Ego autem nullo horum usus sum. Horum :* quorum? Multorum exemplorum. Cum enim multa mihi potestatem præberent, miles, agricola, pastor, apostoli, lex, ea quæ a nobis in vos fiunt, ea quæ a vobis in alios, sacerdotes, præceptum Christi : nulli horum obtemperavi, ut legem meam abrogarem et acciperem. Nec mihi dicas illa quæ præterierunt : etiamsi possim dicere, me multa pridem propterea passum esse : attamen non illis tantum nitor; sed etiam de futuris polliceor, me malle mori fame, quam his coronis privari. *Bonum est enim mihi magis mori,* inquit, *quam ut gloriam meam quis evacuet.* Non dixit, quam ut legem meam quis solvat, sed, *Gloriam.* Ne quis enim dicat, ipsum hoc quidem facere, sed non gaudentem, sed gementem et mœrentem; lætitiam ingentem ostendere volens magnamque alacritatem, rem ipsam appellat gloriationem. Tantum aberat ut doleret, ut etiam gloriaretur, et mori malit, quam hac gloria excidere. Ita quod tum fiebat, ipsa vita dulcius ipsi erat.

2. Deinde aliunde etiam id extollit, et magnum esse ostendit, non ut se splendidum declararet; procul enim ille erat ab hoc animi affectu; sed ut ostenderet se lætari, et suspicionem omnem de medio tolleret. Ideo enim, ut jam dixi, rem vocat gloriationem. Et quid ait? 16. *Nam si evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit; væ autem mihi est, si non evangelizavero.* 17. *Si enim volens hoc ego facio, mercedem habeo : si autem invitus, dispensatio mihi credita est.* 18. *Quæ est ergo merces mea? Ut evangelium prædicans, sine sumptu ponam evangelium Christi : ut non abutar potestate mea in evangelio.* Quid, quæso, dicis? si evangelizas, non est tibi gloriatio; sed si sine sumptu ponas evangelium? hoc ergo majus est illo? Nequaquam; sed aliunde aliquid amplius habet; quoniam aliud quidem præceptum est, aliud autem a mea voluntate præclare gestum est. Nam quæ supra mandatum fiunt, multam vel inde mercedem habent; quæ autem ex mandato, non tantam. Itaque hac ratione dicit, hoc illo esse amplius, non secundum ipsam rei naturam : quid enim prædicationi par fuerit? Hoc enim efficit, ut illi cum angelis concertent : attamen quoniam illud quidem præceptum est et debitum, hoc autem liberæ voluntatis opus alacriter susceptum; secundum illo amplius est. Ideo ait, hoc ipsum interpretans quod

nunc dixi : *Si enim volens hoc facio, mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi tradita est :* illud *Volens* et *Invitus* accipiens, pro eo quod concreditum vel non concreditum est. Sic etiam illud, *Necessitas mihi incumbit,* intelligendum est, non quod aliquid horum invitus faciat, absit ; sed ut qui sit obnoxius iis quæ jussa sunt, et ad distinctionem libertatis quæ dicta est in accipiendo. Ideoque discipulis dicebat Christus : *Cum omnia feceritis, dicite, Servi inutiles sumus ; quæ enim debuimus facere, fecimus* (*Luc.* 17. 10). Quæ est ergo merces mea? *Ut evangelium prædicans sine sumptu ponam evangelium.* Quid ergo, quæso te, Petrus mercedem non habet? et quis umquam tantam habuerit, quantam ille? quid vero reliqui apostoli? quomodo ergo dixit : *Si volens quidem hoc ago, mercedem habeo ; si invitus, dispensatio mihi credita est.* Vides hic quoque prudentiam? Neque enim dixit, Si autem invitus, non habeo mercedem ; sed, *Dispensatio mihi credita est ;* ostendens se sic quoque mercedem habere, sed talem, qualem is, qui quod jussum erat exsequutus est ; non qualem is, qui ex metu suo alacriter præceptum superavit. Quænam ergo merces est? *Ut evangelium prædicans,* inquit, *sine sumptu ponam evangelium ; ut non abutar potestate mea in evangelio.* Viden' quomodo semper potestatis nomine utatur ; ostendens illud, quod frequenter dixi, quod nec illi quidem, qui accipiunt, digni sint reprehensione? Addidit autem, *In evangelio,* simul significans evangelium, et prohibens ubique rem educere. Docentem enim oportet accipere, non autem otiosum. 19. *Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem.* Hic rursus aliam ponit hyperbolen. Magnum enim est non accipere; hoc autem quod dicturus est, longe majus illo est. Quid autem est id quod dicit? Non solum non accepi, inquit, neque solum non usus sum hac potestate, sed etiam me servituti subjeci, imo variæ et omnis generis servituti. Neque enim in pecuniis solum : sed quod pecuniis longe majus est, in multis et variis negotiis hoc ipsum exhibui : et servituti me subjeci, cum in nulla re subjectus essem, nec ulla necessitate ducerer ; hoc enim est illud, *Liber cum essem ex omnibus ;* neque uni tantum me subjeci, sed toto orbi terrarum : quapropter subjunxit, *Omnium me servum feci.* Nam prædicare jussus eram, et annuntiare ea, quæ mihi credita fuerant : innumerabilia autem machinari et excogitare, ex meo studio profectum est. Nam solvendæ pecuniæ tantum obnoxius eram : ego vero pro illa exigenda nihil non agebam, plura tentans, quam jussus eram. Quia enim ex arbitrio, alacritate et caritate erga Christum omnia agebat, insatiabili desiderio salutem hominum exoptabat.

Paulus quanta fecerit pro aliorum salute. — Quamobrem ex ingenti alacritate septa transiliebat, per omnia ipsum quoque cælum transcendens. Ac cum servitutem dixisset, varios illius modos deinde recenset. Quinam illi sunt? 20. *Et factus sum,* inquit, *Judæis, tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer.* Et quomodo hoc factum est? Quando circumcidit, ut everteret circumcisionem. Ideo non dixit, Judæus ; sed, *Tamquam Judæus,* quod erat dispensatio. Quid dicis? præco orbis, qui cælos ipsos tetigit, et adeo in gratia fulsit, is repente tantum descendit? Etiam ; hoc enim est ascendere. Neque enim hoc solum respicias, quod descendat, sed quod etiam eum, qui inferne jacet, erigat et ad se adducat. 21. *Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum non essem sub lege, ut eos qui sub lege sunt lucrifacerem.*

3. Aut est explicatio prioris dicti, aut quidpiam subindicat præter illud prius : Judæos quidem dicens eos, qui jam olim ab initio tales erant ; sub lege autem, proselytos, aut eos qui fideles erant et adhuc legi hærebant. Non enim ultra erant tamquam Judæi, sed sub lege. Et quando factus est sub lege? Cum tonsus fuit, cum sacrificavit. Hæc porro facta sunt, non quod sententiam mutasset ; fuisset enim ea res mala ; sed caritate sese attemperante. Nam ut eos qui vere erant ad hæc traduceret, factus est et ipse (Judæus), non vere, sed tantum id præ se ferens, cum tamen talis non esset, nec ex animo hoc vere faceret. Quomodo enim fecisset, qui alios transmutare curabat ; et ideo hoc faciebat, ut alios hoc facientes liberaret ab humilitate hujusmodi? *Iis qui sine lege erant, tamquam sine lege essem.* Hi neque Judæi erant neque Christiani neque Græci ; sed extra legem erant, ut erat Cornelius, et si qui alii similes. Ad illos enim ingrediens, multa ad ipsos pertinentia simulabat. Quidam vero dicunt, illum subindicare disputationem, quam habuerat cum Atheniensibus circa inscriptionem in ara positam, et ideo dicere, *Iis qui sine lege sunt, tamquam sine lege essem.* Deinde, ne quis putaret rem illam esse sententiæ mutationem, addidit : *Cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi.* Id est, Cum non modo non sine lege essem, sed etiam non solum sub lege essem, sed et legem haberem veteri longe sublimiorem, id est, Spiritus et gratiæ : ideoque subjungit, *Christi.* Postea cum id effecisset, ut de sua sententia confiderent, lucrum deinde talis suæ attemperationis ponit, dicens : *Ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant.* Et ubique causam affert attemperationis illius. Neque ibi gradum sistit, sed, 22. *Et infirmus factus sum ut infirmos lucrifacerem :* hoc demum dicens ad illos pertinens, propter quod hæc omnia dicta sunt. Atqui illa erant longe majora, hoc vero convenientius : quamobrem postremum illud ponit. Idipsum quoque apud Romanos fecit, quando de cibis accusabat, et in multis aliis locis. Deinde, ne singula et omnia persequens diutius moretur, ait : *Omnibus omnia factus sum, ut omnino quosdam salvos facerem.* Viden' hyperbolen? Omnibus omnia factus sum, non quod omnes salvos facere sperarem, sed ut saltem paucos salvos faciam. Et hoc quidem studium, ministeriumque tale subii, quantum par erat eum, qui omnes salvos faceret, non tamen sperans me omnes superaturum esse : quod vere magnum erat, ferventisque animi. Nam qui seminabat, ubique seminabat, nec

totum servavit sementem; attamen quod suum erat præstitit. Et cum servatorum paucitatem dixisset, rursum illa addita voce, *Omnino*, consolatus est eos qui de iis dolerent. Nam etsi fieri non potest, ut totum semen salvum sit; attamen ut totum pereat fieri nequit. Ideo dixit, *Omnino* : quia necesse prorsus est, ut qui tam ferventer rem curat, etiam assequatur. 23. *Omnia autem facio propter evangelium, ut particeps ejus efficiar.* Id est, ut videar et ipse aliquid ex me attulisse, et particeps sim coronarum quæ fidelibus repositæ sunt. Quemadmodum enim dicebat, *Ex evangelio vivere*, id est, ex credentibus : sic et hoc loco, *Particeps efficiar evangelii*, ut possim communicare cum iis, qui in evangelium crediderunt. Viden' humilitatem, quomodo in mercedis retributione unum inter multos sese ponat, cum plus quam omnes laboraverit? Unde palam est, illius præmia majora fore. Attamen non se dignum censet qui primas teneat, sed exoptat ut cum aliis particeps sit coronarum quæ repositæ sunt Hæc porro dicebat, non quod pro mercede aliqua hoc faceret, sed ut illos hinc quoque attraheret, et per spem hujusmodi illis persuaderet, ut omnia pro fratribus facerent. Vidistin' prudentiam? vidistin' diligentiæ magnitudinem, quomodo plus quam præceptum fuerat fecerit nihil accipiens, cum accipere liceret? vidistin' summam attemperationem, quomodo qui in lege Christi erat, et supremam servabat legem, iis qui sine lege erant, tamquam sine lege esset; Judæis tamquam Judæus, in utrisque summus apparens et omnes vincens? Hoc et tu facito, et ne putes te cadere cum summus sis, si quid propter fratrem humile et abjectum patiaris : non est enim illud cadere, sed descendere. Qui cecidit enim, jacet et vix resurgit : qui vero descendit, ascendet, et cum multo lucro : quemadmodum etiam Paulus descendit solus quidem, sed cum orbe ascendit : non simulans; neque enim eorum qui servati sunt lucrum quæsivisset, si simulasset. Hypocrita enim exitium quærit, et simulat ut accipiat, non ut det : hic vero non sic, sed ut medicus, ut doctor, ut pater, ille quidem ægroto, hic discipulo, hic filio sese attemperat, ut corrigat, non ut noceat : ita etiam hic.

4. Non quod ea, quæ dicta sunt, simulatio non essent, cum nihil hujusmodi vel dicere vel facere cogeretur, sed quod affectum suum fiduciamque ostendere vellet, audi ipsum dicentem : *Neque vita neque mors, neque angeli neque principatus neque potestates, neque instantia neque futura, neque altitudo neque profundum, neque aliqua alia creatura, poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* 8. 38. 39). Vidistin' caritatem igne ardentiorem? Ita et nos quoque Christum diligamus; facile namque est, si velimus. Neque enim ille talis erat natura : ideoque priora illius his contraria fuisse scriptum est, ut discamus opus illud liberi arbitrii esse, et volentibus omnia esse facilia. Ne desperemus ergo; sed etsi maledictus es, etsi avarus, etsi quidvis aliud, cogita Paulum blasphemum fuisse, persequutorem, contumeliosum, peccatorumque primum, et derepente ad ipsum virtutis culmen pervenisse, et nihil ipsi impedimenti priora attulisse : atqui nemo cum tanto furore nequitiam sectatur, cum quanto ille bellum contra Ecclesiam. Nam tunc ipse suam tradidit animam; et quia non mille manus habebat, ut omnibus Stephanum impeteret, dolebat. Et tamen sic quoque modum invenit, quo posset illum pluribus ferire manibus falsorum testium, quorum ipse vestes servabat. Et cum in domos intraret, tamquam fera insiliebat, trahens et lacerans viros, mulieres; tumultu et strepitu ac bellis sexcentis omnia implens. Ita nempe terribilis erat, ut apostoli etiam post optimam ejus conversionem nondum auderent ipsi hærere. Attamen post illa omnia talis effectus est, qualis vere fuit : neque enim plura dicere opus est. Ubinam ergo sunt illi, qui fati necessitatem obtendunt adversus arbitrii nostri libertatem? Hæc audiant, et ora sua obstruant. Eum enim qui bonus esse velit, nihil impedit, etiamsi inter nequissimos antea censeretur. Ad hoc enim aptiores sumus, quatenus secundum naturam virtus inest nobis, et præter naturam vitium; sicut etiam ægrotare et bene valere. Etenim oculos nobis dedit Deus, non ut impudice aspiciamus, sed ut res ab eo creatas admirantes, Conditorem adoremus. Quod autem hic sit oculorum usus, palam est ex rebus sub aspectum cadentibus. Pulchritudinem namque solis et cæli ex immenso aspicimus intervallo : mulieris vero formam nemo ex tanto spatio noverit. Viden' oculum nobis ad hoc maxime datum fuisse? Rursus auditum fecit, non ut blasphema excipiamus verba, sed ut salutaria dogmata. Ideoque cum quidpiam absonum excipit, et animus et ipsum corpus torpescit. *Sermo enim multum jurantis, pilos erigit*, inquit. Et si quid crudele vel immite audiamus, rursus horremus; si vero quid numerosum et humanum, et gestimus et lætamur. Os quoque nostrum turpia loquens, pudorem et verecundiam infert; sin autem honesta, placide et cum omni libertate illa emittit. De iis autem, quæ sunt secundum naturam nemo erubuerit; sed de iis, quæ sunt præter naturam. Et manus quidem cum rapiunt, se occultant, et defensionem quærunt; si vero eleemosynam dent, etiam gloriantur. Itaque si velimus, magnam undique habemus ad virtutem propensionem. Si autem mihi voluptatem ex nequitia partam dicas, cogita nos illam majorem ex virtute decerpere. Etenim bonam habere conscientiam, omnibus in admiratione esse, bonamque spem tenere, omnium jucundissimum est ei, qui voluptatis naturam perpenderit; ut contraria omnium molestissima sunt ei, qui doloris naturam novit : verbi gratia, et probris ab omnibus affici et a se ipso accusari, timere ac tremere præsentia ac futura.

5. *Voluptas brevis est, dolor hinc partus perpetuus.* —Et ut id quod dico clarius evadat, supponamus quempiam uxorem habentem proximi nuptias perfodere, et ex hoc improbo furto illa frui quam amat; deinde alium huic opponamus, qui uxorem suam

complectatur : utque victoria clarior evadat, hic qui sola sua uxore fruitur, etiam illam amet quæ adulteratur, sed amorem cohibeat nihilque mali faciat, quamquam ne hoc quidem est pura temperantia ; verum ad libitum, ut discas quanta sit virtutis voluptas, ideo hujusmodi drama effinximus. His ergo una comparatis, sic ambos interrogemus, utrius vita dulcior : et audies illum quidem gloriantem et exsultantem de victoria, quam contra libidinem reportavit ; hunc vero ; imo non exspectandum est ut ab illo quid ediscamus : videbis enim illum, etiamsi id millies negaverit, miserabilius quam ii qui sunt in vinculis affectum. Nam omnes timet et suspectos habet, et uxorem suam et adulteræ virum ipsamque adulteram, familiares, amicos, cognatos, parietes, umbras, seipsum ; et quod est omnium gravissimum, conscientiam habet reclamantem et quotidie latrantem. Si vero etiam Dei tribunal in mentem venerit, ne stare quidem poterit. Et voluptas quidem brevis est, dolor autem hinc partus perpetuus. Nam et vespere et in nocte, in solitudine, in civitate et ubique accusator sequitur, gladium monstrans acutum et intolerabilia supplicia, metu consumens illum. Ille vero temperans, his omnibus vacuus, in libertate est, et secure uxorem suam videt, filios, amicos, et liberis oculis omnia aspicit. Si autem is qui amat, et tamen se continet, tanta fruitur voluptate : qui non amat, sed pure temperans est, quo portu, qua tranquillitate non dulciorem et placidiorem possidebit animam ? Ideo certe adulteros videris paucos, temperantes autem plures. Quod si hoc dulcius esset, hoc ipsum multi eligerent. Nec mihi dicas legum timorem ; neque enim hic illos continet, sed absurditatis magnitudo, et quod plura ibi sint tristia quam suavia, et conscientiæ quoque calculus. Et adulter quidem talis est. Si placet autem, avarum quoque adducamus in medium, alium rursus iniquum amorem detegentes. Etenim ipsum etiam videbimus eadem formidantem, nec valentem pura frui voluptate. Mente namque versans eos qui injuria afficiuntur, et eos qui commiseratione ducuntur, et communem omnium de illo calculum, mille agitatur ipse fluctibus. Neque hoc solum molestum ipsi est, sed neque dilecta sua frui potest. Talis enim est avarorum mos : habent, non ut fruantur, sed ut non fruantur. Quod si hoc tibi ænigma esse videtur, quod adhuc pejus et magis perplexum est audi : ipsos nempe non ideo solum voluptate privari, quod non audeant bonis frui ut velint, sed etiam quod numquam impleantur, ac semper in siti versentur : quo quid molestius et gravius fuerit ? At justus non est talis, sed tremore, odio, metu et hac incurabili siti liber est. Ac quemadmodum illum omnes exsecrantur, ita huic omnes bene precantur, ac sicut ille nullum habet amicum, sic iste nullum inimicum. Quid igitur, hæc in confesso cum sint, aut nequitia injucundius, aut virtute suavius fuerit ? Imo vero etiamsi innumera dixerimus, nemo vel vitii mœrorem, vel virtutis voluptatem verbis exprimere possit, donec illa fruamur. Tunc enim et felle amarius inveniemus vitium, cum mel virtutis degustabimus. Est enim etiam nunc vitium, injucundum, onerosum et molestum ; quod neque illi negant, qui ipsi famulantur : cum autem ab illo abscesserimus, tum illius acerba jussa accuratius sentiemus. Quod si multi ad illud accurrant, nihil mirum ; quandoquidem et pueri sæpe, minus dulcia eligentes, ea quæ magis delectant despiciunt, et ægroti pro fluxa brevique gratia perpetuam tutioremque lætitiam amiserunt. Hoc autem ex amantium imbecillitate et stultitia provenit, non ex ipsa rerum natura. Qui enim cum voluptate vivit, is est qui virtutem sectatur, qui vere dives et vere liber est. Quod si quis alia quidem virtuti concesserit, libertatem, securitatem, a curis vacuum esse, neminem timere, neminem suspectum habere ; voluptatem vero ipsi non concesserit, hic mihi in mentem veniet profuse ridere. Quid enim aliud est voluptas, quam a curis liberari, a timore, a mœrore, et a nulla re posse vinciri ? Uter enim, quæso, in voluptate est, isne qui furit, agitatur et a multis cupiditatibus confoditur, neque apud se consistit ; an qui ab omnibus hisce fluctibus liber, in philosophia ceu in portu sedet ? annon palam est hunc esse ? Sed hoc cernitur virtuti proprium. Itaque vitium solum nomen habet voluptatis, re autem ipsa vacuum est : et antequam illa fruaris, insania est, non voluptas ; postquam illa frui contigerit, ipsa statim exstinguitur. Si ergo neque initio, neque postea licet ejus videre voluptatem, ubi cernetur et quando ? Ut autem id quod dico clarius ediscas, exemplo rem tractemus : attende autem. Captus est quispiam amore mulieris pulchræ et formosæ : hic donec assequatur optatum, furentibus et insanis similis est ; postquam autem assequutus est, concupiscentiam exstinxit. Si ergo neque initio voluptatem habet ; furor enim tunc est ; neque in fine ; nam concubitu œstrum exstinxit : ubinam illam inveniemus ? Sed res nostræ non ita se habent, sed initio perturbatione vacuæ sunt, et usque in finem voluptas vigens perseverat ; imo potius non finis est voluptatis in nobis, neque bona nostra terminum habent, neque hæc voluptas umquam dissolvitur. Hæc itaque omnia cogitantes, si voluptatem amamus, virtutem suscipiamus, ut et præsentia et futura bona assequamur : quæ utinam nos omnes adipisci contingat, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XXIII.

Cap. 9. v. 24. *Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium ?*

1. Cum ostendisset, rem esse admodum utilem sese attemperare, et hanc esse summam perfectionem : et quod ipse (Paulus), cum plus quam omnes ad perfectionem ascendisset, imo transcendisset, eo quod (ad victum necessaria) non acceperit, plus quam omnes postea descenderit, et utriusque rei tempora nota fe-

cisset nobis, perfectionis nempe et attemperationis; jam illos acrius perstringit, subindicans hoc ab ipsis factum, quod perfectionis esse videtur, vanum et superfluum esse laborem. Neque rem ita clare dicit, ne impudentius agerent: per illa autem quæ probat, hoc ostendit. Et cum dixisset illos in Christum peccare, et fratres perdere, nihilque illos utilitatis accipere a perfecta scientia, nisi adsit caritas; rursus ad commune exemplum venit et ait: *Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?* Hoc autem dicit, non quasi hic unus ex multis salutem sit consequuturus, absit; sed quod nos debeamus studium adhibere multum. Sicut enim ibi multis in stadium descendentibus, non coronantur multi, sed unus id assequitur; nec sufficit in certamen descendere, neque inungi et concertare: ita et hic quoque non satis est credidisse, et utcumque decertasse; sed nisi ita curramus ut usque in finem inculpatos nos præbeamus, et bravio propinqui simus, nihil assequemur. Si enim te perfectum existimas, inquit, secundum scientiam, nondum tamen totum accipies, id quod subindicans dicebat: *Sic currite ut comprehendatis.* Nondum ergo comprehenderant. Et cum ita dixisset, modum etiam docet: 25. *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus abstinet.* Quid est, *Ab omnibus abstinet?* Non ab hoc quidem abstinet, in alio autem peccat; sed et a gula, a lascivia, ab ebrietate, et ab omnibus vitiis abstinet. Nam hoc, inquit, in externis quoque certaminibus observatur. Neque enim certantibus certaminis tempore inebriari licet neque scortari, ne vires solvant; neque alii rei cuipiam operam dare; sed ab omnibus prorsus abscedentes, solis gymnasiis dant operam. Si autem illic hæc fiunt, ubi corona uni datur: multo magis hic, ubi major est largitas. Neque enim unus tantum est qui coronatur, et præmia labores longe superant. Ideoque pudorem incutiens ita loquitur: *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* 26. *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum.* Cum illos ab externis pudore affecisset, se quoque demum in medium adducit, quod est optimus doctrinæ modus. Idcirco ubique ita facere deprehenditur. Quid sibi vult autem. *Non in incertum?* Ad scopum quemdam aspicio, inquit, non frustra et in cassum, sicut vos. Quid enim vobis amplius accedit, cum in idolorum templa intratis, si illam ostentetis perfectionem? Nihil. At non talis sum ego; sed quæcumque facio, ad salutem proximi facio; sive perfectionem ostendam, propter ipsum; sive me attemperem, propter ipsum; sive Petrum superem in eo quod nihil accipiam, ne ipsis offendiculo sim; sive plus quam omnes me demisero, ut qui circumcidar et tondear, ne ipsi supplantentur. Hoc est illud, *Non in incertum.* Tu vero cur, quæso te, comedis in templo idolorum? Sed rationabilem causam proferre non possis. Cibus enim te non commendat Deo, et neque si comedas, plus habes; neque si non comedas, minus. Frustra ergo et inconsiderate curris: hoc enim sibi vult illud, *In incertum. Sic pugno, non quasi aerem verberans.* Rursus illud, non temere et inconsiderate, subindicans hoc ait: habeo enim quem feriam, nempe diabolum; tu vero ipsum non feris, sed vires tuas temere effundis. Interim illos quasi sustinens, ita loquitur. Quia enim vehementius illos insectatus fuerat in præcedentibus, rursus reprimit increpationem, ad finem orationis profundam plagam reservans. Hic enim ait illos temere et inconsiderate agere; postea ostendit, quod etiam in magnam sui capitis perniciem, et quod præter damnum fratrum neque ipsi culpa vacent hæc audentes. 27. *Sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Hic ostendit eos et ventris implendi desiderio teneri, et ipsi laxare habenas, et perfectionis obtentu ingluviem implere suam; quod superius dicere parturiebat, cum ita loqueretur: *Escæ ventri, et venter escis* (1. *Cor.* 6. 13). Quia enim fornicationem deliciæ pariunt, et hoc peperit idololatriam; jure sæpe hunc insectatur morbum. Et cum ostendisset quanta passus esset propter evangelium, hoc quoque ponit cum illis. Sicut enim, inquit, Mandata supergressus sum; idque cum non leve illud negotium esset (*Omnia* enim, inquit, *sustinemus*): ita et nunc multum sustineo laborem, ut temperanter vivam. Nam etsi non facile litigari potest cum cupiditate et ventris tyrannide, attamen ipsam refreno, nec me ei dedo ægritudini, sed omnem subeo laborem, ut ne ab illa abstrahar.

2. Ne enim putetis me absque negotio hoc præstare. Nam cursus est et omnis pugnæ genus et naturæ tyrannis frequenter insurgens, ut libertatem assequatur: at illam non fero, sed coerceo et cum multis sudoribus subigo. Hæc porro dicit, ut nemo desperet in suscipiendis pro virtute certaminibus, quia laboriosa res est: ideo ait, *Castigo et in servitutem redigo.* Non dixit, Occido; non enim inimica est caro; sed, *Castigo et in servitutem redigo*, quod domini est, non inimici; doctoris, non hostis; pædotribæ, non adversarii. *Ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Si vero Paulus hoc timuit qui tot homines docuit; et timuit postquam prædicavit et factus est angelus, totiusque orbis patrocinium suscepit, quid nos dixerimus? ne putetis enim, inquit, quia credidistis, hoc vobis sufficere ad salutem. Si enim mihi prædicasse, docuisse, innumeros adduxisse non satis est ad salutem, nisi ea quæ me spectant inculpata proferam; multo magis vobis. Deinde ad alia exempla progreditur; et ut antea exempla posuit apostolorum, communis consuetudinis, sacerdotum, et sua quoque: sic et nunc Olympicorum certaminum. Et postquam sua posuit, rursus ad antiquas pergit historias. Et quia asperius loquuturus est, communem facit admonitionem, neque de propositis tantum, sed etiam de omnibus Corinthiorum ægritudinibus verba facit. Et de externis certaminibus, *Nescitis*, inquit; hic autem, (*Cap.* 10). 1. *Nolo autem vos ignorare, fratres.* Hoc autem dicebat, ostendens ipsos hac de re non esse admodum eruditos. Et quid est illud, quod non vis nos ignorare? *Quod patres*

nostri omnes, inquit, *sub nube fuerunt, et per mare transierunt: 2. et in Moyse baptizati sunt in nube et in mari: 3. et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, 4. et eumdem potum spiritualem biberunt (bibebant enim de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus): 5. sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.* Et qua de causa hæc dicit? Ut ostendat, quod sicut illis non profuit, quod tantum acceperint donum; ita neque iis proderit, quod baptisma acceperint et spiritualium mysteriorum consortes fuerint, nisi vitam tanta gratia dignam exhibeant: ideoque adducit baptismatis et mysteriorum typos. Quid sibi vult illud, *In Moyse baptizati sunt?* Quemadmodum nos Christo credentes et ejus resurrectioni, baptizamur, ut qui et ipsi mysteriorum participes futuri simus; Baptizamur enim, inquit, pro mortuis (1. *Cor.* 15. 29); id est, corporibus nostris: ita et illi, Moysi fidentes, id est, videntes illum primum trajicientem, ausi sunt et ipsi quoque in aquas ingredi. Sed quia vult figuram prope veritatem adducere, non ita dicit, sed veritatis nominibus etiam in typo usus est. Et hoc quidem est symbolum lavacri; quæ sequuntur autem, sacræ mensæ. Ut enim tu corpus Dominicum comedis, sic et illi manna; et ut tu sanguinem bibis, ita et illi aquam de petra. Etiamsi enim sensilia essent illa quæ fiebant, at spiritualiter præbebantur, non secundum naturæ consequentiam, sed ex doni gratia; et cum corpore animam quoque nutriebant, ad fidem inducentia. Ideo de cibo quidem nihil dixit; erat enim mutatus, non tantum modo, sed etiam natura; manna quippe erat; de potu vero, quia dandi modus solus præter opinionem erat, etiam probatione opus habebat: ideo cum dixisset, *Eumdem potum spiritualem biberunt*, subjunxit; *Bibebant enim ex spirituali consequente petra;* et addidit, *Petra autem erat Christus.* Non enim petræ natura aquam emittebat, inquit, alioquin autem antea scaturiisset; sed alia quædam petra spiritualis hoc totum faciebat; id est, Christus, qui semper ipsis præsens erat, et omnia mirabiliter operabatur. Ideo namque dicit, *Consequente.* Vidistin' Pauli sapientiam, quomodo eum ostendit utrumque suppeditavisse, et hac ratione typum prope veritatem adduxit? Qui enim illa inquit, ipsis suppeditavit; hic ipse hanc apparavit mensam: et idem ipse illos per mare, te per baptismum duxit; illisque manna et aquam, tibi corpus et sanguinem præbuit. Et talia sunt ea quæ donum ejus spectant. Videamus vero etiam sequentia, et consideremus an, cum dono indigni visi essent illi, ipsis pepercerit. At hoc dicere non possis: ideo subdidit: *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*, etsi tanto illos honore dignatus est. At nihil hoc illis profuit; sed plures ex iis perierunt. Atqui omnes periere; ne autem videatur illis extremam perniciem prophetare, ideo dixit, *plures.* Atqui erant innumerabiles, sed nihil profuit multitudo: omniaque illa erant amoris indicia; sed neque hoc ipsis profuit, quoniam quæ amoris erant non rependerant.

Quia enim iis quæ de gehenna dicuntur multi non credunt, utpote quæ non appareant nec videantur; ab iis quæ jam facta fuerant ostendit, Deum punire peccatores, etiamsi innumeris illos affecerit beneficiis: nam si futuris non creditis, inquit; iis certe quæ jam facta sunt non fidem negabitis.

3. Considerate ergo quot beneficia illis præstiterit: ab Ægypto et a captivitate ipsos liberavit, mare stravit, ex cælo manna demisit, ex terra fontes aquarum non exspectatos emisit; ipsis ubique præsens erat miracula edens, et undique ipsos muniens. Attamen quia tanto dono dignum nihil exhibuere, non pepercit illis, sed omnes perdidit. *Nam prostrati sunt*, inquit, *in deserto;* repentinum illorum interitum, pœnas et supplicia divinitus immissa per hoc dictum declarans, et quod proposita præmia non sint assecuti. Neque enim in terra promissionis hæc eis fecit; sed extra et procul ab illa regione, duplici afficiens supplicio, et quod non concederet ipsis terram videre, quam ipsis promiserat, et quod gravi supplicio affecerit. Et quid hæc, inquies, ad nos? Ad te utique spectant: ideo subjunxit: 6. *Hæc autem in figura facta sunt nostri.* Sicut enim dona figuræ sunt, ita quoque supplicia figuræ: et sicut baptisma et mensa prius describebantur, ita in sequentibus propter nos præsignificatum est, quod qui tali dono indigni fuerint supplicio afficiendi sint, ut talibus exemplis moniti temperantiores simus. Ideo addidit: *Ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt.* Sicut enim in beneficiis typi præcesserunt et sequuta est veritas: sic et in suppliciis sequetur. Viden' quomodo ostendat, non modo quod puniendi sint, sed etiam quod magis quam illi? Nam si illud quidem typus est, hoc autem veritas, necesse est in suppliciis magnum esse culmen, ut etiam in donis. Et perpende in quosnam primum invehatur; in eos nempe qui in templis idolorum comedebant. Cum dixisset enim, *Ne sitis concupiscentes malorum*, quod universale erat, quod in specie erat subjunxit, ostendens singula peccata ex mala esse cupidate; et primum hoc dixit: 7. *Neque idololatræ efficiamini sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Audisti quomodo tandem idololatras vocet? sed hic quidem pronuntians, postea autem etiam probans. Causam autem posuit ob quam ad mensas illas accurrebant: ea erat gula. Quapropter cum dixisset, *Ne simus concupiscentes malorum*, et addidisset, *Ne sitis idololatræ*, hujusce iniquitatis causam posuit; hæc autem erat gula. *Sedit* enim, inquit, *populus manducare et bibere.* Et finem inde sequentem addit, nempe, *Surrexerunt ludere.* Ut illi, inquit, a deliciis ad idololatriam devenerunt: sic timendum est ne vos inde eo decidatis. Vidistin' quomodo ostendat hosce perfectos illis esse imperfectiores? quos pungebat non eo solum, quod non sustinerent; sed quod etiam illi ex ignorantia, alii ex ingluvie peccarent: et illorum quidem pernicici punitionem his tribuit; hos autem non sinit sui peccati causam referre in alium, sed et sui et aliorum

damni ipsos obnoxios pronuntiat. *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt.* Quare hic fornicationem memorat, cum de illa antea tantum disseruerit? Mos est semper Paulo, cum de multis accusat peccatis, ordine illa ponere et proposita singulatim persequi; ac rursus ubi de aliis loquitur, priora etiam repetere. Quod Deus quoque faciebat in Veteri Testamento; in singulis delictis vitulum Judæis memorabat, et illud peccatum, in medium adducebat. Hoc itaque et Paulus hic facit, illud simul commemorans peccatum, et docens hoc prodiisse ex deliciis et gula. Quapropter adjecit: *Neque fornicemur sicut quidam eorum fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia.* Et cur non ponit etiam idololatriæ punitionem? Aut quia clarum erat et manifestum: aut quia tunc plaga non tanta fuit, quanta Balaami tempore, cum initiati sunt Beelphegor, Madianiticis mulieribus in aciem accedentibus ipsosque ad libidinem allicientibus, secundum Balaami consilium. Nam quod hoc malum consilium Balaami esset, declarat Moyses postea dicens in fine libri Numerorum: *Balaam quoque filium Beor occiderunt in bello Madian cum mulieribus, et adduxerunt spolia. Et iratus est Moyses, et dixit: Cur vivas cepistis omnes mulieres? Ipsæ enim erant filiis Israel in scandalum secundum verbum Balaam, ut deficerent et despicerent verbum Domini propter Phegor* (*Num.* 31. 8. 14. 16). 9. *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt et a serpentibus perierunt.*

4. Per hoc rursus aliud subindicat crimen, quod etiam in fine ponit, accusans illos quod de signis pugnarent, et propter tentationes murmurarent dicentes: Quando venient bona? quando præmia? Ideoque subjungit illos corrigens ac terrens: 10. *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore.* Non solum enim quæritur pati pro Christo, sed etiam quæ accidunt fortiter ferre et cum omni voluptate. Hoc est enim omnino corona; ut si hoc non fuerit, pœna etiam sequatur eos qui ægre ferunt. Ideo apostoli flagris cæsi gaudebant, et Paulus in afflictionibus gloriabatur. 11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, ad quos fines sæculorum devenerunt.*

Pœnæ futuræ erunt æternæ. — Rursus terret finem memorans, et ad majora prioribus exspectanda præparat. Nam quod pœnas daturi simus, ex dictis, inquit, planum est etiam iis qui de gehenna dictis fidem non habent; quod autem graviores, ex eo quod plura consequuti simus beneficia, et ex eo quod illa typi essent. Nam si in donis exsuperantia fit; palam est in supplicio quoque fore. Ideoque figuras appellavit, et propter nos scripta fuisse dixit, et finem in memoriam revocavit, ut consummationis mentionem faceret. Non enim talia tunc erant supplicia, quæ finem accipiebant et tollebantur; sed pœna erit æterna. Sicut enim hujus vitæ pœnæ simul cum vita solvuntur, sic illic pœnæ æternæ erunt. Cum autem dicit, *fines sæculorum*, nihil aliud dicit, quam quod de cætero instet judicium illud horrendum. 12. *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.* Rursus illorum fastum dejecit, qui de scientia sua altum sapiebant. Si enim illi, qui tanta sunt bona consequuti, talia passi sunt, et alii quidem pro murmuratione solum tales luerunt pœnas; alii quod tentassent, et neque populus Deum est reveritus, neque quod tam multa consequutus esset; multo magis in nobis nisi vigilemus hoc erit. Et apposite dixit: *Qui se existimat stare.* Hoc enim non est stare, ut stare oportet, sibi ipsi confidere: qui talis est enim, citius cadet: nam illi quoque, nisi altum sapuissent et confidissent, sed si sese cohibuissent, non hæc passi essent. Unde liquet arrogantiam maxime, deindeque socordiam et gulam, horum esse fontes malorum. Itaque si stas, cave ne cadas. Nam hic stare, non est firmiter stare, donec liberemur a præsentis vitæ fluctibus, et ad tranquillum portum appellamus. Ne itaque altum sapias quod stes, sed cave lapsum. Si namque Paulus timuit, omnium fortissimus, multo magis nos timere oportet. Apostolus itaque dicebat: *Quapropter qui sibi videtur stare, videat ne cadat:* nos autem ne hoc quidem possumus dicere, cum omnes fere lapsi et prostrati sint humique jaceant. Cui enim hoc dicam? illine qui quotidie rapit? sed jacet ille magno lapsu dejectus. At scortatori? sed humi projectus est. An ebrioso? at ipse quoque jacet, et nescit se jacere. Itaque jam non est tempus hujus proferendi verbi, sed illius prophetici, quod dicebat Judæis: *Num qui cadit, non resurgit* (*Psal.* 40. 9)? Etenim omnes jacent, nec volunt resurgere. Quamobrem adhortatio nobis est, non ut ne cadamus, sed ut ii qui jacent possint resurgere. Resurgamus igitur vel sero tandem, dilecti, resurgamus et fortiter stemus. Quousque jacemus? quousque ebrii sumus, multa rerum sæcularium concupiscentia gravati? Opportunum est nunc dicere: Ad quem loquar et testificabor? usque adeo omnes ad ipsam virtutis doctrinam obsurduerunt, et multis hinc repleti sunt malis. Et si possemus animas videre nudas, ut in exercitibus post conflictum, alii mortui, alii vulnerati videntur; sic in Ecclesia videremus. Quamobrem obsecro et oro, manum alter alteri porrigamus et exsurgamus. Nam et ego ex sauciorum numero sum, et eorum qui pharmacis opus habent. Sed ne ideo animum despondeatis: nam etsi gravia sunt vulnera, at non incurabilia. Talis est noster medicus; modo vulnera sentiamus, etiamsi in extremum nequitiæ venerimus, multas nobis aperit vias salutis. Nam si proximo iram remiseris, remittentur tibi delicta: *Si enim*, inquit, *remiseritis hominibus, remittet et vobis Pater vester cœlestis* (*Matth.* 6. 14). Et si eleemosynam dederis, condonabit tibi peccata: *Iniquitates* enim *tuas*, inquit, *eleemosynis redime* (*Dan.* 4. 24). Si diligenter oraveris, remissione frueris. Et hoc ostendit vidua, quæ immanem illum judicem frequenti petitione inflexit. Si peccata tua accusaveris, habes consolationem: *Dic tu* enim *primus peccata tua, ut justificeris* (*Isai.* 43. 26). Si pro iis tristis fueris, et hoc tibi pharmacum erit maximum: *Vidi enim*,

inquit, *quod dolore affectus sit, et abierit tristis, et curavi vias ejus* (*Isai.* 57. 17. 18). Et si quid mali passus, fortiter illud tuleris, totum exuisti. Hoc quoque enim diviti illi Abraham dicebat : Recepit Lazarus mala sua, et hic consolationem habet (*Luc.* 16. 25). Si viduæ misertus fueris, abluuntur peccata tua : nam ait : *Judicate pupillo, defendite viduam, et venite disceptemus*, ait Dominus; *et si fuerint peccata vestra sicut puniceum, ut nivem dealbabo ; et si fuerint ut coccinum, ut lanam dealbabo* (*Isai.* 1. 17. 18). Neque enim vel cicatricem vulnerum sinit apparere.

5. *Pœnitentiæ vis in hac vita, inutilitas in altera* — Sed etiamsi venerimus in illud profundum malorum, in quod incidit is qui paterna bona exedit et siliquis vescebatur, et pœnitentiam egerimus, omnino salvi erimus : etiamsi decem millia talenta debeamus, et procidamus, injuriarumque memoriam deponamus, omnia nobis remittuntur : etiamsi illic aberraverimus, ubi ovis ab ovili aberravit, inde ille nos reducit, si modo velimus, dilecti : benignus enim est Deus. Ideo etiam satis illi fuit, quod is qui decem millia talenta debebat, ante se procumberet, et quod qui paterna bona absumpserat, solum reverteretur, et quod errans ovis portari vellet. Cogitantes igitur benignitatis ejus magnitudinem, hic illum nobis propitium reddamus, et præoccupemus faciem ejus in confessione, ut ne hinc abeuntes sine defensione, extremum subeamus supplicium. Si enim in præsenti vita qualemcumque adhibeamus diligentiam, maxima lucrabimur : si autem non meliores effecti abscesserimus, etiamsi illic vehementi pœnitentia ducamur, nihil nobis proderit. Oportebat enim intra septa manentem decertare, non autem postquam solutum fuit theatrum lamentari et flere inutiliter, ut dives ille faciebat, lamentans et ejulans, sed jam frustra et incassum, quia tempus illud despexerat, quo hæc facere oportuit. Non ille autem solus, sed multi alii jam sunt divites ipsi similes, qui pecunias quidem despicere nolunt, sed loco pecuniarum animam despiciunt : quod mirari subit mihi, cum video illos Dei misericordiam precantes, et ita affectos erga seipsos ut incurabiles sint, animæque suæ tamquam inimicæ non parcentes. Ne ludamus, o dilecti, ne ludamus, neque nos ipsos despiciamus, dum rogamus Deum ut nostri misereatur, et misericordiæ ejus pecunias, delicias et omnia anteponimus. Neque enim, si quis tibi dicam offerret, et quempiam accusans diceret, illum mille mortes subiturum, cum posset modica pecunia sese redimere, malle mori quam aliquid ex suis numerare; misericordia aut venia illum esse dignum diceres. Hoc ergo et de teipso reputa : nam nos quoque hoc facimus, et salutem nostram despicientes, pecuniis parcimus. Quomodo ergo Deum precaris ut tibi parcat, cum tu ipse tibi non parcas, et animæ pecunias præferas? Quocirca admodum obstupesco cogitans, quantæ in pecuniis lateant præstigiæ; imo non in pecuniis, sed in eorum qui decipiuntur animis. Sunt enim, sunt utique, qui multum hasce præstigias irrident. Quid enim in illis est, quod nos fascinare possit? nonne inanimata est materia, nonne fluxa? nonne infida est ejus possessio? annon timoribus plena est et periculis? annon cædibus et insidiis? annon inimicitia et odio? annon socordia et nequitia multa? annon terra est et cinis? quæ insania? quis morbus? At non accusandi sunt tantum, inquies, hoc morbo laborantes, sed etiam solvendus est amor. Et quo alio modo solvemus, quam ostendentes rem esse malam innumerisque plenam malis? At non facile est id amanti persuadere. Itaque alia ipsi pulchritudo opponenda est. Sed cum ægrotet, incorpoream non videt pulchritudinem : corpoream ergo illi ostendamus, et dicamus illi : Cogita prata, et flores qui in illis sunt, quovis auro elegantiores, et quibusvis lapillis et gemmis gratiores et pellucidiores; cogita limpida fontium fluenta, fluvios qui instar olei sine strepitu e terra profluunt : ascende in cælum et vide solis pulchritudinem, lunæ decorem, stellarum flores. Et quid hoc, inquies? non enim illis utimur ut pecuniis. Atqui magis quam pecuniis, quatenus eorum usus est magis necessarius, et iis fruimur securius. Neque enim times, ne quis illa ut pecunias auferens discedat; sed licet tibi de iis perpetuo confidere, atque sine ulla cura vel sollicitudine. Si autem ideo doles, quod cum aliis fruaris illis, et quod non solus illa possideas, ut pecunias; non pecunias, sed avaritiam solam mihi amare videris : nec pecunias amares, si communes omnibus prostarent. Cum igitur dilectam invenerimus, nempe avaritiam; age, ostendam tibi, quomodo illa te odio habeat et aversetur : quot contra te gladios acuat, quam multa fodiat barathra, quam multos tendat laqueos, quanta apparet præcipitia; ut sic amorem exstinguas. Undenam hæc sciri possunt? Ex viis, ex bellis, ex mari, ex tribunalibus. Nam mare implet sanguine, et judicum sæpe cruentat gladios, sæpe injuste, eosque qui noctu et interdiu in viis insidiantur ipsa armat, et suadet ignorare naturam : parricidas facit et matricidas, et omnia mala in vitam infert.

6. Ideoque Paulus vocat illam malorum radicem. Ipsa amatores suos non meliore conditione jacere sinit, quam eos qui metalla operantur. Quemadmodum enim illi perpetuo in tenebris conclusi et vincti inutiliter laborant : sic et isti in speluncis avaritiæ defossi, nemine necessitatem inferente, sua sponte sibi supplicium attrahunt, se insolubilibus circumligantes vinculis. Et ad metalla damnati quidem, vespere saltem adveniente a laboribus solvuntur; hi vero et die et nocte improba hæc metalla defodiunt : et illis quidem modus est constitutus laboriosæ illius operationis; hi vero nullum modum norunt, sed quo magis foderint, eo majorem appetunt miseriam. Si autem illi quidem inviti, hi vero sponte sua, morbi mihi dicis gravitatem, quod nempe liberari non possint, si quidem malam suam sortem non oderunt. Sed quasi sus in luto, sic illi in avaritiæ fœtoribus volutati sibi placent, graviora patientes quam damnati illi. Nam quod pejore conditione sint, audi quæ ad illos spectant, et tunc audies quæ ad hos pertinent. Dicitur

ergo terra illa aurifera latibula et recessus habere in tenebrosis illis speluncis : facinorosum, qui ad illos labores damnatus est, ideo lucernam accipientem et ligonem, ita ingredi, et gutturnium afferre, ut inde oleum in lucernam infundat, quia tenebræ illic sunt etiam interdiu, ut jam dixi. Deinde quando tempus infelicem illum vocat ad cibum, ipsum quidem tempus ignorare narrant; vincti vero custodem superne vehementer pulsantem speluncam, per strepitum et vocem indicare finem esse diei. Annon inhorruistis hæc audientes? Videamus ergo annon his graviora patiantur avari. Nam hi quoque graviorem habent carceris custodem, avaritiam, et eo graviorem, quod cum corpore animam simul colliget. Hæ quoque tenebræ sunt illis horribiliores; non sunt enim sensibiles, sed illas intus parientes avari, quocumque abierint, ubique secum circumferunt : exstinctus est enim ipsis animæ oculus. Ideoque Christus illos maxime omnium miseros prædicat dicens : *Si autem lumen quod in te est, tenebræ sint, tenebræ quantæ erunt* (*Matth.* 6. 23)? Et illi quidem saltem lucernam habent lucentem : hi autem illa privantur : ideoque quotidie in barathra incidunt innumera. Et damnati illi quidem adveniente nocte respirant, in communem eorum qui diem infeliciter transegerunt tranquillitatem navigantes, in noctem dico; avaris autem hunc portum obstruxit avaritia : tot et tantis curis noctu distinentur in otio, nemine negotium faciente, seipsos macerantes. Et quæ hic quidem aguntur talia sunt; quæ vero illic, quis sermo recensere possit, fornaces intolerabiles, fluvios igne ardentes, dentes stridentes, insolubilia vincula, vermem venenatum, tenebras lucis expertes, mala numquam finem habentia. Timeamus ergo, dilecti, fugiamus fontem tantorum cruciatuum, furorem insatiabilem, nostræ salutis perniciem. Non possunt enim simul amari pecunia et anima. Discamus pecunias esse terram et pulverem, quod nos deserant hinc demigrantes, imo vero sæpe ante decessum nostrum resiliant, quod ad futuram noceant et ad præsentem vitam. Nam et ante gehennam et ante supplicium illud in bella hic nos innumera conjiciunt, seditiones excitant et pugnas. Nihil enim ita bellum concitat ut avaritia; nihil ita inopem reddit, sive in divitiis, sive in pauperie apparuerit. Nascitur enim etiam in pauperum animis gravis hic morbus, illorumque paupertatem magis atterit. Si autem inventus fuerit pauper avarus, non in divitiis ille, sed in fame dat pœnas. Non enim potest vel modicis illis quæ habet libere frui, sed et ventrem fame vexat, et corpus totum nuditate et frigore ulciscitur, et iis qui sunt in vinculis ubique squalidior et sordidior est : semper flet et lamentatur, ac si omnium miserrimus sit, etiamsi innumeri sint illo pauperiores. Hic si in forum ingressus fuerit, abit multis acceptis vibicibus; si in balneum, si in theatrum, plura accipiet vulnera, non a spectatoribus solum, sed etiam ab iis qui in scena sunt, cum viderit meretrices multas auro fulgentes. Hic etiam si in mari naviget, mercatores et naves plurimis onustas mercibus cogitans et lucra ingentia, neque se vivere putabit : etiamsi per terram iter agat, agros, prædia suburbana, diversoria, balnea, proventus inde partos cogitans, non vitalem sibi vitam esse postea putabit. Quod si illum etiam intra domum incluseris; quæ in foro accepit vulnera refricans, apud se magis animum cruciabit; unamque novit solum consolationem malorum quibus premitur, mortem et ex hac vita migrationem. Hæc non pauper modo, sed etiam dives, qui in hunc inciderit morbum, patietur, et tanto magis quam pauper, quanto vehementior imminet illi tyrannis, et major ebrietas. Ideo se omnium pauperrimum putabit, imo etiam vere pauperrimus est. Non enim ex facultatum modo, sed ex mentis affectu æstimantur divitiæ et paupertas. Et ille magis est omnium pauperrimus, qui semper plura concupiscit, et numquam sistere potest hanc malam concupiscentiam. Propter hæc omnia fugiamus avaritiam, quæ paupertatem inducit, animas corrumpit, gehennæ amicam, inimicam regni cælorum, matrem omnium simul malorum; et pecunias contemnamus, ut fruamur pecuniis, et cum pecuniis fruemur etiam bonis nobis promissis : quæ utinam nos omnes assequi contingat, etc.

HOMILIA XXIV.

CAP. 10. v. 13. *Tentatio vos non apprehendit nisi humana. Fidelis autem est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere, etc.*

1. Postquam satis terruit eos vetera narrans exempla, atque in animi angorem conjecit, dicens, *Qui videtur stare, videat ne cadat;* multas autem tulerant tentationes, et in iis sæpe sese exercuerant : iam *In infirmitate*, inquit, *et in timore et tremore multo fui apud vos* (1. *Cor.* 2. 3); ne dicerent, Cur nos terres et timore afficis? non sumus in iis malis inexercitati; nam pulsi sumus et persequutionem passi, multa et frequentia subiimus pericula : illorum rursus tumorem reprimens ait : *Tentatio vos non apprehendit nisi humana;* id est, parva, brevis, moderata. Humanum enim dicit de parvo, ut cum ait : *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ* (*Rom.* 6. 19). Ne itaque altum sapiatis, inquit, ac si tempestatem superaveritis : nondum enim vidistis periculum quod mortem minaretur, neque tentationem mortem intentantem. Quod etiam Hebræis dicebat : *Nondum usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes* (*Hebr.* 12. 4). Deinde quia exterruerat, vide quomodo rursus illos erigat, postquam persuaserat illis ut modeste agerent, dicens : *Fidelis est Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Ergo sunt tentationes quæ ferri non possunt. Et quænam illæ? Omnes, ut ita dicam. Potestas enim in Dei nutu sita est, quam per voluntatis nostræ sententiam attrahimus. Quamobrem ut discas accurate,

quod non solum illas, quæ nostram superant potestatem, sed neque hasce humanas possimus sine illius auxilio facile ferre, subjunxit : *Sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Neque enim illas moderatas, ut dixi, propria virtute feremus; sed in his quoque ejus egemus auxilio, ut eas pervadamus, et antequam pervadamus feramus. Ipse namque et patientiam dat, et promptam liberationem affert; ita ut hac ratione tentatio ferri possit. Hoc enim subindicavit dicens : *Faciet exitum ut possitis sustinere;* omniaque illi attribuit, 14. *Propter quod, carissimi mei, fugite ab idolorum cultu.* Rursus illos leniter alloquitur addito cognationis nomine, et cum magna urget celeritate ut ab hoc peccato liberentur. Non enim dicit solum, Discedite, sed, *Fugite :* ac rem vocat idololatriam; et ob proximi damnum jam non modo abscedere jubet, sed rem ipsam per se sufficere ait ad magnam afferendam perniciem. 15. *Ut prudentibus loquor; vos judicate quod dico.* Quia enim rem magnam loquutus est, et crimen auxit vocans idololatriam; ne videretur exasperare illos et molesta uti oratione, illis demum judicium permittit, et cum laude judices constituit illos. *Ut prudentibus loquor,* inquit : quod est admodum confidentis causæ et juri suo, cum nempe illum qui accusatur dicti judicem constituit. Hoc auditorem magis erigit, quando non quasi imperans et legem ferens, sed quasi consulens et illorum judicium exspectans, sic disserit. Cum Judæis enim, utpote insana et puerili mente præditis, non sic Deus loquebatur, neque semper illis mandatorum causas indicabat; sed tantum jubebat : hic autem, quia magna libertate fruimur, et consilium nobis adest, ut amicos nos alloquitur et ait : Non opus est mihi aliis judicibus : vos mihi calculum ferte, vos accipio judices. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Quid dicis, o beate Paule? ut auditorem pudore afficias, mysteriaque horrenda memorans, benedictionis calicem vocas terribilem illum atque formidandum calicem? Etiam, inquit : non parva enim res est quæ dicitur. Nam cum benedictionem dico, omnem explico Dei beneficentiæ thesaurum, et magna illa dona in memoriam revoco. Nam nos quoque ad calicem recensentes ineffabilia Dei beneficia, et omnia quibus fruimur, sic illum offerimus et communicamus, gratias agentes quod genus humanum ab errore liberaverit; quod eos, qui procul erant, prope fecerit; quod eos qui spem non haberent et athei erant in mundo, fratres suos et coheredes constituerit. Pro his et similibus gratias agentes, sic accedimus. Quomodo non contraria facitis, inquies, o Corinthii, Deo quidem benedicentes, quod vos ab idolis liberaverit, dum rursus ad illorum mensas accurritis? *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Valde fideliter dixit et terribiliter : hoc enim vult significare; Hoc quod in calice est, illud ipsum est, quod ex latere fluxit, et illius sumus participes. Calicem autem benedictionis vocavit, quia illum præmanibus habentes, sic ipsum celebramus, admirantes, terrore perculsi de ineffabili dono, benedicentes quod ipsum effuderit, ut ne in errore maneremus; et non solum effuderit, sed etiam eum ipsum nobis omnibus impertierit. Itaque si sanguinem cupis, inquit, ne idolorum aram brutorum cæde, sed altare meum sanguine meo cruenta. Quid hac re horribilius? quid, quæso, amabilius?

2. Hoc et amatores faciunt. Cum vident eos quos amant aliena concupiscentes et sua despicientes, sua dantes persuadent abscedere ab iis quæ illorum sunt. Sed qui amant, in pecuniis et vestibus et possessionibus hanc exhibent liberalitatem; in sanguine autem nullus umquam : Christus vero in hoc curam suam ostendit et ardentem erga nos caritatem. Et in veteri quidem lege, quia imperfectiores erant, quem idolis offerebant sanguinem, eum ipse excipere sustinuit, ut ab illis abduceret; quod ipsum rursus erat amoris ineffabilis : hic autem in rem horribiliorem et magnificentiorem sacerdotalem transtulit operationem, ipso mutato sacrificio, et pro brutorum mactatione seipsum jussit offerri. *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Cur non dixit, Participatio? Quia voluit quid amplius significare, et magnam indicare conjunctionem. Non enim cum participamus tantum et sumimus, sed etiam cum conjungimur communicamus. Quemadmodum enim corpus illud Christo jungitur : ita et nos per panem hunc unimur. Cur autem addidit, *Quem frangimus?* hoc enim in eucharistia fieri videre est; in cruce vero non item, imo contrarium : ait enim, *Os non comminuetur* (*Num.* 9. 12; *Exod.* 12. 46). Sed quod non passus est in cruce, hoc propter te patitur in oblatione, et frangi patitur ut omnes impleat. Deinde quia dixit, *Communicatio corporis*, quod autem communicat, aliud est ab eo cui communicat; hanc etiam, quæ parva videbatur esse, differentiam sustulit. Cum dixisset enim, *Communicatio corporis*, quæsivit rursum aliquid propinquius dicere; ideo subjunxit : 17. *Quoniam unus panis et unum corpus multi sumus.* Quid enim, inquit, dico communicationem? illud ipsum corpus sumus. Quid est enim panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt communicantes? Corpus Christi; non corpora multa, sed unum corpus. Sicut enim panis ex multis granis constans, unitus est, ita ut grana nusquam appareant; sed sint quidem ipsa, non manifesta autem sit illorum differentia propter conjunctionem : sic nos et mutuo et cum Christo conjungimur. Non enim ex altero corpore hic, ex altero ille nutritur, sed ex eodem ipse omnes : ideoque adjecit, *Omnes enim ex uno pane participamus.* Si autem ex eodem, et idipsum efficimur omnes, cur non eamdem caritatem exhibemus, et ea ratione unum efficimur? Nam olim majorum nostrorum tempore hoc erat : *Multitudinis* enim *credentium*, inquit, *cor unum et anima una erat* (*Act.* 4. 32). At non nunc, imo totum contrarium : multa et varia sunt inter omnes bella, et feris sævius affecti sumus alter in alterius membra. Et Christus quidem te, etsi tantum ab ipso disjunctum, uni

vit : tu vero ne fratri quidem jungi dignaris cum debita accuratione, sed abscindis te, tantam a Domino et caritatem et vitam consequutus. Neque enim solummodo corpus suum dedit ; sed quia prior carnis natura ex terra formata, a peccato prius morte affecta et amissa vita aliam, ut quis dixerit, massam et fermentum induxit ; carnem suam, quæ natura eadem erat, peccato autem liberam et vita plenam, omnibus participandam dedit, ut ea nutriti et deposita priore quæ mortua erat, in vitam immortalem per hanc mensam coaptaremur. 18. *Videte Israel secundum carnem ; nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris ?* Rursus ex veteri lege ad idem inducit. Quia enim longe imbecilliores erant quam ut dictorum magnitudinem caperent, a prioribus et assuetis illis persuadet. Et apposite ait, *Secundum carnem*, quod ipsi essent secundum spiritum. Hoc autem vult significare : Etiam a crassioribus docemini, quod qui hostias comedunt, participes sint altaris. Viden' quomodo ostendat eos, qui viderentur esse perfecti, non habere perfectam cognitionem, si ne hoc quidem scirent, quod ex his sæpe communicatio quædam multis sit et amicitia cum dæmonibus, consuetudine paulatim ipsos attrahente ? Si enim apud homines salis et mensæ conjunctio, amicitiæ occasio et symbolum est, idipsum et in dæmonibus contingere potest. Tu vero mihi perpende quomodo de Judæis quidem non dixerit, quod cum Deo communicent, sed, *Quod participes altaris sunt ;* urebatur enim quod superpositum erat : in corpore autem Christi non sic ; sed quomodo ? *Communicatio corporis Domini est.* Non enim altaris, sed ipsius Christi participes efficimur. Cum autem dixisset, *Participes sunt altaris*, deinde timens ne videretur de idolis loqui, ac si potestatem quamdam haberent et nocere possent ; vide quomodo hoc de medio tollat, rursum dicens : 19. *Quid ergo dico ? quod idolum sit aliquid, aut idolis immolatum sit aliquid ?*

3. Hæc autem dico, inquit, et de medio tollo, non quod possint idola in aliquo nocere aut aliquam vim habeant ; nihil sunt enim ; sed volo vos ea despicere. Et si vis, inquies, nos ea despicere, cur cum studio nos ab illis abducis ? Quia non offeruntur Domino tuo. 20. *Quæ enim immolant gentes*, inquit, *dæmoniis immolant, et non Deo.* Ne curratis ergo ad contraria. Neque enim, si regis filius esses, deinde mensa fruens paterna, illa relicta, damnatorum et vinctorum in carcere mensæ consors esse velles, id pater permitteret ; imo cum vehementia magna te abduceret, non quod mensa te videre posset, sed quod ea nobilitatem tuam et mensam regiam dedecoraret. Sunt enim hi quoque servi celesti, infames, damnati, vincti, intolerabili supplicio reservati, malis obnoxii innumeris. Quomodo ergo non erubescis more helluonum et illiberalium, um damnati illi mensam apponunt, illuc accurrere et ppositorum particeps esse ? Ideo te abduco : nam mmolantium scopus et accipientium persona, appota reddunt impura. *Nolo autem vos socios fieri dæoniorum.* Vidistin' amicitiam patris curam gerentis ? vidistin' dictum ipsum quod affectum cum emphasi exhibeat ? Nihil enim cum illis commune vos habere volo, inquit. Deinde quia adhortationis modo sermonem induxerat, ne quis ex crassioribus id contemneret, quasi potestatem habens, quia dixerat, *Nolo ;* et, *Vos judicate*, sententiam et legem postea statuit dicens : *Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum ;* 21. *non potestis mensæ Domini esse participes et mensæ dæmoniorum.* Solis verbis est contentus ut abducat. Deinde pudorem incutiens : 22. *An æmulamur Dominum ? numquid fortiores illo sumus ?* Id est, tentamus eum num possit nos punire, et irritamus eum ad adversarios deficientes, et cum inimicis ejus in acie stantes ? Hoc autem dixit, in memoriam illis revocans veterem historiam, et patrum transgressionem. Ideo hac usus est voce, qua adversus Judæos Moyses olim usus est, accusans eos de idololatria ex persona Dei : *Ipsi* enim, inquit, *provocaverunt me in eo qui non erat Deus, irritaverunt me in idolis suis* (*Deut.* 32. 21). *Num illo fortiores sumus ?* Vidistin' quam terribiliter et horribiliter ipsos increpavit, ipsos eorum nervos concutiens, ea re in absurditatem adducta, illos valde perstringens, illorumque tumorem deprimens ? Et cur, inquies, hæc ab initio non posuit, quæ illos maxime abduxissent ? Quia mos est illi pluribus ea quæ vult probare, et fortiora ultima ponere, atque ex vi magna vincere. Ideo a minoribus orsus, ad caput malorum venit. Sic et hoc magis acceptum fuit, prioribus delinito illorum animo. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt :* 23. *omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.* 24. *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius unusquisque.* Viden' accuratam prudentiam ? Quia enim verisimile erat illos dicere : Perfectus sum et mei juris, et nihil læsus apposita degusto : Etiam, inquit, perfectus es et tui juris ; sed ne illud attendas, sed num illud damnum afferat, num eversionem. Nam utrumque dixit, *Non omnia conferunt, non omnia ædificant*, et aliud pro seipso, aliud pro fratre posuit. Nam dicere, *Non expedit*, est suam perniciem subindicantis : dicere autem, *Non ædificat*, fratris scandalum subindicat. Ideo subjunxit : *Nemo quod suum est quærat ;* quod ubique et per totam confirmat epistolam, et in Epistola ad Romanos cum dicit : *Etenim Christus non sibi ipsi placuit* (*Rom.* 15. 3). et rursum, *Sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens meam utilitatem* (1. *Cor.* 10. 33) ; et hic rursum ; non tamen illud hic excutit. Quia enim superius illud pluribus probaverat et demonstraverat, quod nusquam ea quæ sua sunt quærat, sed quod Judæis tamquam Judæus factus sit, et illis qui sunt sine lege tamquam sine lege, et quod libertate potestateque sua non temere sit usus, sed ad id quod omnibus utile esset, serviens omnibus ; paucis contentus verbis huc desiit, per hæc pauca illis in memoriam revocans omnia quæ dicta sunt. Hæc ergo nos quoque cum sciamus, dilecti, fratribus prospiciamus, et unitatem cum illis servemus. In hoc enim nos inducit sacrificium illud horrendum et tremendum, jubens nos cum concordia maxime illo ac-

cedere et cum caritate ferventi, et inde aquilas effectos, ita ad ipsum advolare cælum. *Ubi* enim erit *cadaver*, inquit, *ibi et aquilæ* (*Matth.* 24. 28); cadaver corpus mortuum vocans. Nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexissemus. Aquilas autem vocat ostendens sublimem esse oportere illum qui ad hoc corpus accedit, et nihil cum terra commune habere, neque deorsum trahi ac serpere, sed assidue semper sursum volare, et ad solem justitiæ respicere, et mentis oculum acutum habere : aquilarum enim, non graculorum hæc est mensa. Ipsi tunc occurrent descendenti de cælis, qui nunc digne percipiunt, ut qui indigne extrema patientur.

4. *Corporis Christi sanctitas et virtus.* — Si enim regem quis non utcumque nec perfunctorie acceperit : quid regem dico ? ne vestem quidem regiam quis impuris manibus tetigerit, etiamsi in solitudine sit, etiamsi solus et nemo adsit : atqui nihil aliud est vestis quam stamen vermium. Si vero tincturam miraris, et ipsa quoque mortui piscis sanguis est ; nemo tamen ausus fuerit illam sordidis contrectare manibus. Si autem humanum vestimentum nemo ausus fuerit temere tangere ; quomodo corpus universorum Dei immaculatum et purum, quod cum divina illa natura versatum est, per quod sumus et vivimus, per quod portæ mortis fractæ sunt et fornices cæli aperti sunt, cum tanta contumelia accipiemus ? Ne, quæso, ne nos ipsos jugulemus per impudentiam ; sed cum horrore et puritate omni ad ipsum accedamus ; et cum ipsum videris propositum, tibi ipsi dic : Propter hoc corpus non sum ego amplius terra et cinis, non ultra captivus, sed liber : ideo cælos spero et bona illic reposita me acceptorum esse, immortalem vitam, angelorum sortem, cum Christo consuetudinem : hoc corpus clavis confixum, flagris cæsum, mors non tulit, hoc corpus sol cum crucifixum videret, radios avertit : ideo tunc velum scissum est, petræ ruptæ sunt, et universa terra concutiebatur : hoc est illud corpus, quod cruentatum fuit, lancea perfossum, quod salutares fontes scaturivit orbi, alium sanguinis, alium aquæ. Vis aliunde ejus vim discere ? Interroga mulierem sanguinis fluxu laborantem, quæ non ipsum, sed ejus vestimentum, imo non totum, sed fimbriam tetigit : interroga mare quod dorso suo ipsum gestavit : interroga et ipsum diabolum, et dic ; Unde habes plagam illam insanabilem ? unde fit ut nihil jam possis ? undenam captus es ? a quo detentus fuisti dum fugeres ? et nihil aliud dicet, quam corpus crucifixum. Per hoc stimuli ejus confracti sunt, per hoc corpus ejus contritum, per hoc principatus et potestates traductæ sunt : *Spolians* enim, inquit, *principatus et potestates, traduxit confidenter, triumphans de illis in semetipso* (*Col.* 2. 15). Interroga mortem, et dic : Undenam sublatus est stimulus tuus ? undenam soluta est tua victoria ? undenam præcisi sunt nervi tui, et puellis infantibusque facta es ridicula, quæ tyrannis et justis omnibus antehac formidabilis eras ? et huic corpori causam adscribet. Cum enim crucifigebatur, tunc mortui resurrexerunt, tunc carcer ille ruptus est et portæ æreæ confractæ sunt, et mortui emissi sunt, et janitores inferni omnes obstupefacti sunt. Atqui si fuisset unus ex multis, contrarium accidere oportebat, mortem fuisse potentiorem, sed non fuit : non enim erat unus ex multis ; ideo illa soluta fuit. Et sicut ii qui alimentum accipiunt, quod retinere non possint, etiam quæ prius percepta fuerant propter illud evomunt : ita etiam accidit in morte. Corpus, quod ipsa non poterat conficere, accipiens, illa quoque rejecit quæ intus retinebat : cum illud intus haberet, parturiebat et premebatur, donec ipsum evomuit. Ideo ait apostolus : *Solutis doloribus mortis* (*Act.* 2. 24). Nulla enim mulier prægnans parturiensque tanto labore premitur, quanto illa corpus habens Dominicum dilacerabatur. Et quod in Babylonico dracone accidit, cum accepto cibo medius diruptus est, hoc et isti evenit. Non enim Christus per os mortis egressus est, sed ipso medio draconis ventre diruptо et dissecto, sic ex penetralibus prodiit, cum splendore multo, radiosque emittens, non usque ad hoc cælum, sed usque ad ipsum supernum solium : nam illuc quoque ipsum adduxit. Hoc corpus dedit nobis et tenendum et comedendum, quod intensæ dilectionis fuit. Eos enim quos ardenter amamus, etiam sæpe mordemus. Ideo Job amorem famulorum, qui circa illum erant ostendens dicebat, illos ipsum vehementer amantes dixisse : *Quis nobis det de carnibus suis ut impleamur* (*Job.* 31. 31)? Sic et Christus dedit nobis carnes suas ut impleamur, ad majorem nos amicitiam attrahens.

5. Accedamus igitur cum fervore ad illum, et cum ardenti caritate, et ne subeamus supplicium. Quanto enim majora beneficia acceperimus, tanto magis puniemur, cum beneficiis indigni apparebimus. Hoc etiam corpus in præsepi jacens reveriti sunt magi. Et viri impii ac barbari patria domoque relicta, viam emensi sunt longam, et venientes cum timore et tremore multo ipsum adoraverunt. Imitemur ergo saltem barbaros, nos cælorum cives. Illi namque in præsepe respicientes et in tugurio, et nihil eorum respicientes, quæ tu nunc vides, cum tremore multo accesserunt : tu vero non in præsepe respicis, sed in altare ; non mulierem tenentem, sed sacerdotem adstantem, et Spiritum cum ubertate magna in proposita supervolantem. Non simpliciter hoc ipsum corpus vides, ut illi, sed nosti ipsius et virtutem et dispensationem omnem, et nihil ignoras eorum quæ per ipsum perfecta sunt, cum omnia initiatus accurate didiceris. Excitemus itaque nos ipsos et horreamus, et multo majorem quam barbari illi pietatem exhibeamus, ut non temere et inconsiderate accedentes, ignem in caput nostrum congeramus. Hæc autem dico, non ut ne accedamus ; sed ne temere accedamus. Sicut enim temere accedere, periculum est : sic his mysticis cœnis non communicare, fames est et mors. Hæc enim mensa nervi animæ nostræ, mentis vinculum, fiduciæ causa, spes, salus, lux vita est. Si cum hoc sacrificio illo abierimus, cum

fiducia sacra illa vestibula adibimus, quasi quibusdam aureis armis instructi undique. Ecquid futura dico? Hic enim tibi terram cælum facit hoc mysterium. Aperi ergo cæli portas et perspice; imo potius non cæli, sed cæli cælorum, et tunc videbis illud quod dictum est. Quod enim illic omnium pretiosissimum est; hoc tibi in terra jacens monstrabo. Sicut enim in regia quod omnium magnificentissimum est, non muri sunt, non tectum aureum, sed regium corpus in solio sedens: sic et in cælis regium corpus. Sed hoc nunc tibi licet in terra videre. Non enim angelos, non archangelos, non cælos et cælos cælorum, sed ipsum tibi horum Dominum ostendo. Vidistiu' quomodo id, quod omnium pretiosissimum est, in terra respicias? neque vides tantum, sed et tangis; nec tangis tantum, sed etiam comedis, et eo accepto domum reverteris. Absterge igitur animam, præpara mentem ad horum mysteriorum perceptionem. Etenim si regis filius cum ornatu, purpura et diademate concreditus tibi esset gestandus, omnia quæ sunt in terra abjecisses. Nunc autem non filium regis, sed ipsum Dei Filium unigenitum accipiens, non exhorrescis, dic mihi, et non omnem sæcularium rerum amorem abjicis, neque illo tantum ornatu gloriaris; sed adhuc in terram respicis, pecunias amas et auro inhias? ecquam habiturus es veniam? quam excusationem? Non vides quantum sæcularem omnem magnificentiam aversetur Dominus? nonne ideo cum natus esset, in præsepi positus est, et matrem accepit vilis conditionis? nonne ideo dicebat ei, qui ad cauponam respiciebat: *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* (*Matth.* 8. 20)? Quid vero discipuli? nonne eamdem servabant legem, in pauperum domos diversantes, alius quidem apud sutorem, alius apud tabernaculorum opificem et apud purpurariam? non enim domus splendorem, sed animarum virtutes quærebant. Hos itaque et nos imitetur: pulchritudinem columnarum et marmorum prætercurrentes, superas vero mansiones quærentes; et omnem fastum humanum calcemus cum pecuniarum cupiditate, altumque sensum assumamus. Si enim sapienter attendamus, neque mundus hic nobis dignus est, nedum porticus et ambulacra. Quamobrem, rogo, animam nostram ornemus, hanc domum apparemus, qua etiam accepta hinc migrabimus, ut æterna bona consequamur, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XXV.

Cap. 10. v. 25. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.*

1. Cum dixisset impossibile esse calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum, et penitus abduxisset a mensis illis, ab exemplis Judaicis, a ratiociniis humanis, a mysteriis horrendis, ab iis quæ peraguntur in idolis [1], et cum ingentem metum incussisset; ne tali metu illos ad aliud extremum impelleret, et majori quam par esset utentes curiositate cogerentur timere, ne ipsis ignorantibus aliquid tale invecheretur aut ex foro aut aliunde, ipsos a tali necessitate eripiens ait: *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes.* Si enim ignorans, inquit, comederis et nesciens, non es obnoxius supplicio; nam ignorantiæ deinceps res est, non inglu vici. Neque ab hac tantum illos formidine liberat, sed ab alia quoque, multam illis libertatem securitatemque apparans: neque enim dijudicare permittit sive examinare et sciscitari, an idolothytum sit an non; sed indiscriminatim comedere quidquid ex foro affertur, neque discere quid sit id quod apponitur: unde fit ut qui ignorans comederit liberetur. Talia enim sunt quæ natura non sunt mala, sed ex cogitatione quid immundum faciunt. Propterea dicit, *Nihil interrogantes.* 26. Nam *Domini est terra et plenitudo ejus*, non dæmoniorum. Quod si terra, fructus, et bruta ejus omnia, nihil habent immundum: sed alio modo immundum efficitur ex cogitatione et ex inobedientia: ideo non modo permisit, sed etiam, 27. *Si quis*, inquit, *vos vocat infidelium, et vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Vide rursus moderationem: neque enim jussit vel præcepit abire, sed neque prohibuit: abscedentes rursus ab omni suspicione liberat. Quare? Ne videretur a metu aut formidine esse tanta accuratio. Nam qui curiose inquirit, quasi timens hoc facit: qui autem postquam audivit abstinet, quasi despiciens et odio habens et aversans, abstinet. Ideo Paulus utrumque confirmare volens, ait: *Omne quod vobis apponitur manducate.* 28. *Si quis autem vobis dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui indicavit.* Neque enim tamquam a vim aliquam habentibus, sed tamquam ab exsecrandis jubet abstinere. Neque igitur ab iis ut quæ nocere possint fugite; nullam quippe vim habent; neque quia nullam vim habent, indiscriminatim percipiatis: hostium enim et inhonoratorum mensa est. Ideo dicebat, *Nolite comedere propter illum qui indicavit, et propter conscientiam. Domini enim est terra et plenitudo ejus.* Viden' quomodo et cum comedere jubet, et cum abstinere, idem testimonium in medium adducat? Neque enim ideo prohibeo, inquit, quasi aliena sint; nam Domini est terra; sed propter id quod dicebam, propter conscientiam; id est, ne lædaris. Oportet ergo curiose inquirere? Non, inquit: neque enim tuam dixi conscientiam, sed illius. Prius enim dixi, *Propter illum qui indicavit;* et rursus: 29. *Conscientiam dico non tuam, sed alterius.* Sed forte dixerit quispiam: Fratribus merito parcis, et non sinis nos gustare propter illos; ne eorum conscientia cum sit infirma, inducatur ad comedendum ea, quæ idolis sunt immolata: si vero gentilis quispiam fuerit, quid tibi curæ est? nonne tu dicebas, *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?*

[1] Savilius legendum putat, *in templis idolorum*, et hæc videtur vera lectio. Sed reclamant Editi et Mss.

(1. *Cor.* 5. 12)? cur ergo rursus de illis curam geris? Non illius, inquit, sed etiam hic tui curam gero. Ideo subjunxit : *Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia?* libertatem dicens, quod non observetur neque prohibeatur : hoc enim libertas est, a Judaica servitute liberata. Hoc autem vult significare : liberum me fecit Deus, et omni documento superiorem; sed nescit gentilis de mea judicare philosophia, neque Domini mei liberalitatem perspicere, sed condemnabit et apud se dicet : Fabulæ sunt res Christianorum : abstinent ab idolis, fugiunt dæmonas, et hærent iis quæ illis offeruntur : viget apud illos gula. Et quid tum, inquies? quid nobis damni, si ille male judicet? Quanto autem melius non illi occasionem dare ut judicet? si enim abstineas, ne hæc quidem dicet. Quomodo, inquies, non dicet? cum enim viderit me hæc non examinare, non in macello, non in convivio, quomodo non dicet neque damnabit, ut qui indiscriminatim horum particeps sim? Nequaquam : neque enim hæc tamquam idolis immolata comedis, sed tamquam munda : si autem non curiose inquiris, hoc facis ut ostendas te apposita non timere. Propterea sive in domum Græcorum ingrediaris, sive in forum veneris, non permitto te sciscitari, ne strepitum timeas, vel impliceris, neve percellaris, neve tibi superflua præbeas negotia. 30. *Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago?* Cujus, quæso te, particeps es? Dei donorum : ejus enim gratia tanta est, ut animam meam reddat impollutam et omni macula superiorem. Quemadmodum enim sol radios immittens in multas maculas, rursus illos recolligit mundos : ita et nos, et multo magis in medio mundi versantes, puri manemus, si velimus, quo etiam vim habemus majorem.

2. Cur ergo, inquit, abstines? Non quasi futurus sim immundus, absit; sed propter fratrem, et ne sim socius dæmoniorum, neve judicer ab infideli. Hic enim non amplius natura, sed inobedientia, et amicitia erga dæmonas, me facit immundum, et liberum arbitrium maculas operatur. Quid sibi vult autem illud : *Quid blasphemor pro eo quod gratias ago?* Ego enim, inquit, gratias ago Deo, quod me ita sublimem fecerit, et humilitate Judaica superiorem, ita ut nulla ex parte lædar : gentiles autem meam ignorantes philosophiam, contraria suspicabuntur et dicent : Christiani nostra appetunt, et sunt hypocritæ; nam cum dæmones vituperent et aversentur, ad mensas eorum accurrunt; quo quid insanius esse possit? non ergo veritatis causa, sed ambitionis et principatus amoris ad hoc dogma se contulerunt. Quantæ ergo insaniæ fuerit, si pro illis quibus affectus sum beneficiis tantis, ut de illis gratias agam, blasphemiæ causa fuerim? At hæc quoque nunc dicet Græcus, inquies, cum viderit me non curiose inquirere? Nequaquam : neque enim omnia plena sunt idolothytis, ut hoc suspiceris, neque tu illa ut idolothyta degustas. Noli ergo curiose indagare supervacanea; neque rursus, si aliqui dicant, Idolis immolatum est, ejus sis particeps. Nam gratiam tibi Christus dedit, sublimemque te fecit atque huic damno superiorem, non ut male audias, neque ut, unde tantum lucratus es ut gratias ageres, inde ita alios lædas ut blasphement. Cur enim, inquit, non dico Græco, Rodo et nihil lædor, neque quasi dæmonum amicus hoc facio? Quia non potest persuadere, etiamsi millies dicas : infirmus namque est et inimicus. Si enim fratri nondum persuasisti, multo minus inimico et Græco persuadebis. Si ille per conscientiam idolis immolati retinetur, multo magis infidelis. Quid autem nobis tam multis opus est negotiis? Quid ergo, quia Christum novimus et gratias agimus, illi autem blasphemant, ideo ab hoc abstinebimus? Apage : non enim par res est : illic enim lucrum magnum est, quod blasphemiam feramus, hic autem nihil erit lucri. Ideo prius dicebat : *Neque enim si manducamus, abundamus; neque si non manducamus, deficimus* (1. *Cor.* 8. 8). Præter hæc autem rem esse fugiendam pronuntiavit, ita ut alia etiam ratione abstinere oporteat, non ideo tantum, sed ob alias quas dixit causas. 31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Vidistin' quomodo a re proposita ad id quod universale est adhortationem deduxerit, una pulcherrima nobis data definitione, ut Deus per omnia glorificetur? 32. *Sine offensione estote Judæis et gentibus et Ecclesiæ Dei.* Id est, nullam cuiquam detis ansam. Nam frater offenditur, Judæus magis te odio habebit teque damnabit, gentilis similiter tamquam helluonem irridebit et hypocritam. Non modo fratres offendere non oportet, sed, quantum fieri potest, ne externos quidem. Si enim lux sumus et fermentum et luminaria et sal, illuminare, non tenebris offundere oportet; stringere, non dissolvere; ad nos infideles attrahere, non fugare. Quid ergo persequeris eos, quos attrahere oportet? Etenim Græci offenduntur cum nos vident ad talia revertentes : mentem enim nostram non norunt, neque quod anima nostra sit sublimior omnique sensibili macula superior. Judæi vero et infirmiores fratres eadem ipsa patientur. Viden' quantas posuerit causas, ob quas oporteat ab iis quæ idolis immolata sunt abstinere? propter inutilitatem, propter superfluitatem, ob damnum fratris, ob Judæi blasphemiam, ob Græci maledictum; quod non oporteat cum dæmonibus communicare, quod ea res idololatriæ quædam sit. Deinde quia dixit, *Sine offensione estote*, et obnoxios illos fecit et gentilium et Judæorum damnis, atque illud grave molestumque erat; vide quomodo illud acceptabile et leve faciat, sese medium ponens ac dicens : 33. *Sicut et ego per omnia omnibus placeo; non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* (*Cap.* 11) 1. *Imitatores mei estote, sicut ego Christi.*

3. Hoc est regula perfectissimi Christianismi, hoc accurata definitio, hoc summum fastigium, quæ in commune conferunt quærere : quod et ipse declarans subjunxit, *Sicut et ego Christi.* Nihil enim ita potest imitatorem Christi facere, ut curam proximi gerere. Sed etiamsi jejunaveris, humi cubueris, si te, ut ita

dicam, strangulaveris, proximi autem curam non geras, nihil magni fecisti, sed adhuc longe abes ab hac imagine hæc faciens. Atqui hic quidem ipsa quoque res natura sua est utilis, abstinere ab iis quæ sunt idolis immolata : ego autem plurima feci, inquit, ex iis quæ per se non sunt utilia, nempe quando circumcidi, quando sacrificavi. Hæc enim quando per se examinantur, et perdunt eos qui id faciunt, et efficiunt ut a salute excidant : attamen sustinui illa ob lucrum inde proveniens. Hic autem nihil simile. Illic enim nisi adsit utilitas, et nisi aliis prosit, tunc res damnosa est : hic vero, etiamsi nemo offendatur, oportet tamen a prohibitis abstinere. Non solum autem noxia, sed etiam laboriosa pertuli. *Alias* enim *Ecclesias depopulatus sum*, inquit, *accepto stipendio*, et cum comedere liceret et non operari, hoc non quæsivi, sed malui fame perire potius, quam alteri offendiculo esse. Ideo ait : *Per omnia omnibus placeo* (2. *Cor.* 11. 8). Sive rem legibus adversam, sive laboriosam, sive periculosam oporteat facere, omnia in aliorum utilitatem sustineo. Cum ergo omnibus superior esset quantum ad accuratam vitæ rationem, omnibus inferior erat per attemperationem.

Præclarum nihil est, nisi aliis sit utile.—Nam nullum præclare gestum ita magnum esse possit, nisi utilitatem ad alios transmiserit : idque palam est ex illo, qui talentum integrum retulit, et dissectus est quoniam illud non multiplicavit. Et tu ergo, frater, etiamsi abstineas a cibo, etiamsi humi cubes, etiamsi cinerem comedas, semperque lamenteris, si nihil alium juves, nihil magnum operaris. Etenim illis in principio viris magnis et præclaris hoc maxime curæ erat : eorum vitam accurate scrutare, et clare videbis eorum neminem sua spectasse, sed singulos ea quæ proximi erant ; unde etiam magis resplenduerunt. Nam et a Moyse multa et magna patrata sunt miracula et signa ; sed nihil illum tam magnum fecit, ut beata illa vox quam ad Deum emisit, dicens : *Si autem dimittis illis peccatum, dimitte ; sin minus et me quoque dele* (*Exod.* 32. 32). Talis quoque David erat; ideoque dicebat : *Ego pastor peccavi, et ego malefeci, et isti qui sunt grex quid fecerunt ? Sit manus tua super me et super domum patris mei* (2. *Reg.* 24. 17). Sic Abraham non id, quod sibi competeret, quærebat, sed quod multis. Ideoque periculis sese exponebat, Deumque rogabat pro iis, qui ad ipsum nihil attinebant. Et hi quidem ita claruerunt. Qui vero ea quæ sua essent quærebant, vide quantum damni acceperint. Ejus certe fratris filius, cum audisset : *Si tu ad dexteram, ego ad sinistram* (*Gen.* 13. 9) ; et optasset quod sibi utile erat quæsivit, neque quod suum erat invenit; sed hæc quidem regio tota conflagravit, illa autem mansit illæsa. Jonas rursum cum non quæsisset id quod multis, sed quod sibi conducebat, in periculum exitii venit : et urbs quidem stabat, ipse vero agitatus fluctibus et demersus fuit. Cum autem id quod multis utile erat quæsivit, tunc quod suum erat invenit. Sic et Jacob in gregibus cum non lucrum proprium quæsivisset, magnas opes est assequutus. Et Joseph cum fratrum commodum quæsivisset, suum invenit. Missus enim a patre, non dixit, Quid hoc est? non audisti quod pro visu et somniis me discerpere conati sint, et pro somniis in crimen vocatus sim, et quod a te diligar pœnas dederim? quid ergo non facturi sunt, si me in medio tenuerint? Nihil horum dixit, nec cogitavit, sed fratrum curam omnibus prætulit. Ideoque omnia quæ post illa obtigerunt assequutus est bona, quæ etiam illum valde clarum fecerunt et gloriosum. Sic et Moyses ; nihil enim impedit quominus illum secundo memoremus, et videamus quomodo sua despexerit, et aliis bona conferre quæsierit. Ille namque in regia versans, quia majores divitias esse putabat opprobrium; quam Ægypti thesauros, projectis omnibus quæ præ manibus habebat, malorum socius cum Hebræis fuit, nec modo ipse non in servitutem redactus est, sed etiam illos a servitute liberavit. Magna quidem hæc sunt, et angelico digna instituto.

4. At quod Paulum spectat, longe excellentius est. Alii enim omnes suis relictis bonis, proximi malorum socii esse voluerunt : Paulus vero rem longe majorem fecit. Non enim alienarum calamitatum particeps esse voluit, sed id elegit, ut ipse in extremis esset, ut alii in bonis degerent. Nec par res est in deliciis versantem delicias respuere, et affligi ; et solum affligi et vexari, ut alii in securitate et honore versentur. Hic enim etsi magnum est mala bonis commutare propter proximum, aliquam tamen consolationem affert, rerum adversarum socios habere, se autem velle solum esse in rebus asperis, ut alii bonis fruantur; hoc est longe generosioris animi et Pauli.

Pauli magnitudo animi. — Non hinc autem tantum, sed ex sublimi ratione alia jam memoratos omnes longe ille superat. Nam Abraham quidem et cæteri omnes sese iis objecere periculis tantum, quæ sunt in præsenti vita, et omnes illi hanc semel expetebant mortem : Paulus vero a futura gloria excidere rogabat, pro aliorum salute. Possum et tertiam dicere superiorem excellentiam. Quam illam ? Quod aliqui eorum, etsi curam gerebant eorum qui sibi struxerant insidias, eorum tamen curam gerebant qui sibi traditi fuerant gubernandi : atque idipsum contingebat, ac si quis curam gereret filii quidem pravi et scelesti, sed tamen filii. Paulus vero pro his volebat anathema esse, qui ejus curæ non crediti fuerant : in gentes enim missus erat. Vidistin', animi magnitudinem, et sublimitatem ipsum cælum superantem ? Hunc imitare : si vero non potes, saltem eos qui in Veteri Testamento fulserunt. Sic enim quod tibi utile erit invenies, si proximi utilitati advigiles. Itaque cum segnis eris ad fratris curam gerendam, cogitans te non alio posse modo salutem consequi, propter te saltem illum et res ejus cura. Sufficiunt ea quæ dicta sunt, ut nobis persuadeant non posse nos alio modo ea quæ nobis conducunt invenire. Quod si velis ex consuetis exemplis hoc ediscere : si contigerit alicubi domum igne conflagrare ; deinde aliqui ex vicinis suis prospicientes,

non se apparent adversus pericula, sed clausis ostiis domi maneant, metuentes ne quis ingressus aliquid furetur; quantum illi subibunt supplicium? Progressus enim ignis omnia illorum bona comburet; et quoniam proximi utilitatem non curavere, sua quoque perdent. Deus enim volens omnes inter se colligare, tantam rebus imposuit necessitatem, ut cum proximi utilitate alterius utilitas colligetur: et ita consistit mundus totus. Ideo in navi quoque, si ingruente tempestate gubernator, rejecta multorum utilitate, suam ipse tantum quærat, et seipsum et alios cito submerget. Et in singulis artibus, si unaquæque quod sibi conducat tantum quæsierit, vita numquam constiterit, neque ars quæ hoc quærit. Ideo agricola non modo tantum frumenti serit quantum sibi satis sit; alioquin enim jam diu et se et alios perdidisset; sed id quærit quod conferat multis: et miles non ut se tueatur tantum adversus pericula stat in acie, sed ut civitates in tuto collocet: et mercator non tantum transvehit, quantum sibi soli satis sit, sed quantum et multis aliis. Si quis vero dixerit, Non meum, sed suum quisque curans hoc facit; nam et pecunias sibi et gloriam et securitatem apparans, hæc omnia operatur: quare meam quærens utilitatem, suam quærit: hoc et ego dico, et jam olim audire volebam, et ejus rei causa totam orationem instituî, ut ostenderem tunc proximum suam utilitatem quærere, cum tuam spectat. Quia enim non aliter homines vellent quæ sunt proximi quærere, nisi in hanc inducerentur necessitatem; ideo Deus hæc ita colligavit, et non sinit prius ad utilitatem propriam venire, quam per ea quæ aliis conducant iter habeatur. Hoc certe humanum est, ita ad proximi utilitatem se conferre. Oportet autem non inde, sed a Dei placito persuaderi. Neque enim salvus esse possit qui hoc non habet; sed etiamsi summam philosophiam exerceas, et cætera pereuntia non cures, nullam habebis apud Deum fiduciam. Undenam hoc constat? Ex iis quæ beatus Paulus pronuntiavit: *Si enim omnes meas facultates distribuero in cibos pauperum, et si tradidero corpus meum ut ardeat, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (1. *Cor.* 13. 3), inquit. Viden' quantum Paulus exigat a nobis? quamquam is qui cibos distribuit, non sua, sed quæ proximi sunt, quærat. Sed hoc solum non sufficit, inquit: nam illud admodum sincere vult præstari, et cum magna commiseratione. Ideo enim hoc Deus præcepit, ut ad vinculum caritatis adduceret. Cum ergo ille tantam exigat mensuram, nos vero neque quod minus est præbeamus, qua digni erimus venia? Et quomodo, inquies, dicebat Deus Loto per angelos, *Servans serva animam tuam* (*Gen.* 19. 22)? die quando et quare. Quando inferebatur supplicium, non quando oportebat corrigi, sed quando damnati erant et incurabili morbo laborabant, ac senes juvenesque in eosdem insilierant amores, ac demum comburi illos oportebat. et in illa die, cum fulmina immittenda erant. Alioquin autem non de vitio et virtute hæc dicta sunt, sed de plaga divinitus immissa. Quid enim, quæso te, faciendum erat? an sedere oportebat et supplicium accipere, et sine aliqua illorum utilitate comburi? At hoc extremæ dementiæ fuisset. Neque enim hoc ego dico, quod frustra et incassum oporteat supplicium subire, præter Dei placitum: sed quando homo in nequitia versatur, tunc jubeo te in medium injicere et illum curare; propter proximi utilitatem, si quidem velis; sin minus, saltem propter tuam. Illud porro melius est: quod si non ad hanc sublimitatem attigeris, saltem tui causa facias. Et nemo quod suum est quærat, ut quod suum est inveniat: et cogitantes, neque facultatum abdicationem, neque martyrium, neque aliud quidpiam nobis patrocinari posse, nisi summam caritatem habeamus, hanc præ aliis servemus, ut per illam alia consequamur et præsentia et promissa bona: quæ utinam nos omnes adipiscamur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVI.

Cap. 11. v. 2. *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis traditiones, ita tenetis.*

1. Cum absolvisset orationem de iis quæ immolata sunt idolis, ut se facere decebat, et eam perfectissimam fecisset, transit ad aliud, quod et ipsum crimen erat, sed non tantum. Nam, ut jam dixi, nunc quoque dicam, ipsum non continenter ponere vehementiores accusationes; sed ipsis congruenti ordine positis, in medium eorum leviora inserit, quod in sermone molestius est audientibus ex frequenti increpatione, lenius reddens. Ideoque quod vehementissimum omnium erat, nempe de resurrectione, postremum ponit. Interim vero ad aliud, quod lenius erat, procedit, dicens: *Laudo autem vos, quod per omnia mei memores estis.* Nam cum de admisso peccato constat, vehementer incusat et comminatur: cum autem de peccato dubitatur, illud primo probat, et tunc increpat: et quod quidem in confesso est extollit; illud vero, de quo dubitatur, in confesso esse ostendit. Exempli causa de fornicatione quidem constabat; ideoque non opus fuit ostendere id esse peccatum; sed delicti magnitudinem illic probavit, et per comparationem orationem protulit. Rursus apud alios judicari, peccatum quidem erat, sed non tantum; ideoque illud interjecit et probavit. De iis etiam quæ idolis immolata erant dubitabatur, sed magnum etiam malum erat: quapropter ostendit esse peccatum, idque verbis extollit. Quando autem hoc facit, non solum abducit a criminibus, sed etiam ad contraria ducit. Neque enim dixit modo non oportere fornicari, sed etiam magnam esse exhibendam sanctitatem.

Ideoque subjunxit: *Glorificate Deum in corpore vestro et spiritu vestro* (1. *Cor.* 6. 20). Et rursus cum dixisset non oportere sapientem esse externa sapientia, non hoc contentus est, sed jubet stultum fieri. Et cum dat consilium non judicio contendendum esse apud externos, neque injuriam esse inferendam; progressus etiam judicio contendere prohibet, et consilium dat ut non modo non injuriam inferamus, sed ut injuriam patiamur. Et de idolothytis disserens, non dixit modo a prohibitis abstinere oportere, sed etiam a concessis, quando res offendiculo fuerit; neque modo non offendendos esse fratres, verum nec Græcos nec Judæos; *Sine offensione*, inquit, *estote et Judæis et Græcis et Ecclesiæ Dei.* Cum ergo de his omnibus orationem absolvisset, deinceps ad aliud crimen procedit. Quodnam illud erat? Mulieres detectæ et nudo capite et orabant et prophetabant; tunc enim prophetabant mulieres: viri autem comam alebant, utpote qui in philosophia versarentur, et tegebant caput orantes et prophetantes; quod utrumque legis Græcorum erat. Quia ergo de his omnibus eos, cum adesset, admonuit; et fortassis alii quidem audierant, alii non paruerant: ideo per epistolam rursus, ut sapiens medicus, verba infundens, peccatum corrigit. Nam quod eos jam cum adesset admonuerit, palam est ex iis quæ in proœmio dicit. Cur enim cum nihil hac de re dixisset usquam in epistola, sed ab aliis criminibus invectus esset, statim dicit: *Laudo autem vos, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis traditiones, ita tenetis?* Viden' quomodo alii quidem audierint, quos laudat; alii non audierint, quos corrigit per sequentia, dicens: *Si quis autem videtur esse contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus* (1. *Cor.* 11. 16)? Nam si aliis recte agentibus, aliis non audientibus, omnes in crimen vocasset, illos audaciores, hos segniores reddidisset: nunc autem alios laudans et acceptos habens, alios objurgans, et illos magis concitavit, et his pudorem incussit. Nam reprehensio per se solum ad percellendum sufficit; cum vero fit ad comparationem aliorum, qui præclare egerunt et laudantur, majorem infert stimulum. Sed interim non a reprehensione, sed ab encomiis orditur, et a magnis encomiis, dicens: *Laudo autem vos, quod per omnia mei memores estis.* Talis enim mos est Pauli, pro parvis etiam laudes magnas texit, non ex adulatione, absit; quomodo enim sic ageret, cum nec pecunias, nec gloriam, nec aliud quid simile expetat? sed pro illorum salute omnia faciens. Ideoque laudem quoque extollit dicens, *Laudo autem vos, quod per omnia mei memores estis.* Quænam sunt illa omnia? Nam de coma non alenda, et de capite non tegendo tantum loquebatur: sed, ut dixi, laudes variat, ut promptiores reddat. Ideo ait, *Quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis traditiones, ita tenetis.* Ergo et sine scripto multa tunc illis tradebat, quod et alibi quoque multis in locis dicit: sed tunc quidem tradidit tantum, nunc vero etiam causam affert. Ita enim et hos audientes fortiores reddebat, et illorum adversantium fastum detrahebat. Deinde non dicit, Quia vos obedistis, alii vero non obedierunt; sed sine ulla suspicione ex doctrina sua id subindicat in sequentibus, sic loquens: 3. *Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est; caput autem mulieris vir; caput vero Christi Deus.* Hæc est quidem causæ redditio; eam vero affert, imbecilliores reddens attentiores. Qui ergo fidelis est et fortis, ut par est, ratione et causa non eget pro iis quæ præcepta sunt, sed sufficit illi sola traditio: qui autem imbecillior est, cum etiam causam didicerit, tunc cum majori studio id quod dictum est recitat, et cum magna obsequitur alacritate.

2. Ideoque causam non dixit, donec vidit violatum esse mandatum. Quænam ergo causa est? *Omnis viri caput Christus est.* Ergone etiam Græci? Nequaquam. Nam si corpus Christi sumus et membra ex parte, et hac ratione ille caput nostrum est; eorum qui in corpore non sunt neque membra censentur, caput ille non fuerit: quapropter cum dicit, *Omnis*, subintelligendum est fidelis. Vidistin' quomodo supra ubique pudore suffundat auditorem? Nam cum de caritate dissereret, et cum de humilitate et cum de eleemosyna, inde exempla trahebat *Caput autem mulieris vir; caput vero Christi Deus.* Illic in nos insiliunt hæretici, ex iis quæ dicta sunt minorem esse Filium excogitantes; sed in seipsos irruunt. Si enim caput mulieris est vir, ejusdemque est substantiæ caput et corpus; caput vero Christi est Deus, Filius ejusdem atque Pater substantiæ est. At, inquiunt, nolumus hinc ostendere quod alterius sit substantiæ, sed quod a Patre imperetur. Quid ad hoc dixerimus? Quod cum humile quidpiam dicitur de illo cum carne exsistente, id quod dicitur non sit divinitatis vilitas et dejectio, cum œconomia id suscipiat. Cæterum dic quomodo id nunc vis probare? Quoniam, inquit, sicut vir mulieri imperat, sic et Pater Christo. Ergo sicut Christus viro, sic Pater Filio: *omnis* enim *viri*, inquit, *caput Christus est.* Ecquis hæc umquam admiserit? Si enim quantum nos Christus superat, tantum Pater Filium; cogita in quantam ipsum deducis vilitatem. Itaque non omnia simul sunt examinanda inter nos et Deum, etiamsi similiter dicantur; sed tribuenda est Deo propria quædam excellentia, et tanta quanta Deo competat. Nam si hoc non concesserint, multa sequentur absurda. Perpende autem: caput Christi Deus, hic autem viri et ille mulieris. Ergo si in omnibus similiter caput accipiamus, tantum distabit Filius a Patre, quantum nos a Filio. Sed etiam mulier tantum a nobis distabit, quantum nos a Deo Verbo; et quod est Filius erga Patrem, hoc et nos erimus erga Filium, et mulier rursus erga virum. Ecquis hoc ferat? Sed alio modo in muliere et viro caput accipis, quam in Christo? Itaque in Filio et in Patre, aliter nobis accipiendum est. Et quomodo, inquies, est aliter accipiendum? Secundum causam. Nam si imperium et subjectionem voluisset Paulus dicere, ut tu dicis, non mulierem in medium produxisset, sed potius servum et dominum. Etiamsi enim

mulier nobis subjecta sit, sed ut mulier, sed ut libera et ut par honore. Et Filius quoque etsi Patri fuit obediens, sed ut Filius Dei, sed ut Deus. Quemadmodum enim Filio major est obsequentia erga Patrem, quam hominibus erga genitores suos : sic et libertas major. Neque enim Filii erga Patrem officia majora et magis genuina sunt quam apud homines, Patris vero erga Filium minora. Si enim miramur Filium quod obedierit, ita ut usque ad mortem venerit, et mortem crucis, et hoc magnum statuimus miraculum ; Patrem quoque mirari oportet, quod talem genuerit, non ut servum cui imperaretur, sed ut liberum obedientem et consiliarium : consiliarius enim non est servus. Consiliarium vero rursus cum audieris, ne ita audias quasi Pater aliquo egeat, sed quasi Filius paris cum Genitore honoris sit. Ne igitur exemplum viri et mulieris ad omnia pertrahas. Apud nos enim jure mulier subjecta est viro : nam honoris æqualitas contentionem parit : neque ideo tantum, sed etiam propter deceptionem quæ initio contigit. Propterea cum quidem facta fuisset, non statim subjecta fuit ; neque cum illam ad virum adduxit, neque illa tale quidpiam a Deo audivit, neque vir illi quidpiam simile dixit ; sed tantum quod os ex ossibus ejus, et caro ex carnibus ejus esset dixit (*Gen.* 2. 23) ; imperii autem aut subjectionis apud illam non meminit. Quando autem male usa est potestate, et quæ adjutrix facta fuerat, insidiatrix deprehensa est, et omnia perdidit ; tunc juste audivit : *Ad virum tuum conversio tua* (*Gen.* 3. 16). Quia enim verisimile erat peccatum hoc bellum illaturum esse in genus nostrum (neque enim ad pacem juvisset, quod illa ex ipso esset facta, cum hoc accidisset ; sed hoc ipsum etiam virum asperiorem reddidisset, quod quæ ex ipso facta fuerat, ne membro quidem suo pepercisset) ; cum diaboli malignitatem videret Deus, hoc verbum quasi murum opposuit, et inimicitiam, quæ ex insidiis oritura erat, per hanc sententiam sustulit, innatæ concupiscentiæ quasi medio pariete dejecto, eam, quæ ex peccato orta erat, injuriæ acceptæ recordationem abstulit. Sed in Deo et incorrupta substantia illa, nihil licet hujusmodi suspicari. Ne ergo de omnibus exempla accipias : nam alibi quoque multa hinc gravia occurrent peccata : siquidem et in exordio epistolæ dicebat : *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus vero Dei* (1. *Cor.* 3. 22. 23).

3. Quid ergo ? similiterne omnia nostra sunt, nos Christi et Christus Dei ? Nequaquam ; sed illis etiam, qui valde insipientes sunt, nota est differentia, etiamsi hoc dictum de nobis, de Deo et de Christo proferatur. Et alibi cum virum caput mulieris esse dixisset, subjunxit : Sicut Christus est caput et Salvator Ecclesiæ et defensor, sic et vir debet uxoris suæ esse (*Ephes.* 5. 23. 24). Similiter igitur accipiemus dictum et hoc et omnia quæ post scripta sunt Ephesiis de hoc argumento ? Absit : neque enim fieri potest. Nam eadem quidem verba proferuntur de Deo et de hominibus ; sed alio modo illa, alio hæc intelligenda sunt ; nec tamen rursus omnia diverse : nam rursus temere et frustra accepta videbuntur, si nihil nos fructus ab illis tulerimus. Sicut enim non omnia similiter sunt accipienda, sic nec omnia temere rejicienda. Ut autem id quod dico clarius evadat, exemplo id palam facere conabor. Dictus est caput Ecclesiæ Christus : si nihil humanum accepero, cur hoc mihi dictum est ? Rursus si omnia humana accepero, multa consequetur absurditas : nam iisdem est passionibus obnoxium caput, quibus corpus, iisdemque erit obnoxium. Quid ergo relinquendum, et quid accipiendum ? Relinquenda quidem sunt ea quæ dixi, accipienda autem est perfecta unio et causa et primum principium. Neque hæc temere ; sed hic quoque id quod majus est et Deo conveniens cogitandum : nam et unio tutior et principium honorabilius est. Rursus audivisti Filium : ne hic quoque omnia accipias, neque omnia rejicias ; sed iis quæ Deum decent acceptis, quod sit consubstantialis, quod ex ipso sit ; quæ absurda et quæ infirmitatis humanæ sunt, in terra relinque. Rursus Deus lux dictus fuit : ergone omnia assumemus quæ ad hanc lucem pertinent ? Minime : illa quippe tenebris et loco circumscribitur, et altera vi movetur et obumbratur : quorum nihil ne cogitare quidem licet de illa essentia. Sed non ideo omnia ejiciemus, verum quidpiam utile ab exemplo decerpemus ; illuminationem quæ a Deo in nos manat, liberationem a tenebris ex illa colligentes. Et hæc quidem adversus hæreticos ; jam vero totum locum pertractare opus est. Fortassis enim hic quispiam quæstionem moverit, apud se quærens, quod crimen erat mulieres detecto, viros tecto capite esse ? Quod sit crimen illud, hinc jam disce. Signa data sunt viro et mulieri multa alia, illi imperii, huic subjectionis : cum his autem et illud, quod illa quidem tegatur, hic vero nudo capite sit. Si ergo signa sint hæc, ambo peccant, ordinem turbantes et Dei præceptum propriosque excedentes terminos ; ille quidem decidens in mulieris vilitatem, illa autem in virum insurgens per habitum. Si enim vestem mutare non licet, neque illi fas est chlamyde indui, neque viro palla et tegumento : *Non erit* enim, inquit, *viri ornatus super mulierem, neque induetur vir veste muliebri* (*Deut.* 22. 5) ; multo magis hæc mutari non oportet. Hæ quidem apud homines positæ sunt leges, etiamsi Deus illas postea confirmaverit : illud autem a natura, quod tegatur, dico, vel non tegatur. Cum autem naturam profero, Deum dico : ille quippe naturam creavit. Cum ergo terminos hosce subverteris, vide quanta hinc oriantur damna. Neque mihi hoc dicas parvum esse peccatum : magnum quippe est per se : nam est inobedientia. Etiamsi vero parvum esset, magnum fieret, quia magnarum rerum est symbolum. Quod autem magnum sit, palam ex eo est, quod generi humano tam pulchrum præbeat ordinem, imperantem et subjectam in ornatu decenti constituens. Itaque qui transgreditur, omnia confundit, et Dei dona prodit, et superne sibi datum honorem humi abjicit ; non vir modo, sed etiam mulier. Nam

maximus certe est honor ille, proprium ordinem servare, ut pudor est inter se dissidere. Quamobrem in utrisque hoc posuit, dicens : 4. *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum :* 5. *omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum.* Erant enim, ut dixi, et viri et mulieres prophetantes, et mulieres tunc hoc donum habentes, ut Philippi filiæ, ut aliæ et ante et post illas ; de quibus dicebat olim propheta : *Prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ visiones videbunt* (*Joel.* 2. 28). Virum porro non semper detecto esse capite jubet, sed cum orat tantum : *Omnis* enim *vir*, inquit, *orans aut prophetans operto capite, deturpat caput suum :* mulierem autem semper tecto esse capite jubet. Quamobrem cum dixisset : *Omnis mulier orans aut prophetans non operto capite, deturpat caput suum ;* non hic constitit, sed prosequutus est, dicens : *Unum enim est ac si decalvetur.* Quod si semper esse rasam turpe est, palam est etiam semper detectam esse, opprobrio verti.

4. Neque hæc solum satis habuit, sed rursus addidit : 10. *Debet mulier potestatem habere super caput suum propter angelos.* Ostendit non orationis tempore tantum, sed etiam perpetuo illas tegi oportere. Virum autem non item de tegumento sed de coma instituit : prohibet autem ne tegatur cum orat tantum, comam autem alere semper prohibet. Ideo sicut de muliere dixit : 6. *Si autem non veletur, tondeatur :* sic et de viro : *Si comam nutriat, ignominia est illi.* Non dixit, Si tegatur, sed, *Si comam nutriat.* Ideo in principio dixit : *Omnis vir orans aut prophetans, super caput habens.* Non dixit, Opertus, sed, *Super caput habens ;* ostendens quod etiamsi nudo oret capite, comam autem habeat, par sit illi qui opertus esset. *Coma* enim, inquit, *pro velamine ipsi data est. Si autem non velatur mulier, tondeatur : si autem turpe est mulieri tonderi aut radi, veletur.* In principio enim ut non nudum habeat caput requirit : progressus autem, ut semper non nudum habeat subindicat, dicens, *Unum* enim *est ac si rasa sit ;* et cum omni studio ac diligentia. Non enim ut veletur et tegatur modo dixit, sed ut contegatur, ut sit undique accurate composita. Et cum in absurditatem rem deducit, pudore suffundit, vehementer incessens ac dicens : *Si autem non velatur, tondeatur.* Nam si abjicis tegumentum tibi a lege Dei datum, inquit, etiam id quod tibi a natura datum est, abjice. Quod si quis dixerit : Et quomodo illud mulieri turpe fuerit, si ad viri gloriam ascendit? illud dixerimus, non ascendere, sed a proprio excidere honore. Nam inter proprios terminos non manere et leges a Deo latas, sed illas transgredi, non accessio est, sed imminutio. Quemadmodum enim qui aliena concupiscit, et quæ non sua sunt abripit, non quid amplius accepit, sed detrimento est affectus, quodque habebat perdidit ; id quod etiam in paradiso contigit : sic et mulier non accipit viri nobilitatem, sed et mulieris honestatem amittit ; nec inde solum huic ignominia, sed etiam ab habendi cupiditate. Cum ergo assumpsisset id quod turpe esse in confesso est, et dixisset : *Si autem turpe est mulieri tonderi aut radi ;* quod a seipso erat tunc posuit, dicens, *Veletur.* Neque dixit, Comam nutriat, sed, *Veletur ;* hæc ambo unum esse lege constituens, et utrimque illa confirmans, ab iis quæ constituta sunt et a contrariis. Nam velamen et comam unum esse dicit ; idem quoque esse et rasam, et eam quæ nudo est capite : *Unum est enim,* inquit, *et idipsum, quod rasa.* Quod si quis dixerit, Et quomodo unum est, si illa quidem tegumentum naturæ habet, illa vero quæ rasa est non item? respondebimus, illam arbitrio suo hoc reliquisse et nudum habere caput : quod si non capillis nudum, hoc ex natura, non ex illius arbitrio esse. Itaque illa quæ rasa est, nudum caput habet, et illa similiter. Ideo enim naturæ permisit, ut illam tegeret, ut hæc ab illa hoc discens, operiretur. Deinde causam affert, ut sæpe dixi, tamquam cum liberis loquens. Quæ igitur causa est? 7. *Nam vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei.* Rursus alia hæc causa. Neque enim solum, quod caput Christum habeat, non debet caput tegere, sed etiam quia mulieri imperat. Nam principem ad regem accedentem, principatus signum habere oportet. Sic ergo nullus princeps sine balteo et chlæna ausit comparere ante illum qui diadema gestat : sic neque tu absque signo principatus, quod est detecto esse capite, Deum ores, ut ne contumelia afficias et te et cum qui te honore afficit. Idipsum et de muliere quis dixerit : nam illi quoque est ignominia, si non subjectionis signa habeat. *Mulier autem gloria viri est.* Est ergo naturale viri imperium. Deinde postquam sententiam protulit, et rationes et causas rursum alias ponit, ad primam te ducens creationem, his verbis : 8. *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.* Si autem ex aliquo esse, gloria est ejus ex quo prodiit, multo magis esse similem. 9. *Etenim non creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Hæc est secunda rursus illius præ illa excellentia, imo et tertia et quarta. Prima, quia caput nostrum est Christus, et nos mulieris ; secunda, quia nos gloria Dei sumus, et mulier gloria nostri ; tertia, quia non nos ex muliere sumus, sed illa ex nobis ; quarta, quia non nos propter illam, sed illa propter nos. 10. *Ideo debet mulier habere potestatem super caput suum. Ideo,* qua de causa, dic mihi? Propter hæc omnia quæ dicta sunt : imo non tantum propter hæc omnia, sed etiam *Propter angelos.* Nam si virum despicis, inquit, angelos reverere.

5. Caput ergo operire est subjectionis et potestatis ; efficit enim ut deorsum aspiciamus et pudore afficiamur, propriamque servemus virtutem. Virtus enim et honor ejus cui imperatur est, ut maneat in obedientia. Vir quippe non cogitur hoc facere ; ipsius enim Domini imago est ; mulier autem jure merito. Cogita igitur iniquitatis excessum, cum nempe tanta honoratus potestate, teipsum deturpas, mulieris habitum rapiens. Idipsum facis ac si acceptum diadema a capite abjiceres, et pro diademate servile vestimentum assumeres. 11. *Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino.* Quoniam

autem multam dedit viro excellentiam, cum dixit mulierem esse ex illo, propter illum et sub illo; ne viros plus quam par erat extolleret, neve illas nimis dejiceret, vide quomodo correctionem adhibeat, dicens : *Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino.* Ne mihi, inquit, prima sola examines, neque creationem illam. Nam si ea quæ postea facta sunt exquiras, uterque utriusque est auctor; imo neque uterque utriusque, sed Deus omnium : quare ait : *Neque vir sine muliere neque mulier sine viro in Domino.* 12. *Nam sicut mulier ex viro, ita vir per mulierem.* Non dixit, Ex muliere, sed contra, *Ex viro.* Hoc enim ipsum integrum manet apud virum. Verum hæc recte gesta non viri, sed Dei sunt : quare etiam subjunxit : *Sed omnia ex Deo.* Si ergo Dei sunt omnia, ipse autem illa jubet, obsequere et ne contradicas. 13. *In vobis ipsis judicate : decet mulierem non velatam orare Deum?* Rursus illos constituit dictorum judices, quod etiam in idolothytis fecit : nam et illic dicit, *Judicate vos quod dico;* et hic, *In vobis ipsis judicate.* Et terribilius aliquid hic subindicat : contumeliam enim hic dicit ad Deum transire. Verum non ita loquitur, sed mitius aliquantum et magis ænigmatice, dicens : *Decetne mulierem non velatam Deum orare?* 14. *Annon ipsa natura vos docet, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia sit illi?* 15. *mulier vero si comam nutriat, gloria est illi? quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* Quod semper facit, communia ponens ratiocinia, hoc et hic quoque facit, ad vulgarem consuetudinem confugiens, et admodum pudore suffundens eos, qui exspectant ab illo ediscere, quæ ex communi consuetudine possunt edisci : hæc quippe et similia ne barbaris quidem ignota sunt. Et vide quomodo ubique acribus utatur verbis. *Omnis vir orans, qui caput suum tegit, caput suum deturpat;* ac rursum, *Si autem turpe est mulieri tonderi aut radi, veletur;* et hic rursus, *Vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi : mulier si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* Et si pro velamine dati sunt, inquit, cur oporteat velamen aliud adjicere? Ut non solum a natura, sed etiam ab arbitrio subjectionem confiteatur. Quod enim te oporteat velari, ipsa natura prius constituit. Adde igitur operam tuam, ne videaris naturæ leges evertere : quod quidem multæ esset impudentiæ, non nobiscum tantum, sed etiam cum natura pugnare. Quare Judæos Deum incusans dicebat: *Occidisti filios tuos et filias tuas* (*Ezech.* 16. 21) : hoc præ omnibus est abominationibus tuis. Et eos qui apud Romanos impudici erant increpans Paulus, sic auget criminationem dicens : quod non solum præter Dei legem, sed præter naturam usus ille esset : *Mutarunt enim usum naturalem in illum, qui est præter naturam* (*Rom.* 1. 26). Propterea in hoc se sermone exercet, hoc ipsum ostendens, et quod nihil alienum constituat, quodque apud Græcos omnia ejus novitatis sint, quæ est præter naturam. Sic et Christus hoc ipsum comprobans, dicebat : *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite ipsis* (*Matth.* 7. 12); significans se nihil novum inducere. 16. *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei.* Est ergo contentionis et non rationis his resistere. Cæterum sic quoque moderatam fecit increpationem, ut qui plurimum pudoris immiserit : quod etiam graviorem fecit orationem. Nos enim, inquit, talem consuetudinem non habemus, ut contendamus et litigemus et contradicamus. Neque tamen hactenus substitit, sed subjunxit, *Neque Ecclesiæ Dei,* ostendens illos toti terrarum orbi obsistere et adversari, non cedentes. Sed etiamsi tunc contenderent Corinthii, nunc totus terrarum orbis hanc legem et accepit et observat : tanta est Crucifixi potestas.

6. Sed vereor ne, hoc accepto habitu, operibus quædam ex mulieribus impudenter se gerere deprehendantur, et alio modo detectæ. Ideo enim Timotheo quoque scribens Paulus, non satis habuit hæc dixisse, sed alia adjecit dicens : *In habitu ornato cum pudore et modestia ornantes se, non in tortis crinibus aut auro* (1. *Tim.* 2. 9). Nam si non oportet nudum caput habere, sed subjectionis signum ubique circumferre; multo magis per opera hoc ostendere oportet. Sic certe priscæ mulieres et dominos viros vocabant, et primas ipsis concedebant. Nam et illi, inquies, uxores suas amabant. Hoc novi nec ignoro : sed cum te de iis quæ tibi conveniunt admonemus, non quæ illorum sunt spectes. Nam cum pueros adhortamur dicimusque ut parentibus obsequantur, quia scriptum est : *Honora patrem tuum et matrem tuam* (*Exod.* 20. 12); dicunt illi nobis, Profer etiam ea quæ sequuntur : *Vos quoque patres nolite ad iram provocare filios vestros* (*Ephes.* 6. 4). Et cum servis dicimus scriptum esse, quod obediendum sit dominis, neque ad oculum serviendum esse illis (*Col.* 3. 32); et illi rursus quæ sequuntur a nobis exigunt, jubentes dominis quoque eadem suadere. Nam illis quoque, inquiunt, præcepit Paulus, minas remittere. Sed ne sic faciamus, neque ea quæ aliis præcepta sunt quæramus, quando de iis quæ ad nos pertinent accusamur; neque enim, si socium criminum accipias, a culpa liberaberis : sed hoc unum specta ut te a criminibus liberes. Nam Adam in mulierem culpam referebat, et illa rursum in serpentem; sed non illos hoc eripuit. Ne itaque tu hoc mihi nunc dicas, sed grato cum animo quæ marito debes præstare cures. Nam et quando maritum tuum alloquor, adhortans ut te diligat et tui curam gerat, non sino illum in medium afferre legem de muliere latam, sed legem de illo scriptam requiro. Et tu igitur ea, quæ ad te spectant, sola curiose inquire, et te conjugi morigeram præbe. Nam si propter Deum marito obsequaris, ne mihi proferas ea quæ ipse præstare debet; sed ea quibus te obnoxiam legislator fecit, hæc diligenter exsequere. Hoc enim est maxime Deo obtemperare, etiamsi contraria patiaris, legem non transgredi. Ideo enim qui se amantem amat, nihil magni facere videtur : qui vero se odientem colit, hic maxime est qui coronatur. Eodem quoque modo tu tecum reputa, quod si molestum tibi

virum feras, splendidam accipies coronam : sin mansuetum et mitem, quam tibi Deus dabit mercedem? Et hæc dico non jubens maritos esse sævos et asperos, sed persuadens mulieribus ut viros etiam feroces ferant. Cum enim unusquisque sua implere curaverit, statim sequentur etiam ea quæ sunt proximi : exempli causa cum uxor parata fuerit ad virum asperum ferendum, et vir importunam illam non contumelia affecerit, tunc omnia serenitas erunt, et portus a fluctibus vacuus. Sic etiam usu veniebat apud priscos : sua quisque implebat, nec quæ proximi erant exigebat. Perpende autem : fratris filium secum accepit Abraham ; non id reprehendit uxor : jussit eam longum iter suscipere, neque repugnavit illa, sed sequuta est. Rursus post illas multas ærumnas, labores et sudores, cum dominus omnium esset, primas concessit Loto : et non modo id non ægre tulit Sara, sed neque os aperuit, nec quidpiam dixit eorum, quæ nunc mulieres multæ loquuntur, cum vident viros suos in hujusmodi sortibus minus habere, maxime quando cum inferioribus res est, exprobrantes, stultos, insanos, ignavos, proditores hebetesque vocantes. Sed nihil simile illa vel dixit vel cogitavit, sed approbavit omnia ab ipso facta. Quodque majus est, postquam Loto data est optandi facultas et minora ille patruo concessit, in periculum ille grave incidit. Quo audito patriarcha, omnes suos armavit, et contra totum Persarum exercitum sese apparavit cum domesticis suis tantum : neque tunc illum ipsa retinuit, neque dixit, ut par videbatur esse : Quo pergis, o homo, per præcipitia te impellens, et in tanta conjiciens pericula, pro viro qui te contumelia affecit, et tua omnia rapuit, sanguinem fundens? Nam si teipsum despicis, me saltem, qui reliqui domum, patriam, amicos et cognatos, et in tanta te peregrinatione sum sequuta, miserare, nec me conjicias in viduitatem et in viduitatis mala. Nihil horum vel dixit, vel cogitavit, sed cum silentio tulit omnia. Deinde vero sterili manente utero, ipsa quidem non patitur ea quæ mulieres pati solent, neque lamentatur : ille autem luget, sed non apud uxorem, sed apud Deum. Et vide quomodo singuli, quod par erat, servent. Neque enim ille Saram despexit ut sterilem, neque illi ideo quidpiam exprobravit. Illa vero vicissim consolationem quamdam pro orbitate excogitavit per ancillam suam : nondum enim illa tunc prohibita erant, ut nunc sunt. Nunc enim neque uxoribus licet viris talem gratiam referre ; neque illis, sive scientibus, sive ignorantibus uxoribus, tales tentare concubitus, quamtovis orbitatis dolore premantur. Nam ipsi quoque audient, *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur* (*Marc.* 9. 45). Non enim id nunc permittitur, tunc vero non prohibitum erat : ideoque uxor hoc jussit, et ille obtemperavit, neque tamen propter voluptatem. Sed vide, inquies, quomodo ipsa jubente, ancillam ejecit. Ego enim hoc volo ostendere, quod et ille ipsi in omnibus obtemperaret, et hæc illi.

7. *Uxor et vir non debent alter alterius exspectare virtutem ad philosophandum ; uxorem verberare turpissimum est.* — Cæterum ne his solum attendas, sed tu quæ hæc dicis etiam priora examina, quod contumeliam inferret ei, quod se arroganter extolleret contra dominam : quo quid molestius esse possit liberæ mulieri et honestæ? Ne itaque viri virtutem exspectet uxor, ut tunc illa suam exhibeat ; hoc enim nihil magnum esset ; neque rursus vir uxoris modestiam, ut tunc philosophetur ; neque enim tunc recte factum illud ipsius esset ; sed unusquisque, ut dixi, quæ sua sunt prius præbeat. Si enim externis dexteram maxillam percutientibus, oportet præbere alteram ; multo magis virum ferocem ferre oportet. Sed non hæc dico ut verberetur mulier, absit ; nam hæc extrema contumelia est, non verberatæ, sed verberanti ; sed si casu aliquo talem conjugem sortita fueris, o mulier, ne indigne feras, cogitans repositam tibi mercedem, et in hac vita laudem. Vobis quoque viris hoc dico : nihil tale sit peccatum, quo cogamini uxorem verberare. Et quid dico uxorem? neque ancillam verberare aut ei manus inferre viro ingenuo fuerit tolerandum. Quod si ancillam verberare magnum infert viro probrum ; multo magis contra liberam manum intendere. Et hoc in externis etiam legislatoribus videre est, qui eam quæ talia passa fuit non cogunt habitare cum percussore, utpote qui illius consortio indignus sit. Etenim extremæ est iniquitatis, vitæ consortem, quæ tibi in rebus necessariis jamdiu operam præstabat, ut mancipium ignominia afficere. Ideo etiam talem virum, si virum tamen licet appellare, non feram, parricidæ et matricidæ parem esse dixerim. Nam si propter illam et patrem et matrem relinquere jussi sumus, non illis injuriam facientes, sed divinam legem implentes, ipsis parentibus adeo desiderabilem, ut et ipsi qui relinquuntur gratiam habeant, et hoc cum studio magno efficiant ; quomodo non extremæ dementiæ fuerit, eam contumelia afficere, propter quam parentes Deus jussit dimittere? num hoc insania solum est? Dedecus et ignominiam autem hujusmodi quis ferat? quis sermo possit eam explicare, quando ululatus et gemitus per compita feruntur, et concursus est in domum ejus, qui tam indecore se gerit et vicinorum et prætereuntium, ac si fera quæpiam quæ intus sunt labefactet et perdat? Optabilius esset terram dehiscere ei qui tam furiose se gerat, quam ut postea in foro appareat. Sed mulier, inquiet, audax et aspera est. Sed cogita illam esse mulierem, vas infirmum, te autem virum. Propterea enim princeps constitutus es, et instar capitis datus es, ut feras ejus quæ tibi parere debet imbecillitatem. Fac itaque ut imperium tuum sit splendidum : splendidum autem erit, cum eam cui imperas non dedecore affeceris. Ac sicut is qui regnat tunc præclarior apparebit, cum sibi inferiorem præfectum præclariorem reddiderit ; si autem illud tantum munus dedecore et ignominia affecerit, tunc a gloria sua non parum demitur : sic et tu, si eam quæ post te imperat dedecore affeceris, non levi damno affeceris principatus

tui honorem. Hæc igitur omnia tecum reputans, temperanter age, et cum his etiam vesperam illam cogita, qua te advocato pater filiam suam quasi depositum quoddam tradidit, et illam ab omnibus separans, a matre, ab se, a domo, totam tibi illius curam dextera sua tradidit : cogita te ab illa post Deum filios suscepisse, et patrem effectum esse, et inde erga illam mitis esto.

8. Non vides agricolas, quomodo terram quæ semel semina excepit, colant omni culturæ genere, etiamsi innumera habeat incommoda, etiamsi sit arida, si malas ferat herbas, si ex situs ratione imbribus inundetur? Hoc et tu facito : ita enim prior frueris et fructibus et tranquillitate : nam portus est uxor, et pharmacum lætitiæ maximum. Si ergo portum a ventis et fluctibus tutum reddas, multa frueris securitate, cum a foro reverteris; si autem tumultu et perturbatione repleas, tibi gravius paries naufragium. Ne hoc ergo eveniat, id quod dico fiat : cum quid molestum domi acciderit, illa peccante, consolare illam et ne dolorem augeas. Etiamsi enim omnia amiseris, nihil tristius est quam domi uxorem habere, quæ sine benevolentia cum viro degat : et quodcumque peccatum dixeris, nullum dicere possis quod majorem inferat dolorem, quam cum uxore litigare. Itaque propter hæc omnia ejus dilectio omnium tibi pretiosissima sit. Nam si oportet alterum alterius onera portare, multo magis uxoris; etiamsi pauper sit, ne id exprobres; etiamsi stulta ne insultes, sed potius illam moderare : nam membrum tuum est et caro una facti estis. Sed garrula est, ebriosa et iracunda. At magis eapropter dolere potius, quam irasci oportet, Deumque rogare, illamque monitis et consilio adjuvare, nihilque non agere ut vitium amputes. Si autem verberes et atteras, morbus non curatur; feritas enim mansuetudine solvitur, non alia feritate. Cum his et mercedem a Deo exspectatam cogita. Quando enim cum tibi liceat eam exscindere, hoc non facias propter Dei timorem, sed tot ejus vitia feras, metuens legem hac de re positam, quæ uxorem ejicere prohibet; quocumque tandem morbo laboret, ineffabilem mercedem recipies; et ante mercedem maxima lucraberis, ipsam tibi obtemperantiorem reddens, teque erga illam mansuetiorem exhibens.

Philosophi dictum de uxore conviciante. — Narratur quispiam externorum philosophorum, qui malam haberet uxorem et nugacem et conviciantem, interrogantibus, qua de causa, cum talem haberet, illam ferret, respondisse se quasi gymnasium et palæstram philosophiæ domi habere (*a*). Ero enim, aiebat, aliis mansuetior, in hac quotidie institutus. Magna voce exclamastis? Sed ego valde nunc ingemo, cum videam Græcos magis philosophos esse quam nos, qui jubemur angelos imitari; imo qui jubemur ipsum æmulari Deum in mansuetudinis ratione. Philosophus ergo ille dicitur ideo malam illam uxorem non ejecisse : quidam autem dicunt ipsum ideo illam duxisse. Ego vero quia multi homines contra quam ratio ferat affecti sunt, hortor ut ab initio nihil non agant viri, ut bene moratam ducant uxorem et omni plenam virtute : si vero contigerit ut a proposito aberrent, ac nec bonam nec tolerabilem sponsam in domum induxerint; tunc philosophum illum imitentur, et his nihil adjiciant. Nam mercator antequam cum socio pacta ineat, quæ possint pacem conciliare, non prius navim in mare trahet, neque aliam attinget negotiationem. Et nos itaque nihil non agamus, ut negotiationis nostræ sociam in hac navi cum omni pace intus teneamus. Ita enim et alia omnia nobis tranquilla erunt, et cum securitate vitæ præsentis pelagus trajicieinus. Hoc pluris faciamus, quam domum, mancipia, pecunias, agros et ipsas res civiles. Idque maxime omnium in pretio habeamus, ut illa quæ nobiscum in ædibus residet, non tumultum moveat, neve a nobis dissideat. Ita enim et cætera nobis secundo cursu venient, et in spiritualibus multam habebimus facilitatem, hoc jugum cum concordia trahentes; omnibusque probe gestis reposita consequemur bona : quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui Sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Hic de Socrate, ni fallor, agit, qui frequentibus Xanthippes uxoris jurgiis exercitabatur. Vide Diogenem Laertium in Socrate.

HOMILIA XXVII

Cap. 11. v. 17. *Hoc autem præcipiens, non laudo quod non in melius, sed in deterius conveniatis.*

1. Necesse est etiam præsentis criminis seu accusationis prius causam dicere : ita enim quæ dicenda sunt facilius ediscentur. Quænam ergo illa est? Quemadmodum tria illa millia, quæ initio crediderant, in communi mensa comedebant, et communia omnia possidebant : sic etiam fieri solebat cum hæc scripsit Apostolus; at non cum tanta accuratione, sed quidam veluti fluxus illius prisci consortii remansit et ad posteros descendit. Quia vero contingebat alios pauperes, alios divites esse, sua omnia non in medium proferebant; communes autem apparabant mensas statis diebus, uti par erat, et peracta synaxi, post mysteriorum communionem in commune omnes convivium veniebant, divitibus cibos suos afferentibus, pauperibus autem et nihil habentibus ab ipsis divitibus invitatis, omnibusque simul convivantibus. Sed postea hic mos obsolevit. Causa autem fuit, quod divulsi essent, ac sese adscriberent alii his, alii illis, dicerentque, Ego sum hujus, ego illius; quod corrigens ille initio epistolæ dicebat : *Significatum est mihi, fratres, de vobis ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones in vobis sunt. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicat : Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ* (1. *Cor.* 1. 11. 12). Non quod Paulo se

adscriberent; neque enim id ille tulisset : sed ex abundanti, volens hunc morem radicitus evellere, seipsum apposuit, ostendens, quod si se quis ipsi adscriberet a communi corpore abscissus, sic quoque rem esse absurdam et extremæ iniquitatis. Si autem in hoc erat iniquitas, multo magis in illis qui inferiores erant. Quia igitur disjectus et divisus erat hic mos, pulcherrimus ille et utilissimus (causa enim erat caritatis, paupertatis consolatio, divitiarum moderatio, maximæque philosophiæ occasio, et doctrina humilitatis) : quia igitur sciebat tanta bona esse corrupta, jure acri usus est oratione, sic dicens : *Hoc autem præcipiens, non laudo.* In priori nempe accusatione, quod plurimi essent qui observarent, alio modo incepit his verbis : *Laudo autem vos, quia per omnia mei meministis;* hic vero contra : *Hoc autem præcipiens, non laudo.* Idcirco neque post increpationem eorum qui idolothyta comedebant, posuit illud; sed quia asperius illud erat, medio interjecto sermone de coma; ne ex asperis criminationibus in alias etiam molestas transiens acrior videretur, tunc ad asperius rursum venit, et ait : *Hoc autem præcipiens, non laudo.* Quodnam? Quod nunc dicturus sum. Quid illud est, *Præcipiens non laudo?* Vos non approbo, inquit, quod me ad consilii dandi necessitatem adduxeritis : non laudo, quod hac in re doctrina opus habueritis et admonitione mea. Viden' quomodo ab initio ostenderit rem esse admodum absurdam? Cum enim admonitione opus non habere debeat is qui peccat ad non peccandum, tunc venia indignum est peccatum. Et cur non laudas? *Quia non in melius, sed in deterius convenitis,* inquit. Hoc est, quia ad virtutem non profectum habetis. Cum oporteret enim ad meliora pergere, et majus esse proficiendi desiderium; vos morem qui jam invaluerat minuistis, atque ita minuistis, ut meo egeatis præcepto quo ad priorem redeatis ordinem. Deinde ne videretur hæc propter pauperes tantum dicere, non statim ad sermonem de mensis properat, ut ne increpationem multum timoris incutientem contemptui exponat, sed quærit dictionem acerrimam, quæ multum inferat timorem. Quid enim ait? 18. *Primum quidem convenientibus vobis in ecclesia, audio scissuras esse inter vos.* Non dicit, Audio enim vos non in communi cœnare; audio enim vos seorsim comedere, et non cum pauperibus; sed quod magis poterat ipsorum animum commovere hoc posuit, id est, schismatis nomen, quod etiam hujusce rei causa erat : rursusque illud revocavit in memoriam, de quo in epistolæ principio dictum fuerat, et significatum ab iis qui erant Chloes. *Et ex parte credo.* Ne dicerent enim, Quid si mentiantur calumniatores? neque dicit se credere, ne impudentiores illos reddat; neque rursum non credere, ne videatur frustra increpare; sed, *Partem quamdam credo,* inquit, id est, ex modica parte credo, anxios illos reddens, et ad correctionis reditum vocans. 19. *Nam et oportet hæreses esse in vobis, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.*

2. Hæreses hic dicit, non hasce quæ de dogmatibus sunt, sed horum schismatum. Quod si etiam dogmatum diceret, neque ita ansam daret. Nam Christus ait, *Necesse est ut veniant scandala* (*Matth.* 18. 7), non arbitrii libertatem labefactans, neque necessitatem quamdam et vim in vitam inferens; sed quod ex mala hominum mente omnino futurum erat prædicens, futurum nempe, non ob illius prædictionem, sed ex animo eorum, qui insanabili morbo laborabant. Neque enim quia prædixit, illa facta sunt, sed quia omnino futurum erat, ideo prædixit. Etenim si ex necessitate venirent scandala, et non ex animo eorum qui illa induxerunt, supervacanee dixisset : *Væ homini illi, per quem scandalum venit* (*Ibid*). Sed hæc pluribus disseruimus in ipso loco : nunc autem ad propositum veniendum est. Quod de iis hæresibus dicat, quæ circa mensas versabantur, deque hac contentione et dissensione, ex sequentibus declaravit. Cum dixissent enim, *Audio schismata esse inter vos,* non hic constitit, sed ostendens quænam schismata essent, progressus dicit, 21. *Unusquisque suam cœnam præsumit;* et rursum, 22. *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis?* Sed quod de his dicat, perspicuum est. Si autem schismata illa vocet, ne mireris : nam, ut dixi, hac dictione illos incessere vult. Si vero dogmatum schismata essent, non ita mansuete cum illis loquutus esset. Audi igitur illum tale quidpiam dicentem, quam sit vehemens, et dum confirmat et dum increpat; confirmans quidem, ut cum dicit : *Etiamsi angelus vobis evangelizet præter id quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* 1. 8); increpans vero, ut cum ait : *Qui in lege justificamini, a gratia excidistis* (*Ibid.* 5. 4). Et nunc quidem canes vocat eos qui corrumpunt, dicens, *Videte canes* (*Philipp.* 3. 2) : nunc autem cauterio inustam habentes conscientiam (1. *Tim.* 4. 2), et rursus angelos diaboli. At hic nihil tale dixit, sed mansuete ac remisse. Quid est autem, *Ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis?* Ut magis resplendeant. Hoc est autem quod vult dicere : Eos qui stabiles et firmi sunt, non modo nihil horum lædit, sed etiam magis ostendit redditque clariores. Illud enim, *ut,* non semper causam indicat, sed etiam sæpe rerum eventum. Ita et Christus id adhibet cum dicit : *In judicium ego veni in hunc mundum, ut non videntes videant, et videntes cæci fiant* (*Joan.* 9. 39). Sic et ipse Paulus, cum de lege disserens scribit : *Lex subintravit, ut abundaret delictum* (*Rom.* 5. 20). Sed neque lex ideo data est, ut peccata Judæorum augerentur; illud autem evenit : neque Christus ideo venit, ut videntes cæci fierent; sed propter contrariam rem : at illud ita contigit. Sic igitur et hoc loco intelligendum illud, *Ut qui probati sunt, manifesti fiant.* Neque enim ideo factæ sunt hæreses, ut qui probati essent manifesti fierent; sed advenientibus his hæresibus, hoc accidit. Hæc porro dicit, pauperes consolans, qui talem contemptum fortiter ferrent. Ideo non dixit, Ut probati fiant, sed, *Ut qui probati sunt, manifesti fiant :* declarans illos etiam antea tales fuisse; sed commiscebantur cum plurimis, et consolationem accipientes a divitibus, non admodum conspicui erant : nunc autem

hæc dissensio et contentio manifestos illos fecit; quemadmodum gubernatorem tempestas ostendit. Neque dixit, Ut vos probati appareatis; sed, *Ut qui probati sunt, manifesti fiant*, qui nempe in vobis tales sunt. Neque enim accusans manifestos reddit, ut ne ipsos impudentiores faciat, neque laudans, ne reddat segniores; sed suspensam profert orationem, et hunc et illum singulorum conscientiæ adaptandum præbens. Non modo autem mihi hic pauperes videtur consolari, sed etiam eos qui mores non corruperant. Nam verisimile erat in illis esse qui ipsos servarent illæsos : ideoque dixit, *Partem aliquam credo.* Jure igitur eos probatos dicit, qui non modo cum aliis morem servaverant, sed etiam absque illis immobilem hanc pulchram servabant legem. Hoc autem facit, ut hos et alios his laudibus alacriores reddat. Deinde dicit quod genus peccati sit illud. Quid autem hoc est? 20. *Convenientibus*, inquit, *vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare.* Vides quomodo pudorem inculiens, narrantis more, jam consilium instruxit? Conventus enim modus, inquit, est alius; est enim caritatis et fraternæ dilectionis : unus certe vos omnes excipit locus, et simul congregamini : mensa vero jam non similis est conventui. Nec dixit, Convenientibus vobis non in communi manducatis; sed alio modo et multo terribilius illos perstringit, dicens: *Non est Dominicam cœnam manducare*; illos ad ipsam transmittens vesperam, qua tremenda mysteria tradidit Christus. Ideo etiam prandium illud vocavit cœnam : etenim illud prandium omnes communiter habuit recumbentes. Atqui non tantum interest spatii inter divites et pauperes, quantum inter doctorem et discipulos : immensum quippe illud est. Et quid dico inter doctorem et discipulos? cogita intervallum quod est inter doctorem et proditorem. Attamen et ipse cum illis recumbebat, neque illum ejecit, sed et salis consortem fecit, et mysteriorum participem.

3. Deinde interpretatur quomodo non est Dominicam cœnam manducare. 21. *Unusquisque enim suam cœnam præsumit*, inquit, *ad manducandum : et alius quidem esurit, alius vero ebrius est.* Viden' quomodo illos ostendit sese magis dedecore afficientes? Nam quod Dominicum erat, proprium sibi faciunt; ita ut illi priores sint qui dedecore afficiuntur, qui mensæ suæ eam quæ maxima erat dignitatem auferunt. Quomodo et qua ratione? Quia Dominica cœna, id est, quod Domini est, commune debet esse. Quæ enim domini sunt, non hujus quidem famuli sunt, illius vero non item, sed in communi omnium. Dominicum ergo hoc dicit quod commune est. Nam si Domini tui est, ut revera est, non debes quædam ut propria avellere, sed quæ Domini sunt, communiter omnibus apponere : hoc est enim Dominicum. Nunc autem non sinis illud esse Dominicum, cum non sinis esse commune, sed seorsim epularis. Quapropter subjungit dicens : *Unusquisque enim suam cœnam præsumit.* Nec dixit, Abscindit, sed *Præsumit*, sensim illos edacitatis et petulantiæ accusans. Hoc declarat quod sequitur : cum hoc enim dixisset, rursum subjunxit : *Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est*; quæ utraque non servatæ mensuræ erant, indigentia nempe et excessus. Ecce secunda accusatio illos ipsos impetens. Prima, quod suam cœnam dedecore afficiant; secunda, quod ventrem impleant et inebrientur; et quod gravius est, esurientibus pauperibus. Quæ enim omnibus in communi apponenda erant, iis ipsi soli ingurgitati, et in insatiabilitatem et in ebrietatem deferebant. Ideo non dixit, Alius quidem esurit, alius satiatur; sed, *Ebrius est.* Horum autem utrumque per se dignum est reprehensione : nam inebriari, etiam absque eo quod despiciantur pauperes, culpa est; pauperes despicere, absque ebrietate, est criminatione dignum : cum autem hæc simul conjuncta sunt, cogita quantus sit iniquitatis excessus. Deinde postquam absurditatem ostendit, cum magna deinceps indignatione increpationem adjicit, dicens : 22. *Numquia domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis et confunditis eos, qui non habent?* Viden' quomodo a pauperum contumelia criminationem traducat ad Ecclesiam, ut graviorem redderet orationem? Ecce igitur quartam accusationem, cum non pauperes modo, sed etiam Ecclesia contumelia afficitur. Sicut enim Dominicam cœnam propriam tibi facis, sic et locum etiam, ecclesia utens ut domo tua. Ecclesia enim facta est, non ut convenientes divisi simus; sed ut qui divisi sunt conjungantur : et hoc significat conventus. *Et confunditis eos qui non habent.* Non dixit, et fame necatis eos qui non habent, sed majorem inculiens pudorem, *Confunditis*, sive pudore afficitis, ut ostendat se non alimentum tantum curare, quantum contumeliam ipsis infligam. Ecce quintam accusationem, quod non tantum esurientes despiciant, sed etiam illos pudore afficiant. Hoc autem dicebat, simul et ea quæ pauperes spectabant honorans, et ostendens illos non tantum de ventre, quantum de contumelia dolere, simul autem auditorem attrahens ad misericordiam. Cum ergo hæc absurda ostendisset, contumeliam in cœnam, contumeliam in ecclesiam, contemptumque pauperum, lenit rursus increpationis vehementiam, dicens : *Laudabo vos? in hoc non laudo.* Quod certe quis maxime miretur, quod cum vehementius increpare oporteret, postquam tot peccata recensuit et perstrinxit, hic contra lenius agat et det respirandi locum. Quanam de causa? Gravius ipsos perstrinxerat amplificata accusatione, et cum optimus sit medicus, congruentem vulneribus fecit incisionem, neque ea quæ profunda plaga opus habebant in superficie secans : audisti enim quomodo fornicatorem qui apud illos erat absciderit : neque ea, quæ leniori bus egebant medicamentis, ferro tradens. Ideo et hoc loco mansuetiore utitur sermone : alioquin etiam mitiores illos erga pauperes reddere conabatur; et ideo cum illis lenius loquitur. Deinde, cum vellet illos alio modo majori pudore suffundere, a rebus præcipuis sermonem texit : 23. *Ego enim accepi a Domino*, inquit, *quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem*, 24. *et gratias agens fregit et dixit, Accipite, manducate : hoc*

est corpus meum, quod pro vobis frangitur : hoc facite in meam commemorationem. Cur hic mysteriorum meminit? Quia valde necessarium erat ad præsens argumentum tali uti sermone. Nam Dominus tuus, inquit, eadem omnes mensa dignatus est; etsi illa admodum tremenda erat, omniumque dignitatem valde superabat : tu vero illos tua indignos esse putas, illa inquam parva et vili; et cum in spiritualibus nihil plus habeant quam tu, in sensibilibus illos spolias : neque enim hæc tua sunt. Sed non hoc quidem dicit, ne asperior esset sermo, illum vero mansuetiorem efficit dicens : *Quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem.* Et qua de causa tempus nobis commemorat, et vesperam illam et proditionem? Non sine causa et ratione, sed ut supra modum compungeret etiam a tempore. Etiamsi enim lapis sit aliquis, si cogitet illam noctem, quomodo cum discipulis erat tristis, quomodo traditus est, quomodo ligatus et abductus, quomodo judicatus est, et quo pacto cætera omnia sequentia pertulit, cera mollior efficitur, a terra abstrahitur et ab omni hujus sæculi fastu. Ideo omnia illa nobis in memoriam revocat, per tempus et mensam et proditionem pudore suffundens et dicens : Dominus tuus seipsum pro te tradidit; tu vero fratri neque cibum das pro teipso?

4. Quomodo autem dicit se accepisse a Domino? neque enim tunc aderat, sed ex numero persequentium erat. Ut discas nihil plus habere illam mensam, quam illa quæ postea fuit. Nam et hodie ille est qui omnia efficit et tradit, ut et tunc. Non ideo tantum illam noctem commemorat, sed et ut alio modo nos compungat. Ut enim illorum maxime verborum recordamur, quæ ultima audimus a decedentibus; et heredibus eorum, si audeant illorum præcepta transgredi, ut pudore afficiamus, dicimus : Cogitate patrem vestrum hanc ultimam emisisse vocem, et usque ad diem, qua exspiraturus erat, hæc mandavisse : sic et Paulus inde volens dictum illud tremendum reddere : Recordamini, inquit, quod hanc ultimam vobis dederit mysterii institutionem, et in ipsa nocte, qua pro vobis occidendus erat, hæc præceperit, et tradens nobis illam cœnam, post illam non aliud adjecerit. Deinde illa quæ tunc facta fuere narrat : *Accepit panem, et cum gratias egisset, fregit et dixit : Accipite, manducate; hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur.* Si ergo propter eucharistiam accedis, tu nihil eucharistiæ indignum facito, neque pudore afficias fratrem, nec esurientem despicias, ne inebrieris, ne Ecclesiam contumelia afficias. Accedis gratias agens pro iis quæ accepisti : ergo et tu vicem repende, neque te abscindas a proximo. Etenim Christus omnibus æqualiter dedit dicens, *Accipite, comedite.* Ille corpus æqualiter dedit; tu vero ne communem quidem panem æqualiter das? nam pro omnibus similiter fractum est, et ex æquo fuit corpus pro omnibus. 25. *Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine : hoc facite, quotiescumque biberitis, in meam commemorationem.* Quid dicis? commemorationem Christi facis, et pauperes despicis, nec exhorresces? Sed si filii aut fratris mortui commemorationem faceres, a conscientia pungereris, si non morem sequutus esses et pauperes vocavisses : cum autem Domini tui commemorationem facis, neque mensæ saltem consortium das. Quid vero sibi vult illud : *Hic calix novum testamentum est?* Veteris enim testamenti calix erant libamina et sanguis brutorum : postquam enim sacrificaverant, in calice et phiala sanguinem excipientes, sic libabant. Quia igitur pro sanguine brutorum sanguinem suum induxit; ne quis turbaretur hoc audiens, in memoriam revocavit vetus illud sacrificium. Deinde de cœna illa loquutus, præsentia iis quæ tunc erant conjungit : ut quasi in illa vespera, in eodemque strato recumbentes, et ab ipso Christo hoc sacrificium accipientes, ita et nunc afficiantur; et ait : 26. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Sicut enim in pane et in calice dixit Christus, *Hoc facite in meam commemorationem*, causam nobis aperiens dati mysterii, et cum aliis hoc etiam dicens, ipsam nobis satis esse ad pietatis argumentum : cum enim cogitaveris quid Dominus tuus sit perpessus propter te, magis philosophus eris : sic et Paulus hic ait, *Quotiescumque manducabitis, mortem ejus annuntiabitis.* Et hæc est illa cœna. Deinde cum ostendisset, quod usque ad consummationem illa maneat, ait, *Donec veniat.* 27. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Quare? Quia effudit illum, et ea res mactationem exhibuit, non jam sacrificium. Ut ergo tunc qui transfixerunt, non ut biberent transfixerunt, sed ut effunderent : ita etiam qui indigne participat, et nihil hinc fructus percipit. Viden' quam terribilem sermonem fecerit, et quam valide illos perstrinxerit, ostendens quod si sic bibituri sint, indigne sint propositorum participes? Quomodo enim non indigne qui despicit esurientem, qui despiciendo pudore suffundit? Nam si non dare pauperibus ejicit ex regno cælorum, etiam si qua sit virgo; imo etiam si non largiter detur; nam illæ virgines oleum habebant, sed non largiter habebant : tam multa absurda fecisse, cogita quantum erit malum.

5. Quæ absurda, inquit? Quid dicis, qualia absurda? Talis mensæ particeps fuisti, et cum omnium mitissimus esse debuisses et par angelis, omnium crudelissimus effectus es. Gustasti sanguinem Dominicum, et neque fratrem ita agnoscis; et qua dignus venia fueris? Quamquam etsi antea ignorabas, a mensa illum agnoscere oportuit : nunc autem ipsam etiam mensam dedecoras, dum illum qui dignatus est illius particeps fieri, ne cibis quidem tuis dignum existimas. Non audisti quanta passus est ille qui centum denarios exigebat? quomodo sibi collatum donum irritum fecerit? non cogitas quis cum esses, quis effectus fueris? non recordaris te hoc in pecuniis paupere longe fuisse pauperiorem in bonis operibus, cum mille peccatis plenus esses? Attamen ab his omnibus te liberavit Deus, neque tali mensa dignatus

est : tu vero ne sic quidem benignior effectus es. Itaque nihil aliud restat, quam ut tradaris tortoribus. Hæc verba nos quoque omnes audiamus, quotquot cum pauperibus ad sacram hanc mensam accedimus. Hinc autem egressi, ne illos quidem respexisse videmur, sed et ebrii sumus et esurientes prætercurrimus : qua de re tunc Corinthii accusabantur. Et quandonam, inquies, hoc fit? Semper quidem, præcipue vero in diebus festis, cum maxime fieri non oporteret. Tunc enim post communionem statim excipit ebrietas et pauperum contemptus : et postquam sanguinem recepisti, cum jejunii tibi tempus est et sobrietatis, debaccharis et comessaris. Et si quid boni perceperis in prandio, caves ne alio pravo cibo priorem labefactes : cum autem spiritualem cibum acceperis, satanicas inducis delicias. Cogita quid apostoli fecerint, cum illas sacras percepissent cœnas : nonne ad orationem convertebantur et ad hymnos celebrandos? nonne ad sacra pervigilia? nonne ad doctrinam longam, quæ magna plena erat philosophia? magna quippe et mirabilia tunc illi enarrabat et præcipiebat, abscedente Juda, ad vocandos illos qui ipsum in crucem acturi erant. Non audisti quomodo illa tria millia hominum, qui communionis participes erant, semper perseverabant in oratione et in doctrina, non in ebrietatibus, non in comessationibus? Tu vero antequam percipias quidem, jejunas, ut quomodocumque dignus communione videaris, ubi autem percepisti, cum oporteret te temperantiam argere, omnia perdis. Atqui non par res est antea jejunare, et postea : in utroque enim tempore temperantem esse oportet, maxime vero postquam sponsum excepisti : antea quidem, ut dignus sis qui accipias; postea vero, ne indignus videaris iis quæ accepisti. Quid ergo, jejunandumne est postquam acceperim? Non hoc dico, neque te cogo. Bonum quidem hoc quoque esset; verum non vim infero, sed adhortor ne te deliciis impleas extra mensuram. Si enim numquam oporteat deliciari; hoc enim declaravit Paulus dicens, *Quæ autem in deliciis est, vivens mortua est* (1. *Tim.* 5. 6); multo magis tunc morietur. Si autem deliciæ mors sunt mulieri, multo magis viro; et si alio tempore deliciæ perdunt, multo magis post perceptam mysteriorum communionem. Tu autem pane vitæ accepto, rem morte dignam facis, et non horrescis? nescis quam multa mala ex deliciis inducantur? risus intempestivus, incondita verba, scurrilitas perniciei plena, nugæ inutiles et alia quæ ne fas quidem est dicere. Et hæc facis postquam ad Christi mensam exceptus fuisti, illo die quo dignatus fuisti carnes ejus lingua tangere. Quisquis ergo sis, ne hæc fiant expurga dexteram tuam, linguam, labia, quæ ingressui Christi vestibula fuere; et apposita mensa sensibili, ad illam mensam mentem intende, ad cœnam Dominicam, ad vigilias discipulorum illa sacra nocte; imo vero, si quis accurate examinaverit, præsentia nox sunt. Vigilemus ergo cum Domino, compungamur cum discipulis. Precum tempus est, non ebrietatis, semper quidem, maxime autem in die festo. Dies festus enim ideo institutus est, non ut turpiter agamus, non ut peccata accumulemus, sed ut quæ admissa fuere de medio tollamus. Et scio quidem me in cassum hæc dicere, sed non finem dicendi faciam. Etiamsi enim omnes non audieritis, sed non omnes repugnabitis; imo vero si omnes repugnetis, mihi quidem major merces, vobis autem gravius judicium. Ne igitur gravius eveniat, ideo finem dicendi non faciam : fortassis enim, fortassis ex frequenti monitione scopum attingam. Ideo obsecro, ut ne in judicium et damnum hoc faciamus, nutriamus Christum, potum ipsi demus, induamus illum : hæc illa mensa digna sunt. Audisti sacros hymnos? vidisti nuptias spirituales? exceptus fuisti ad mensam regiam? repletus es Spiritu sancto? choros egisti cum Seraphinis? socius fuisti supernarum potestatum? Ne tantam lætitiam abjicias, ne effundas thesaurum, ne inducas ebrietatem mœroris matrem, diaboli gaudium, mille mala parientem. Hinc enim est somnus morti similis, hinc sopores, morbi, oblivio, mortis imago. Sane vino ingurgitatus nolueris cum amico congredi; et Christum intus habens, quæso te, tantam audeas injicere temulentiam? At delicias amas? Ergo ideo ebrietati finem impone. Nam ego te in veris deliciis versari volo, quæ numquam marcescant. Quænam ergo sunt veræ deliciæ, quæ semper floreant? Ad prandium invita Christum, tua illi imperti, vel potius sua : hoc interminabilem habet et semper florentem voluptatem. At non hæc sensilia : statim enim cum apparuere evanescunt; et qui deliciis operam dedit, non meliore conditione erit, quam qui non deliciatus est; imo pejore erit. Nam ille quidem quasi in portu sedet; hic vero ceu torrentem quemdam et morborum obsidionem excepit, et ne hanc quidem ferre potest tempestatem. Ne hæc itaque contingant, moderationem sectemur. Ita enim et corpore bene valebimus, et animam in tuto collocabimus, et a præsentibus futurisque malis liberabimur : a quibus utinam omnes eruti, regnum consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et una Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

28. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.*

1. Quid sibi volunt hæc verba, cum aliud sit hoc propositum argumentum? Hic mos est Paulo, ut jam prius dixi, non solum illa tractare quæ sibi proposita sunt, sed si quid aliud hæc tractanti inciderit, id quoque magno studio persequi, maxime cum de rebus admodum necessariis et urgentibus agitur. Etenim cum de iis qui nuptias contraxere ageretur, et incidit in sermonem de servis, fortiter et multis hanc

rem pertractavit : et cum disseret et probaret non oportere in judiciis litigare, tunc incidens in admonitionem circa avaritiam, multa de hoc argumento protulit : id quod etiam hic facit. Quia enim semel opus fuerat, ut de mysteriis meminisset, necessarium putavit esse hoc persequi argumentum; neque enim levis momenti est; ideoque admodum terribiliter de illo disseruit, bonorum caput esse probans, ad ea cum pura conscientia accedere. Unde non contentus iis quæ prius dixerat, hæc quoque adjicit dicens, *Probet autem seipsum homo;* id quod etiam in secunda epistola dicit: *Vos ipsos tentate, vos ipsos probate;* non sicut nos nunc facimus, tempore conditionis potius moti, quam studio animi. Non enim id curamus, ut parati, a malis purgati et compunctione pleni accedamus, sed ut in diebus festis et cum omnes accedunt.

Conscientiæ puritas communicanti necessaria. — Verum non ita jussit Paulus; sed unum novit accedendi et communicandi opportunum tempus, conscientiæ nempe puritatem. Nam si hac sensili mensa numquam fruimur febri laborantes aut humoribus pleni, ut ne pereamus; multo minus hanc tangere nobis licet cum pravis concupiscentiis, quæ febri sunt graviores. Cum autem pravas dico concupiscentias, et corporum dico cupiditates et pecuniarum et iræ et injuriarum recordationis, et omnes, ut uno verbo dicam, quæ pravæ absurdæque sunt. Oportet autem accedentem, his omnibus exhaustis ac depositis, purum illud attingere sacrificium; neque segniter et misere affectum propter festum cogi ad accedendum; neque rursus compunctum et paratum prohiberi, eo quod non sit dies festus. Dies enim festus est bonorum operum exhibita copia, animi pietas, accuratum vitæ institutum : si hæc habeas, perpetuo festum agere poteris, et semper accedere. Ideo ait : *Probet autem seipsum unusquisque*, et tunc accedat. Nec præcipit ut alter alterum probet, sed ut quisque seipsum, judicium statuens quod non sit publicum, et probationem sine testibus. 29. *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium Domini sibi manducat et bibit.* Quid, quæso, dicis? tot bonorum causa, vitamque profundens mensa, ipsa judicium efficitur? Non ex natura sua, inquit, sed ex ejus qui accedit arbitrio. Sicut enim præsentia ejus, quæ magna illa et ineffabilia nobis confert bona, eos qui non accipiunt magis condemnat : sic et mysteria ad majus supplicium viatica sunt iis qui indigne participant. Cur autem judicium sibi manducat? *Non dijudicans corpus Domini.* Id est, non examinans, non cogitans, ut oporteret, propositorum magnitudinem et doni excellentiam. Nam si accurate didiceris, quis sit ille qui prostat, et quis cum sit, cui dat seipsum, nullo alio opus habebis sermone; sed hoc tibi satis erit ad vigilantiam, nisi valde lapsus fueris. 30. *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi.* Hic jam non ab aliis fert exempla, ut fecit circa ea, quæ immolata erant idolis, veteres narrans historias, et plagas in solitudine acceptas, sed ab ipsis Corinthiis, id quod etiam vehementiorem reddebat sermonem. Quia enim dicebat. *Judicium sibi manducat;* et *Reus est;* ne verba proferre videatur, facta adjicit, et testes illos advocat, id quod magis quam comminatio perstringit, minas proferens in opus exeuntes. Neque his tantum contentus, hinc sermonem de gehenna inducit fidemque facit; utrimque terrens, et quæstionem solvens, quæ ubique circumferebatur Quia enim multi inter se quærunt, undenam immaturæ mortes, unde diuturni morbi, dicit illo multa inexspectata peccatorum causa accidere.

2. Quid ergo, inquies, illi qui perpetuo bene valent, et ad vegetam perveniunt senectutem, annon ipsi peccant? Ecquis hoc dixerit? Quomodo ergo, inquies, non dant pœnas? Quia illic graviores daturi sunt. Nos autem si velimus, neque hic neque illic daturi sumus. 31. *Si enim nos ipsos judicaremus*, inquit, *non utique judicaremur.* Nec dixit, Si nos ipsos corriperemus et castigaremus; sed tantum si peccata agnoscere vellemus, si nos ipsos damnare et improbare mala opera, liberaremur et a præsenti et a futuro supplicio. Nam qui seipsum damnat, dupliciter Deum placat, et quod peccata agnoscat et quod in futuro sit ad peccandum tardior. Quia vero ne hoc quidem ita leve facere volumus, ut facere oporteret; ne sic quidem nos vult cum orbe terrarum punire, sed sic quoque parcit, hic pœnas repetens, ubi supplicium est temporaneum et magna consolatio : nam a peccatis liberatio est, et bona futurorum spes quæ præsentia leniat. Hæc porro dicit, simul infirmos consolans, et alios diligentiores reddens. Ideo ait : 32, *Nunc autem cum judicamur, a Domino corripimur.* Non dixit, Castigamur, non dixit, Supplicio afficimur, sed *Corripimur :* nam quod fit magis est admonitionis quam damnationis, medicinæ quam supplicii, correctionis quam castigationis. Non hoc autem tantummodo, sed et comminatione majoris pœnæ leve reddit illud, dicens : *Ut non cum mundo damnemur.* Viden' quomodo et gehennam induxerit, et horribile illud tribunal, et necessario futuram ostenderit illam perquisitionem et punitionem? Nam si fideles et qui Deo curæ sunt, non impune fugient peccatorum pœnas, ut ex præsentibus palam est, multo minus infideles et qui gravia insanabiliaque scelera admittunt. 33. *Itaque, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate.* Nam dum viget timor et gehennæ tremor perseverat, vult iterum pro pauperibus admonitionem inducere, cujus causa hæc omnia dixit, ostendens illos, si id non servent, indignos esse qui communicent. Quod si de facultatibus non elargiri, ab illa mensa arcet; multo magis rapere arceat. Nec dixit, Itaque convenientes date egenis; sed quod honestius erat, *Alter alterum exspectate.* Hoc enim illud quoque apparabat et subindicabat, ac congruenti modo admonitionem induxit. Deinde rursus pudorem inferens: 34. *Si quis autem esurit, domi manducet.* Permittendo impedivit etiam vehementius, quam si prohibuisset. Ex ecclesia enim illum eduxit, et in domum remisit; hoc ritu illos vehementer perstringens atque tra-

ducens, quasi ventris servos, qui nec differre possent. Neque enim dixit, Si quis pauperes despicit; sed, *Si quis esurit*, quasi pueros famem non ferentes alloquens, tamquam bruta ventri servientia. Ridiculum enim fuisset, si ob esuriem domi manducassent. Sed et aliud terribilius subjunxit, dicens : *Ut non in judicium conveniatis*; ut non in castigationem, ut non in supplicium, dum ecclesiam contumelia afficitis, et fratrem in pudorem conjicitis. Nam ideo convenitis, inquit, ut vos mutuo diligatis, ut juvemini et juvetis : si vero contrarium fiat, melius esset si domi comederetis. Hoc autem dicebat, ut illos magis attraheret. Ideo enim damnum inde emergens ostendit, et culpam dixit esse non parvam ; atque omni ex parte deterruit, a mysteriis, ab infirmis, a mortuis, ab aliis supra dictis. Deinde alio quoque modo terret, dicens : *Cætera autem cum venero disponam* ; aut ad quædam alia, aut ad hoc ipsum. Quia enim verisimile est ipsos dixisse alias quoque causas, et non potuisse omnia per literas corrigi : Quæ admonui, inquit, interim servantur : si quid autem aliud dicendum habueritis, id usque ad adventum meum servetur ; aut de hac re loquens, ut dixi, aut de aliis quibusdam, quæ non admodum urgebant. Hoc autem facit, ut illos inde studiosiores reddat : nam de illius adventu solliciti, peccata emendaturi erant. Neque enim levis res erat, quod Paulus eo venturus esset ; idque ostendens dicebat : *Ac si non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam* (1. *Cor.* 4. 18) ; et alibi rursum, *Non tamquam in præsentia mea tantum, sed multo magis in absentia, cum timore et tremore vestram salutem operemini (Philipp.* 2. 12). Ideo non solum promisit se venturum esse, ne non crederent et negligentiores evaderent ; sed et necessariam addit adventus causam dicens, *Cætera cum venero disponam;* ostendens cæterorum correctionem, etiamsi non omnino festinaret, ipsum istuc attracturam fuisse.

3. *Moralis exhortatio. Luctus immoderatus vitandus. Jobi patientia describitur.* — Hæc ergo audientes omnia, et pauperum magnam curam geramus, et ventrem moderemur, atque ab ebrietate liberemur, et mysteriis digne participare studeamus ; ea quæ passi fuerimus, non ægre feramus, neque in nobis, neque in aliis : verbi gratia cum immaturæ mortes accidunt, cum diuturni morbi. Hoc enim est liberatio a supplicio, hoc correctio, hoc admonitio optima. Quis hæc dicit? Qui Christum in se loquentem habebat. Attamen etiam post hæc mulieres multæ ita sensu destitutæ sunt, ut in luctus exsuperantia ipsos etiam infideles superent : et aliæ quidem a luctu quasi tenebris obrutæ hoc faciunt : aliæ vero ad ostentationem, et ut externorum criminationem vitent, quas omni venia privatas dico. Ut ne ille talis incuset, inquiunt, incuset Deus ; ut ne homines brutis amentiores nos damnent, lex Regis universorum conculcetur. Et quot fulminibus hæc digna non fuerint? Si post luctum te quispiam ad cœnam vocet, nemo est qui renuat, quia lex humana hoc præcipit ; Deo autem de non lugendo legem ferente, ita omnes contradicunt. Non cogitas Jobum, o mulier? non recordaris vocum ejus in calamitate amissorum filiorum, quæ sexcentis coronis sacrum illud caput redimierunt, et splendidius quam tubæ multæ deprædicarunt? non cogitas calamitatis magnitudinem, novum illud naufragium, ac novam miramque tragœdiam? Nam tu quidem unum perdidisti, aut alterum, aut tertium ; ille autem tam multos et tam multas. Et qui multos habebat liberos, repente orbus fuit ; neque paulatim viscera ejus consumebantur, sed, derepente fructus totus abripiebatur ; neque ex communi lege naturæ, neque cum ad senectutem pervenissent, sed immatura et violenta morte, omnes simul ; neque præsente illo, nec assidente, ut vel extremas voces audiens aliquam consolationem haberet de tam acerba morte ; sed præter omnem spem, cum nihil gestorum ipse sciret, simul omnes sunt obruti, fuitque illis domus et sepulcrum et laqueus. Neque immatura mors tantum, sed etiam multa cum illa erant quæ dolorem afferrent : ut quod omnes in flore juventutis essent, quod virtute prædicti, quod amabiles, quod omnes simul, quod ex utroque sexu ne unus quidem reliquus sit ; quod non communi lege naturæ, quod post tantum damnum, quod cum nullius mali sibi conscius esset, nec illi peccatis essent obnoxii, hæc tamen paterentur. Horum singula per se possunt turbare ; cum autem una omnia concurrunt, cogita quanta fluctuum altitudo, quam ingens tempestas esset. Quodque majus est et ipso luctu deterius, quod nesciret unde talia obvenirent. Ideo, cum nullam afferre posset calamitatis causam, ad Dei placitum ascendit, et ait : *Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est ; sit nomen Domini benedictum in sæcula* (*Job* 1. 21). Et hæc dixit, cum se in extremis positum videret, qui virtutem omnem sectatus fuerat ; scelestos autem homines et præstigiatores prospere agentes, deliciantes et gloriabundos undique. Neque dixit quidpiam eorum, quæ solent quidam infirmiores dicere : Ad hancne rem filios enutrivi, et cum accuratione omni educavi? ad eamne rem domum aperui prætereuntibus, ut post multos illos cursus pro egenis, pro nudis, pro pupillis susceptos, hanc mercedem excipiam? Sed horum loco illa verba protulit, omni sacrificio præstantiora, dicens : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar.* Quod si vestimenta disciderit, et comam totonderit, ne mireris : pater enim erat, et pater prolis amans, oportebatque naturæ commiserationem exhiberi, mentisque philosophiam. Quod si hoc non fecisset, forte quispiam putavisset hanc philosophiam ex stupore proficisci. Ideo et viscera ostendit, et pietatis accurationem, et dolens non eversus est ; sed etiam cum ulterius ejus certamen procederet, rursus aliis redimitur coronis ex verbis quæ uxori dixit : *Si bona suscepimus a Domino, mala non sustinebimus* (*Job* 2. 10) ? Nam uxor sola ipsi relicta est, sublatis omnibus, et filiis et prædiis et ipso cor-

pore, et ipsa ei ad tentationem et insidias relicta est. Ideoque illam non cum filiis sustulit diabolus, neque ipsius cædem expetit, quia sperabat illam magnam sibi opem esse laturam ad insidias sancto huic viro parandas. Ideoque ipsam, tamquam maximum telum sibi opportunum reliquit. Si enim, inquit, hominem per illam ex paradiso ejeci, multo magis in sterquilinio potero supplantare.

4. Et vide calliditatem. Neque enim postquam boves perierant, hanc machinam adhibuit, neque post sublatos asinos vel camelos, nec post dejectam domum, neque post obrutos filios; sed interim silere et quietem agere sivit athletam videns; ubi autem vermium fons scaturivit, cum putrescens pellis difflueret, et consumptæ carnes saniem emitterent, ac sartaginibus fornacibusque et quavis flamma gravior ipsum diaboli manus consumeret, quavis fera efferatior ipsi corpus undique consumens et devorans, cum in hac calamitate multum temporis insumptum fuisset, tunc uxorem ad illum adducit jam exsiccatum et confectum. Si enim initio calamitatis accessisset, neque ita illum enervatum reperisset, neque calamitatem adeo potuisset exaggerare ac verbis extollere : nunc autem ubi vidit illum ob temporis diuturnitatem liberationem sitire et malorum finem desiderare, tunc vehemens accedit. Quia enim valde confectus erat, neque respirare ultra poterat, sed et mori cupiebat, audi quid dicat : Nam si mihi possem manum inferre, aut alium rogare, etiam hoc facerem (*a*). Et vide mihi nequitiam mulieris, unde statim ordiatur : a diuturnitate temporis, dicens : *Quousque tolerabis* (*Job* 2. 9)? Si namque sæpe, etiam cum gravia non instarent negotia, verba solum emollire potuerunt; cogita quid verisimiliter ipse tunc patiebatur, cum et hæc verba et res ipse dolorem ipsi inferrent. Quodque omnium teterrimum erat, quod et uxor ejus hæc loqueretur, et uxor quæ conciderat et animum despondebat; ideoque studebat et ipsum in desperationem conjicere. Cæterum ut aperte videamus machinam in hunc murum adamantinum admotam, ipsa verba audiamus. Quænam illa sunt? *Quousque tolerabis dicens, Ecce præstolor adhuc modicum temporis spem salutis habens* (*Ibid. in Græco*)? Tua, inquit, verba refellit tempus, quod diuturnius factum, nullam exhibet solutionem. Hæc autem dicebat, non modo in desperationem ipsum conjiciens, sed exprobrans ei et traducens illum. Etenim ille molestiam creantem ipsam consolans, et ejus verba depellens, talia loquebatur : Exspecta adhuc paululum, et cito finis horum veniet. Illi ergo exprobrans dicit ipsa : An nunc quoque idipsum dices? multum enim temporis jam præteriit, et nullus horum finis visus est. Et vide nequitiam : non boum meminit, non ovium, non camelorum; sciebat enim illum non admodum hisce morderi; sed statim venit ad naturam, et filios in memoriam revocat : viderat enim ipsum amissis filiis vestem discidisse, et comam totondisse. Neque dixit, Filii tui periere, sed modo ad commiserationem composito : *Deletum est memoriale tuum de terra*, propter quod filii desiderabiles sunt. Etenim si etiam nunc, cum resurrectio futura creditur, hinc filii desiderabiles sunt, quod eorum qui decesserunt memoriam servent, multo magis tunc. Ideo hinc maledictio acerbior efficitur. Neque enim qui illic exsecratur dicit : Exterminentur filii, sed, *Memoriale ejus e terra* (*Job* 18. 17), nempe filii tui et filiæ tuæ. Cum dixisset enim, *Memoriale*, accurate rursus utrumque sexum memorat : Si autem hæc, inquit, non tibi curæ sunt, me saltem spectes : *Uteri mei dolores laboresque, quos frustra sum perpessa.* Id est, quæ majorem tuli dolorem, injuria propter te affecta sum : dolores subii, et fructibus sum privata. Et vide quomodo jacturam pecuniarum neque memoret, neque taceat vel prætercurrat, sed ut licebat illam miserabiliter tangere, ipsam subindicet. Cum enim dicit, *Et ego errabunda et serva, a loco in locum, et a domo in domum circumcursans*, et jacturam subindicat, et magnam exhibet commiserationem : nam ipsa verba possunt calamitatem amplificare : Ad aliorum, inquit, ostia venio. Neque enim solum mendico, sed etiam erro et servitutem subeo non exspectatam et novam, undique circumiens et calamitatis signa circumferens, omnesque mala mea docens; quod omnium miserrimum est, domum frequenter mutare. Neque hic lamentandi finem fecit, sed subjunxit dicens : *Exspectans solem quando occidet, et requiescam a laboribus meis et a doloribus qui me circumdant et detinent.* Quod enim aliis suave est, inquit, radium videre, hoc mihi grave; desiderabiles autem mihi sunt nox et tenebræ; hæ mihi a sudoribus quietem pariunt, hæ mihi sunt in malis consolatio. *Sed dic verbum contra Dominum, et morere.*

5. Vidistin' hic quoque nequitiam? quo pacto in consilio suo non statim induxerit perniciosam adhortationem, sed cum prius calamitates miserabiliter enarrasset, et tragœdiam extendisset, paucis verbis adhortationem ponit, neque clare illam indicat, sed subindicans illam, maxime desiderabilem ipsi proponit liberationem, et mortem denuntiat, quam summopere optabat? Et hinc quoque observa diaboli vafritiem et malitiam. Quia enim sciebat Jobi amorem erga Deum, non sinit mulierem Deum accusare, ne ille ut inimicam ipsam statim aversaretur. Ideo ejus nusquam meminit, sed quæ acciderant sus deque versat. Tu autem, cum iis quæ dicta sunt, adde mulierem fuisse quæ hoc dabat consilium, vehementem oratorem ad eos pelliciendos qui non attendunt. Multi certe etiam absque calamitatibus a solo mulierum consilio dejecti fuerunt. Quid igitur hic vir beatus, et adamante fortior? Acriter illam intuitus, a solo aspectu, antequam vocem emitteret, machinas depulit. Illa enim sperabat se lacrymarum fontes moturam esse : hic vero leone

(*a*) Hæc verba, quæ desperantis esse videntur, in hodiernis exemplaribus non habentur. Possunt tamen alio sensu mitiore intelligi, nempe : Nam si liceret, si fas esset, si sine peccato possem mihi manum inferre, etc.

vehementior fuit, ira et indignatione plenus, non pro iis quæ patiebatur, sed propter consilia quæ diabolice ab illa data sunt; et ipso aspectu indignationem exhibens, moderata utitur increpatione : etenim etiam in calamitatibus moderatus erat. Et quid ait? *Cur sicut una ex insipientibus mulieribus loquuta es* (*Job* 2. 10)? Non sic te erudivi, inquit, non sic te educavi : unde nec consortem meam agnosco. Hæc quippe dicta sunt insanæ mulieris, et furentis consilium est. Viden' sectionem moderatam, plagam quæ posset morbum curare. Deinde post increpationem consilium rursus affert, quod possit illam consolari, et rationi valde consentaneum, dicens : *Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus?* Recordare enim, inquit, priorum illorum, et tecum reputa auctorem, et hæc fortiter feres. Vidistin' moderationem viri? Nec enim fortitudini suæ patientiam suam adscribit, sed ex rerum consequentia fuisse illam dicit. Pro quibusnam enim illa nobis dedit Deus? quam rependens remunerationem? Nullam; sed ex sola benignitate sua : donum enim erat, non retributio; gratia, non remuneratio. Ergo hæc fortiter feramus. Hoc et viri et mulieres inscriptum dictum habeamus; hæc verba in mente insculpamus, et hæc et ea quæ præcedunt : et historiam malorum ejus, velut imaginem in mentem nostram inscribentes, jacturam dico pecuniarum, filios sublatos, corporis plagam, opprobria, irrisiones, uxoris machinas, diaboli insidias, omnes uno verbo justi calamitates, nobis in portum maximum apparemus : ut omnia fortiter et cum gratiarum actione ferentes, et in præsenti vita mœrorem omnem depellamus, et de hac benedictione mercedem referamus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et una Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIX.

Cap. 12. v. 1. *De spiritualibus autem, fratres, nolo vos ignorare.* 2. *Scitis autem quod cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes.*

1. Hic totus locus valde obscurus est : obscuritatem vero parit ignoratio eorum quæ tunc contingebant, nunc autem non fiunt. Et cur nunc non fiunt? Ecce namque obscuritatis causa aliam nobis quæstionem peperit. Cur enim tunc fiebant, nunc vero secus? Sed hoc postea dicendum mittamus : interim vero quæ tunc fiebant recenseamus. Quid ergo tunc contingebat? Si quis baptizaretur, linguis statim loquebatur, et non linguis tantum, sed etiam multi prophetabant, quidam vero alias plures virtutes exhibebant. Quia enim ab idolis accedentes, cum nihil clare scirent, neque in antiquis Bibliis essent educati, baptizati statim Spiritum accipiebant, Spiritum vero non videbant, invisibilis cum sit; dabat gratia sensile quoddam argumentum illius operationis; aliusque Persica, alius Romana, alius Indica, alius alia lingua statim loquebatur : et hoc externis notum faciebat, Spiritum sanctum in ipso loquente esse. Ideo sic ipsum appellat dicens : *Unicuique autem manifestatio Spiritus datur ad utilitatem*, charismata seu dona vocans manifestationem Spiritus. Quia enim apostoli hoc primum signum acceperunt, fideles quoque acceperunt linguarum donum; neque hoc solum, sed et alia plurima. Nam et mortuos multi suscitabant, et dæmonas pellebant, et alia multa similia mirabiliter operabantur : donaque habebant alii quidem pauciora, alii vero plura. Magis autem quam alia omnia apud illos erat donum linguarum.

Spiritus sancti dona causa schismatis. — Et hæc causa schismatis illis fuit, non ex natura sua, sed ex ingrato accipientium animo. Nam qui majora habebant, efferebantur adversus eos qui minora possidebant : hi vero rursus dolebant, et iis qui majora haberent invidebant : idque in sequentibus ostendit ipse Paulus. Quia igitur hinc letalem accipiebant plagam, dum in eis caritas dissolveretur, multum studium ponit ut id corrigat. Contigit hoc etiam Romæ, sed non hoc modo. Quapropter etiam in Epistola ad Romanos illud movet quidem, sed adumbrate et breviter, sic dicens : *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, membra autem omnia non eamdem habent operationem : sic multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem invicem membra. Habentes autem dona secundum gratiam quæ data est nobis diversa; sive prophetiam, secundum proportionem fidei, sive ministerium, in ministrando, sive qui docet, in doctrina* (*Rom.* 12. 4. 7). Quod autem illi inde in arrogantiam inciderent, id in principio subindicavit ita dicens : *Dico autem vobis per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt in vobis, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, unicuique ut Deus distribuit mensuram fidei* (*Ibid.* v. 3). Itaque cum illis (neque enim magnus erat morbus dissidii et arrogantiæ) sic disseruit : hic vero cum multo studio; nam morbus valde invalescebat. At non hoc tantum illos conturbabat, sed multi erant istic divinantes, quod urbs illa Græcorum moribus addicta esset, et cum aliis hoc quoque illos supplantabat et turbabat. Quapropter orditur statuens quid interesset discriminis divinationem inter et prophetiam. Propterea etiam discretiones spirituum acceperunt, ut discernerent et scirent, quis loqueretur per mundum spiritum, quis per immundum. Quia enim ex ipsa re non poterat dictorum demonstratio præberi (prophetia enim non in tempore quo profertur, sed in tempore eventus pronuntiatæ rei, veritatis suæ argumentum præbet); neque facile erat illam internoscere, dicereque quis propheta, quis mendax esset (etenim cum scelestus et immundus sit diabolus, in prophetas sese injiciebat, falsos inducens prophetas, ut qui et ipsi futura

prædicerent) : deinde quia de iis, quæ dicebantur, non poterat ratio reddi, cum res quæ prædictæ fuerant nondum evenissent, et facile confutabatur (mendacem enim et veracem finis comprobat) : ne ante finem auditores deciperentur, dat illis signum, quod etiam ante eventum hunc et illum indicaret : et hinc accepta consequentia et principio, sic in sermonem de charismatibus transit, et contentionem inde subortam corrigit. Interim vero de divinatoribus loquens sic orditur : *De spiritualibus autem nolo vos ignorare, fratres;* spiritualia vocans signa, quia illa Spiritus solius sunt opera, humano studio nihil afferente ad talia miracula patranda. Et de illis disputaturus, prius, ut dixi, divinationem inter et prophetiam differentiam ponit, sic dicens : *Scitis quod cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes.* Id est : In idolis, inquit, si quis abreptus esset a spiritu immundo, et vaticinaretur, quasi abductus sic ille trahebatur a spiritu vinctus, nihil sciens eorum quæ dicebat. Hoc enim divinatori proprium est, ut mente excedat, vim patiatur, pellatur, trahatur, quasi furens. Propheta vero non sic, sed cum vigili mente, cum temperanti constitutione, illa sciens quæ dicit, omnia loquitur. Itaque etiam ante eventum hinc internosce vatem et prophetam. Et vide quam non suspectum proferat sermonem : ipsos vocat testes, qui rei experientiam fecerint. Quod enim non mentiar, inquit, neque temere ea quæ gentium sunt traducam, fingens tamquam inimicus, vos ipsi mihi feratis testimonium : etenim ipsi scitis quomodo, cum essetis Græci, tracti abduceremini. Quod si quis hos, utpote fideles, suspectos esse dixerit; age, etiam ab externis hoc vobis manifestum reddam. Audi ergo Platonem sic loquentem : Quemadmodum divinatores et vates multa quidem et pulchra dicunt; eorum vero quæ proferunt nihil sciunt (*a*). Audi alium quoque poetam eadem ipsa indicantem. Postquam quibusdam initiationibus et præstigiis dæmonem quis homini alligaverat, ille vero vaticinabatur, dumque vaticinaretur ille, raptabatur et discerpebatur, ac dæmonis impetum ferre non poterat, sed sic raptatus periturus erat; iis qui talibus præstigiis dabant operam dicit :

Solvite demum : regem deum mortalis non ultra capit;

et rursum :

Solvite serta mihi, atque pedes aspergite lympha munda,
Et expungantur mihi lineæ, ut adesse possim (*b*).

(*a*) Hæc Platonis verba habentur in Apologia Socratis editionis Henrici Steph. anno 1578, Tomo 1, p. 22.

(*b*) In hæc carmina hæc docte disserit Halesius in notis Savilianis, p. 276 : *Versus istos apud poetarum aliquem frustra quæsieris. Quamobrem cum Chrysostomum audius tamquam e poeta proferentem, intellige Phœbadem seu Pythiam. Sunt enim Delphicorum oraculorum conclusiones quædam, vocesque dæmonis sibi abeundi gratiam fieri postulantis. Primum horum habes apud Theodoretum cap. de Oraculis, et apud Eusebium libro 5 Evangelicæ præparationis. Apud eumdem etiam Eusebium habes posterius distichon, quod quoniam est obscurius, visum paucis interpretari. Usurpabant olim superstitiones quasdam ridiculasque cæremonias, quibus credebant dæmonas evocari, et vel ad privata colloquia, vel ad oracula edenda pellici. Ceremoniis istis tantam inesse vim, seu potius, ut mollius loquitur Porphyrius,* πειθανάγκην *opinabantur, ut non evocarent tantum, sed etiam evocata dæmonia detinerent, quamdiu vati magove esset libitum. Sic enim apud Porphyrium Pythagoras Rhodius,* οὐχ ᾗδονται οἱ κληζόμενοι ἐπὶ ταῖς θυσίαις θεοί, ἀνάγκη δέ τινι ἀκολουθίας συρόμενοι παραγίνονται, hoc est : *Non Deos juvat in sacrificiis evocari, sed necessitate quadam obsequendi tracti veniunt. Apollo ipse apud Theodoretum,* etc. quæ fusissime persequitur Dounæus.

Hæc enim et similia (nam longe plura dici possent) utraque nobis ostendunt et necessitatem qua serviunt qui detinentur dæmones, et vim quam sustinentes ii qui semel se ipsis dediderunt, et a naturali sua mente excedunt. Pythia vero (cogor enim aliam quoque eorum turpitudinem traducere, quam bonum quidem esset prætermittere, quod indecorum nobis sit talia proferre; ut autem illorum dedecus clarius evadat, necessarium est dicere; ut hinc discatis amentiam, et ridicula gesta eorum qui vatibus illis utuntur) : dicitur ergo Pythia mulier insidere tripodi Apollinis (*a*), divaricatis cruribus : deinde malum inferne emitti spiritum, et per genitales ejus partes subeuntem, furore mulierem replere, et hanc deinceps passis capillis debacchari et spumam ex ore emittere; et sic temulentam illam furoris verba proferre. Scio vos pudore affectos erubescere hæc audientes : verum illi altum sapiunt ob turpitudinem et insaniam tantam.

2. Hæc igitur et similia omnia Paulus exagitans dicebat : *Scitis quod cum gentes essetis, ad simulacra muta inducebamini abducti.* Et quia cum iis qui rem probe noverant disserebat, non omnia accurate ponit, ne illis molestiam creet; sed in memoriam tantum revocans omnia, cito recedit, ad propositum festinans. Quid est autem, *Ad simulacra muta?* Isti vates ad illa tracti ducebantur. Si vero muta sint, quomodo illis utebantur? qua de causa ad statuas illos dæmon adducebat tamquam captivos et vinctos? Simul errorem reddens probabilem. Ne videretur enim lapis esse mutus, conabatur homines idolis affigere, ut quæ ipsorum erant illis adscriberentur. Sed nostra non sunt hujusmodi. Nostra autem non posuit ille, quæ prophetarum sunt dico : illis enim omnia manifesta erant, et in illis prophetabant ut ipsos decebat, cum intelligentia et libertate omni. Ideo penes illos erat et loqui et non loqui : neque enim necessitate tenebantur, sed potestatis honore donati erant. Ideo Jonas fugit, ideo Ezechiel distulit, ideo Jeremias recusabat. Deus vero non cum necessitate impellit ipsos, sed consiliis, hortationibus et comminationibus utitur, mentem tenebris non offundens. Dæmonis enim proprium est et tumultum et furorem et multam immittere caliginem; Dei vero est illuminare, et quæ opus est cum intelligentia docere. Prima ergo divinatoris et prophetæ differentia hæc est : secunda vero est alia, quam deinceps ponit dicens : 3. *Ideo notum vobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesum.* Deinde etiam alia, *Et nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto.* Cum videris, inquit, quempiam non proferentem nomen ejus, imo

(*a*) De Pythia et de tripode vide Strabonem lib. 9, p. 419. seq. ed. Casaub., qui descriptionem tripodis affert et autri in quo positus erat. Sed quæ turpiora hic referuntur pressuam memini me legere.

ipsum anathematizantem, is est divinator. Rursus cum videris alium cum nomine ejus omnia loquentem, cogita illum esse spiritualem. Quid ergo, inquies, de catechumenis dixerimus? si enim nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto, quid dicemus de his, qui ejus quidem nomen proferunt, Spiritu autem privantur? Sed de his nunc ille non agit : neque enim tunc catechumeni erant : sed de fidelibus et infidelibus. Quid ergo? nullusne dæmon Deum nominat? annon dicebant dæmoniaci : *Novimus te quis es, Filius Dei* (*Marc.* 1. 24)? annon Paulo dicebant : *Isti homines servi Dei altissimi sunt* (*Act.* 16. 17). Sed flagellati, sed coacti ; sponte autem et non coacti, numquam. Hic jam apposite quæratur, cur dæmon hæc loqueretur, et cur Paulus increpaverit. Doctorem nempe suum imitatus. Nam et Christus increpavit : nolebat enim ab illis habere testimonium. Quare? Dæmon hoc agebat, rerum ordinem confundere volens, et apostolorum abripere auctoritatem, multisque persuadere ut sibi attenderent : quod si factum esset, cum fide digni apparuissent, facile sua introduxissent. Ne hoc ergo fieret, neque fallacia initium duceret, etiam cum vera loquerentur, ora ipsis obstruit, ut in falsis nemo ipsis animum adhiberet, sed ad ea quæ ab ipsis dicerentur aures obstrueret. Postquam ergo vates et prophetas distinxerat et ex priore et ex secundo signo, demum de miraculis disserit ; nec sine causa ad hoc argumentum transit, sed ut dissensionem inde subortam tollat, et persuadeat iis qui minus habent, ne doleant, et iis qui majora possident, ne efferantur. Ideo sic incepit : 4. *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus ;* primoque curat illum qui minus habet donum, ideoque dolet. Cur enim, inquit, angeris? quia non tantum accepisti quantum alius? sed cogita illud esse donum, non debitum, et consolationem accipies. Ideo statim sic loquitur : *Divisiones vero gratiarum sunt.* Neque dixit signorum, neque miraculorum, sed, *Gratiarum ;* nomine doni persuadens illi ut non modo non doleat, sed et gratiam habeat. Et cum hoc, inquit, illud quoque tecum reputa, quod etiamsi in mensura doni minus habeas ; in eo quod dignatus sis inde accipere, unde is accepit qui plus habet, parem habes honorem. Neque enim dicere possis, illi Spiritum dedisse, tibi vero angelum : nam et tibi et illi Spiritus dedit. Ideo subjunxit, *Idem autem Spiritus.*

3. Itaque etiamsi in dono differentia sit, at non in eo qui dedit : ex eodem namque fonte et tu et ille hausistis. 5. *Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus.* Nam consolationem adhuc placide augens, et Filium et Patrem adjicit. Alioque rursus nomine hæc dona vocat, majorem etiam inde excogitans consolationem : ideo sic dicit, *Divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus.* Nam qui donum audit, et minus accepit, fortasse doluerit ; qui vero ministrationem accepit, non item : res enim laborem indicat et sudorem. Quid ergo doles, inquit, si alium plus laborare jussit, tibi parcens? 6. *Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus.* 7. *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Et quid est operatio? quid donum, inquies? quid ministratio? Nominum tantum sunt differentiæ, quia res eædem sunt. Quod enim est donum, illud ipsum est ministratio ; hoc etiam dicit operationem : nam ait : *Ministerium tuum imple* (2. *Tim.* 4. 5) ; et, *Ministerium meum glorifico* (*Rom.* 11. 13). Et Timotheo scribens dicit, *Propter quam causam admoneo te, ut suscites gratiam Dei quæ est in te* (2. *Tim.* 1. 6) ; et ad Galatas rursus scribens dicebat : *Qui enim operatus est Petro in apostolatum, operatus est et mihi inter gentes* (*Gal.* 2. 8). Viden' quod nullam differentiam ostendat in donis Patris et Filii et Spiritus sancti? non hypostases confundens, absit, sed substantiæ parem honorem ostendens. Nam quod Spiritus largitur, hoc et Deum operari, et Filium ordinare ac præbere dicit. Atqui si hoc esset illo minus, et illud isto, non sic illud posuisset, neque hac ratione dolentem consolatus esset. Post hæc autem alio quoque modo ipsum consolatur ; quod nempe data mensura ipsi conferat, etiamsi minor sit. Cum dixisset enim, *Idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus*, et hac ratione ipsum recreasset ; aliam rursus subjungit consolationem sic dicens : *Unicuique autem manifestatio Spiritus datur ad utilitatem.* Ne quis enim diceret, Quid enim, si idem Dominus et idem Spiritus et idem Deus? at ego minus accepi ; ait ipse, quod ita conferret. Manifestationem vero Spiritus signa vocat ; et merito. Mihi enim fideli manifestus est is qui habet Spiritum, eo quod sit baptizatus ; infideli autem ex nulla re hoc erit conspicuum, nisi a signis. Itaque inde etiam non parva consolatio est. Etiamsi enim dona sint diversa, una tamen est demonstratio : nam sive multum sive parvum habeas, perinde es manifestus. Itaque si illud ostendere satagis, quod Spiritum habeas, sufficientem habes demonstrationem. Cum ergo et unus sit qui dedit, et gratuitum sit donum, et manifestatio hinc fiat, et hoc tibi magis conferat ; ne doleas quasi despectus. Neque enim te dedecore afficiens Deus, neque altero minorem declarans hoc facit, sed tibi parcens, et id spectans quod tibi utile esset. Nam majus quidpiam accipere eum qui ferre non possit, hoc esset inutile, noxium et mœrore dignum. 8. *Nam alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum ;* 9. *alteri fides in eodem Spiritu, alii autem gratia curationum in eodem Spiritu.* Viden' quomodo ubique hoc additamentum faciat, *In eodem Spiritu* dicens, et, *Secundum eumdem Spiritum?* scit enim hinc magnam oriri consolationem. 10. *Alii autem operationes virtutum, alii prophetiæ, alii discretiones spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Quia enim in hoc altum sapiebant, ideo id postremum posuit, et subjunxit : 11. *Hæc autem omnia operatur unus et idem Spiritus.* Pharmacum ad omnem consolationem aptum : quod ex eadem radice, ex iisdem thesauris, ex iisdem fluentis omnes accipere possint. Ideo frequenter hauriens, hoc verbo eam quæ videbatur esse inæqualitatem exæquat et consolatur.

Et superius quidem Spiritum, Filium et Patrem dona elargiri ostendit : hic vero Spiritum dixisse satis habuit, ut hinc etiam discas eamdem esse dignitatem. Quid est autem *Sermo sapientiæ?* Quem habebat Paulus, quem habebat Joannes filius tonitrui. Quid *Sermo scientiæ?* Quem fidelium multi habebant, scientiam quidem habentes, docere autem non valentes, neque facile ea quæ sciebant aliis enuntiare. *Alii vero fidem;* fidem non hanc dicens, quæ dogmata spectat, sed fidem signorum, de qua Christus dicit : *Si habueritis fidem ut granum sinapis, dicetis huic monti, Transi hinc, et transibit* (*Matth.* 17. 19). Et hanc petebant apostoli dicentes : *Adde nobis fidem* (*Luc.* 17. 5). Hæc enim mater signorum est. Operationes autem virtutum habere, et gratiam curationum, non idem ipsum est. Nam qui gratiam curationum habebat, medebatur tantum ; qui vero operationes virtutum possidebat, etiam castigabat. Potestas enim est non sanandi modo, sed etiam puniendi ; ut Paulus excæcavit, Petrusque interfecit. *Alii vero prophetiæ, alii discretiones spirituum.* Quid sibi vult illud, *Discretiones spirituum?* Scire quis sit spiritualis, quis non spiritualis ; quis propheta, quis deceptor : id quod Thessalonicensibus dicebat : *Prophetias nolite negligere : omnia autem probantes, quod bonum est, tenete* (1. *Thess.* 5. 20. 21). Nam multa tunc erat pseudoprophetarum corruptio, diabolo contendente pro veritate substituere mendacium. *Alii autem genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Nam ille quidem sciebat quod ipse diceret, alteri vero id interpretari non poterat : alius vero hæc ambo possidebat, vel alterutrum.

4. Videbatur autem hoc donum esse magnum, quoniam ipsum primum apostoli acceperunt, et apud Corinthios plurimi hoc munere instructi erant : doctrinæ autem verbum non ita. Ideo illud quidem primum ponit, hoc vero postremum. Nam et hoc propter illud est, nec non alia omnia, prophetiæ, operationes virtutum, genera linguarum, et interpretatio linguarum : nihil enim huic par est ; ideoque dicebat : *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo et doctrina* (1. *Tim.* 5. 17). Et Timotheo scripsit dicens, *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ : noli negligere gratiam quæ in te est* (1. *Tim.* 4. 13. 14). Viden' quomodo hoc gratiam vocet ? Deinde quam superius posuit consolationem dicens, *Idem Spiritus*, hanc et hic adjicit, dicens : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

Contra Pneumatomachos. — Non modo autem consolatur, sed etiam os obstruit contradicenti hic dicens : *Dividens singulis prout vult.* Oportet enim adstringere, nec solum mederi ; sicut et in Epistola ad Romanos facit, cum dicit : *Tu quis es, qui respondeas Deo* (*Rom.* 9. 20) ? Ita etiam hic, *Dividens singulis prout vult.* Et quod Patris erat, etiam Spiritus esse ostendit. Sicut enim de illo ait : *Idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus ;* sic et de Spiritu : *Hæc porro omnia operatur unus et idem Spiritus.* Sed motus, inquies, a Deo. Verum hoc nusquam dixit, sed tu illud effingis. Quando enim dicit, *Qui operatur omnia in omnibus*, de hominibus hoc dicit : numquam eum hominibus Spiritum annumerat, etiamsi millies amenter loquaris et insanias. Quia enim dixit, *Per Spiritum ;* ut ne putes illud, *per*, imminutionis esse vocem, nec illum moveri ad operationem, subjungit, *Operari Spiritum*, non ad operationem moveri, et operatur ut vult, non ut jubetur. Quemadmodum enim de Patre Filius dicit, *Excitat mortuos et vivificat ;* et similiter de seipso, *Quos vult vivificat* (*Joan.* 5. 21) : sic et de Spiritu, alibi quidem quod cum potestate omnia faciat, et nihil sit quod impediat (illud enim, *Ubi vult spirat* (*Ibid.* 3. 8), etiamsi de vento dictum fuerit, ad hoc quod dicimus viam parat) : hic vero dicit, *Omnia operatur prout vult.* Et aliunde disce quod non sit ex iis, qui per operationem moventur, sed qui operantur, hinc disce : *Quis enim novit*, inquit, *quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis ? Sic et quæ Dei sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei* (1. *Cor.* 2. 11). Quod autem spiritus hominis, id est, anima, non egeat operatione, ut sua cognoscat, nemini non notum est : ergo nec Spiritus sanctus, ut cognoscat ea quæ Dei sunt. Sic enim ait : Arcana Dei cognovit Spiritus sanctus, sicut anima hominis arcana sua. Si autem ad hoc alia operatione non movetur ; multo magis qui scit profunda Dei, et non aliqua operatione movetur ad dandum charismata apostolis, alia non opus habuerit operatione. Præter hæc autem aliud nunc dicam, quod prius dixi. Quale illud ? Si minor sit Spiritus et alterius substantiæ, nihil profuisset consolatio, neque audivisse eumdem esse Spiritum. Nam qui a rege accepit, hanc maximam habuerit consolationem, quod ipse ei dederit ; qui autem a servo accipit, tunc magis dolet, quando quispiam hoc ei obtulerit. Itaque hinc etiam palam est Spiritum sanctum non servilis, sed regiæ esse substantiæ. Idcirco sicut consolatus est illos dicens, *Divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus ;* et, *Divisiones operationum, idem autem Deus :* sic cum superius dixit, *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus ;* et sub hæc etiam dicit, *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Ne itaque angamur, inquit, neque doleamus dicentes, Cur hoc accepi, hoc non accepi ? neque rationes exigamus a Spiritu sancto. Nam si nosti, id ipsum largitum esse quod tui curam gerat ; cogitans illum eamdem curam gerentem mensuram dedisse, amplectere et gaude ob ea quæ accepisti ; et ne ægre feras quod alia non acceperis ; imo gratias reddito, quod non majora quam ferre posses acceperis.

5. Si autem in spiritualibus non oportet curiose inquirere, multo magis in carnalibus ; sed quiescere et non curiose scrutari cur ille dives, ille pauper. Sane quidem non singuli a Deo divitias habent, sed multi ex injustitia, ex rapina et ex avaritia. Qui enim jussit non ditari, quomodo dedisset ea, quæ accipere prohibet ? Ut autem validius confutem eos, qui hæc in re contradicunt nobis ; age sermonem altius du-

camus, ab eo tempore quo Deus divitias elargitus est, et responde mihi : Quare dives erat Abraham, Jacob autem etiam pane egebat ? annon similiter et hic et ille justus erat ? annon similiter de tribus dixit : *Ego Deus Abraham et Isaac et Jacob* (*Exod.* 3. 6) ? cur ergo ille dives erat, hic mercede conducebatur ? imo potius, Cur Esaü iniquus cum esset et fratricida, dives erat, hic vero in servitute tanto tempore fuit ? cur rursus Isaac tranquille tanto tempore vixit, Jacob autem in laboribus et miseriis ? ideoque dicebat, *Pauci et mali dies mei* (*Gen.* 47. 9). Cur David qui propheta et rex fuit, totum vitæ tempus in laboribus transegit ; Salomon autem filius ejus per quadraginta annos securius quam quilibet hominum vixit, profunda fruens pace, omne genus gloriæ, honoris et voluptatis adeptus ? cur in prophetis alius magis, alius minus affligebatur ? Quoniam sic unicuique expediebat.

Dei dispensatio non nimis examinanda.—Quamobrem circa singulos dicendum est, *Judicia tua abyssus multa* (*Psal.* 35. 7). Nam si magnos illos et admirabiles viros non similiter exercebat Deus, sed hunc quidem per paupertatem, alium per divitias ; hunc per tranquillitatem, illum per ærumnas : multo magis nunc hoc oportet cogitare. Cum hoc autem illud quoque secum reputare oportet, nempe multa ex iis quæ accidunt non ex illius sententia fieri, sed per nostram nequitiam evenire. Ne itaque dicas, Cur hic dives est, cum nequam sit ; ille vero pauper, cum sit justus ? Horum quippe rationem dare licet, ac dicere : Quia neque justus a paupertate læditur, imo majorem claritatis habet accessionem ; et improbus habet divitias supplicii viaticum, nisi convertatur : atque etiam ante supplicium divitiæ illi malorum complurium causa fuere, et in mille barathra deduxere. Deus autem id agi sinit, simul liberum arbitrium voluntatis ostendens, et alios docens ne insani et furentes ad pecunias ferantur. Quid ergo, inquies, cum malus quispiam dives nihil mali patitur ? nam si probus cum sit, dives est, jure merito ; sin malus sit, quid dicemus ? Quod sit etiam hac ratione miserabilis : divitiæ enim ad nequitiam adjunctæ malum aggravant. Sed bonus est, et tamen pauper ? At nihil læditur. Sed malus est et pauper ? Ergo juste et pro merito, imo et ad utilitatem suam. Verum ille, inquies, a majoribus divitias accepit, et dispergit illas meretricibus et parasitis, nihilque mali patitur. Quid dicis ? fornicatur et nihil mali patitur ? inebriatur et putas ipsum deliciari ? ad nihil decorum pecunias expendit, et putas ipsum æmulatione dignum ? et quid deterius illo fuerit, qui animæ suæ exitium affert ? Tu vero, si eum membris contortum et mutilum videres, infinitis illum lacrymis dignum esse censeres ; cum autem animam ejus totam mutilam vides, beatum illum existimas ? At non sentit, inquies. Et ideo commiseratione dignus est, ut qui insaniunt. Nam qui scit se ægrotare, medicum prorsus requiret, et pharmaca sibi dari patietur ; qui vero ignorat, numquam liberari poterit. Hunccine, quæso, beatum prædicas ? Sed nihil mirum : sunt enim complures philosophiæ imperiti. Ideo extremas damus pœnas, ut qui puniamur nec liberemur a supplicio : ideo iræ, mœrores et perturbationes frequentes ; quia cum vitam dolore vacuam nobis ostendat Deus, viam nempe ad virtutem, nos illa relicta, aliam viam ingredimur, divitiarum nempe et pecuniæ, innumeris plenam malis : et non secus facimus, ac si quis corporum formam discernere non valens, sed totum tribuens vestimentis et circumposito ornatui, formosam mulierem, naturali pulchritudine præditam videns præteriret, turpem autem, deformem et corpore mutilam, pulchris ornatam vestibus aspiciens, uxorem duceret. Tale quidpiam nunc circa virtutem et nequitiam multi patiuntur : turpem illam adeuntes propter exteriorem ornatum, formosam autem et pulchram respuentes propter nudam illius pulchritudinem, ob quam ipsam maxime deligi oportebat.

6. *Divitiæ fluxæ.*—Ideo me pudet, quod cum apud Græcos illos insanos quidam sint qui sic philosophantur, etiamsi non re, attamen sententia, et fluxam rerum præsentium conditionem norunt ; apud nos quidam ne illa quidem norint, sed et ipsum judicium corruptum habeant : cum hæc omnia tam frequenter Scriptura hæc nobis decantet et dicat : *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem Dominus glorificat* (*Psal.* 14. 4). *Timor Domini omnia superavit* (*Eccli.* 25. 14). *Deum time, et mandata ejus custodi : hoc est enim omnis homo* (*Eccle.* 12. 13). *Noli æmulari in malignantibus. Ne timueris, cum dives factus fuerit homo* (*Psal.* 48. 17). *Omnis caro fœnum, et omnis gloria hominis quasi flos fœni* (*Isai.* 40. 6). Hæc enim et talia quotidie audientes, adhuc terræ affigimur. Et quemadmodum pueri imperiti frequenter elementa discentes, quando sparsim illorum ordo examinatur, alia pro aliis dicentes multum excitant risum : sic et vos, quando illa hic ordine numeramus, utcumque assequimini ; quando autem vos foris sparsim interrogamus, quæ prima sint, quæ secunda harumce rerum collocare oporteat, et quænam post alia locentur ; cum dicere nesciatis, ridiculi estis. Annon, quæso, multo risu dignum est, quod cum immortalitatem exspectemus, et bona, quæ nec oculus vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascenderunt, de rebus quæ hic manent contendamus, et ipsa æmulatione digna existimemus ? Nam si adhuc hæc opus habes discere, quod divitiæ nihil magnum sint, quod res præsentes sint umbra et somnium, quod fumi instar dissolvantur et avolent ; ista interim extra adyta, in vestibulis mane : nondum enim ingressu ad supernam regiam dignus es. Si enim naturam eorum instabilem et perpetuo fluentem discernere nescis, quandonam illa despicere poteris ? si te scire dicas, desine curiose scrutari et inquirere, cur ille sit dives, cur hic sit pauper. Perinde enim facis hæc interrogans, atque si circumiens rogares, cur ille albus et ille niger ; ille aquilino naso, ille simus. Sicut enim illa nihil ad nos, an isto, an illo modo se habeant : sic neque esse

illum quempiam pauperem vel divitem ; imo hæc minus quam illa quærenda ; sed totum ad usum referri debet. Etiamsi pauper sis, potes cum bono animo vivere si philosopheris : etiamsi dives sis, omnium es miserrimus, si virtutem fugias. Nam hæc nobis sectanda sunt, quæ ad virtutem spectant : si hæc non adsint, aliorum nulla utilitas. Ideo frequentes illæ interrogationes, quia multi ea quæ indifferentia sunt ad se spectare putant ; de iis vero quæ ad se spectant et sibi utilia sunt, nullam rationem habent. Nam quæ nostra intersunt, virtus et philosophia sunt. Quia ergo ab illa longo intervallo abestis, ideo cogitationum perturbatio, ideo fluctus multi, ideo tempestas. Cum enim a superna gloria exciderint, et a cælorum amore, præsentem gloriam cupiunt fiuntque servi et captivi. Et unde fit, inquit, ut hanc appetamus? Quia non multum illam concupiscimus. Hoc autem ipsum unde accidit? Ex negligentia : et negligentia unde? Ex contemptu : contemptus unde? Ex amentia, et quod præsentibus inhiemus, et quod rerum naturam nolimus accurate examinare. Hoc vero undenam procedit? Quod Scripturarum lectioni non attendamus, neque cum viris sanctis versemur, et improborum cœtus frequentemus. Ne igitur hoc perpetuo fiat, et ne fluctus fluctibus succedentes, nos in malorum pelagus abducant et suffocent funditusque perdant; donec tempus adest, exsurgamus, et supra petram stantes, Dei dogmatum dico et verborum, respiciamus tempestatem vitæ præsentis. Ita enim et nos ipsam effugiemus, et alios naufragium patientes extrahemus, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XXX.

Cap. 12. v. 12. *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa ; omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt : ita et Christus.*

1. Cum consolationem præbuisset ex eo quod gratuitum esset donum, ex eo quod omnia ex uno eodemque Spiritu acciperent, ex eo quod ad utilitatem darentur, ex eo quod per minora manifestatio fieret : ad hæc etiam cum os eorum obstruxisset ex eo quod oporteat potestati Spiritus cedere ; *Hæc* enim *omnia*, inquit, *operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult ;* quare non licet curiose inquirere : ex alio rursus illos consolatur communi exemplo : et ad naturam ipsam confugit, ut facere solet. Nam quando disserebat de coma virorum ac mulierum, post alia hinc quoque illos erudivit, dicens : *Annon ipsa natura vos docet, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi ; mulier autem si comam nutriat, ipsi est gloria* (1. Cor. 11. 14. 15) ? Et cum de idolothytis dicebat, prohibens illa tangere, etiam ab externis exemplis sermonem texit, Olympica certamina memorans et dicens : *Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, unus autem accipit bravium* (*Ibid.* 9. 24) : atque a pastoribus, militibus et agricolis illa ipsa probans. Ideo hic quoque commune exemplum in medium affert, quo admodum contendit ut ostendat neminem minus quam alios habere, id quod mirabile fuisset et probatu difficile, tamenque simpliciores posset recreare : de iis quæ ad corpus spectant dico. Pusillanimem namque et minus habentem nihil ita consolatur et ad non dolendum inducit, ut cum discit se non minus habere. Quapropter id ille probans, sic loquitur : *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa.* Vidistin' accuratam intelligentiam ? Idipsum et unum et multa esse ostendit. Ideo subjungit, in proposito magis instans : *Omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum sunt corpus.* Non dixit, Cum sint multa, unius sunt corporis ; sed, Hoc ipsum unum multa sunt, et illa multa membra hoc unum est. Si ergo multa unum sunt, et unum multa, ubi est differentia ? ubinam id quod excedit ? ubi quod minus est ? *Omnia* enim, inquit, *unum sunt*, et non modo unum, sed etiam magis proprie examinata, secundum quod corpus sunt, inveniuntur omnia esse unum. Quando autem per partes, tunc differentia est, et differentia illa in omnibus similiter. Nullum enim eorum per se potest corpus efficere, sed pari modo singula deficiunt ad corpus efformandum, et opus est conjunctione. Cum enim multa unum efficiuntur, tunc est unum corpus. Ideoque id ipsum subindicans dicebat : *Omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum est corpus.* Neque dixit, Quæ excedunt et quæ minora sunt, sed, *Cum sint multa*, quod commune omnibus est. Et quomodo fieri potest ut sint unum ? Quando ejecta membrorum differentia, corpus examinaveris. Quod enim est oculus, hoc et pes est, secundum id quod membrum sunt et corpus efficiunt : nulla enim hic differentia est. Neque dicere possis hoc membrum per se corpus facere, illud non item : omnia enim hac in re paria sunt, quia omnia unum sunt corpus.

Ecclesia corpori humano comparatur. — Hoc cum dixisset, et clare ex omnium calculo demonstrasset, subjunxit, *Ita et Christus.* Et cum oportuisset dicere, Ita et Ecclesia ; hoc enim consequens erat : hoc quidem non dixit, sed illius loco Christum ponit, in altum extollens orationem, et auditorem magis pudore afficiens. Hoc autem vult significare : Ita et Christi corpus, quod est Ecclesia. Sicut enim et corpus et caput unus sunt homo, ita et Ecclesiam et Christum unum esse dixit. Ideo Christum pro Ecclesia posuit, corpus ejus sic vocans. Sicut ergo, inquit, corpus nostrum unum est, etiamsi ex multis constituatur : ita et in Ecclesia omnes unum sumus. Etiamsi enim illa ex multis membris constat, sed illa multa unum fiunt corpus. Cum ergo recreasset et erexisset ab hoc communi exemplo eum qui videbatur minor fieri, rursus communem dimittit consuetudinem, et ad aliud pergit spirituale caput, majorem afferens consolationem, quod ostendat magnam in honore æqualitatem. Quodnam illud est? 13. *Etenim in uno Spiritu*, inquit, *omnes nos in unum corpus baptizati*

sumus, sive Judæi, sive Græci, sive servi, sive liberi. Id est : quod effecit ut unum corpus simus, et nos regeneravit, unus est Spiritus : non enim in alio hic, in alio ille baptizatus est spiritu. Non modo autem qui nos baptizat unus est, sed et unum est in quo baptizavit ; id est, propter quod baptizavit. Non enim ut diversa fierent corpora, sed ut omnes unius corporis accuratam conjunctionem mutuo servemus, baptizati sumus ; hoc est, ut omnes unum corpus simus, in hoc baptizati sumus.

2. Itaque et qui construxit corpus, unus est, et id ad quod constructum est, unum est. Nec dixit, Ut simus ejusdem corporis ; sed, Ut unum corpus omnes simus : semper enim studet verbis majorem emphasin exprimentibus uti. Et bene dixit, *Omnes sumus*, seipsum adjiciens. Neque enim ergo apostolus plus quam tu quid habeo : etenim tu corpus es sicut et ego, ego, sicut tu, et omnes idipsum habemus caput, et eodem partu nati sumus : idcirco idem corpus sumus. Et quid dico, inquit, Judæos ? Nam et Græcos a nobis tantum dissitos, ad id ipsum corpus redegit. Quare cum dixisset, *Nos omnes*, non hic substitit ; sed subjunxit : *Sive Judæi, sive Græci, sive servi, sive liberi.* Quod si cum antea adeo remoti essemus, juncti sumus et unum effecti ; multo magis postquam unum facti sumus, non debemus dolere et mœstitia affici : neque enim locum habet differentia. Nam si Græcos seu gentiles et Judæos iisdem dignatus est, necnon servos et liberos ; quomodo postquam id dignatus est, disjunxerit, quando majorem et accuratiorem ex donis conjunctionem efficere dignatus est ? *Et omnes uno Spiritu potati sumus.* 14. *Nam et corpus non est unum membrum, sed multa.* Id est, ad eamdem venimus mysteriorum initiationem, eadem fruimur mensa. Et cur non dixit : Eodem corpore nutrimur, et eodem sanguine potamur ? Quia cum Spiritum dixit, utrumque significavit et sanguinem et corpus : per utrumque enim uno Spiritu potamur. Mihi autem videtur nunc dicere illum Spiritus adventum, qui a baptismate et ante mysteria nobis accedit. Dixit autem, *Potati sumus*, quia dictionis metaphora valde opportuna ipsi est ad præsens argumentum : ut si de plantis et de paradiso diceret, Ab eodem fonte omnes arbores irrigantur, et ab eadem aqua : ita et in præsenti, Eodem Spiritu potati sumus omnes, eamdem percepimus gratiam. Si ergo unus Spiritus nos conjunxit, et nos omnes in unum corpus compegit ; hoc enim significat illud, *In unum corpus baptizati sumus ;* et unam mensam largitus est, et eamdem omnibus irrigationem ; hoc enim sibi vult illud, *Uno Spiritu potati sumus ;* et tanto intervallo dissitos junxit ; et multa tunc fiunt corpus, quando facta fuerunt unum : cur mihi differentiam sus deque versas ? Si autem dixeris, Multa sunt membra et diversa : discas hoc ipsum esse admirabile, et hanc corporis esse excellentiam, quando multa et diversa unum efficiunt. Quod si multa non essent, non ita mirabile et inexspectatum esset unum esse corpus ; imo ne esset quidem corpus. Sed hoc quidem postremo ponit : interim vero ad ipsa membra pergit, ita loquens : 15. *Si dixerit pes, Non sum manus, non sum de corpore ; num idcirco non est de corpore ?* 16. *Et si dixerit auris, Non sum oculus, non sum de corpore ; num idcirco non est de corpore ?* Nam si quod alius minus haberet, alius excederet, id non sineret esse de corpore, universum tolleretur. Ne itaque dixeris, Non sum corpus, quia sum minor : etenim pes minorem tenet ordinem, sed est ex corpore. Nam ex corpore esse vel non esse, non inde fit quod alius in hoc loco, alius in alio positus sit ; hoc enim loci tantum facit differentiam ; sed ex eo quod sit conjunctus vel non conjunctus : nam esse vel non esse corpus ex eo fit, quod vel conjunctum vel non conjunctum sit. Tu vero mihi prudentiam perpende, quomodo ipsa verba apposite membris nostris accommodet. Nam ut superius dicebat, *Hæc transfiguravi in me et Apollo :* sic et hoc loco, ut non molestum, sed acceptum redderet sermonem, membra loquentia inducit ; ut cum audirent naturam sibi respondentem, ab ipsa experientia convicti et a communi calculo, nihil ultra contradicere valerent. Nam sive hoc ipsum, inquit, dicatis, sive murmuretis, non potestis extra corpus esse. Quemadmodum enim lex naturæ, sic et multo magis gratiæ virtus omnia custodit et conservat. Et vide quomodo caverit ne quid superfluum esset, non de membris omnibus orando tractans, sed de duobus tantum, iisque extremis. Etenim omnium pretiosissimum posuit, oculum ; et omnium vilissimum pedes. Neque inducit pedem cum oculo loquentem, sed cum manu quæ est paulo altior ; auditum autem cum oculis. Quia enim non iis qui nos longe superant, sed iis qui paulo altiores sunt, solemus invidere ; ideo et ipse sic facit comparationem. 17. *Si totum corpus oculus, ubi auditus ? si totum auditus, ubi odoratus ?* Quia enim cum in membrorum incidisset differentiam, et dixisset pedes, manus, oculos et aures, illos in cogitationem minoris vel majoris induxit ; vide quomodo rursum illos consolatur, ostendens ita consentaneum esse, et quod multi sint et diversi, hoc maxime facit ut corpus sit. Quod si unum essent omnes, non essent corpus : ideoque ait : 19. *Si essent omnia unum membrum, ubi corpus ?* Sed hoc quidem postea dicit ; hic vero quid majus ostendit, nempe quod non solum non possit esse corpus, sed ne esse quidem cæteros sensus. Nam *Si auditus totum esset, ubi odoratus ?* inquit.

3. Deinde quia sic quoque turbabantur ; quod superius fecit, id etiam nunc facit. Sicut enim ibi per utilitatem consolatus, demum os valide obstruxit dicens, *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult :* sic et hoc loco etiam ratiocinia proferens, queis ostendit ad utilitatem sic omnia facta esse, rursus totum ad Dei voluntatem reducit dicens : 18. *Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corporibus sicut voluit.* Quemadmodum de Spiritu dixit, *Prout vult :* sic et hoc loco, *Sicut voluit.* Ne ergo ultra curiosius causam inquiras, cur sic, cur non sic. Etiamsi enim mille dicta

proferenda habuerimus, non sic poterimus ostendere recte factum esse, ut cum dicimus : Ut optimus artifex voluit, ita factum est : nam sic ille vult ut expedit. Si autem in hoc corpore de membris non curiose inquirimus, multo magis in Ecclesia. Et vide illius prudentiam : non enim illam ponit differentiam quæ ex natura est, neque illam quæ est ex operatione, sed eam quæ est a situ locorum : *Nunc* enim *posuit*, inquit, *Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit.* Et recte dixit, *Unumquodque*, in omnibus utilitatem ostendens. Neque enim dicere possis, illum hoc quidem posuisse, illud vero minime, sed unumquodque secundum voluntatem ipsius situm est. Itaque et pedi utile sit sic collatum esse, non capiti tantum; et sive ordinem mutaverit, sive proprio relicto loco, in alium transierit, sive in majorem venisse videatur, totum perdidit et corrupit : nam proprium locum perdidit, et alium non assequitur. *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?* 20. *Nunc autem multa quidem membra, unum vero corpus.* Cum enim eis satis os obstruxisset a Dei dispositione, rursus ratiocinia ponit; neque semper hoc facit, neque illud, sed commutans variat orationem. Qui enim os obturat tantum, auditorem turbat; quique illum assuefacit ad omnium causas exquirendas, in oratione de fide ipsum lædit. Ideirco hoc Paulus frequenter facit, ut et credant et non turbentur; et postquam ora obstruit, dat etiam rationem. Et vide contentionem et plenam victoriam. Ex quibus putabant se non esse honore pares, quod multa in ipsis esset differentia, ex iisdem ostendit illos propter hoc ipsum honore pares esse; quomodo autem, ego dicam. *Si essent*, inquit, *omnia unum membrum, ubi corpus?* Id est, Si non esset, inquit, in vobis multa differentia, non essetis corpus : si corpus non essetis, neque unum essetis : si unum non essetis, neque pares essetis. Itaque si pares essetis, non essetis corpus : si corpus non essetis, non essetis unum : si unum non essetis, quomodo honore pares essetis? Nunc vero, quia non omnes idem donum habetis, ideo corpus estis : corpus vero cum sitis, omnes unum estis, et nihil alter ab altero differtis, secundum id, quod corpus estis. Itaque illa maxime differentia est, quæ facit honoris paritatem : ideoque subjunxit, *Nunc autem multa quidem membra, unum vero corpus.* Hæc itaque nos quoque cogitantes, omnem pellamus invidiam, neque illis invideamus qui majora habent charismata, neque despiciamus eos qui minora possident : ita enim Deus voluit. Ne itaque obsistamus. Si vero adhuc turbaris, cogita illum sæpe non posse opus tuum implere. Quamobrem, etiamsi minor fueris, in hoc illum superas; etiamsi major ille sit, in hoc superatur, et sic æqualitas efficitur. Etenim in corpore quoque, quæ parva sunt, non parva videntur exsequi, sed et magna sæpe labefactant, cum abscedunt. Quid enim in corpore pilis vilius? sed si illos viles abstuleris a superciliis, omnem faciei formam delevisti, et oculus non ultra tam pulcher apparebit : quamquam leve est detrimentum, attamen sic omnis forma periit; non forma tantum, sed et oculorum usus multum læditur. Singula enim membra nostra propriam et communem habent operationem; et pulchritudo etiam et propria et communis est in nobis : et videntur quidem illa divisa esse, suntque tamen accurate connexa, ac si alterum perierit, alterum quoque simul interit. Animadverte autem, sint oculi lucentes, gena subridens, labium rubicundum, nasus rectus, supercilium extensum : attamen si illorum quodpiam vel tantillum labefactaveris, communem omnium pulchritudinem labefactasti, et turpia omnia apparebunt, quæ antea pulcha erant. Nam si vel extremum nasum contriveris, in omnia simul multam infudisti deformitatem, etiamsi unius membri sit mutilatio : et in manu etiam, si unius digiti unguem abstuleris, idipsum fieri videbis.

4. Si autem idipsum in operatione videre velis, tolle digitum unum et reliquos otiosiores videbis, neque suo ultra similiter munere fungentes. Quoniam igitur unius membri jactura communis est turpitudo, ejusque conservatio communis pulchritudo, ne extollamur neque insultemus proximis. Nam propter illud exiguum membrum, illud quod magnum est, pulchrum est et formosum, et per palpebras ornatur oculus. Se impugnat ergo, qui fratrem impugnat : non enim ad illum solum pertingit damnum, sed et ipse non parvum detrimenti subibit. Ne hoc itaque fiat, ut nosmetipsos sic proximos curemus, et hanc corporis imaginem nunc et in Ecclesiam transferamus, et omnium providentiam geramus ut propriorum membrorum. Nam et in Ecclesia membra sunt multa et diversa, alia quidem honorabilia, alia inferiora; ut sunt virginum chori, viduarum cœtus : sunt etiam eorum qui in casto connubio fulgeant sodalitia, multique sunt virtutis gradus. Similiterque rursum in eleemosyna : alius enim omnia effudit et erogavit, alii autem solo tantum victu contenti sunt, et non plus quærunt quam necessaria, alii ex superfluo erogant. Attamen hi omnes sese mutuo exornant; et si minorem major despiciat, seipsum maxime lædit. Virgo quoque si connubio junctam contumelia afficiat, non parum ex mercede sua decidit. Si is qui omnia elargitus est, exprobret ei qui idipsum non fecit, ex laboribus suis multum evacuavit.

Viduæ in ecclesia. — Et quid virgines dico, viduas, et viros qui nihil possident? quid enim vilius iis qui emendicant? attamen illi usum maximum in Ecclesia implent, ostiis templi hærentes et ornatum maximum afferentes : absque illis enim perfecta non esset plenitudo Ecclesiæ. Quod cum initio viderent apostoli, legem statuerunt, ut circa alia omnia, sic et ut viduæ essent; et in ea re tantum studii posuerunt, ut ipsis diaconos septem præficerent. Quemadmodum enim episcopos, presbyteros, diaconos, virgines et continentes enumero, cum Ecclesiæ membra recenseo : sic et viduas. Neque enim illæ levi funguntur munere. Nam tu quidem quando vis, ades; illæ vero die nocteque psallunt et adsunt, non

eleemosynæ tantum causa hæc agentes; si enim hoc vellent, liceret per forum incedere, et in angiportis mendicare; sed non modica moventur pietate. Vide ergo in quanta paupertatis fornace versentur. Blasphemantes apud illas numquam audieris, neque indigne ferentes, quod tamen ex divitibus multæ faciunt. Et illarum quædam esurientes sæpe dormierunt; aliæ autem a frigore assidue vexantur, et tamen in gratiarum actione et glorificatione degunt. Si obolum dederis, gratias agunt, et mille bona danti apprecantur; si nihil dederis, non ægre ferunt, sed sic quoque benedicunt et diligunt, diurno fruentes victu. Nempe etiamsi nolint, inquies, id ferre illas necesse est. Cur quæso? qua de causa hoc acerbum protulisti verbum? annon sunt turpes artes, quæ etiam senibus et viris et mulieribus lucrum afferre possint? si vitam honestam curare nollent, annon poterant inde cum magna ali rerum copia? non vides quot quantique sint istius ætatis lenones et libidinis ministri, et alia quædam hujusmodi munia exercentes, qui aluntur et in deliciis vivunt? At hi minime, sed malunt fame perire potius, quam vitam suam deturpare, et salutem suam prodere; sedentque toto die pharmacum tibi salutis apparantes. Non enim medicus manum extendens et ferrum immittens vulnerum putredinem æque exscindit ut pauper dexteram extendens et eleemosynam accipiens, aufert vulnerum tumores: quodque mirabile est, sine ullo dolore hanc optimam illi exercent medicinam. Ac non minus quam nos qui populo præsumus et vos ad utilia hortamur, ille qui ante fores ecclesiæ sedet per silentium et aspectum vos alloquitur. Nos enim hæc vobis quotidie insonantes dicimus: Ne altum sapias, o homo: repente transit et fluxa est hominum natura; juventus ad senium festinat, forma ad deformitatem, robur ad infirmitatem, honor ad contemptum, sanitas in infirmitatem incidit, gloria in vilitatem, divitiæ in paupertatem: fluento vehementi res nostræ similes sunt, quod numquam vult consistere, sed ad declive festinat.

5. Hæc quoque, imo plura per aspectum illi consulunt, et per experientiam ipsam, quæ est manifestior admonitio. Quam multi ex iis, qui foris sedent, in juventute floruerunt, magna patrarunt? quam multi ex his deformibus et corporis fortitudine et forma multos superarunt? Sed ne fidem negetis, neu rideatis: nam innumeris hujusmodi exemplis plena est vita. Nam si multi viles et abjecti homines sæpe reges sunt effecti, quid mirum si ex magnis et gloriosis viles et inglorii sunt effecti? nam illud certe longe mirabilius est; hoc vero postremum sæpissime contingit. Quapropter non oportet fidem non adhibere, si in artibus, in militia et in pecuniarum copia quidam eorum floruerint; imo miserari convenit illos cum affectu multo, et quique debemus timere ne similia patiamur. Etenim nos quoque homines sumus, et huic celeri subjecti mutationi. Sed fortassis ex improbis quispiam, qui irridere solent, ea quæ dicta sunt carpet, nosque omnino traducet dicens: Quousque non cessabis pauperes et egenos semper in orationem inducere, et calamitates nobis prædicere, paupertatem prænuntiare, id curans ut nos mendicos efficias? Non curans ut vos mendicos efficiam, o homo, hæc dico, sed vobis cæli divitias aperire studens. Nam qui apud bene valentem ægrotos memorat, illorumque dolores enarrat, non ut illum ægrotum reddat hoc dicit, sed ut in sanitate conservet, et eorum quæ aliis acciderunt timore hujus incuriam exscindat. Terribilis vobis paupertas videtur esse, ac vel ipso nomine horrenda. Ideo namque pauperes sumus, quia paupertatem timemus, etiamsi mille talenta habeamus. Non enim is qui nihil habet pauper est, sed is qui paupertatem exhorrescit: quoniam et in calamitatibus non eos, qui innumera patiuntur mala, deploramus et miseros existimamus, sed eos qui illa ferre nesciant, etiamsi modica sint. Contra vero is, qui illa scit patienter ferre, et coronis et laudibus dignus est. Et quod hoc ita se habeat, in certaminibus quosnam laudamus? eosne qui multum verberantur, nec dolent, sed erecto collo perstant; an eos qui post primas plagas fugiunt? annon illos quidem coronamus, tamquam fortes magnique animi, hos autem irridemus, ut ignavos et timidos? Sic ergo et in hujus viæ rebus faciamus: eum qui facile omnia sustinet coronemus, ut et illum fortem in omni certamine virum; hunc vero timidum et ad aspera trementem defleamus, qui antequam plagam accipiat, præ formidine exstinguitur. Etenim in certaminibus si quis antequam manus extollat, adversarium videns dexteram extendentem, fugiat antequam plagam accipiat, ridiculus erit, ut enervatus et mollis et in his laboribus imperitus. Ut etiam accidit iis qui paupertatem timent, et ne ejus quidem exspectationem ferre possunt. Non ergo nos vos miseros reddimus, sed vos ipsi id facitis. Quomodo enim non tibi deinceps illudet diabolus, quem ante plagam minas tantum conspicientem, videt formidantem atque trementem? Imo vero cum tu hoc putes esse minas, non erit illi opus ut te percutiat; sed sinens te possidere divitias, ex timore ne auferantur te cera molliorem reddet. Ea enim sumus natura, ut ita dicam, ut ea quæ pertimescimus, postquam ea perpessi sumus, non ita terribilia existimemus, ut ante quam experimentum faceremus. Ut ne ergo hanc virtutem obtineas, in summo te detinet timore, atque ante experimentum ex paupertatis metu te quasi ceram liquefacit. Nam talis homo cera quavis mollior est, et miseriorem quam Cainus vitam ducit, pro iis quæ possidet timens, et de iis quæ non habet dolens; et pro iis quæ habet rursum tremens, utpote fugitivas et ingratas intus retinens divitias, atque variis absurdisque obsessus affectibus. Etenim cupiditas absurda, timor varius, angor animi, et tremor undique avaros exagitant: similesque sunt naviculæ undique a contrariis ventis agitatæ, et fluctus multos sustinenti. Et quanto melius esset hujusmodi hominem decedere, quam perpetuam ferre tempestatem? Nam et Caino tolerabilius erat mori, quam perpetuo tremere.

Pecuniæ spernendæ. — Ne ergo nos quoque talia patiamur, diaboli machinas irrideamus, ejus funes frangamus, dirumpamus gravis lanceæ cuspidem, et omnem ei aditum intercludamus. Si enim pecunias irriseris, non habet quo te percutiat, non habet unde apprehendat : nam radicem evulsisti malorum ; radice vero sublata, neque malus germinabit fructus. Hæc semper dicamus, et finem dicendi non facianus : an vero dicentes aliquid proficiamus, dies ille ostendet, qui in igne revelabitur, qui uniuscujusque opus explorabit, qui lampadas ostendet lucentes et eas quæ tales non sunt. Tunc manifestus erit is qui oleum habet, et is qui non habet. Sed faxit Deus ut nullus tunc reperiatur tali vacuus consolatione ; sed ut omnes largam benignitatem efferant, et claras habentes lampadas, una cum sponso intrent. Illa certe voce nihil terribilius, nihil asperius est, quam tunc audituri sunt ii, qui sine larga eleemosyna hinc demigrarunt, dicente sponso, *Nescio vos* (*Matth.* 25. 12). Absit autem ut hanc audiamus vocem sed suavissimam illam et summe expetendam : *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Ibid. v.* 34). Sic enim beatam ducemus vitam, et omnibus fruemur bonis, quæ mentem humanam exsuperant : quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XXXI.

Cap. 12. v. 21. *Non potest autem oculus dicere manui, Opera tua non indigeo ; aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarii.*

1. Postquam minorum invidiam represserat, illorumque mœrorem abstulerat, quem concepisse illos verisimile erat ex eo, quod alii majoribus donis dignati fuissent ; horum fastum deprimit, qui majora dona acceperant. Cumque hoc fecisset, quando cum illis disserebat ; dicere enim, illud esse donum gratuitum, et non bonum opus, hoc aperte significabat) : nunc autem idipsum vehementius facit, in eadem manens imagine : a corpore enim et ab ejusdem unitate, ad ipsam membrorum comparationem procedit : quod ipsi maxime discere optabant ; quia ad illos consolandos non aptum erat illud, quod omnes unum corpus essent ; quam cum discerent, se in iis quæ habebant non admodum inferiores esse. Et ait : *Non potest autem oculus dicere manui, Opera tua non indigeo ; aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarii.* Nam etsi donum sit minus, at necessarium est : et sicut absque illo multa sunt impedimenta, ita etiam sine hoc plenitudo Ecclesiæ claudicat. Neque dixit, Non dicet, sed, *Non potest dicere ;* ita ut, etiamsi voluerit, etiamsi dixerit, non valeat, neque res eam habeat naturam. Ideo duo extrema assumens, in iis sermonem exercet : primo quidem de manu et oculo, secundo autem de capite et pede, exemplum amplificans. Quid enim pede vilius ? aut quid capite præstantius et magis necessarium ? hoc enim maxime homo est, nempe caput. Attamen non est sibi sufficiens, neque omnia perficere possit. Nam si hoc esset, supervacanee nobis pedes adjecti essent. Neque tamen hic substitit, sed et aliam quærit hyperbolen, id quod semper facit, non usque ad æqualitatem contendens, sed etiam ulterius progrediens. Ideoque subjungit dicens : 22. *Sed multo magis quæ videntur membra corporis inferiora esse, necessariora sunt :* 23. *et quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, iis honorem abundantiorem circumdamus : et quæ inhonestiora sunt nostra, abundantiorem honestatem habent ;* ubique accessionem corporis ponens, et hac ratione illum quoque consolans et hunc comprimens. Non enim hoc dico, inquit, quod majora minoribus opus habeant, sed etiam quod multum opus habeant. Si quid enim infirmum in nobis est, si quid inhonestum, hoc et necessarium est, et majori fruitur honore. Ac recte dixit, *Quæ videntur*, et, *Quæ putamus ;* ostendens non ex natura rerum, sed ex multorum calculo sententiam ferri. Nihil in nobis ignobile : Dei namque opus est. Quid enim partibus genitalibus in nobis videtur inhonestius esse ? Attamen majorem assequuntur honorem : et qui admodum pauperes sunt, etiamsi reliquum corpus nudum habeant, numquam patiantur hasce partes nudas ostendere. Atqui non est hic ordo inhonestorum, sed magis oporteret despici, quam alia. Etenim domi servus qui est ignominia affectus, non modo non fruitur majori cura, sed nec iisdem, queis alii, dignus censetur. Itaque si hoc inhonestum esset, non modo majoribus frui non oporteret, sed neque iisdem : nunc autem majori fruuntur honore, et hoc Dei sapientiæ opus est. Nam illis quidem in natura dedit ut non egerent ; his autem, quoniam in natura non dedit, ut nos præberemus coegit. Sed non propterea inhonesta sunt : quandoquidem et animalia ex natura sua nulla re egent, non vestibus, non calceis, nec tecto, plurima saltem ; sed non ideo corpus nostrum est illorum corpore ignobilius, quia his omnibus indiget. Nam si quis accurate examinaverit, ipsa etiam natura sunt honesta et necessaria : quod etiam ipse subindicavit, non a cura nostra, nec quod majori fruantur honore ; sed ex natura rerum ipsis calculum ferens. Idcirco, cum infirma dicit et inhonesta, *Quæ videntur*, adjicit ; cum autem necessaria dicit, non ultra adjicit, Quæ videntur ; sed ipse sententiam fert dicens esse necessaria ; et jure quidem. Nam ad liberorum procreationem et ad successionem generis nostri utilia sunt. Quamobrem et legislatores Romanorum eos, qui hæc membra excidunt et eunuchos faciunt, puniunt, ut qui commune genus perimant, ipsique naturæ damnum inferant. Sed pereant impudici, qui Dei opera in culpam vocant. Sicut enim vino multi ob temulentos maledixerunt, sic et sexui mulierum ob adulteria : si hæc membra turpia esse putarunt, ob malum quorumdam usum.

Sed non oportuit : non enim naturæ rei attributum est peccatum, sed voluntati ejus qui hoc scelus aggredi audet. Quidam autem ea quæ sunt infirma, inhonesta, et necessaria, et majori fruuntur honore, a Paulo de oculis existimant dicta fuisse, qui vi minores, usu autem cæteris præstant ; inhonestiora autem pedes : nam eorum quoque multa geritur providentia.

2. Deinde, ne aliam rursus hyperbolem faceret, ait: 24. *Honesta autem nostra nullius egent.* Ne quis enim diceret : Ecqua hæc ratio ? honesta despicere et inhonestioribus advigilare ? Non despicientes hoc facimus, inquit, sed quia hæc cura non egent. Et vide quantum encomium paucis efferens transcurrerit, hoc opportune et utiliter faciens. Neque hoc contentus, causam etiam adjicit dicens : *Sed Deus temperavit corpus, ei cui deerat abundantiorem tribuendo honorem*, 25. *ut non sit schisma in corpore.* Si autem temperavit, non sivit apparere id quod erat inhonestius. Etenim quod contemperatur sive miscetur, fit unum, nec apparet quid antea esset : nam ne quidem contemperatum fuisse dixerimus. Et vide quam frequenter defectus prætercurrat dicens, *Ei cui deerat.* Non dixit, Inhonesto vel turpi, sed, *Ei cui deerat.* Cui deerat ; quomodo ? Secundum naturam. *Ei majorem dans honorem.* Et quare ? Ut non esset schisma in corpore. Quia enim immensa consolatione fruentes, dolebant tamen, ut qui minora accepissent, ostendit eos magis fuisse honoratos : *Ei cui deerat*, inquit, *abundantiorem tribuendo honorem.* Deinde autem rationem subjungit, ostendens quod opportune effecisset, ut et illi deesset, et magis cum honoraret. Quæ illa ratio ? *Ne sit*, inquit, *schisma in corpore.* Nec dixit, In membris, sed, *In corpore.* Etenim multa futura erat exsuperantia, si alia quidem et ex natura et nostra providentia curarentur, alia autem neutrum haberent ; sed ab invicem exscissa fuissent, ut quæ ferre non possent conjunctionem : abscissis autem his, cætera quoque damnum accepissent. Vidistin' quomodo ostendit necessario majorem ei qui deficit dari honorem ? Si enim hoc factum non fuisset, communis omnium pernicies fuisset, inquit. Nam si nos illorum non magnam gessissemus curam, nocumenta accepissent cum a natura auxilium non haberent, et ex hoc nocumento periissent ; si periissent, corpus discidissent ; scisso corpore, cætera etiam quæ sunt his longe majora periissent. Viden' horum curæ illorum quoque providentiam esse conjunctam ? Non enim ita in propria natura habent quod sint, ut in corpore habent quod sint unum. Ideo si corpus quidem pereat, nullum ipsis lucrum ex singulorum sanitate ; sed sive oculus maneat, sive nasus, quod suum est servans, ligamine soluto, nulla postea hinc erit utilitas. Quod si hoc manente, illa nocumentum accipiant, et gestantur et ad sanitatem cito redeunt. Sed dixerit fortasse quispiam : Hoc quidem in corpore rationem habet, quod id cui desunt quædam majorem accipiat honorem ; apud homines vero quomodo hoc cernatur ? In hominibus certe maxime id accidere videas. Etenim ii qui circa undecimam horam venerunt, primi mercedem accepere ; et ovis errans pastori suasit ut nonaginta novem alias relinqueret, et ad ipsam accurreret et ut reperta gestaretur, non abigeretur ; et filius prodigus plus honoris accepit, quam is qui se recte gesserat ; et latro ante apostolos coronatus et celebratus est. In talentis quoque idipsum factum videas. Nam qui talenta quinque acceperat, et qui duo acceperat, eadem mercede dignati sunt ; et ipse quod duo accepisset ex magna factum est providentia. Nam si quinque ipsi concredita fuissent, cum non posset illa augere, ex toto excidisset ; cum autem duo accepisset, cum ea quæ penes se erant implesset, eodem dignatus est præmio quo is, qui cum quinque operatus fuerat, et eo illum superavit, quod a minoribus laboribus easdem consequutus sit coronas. Atqui ipse quoque homo erat, ut et ille qui accepit quinque : attamen non tam accurate cum illo rationes exigit Dominus, neque cogit illum ut tanta faciat, quanta conservus ejus ; neque dicit, Cur non potes quinque conficere ? quod merito dixisset ; sed et ipsum coronavit. Hæc ergo cum sciatis, ne insultetis majores minoribus, ne vos ipsos ante illos lædatis ; illis enim abscissis, totum perit corpus. Quid enim aliud est corpus, quam multa membra ? sicut et ipse ait, *Corpus non est unum membrum, sed multa.* Si igitur hoc et corpus, sollicite curemus ut plura maneant plura ; ita ut, si hoc non servetur, letale accipiatur vulnus. Quapropter ille non hoc solum exigit, ut ne ab aliis abscindamur, sed etiam ut admodum conjuncti maneamus. Cum dixisset enim, *Ut non sit schisma in corpore ;* non hoc contentus fuit, sed subjunxit : *Ut in ipsum pro invicem sollicita sint membra ;* alteram hanc quoque causam afferens, cur minora majorem assequantur honorem. Non tantum enim, ut non ab invicem separentur, sic dispensavit Deus, sed etiam ut multa esset caritas et concordia. Nam si singulis opus est proximi saluti advigilare, ne mihi minus et magis dixeris : hic enim non est plus et minus. Manente namque corpore, potest differentia videri ; pereunte autem, non item : peribit vero, nisi minora maneant.

3. Si ergo magna peribunt parvis abscissis, similiter debent hæc magna parvorum perinde atque sui curam gerere : cum horum enim salute manent etiam majora. Itaque etiamsi millies dixeris, membrum esse inglorium et minus ; sed nisi æque provideas, ut pro te ipso, sed ut minus illud negligas, damnum in te transibit. Idcirco non dixit. Ut pro invicem tantum sollicita sint membra, sed adjecit, *Ut de eodem pro se invicem sollicita sint membra ;* id est, simili et et eadem, qua magnus, parvus quoque fruatur providentia. Ne itaque dixeris, Ille plebeius est, sed cogita illum esse membrum corporis, quod totum continet : ac quemadmodum oculus, ita et hic facit ut corpus sit corpus. Ubi enim corpus ædificatur, nullus quidpiam habet amplius, quam proximus. Neque enim hoc corpus facit, ut sit illud quidem majus ; hoc vero minus, sed quod multa sint et diversa. Sicut

enim tu, quia major es, corpus constituis : ita et hic, quia minor. Itaque pusillitas ejus, cum corpus ædificare oportet, par tibi honore fit ad hanc pulchram collectionem ; idipsum enim potest quod tu : id quod inde palam est. Non sit vel minus vel majus membrum, nec honestum et minus honestum, sed sint omnia oculus, aut omnia caput : annon peribit corpus illud ? Id cuivis manifestum est. Rursus si omnia sint minora, idipsum eveniet. Itaque in hoc etiam minora sunt æqualia. Si vero oporteat quid amplius dicere, ut maneat corpus, minor est is qui minor : itaque propter te minor est, ut tu magnus maneas. Ideo eamdem exigit ab omnibus providentiam ; et cum dixisset, *Ut de eodem pro se invicem sollicita sint membra*, hoc rursus interpretatur dicens : 26. *Et sive quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Ideo enim, inquit, providentiam communem fecit, in tanta differentia unitatem constituens, ut eorum etiam quæ contingunt magna esset communio. Nam si quæ geritur erga proximum providentia, communis est salus, necesse est et gloriam et mœrorem communem esse. Tria igitur hic requirit, non discindi, sed accurate junctos esse ; providentiam mutuam similiter geri ; ea quæ accidunt communia reputari. Et superius quidem dicit, quod abundantiorem dederit honorem ei cui deest, eo quod egeat ; ostendens, quod defectus ipse majorem conciliet honorem : hic autem illos exæquat secundum quod alii aliorum mutuam providentiam gerere debent. Ideo namque curavit ut majori fruerentur honore, inquit, ut ne minori cura et providentia fruantur. Non hinc autem solum, sed etiam ex bonis et tristibus quæ accidunt, membra colligantur. Etenim plantæ pedis sæpe infixa spina, totum corpus sensu et sollicitudine afficitur, et dorsum flectitur, et venter et femora comprimuntur, et manus tamquam satellites et ministri procedentes, quod infixum est extrahunt, et caput inclinatur, oculique cum cura et sollicitudine magna respiciunt. Ita ut etiamsi pes minus habeat, quod non possit ascendere ; attamen quod caput deduxerit, par ipsi est, et eodem fruitur honore ; maxime vero quod pedes deducant ipsum non per gratiam, sed per debitum. Itaque, si quod honoratius sit superet, ex eo quod tale cum sit, inferiori debeat honorem et sollicitudinem, et quod cum ipso doleat, hinc æqualitatem multam probat. Quid enim est planta pedis vilius ? quid capite pretiosius ? Sed hoc vadit ad illud membrum, et omnia secum commovet. Rursum si oculi quid patiantur, omnia dolent, et omnia in otio sunt ; et neque pedes gradiuntur, neque manus operantur, neque venter solitis rebus fruitur : atqui infirmitas est oculorum. Cur ventrem liquefacis ? cur pedes retines ? cur manus ligas ? Quoniam illis es alligatus, et ineffabili modo corpus totum patitur. Nisi enim compateretur, non sustinuisset esse socium curæ et providentiæ. Ideo cum dixisset, *Ut in idipsum pro se invicem sollicita sint membra*, subjunxit : *Sive patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : sive glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Et quomodo congaudent, inquies ? Coronatur caput, et totus homo glorificatur : quamquam os dicit, et rident oculi et lætantur : non est oculorum pulchritudo, sed linguæ facundia. Rursus, si pulchri appareant oculi, tota mulier ornatur : sicut etiam oculi, si rectus nasus, collum rectum, et alia membra laudentur, lætantur et præ gaudio gestiunt ; ac rursum lacrymantur in doloribus et calamitatibus eorum, etiamsi ipsi illæsi maneant.

4. Hæc ergo omnes cogitantes, imitemur horum membrorum dilectionem, neque contraria faciamus, malis proximi insultantes, et ejus bonis invidentes : furentium enim hoc est et eorum qui in excessu mentis sunt. Etenim qui effodit oculum, maximum profert amentiæ signum : et qui manum exedit, apertæ insaniæ argumentum præbet. Si autem hoc in membris, in fratribus similiter admissum insipientiæ famam affert, et non leve detrimentum inducit. Nam quamdiu ille resplendet, tua quoque forma apparet, et corpus totum ornatur ; neque enim ad se solum pulchritudinem adducit, sed et tibi gloriandi locum præbet : si autem illum exstinguas, toti corpori communes tenebras effecisti, et omnibus membris induxisti calamitatem ; ut ex contrario, si splendentem conserves, totius corporis formam conservas. Nemo enim dicit, Pulcher est oculus, sed quid ? Formosa est illa : si autem et ipse laudetur, post commune encomium laudatur. Sic et in Ecclesia contingit. Si enim quidam sint, qui bona fama gaudeant, totum corpus laudis fructum percipit. Inimici namque encomia non distinguunt, sed conjungunt. Et si quis dicendi facundia valeat, non illum solum encomiis celebrant, sed et totam Ecclesiam. Neque enim dicunt tantum, Ille mirabilis est, sed quid ? Mirabilem doctorem Christiani habent : et communem faciunt possessionem. Atqui Græci quidem conjungunt, tu vero dividis, et cum tuo corpore pugnas tuisque membris adversaris ? Nescis, hoc omnia subvertere ? nam *Regnum*, inquit, *in seipsum divisum non stabit* (*Marc.* 12. 25).

Nihil ita dissidia parit ut invidia. —Nihil autem ita dividit et separat, ut invidia et livor, hic gravis morbus, qui omni venia privatur, et malorum radice secundum quid gravior est. Avarus enim tunc lætatur, cum acceperit ; invidus vero tunc gaudet, cum alius non acceperit, non cum ipse acceperit : beneficium namque suum putat aliorum adversitatem, non propriam felicitatem, communis quispiam hostis humanæ naturæ circumiens, et Christi membra percutiens : quo quid furiosius fuerit ? Dæmon invidet quidem, sed hominibus, dæmonum vero nulli : tu vero homo cum sis, hominibus invides, et adversus contribulem et congenerem insurgis, quod neque dæmon facit. Ecquam excusationem et defensionem habebis, cum videris fratrem prospere agentem, contremiscis et palles, cum oporteret te coronare, lætari et exsultare ? Si autem velis eum æmulari, non impedio : æmulare sed ut illi, laudem sibi concilianti, similis

sis; non ut illum dejicias, sed ut ad idem culmen pervenias, ut eamdem virtutem exhibeas. Hæc bona est æmulatio, imitari, non impugnare, non dolere de alienis bonis, sed morderi de propriis malis : cui rei contrarium facit invidia ; nam propria negligens mala, de alienis bonis tabescit. Pauper enim non ita a paupertate sua mordetur, quam a proximi copiis : quo quid gravius fuerit? Ille quippe in hoc, ut jam dixi, avaro etiam pejor est : ille enim cum quid acceperit, gaudet; hic vero, cum alius non acceperit, lætatur. Quamobrem, obsecro, hanc malam relinquentes viam et ad zelum bonum mutati (nam talis zelus vehemens est et igne vehementior), magna inde percipiatis bona. Sic et Paulus Judæos ad fidem deducebat, dicens : *Si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis* (*Rom.* 11. 14). Nam qui ita æmulatur ut ille volebat, non tabescit cum viderit alium in bona existimatione esse, sed quando viderit se non id assequi. Invidus vero non sic, sed cum alium prospere agentem viderit, veluti quidam fucus est, qui alienos labores labefactat; et numquam ipse surgere tentat, flens vero cum alium surgentem videt, et omnia facit ut illum dejiciat. Cuinam quis hunc morbum comparaverit? Mihi autem hoc perinde esse videtur ac si quis piger asinus et pinguedine gravis cum equo volucri conjunctus, neque ipse surgere velit, et pondere carnium ipsum conetur detrahere. Nam et hic, ut ipse a profundo somno liberetur, nihil nec cogitat nec curat; nihil vero non agit, ut eum qui in cælum advolat supplantet et dejiciat, accuratus diaboli imitator factus. Nam et ille videns hominem in paradiso, non ipse studuit mutari, sed illum ejicere ex paradiso : et rursus videns illum in cælo sedentem, et alios illo festinantes, idipsum meditatur, eos qui illo pergunt supplantans, et hinc majorem sibi congerens fornacem. Ubique enim hoc contingit; nam is cui invideatur, si vigilet, splendidior evadit; invidus vero plura sibi mala accumulat. Sic et Joseph illustris effectus est; sic Aaron sacerdos : nam invidorum insidiæ effecerunt ut Deus semel et bis eamdem ferret sententiam, et ut virga germinaret. Sic et Jacob multa rerum copia abundavit, aliisque omnibus. Sic invidi in mille se malis complicarunt. Quæ omnia scientes, fugiamus hujusmodi zelum. Cur enim, quæso, invides? quia spiritualem gratiam frater accepit? Et a quo, quæso, accepit? nonne a Deo? Ergo contra illum inimicitiam suscipe, qui donum contulit. Viden' quo malum serpit, et qualem colophonem peccatorum inducit, et quantum suffodit supplicii barathrum? Fugiamus ergo, dilecti, hoc vitium, neque invideamus, ac pro invidis precemur, nihilque non agamus, ut morbum illorum exstinguamus. Sed ne eadem quæ insani illi patiamur, qui volentes pœnas ab illis exigere, omnia faciunt ut flammam sibi accendant. At ne ita nos, sed defl amus illos et lamentemur. Ipsi enim sunt qui lædantur, vermem habentes perpetuum cor ipsorum arrodentem, et veneni congregant fontem omni felle amariorem. Rogemus ergo benignum Deum, ut et illis morbum immutet, et nos ne umquam in hunc incidamus. Nam inaccessum est cælum ei qui hac tabe laborat, et ante cælum hæc vita non vitalis est. Neque enim lignum et lanam insidens tinea ita rodere solet, ut invidiæ febris ossa invidorum corrodit, et animæ temperantiam labefactat. Ut igitur et nos et alios ab innumeris eruamus malis, expellamus a nobis hanc malam febrim quavis tabe deteriorem; ut spirituali suscepto robore, et præsens certamen perficiamus, et futuras consequamur coronas: quas utinam nos omnes adipisci contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXII.

Cap. 12. v. 27. *Vos autem estis corpus Christi, et membra ex parte.*

1. Ne quis enim diceret, Quid ad nos exemplum corporis? illud enim naturæ servit, nostra vero recte facta liberi arbitrii sunt : id ad actiones nostras adducens, et ostendens nos ex animi sententia debere eamdem concordiam habere, quam ipsa membra ex natura, dicit : *Vos autem estis corpus Christi.* Si autem non oportet corpus nostrum dissidere, multo magis non oportet Christi corpus, et eo magis, quo gratia potentior est natura. *Et membra ex parte.* Neque enim corpus sumus tantum, sed et membra sumus. Nam de his ambobus superius disputavit, multos in unum colligens, et ostendens omnes unum secundum imaginem corporis factos esse, et hoc unum per multa constitui, atque in multis esse, et multa ex eo contineri et posse multa esse. Quid est autem illud, *Ex parte?* Quantum ad vos attinet et quantum consentaneum est, esse partem ex vobis ædificatam. Quia enim dixit, *Corpus*, totum autem erat corpus, non Corinthiorum Ecclesia, sed quæ ubique terrarum erat; ideo dixit, *Ex parte;* id est, quia Ecclesia vestra pars est ejus quæ ubique terrarum est Ecclesiæ, et corporis, quod per omnes Ecclesias constituitur : ita ut non solum inter vos, sed etiam cum tota Ecclesia, quæ est in orbe, pacem habere debeatis; si quidem estis justi, si membra totius corporis. 28. *Et quos quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, deinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.* Quod enim superius dixi, hoc nunc facit : quia altum sapiebant de linguis, illam rem semper ultimam ponit. Nam illud primum et secundum non sine causa ponit, sed præmittens id quod pretiosius est, et quod est inferius ostendens. Ideo apostolos præmisit, qui charismata seu dona omnia in se habebant. Et non dixit, Quos posuit Deus in Ecclesia apostolos, sin-

pliciter, aut prophetas ; sed primum et secundum et tertium ponit ; hoc ipsum quod dixi significans. *Secundo prophetas.* Prophetabant enim, ut filiæ Philippi, ut Agabus, ut isti ipsi qui erant apud Corinthios, de quibus dicit, *Prophetæ duo aut tres loquantur* (1. *Cor.* 14. 29). Et ad Timotheum scribens dicebat : *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ tibi data est per prophetiam* (1. *Tim.* 4. 14).

Plures prophetæ erant in Ecclesia Christi, quam in lege veteri. — Ac longe plures tunc erant prophetæ, quam in Veteri Testamento. Neque enim ad decem et viginti et quinquaginta et centum redactum erat prophetiæ donum ; sed hæc gratia ubertim effundebatur, et singulæ Ecclesiæ multos habebant qui prophetabant. Quod si Christus dicat, *Lex et prophetæ usque ad Joannem* (*Matth.* 11. 13), de illis dixit prophetis, qui ejus adventum prædixerunt. *Tertio doctores.* Nam qui prophetat, omnia a Spiritu loquitur : qui docet autem, aliquando ex propria mente disserit. Ideo dicebat : *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime autem qui laborant in verbo et doctrina* (1. *Tim.* 5. 17). Qui autem Spiritu omnia loquitur, non laborat ; ideoque post prophetam illum posuit ; quoniam illud quidem totum est donum, hoc autem etiam humanus labor. Etenim ex se quoque multa loquitur, quæ tamen cum divinis Scripturis consonant. *Deinde virtutes, deinde gratias curationum.* Viden' quomodo rursum distinguit curationes a virtute, quod etiam antea fecit ? virtus enim majus quidpiam est, quam curatio. Nam qui virtutem habet, et castigat et curat : qui vero gratiam curationum habet, morbos tantum curat. Et vide quam optimo usus sit ordine, cum prophetiam ante virtutes et curationes posuit. Superius enim ubi dicebat : *Alii quidem per Spiritum datus est sermo sapientiæ, et alii sermo scientiæ ;* non ordine ponens dicebat, sed indiscriminatim ; hic autem et præponit et subjicit. Cur ergo prophetiam præponit ? Quia etiam in Veteri Testamento talem ordinem illa habet. Cum enim Isaias Judæos alloqueretur, et virtutis Dei demonstrationem præberet, vilitatis dæmonum argumentum in medium adduxit : et hoc divinitatis ejus dixit esse indicium maximum, quod futura prædiceret. Christus vero qui tot miracula patrarat, non parvum hoc dicit esse divinitatis suæ signum ; et frequenter sic sermonem concludit : *Hæc autem dixi vobis, ut cum facta fuerint, credatis quia ego sum* (*Joan.* 13. 19). Sed prophetiæ jure postponuntur gratiæ curationum : cur vero etiam doctrinæ ? Quia non par res est, verbum prædicationis annuntiare et piam religionem seminare in auditorum animis, atque virtutes facere ; quoniam ipsæ propter illud fiunt.

2. Cum ergo quis et verbo et vitæ exemplo erudit, major est omnibus. Illos enim dicit doctores, qui etiam operibus docent et verbo erudiunt. Hoc igitur etiam apostolos esse fecit apostolos. Et illa quidem alii nonnulli non magni pretii initio habuerunt, ut ii qui dicebant, *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et virtutes multas fecimus ?* et postea audierunt, *Numquam novi vos ; discedite a me qui operamini iniquitatem* (*Matth.* 7. 22. 23) : doctrinæ autem verbum duplex illud, quod per opera et per verba exhibetur, malus homo numquam susceperit. Quod si prophetas præponat, ne mireris : non enim simpliciter prophetas dicit, sed eos qui per prophetiam et docuerunt et in communem utilitatem omnia dixerunt : quod in sequentibus manifestius nobis declarat : *Opitulationes, gubernationes.* Quid est, *Opitulationes ?* Ut infirmi protegantur. Hoccine quæso est charisma ? Sane quidem hoc ex Dei dono est protegere, et res dispensare spirituales ; alioquin etiam multa a nobis præclare gesta charismata vocat, nolens ut concidamus, sed ostendens nos semper auxilio Dei indigere, et nos instituens ut grati animi simus, sicque alacriores reddens, illorumque sensus excitans. *Genera linguarum.* Vidistin' ubi hoc donum posuerit, et quomodo ubique ultimum illi tribuat ordinem ? Deinde, quia ex hoc catalogo multam ostendit differentiam, et illum excitavit morbum eorum qui minora habebant charismata ; demum cum vehementia magna illos aggreditur, dum iis multa præbet argumenta, quod non in multo minorem ordinem redacti sint. Quia enim verisimile erat illos hæc audientes dicere : Et cur non omnes apostoli facti sumus ? superius quidem magis consolatoria oratione usus est, multis ostendens sic necessario factum esse, etiam ab imagine corporis : *Corpus* enim, inquit, *non est unum membrum :* et rursum, *Si autem essent omnia unum membrum, ubi corpus ?* et quod utiliter data sint : *Unicuique* enim, inquit, *manifestatio Spiritus datur ad utilitatem ;* et ex eo quod omnes ex eodem Spiritu audiant, et quod charisma donum sit, sed non debitum : *Divisiones* enim, inquit, *gratiarum sunt, idem vero Spiritus ;* et quod manifestatio Spiritus per omnia fiat : *Unicuique* enim, inquit, *manifestatio datur per Spiritum ;* et ex eo quod prout videtur Spiritui et Deo hæc figurata sint : *Hæc* enim *omnia,* inquit, *operatur unus et idem Spiritus, dividens singulis prout vult ;* et, *Posuit Deus membra unumquodque eorum in corpore sicut voluit :* et quod necessaria sint etiam minora : *Quæ* enim *videntur,* inquit, *infirmiora esse, necessaria sunt ;* ex eo quod similiter necessaria sint, in eo quod corpus perinde construant atque ea quæ majora sunt : *Corpus enim,* inquit, *non est unum membrum, sed multa ;* ex eo quod majora minoribus opus habeant : *Non potest* enim, inquit, *caput dicere pedibus, Vestra opera non egeo ;* ex eo quod majori hæc fruantur honore : *Ei autem cui deest,* inquit, *abundantiorem dedit honorem ;* ex eo quod communem et parem curam habeant : *In idipsum* enim *sunt inter se invicem sollicita omnia membra ;* et ex eo quod sit una gloria et unus dolor ipsorum omnium : *Sive patitur,* inquit, *unum membrum, compatiuntur omnia membra ; sive glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Superius igitur per hæc consolatus est ; hic autem vehementer et increpantis more verbo utitur. Nam, ut dixi,

neque semper consolari, neque semper os obstruere oportet. Ideo et ipse, quia multis illos consolatus erat, vehementer deinceps illos insectatur, dicens: 29. *Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes gratiam habent curationum?* Neque consistit in primo vel secundo charismate, sed pergit usque ad postrema; aut hoc dicens, Non possunt omnes esse omnia; quemadmodum illic dicit: *Si omnia essent unum membrum, ubi corpus?* vel aliud quidpiam hinc postea apparans ad consolationis verbum. Quale illud? Quod ostendat de minoribus perinde atque de majoribus contendi, eo quod neque hæc omnibus data fuerint. Quid enim, inquit, doles, quod non habeas gratiam curationum? cogita id quod tu habes, etiamsi sit minus, sæpe non habere eum qui majus quidpiam habet. Ideo ait: 30. *Numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* Quemadmodum enim magna non omnibus dedit Deus, sed aliis hoc, aliis illud: sic et in minoribus fecit, quæ nec omnibus proposuit. Illud autem fecit, multam inde concordiam et caritatem ædificans, ut unusquisque proximo opus habens, cum fratre congregetur. Hoc in artibus quoque dispensavit, hoc in elementis, hoc in plantis et in membris nostris et in omnibus.

3. Deinde opportunissimam adjicit consolationem, quæ possit recreare ac sedare dolentem animam. Quænam illa est? 31. *Æmulamini*, inquit, *charismata meliora. Et adhuc excellentiorem vobis viam demonstro.* Hoc autem dicens subindicavit illos in causa fuisse quod minora acceperint, et penes illos esse, si velint, majora accipere. Cum enim dicit, *Æmulamini*, ab illis studium exigit et desiderium circa res spirituales. Neque dixit, Majora, sed, *Meliora;* id est, utiliora, quæ conferant. Hoc autem vult significare: Manete charismata desiderantes, et ostendo vobis charismatum viam. Non enim dixit, Charisma, sed, *Viam*, ut magis extollat id quod est dicturus. Neque enim unum vel duo vel tria charismata ostendo vobis, sed viam unam ad hæc omnia ducentem; nec modo viam, sed etiam cum hyperbole, et omnibus una propositam. Non sicut charismata his hæc, aliis illa, sed non omnia omnibus dantur; ita et hoc; sed universale donum est. Ideoque omnes ad hoc vocat: nam ait, *Æmulamini charismata meliora: et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro;* caritatem dicens erga proximum. Deinde sermonem de illa aggressurus et encomium hujus præclare facti, primum facta cum illa comparatione hæc de medio tollit, ostendens ea nihil esse sine illa, admodumque prudenter. Nam si statim de caritate disseruisset, et postquam dixerat, *Viam vobis demonstro*, subjunxisset, Hæc autem est caritas, et non per comparationem orationem produxisset; dictum quidam subsannassent, rei vim non clare scientes, sed adhuc ad hæc inhiantes. Quapropter non statim illam revelat; sed cum primo auditoris animum per promissionem extulisset, ac dixisset, *Excellentiorem viam vobis demonstro*, et in desiderium induxisset; neque sic statim in illam ingreditur, sed augens adhuc desiderium illud, de his ipsis primo disserit, et ostendit, si illa non sit, ea nihil esse; in maximam illos necessitatem inducens se mutuo diligendi, quoniam ex eo quod illa neglecta fuisset, causa hinc omnium malorum erat. Quamobrem vel inde merito magna illa appareat; si quidem charismata non modo illos non conciliarunt et congregarunt, sed etiam conjunctos separarunt: hæc vero illos, qui per charismata disjuncti fuerant, per seipsam conciliatura et unum corpus effectura est. Sed non statim hoc dicit, verum quod maxime illi desiderabant, hoc ponit; nempe quod res ipsa charisma sit, et ad charismata omnia via excellens. Quapropter etiamsi non eo quod debeas, velis fratrem diligere, ex eo quod majus accipias signum et copiosum charisma, caritatem suscipe. Et vide undenam incipiat: primum ab eo quod mirabile videbatur et magnum apud illos esse, a linguis nempe: et charisma in medium adducens, non tantum illud posuit quantum ipsi habebant, sed longe majus. Neque enim dixit, Si linguis loquar, sed, (*Cap.* 13) 1. *Si linguis hominum loquar.* Quid significat illud, *Hominum?* Omnium per orbem gentium. Neque tamen hac hyperbole contentus fuit, sed aliam longe majorem ponit, subjungens ac dicens, *Et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum æs sonans aut cymbalum tinniens.* Viden' quonam usque elatum charisma, quonam usque demiserit ipsum et projecerit? Neque enim solum dixit, Nihil sum, sed *Factus sum æs sonans*, insensibile quid et inanimatum. Quomodo autem æs sonans? Vocem quidem emittens, sed frustra et temere, ad nullum usum. Præterquam enim quod nihil perficio, molestiam creare videor et molestus esse multis. Viden' quomodo is qui caritatis expers est, inanimatis et insensilibus sit similis? Linguam autem angelorum hic dicit, non corpus angelis tribuens, sed hoc vult significare: Etiamsi ita loquar, ut angeli solent inter se colloqui, sine caritate nihil sum; imo onerosus et molestus. Sic enim alibi quoque cum dicit: *Ipsi flectetur omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philipp.* 2. 10); non genua et ossa angelis attribuens hæc dicit; absit; sed et intensam et grandem adorationem per illum quo apud nos fit modum subindicare vult. Sic et hoc loco linguam vocavit, non carnis organum significans, sed illorum mutuum colloquium noto apud nos modo adumbrare voluit. Deinde ut acceptior fiat oratio, non ad linguas usque consistit, sed ad reliqua pergit charismata, omniaque, si illa absit, dejiciens, tunc ejus depingit imaginem: et quoniam amplificare vult orationem, a minoribus incipiens, ad majora ascendit. Quod enim, quando eorum indicavit ordinem, postremum posuit, nempe donum linguarum, hoc nunc primum numerat, paulatim, ut dixi, ad majora ascendens. Nam cum de linguis dixisset, ad prophetiam mox transit, et ait: 2. *Et si habuero prophetiam;* et hanc rursum cum hyperbole. Sicut enim ibi linguas non posuit, sed hominum omnium linguas, et progressus etiam angelorum, et tunc ostendit hoc charisma nihil esse sine

caritate : sic et hoc loco non prophetiam ponit tantum, sed summam etiam prophetiam. Cum dixisset enim, *Si habuero prophetiam*, subjunxit : *Et noverim mysteria omnia et omnem scientiam ;* cum emphasi et intentione hoc etiam charisma ponens.

4. Deinde ad reliqua charismata progreditur. Et ne singula enumerans videatur rursum molestus esse, matrem et fontem omnium ponit, et ipsam rursus cum hyperbole, sic dicens : *Et si habuero omnem fidem.* Neque satis habuit hoc dixisse, sed etiam illud, quod ut maximum Christus dixit, id etiam adjecit : *Ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Perpende autem quomodo hic rursus linguarum dignitatem dejiciat. Prophetiæ namque multum ostendit lucrum, quod sciat mysteria et omnem habeat scientiam; fidei autem opus non parvum, quod montes transferat : de linguis vero ipsum solum charisma indicans, recedit. Tu mihi illud quoque considera, quomodo paucis omnia complexus sit charismata, prophetiam dicens et fidem : aut enim in verbis aut in operibus signa sunt. Sed quomodo Christus dixit, minimam esse fidei partem, posse montem transferre ? nam ut minimum significans, ita posuit dicens : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, Transi, et transibit* (*Matth.* 17. 19) : Paulus vero dicit hanc omnem fidem esse? Quid ergo dicendum? Quoniam magnum illud erat, montem transferre, ideo illud memoravit; non quasi hoc sola posset tota fides, sed quia hoc magnum crassioribus videbatur esse ob molem corporis, hinc quoque rem propositam amplificat. Hoc autem vult significare : Si habuero omnem fidem, et si possim montes transferre, caritatem autem non habuero, nihil sum. 3. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Papæ, quanta hyperbole! Etenim hæc ponit cum alio additamento. Non enim dixit : Si dedero pauperibus dimidiam facultatum mearum partem, aut duas vel tres partes; sed, *Si omnes facultates meas.* Neque dixit, Dedero, sed, *Distribuero in cibos ;* ita ut cum impensa etiam ministerium et operam adjiciat, cum accuratione omni. *Et si dedero corpus meum, ita ut ardeam.* Non dixit, Si moriar ; sed hoc etiam cum hyperbole : omnium enim gravissima morte posita, nempe vivum comburi, eam etiam sine caritate nihil magnum esse dixit. Subjunxit itaque, *Nihil mihi prodest.* Sed nondum totam hyperbolen ostendi, donec Christi testimonia circa eleemosynam et mortem in medium adduxero. Quænam ergo sunt testimonia? Diviti dixit, *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni sequere me* (*Matth.* 19. 21); et de caritate erga proximum disserens ait : *Majorem hac caritatem nemo habet, ut quis ponat animam suam pro amicis suis* (*Joan.* 15. 13). Unde palam est etiam apud Deum hoc omnium maximum esse. At ego dico, inquit Paulus, etiamsi pro Deo ponamus illam, neque solum ponamus, sed ita ut comburamur (hoc enim sibi vult, illud, *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam*), non magnum erit lucrum nobis, si proximum non diligamus.

Charismata seu dona nihil prosunt sine bona vita. — Itaque dicere charismata non multum prodesse, caritate absente, nihil mirum : nam in vita quoque inferiora sunt charismata. Multi namque qui charismata exhibuere, quia improbi fuerunt, pœnas dederunt : ut illi qui in nomine ejus prophetaverant, dæmonia multa ejecerant, et virtutes multas fecerant; ut Judas proditor : alii autem fideles, qui vitam duxerant puram, nullo alio opus habuere ad salutem obtinendam. Quod ergo charismata, ut dixi, illa egeant, nihil mirum : quod autem vita accurata et pura nihil possit sine illa, hoc certe magnam effert hyperbolen, et multam parit difficultatem ; cum maxime Christus his ambobus magna decernere videatur; nempe facultatum abdicationi, et periculis martyrii. Nam diviti ait, ut jam dixi : *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni sequere me ;* et discipulis de martyrio disserens dicebat : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam;* et, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis* (*Matth.* 16. 25. *et* 10. 32). Nam hujus præclaræ gestæ rei labor magnus est, et ipsam fere superat naturam : et hoc probe sciunt ii, qui hisce coronis digni fuere : nullus enim sermo id exprimere possit ; ita generosæ nempe animæ facinus est, et supra modum admirandum.

5. Attamen illud admirandum non multum prodesse sine caritate dicit Paulus, etiamsi depositas facultates simul junctas habeat. Cur ergo sic loquutus est? Hoc jam ostendere conabor, cum primo illud quæsierim, quomodo is qui facultates omnes in cibos distribuit, possit esse sine caritate. Ille enim, qui paratus est ad corporis combustionem, licet charismata habeat, fieri fortasse potest ut non diligat : sed ille qui non modo facultates dat, sed etiam in cibos distribuit, quomodo non diligit? Quid ergo dicendum? Vel quod id quod non erat, ac si esset, supposuerit, quod semper facere solet, cum hyperbolem quamdam vult proferre ; ut cum Galatis scribens dixit : *Si nos, aut angelus de cælo evangelizet vobis præterquam id quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* 1. 8). Atqui neque ipse, neque angelus id facturus erat; sed ut ostenderet rei excellentiam, id quod numquam futuram erat posuit. Et rursum cum Romanis scribit et dicit, *Neque angeli, neque principatus, neque virtutes poterunt nos separare a caritate Dei* (*Rom.* 8. 39) : neque enim id facturi erant angeli; sed hic etiam id supponit, quod non exsistit; sicut etiam id quod sequitur, *Neque creatura alia.* Neque alia creatura : omnia enim ipse comprehendit, quæ supra et quæ infra sunt, cum omnia dicit; sed hic etiam id quod non est exsistere supponit, ut ostendat cum hyperbole desiderium suum : id quod etiam hic facit dicens, *Si omnia quis dederit, caritatem autem non habuerit, nihil ipsi prodest.* Aut hoc igitur est dicendum, aut quod velit eos qui ero-

gant conjunctos et conglutinatos esse accipientibus, nec simpliciter dare sine ulla commiseratione, sed miserentes, inflexos, fractos, et cum egenis dolentes. Ideo namque eleemosyna a Deo lege constituta est. Nam poterat Deus sine ullo alio pauperes alere; sed ut nos in caritate conjungeret, et ut erga alios invicem incenderemur, ipsos jussit a nobis ali. Ideo alibi quoque dicit : *Sermo bonus melior, quam donum* : et, *Ecce sermo supra donum bonus* (*Eccli.* 18. 16. 17). Ipseque ait, *Misericordiam volo, et non sacrificium* (*Matth.* 9. 18). Quia enim mos est, illos amare qui beneficio afficiuntur, et eos qui bono afficiuntur erga beneficos bene affectos esse, vinculum amicitiæ faciens, hoc lege præcepit. Sed quod quæritur est, quomodo, Christo hæc ambo perfectionis esse declarante, hic illa sine caritate imperfecta esse dicat. Non ipsi contradicens, absit; sed admodum cum illo consonans. Nam diviti non modo dixit, *Vende omnia quæ habes et da pauperibus;* sed subjunxit, *Et veni sequere me.* Ex iis vero qui sequuntur illum, nihil ita discipulum Christi comprobat, ut amor proximi. *In hoc* enim *cognoscent omnes*, inquit, *quod discipuli mei estis, si diligatis invicem* (*Joan.* 13. 35). Et cum dicit, *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam;* et, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo, qui in cœlis est* (*Matth.* 10. 39 *et* 32); non hoc dicit, quod hæc non fiant propter caritatem, sed mercedem his laboribus repositam indicat. Nam quod cum martyrio hoc quoque requirat, alibi hoc valde subindicavit, sic dicens : *Calicem quidem meum bibetis, et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini* (*Matth.* 20. 23); id est, martyrium sustinebitis, pro me occidemini; *sedere autem ad dexteram vel sinistram meam;* non quod quidam sedeant ad dexteram vel ad sinistram ejus, sed supremam sedem et honorem dicens; *non est meum dare*, inquit, *sed quibus paratum est.* Deinde ostendens quibus paratum sit, ipsis advocatis, dicit : *Qui voluerit in vobis esse primus, sit omnium vestrum minister* (*Ibid. v.* 26), humilitatem significans et caritatem. Caritatem vero summam requirit. Ideo neque ibi substitit, sed subjunxit : *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis* (*Ibid. v.* 28); ostendens sic amare oportere, ut etiam mors ferenda sit pro dilectis : hoc enim maxime est ipsum diligere. Ideo etiam Petro dicit : *Si amas me, pasce oves meas* (*Joan.* 13. 19). Et ut discatis quantum sit illud et quam præclare gestum, ipsam caritatem verbo describamus, quandoquidem ipsa re nusquam illam conspicimus; et cogitemus, quod si illa ubique abundanter esset, quanta hinc bona orirentur. Neque enim legibus neque judiciis opus esset, neque suppliciis, neque ullo alio hujusmodi. Nam si omnes diligerent et diligerentur, nemo cuiquam fecisset injuriam; sed cædes, pugnæ, bella, seditiones, rapinæ, avaritia, omniaque mala, procul abscessissent, et ad nomen usque ignoratum vitium fuisset. Signa autem hoc non effecerint, sed ad vanam gloriam et arrogantiam extollunt eos qui non attendunt.

6. *Caritas ab omni pernicie libera.* — Quodque mirum in caritate, cætera quidem bona habent adjuncta mala; verbi gratia, qui facultates non habet, ea de causa sæpe inflatur; qui dicendi peritus est, gloriæ cupiditate laborat; humilis propter hoc in conscientia sua altum sapit : caritas autem ab hujusmodi omni pernicie libera est : nam contra dilectum numquam quis extollatur. Nec mihi posueris unum qui diligat, sed omnes similiter, et tunc ejus virtutem videbis : imo potius, si placet, primo unum dilectum et unum amantem pone; amantem scilicet ut par est diligere. Nam terram tamquam cælum incolet, ubique tranquillitate fruens, et innumeras sibi nectens coronas. Qui enim talis est, et invidia et ira et livore arrogantiaque, vana gloria et mala concupiscentia, omnique absurdo amore atque morbo puram servabit animam suam. Quemadmodum enim sibi ipsi nemo quidpiam mali intulerit, ita neque hic proximis. Talis vero cum sit, cum ipso stabit Gabriele, in terra gradiens. Et qui caritatem quidem habet, talis est : qui vero signa facit, et perfectam habet scientiam sine caritate; etiamsi mille mortuos suscitaverit, nihil magnum lucrabitur, ab omnibus abruptus et cum nemine conservorum se commisceri patiens. Ideo Christus perfectæ in ipsum caritatis signum dixit esse proximum diligere. Nam ait : *Si diligis me, Petre, plus his, pasce oves meas.* Vidistin' quo pacto hinc rursum subindicaverit, quod hoc sit majus martyrio? Etenim si filium quis haberet dilectum, et pro quo etiam animam dare paratus esset; deinde quispiam patrem amaret, filio autem nullo modo animam adhiberet, patrem admodum irritaret, neque sensum caperet illius in se amoris, eo quod filium contemneret. Quod si in patre et filio hoc contingit, multo magis in Deo et hominibus : amantior enim Deus est, quam patres omnes. Propterea cum dixisset : *Primum et magnum mandatum : Diliges Dominum Deum tuum*, subjunxit : *Secundum autem*, nec siluit, sed adjecit, *Simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* 22. 38. 39). Et vide quomodo cum eadem fere hyperbole hoc exigat. De Deo namque dicit, *Ex toto corde tuo;* de proximo autem tuo, *Sicut teipsum;* quod perinde est atque illud, *Ex toto corde tuo.* Etenim si accurate hoc servaretur, non servus, non liber esset; non princeps, non subditus; non dives, non pauper; non parvus, non magnus; non diabolus umquam cognitus fuisset : non dico, Hic, sed etiamsi alius talis, etiamsi centum, etiamsi innumeri tales essent, nihil potuissent, illa exsistente. Ignis enim injectionem potius fœnum tulisset, quam flammam caritatis diabolus. Hæc muro fortior est, hæc adamante firmior; et si quam aliam dixeris fortiorem materiam, omnia superat caritatis firmitas. Hanc nec divitiæ, nec paupertas vincit; imo potius non esset paupertas, non nimia divitiarum copia, si caritas esset, sed ea solum quæ ex utrisque sunt bona. Etenim ex illis copiam decerperemus, ex hac

vero libertatem a curis, ac neque divitiarum sollicitudines, neque paupertatis metum sustineremus. Ecquid dico de lucris ex illa partis? Ipsa quoque in se dilectio, quanta sit considera, quantam ferat lætitiam, in quanta gratia constituat animam : quod quidem in illa eximium est. Aliæ namque virtutis partes conjunctum habent laborem ; verbi gratia, jejunium, temperantia, vigiliæ, invidiam, concupiscentiam, contemptum : caritas autem cum lucro multam habet etiam voluptatem, et laborem nullum : et sicut bona apis, undique bona colligens, illa deponit in anima ejus qui diligit. Etiamsi quis serviat, libertate suaviorem exhibet servitutem. Qui enim amat non ita gaudet cum imperat, ut cum imperatur, etiamsi imperare sit jucundum ; sed ipsa rerum naturam transmutat, advenitque in manu bona omnia habens, quavis matre blandior, quavis regina locupletior : quæque laboriosa sunt, levia et facilia reddit, virtutem facilem, nequitiam acerbissimam nobis exhibens. Animadverte autem : impendere videtur molestum esse, et hoc illa dulce reddit ; aliena accipere jucundum, et non sinit illud jucundum apparere, sed ut pravum fugere suadet. Rursus maledicere suave omnibus videtur esse ; ipsa autem illud amarum esse declarat, et benedicere dulce : nihil enim nobis ita suave est, ut laudare eum quem amamus. Rursus ira aliquam habet voluptatem ; at hic nequaquam, sed omnes ejus nervi sublati sunt : etiamsi is qui diligitur diligenti se molestiam crearit, ira nusquam apparet, sed lacrymæ, adhortationes et supplicationes : tantum abest ut exasperetur. Etiamsi videat peccantem, luget et dolet; sed dolor ille voluptatem affert. Caritatis enim lacrymæ et dolor risu sunt omni et gaudio suaviores. Non adeo igitur quiescunt ii qui rident, ut ii qui pro amicis plorant : et si id non credis, reprime illorum lacrymas, et ac si gravissima paterentur, ita ægre ferunt. At amare, inquies, absurdam habet voluptatem. Absit, bona verba, o homo : nihil enim ita purum est ut caritas genuina.

7. Ne mihi enim dicas illam popularem et forensem, qui est potius morbus, quam caritas et amor, sed hanc quam Paulus quærit, quæ quod utile dilectis est spectat, et videbis illos esse patribus amantiores. Ac quemadmodum ii qui pecunias amant, pecunias impendere non elegerint, sed suavius putant in angustia esse, quam illas imminutas videre : sic et ille qui erga aliquem bene et suaviter affectus est, innumera pati maluerit, quam dilectum videre læsum. Quomodo igitur, inquies, Ægyptia illa, quæ Josephum amabat, illum contumelia afficere voluit? Quia illum amabat dilectione diabolica. Joseph vero non hanc habuit, sed eam quam Paulus dilectionem quærebat. Cogita igitur quantæ caritatis ejus verba essent, et quas res illa dicebat : Me contumelia affice et adulteram redde : injuriam infer viro, et totam subverte domum, teque ipsum abjice a fiducia quam in Deum habes : quæ verba illius erant, quæ nec illum, nec seipsam amaret. Hic autem, quoniam sincere amabat, hæc omnia abjecit. Atque ut ediscas quod ejus curam gereret, ex ejus adhortatione id percipe. Non modo enim illam repulit, sed et adhortationem induxit, quæ poterat omnem flammam exstinguere : *Si enim dominus meus*, inquit, *propter me nihil novit in domo sua* (*Gen.* 39. 8). Statim illi virum suum in mentem revocavit, ut illam pudore afficeret. Nec dixit, Vir tuus, sed *Dominus meus*, quod magis posset illam retinere et suadere cogitare, quænam cum esset, quem amaret, nempe domina servum. Nam si ille est dominus, et tu domina. Pudeat te igitur colloquii talis cum servo, et cogita cujus eum sis uxor, cum quo velis coire, et in quem sis ingrata, et quod ego majorem exhibeam benevolentiam. Vide autem quomodo ejus extollat beneficia. Quia enim nihil sublime poterat barbara illa et impudica cogitare, ab humanis illam pudore suffundit, dicens : *Propter me nihil cognoscit ;* id est, Magna mihi beneficia confert, nec possum patronum in rebus præcipuis lædere. Me secundum dominum fecit domus suæ, et *Nullus eximitur, nisi tu.* Hic ejus sensum et animum extollit, ut sic illam ad pudorem inducat, et ostendat magnum esse honorem. Neque hic substitit, sed etiam induxit nomen quod posset illam retinere dicens : *Eo quod tu sis uxor ejus ; et quomodo faciam verbum hoc malum?* Sed quid dicis? Non adest vir, neque scit se injuria affici? Sed Deus aspiciet. At nihil ex tali consilio illa lucrata est, sed illum attraxit. Furorem namque suum complere volens, non amans Josephum hæc fecit, ut palam est ex iis quæ postea designavit. Judicium enim constituit, et accusationem infert, atque falsa testificatur, ac feræ tradit eum, qui se nihil læserat, in carceremque conjicit ; imo potius, quantum in se erat, occidit : ita nempe judicem armavit. Quid igitur? eratne Joseph etiam talis? Imo contra ; neque enim contradixit, neque mulierem accusavit. At, inquies, non creditum illi fuisset. Atqui valde amabatur, ut palam est, non ex principio solum, sed etiam ex fine. Nisi enim illum barbarus ille multum dilexisset, etiam occidisset silentem et nihil contradicentem. Etenim Ægyptius erat et princeps, et in conjugali lecto affectus injuria, ut putabat; et a famulo, a famulo inquam, qui tot beneficia acceperat. Sed hæc omnia vicit dilectio et gratia, quam Deus in illum infudit. Cum gratia autem et dilectione hac indicia habuit non parva, si jure contendere voluisset, ipsa vestimenta. Si enim illa vim passa fuisset, oportebat ruptam ejus fuisse tunicam, laceratum vultum, non illius vestimenta tenere. *Sed audivit*, inquit, *quod vocem extuli, et relictis vestibus abiit* (*Gen.* 39. 15). Cur ergo eum exuisti? quid vim patienti optandum erat? Ut liberaretur ab eo qui sibi violentiam inferret. Ego vero non hinc tantum, sed etiam ex sequentibus ostendere possim ejus benevolentiam et amorem. Etenim cum in necessitatem incidit, ut causam diceret carceris et diuturnæ in illo moræ ; neque tunc drama illud et rem gestam aperuit ; sed quid ait? *Et ego nihil feci, sed furto sublatus sum ex terra Hebræorum* (*Gen.* 40. 15). Et nusquam memorat adulteram ; neque de ea re gloriatur, quod quislibet alius fecisset, etiamsi non

gloriæ causa, sed ne videretur mala de eau a in tale conjectus fuisse domicilium. Si enim peccantes homines neque sic abstinent a tali accusatione, etiamsi res dedecus afferat : quomodo non dignus admiratione ille est, quod cum esset purus, non dixerit amorem mulieris, neque peccatum evulgaverit, neque etiam quando in solium ascendit et Ægypti totius rex factus est, injuriæ sibi a muliere illatæ reco datus sit, neque ab illa pœnas expetierit ?

8. Vidistin' quomodo ipse ejus curam habebat; illa vero non amabat, sed furebat? Neque enim Josephum diligebat, sed volebat libidinem explere : nam si quis ipsa verba accurate examinaverit, ea furorem omnino spirant et cædem. Quid enim ait ? *Induxisti puerum Hebræum, ut nobis illuderet* (*Gen.* 39. 17) : beneficium marito exprobrans : et vestimenta ostendebat, omni fera sævior. Sed non ita ille. Ecquid dico ejus erga ipsam benevolentiam, quando erga fratres, qui ipsum pene occiderant, talis erat, et numquam de ipsis vel intus vel foris aliquid grave vel molestum dixit ? Ideo Paulus caritatem dixit esse matrem omnium bonorum, eamque præfert signis aliisque charismatibus. Quemadmodum enim si vestes et calcei aurei sint, alio etiam indicio opus habemus, ut noscamus regem ; si vero purpuram videamus et diadema, nullum aliud regni signum videre quærimus : ita hic quoque. Cum caritatis est impo situm diadema, sufficit ut Christi verum discipulum ostendat, non nobis tantum, sed etiam infidelibus. *In hoc enim*, inquit, *cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilexeritis invicem* (*Joan.* 13, 35). Itaque hoc signum omnibus signis est majus, siquidem in ipso cognoscitur discipulus. Etiamsi enim quidam innumera edant signa, si invicem dissideant, ridiculi infidelibus erunt : quemadmodum si nullum faciant signum, et sese valde mutuo diligant, et venerandi et invicti apud omnes manebunt. Nam et Paulum ideo miramur, non propter mortuos quos s·scitavit, non propter leprosos quos mundavit, sed quia dicebat, *Quis infirmatur, et ego non infirmor ? quis scandalizatur, et ego non uror* 2. *Cor.* 11. 29) ? Etiamsi enim millia ad hæc signa adjeceris, par nihil dices. Nam et ipse dicebat, magnam sibi mercedem repositam esse, non quod signa fecisset, sed quia infirmis factus est infirmus. *Quænam est* enim, inquit, *mea merces ? Ut evangelizans sine sumptu ponam evangelium* (1. *Cor.* 9. 18). Et cum se apostolis præponit, non dicit, Plura quam ipsi feci signa, sed, *Plus illis laboravi* (1. *Cor.* 15. 10). Quin etiam fame ideo mori volebat, pro salute discipulorum : *Bonum est* enim, inquit, *mihi magis mori, quam ut gloriationem meam quis evacuet* (1. *Cor.* 9. 15) ; non quod ipse gloriaretur, sed ne videretur ipsis exprobrare. Nusquam enim solet gloriari in bonis operibus suis, si tempus ad id non vocet ; sed etiamsi coactus sit, insipientem se vocat.

Paulus aliquando coactus gloriatur. — Si quando autem gloriatur, in infirmitatibus, in contumeliis, in eo quod valde misereatur eorum quibus molestia creatur, id facit ; ut etiam hoc loco dicit : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ?* Hæc verba sunt periculis ipsis majora : ideoque illa posteriora ponit, sermonem amplificans. Quanam ergo re nos digni fuerimus, si cum illo comparemur, qui neque pecunias despicimus propter nos ipsos, neque superflua ex facultatibus erogamus ? At non ille sic, sed et animam et corpus tradebat, ut qui illum lapidabant et colaphis cædebant, regnum consequerentur. Sic enim me, inquit, docuit Christus diligere, qui novum mandatum reliquit de dilectione, et quod ipse operibus implevit. Etenim cum Rex universorum esset, et beatæ illius naturæ ; homines, quos ex nihilo produxit, et quibus millia contulit beneficia, se contumelia afficientes et respuentes non aversatus est, sed et homo factus est propter illos, cum meretricibus et publicanis conversatus est, dæmoniacos curavit, et cælum promisit. Post hæc autem omnia comprehensum ipsum colaphis ceciderunt, ligaverunt, flagellarunt, irriserunt, demum crucifixerunt. Sed ne sic quidem illos aversatus est, sed cum sursum esset in cruce, dixit, *Pater, dimitte illis peccatum* (*Luc.* 23. 34). Latronem vero, qui eum ante accusaverat, etiam in paradisum introduxit, et persequutorem Paulum apostolum fecit; sibi autem proprios et addictos discipulos ad mortem tradidit propter Judæos, qui ipsum crucifixerant. Hæc igitur omnia, quæ Dei sunt, quæ hominum, apud nos colligentes, hæc præclara gesta æmulemur, et caritatem charismatibus omnibus superiorem acquiramus, ut et præsentia et futura bona assequamur : quorum utinam nos participes fieri contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIII.

Cap. 13. v. 4. *Caritas patiens est, benigna est : non æmulatur, non agit perperam, non inflatur.*

1. Postquam enim pronuntiavit, nec fidei nec scientiæ nec prophetiæ neque linguarum neque charismatum nec perfectæ vitæ nec martyrii, si caritas absit, magnam esse utilitatem, necessario deinceps describit immensam ejus pulchritudinem, quasi quibusdam coloribus virtutis partibus ejus imaginem exornans, et ejus membra omnia accurate componens. At ne prætercurras, dilecte, ea quæ dicuntur, sed eorum singula examina diligentissime, ut rei thesaurum videas, et pictoris artem. Perpende igitur unde statim incœperit, et quam primam posuerit omnium bonorum causam. Quid autem hoc est ? Patientia ; hæc philosophiæ omnis est radix. Ideo sapiens quispiam dicebat : *Vir patiens est multæ prudentiæ : qui autem impatiens est valde insipiens est* (*Prov.* 14. 29). Et cum urbe munita ipsam compa-

rans, tutiorem eam illa esse dixit : nam armatura quædam est inexpugnabilis, et inconcussa turris, quæ molesta omnia facile propulsat. Et sicut scintilla in abyssum incidens, illam quidem nihil lædit, ipsa vero facile exstinguitur : sic et in patientem animam quidquid inexspectatum incidit, id quidem facile deletur, illam vero minime turbat. Etenim patientia omnium firmissima est : etiamsi exercitus dicas, etiamsi opes, etiamsi equos, muros, arma et quidvis aliud, nihil patientiæ par dices. Nam qui illis instructus et circumdatus est, a furore sæpe corruptus, instar pueri debilis evertitur, et omnia tumultu ac tempestate replet : hic autem tamquam in portu sedens, profunda fruitur tranquillitate : etiamsi in damnum conjeceris, petram non movisti ; etiamsi contumeliam intuleris, turrim non concussisti ; etiamsi plagas inflixeris, adamantem non percussisti. Etenim *longanimis* ideo dicitur, quia longum quemdam et magnum habet animum : quod autem longum est, etiam magnum dicitur. Sed hoc bonum ex caritate oritur, et iis, qui eam possident illaque fruuntur, magnam parit utilitatem. Ne mihi enim desperatos adveris, qui mala facientes, neque patientes fiunt deteriores. Hic non ex patientia hujus, sed ab iis, qui illa non ut par esset utuntur, hoc accidit. Ne itaque mihi hos dixeris, sed mansuetiores, qui magna hinc lucrantur. Quando enim male facientes non male patiuntur, patientis mansuetudinem admirantes, magnam inde lucrantur philosophiæ doctrinam. Ipse vero non hic gradum sistit, sed et alia ejus præclara gesta subjungit dicens : *Benigna est.* Quia enim quidam sunt, qui patientia non ad propriam philosophiam utuntur, sed ad ultionem eorum, qui ipsos irritavere ; seipsos disrumpentes, dicit illam hoc vitio non laborare. Et ideo subjungit, *Benigna est.* Neque enim ad accendendam flammam eorum qui ira incenduntur, cum illis benigaius agunt, sed ad sedandam et exstinguendam ; neque tantum generose ferendo, sed etiam curando et hortando ulceri medentur et vulnus iræ curant. *Non æmulatur.* Potest enim aliquis patiens esse et invidus, et hoc vitio bonum opus illud corrumpitur. Sed ipsa hoc quoque effugit. *Non agit perperam.* Id est, non præceps est : nam prudentem reddit eum qui diligit et gravem et placide incedentem. Iis enim qui turpiter amant hoc proprium vitium est : qui vero hanc novit dilectionem, ab his omnibus maxime liber est. Nam cum intus ira non fuerit, petulantia omnis et contumelia sublata est. Etenim ut quidam optimus agricola intus animæ insidens caritas et dilectio, non sinit ullas hujusmodi spinas germinare. *Non inflatur.* Etenim multos videmus de his præclaris operibus altum sapientes ; nempe quod non sint invidi neque mali neque pusilli animi neque petulantes. Neque enim solum cum divitiis et paupertate hæc mala habentur, sed etiam cum illis quæ natura sunt bona. Sed caritas accurate omnia expurgat. Animum autem adhibe : qui patiens est, non est omnino benignus : quod si benignus non sit, hæc res est vitium, et periculum est ne in recordationem injuriarum incidat. Ideo ipsa pharmacum dans, benignitatem dico, puram conservat virtutem. Rursum benignus sæpe facilis est, sed et hoc illa corrigit : *Caritas* enim, inquit, *non agit perperam, non inflatur.* Qui benignus et patiens est, sæpe arrogans est : sed et hanc tollit nequitiam.

2. Et perpende quomodo eam, non modo ab iis quæ habet, sed etiam ab iis quæ non habet exornet. Dicit enim eam et virtutem inducere et malitiam exscindere ; imo vero ne ab initio nasci quidem sinit. Neque enim dixit, Æmulatur quidem, invidiam vero superat ; neque, Arrogans quidem est, sed hoc vitium castigat ; sed, *Non æmulatur, non agit perperam, non inflatur* : quod autem maxime mirabile est, sine laboribus bona facit, et sine bello vel acie tropæum erigit. Neque enim sudare sinit eum qui se possidet, et ita coronam accipere, sed sine labore bravium illi defert. Ubi enim non est adversarium vitium temperanti cogitationi, quis labor fuerit ? 3. *Non dedecus sibi inferri putat.* Quid enim dico, inquit, quod non infletur, quando tantum distat ab hoc vitio, ut, cum pro dilecto extrema passa sit, non dedecus esse rem existimet ? Neque dixit rursum, non indecore quidem patitur, sed dedecus fert generose ; sed quod ne sensum quidem dedecoris habeat. Nam si pecuniæ amantes, probrosa omnia pro illa cauponatione ferentes, non modo non erubescunt, sed etiam exsultant ; multo magis is, qui laudabilem hanc caritatem habet, pro dilectorum securitate nihil omnino recusabit ; imo neque patiens erubescet. Sed ne a re mala exemplum afferamus, hoc ipsum in Christo examinemus, et tunc dicti vim conspiciemus. Dominus enim Jesus Christus et conspuebatur et colaphis cædebatur a miserabilibus servis ; et non modo se indecore non agere putabat, sed etiam exsultabat, eamque rem gloriam vocabat ; et dum latronem et homicidam ante alios secum in paradisum introduceret, et meretricem alloqueretur, idque circumstantibus omnibus accusatoribus suis, non putabat rem esse turpem, sed et ipsi pedes suos præbuit osculandos, et corpus lacrymis irrigandum capillisque tergendum ; et hoc in medio hostium et inimicorum theatro. Caritas enim non indecore secum agi putat. Ideoque patres, etiamsi philosophis rhetoribusque omnibus præstent, non erubescunt simul balbutire cum filiis ; et nemo videntium id reprehendit, sed adeo pulchra res esse videtur, ut si etiam in votis. Et si rursus mali fuerint, hi manent corrigentes, curantes, probra eorum coercentes, nec pudet illos. Caritas enim non indecore agit ; sed quasi aureis quibusdam alis, omnia delictorum peccata contegit. Sic et Davidem Jonathas amabat, audiensque patrem dicentem, *Fili puellarum ultro venientium, effeminate* (1. *Reg.* 20. 30), non erubescebat, etsi turpitudine plena verba erant. Nam hoc vult significare, Fili meretricularum in viros insanientium, ad prætereuntes accurrentium, enervate, mollis, qui nihil virile habes, sed ad dedecus tuum, et ejus qui te peperit matris, vivis. Quid igitur, hæccine ægre tulit, et præ pudore se

abscondit, atque a dilecto recessit ? Totum certe contrarium fecit, de amore gloriabatur : etsi ille tunc rex erat, filius vero regis Jonathas, David autem fugitivus. Sed neque sic de amicitia erubuit : caritas enim non indecore agit. Nam hoc in illa mirabile est, quod contumelia affectum, non modo non sinat dolere et morderi, sed etiam ut gaudeat efficiat. Ideoque ille post hæc omnia, quasi corona redimitus, sic abiens Davidem complexus est. Neque enim caritas scit quid sit probrum : ideo etiam sibi placet in eo, de quo alius erubescit. Pudor enim est nescire amare, et amantem non omne periculum adire omniaque perpeti pro dilectis. Cum omnia dico, ne putes me ea quæ sunt noxia dicere ; ut si quis dixerit, se juveni opem ferre ut potiatur amica ; aut si quis aliud quidpiam damnosum facere postulet. Nam qui talis est non diligit ; et hoc nuper vobis ostendi ex Ægyptia muliere. Nam ille solus diligit, qui ea quæ dilecto utilia sunt quærit : ita ut si quis hoc bonum non venetur, etiamsi sexcenties dicat se diligere, inimicorum omnium sit inimicissimus. Sic et olim Rebecca, quia valde a filio pendebat, et furtum fecit et non erubuit ne deprehenderetur, neque timuit ; neque enim leve periculum erat ; sed etiam filio repugnante et verbis cum illa contendente, dixit : *In me sit maledictio tua, fili* (*Gen.* 27. 13).

3. Vidistin' etiam in muliere animum apostolicum ? Nam sicut optavit Paulus (si quis parvum cum magno conferat) pro Judæis anathema esse : sic et illa ut filius benediceretur, etiam maledici consentiebat. Et illi quidem bonis cedebat ; non enim cum illo benedictionem acceptura erat ; mala autem ipsa sola sustinere parata erat : attamen gaudebat et urgebat, et hoc cum tantum immineret periculum, et moram ægre ferebat. Timebat enim, ne si prævenisset Esaü, vanam ejus redderet sapientiam. Ideo etiam verba in compendium redigit et urget adolescentem, et postquam prioribus contradicere sivit, rationem affert quæ sufficiat ad persuadendum. Neque enim dixit, Frustra hæc dicis, et sine causa metuis, cum pater tuus consenuerit et claro sensu sit privatus ; sed quid ? *In me sit maledictio tua, fili :* tantum rem et drama ne perdas, neque venatum amittas, nec thesaurum prodas. Ipse vero Jacob annon fuit mercenarius apud cognatum bis septem annos ? annon cum servitute, etiam pro illa fallacia risui erat ? Quid ergo ? num sensu affectus est ob risum ? num se indecore agere putavit, quod liber cum esset et ex liberis natus ac liberaliter educatus, quæ servorum erant passus sit a cognatis ? quod maxime mordere solet cum quis a notis suis contumeliose agitur. Nequaquam : causa autem erat dilectio, quæ tempus, diuturnum cum esset, modicum illud exhibebat. *Erant enim*, inquit, *in conspectu ejus quasi dies pauci* (*Gen.* 29. 20). Tantum aberat ut morderetur et erubesceret de hac servitute. Jure ergo dicebat beatus Paulus : *Caritas non indecore agit : Non quærit quæ sua sunt, non irritatur.* Cum dixisset enim, *non indecore agit*, modum etiam ostendit, quo non indecore agit. Quis autem modus ille est ? *Quia non quærit quæ sua sunt.* Dilectum enim omnia sibi esse putat, et tunc indecore se agere putat, cum non potest illum indecore agentem liberare ; ita ut si liceret per dedecus suum dilectum suum juvare, non illud dedecus esse putaret : ille namque hic ipse est. Hoc est enim amicitia, cum is qui diligit, et is qui diligitur, non duo divisi sunt, sed unus homo : quod non aliunde, sed a caritate sola efficitur. Ne ergo quæras quod tuum est, ut invenias quod tuum est. Qui enim quod suum est quærit, quod suum est non invenit. Ideo Paulus dicebat, *Nemo quærat quod suum est, sed unusquisque quod proximi est* (1. *Cor.* 10. 24). Propria enim utilitas in utilitate proximi sita est, et illius utilitas in illa. Quemadmodum ergo si quis aurum proprium in domo proximi defossum habens, si illo veniens id quærere et defodere recusaverit, numquam ipsum videbit : sic qui non vult in proximi utilitate suam utilitatem quærere, coronas huic rei debitas non consequetur. Etenim Deus ideo illud ita disposuit, ut simus mutuo colligati. Ac sicut si quis puerum somniculosum excitans, ut fratrem sequatur ; si ex se nolit, quod ipsi desiderabile et expetendum est tradit fratri, ut accipiendi cupiditate eum qui tenet sequatur, quod etiam efficitur : ita et hic quod unicuique utile est, proximo tradidit, ut hinc alter ad alterum accurramus, et ne simus divulsi. Et si velis, hoc et in nobis vide qui loquimur : quod enim mihi utile est, in te situm est, et quod tibi utile, in me. Tibi enim utile est ut docearis ea quæ Deo placent ; sed hæc cura mihi credita fuit, ut tu a me id accipias, ideoque coactus sis ad me accurrere : et mihi utile est ut tu melior efficiaris ; magnam enim inde mercedem accipiam ; sed hoc rursus in te situm est, et ideo te consequi cogor, ut et tu melior sis, et ego quod mihi utile est a te accipiam. Ideo dicebat Paulus, *Quæ enim mea spes est ? annon vos ?* et rursus, *Spes mea, gaudium meum, et corona gloriationis meæ* (1. *Thess.* 2. 19. 20). Itaque Pauli gaudium discipuli erant, et ipsius gaudium illi habebant. Ideo etiam lacrymabatur, si quando pereuntes videret. Rursum quod illis utile, in Paulo erat : propterea dicebat : *Pro spe Israelis cinctus sum hac catena* (*Act.* 28. 20) ; et rursum, *Hæc patior propter electos, ut vitam æternam consequantur* (2. *Tim.* 2. 10). Hoc etiam videre est in iis quæ ad vitam pertinent : nam ait, *Mulier proprii corporis potestatem non habet, neque vir ; sed mulier viri, et vir mulieris* (1. *Cor.* 7. 4). Ita et nos cum aliquos colligare volumus, hoc facimus : neminem sui dominum relinquimus, sed mediam extendentes catenam, id efficimus, ut hic ab illo et ille ab hoc teneatur. Vis hoc etiam videre in magistratibus ? Qui judicat, non sedet sibi judicans, sed quærens quod proximo conferat. Rursus qui illis subditi sunt, quod principi conferat quærunt, per cultum, per ministerium perque alia omnia. Milites pro nobis arma sumunt ; propter nos enim pericula adeunt : nos pro illis labores suscipimus ; a nobis enim aluntur.

4. *Caritas a Paulo commendatur.* — Si autem dixeris, unumquemque sua quærentem hoc facere, hoc

etiam ego dico; sed quia per alienum suum invenitur. Miles enim, nisi bellum gerat pro iis qui ipsum nutriunt, non habet qui hoc ipsi ministret : hic vero rursus, nisi militem alat, non habet qui se defendat. Vidistin' caritatem ubique extensam et omnia administrantem? Sed ne defatigeris donec hanc auream catenam didiceris. Cum dixisset enim, *Non quærit quæ sua sunt*, dicit rursus bona quæ inde nascuntur. Quænam illa? *Non irritatur, non cogitat malum.* Vide rursum eam non solum in vitium imperare, sed etiam non sinere ut ejus imperium consistat. Non enim dixit, Irritatur quidem, sed superat; sed, Non irritatur; neque dixit, Non operatur malum, sed Ne cogitat quidem. Nihil enim mali non modo non apparat, sed ne suspicatur quidem adversus eum qui diligitur. Quomodo ergo operata fuerit, aut quomodo irritetur, quæ ne suspicionem quidem malam suspicere velit, unde fons est amoris? 6. *Non gaudet super iniquitate.* Hoc est, non ipsi placet quod alii male patiantur : neque hoc tantum, sed quod longe majus est, *Congaudet autem veritati* (*Rom.* 12. 15). Gratulatur, inquit, iis, qui bene rem gerunt; id quod dicit Paulus : *Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus.* Hinc non æmulatur, hinc non inflatur : etenim aliena bona sua esse existimat. Viden' quomodo caritas alumnum suum paulatim angelum faciat? Cum enim iræ expers sit, ab invidia purus, et ab omni tyrannico vitio liber, cogita illum ab humana natura abductum, ad ipsam angelorum impassibilitatem appulisse. Attamen non his contentus est, sed quid etiam his majus dicendum habet : nam quæ fortiora sunt postremo ponit. Quapropter dicit : *Omnia suffert.* A patientia, a mansuetudine; sive contumeliæ sint, sive plagæ, sive mors, sive quidvis aliud. Et hoc rursus ex beato Davide perspici potest. Quid enim molestius est, quam videre filium insurgentem et tyrannidem affectantem paternumque sanguinem sitientem? Sed et hoc tulit beatus ille; neque ita sustinuit acerbum verbum emittere contra parricidam, sed cum alia omnia belli ducibus commisisset, pro illius salute mandata dabat; firmum enim erat caritatis fundamentum. Ideoque omnia suffert; et hinc quidem ejus virtutem subindicat, bonitatem autem per ea quæ sequuntur : nam ait, *Omnia sperat, omnia credit, omnia sustinet.* Quid est, *Omnia sperat?* De bonis quibuscumque, inquit, dilecti sui non desperat; sed etiamsi ille malus sit, permanet illum corrigens, providens, curam gerens. *Omnia credit.* Non solum enim sperat, inquit, sed etiam credit, ex eo quod valde amet : etiamsi hæc bona non secundum spem succedant, sed etiamsi ille molestior sit, ea etiam fert. *Omnia* enim *sustinet*, inquit. 8. *Caritas numquam excidit.* Vidistin' quando coronidem imposuerit, et quod in hoc dono magis eximium sit? Quid enim sibi vult, *Non excidit?* Non discinditur, non dissolvitur ferendo : amat enim omnia. Nam qui amat, numquam odisse possit, quidquid factum fuerit : hoc quippe est maximum ipsius bonum. Talis erat Paulus : ideoque dicebat, *Si quo modo provocem ad æmulandum carnem meam* (*Rom.* 11. 14), et sperans mansit. Et Timotheum hortabatur dicens : *Servum autem Domini non oportet pugnare, sed mansuetum esse ad omnes, in modestia erudientem eos qui resistunt veritati, an forte det illis Deus cognitionem veritatis* (2. *Tim.* 2. 24. 25). Quid ergo, inquies, si inimici sint et gentiles, annon odisse oportuit? Odisse quidem, non illos, sed dogma; non hominem, sed malum opus, corruptum animum. Homo namque est opus Dei, error autem opus diaboli. Ne ergo miscens ea quæ Dei sunt, et quæ diaboli. Nam Judæi erant et blasphemi et persequutores et contumeliosi, innumeraque de Christo dicebant mala : ergone illos oderat Paulus, qui maxime omnium Christum amabat? Nequaquam, imo et amabat, et omnia pro ipsis agebat : et nunc quidem dicit, *Voluntas quidem et deprecatio mea ad Deum fit pro illis ad salutem* (*Rom.* 10. 1); nunc autem, *Optabam anathema esse a Christo pro ipsis* (*Rom.* 9. 3). Sic et Ezechiel videns eos occidi dicebat : *Hei mihi, Domine, deles tu eos qui sunt reliqui ex Israel* (*Ezech.* 9. 8)? et Moyses : *Si quidem dimittis illis peccatum, dimitte* (*Exod.* 32. 31). Quid ergo dicit David? *Eos qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam : perfecto odio oderam illos* (*Psal.* 138. 21. 22). Atqui non omnia, quæ a Davide in Psalmis dicta sunt, ex persona Davidis sunt dicta : etenim hic ipse dicit, *Tabernaculum fixi cum tabernaculis Cedar;* et, *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus* (*Psal.* 119. 5. *et* 136. 1); neque vero vidit Babylonem, neque tabernacula Cedar : alioquin etiam nunc major a nobis exigitur philosophia. Quamobrem, rogantibus discipulis ut demitteretur ignis, ut tempore Eliæ, *Nescitis*, inquit, Christus, *cujus Spiritus estis* (*Luc.* 9. 55). Tunc enim non impietatem modo, sed etiam impios ipsos odisse jubebantur, ne amicitia occasio ipsis esset iniquitatis; ideoque cognationes abscidit et commixtiones, et undique illos muniebat.

5. Nunc autem, quia ad majorem nos duxit philosophiam et excelsiores posuit, quam ut damno hinc affici possemus, et admittere eos et consolari jubet. Neque enim nobis ab illis damnum, sed illis a nobis utilitas provenit. Quid ergo dicit? Non oportet odisse, sed misereri. Si enim oderis, quomodo errantem facile convertes? quomodo orabis pro infideli? Nam quod orare oporteat, audi quid dicat Paulus : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus* (1. *Tim.* 2. 1. 2). Quod autem tunc non omnes fideles essent, cuivis manifestum est. Et rursum, *Pro regibus, et iis qui in dignitate constituti sunt.* Quod porro hi impii essent et iniqui, hoc item perspicuum est. Deinde causam quoque orationis dicens, subjungit : *Hoc enim bonum est et acceptum in conspectu Salvatoris nostri Dei, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (*Ibid. v.* 3. 4). Ideo si gentilem mulierem invenerit cum fideli habitantem, non solvit conjugium : quamquam quid est mulieri viro conjunctius? *Erunt* enim *duo in carne una* (*Gen.* 2. 24) : magnaque est illic animorum conjunctio et fervens

amor. Si autem impios et iniquos odio habituri simus, ultra progressi etiam peccatores odio habebimus, et sic ulterius procedens, a multis fratribus discinderis, imo ab omnibus : nemo enim, nemo certe sine peccato est. Nam si oporteat Dei inimicos odisse, non solum impios, sed etiam peccatores odio habere oportet : et sic erimus feris deteriores, omnes aversantes, arrogantia inflati, sicut ille Pharisæus. At non ita jussit Paulus, sed quomodo? *Monete incompositos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes* (1. *Thess.* 5. 14). Quid ergo, inquies, cum dicit, *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et non commisceamini cum illo* (2. *Thess.* 3. 14)? Vere quidem hoc de fratribus dictum est; at non absolute, sed cum mansuetudine. Ne enim reseces ea quæ sequuntur, sed et ea quæ sunt postea adjicias. Nam cum dixisset, *Ne commisceamini*, subjunxit : *Et nolite quasi inimicum existimare, sed admonete ut fratrem* (*Ibid. v.* 15).

Opus diaboli est alterum ab altero divellere. Caritas omnia superat. — Viden' quomodo malum opus jubet odisse, non hominem? Nam opus diaboli est nos alterum ab altero divellere : et valde curabat ille caritatem de medio tollere, ut correctionis viam secaret, detineretque illum quidem in errore, te autem in inimicitia, deindeque arceret eum a via salutis. Quando enim medicus odit ægrotum et ab illo fugit, et ægrotus medicum aversatur, quandonam hic convalescet, cum neque hic illum advocet, neque ille ipsum adeat? Cur ergo, quæso, aversaris et fugis illum? an quia est impius? At ideo oportet illum adire et curare, ut ægrotum ad valetudinem revoces. Quod si incurabili morbo laborat, sed tu jussus es quod in te est facere : nam et Judas incurabili morbo laborabat, nec tamen destitit Deus illum curare. Ne itaque tu quoque defatigeris. Nam etiamsi magno adhibito studio, ipsum ab impietate non liberes, ac si liberasses mercedem accipies, et efficies ut ipse mansuetudinem tuam admiretur; sicque ad Deum tota hæc gloria transibit. Etiamsi enim miracula patres, etiamsi quidvis aliud facias, numquam te ita admirabuntur gentiles, ut cum te viderint mitem, mansuetum, suavesque mores exhibentem. Non est autem hoc modicum virtutis opus : multi enim tandem a malo liberabuntur. Nihil enim ita potest attrahere, ut caritas. Nam propter illa quidem te æmulabuntur, propter signa dico et miracula; propter hoc autem et admirabuntur et amabunt : te autem amantes, veritatem ultra progressi amplectentur. Si vero non statim fiat fidelis, ne mireris, neque urgeas, neque omnia simul quæras; sed sine illum interim laudare, amare, et sic ulterius procedens veniet. Et ut clare discas quantum hoc sit, audi quomodo etiam Paulus infidelem judicem adiens sese purget : nam ait, *Beatum me existimo, cum apud te sim me in judicio defensurus* (*Act.* 26. 2). Hæc autem dicebat, non assentans ei, absit, sed ut eum mansuetudine lucraretur. Et ex parte lucratus est, et judicem cepit, qui hactenus crimini obnoxius putabatur, et victoriam ejus is ipse qui captus est splendida voce præsentibus omnibus confitebatur dicens : *Parum abest quin mihi persuadeas ut fiam Christianus* (*Act.* 26. 28).

6. Quid ergo Paulus? Magis expandit sagenam et ait : *Optarem ego, non solum te, sed etiam omnes qui adsunt, hoc esse quod ego sum, exceptis his vinculis* (*Ib. v.* 29). Quid dicis, o Paule, *Exceptis vinculis?* et quænam tibi de cætero fiducia, si eorum te pudeat et ea fugias, et hoc tanto præsente populo? annon in epistolis tuis hac de re ubique gloriaris, et te vinctum appellas, hancque catenam ubique nobis quasi diadema circumfers? quid ergo nunc factum est, ut vincula depreceris? Non ipse deprecor, inquit, neque me pudet, sed illorum infirmitati me attempero; nondum enim possunt suscipere meam gloriationem. Didici autem a Domino meo, non immittendam esse partem panni rudis in pannum veterem (*Matth.* 9. 16) : ideo sic loquutus sum. Nam male apud illos audit dogma nostrum, et crux illis invisa est. Si ergo vincula quoque adjiciam, majus odium erit. Ideo hæc sustuli, ut illud esset acceptum. Etenim contumeliosum illis videtur esse vinculis constringi, quia eam, quæ apud nos est, gloriam nondum degustarunt. Oportet igitur sese attemperare. Nam cum didicerint philosophari, tunc scient etiam hujus ferri pulchritudinem et splendorem qui ex vinculis oritur. Cum aliis namque disserens, hanc rem gratiam vocat dicens, *Datum est nobis a Deo non modo ut in ipsum credamus, sed etiam ut pro illo patiamur* (*Philipp.* 1. 29) : tunc autem hoc unum optandum erat, ut crucem audientes non pudore afficerentur. Propterea ultra progreditur. Non enim si quis in regiam aliquem introducat, antequam vestibula quæ foris sunt aspexerit, cogit illum ut ea quæ intus sunt observet : sic enim nec mirabilia illa apparerent, nisi quis intra positus, omnia didicerit. Sic itaque et nos cum ethnicis disseramus cum attemperatione, cum caritate. Hæc quippe magna est magistra, quæ possit et ab errore abducere, et mores componere, atque ad philosophiam viam sternere, exque lapidibus homines facere. Et si vis ejus virtutem ediscere, adduc mihi virum timidum et qui vel strepitum formidet et umbras timeat; sitque iracundus, asper, et fera magis quam homo, salax et libidinosus, nullo non vitio affectus; et trade illum in manus caritatis, et in hoc gymnasium induc; et cito videbis timidum illum ac meticulosum, fortem effectum et magni animi, omniaquo facile audentem. Quod autem mirabile est, hæc non mutata ejus natura fiunt, sed in ipsa timida anima suam caritas ostendit virtutem; et perinde fit atque si quis ensem plumbeum, non ferreum effectum, sed manentem in plumbi natura, efficiat ut eadem quæ ferrum operetur. Animum autem adhibe : Jacob sine fuco erat, domi habitans et laborum periculorumque expers, vitam quamdam agens remissam et liberam, et sicut virgo in thalamo, sic intus sedens, ut plurimum domum servare cogebatur, a fori tumultu et ab omnibus hujusmodi liber, semper autem in quiete et in tranquillitate manens. Quid igitur? Postquam illum

fax amoris accendit, vide quomodo simplicem illum et domum incolentem, fortem et laboriosum reddiderit : et hoc non a me, sed ab ipso patriarcha audi. Socerum enim incusans, ait : *Hos viginti annos tecum ego sum* (*Gen.* 31. 38. 40). Et quomodo fuisti hos viginti annos? nam et hoc quoque adjecit : *Adustus æstu diei et frigore noctis, et abscessit somnus ab oculis meis.* Hæc ille sine fuco, qui domi habitabat ac remissam ducebat vitam. Quod autem timidus esset, palam est ex eo quod, cum se Esaü visurum exspectaret, metu moreretur. Sed vide rursum quomodo ille timidus leone audacior ex amore factus sit. Nam velut quidam propugnator ante alios omnes positus, paratus erat ferocem illum et cædem spirantem, ut existimabat, primus excipere, et in corpore suo mulieribus securitatem apparare, et eum quem timuerat et formidaverat, primus instructa acie videre cupiebat. Hoc quippe timore fortior erat uxorum amor. Viden' quomodo timidus cum esset, audax subito factus sit, non mutato habitu, sed ab amore roboratus? Nam quod etiam postea timidus esset, palam est ex eo, quod locum ex loco mutaret. Sed nemo putet ea, quæ dicta sunt, justi esse accusationem. Non enim timidum esse culpa est : nam hoc est naturæ; sed ex timore aliquid contra officium patrare. Potest enim quis natura timidus, a pietate fortis et magni animi effici. Quid autem Moyses? annon Ægyptium unum timens fugit, et in exsilium ivit? Attamen ille fugitivus, qui viri unius minas non tulerat, postquam gustavit mel caritatis, pulchre ac nemine cogente, ut una cum dilectis periret festinabat. *Si* enim, inquit, *dimittis illis peccatum, dimitte; sin minus, et me dele de libro tuo, quem scripsisti* (*Exod.* 32. 31). Quod autem amor et truculentum mansuetum, et libidinosum castum efficiat, non hic ultra exemplis nobis opus; id enim omnibus palam est : etiamsi fera quavis immanior quis fuerit, ove mansuetior ex amore effici tur. Nam quid Saüle immanius et furiosius erat? Sed quando filia ejus inimicum solvit, ne verbum quidem amarum contra illam emisit : et qui sacerdotes omnes penitus interfecerat propter Davidem, filiam videns quæ ex domo illum emiserat, ne verbo quidem tenus adversus illam indignatus est, etiamsi fraus illa adversum se adornata fuisset : potentiore namque amoris freno detinebatur. Ut autem mansuetos, ita et temperantes solet caritas facere : si quis enim uxorem suam amat, ut amare oportet, quantumvis natura sit libidinosus, numquam aliam videbit, suæ amore ductus : nam ait, *Fortis est ut mors dilectio* (*Cant.* 8. 6). Itaque non aliunde quis libidinosus est, quam quod non amet. Quoniam igitur omnis virtutis opifex est caritas, cum accuratione omni illam in animis nostris inseramus, ut nobis multa conferat bona, et uberem ejus fructum perpetuo decerpamus, semper virentem, qui numquam marcescat. Sic enim æterna consequemur bona : quæ utinam nos omnes adipisci contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIV.

Cap. 13. v. 8. *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.*

1. Cum caritatis excellentiam ostendisset, ex eo quod et charismata et ea quæ in vita præclare geruntur ea indigeant; ex eo quod ejus omnes virtutes enumeraverit, et perfectæ philosophiæ fundamentum esse probarit; ex alio rursus tertioque capite ejus ostendit dignitatem. Et hoc facit, tum ut illis qui imminuti esse videbantur persuadeat licere ipsis signorum etiam caput seu facultatem habere, nihilque minus obtinere quam ii qui charismata habent, si illam habeant, imo multo majus; tum etiam ut eos qui majora charismata haberent indeque extollerentur, hinc deprimat, et ostendat eos nihil habere, nisi hanc obtineant. Ita enim sese et mutuo dilecturi erant, invidia et arrogantia sic de medio sublatis, et rursus sese mutuo diligentes, hæc vitia procul amandabant : nam *Caritas non æmulatur, non inflatur.* Itaque muro illos undique firmissimo cinxit, et multiplici concordia, quæ morbos omnes tolleret et hinc rursus fortior evaderet. Ideoque innumerabiles agitavit rationes, quæ possent ipsorum dolorem consolari. Nam idem dat Spiritus, inquit, et ad utilitatem dat, et ut vult dividit, et gratis dans, non debens, dividit. Etiamsi vero parum acceperis, similiter ex corpore es, et multo sic etiam frueris honore : ac qui majus habet, te qui minus habes indiget : et maximum charisma, excellentiorque via est caritas.

Caritas omnia tollit mala. — Hæc porro dicebat, duplici vinculo stringens illos invicem; et quod putarent se non minus habere illa præsente, et quod ad illam accurrentes illamque obtinentes, nihil ultra humanum paterentur, tum quia radicem charismatum haberent, tum quia non ultra possent, etiam si nihil haberent, contendere. Nam qui semel a caritate captus est, a contentione liber est. Quamobrem ostendens, quanta inde bona decerpturi sint, fructus ejus descripsit, per illius encomia morbos illorum reprimens. Etenim quæ dicta sunt singula, pharmacum erant quod sufficeret ad illorum curanda vulnera. Ideoque dicebat, *Patiens est*, adversus eos qui inter se contendunt; *Benigna est*, adversus eos qui dissident et occulto feruntur odio; *Non æmulatur*, contra eos qui invident plus habentibus; *Non agit perperam*, adversus eos qui disjuncti sunt; *Non inflatur*, contra eos qui in alios extolluntur; *Non indecore agit*, contra eos qui nolunt se attemperare; *Non quærit quæ sua sunt*, adversus eos qui cæteros despiciunt; *Non irritatur, non cogitat malum*, adversus eos qui contumeliam inferunt; *Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati*, rursus adversus invidos; *Omnia suffert*, adversus eos qui insidias parant; *Omnia sperat*, adversus eos qui desperant; *Omnia*

sustinet, numquam excidit, contra eos qui facile dissident. Quia igitur illam undique magnam exhibuit cum hyperbole omni, rursus ex alio capite hoc facit, per comparationem aliam ejus dignitatem extollens, et sic dicens : *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt.* Si enim hæc utraque propter fidem inducta sunt, hac ubique terrarum dispersa, jam superfluus illorum usus fuerit. Sed mutua illa dilectio non cessabit, imo magis crescet, et hic et in futuro, tuncque magis quam nunc. Hic enim multa sunt quæ caritatem emolliant et minuant, pecuniæ, negotia, morbi corporum, ægritudines animæ; illic vero nihil horum aderit. Sed quod prophetiæ et linguæ cessent, mirum non est; quod autem scientia destruatur, hoc certe quæstionem movet : nam et hoc adjecit dicens, *Sive scientia destruetur.* Quid ergo? in ignorantia tunc victuri sumus? Absit : nam tunc maxime augenda scientia est; ideoque dicebat : *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum* (1. *Cor.* 13. 12). Propterea, ne perinde atque prophetiam et linguas hanc cessaturam esse putares, cum dixisset, *Sive scientia destruetur*, non tacuit, sed modum destructionis subjunxit, cito addens illud : 9. *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus.* 10. *Cum autem venerit quod perfectum est, tunc evacuabitur quod ex parte est.* Non ergo scientia destruitur, sed illa ex parte tantum scientia : non enim solum tot tantaque sciemus, sed etiam multo plura. Ut autem illud exemplo palam faciam : nunc scimus Deum ubique esse, sed quomodo, nescimus : quod ex nihilo omnia fecerit scimus, modum autem ignoramus : quod ex Virgine natus sit, quomodo autem, non item. Tunc autem quid amplius et clarius de his cognoscemus. Deinde ostendit quantum intersit, et quod hic deficit non esse parvum, dicens : 11. *Cum essem parvulus loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus : cum autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Per illud autem exemplum hoc ipsum rursus declarat, dicens : 12. *Videmus enim nunc per speculum.*

2. Deinde quia speculum id quod videtur utcumque monstrat, subjunxit, *In ænigmate*, ex hyperbole monstrans per modicas partes esse præsentem scientiam. *Tunc autem facie ad faciem;* non quod faciem habeat Deus, sed ut rem clarius et magis perspicue dicat. Vides omnia discentes per incrementum? *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Viden' quomodo fastum eorum dupliciter deprimat? quod et per partes sit scientia, et quod non illam ex se habeant. Non enim ego illum novi, sed se ipse mihi notum fecit, inquit. Quemadmodum ergo ipse me novit prior nunc, et ipse ad me accurrit : sic ego tunc ad illum accurram multo magis, quam nunc. Etenim qui in tenebris sedet, donec viderit solem, non ipse accurrit ad pulchritudinem radii, sed illa seipsam ostendit, quando illuxerit : cum autem ejus splendorem susceperit, tunc et ipse demum lucem persequitur. Hoc ergo sibi vult illud, *Sicut et cognitus sum :* non quia ita illum cognituri sumus, sicut ipse nos cognoscit; sed quia sicut ille ad nos nunc accurrit, ita et nos sic tunc ipsum insequemur, et multa, quæ nunc arcana sunt, sciemus, et beatissima illa fruemur consuetudine et sapientia. Si enim qui tam multa sciebat Paulus parvulus erat, cogita quanta illa sint : si hæc sunt speculum et ænigma, hic mihi consideres quanta sit facies. Ut autem tibi parvum quidpiam aperiam circa differentiam hanc, et radium quempiam obscurum hujus cognitionis in animam tuam immittam, recordare eorum quæ in lege sunt, nunc cum gratia effulsit. Etenim illa ante gratiam magna quædam et mirabilia videbantur esse; attamen audi quid dicat de illis post gratiam Paulus : *Non glorificatum fuit quod claruit in hac parte, propter supereminentem gloriam* (2. *Cor.* 3. 10). Ut autem quod dico clarius evadat, in unam aliquam rem, quæ tunc mystice peragebatur, sermonem transferamus, et tunc videbis quantum sit intervallum : et si vis, Pascha in medium afferamus et vetus et novum, et tunc scies excellentiam. Illud enim celebrabant etiam Judæi, hoc autem pacto celebrabant, ut in speculo et in ænigmate : arcana autem hæc mysteria ne in mentem quidem illis unquam venerant, neque sciebant quænam essent ea, quæ illa prænuntiabant; sed ovem videbant mactari, et sanguinem bruti, et portas illo unctas; quod autem Filius Dei incarnatus mactandus esset et orbem liberaturus totum, daturusque et Græcis et barbaris sanguinem hunc degustandum, cælum aperturus omnibus, et quæ illic sunt humano generi oblaturus; et carnem illam sanguine cruentatam deducturus supra cælum et cælum cæli, et omnes omnino supernos angelorum, archangelorum aliarumque virtutum exercitus, et in ipso throno regio ad dexteram Patris sessuram collocaturus, gloria ineffabili fulgentem : hæc certe neque illorum, neque aliorum hominum quispiam vel præscivit, vel in mentem vocare potuit. Sed quid dicunt ii qui omnia audent? Illud, *Nunc cognosco ex parte*, de dispensationibus dictum esse; ipsum enim perfectam de Deo cognitionem habuisse. Et quomodo se infantem vocat? quomodo per speculum videt? quomodo in ænigmate, si totam habet scientiam? cur illud quasi eximium tribuit Spiritui, et nulli alii creatæ potestati, dicens : *Quis enim novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso? Sic et quæ Dei sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei* (1. *Cor.* 2. 11). Et Christus rursum sui solius hoc esse dicit ita loquens : *Non quod Patrem vidit quisquam, nisi qui est a Deo, hic vidit Patrem* (*Joan.* 6. 46); visionem dicens clarissimam et perfectissimam cognitionem. Quomodo autem is qui substantiam novit, œconomias et dispensationes ignorabit? Illa enim cognitio hac major est. Ignoramus ergo, inquit, Deum? Absit : sed quod quidem sit novimus; quid autem substantia sit, non item. Et ut scias quod non de dispensationibus dixerit illud, *Nunc cognosco ex parte*, audi sequentia : subjunxit ergo, *Tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Non autem a dispensationibus et œconomiis cognitus est, sed a Deo. Nemo igitur vel parvam vel simpli-

cem hanc iniquitatem esse putet, sed et duplicem et triplicem et multiplicem. Non enim hoc solum absurdum est, quod ea se vane glorientur scire, quæ Spiritus solius sunt et unigeniti Filii Dei; sed etiam quod, cum Paulus ne partem quidem illam cognitionis sine superna revelatione accipere potuerit, ipsi totum ex propriis ratiociniis se accepisse dicant. Neque enim usquam possunt Scripturam, quæ de his disseruerit, nobis ostendere. Sed missa illorum insania, sequentia quæ de caritate dicuntur persequamur. Neque enim his contentus fuit, sed rursus hæc subjungit : 13. *Nunc autem manet fides, spes, caritas, tria hæc; major autem horum est caritas.*

3. *Caritatis encomia.* — Nam fides et spes, cum advenerint bona quæ credita et sperata fuerunt, cessabunt. Et hoc significans Paulus dicebat : *Spes enim quæ videtur, non est spes : quod enim videt quis, quid etiam speret* (*Rom.* 8. 24) ? et rursum : *Est autem fides eorum quæ sperantur substantia, rerum quæ non videntur argumentum* (*Hebr.* 11. 1). Quamobrem hæ quidem cessabunt cum illa apparuerint : caritas autem tunc maxime extollitur, et fit vehementior. Aliud rursus encomium caritatis : neque enim contentus est prioribus, sed et alia rursum invenire contendit. Animum autem adhibe : dixit eam charisma esse magnum et viam ad hæc supereminentem ; dixit sine illa non multum juvare charismata, ejus imaginem pluribus descripsit : vult rursus illam alio modo extollere, et ostendere quod magna sit ex eo quod maneat. Ideoque dixit, *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc; major autem horum est caritas.* Quomodo ergo major est caritas ? Quod illa transeant. Si ergo tanta est virtus caritatis, jure subjungit dicens : *Sectamini caritatem.* Etenim insequi oportet ac vehementer ad illam currere ; ita a nobis avolat, et tanta sunt quæ susceptum illo cursum supplantant. Quapropter opus est nos magna uti vehementia, ut illam comprehendamus : quod ostendens beatus Paulus non dixit, Sequimini caritatem, sed *Persequimini caritatem*, excitans nos accendensque ad illam apprehendendam. Etenim Deus a principio innumera ad illam in nobis inserendam machinatus est : nam omnibus unum dedit caput, Adamum. Cur enim non ex terra nascimur omnes ? cur non perfecti, sive adulti sicut ille ? Ut et partus et filiorum educationes, et quod ex aliis nasceremur, nos mutuo colligarent. Ideo neque mulierem ex terra fecit. Quia enim non satis erat ad verecundiam in nobis inserendam, quæ ad concordiam nos adduceret, quod ex eadem substantia essemus, nisi eumdem haberemus progenitorem : hoc quoque effecit. Si enim nunc solis disjuncti locis, alienos nos existimamus ; si genus nostrum duo principia habuisset, multo magis hoc eveniret. Ideo, quasi ab uno capite, totum generis humani corpus colligavit. Et quia in principio duo quidam videbantur esse, vide quomodo illos conglutinet et in unum cogat per connubium : *Propter hoc* enim, inquit, *relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* 2. 24). Non dixit, Mulier, sed *Homo*, quia major est in illo concupiscentia. Nam ideo majorem illam fecit, ut quod excellentius erat flecteret per hujus amoris tyrannidem, et imbecilliori subjiceret. Quia vero matrimonium etiam inducendum erat, eum ex quo orta erat fecit mulieri maritum : Deus enim omnia caritati postponit. Si enim cum res ita factæ sint, primus statim sic insanivit tantamque pugnam et invidiam inseruit diabolus ; quid non fecisset, si non ex una radice orti germinassent? Deinde ut aliud quidem subjiceretur, aliud imperaret ; nam paritas honoris solet sæpe pugnas inducere ; non sivit populare imperium esse, sed regnum, et sicut in exercitu, eumdem videris in singulis domibus ordinem. Est ergo maritus in ordine regis, mulier vero in ordine præfecti aut ducis exercitus ; tertium filii imperium sortiuntur ; deinde quartum domestici occupant : nam hi quoque imperant minoribus, et unus sæpe omnibus præfectus fuit, domini ordinem servans, cæterum ut domesticus. Et post hoc aliud rursus imperium (*a*) [et in ipsis, imperium mulierum, imperium filiorum], et in ipsis filiis rursus aliud secundum ætatem et secundum sexum : non enim in liberis similiter dominatum obtinet femina. Et ubique fere Deus frequentia fecit imperia, ut omnia in concordia manerent et in recto ordine. Idcirco, antequam genus humanum multiplicaretur, cum primi duo tantum essent, jussit hunc imperare, illam parere. Et ne rursus illam ut minorem despiceret, et illa abscinderetur, vide quomodo illam honoraverit et conjunxerit, etiam ante creationem. Nam ait : *Faciamus illi adjutorem* (*Gen.* 2. 18) ; ostendens illam in usum factam fuisse, et hac ratione concilians illum cum ea, quæ propter ipsum facta fuit : nam majori affectu ferimur erga ea quæ propter nos facta sunt. Ut ne autem illa rursus efferretur, utpote in auxilium ipsi data, et hoc rumperet vinculum, ex latere illam fecit, ostendens illam partem esse totius corporis. Ut autem neque vir inde extolleretur, non amplius sinit esse solius, quod solius primum fuit ; sed contrarium fecit, liberorum procreationem inducens ; et hac in re quidem virum præferens, neque tamen totum ipsi relinquens.

4. Vidistin' quot amoris vincula Deus fecerit ? Sed hæc quidem ex natura concordiæ pignora posuit. Nam quod ex eadem substantia sit, ad hoc ducit : omne quippe animal quod simile ipsi est amat ; et quod mulier sit ex viro, et quod ex utroque rursum sint filii. Unde etiam nascuntur multi affectus modi. Illum namque ut patrem amamus, illum ut avum ; et illam ut matrem, istam ut nutricem ; alium ut filium, ut nepotem, ut pronepotem ; aliam ut filiam et ut sororis filiam : et hunc quidem ut fratrem, alium vero ut patruelem ; aliam ut sororem, aliam ut consobrinam. Et quid opus est recensere omnia cognationis nomina ? Excogitavit etiam aliam affectus occasionem : prohibitis enim cognatorum connubiis, ad

(*a*) Uncinis clausa e Commelin. supplevimus.

alienos eduxit nos, illosque rursum ad nos attraxit. Quia enim a naturali illa cognatione non licebat illos nobis conjungi, a connubio rursus conjunxit, integras domos per unum sponsam conjungens, et genera integra generibus commiscens. *Ne ducas*, inquit, *uxorem sororem tuam, neque sororem patris, neque aliam puellam quæ talem tecum cognationem habeat* (*Levit.* 18. 8 10), quæ matrimonium impediat, nomina ponens hujusmodi cognationum. Tibi sufficit ad illorum affectum trahendum, quod eodem partu sis editus, et quod ad te aliter aliæ spectent affinitates. Cur in angustum redigis latitudinem caritatis? cur in illam frustra suscipis amicitiæ causam, per quam potes aliam consequi amicitiæ occasionem, externa inducta uxore, et per illam inducens cognatorum seriem, matrem, patrem, fratres et illorum affines? Viden' quot modis nos colligaverit? Attamen neque his contentus fuit, sed etiam effecit ut alii aliis indigeremus, ut etiam sic nos conjungeret, quia amicitias usus facit. Ideo non ubique omnia gigni permisit, ut hinc etiam nos cogeret cum aliis commisceri. Cum porro illud effecisset ut alter altero egeremus, facilem reddidit commixtionem: nisi enim hoc esset, altera hinc molestia et difficultas emergeret. Si enim medico egentem aut fabro aut alio artifice oporteret peregre proficisci, totum periret. Ideo et urbes paravit, et omnes simul conjunxit. Ut autem eos qui procul sunt facile adire possemus, mare in medio extendit, et ventorum dedit celeritatem, sic faciles reddens peregrinationes. Initio etiam omnes in uno coegit loco; neque prius dispersit, donec ii qui primum donum acceperant, concordia ad malum usi sunt; sed undique nos collegit, et a natura et a cognatione et a lingua et a loco. Ac sicut nolebat nos excidere ex paradiso; si enim voluisset, non illic eum quem fecerat hominem in principio posuisset, sed qui non obedivit, in causa fuit: sic nos nolebat diversæ linguæ esse; nam ab initio hoc fecisset; nunc autem in tota terra labium erat unum et vox una omnibus. Propterea nec quando terram oportuit deleri, nos ex alia fecit materia, neque justum transtulit; sed illo in mediis fluctibus dimisso, quasi quadam orbis scintilla, genus nostrum rursus accendit ex beato illo Noe. Et ab initio quidem unum fecit imperium virum præficiens mulieri: quia vero genus nostrum in multam decidit ordinis eversionem, alia quoque imperia constituit, nempe dominorum et magistratuum; et hoc propter caritatem. Quia enim malitia genus nostrum solvit et perimit, ceu quosdam medicos in mediis urbibus constituit qui judicia ferrent, ut deinceps malitiam ceu quamdam caritatis pestem eliminantes, in unum nos cogerent. Ut autem non solum in urbibus, sed etiam in singulis domibus multa concordia esset; cum virum imperio et præcellentia honorasset, mulierem autem concupiscentia armasset, et procreationis liberorum donum in medio eorum deposuisset, alia cum his quæ caritatem conciliarent apparavit. Neque enim omnia permisit viro, neque omnia mulieri, sed et hæc unicuique divisit, mulieri domum, viro forum consignans; et viro quidem ut aleret, terram enim colit; mulieri vero ut vestiret, tela enim et colus sunt mulieris: ipse namque dedit mulieri texendi industriam. Sed pereat avaritia, quæ non sinit hanc apparere differentiam. Nam multorum mollities viros ad telas deduxit, et radios eis in manus dedit et subtegmen et stamina. Attamen sic etiam fulget divinæ dispensationis providentia. Nam muliere in aliis etiam admodum necessariis opus habemus, et minoribus in iis quæ vitam continent nostram indigemus; tantaque est necessitas, ut etiamsi quis omnium sit hominum ditissimus, neque sic hac conjunctione liberetur, ita ut etiam inferiore opus habeat. Neque enim pauperes solum opus habent divitibus, sed etiam divites pauperibus, et hi magis illis, quam illi istis.

5. Et ut hoc clarius videas, faciamus, si placet, duas urbes; aliam divitum tantum, aliam vero pauperum; et neque in ea quæ divitum est sit quis pauper, neque in ea quæ pauperum est sit quis dives, sed utramque exacte expurgemus: et videamus quænam magis sibi sufficere poterit. Si enim inveniamus eam quæ possit, esse pauperum urbem, palam erit, quod divites magis illis indigeant. Itaque in illa divitum urbe nullus erit artifex, non architectus, non faber, non sutor calcearius, non pistor, non agricola, non faber ærarius, non funium contextor, non aliud quidquam hujusmodi. Quis enim divitum umquam hæc tractare voluerit, quando ii etiam, qui hæc tractant, cum opulenti fuerint, non ultra sustinent horum operum miseriam? Quomodo igitur nobis urbs istæc consistet? Numerata, inquies, pecunia divites hæc a pauperibus ement. Ergo non sibi ipsis sufficient, si illis indigeant. Quomodo autem domos ædificabunt? an hoc etiam ement? sed id natura non habet. Ergo necesse est huc artifices evocare, et legem corrumpere, quam initio posuimus cum urbem incolis instrueremus: meministis enim quod dixerimus, neminem esse intus pauperem. Sed ecce necessitas etiam nobis nolentibus ipsos advocavit et introduxit. Unde palam est non posse sine pauperibus urbem subsistere. Si enim maneat civitas nullum ex iis excipiens, non ultra civitas erit, sed peribit. Non igitur sibi sufficiet, nisi velut servatores quosdam pauperes in se congregarit. Videamus rursus pauperum urbem, num illa similiter in egestate degat, divitibus privata. Et primo expurgemus oratione divitias, illasque aperte ostendamus. Quidnam sunt divitiæ? Aurum, argentum, lapides pretiosi, vestes sericæ et purpureæ et aureæ. Quia igitur apparet quænam sint divitiæ, expellamus illas ex pauperum urbe, si velimus pauperum civitatem exacte constituere; ne vel per somnium illic aurum appareat, neque talia vestimenta; si vis autem, neque argentum, neque vasa argentea. Quid ergo? dic mihi, ideone in egestate erit hæc urbs? Minime. Si enim ædificare oporteat, non auro nec argento nec margaritis est opus, sed arte, manibus; manibus autem non utcumque, sed callosis digitisque induratis, robore multo, lignis, lapidibus:

si rursus vestem texere, non auro rursus opus est, non argento, sed manibus rursum et arte mulieribusque operantibus. Quid vero si terram colere oporteat et fodere, an divitibus an pauperibus est opus? Palam est quod pauperibus. Et si ferrum tractare oporteat, aut quid simile facere, hac maxime plebe nobis opus est. Ubinam ergo divitibus opus habebimus, nisi destruere oporteat hunc civitatem? Nam si illis ingressis, in auri et margaritarum concupiscentiam inciderint hi philosophi (philosophos enim voco eos, qui nihil superfluum quærunt), otio se dantes et voluptati, omnia demum perdent. Et nisi utiles sint divitiæ, inquies, cur a Domino datæ sunt? Et undenam liquet divitias a Deo dari? Scriptura dicit : *Meum est argentum et meum aurum* (*Aggæi.* 2. 9), et cui voluero dabo illud. Hic, nisi rem turpem facerem, profuse nunc risissem, illos qui hæc dicunt irridens, quia sicut pueruli regia fruentes mensa, cum illo alimento quidquid inciderit in os injiciunt. Sic et hi cum divinis Scripturis sua quoque colligunt. Illud enim, *Meum est argentum, et meum est aurum*, scio dictum fuisse a propheta; illud vero, Cui voluero dabo ipsum, non ibi jacere, sed a fœcibus istis inductum fuisse. Illud vero qua de causa dictum sit dicam. Propheta Aggæus, quia frequenter Judæis promiserat, post reditum ex Babylone se templum ostensurum in priore forma, non credebant autem quidam dicenti, et fere rem impossibilem existimabant, quod in cinerem et pulverem redacta domus, talis rursum apparitura esset; ille solvens incredulitatem ipsorum, ex persona Dei hæc dicit, ac si diceret : Quid timetis? quid non creditis? *Meum est argentum et meum aurum*, nec opus habeo, ut pecunia fœnore accepta, sic ædem exornem. Et quod hoc sit, subjunxit : *Et erit gloria domus hujus ultima supra primam* (*Aggæi* 2. 10). Ne ergo in vestimentum regium telas aranearum inducamus. Nam si quis deprehendatur in purpura deforme subtegmen contexens, extremas dabit pœnas, multo magis in spiritualibus : neque enim hinc leve peccatum oritur. Et quid dico de additione et de subtractione? ex puncto tantum, et ex simulata altera lectione multa sæpe absurda sensa orta sunt.

6. Undenam ergo divites, inquies? dictum est enim, *Divitiæ et paupertas a Domino* (*Eccli.* 11. 14). Interrogabimus ergo eos qui hæc nobis objiciunt : Ergone omnes divitiæ et omnis paupertas a Domino? et quis hoc dixerit? Nam videmus et ex rapina et ex maleficio in fodiendis sepulcris, et ex præstigiis exque aliis hujusmodi causis, magnas a multis corradi divitias, et qui eas possident, ne vita quidem dignos esse. Quid ergo, dic mihi, hascine divitias a Deo esse dicamus? Absit : sed undenam? Ex peccato. Nam meretrix corpus suum contumelia afficiens, ditescit; et formosus adolescens sæpe formam vendens suam, cum turpitudine aurum possidet; et sepulcrorum effossor, diruptis sepulcris, divitias cogit injustas, itemque latro muris perforatis. Ergone a Domino omnes divitiæ? Quid ergo, inquies, respondebimus ad hoc dictum? Disce prius nec paupertatem a Deo esse, et tunc ad hoc dictum veniemus. Cum enim quis juvenis prodigus aut in meretrices divitias consumpserit, aut in præstigiatores, aut in alias quaspiam similes cupiditates, et pauper evaserit; nonne palam est hoc a Deo factum non esse, sed ab ipsius profusione? Rursum si quis ob segnitiem pauper fiat, si quis ex insania in paupertatem decidat, si quis periculosas et iniquas res aggressus; nonne conspicuum prorsus est, nullum eorum qui hujusmodi sunt in paupertatem a Deo dejectum fuisse? Mentitur ergo Scriptura? Absit; sed stulte agunt ii, qui non cum ea qua par esset accuratione omnia quæ scripta sunt examinant. Nam si et hoc in confesso sit, quod Scriptura mentiri nequeat, et hoc demonstratum sit, quod non omnes divitiæ a Deo sint; difficultas venit ex imbecillitate eorum qui non considerate legunt. Et oporteret quidem vos dimittere, cum in hoc Scripturam ab oblatis criminibus liberavimus, ut has nobis vestræ in legendis Scripturis negligentiæ daretis pœnas: verum quia vobis admodum parco, et non possum amplius videre vos conturbatos, age solutionem afferamus, primo eum qui dixit memorantes, et quando dictum fuerit, et ad quosnam. Neque enim Deus cum omnibus similiter loquitur; ut neque nos cum pueris et cum viris similiter verba facimus. Quandonam ergo dictum est, et a quo, et ad quosnam? A Salomone in Veteri ad Judæos, qui nihil aliud sciebant quam sensibilia, et ab iis Dei virtutem probabant. Hi enim sunt qui dicebant : *Numquid et panem poterit dare* (*Psal.* 77. 20)? et *Quod signum ostendis nobis* (*Matth.* 12. 38)? *Patres nostri manducaverunt manna in deserto* (*Joan.* 6. 31). *Quorum deus venter* (*Philipp.* 3. 19). Quoniam igitur ex iis illum exercebant, dicit ipsis, Hoc quoque potest Deus, et divites facere et pauperes; non quod omnino ipse faciat, sed quod possit, quando voluerit : ut et quando dixerit, *Qui mari comminatur, et exsiccat illud, et omnes fluvios in desertum redigens* (*Nahum.* 1. 4); quamquam hoc numquam factum est. Quomodo igitur illud propheta dicit? Non quod semper fiat, sed quod ipse possit facere. Quam ergo paupertatem dat et quas divitias? Recordare patriarchæ, et scies quænam a Deo dentur divitiæ. Nam Abrahamum ipse divitem reddidit; et post illum Jobum, ut et ipse dicit : *Si bona quidem suscepimus a Domino, mala autem non sustinebimus* (*Job.* 2. 10)? Et Jacobi divitiæ inde initium sumpserunt. Est autem et paupertas ab eo laudabilis, quam illi divini tunc conciliabat dicens : *Si vis perfectus esse, vende quæ habes, et da pauperibus, et veni sequere me* (*Matth.* 19. 21); et discipulis rursum legem statuens ac dicens : *Nolite possidere aurum, neque argentum neque duas tunicas* (*Luc.* 9. 3). Ne itaque dicas ipsum omnes dare divitias : nam demonstratum est et ex cædibus et ex rapinis et ex mille aliis occasionibus ipsas colligi. Sed rursus ad priorem quæstionem sermo reducatur. Si enim ad nihil nobis utiles divites sunt, cur facti fuere? quid ergo dixerimus? Quod hi non prosint, qui se sic divites reddunt; ut illi qui a Deo facti sunt, valde sunt utiles. Hoc ab illorum gestis edisce.

(*Dix*)

Etenim Abraham peregrinis et egenis omnibus possidebat divitias. Ille enim cum advenissent tres, ut existimabat, homines, vitulo mactato tribusque similæ mensuris subactis, in ostioque sedens tempore meridiano, considera cum quanta liberalitate et alacritate sua omnibus impenderet, cum pecuniis etiam corporis ministerium adhibens, et hæc in tanto senio. Portus erat hospitum eorumque qui in necessitate erant, nihil sibi proprium possidens, nec etiam filium suum : Deo namque jubente hunc etiam tradidit; cum filio autem seipsum dedit, et totam domum, quando studebat fratris filium eripere. Et hæc faciebat non pecuniarum causa, sed ex humanitate sola. Cum enim ipsum manubiarum dominum fecerunt qui ab ipso servati fuerant, usque ad filum subtegminis et corrigiam calceamenti omnia recusavit.

7. Talis erat et beatus Job : etenim *Ostium meum*, inquit, *omni venienti apertum erat. Ego eram oculus cæcorum et pes claudorum; ego eram pater infirmorum; foris autem non manebat hospes* (*Job.* 31. 32. *et* 29. 15. 16) : infirmi autem, si quando opus habebant, non frustrabantur ; neque sivi infirmum ex ostio meo sinu vacuo exire. Et his multo plura, ne omnia nunc recenseamus, facere non desinebat, in egenos omnes divitias consumens. Vis etiam illos divites videre, qui a Deo non tales facti sunt, ut discas quomodo divitiis sint usi ? Vide illum qui cum Lazaro, qui ne micas quidem dabat ; vide Achaabum, qui et vineam rapuit ; vide Giezi, vide omnes qui hujusmodi fuere. Nam qui juste possident, utpote qui a Deo acceperint, secundum Dei præcepta impedunt ; qui autem in acquirendo Deum offenderunt, et in expensis quoque idipsum faciunt, in meretrices et parasitos insumentes, aut suffodientes vel claudentes, in mendicum autem nihil erogantes. Et cur, inquies, permittit Deus ut tales homines sint divites ? Quia patiens est, quia vult nos ad pœnitentiam adducere, quia gehennam præparavit, quia diem statuit in qua judicaturus est orbem. Si autem statim divites plecteret, Zacchæus non habuisset tempus ad pœnitentiam, ita ut redderet quadruplum eorum quæ rapuerat, et dimidium etiam bonorum suorum adderet : non Matthæus tempus habuisset ut mutaretur et fieret apostolus, si ante opportunum tempus raptus fuisset ; non alii multi similes. Propterea exspectat, ad pœnitentiam omnes vocans. Si vero noluerint, sed in iisdem permanserint, audient Paulum dicentem : *Quod secundum duritiem eorum et impœnitens cor thesaurizent sibi iram in die iræ et revelationis et justi judicii Dei* (*Rom.* 2. 5). Quam iram ut fugiamus, ditemur divitiis cælestibus, et laudabilem persequamur paupertatem. Ita enim et cælestia consequemur dona, quæ utinam nos omnes adipisci contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXV.

CAP. 14. v. 1. *Persequimini caritatem, æmulamini spiritualia, magis autem ut prophetetis.*

1. Quia enim cum accuratione caritatis virtutem omnem illis recensuit, de cætero hortatur ut cum alacritate illam amplectantur : ideoque dicebat, *Persequimini*. Nam qui persequitur, illud solum respicit quod persequitur, et ad illud tendit, nec desistit donec accipiat. Qui persequitur, cum per seipsum non potest, per eos qui ante illum sunt, fugientem apprehendit, eos qui prope sunt cum magno studio adhortans, ut detineant et servent eum qui captus fuit, donec ille advenerit. Hoc nos quoque faciamus : cum ipsi non pervenimus ad caritatem, eos qui prope sunt jubeamus eam detinere, donec perveniamus ad illam : deinde cum apprehenderimus, ne ultra dimittamus eam, ne rursus a nobis fugiat. Assidue enim a nobis resilit, quia non ut par est illa utimur, sed omnia ei præferimus. Ideo omnia oportet facere, ut illam accurate retineamus. Nam si hoc fiat, non multo nobis deinceps opus erit labore, imo ne levi quidem ; sed in deliciis versantes, festum agentes, per angustam virtutis viam incedemus. Ideo ait, *Persequimini eam*. Deinde ne putarent, ideo ipsum de caritate sermonem induxisse, ut charismata exstingueret, subjungit dicens : *Æmulamini autem spiritualia, magis autem ut prophetetis.* 2. *Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo ; nemo enim audit ; Spiritu autem loquitur mysteria :* 3. *qui autem prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem et exhortationem et consolationem.* Comparationem hic demum facit charismatum, et linguarum charisma deprimit, neque omnino inutile ostendens, neque valde utile per se. Nam admodum in hoc intumescebant, quia magnum putabatur esse charisma. Magnum vero putabatur esse, quia ipsum primum apostoli acceperant, et cum tanta dignitate ac splendore. Neque tamen aliis ideo præstantius erat. Cur ergo ante alia illud acceperant apostoli ? Quia per omnes orbis partes pervasuri erant : et sicut in tempore quo facta est turris, lingua quæ erat una dividebatur in multas (*Gen.* 11) ; ita tunc quæ erant multæ, sæpe ibant ad unum hominem ; et idem homo Persarum et Romanorum et Indorum et aliis multis loquebatur linguis, in ipso insonante Spiritu : et hoc charisma appellabatur charisma seu donum linguarum, quoniam poterat simul multis loqui linguis. Vide ergo quomodo idipsum et deprimit et extollit. Nam dicendo, *Qui loquitur linguis, non hominibus loquitur, sed Deo ; nemo enim audit*, depressit illud, ostendens non magnam esse utilitatem : subjungendo autem, *Spiritu loquitur mysteria*, rursus extulit, ne videretur esse supervacaneum et inutile, et temere ac frustra datum. *Qui autem prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem et adhortationem et consolationem.* Vidistin' undenam ostendat hujus doni excellentiam, ex eo quod in commune conferat ; et quomodo id ubique præ-

ponat quod fit ad multorum utilitatem? Illi enim, quæso, annon loquuntur hominibus? Loquuntur, sed non talem ædificationem et exhortationem et consolationem.

Prophetiæ donum dono linguarum præstat.—Quamobrem a Spiritu quidem teneri et agitari est utrique commune, et ei qui prophetat, et ei qui linguis loquitur : in hoc autem præstat ipse, nempe is qui prophetat, quod sit etiam utilis iis qui audiunt. Eos enim qui linguis loquebantur, non audiebant qui donum non habebant. Quid vero? illi nullumne ædificabant? Certe, inquit, seipsos solos : et ideo subjungit, 4. *Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat.* Et quomodo, si nescit quæ dicit? Sed nunc loquitur de iis, qui sciunt quæ dicunt, qui ipsi quidem sciunt, nesciunt autem aliis enuntiare. *Qui autem prophetat, Ecclesiam ædificat.* Quantum autem interest inter unum et Ecclesiam, tanta est inter hunc et illum differentia. Vidistin' ejus sapientiam, quomodo donum non redigat in nihilum, sed ostendat habere quidem lucrum, sed parvum, et quod ei solum qui possidet sufficiat? Deinde ne existimarent quod eis invidens linguas deprimat (plures enim ex iis habebant hoc donum), suspicionem eorum corrigens dicit : 5. *Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare. Nam major est qui prophetat, quam qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat.* Magis autem et minus non sunt ex contrariis, sed ex iis quæ exsuperant.

2. Quamobrem hinc quoque est perspicuum quod donum non vituperet, sed eos ducat ad meliora, ostendens et quam eorum curam gerat, et animum ab omni invidia liberum. Neque enim dixit : Duos aut tres, sed, *Vos omnes volo linguis loqui :* neque hoc solum, sed etiam prophetare : et hoc magis quam illud ; major est enim qui prophetat. Nam postquam id confirmavit et demonstravit, tunc de cætero etiam pronuntiat, non tamen absolute, sed cum adjectione : subjunxit enim, *Nisi forte interpretetur ;* ita ut si hoc possit, interpretari dico, par sit prophetæ, inquit, quoniam sunt multi qui percipiunt utilitatem : quod maxime est observandum, quomodo hoc per omnia ante alia requirat. 6. *Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina?* Et quid, inquit, dico alios? Sit enim, inquit, qui linguis loquitur Paulus : neque enim sic quidquam redibit emolumenti ad auditores. Hæc autem dicit, ostendens se id quærere quod sit eis utile : non autem odio habere eos qui charisma possident, cum ne in propria quidem persona recuset ostendere id esse inutile. Semper autem in sui persona quæ sunt gravia et molesta agitat, sicut dicebat in principio epistolæ : *Quis est Paulus? quis est Apollo? quis Cephas* (1. *Cor.* 3. 4)? Quod quidem hic quoque facit dicens : *Ne vobis quidem prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in prophetia, aut in scientia, aut in doctrina.* Hoc autem vult significare : Nisi aliquid dixero, quod a vobis facile possit capi et possit esse manifestum, sed tantum ostendero me habere donum linguarum, abibitis nullo lucro facto ex linguis quas audistis. Quid enim lucri ex voce, quam non intelligitis? 7. *Tamen quæ sine anima sunt vocem edentia, sive tibia sive cithara, sive distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur aut citharizatur?* Et quid dico, inquit, hoc quod in nobis est nihil lucri afferre, utile autem esse quod est clarum et quod facile capiunt auditores? Nam etiam in inanimis musicæ instrumentis hoc videris : sive enim sit tibia sive cithara, et neque numero neque harmonia conveniente, sed confuse et temere pulsetur et inspiretur, nullum ex iis qui audiunt delectabit ac recreabit. Nam etiam in illis inarticulatis aliqua claritate opus est et evidentia : et nisi ex arte pulsaveris et tibiam inspiraveris, nihil fecisti. Si autem exigimus ab inanimis ut tanta sit in eis claritas et harmonia et distinctio, et in illis non significantibus sonis urgemus et contendimus ut magnam imponamus significationem : multo magis in animatis et ratione præditis hominibus et in donis spiritualibus persequi oportet id quod recte significet. 8. *Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?* A supervacaneis enim ad ea, quæ sunt magis necessaria et utilia, deducit orationem ; et dicit quod non solum in cithara, sed etiam in tuba videris hoc usu venire. Sunt enim illic quoque rhythmi, et indicant aliquando quidem sonum bellicum, aliquando vero non talem ; et aliquando educit in aciem, aliquando autem revocat ; ac nisi quispiam hoc norit, in extremum venit periculum. Quod quidem significans, et errorem ostendens, dicit, *Quis parabit se ad bellum?* Quamobrem nisi hoc habeat, totum perdit. Et quid hæc, inquies, ad nos? Ad vos maxime spectat, et ideo subjungit : 9. *Ita et vos, per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in aerem loquentes.* Hoc est, nihil loquentes, nulli loquentes. Et ubique rem ostendit inutilem. Et si inutilis, inquies, cur data est? Ut sit utilis ei qui accepit : si autem aliis quoque futura est utilis, oportet adsit interpretatio. Hæc autem dicit, eos inter se invicem concilians, ut et si ipse non habeat donum interpretandi, assumpto altero qui id habeat, quod suum est per illum faciat utile. Propterea ubique ostendit rem esse imperfectam, ut ipsos sic una colliget. Etenim qui id sibi existimat sufficere, non tam id laudat quam deprimit, non sinens id recte splendere per interpretationem. Pulchrum enim est donum et necessarium, sed tum demum, si habuerit eum qui declaret ea quæ dicuntur. Nam digitus quoque res est necessaria, sed quando eum abduxeris a reliquis, non erit æque utilis : tuba quoque est necessaria ; sed quando temere sonuerit, est etiam molesta et gravis. Neque enim ars apparebit, nisi sit subjecta materia ; neque informatur materia, nisi imposita sit forma. Pone ergo vocem quidem tamquam subjectum, claritatem autem tamquam formam, quæ si non adsit, subjecti nullus est usus. 10. *Tam multa, si contingant, genera linguarum sunt in hoc*

mundo, et nihil sine voce est. Hoc est, tam multæ linguæ, tam multæ voces, Scytharum, Thracum, Romanorum, Persarum, Maurorum, Indorum, Ægyptiorum, aliarum gentium innumerabilium. 11. *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquar barbarus.*

3. Ne existimes enim quod hoc solum accidat in vobis, inquit, sed etiam in omnibus hoc fieri videris. Quamobrem hæc dico, non vocem vituperans, sed ostendens eam mihi esse inutilem, quamdiu non fuerit clara et manifesta. Deinde ne gravem ac molestam reddat accusationem, exæquat crimen, dicens: *Ille mihi barbarus, et ego illi;* non ex natura vocis, sed ex nostra ignorantia. Vidistin' quomodo paulatim duxit ad id, quod est cognatum ac rei proprium? Quod quidem mos est ei facere, ut exempla procul attrahat, et desinat in id quod est subjecto conjunctius et magis proprium. Nam postquam dixit de tibia et cithara, ubi multa desunt et multa inutilia sunt, venit ad tubam, rem utiliorem, et deinde ad ipsam vocem. Ita etiam antea, quando versabatur ejus oratio in eo ut ostenderet non esse prohibitum apostolis accipere, cum cœpisset primum ab agricolis et pastoribus et militibus, tunc deduxit orationem ad id quod est proposito propinquius, nempe ad sacerdotes qui erant in Veteri. Tu autem mihi considera quomodo ubique studium posuerit ut donum liberaret ab accusatione, et crimen conferret in eos qui acceperunt. Non dixit enim: Ero barbarus, sed, *Ei qui loquitur barbarus.* Et rursus non dixit: Qui loquitur, barbarus, sed, *Qui mihi loquitur, barbarus.* Quid ergo oportet, inquit, fieri? Non solum enim non oportet vituperare, sed etiam adhortari et docere: quod ipse quoque facit. Postquam enim accusavit et increpavit, et inutile esse ostendit, deinceps etiam consilium dat, dicens: 12. *Sic et vos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis.* Vidistin' ejus scopum semper et ubique unum esse? Eam ceu regulam ponit, quæ multis utilis sit et Ecclesiam juvet. Neque dixit, Ut dona possideatis, sed *Ut Abundetis;* hoc est, ut cum magna copia illa habeatis. Tantum enim abest ut nolim vos ea habere, ut velim etiam vos eis abundare, modo ea exerceatis ad id quod in commune est utile. Quomodo autem hoc fiat, dicit et subjungit, dicens: 13. *Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur.* 14. *Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.* 15. *Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo et mente: psallam spiritu, psallam et mente.* Hic ostendit in eorum esse potestate ut donum accipiant: *Oret* enim, inquit; hoc est, quæ sua sunt afferat. Nam si diligenter et magno studio petieris, accipies. Pete ergo ut non solum habeas donum linguæ, sed etiam interpretationis: ut sis omnibus utilis, nec donum in te solum includas. *Nam si orem*, inquit, *lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.*

Donum linguarum quodnam esset. — Vidistin' quomodo paulatim extollens orationem, ostendat eum qui est eiusmodi, non solum esse aliis inutilem, sed etiam sibi ipsi, siquidem mens ejus est sine fructu. Nam si quis loquatur solum Persarum lingua, aut aliqua alia aliena, nesciat autem quæ dicit, certe etiam sibi ipsi jam erit barbarus, non alii solum, eo quod nesciat vim vocis. Erant enim antiquitus multi qui orationis donum habebant cum lingua; et orabant quidem, et lingua loquebatur, aut Persarum aut Romanorum voce orans; mens autem nesciebat quod dicebatur. Ideo dicebat, *Si orem lingua, spiritus meus orat;* id est, charisma quod datum est mihi et movet linguam; *mens autem mea sine fructu est.* Quid ergo optimum et utile est? et quomodo faciendum, quid petendum a Deo est? Ut et spiritu, id est charismate, et mente oretur. Et ideo dicebat: *Orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente.* Idem rursus hic quoque significat: Ut et lingua loquatur, et mens non ignoret ea quæ dicuntur. Nam nisi hoc sit, alia quoque erit confusio. 16. *Etenim si benedixeris*, inquit, *spiritu, qui supplet locum idiotæ quomodo dicet, Amen, super tuam gratiarum actionem? quoniam quid dicas nescit.* 17. *Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur.* Vide quomodo hic rursus lapidem ducit ad amussim, ubique quærens Ecclesiæ ædificationem. Idiotam autem dicit laicum, et ostendit eum non parvum damnum acciperé, quando non potest dicere, Amen. Hoc autem vult significare: Si barbarorum voce benedicas nesciens quid dicas, neque valens interpretari, non potest laicus respondere, Amen: non audiens enim illud, In sæcula sæculorum, quod est finis, non dicit, Amen. Deinde rursus eum consolans, ne videatur donum valde vilipendere: quod superius dicebat cum loqui mysteria, et Deo loqui, et seipsum ædificare, et orare spiritu; ex his non parvam excogitans consolationem, hoc hic quoque facit, dicens: Nam tu quidem bene gratias agis; Spiritu enim motus loqueris; sed ille nihil audiens, neque sciens quæ dicuntur, stat, non magnam excipiens utilitatem.

4. Deinde quoniam eos est insectatus qui hoc habent donum, tamquam qui nihil magnum haberent; ne videatur veluti eo privatus, eos vilipendere, vide quid dicat: 18. *Gratias ago Deo, quod magis quam vos omnes linguis loquar.* Hoc autem facit etiam alibi. Depressurus enim ea quibus exsuperabat Judaismus, et ostensurus ea nihil esse, prius ostendit se ea habere, et longe amplius, tunc quoque ea damnum appellat dicens: *Si quis videtur habere fiduciam in carne, ego magis, circumcisus octavo die, ex genere Israel, tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum zelum persequens Ecclesiam, secundum justitiam quæ est ex lege, factus irreprehensibilis* (*Philipp.* 3. 4. 6). Et tunc postquam ostendit, se in his omnibus abundare, dicit: *Sed quæ mihi erant lucra, ea damnum existimavi propter Christum* (*Ibid.* v. 7). Ita hic quoque facit, dicens: *Magis quam vos omnes linguis loquor.* Ne ergo efferamini, et vobis placeatis tamquam soli donum habentes; nam ego quoque id possideo, et magis quam vos. 19. *Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui ut et alios*

instituam. Quid est, *Sensu meo loqui, ut et alios instituam?* Intelligens quæ dico, et quæ possunt aliis quoque interpretari, et cum intelligentia dicere, et docere eos qui audiunt. *Quam decem millia verborum in lingua*. Quare? *Ut alios*, inquit, *instituam*. Nam illud quidem habet ostentationem tantum, hoc autem multam utilitatem. Hoc enim est, quod ubique quærit, quod in communi sit utile. Atqui donum linguarum erat novum et alienum, prophetiæ autem donum consuetum et antiquum et multis jam datum, hoc autem tum primum ; sed tamen in id non multum ponebat studii. Quamobrem nec eo usus est, non quod non haberet, sed quod quæreret quæ sunt utiliora : erat enim liber ab omni inani gloria, et unum spectabat, ut meliores redderet auditores. Propterea etiam poterat videre quod sibi et aliis erat utile, eo quod esset liber ob inani gloria. Nam qui est in ejus servitutem redactus, non poterit videre, non solum quod aliis, sed etiam quod sibi est utile. Talis erat Simon, qui quoniam ad inanem aspexit gloriam, ne vidit quidem quod sibi erat conducibile : tales erant Judæi, qui propter eam diabolo suam propinarunt salutem.

Inanis gloriæ vis. Philosophi Græci carpuntur. — Hinc etiam orta sunt idola, et externi philosophi ex hoc furore incitati lapsi sunt ad mala dogmata. Vide autem hujus vitii perversitatem. Per hoc ex iis nonnulli effecti sunt pauperes, et alii studium posuerunt in divitiis. Tanta est ejus tyrannis, ut dominetur etiam in contrariis. Nam et ex temperantia aliquis inani gloria afficitur, et rursus alius ex adulterio : et hic quidem ex justitia, alius ex injustitia, ex deliciis et ex jejunio, ex lenitate et ex audacia, ex divitiis et ex paupertate. Nonnulli enim externi, cum liceret dona accipere ; ut in admiratione haberentur, non accipiebant. Sed non sic apostoli : nam quod puri essent a vana gloria, ostenderunt per ea quæ fecerunt. Etenim quando illos deos vocabant, et parati erant ad sacrificandum ipsis tauros coronatos, non solum prohibuerunt, sed etiam sua vestimenta sciderunt : et quando claudum curaverunt, omnibus eos hianti ore stupentibus dixerunt : *Quid nos aspicitis, tamquam propria virtute fecerimus hunc ambulare* (*Act.* 3. 12)? Et illi quidem inter viros paupertatem admirantes, paupertatem eligebant ; hi vero ipsam eligunt apud homines qui paupertatem spernunt et divitias laudant. Et hi quidem, si quid acceperant, egenis opem ferebant ; ita non propter inanem gloriam, sed propter benignitatem omnia faciebant : illi autem plane contrarium, tamquam qui essent inimici et pestes communis naturæ, hæc sic quoque faciebant. Nam alius quidem frustra et temere omnes suas facultates in mare demergebat, fatuos imitans et eos qui sunt insanæ mentis : alius autem sinebat omnes suos agros depasci ab ovibus. Sic omnia apud illos ad vanam gloriam spectabant. Sed non hi, imo vero quæ dabantur accipiebant, et distribuebant egentibus cum tanta liberalitate, ut etiam in fame perpetua degerent. Si autem gloriam amassent, non hoc fecissent, nempe ut acciperent et distribuerent, timentes ne contra ipsos aliqua foret suspicio. Nam qui sua abjicit propter gloriam, multo magis non accipiet ea quæ sunt aliorum, ne videatur egere aliis, neque veniat in suspicionem. Hos autem vides et ministrantes et emendicantes pro egentibus : adeo erant etiam patribus quibuslibet amantiores. Vide autem eorum quoque leges moderatas, et ab inani gloria liberas. *Habentes* enim, inquit, *vestimenta et alimenta, his contenti erimus* (1. *Tim.* 6. 8) : non sicut ille Sinopeus, qui pannis obsitus et dolium habitans, cum nihil esset opus, multos quidem stupefecit, nulli autem profuit. Paulus autem nihil horum faciebat : neque enim spectabat ambitionem et honoris desiderium, sed et decore induebatur vestibus, et domi assidue habitabat, seque plane perfectum ostendebat in alia omni virtute : quod despiciebat Cynicus, intemperanter vivens et palam indecore se gerens (*a*), ab inani gloria abreptus. Si quis enim roget cur in dolio habitaverit, nullam aliam causam inveniet quam vanam gloriam.

5. *Vana gloria sæva bellua.* — Paulus autem etiam domum, quam Romæ incolebat, mercede conduxit. Quamquam qui longe fortiora poterat, multo magis hoc potuisset. Sed non aspiciebat ad gloriam, sævam belluam, horrendum dæmonem, pestem orbis terræ, venenatam viperam. Sicut enim illa bestia dentibus uterum matris discerpit, ita etiam hoc vitium parentem dilacerat. Undenam ergo vario huic morbo inveneris medicamentum? Si eos qui ipsum conculcarunt in medium adduxeris, et ad illorum imaginem respiciens, sic vitam composueris. Patriarcha enim Abraham ; sed nemo mihi vitio vertat ejusdem rei repetitionem, si sæpe ejus et in omnibus memininus. Hoc enim est quod illum quoque reddit maxime admirabilem, et eos qui non ipsum æmulantur, omni privat venia. Nam si eum quidem in parte aliqua, in alia autem parte alium se recte gessisse ostenderimus, dixerit aliquis difficile esse virtutis exercitium ; non esse enim facile omnia simul recte gerere, quorum partem sanctorum singuli gesserunt : cum autem inveniatur unus et idem omnia obtinere, quam habebunt excusationem qui post legem et gratiam non possunt ad eamdem pervenire mensuram, ad quam qui fuerunt ante legem et gratiam? Quomodo ergo hic patriarcha hanc belluam vicit et superavit, quando fuit ei controversia cum filio fratris? Nam cum minor portio ei obtigisset, ei primas partes non esset assequutus, non doluit. Scitis autem quod in his rebus dedecus est pejus damno iis qui sunt pusilli animi, et maxime quando ipse omnium dominus, sicut tunc ille, et qui prior cœperat honorare, non vicissim honore afficitur. Sed tamen nihil horum illum momordit, sed et eum secundas haberet partes fuit contentus, et injuria affectus a juvene senex, et patruus a fratris filio, non succensuit neque ægre tulit, sed similiter eum amabat et curabat. Rursus ex magno illo et terribili bello parta victoria, vique pro-

(*a*) Quæ hic de Diogene Cynico feruntur, apud Diogenem Laertium et sexcentis in aliis veterum locis habentur.

pulsatis et profligatis barbaris, de victoria non triumphat nec erigit tropæum : volebat enim tantum servare, non se ostentare. Excepit rursus hospites ; neque hic inani gloria laboravit, sed et ipse occurrebat et adorabat, non tamquam dans beneficium, sed tamquam beneficio affectus : et vocat dominos, nesciens quidem quinam accessissent, et loco ancillæ constituit uxorem. Cum autem antea in Ægypto admirabilis apparuisset, et hanc ipsam uxorem recepisset, tantumque esset honorem consequutus, apud neminem se ostentat; sed indigenæ quidem eum regem appellabant, ipse autem solvit pretium sepulcri. Cum autem mitteret famulum, uxorem filio adducturum, nihil jussit magnum aut præclarum de se dicere, sed solum sponsam adducere. Vis etiam examinare eos qui erant sub gratia, quando eos undique circumfluebat magna doctrinæ gloria, et videre hoc quoque vitium tunc ejectum et eliminatum ?

Pauli laus. — Cogita mihi hunc ipsum qui hæc dicit, quomodo semper totum Deo tribuat, quomodo suorum quidem peccatorum assidue meminerit, recte autem factorum non item. Sed si quando oporteat corrigere discipulos et cogatur hoc facere, eam rem vocat insipientiam, et Petro primas cedit : nec erubescit operari apud Priscillam et Aquilam (*Act.* 18) : et ubique conatus est se ostendere humilem et abjectum, non in foro superbe incedens neque turbas circumferens, sed se referens in numerum eorum qui sunt obscuri et non insignes. Et ideo dicebat, *Præsentia autem corporis est infirma* (2. *Cor.* 10. 10), hoc est, despicienda, et quæ nullum habeat fastum ; et rursus : *Opto vos nihil mali facere, ne nos probati videamur* (2. *Cor.* 13. 7). Et quid mirum, si hanc despicit gloriam ? Qui enim supernam illam despicit, ut et regnum et gehennam, secundum Christi placitum (optat enim esse anathema a Christo [*Rom.* 9. 3.] pro Christi gloria : nam etiamsi pro Judæis hoc se dicat velle pati, hoc dicit, ne quis stultus putet ipsum promissiones illis factas sibi sumere) : si ille ergo paratus erat ea præterire, quid miraris, si humana despicit? Sed eos qui nunc sunt demergunt omnia, non solum gloriæ cupiditas, sed etiam contrarium, contumelia et metus infamiæ. Nam et si quispiam laudaverit, intumescis, et si vituperaverit, deprimeris. Et sicut corpora imbecilla offenduntur vel a quibuslibet, ita etiam pusillæ et abjectæ animæ. Eos enim qui sunt hujusmodi, non solum paupertas, sed etiam divitiæ perdunt ; non tristitia solum, sed etiam gaudium, et quæ sunt jucunda magis quam quæ tristia. Nam paupertas quidem cogit esse temperantem ; divitiæ autem sæpe educunt etiam ad aliquod magnum malum. Et sicut qui febricitant, ab omnibus offenduntur : ita qui sunt animo corrupto et et depravato, læduntur ab omnibus.

6. *Christianus quomodo affici debeat erga temporalia. Anima quomodo curanda. Divitum mala conditio.* — Hæc ergo cum sciamus, ne fugiamus paupertatem, neque admiremur divitias ; sed animum ita comparemus ut sit aptus et idoneus ad omnia. Nam qui domum ædificat, non eo spectat, ut in eam non cadat pluvia, neque ut ad eam non veniat radius ; hoc enim fieri nequit ; sed ut ad omnia ferenda apta sit et idonea. Et qui navem fabricatur, non id curat ut in eam non irrumpant fluctus, neque ut non excitetur maris tempestas ; hoc enim fieri nequit ; sed ut navis tabulata apta sint ad omnia. Rursus qui curam gerit corporis, non eo spectat ut non sit aeris inæqualitas et intemperies, sed ut corpus omnia hæc facile ferat. Sic etiam faciamus in anima, et studium ponamus, non ut paupertatem fugiamus, neque ut simus divites, sed ut unumquodque ex iis ita tractemus, ut in tuto collocemur. Propterea his dimissis, et divitiis et paupertati aptam efficiamus animam. Nam etiamsi nihil humani accidat, quod quidem ut plurimum fieri non potest, sic quoque erit melior qui non quærit divitias, sed omnia facile potest ferre, quam is qui semper est dives. Quare ? Primum quidem, qui est hujusmodi, ex se et apud se habet quod sit in tuto, ille autem extrinsecus. Et sicut miles ille melior est qui confidit corpori et arti bellicæ, quam qui solum vires habet in armis : ita qui a virtute septus est et munitus, melior est eo qui confidit pecuniis. Secundo, quod etiamsi in paupertatem non inciderit, fieri non potest ut ipse non sit obnoxius perturbationi : multos enim fluctus et perturbationes habent divitiæ. Sed non virtus : hæc voluptatem modo habet et securitatem : inexpugnabilem enim reddit insidiantibus : contra autem divitiæ, et facile invadi possunt et abripi. Et sicut inter animalia cervi et lepores maxime omnium facile capi possunt propter timiditatem a natura insitam ; aper autem et taurus et leo non facile incident in insidiatores : ita etiam videre est in divitibus, et in iis qui sua sponte degunt in paupertate. Nam hic quidem similis est leoni et tauro, ille autem cervo et lepori. Quem enim non timet dives ? annon latrones, annon principes, annon invidos, annon calumniatores? Et quid dico latrones et calumniatores, cum ipsos etiam famulos habeat suspectos ? Et quid dico vivus ? ne mortuus quidem liber est a maleficio latronum, neque mors eum potest in tuto collocare ; sed et mortuum deprædantur malefici : adeo instabilis et lubrica res sunt divitiæ. Non solum enim perfodiuntur domus, sed etiam sepulcra perrumpuntur et loculi. Quid ergo his fieri potuerit miserius, cum ne mors quidem ei hanc præbeat securitatem ; sed infelix illud corpus, ne vita quidem privatum, a malis quæ sunt in vita sit liberatum ; cum ii qui ea admittunt maleficia, etiam cum pulvere et cinere contendant bellum gerere, et multo gravius quam cum viveret ? Nam tunc quidem penuarium ingredientes, arculas quidem movebant, a corpore autem abstinebant, neque tam multa accipiebant ut ipsum etiam corpus nudarent : nunc autem ne ab iis quidem abstinent exsecrandæ manus eorum qui sepulcra effodiunt, sed ipsum movent et versant, et cum summa crudelitate ipsum contumelia et probro afficiunt. Nam postquam terræ mandatum fuit, illud etiam vestium amictu nudatum sic sinum projectum

jacere. Quis est ergo divitiis major hostis, quæ vivorum quidem perdunt animam, mortuorum autem etiam corpus probro et contumelia afficiunt, et ne terra quidem tegi permittunt? quod quidem est commune et iis qui sunt condemnati, et rerum turpissimarum convicti. Nam cum de illis quidem pœnas capitis exegerint, legislatores nihil ulterius inquirunt : ab his autem divitiæ post mortem pœnas gravissimas exigunt, nudos exponentes et insepultos, spectaculum grave et miserabile. Hi enim graviora ferunt, quam ii, qui id patiuntur a judicis calculo et ira. Nam illi quidem cum uno et altero die manserint insepulti, terræ mandantur : hi vero cum terræ mandati fuerint, tunc nudantur, probroque et contumelia afficiuntur. Quod si non etiam rapto loculo recedunt latrones, de eo non divitiis, sed paupertati sunt habendæ gratiæ : ipsa enim illum eripit. Nam si eum commisissemus divitiis, et non ex lapide construxissemus eum, sed ex auro, eum quoque perdidissemus. Adeo infida res sunt divitiæ, nec tam sunt eorum qui habent, quam eorum qui rapere aggrediuntur. Quamobrem supervacanea est illa oratio, quæ conatur ostendere divitias esse expugnatu difficiles, cum nec in die quidem mortis tuti sint qui eas possident. Atqui quis non reconciliatur cum mortuo, etiamsi sit fera, etiamsi dæmon, etiamsi quilibet alius? sufficit enim spectaculum ad flectendum vel ferreum vel doloris expertem. Propterea cum quis viderit mortuum, etiamsi viderit inimicum et hostem, lacrymatur cum amicissimis : et ira quidem exstinguitur cum vita, ejus autem locum subit misericordia. Et in exsequiis et funeris elatione non discreveris inimicum ab eo qui hujusmodi non est : ita omnes communem reverentur naturam, et eas quæ de ea latæ sunt leges. Divitiæ autem ne hoc quidem assequutæ, iram immittunt in eos qui ipsas possident; sed et eos qui nulla affecti sunt injuria reddunt inimicos defuncti, siquidem mortuum corpus nudare est acrium inimicorum et hostium. Et natura quidem etiam inimicos ei tunc reconciliat; divitiæ autem etiam in eos bellum gerunt, quos ne possunt quidem ullius criminis accusare, et in magna solitudine crudeliter sæviunt in corpus. Atqui multa sunt illic quæ possunt attrahere ad misericordiam, hoc ipsum quod sit mortuum, quod immobile, quod ad terram tendat et corruptionem, quod nemo adsit opem laturus. Sed nihil horum frangit illos exsecrandos, propter tyrannidem quæ ex improba oritur cupiditate. Amor enim pecuniæ, tamquam immanis quidam tyrannus, urget inhumana jussa imperans, eosque in feras mutatos, ita ducit ad loculos. Nam tamquam feræ mortuos invadentes, ne a carnibus quidem abstinuerint, si membra illis essent utilia. Hos fructus percipimus ex divitiis, etiam post mortem probro et contumelia affecti et sepultura privati, quam assequuntur etiam qui nefaria perpetrarunt. Easne ergo, dic, rogo, adhuc amabimus quæ nobis sunt adeo infestæ et inimicæ? Nequaquam, rogo, nequaquam fratres, sed fugiamus, nec faciem ad ea retro vertamus; et si in manus nostras venerint, ne intus retineamus, sed eas pauperum manibus alligemus. Hæc enim vincula eos magis possunt retinere, et numquam effugient ex illis penuariis; istæque infidæ de cætero manent fideles, placidæ, mansuetæ, eleemosynæ dextera sic commutatæ. Si quando ergo ipsæ ad nos accesserint, ipsi eas tradamus : sin autem non adfuerint, ne quæramus, nec nos ipsos suffocemus, neque eos qui habent beatos existimemus. Quomodo enim beatus hic existimandus? nisi eos qui cum bestiis pugnant beatos dixeris, quod in pretio habitas illas bestias sibi inclusas servent qui talia proponunt certamina, ipsi non audentes accedere nec tangere, sed ipsas formidantes et contremiscentes. Hoc ipsum accidit etiam divitibus, qui tamquam immanem bestiam divitias incluserunt in penuariis, et ab ipsa singulis diebus vulnera accipiunt innumerabilia, contrario plane modo quam fiat in bestiis. Nam illæ quidem, quando eas eduxeris, tunc exitium afferunt iis qui illis occurrunt : istæ autem cum fuerint inclusæ et servatæ, tunc eos perdunt qui ipsas possident et servant. Sed nos bestiam hanc reddamus mansuetam. Erit autem mansueta, si eam non incluserimus, sed in omnium egentium manus adduxerimus. Sic et maxima bona inde percipiemus, et in vita præsenti tuto ac secure et cum bona spe viventes, et in die futuro stantes cum fiducia : quam detur nobis omnibus assequi gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XXXVI.

Cap. 14. v. 20. *Fratres, nolite pueri effici mentibus, sed malitia parvuli estote, mentibus autem perfecti estote.*

1. Merito post multam confirmationem et demonstrationem oratione utitur vehementiore et multa increpatione, et meminit exempli præsenti rei congruentis. Pueruli enim ad parva quidem hianti ore stupent et mirantur, rerum autem valde magnarum non tanta tenentur admiratione. Quoniam ergo isti quoque linguarum habentes donum, se totum habere existimabant, quod quidem erat aliorum ultimum, propterea dicit : *Nolite pueri effici;* hoc est, non insipientes, ubi oportet esse sapientes; sed illic pueri et simplices, ubi est injustitia, ubi inanis gloria, ubi tumor. Eum enim, qui vitio est infans, etiam prudentem esse oportet. Sicut enim prudentia cum improbitate nequaquam fuerit prudentia : ita etiam simplicitas cum amentia non fuerit simplicitas. Nam et in simplicitate fugienda est amentia, et in prudentia vitium et nequitia. Quemadmodum enim neque amara neque dulcia medicamenta prosunt, si talia sint plus quam par sit : ita nec simplicitas per se, nec prudentia. Quamobrem Christus utraque jubens contemperare dicebat : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* 10. 16). Quid est autem esse parvulos seu infantes malitia seu vitio? Ne

nosse quidem quid sit vitium : eos enim vult esse tales. Et ideo dicebat : *Omnino inter vos auditur fornicatio* (1. *Cor.* 5. 1). Non dixit, Perpetratur, sed, *Auditur*. Rem enim, inquit, omnino scitis ; ipsam enim aliquando audivistis. Volebat enim ipsos esse et viros et pueros, sed hoc quidem in vitio, illud vero in prudentia. Sic enim et vir, vir fuerit, si fuerit parvulus : quamdiu autem non fuerit infans vitio, ne vir quidem erit. Nam qui est sceleratus, non erit perfectus, sed insipiens. 21. *In lege enim scriptum est : In aliis linguis et in labiis aliis loquar populo huic, et nec sic exaudient me, dicit Dominus.* Atqui nusquam in lege scriptum est, sed sicut prius dixi, universam veterem Scripturam semper vocat legem et prophetas et historias. Adducit autem testimonium ex Isaia propheta, rursus doni gloriam diminuens ad illorum utilitatem ; sed tamen ipsum cum laude ponit. Illud enim, *Nec sic*, erat ostendentis sufficere miraculum ad eos percellendos : si autem non crediderunt, eorum fuisse culpam. Et cur hoc fecit Deus, si non erant crediturí? Ut semper cerneretur facere quæ sua sunt. Cum ergo ostendisset etiam ex prophetia, signum non valde esse utile, subjunxit : 22. *Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus : prophetia autem non infidelibus, sed fidelibus.* 23. *Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, et omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles, nonne dicent quod insanitis?* 24. *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus :* 25. *et sic occulta cordis ejus manifesta fiunt, et cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.* Multam ex iis, quæ dicta sunt, hic videbis dubitationem. Si enim infidelibus signum sunt linguæ, quomodo dicit : Si viderint vos linguis loquentes infideles, dicent vos insanire? et si prophetia non infidelibus, sed fidelibus, quomodo ex ea lucrabuntur etiam infideles? *Si* enim *intret*, inquit, *infidelis vobis prophetantibus, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus.* Non hæc autem solum, sed etiam post eam secunda hinc oritur quæstio : apparebit enim lingua rursus major prophetia. Nam si linguæ sunt in signum infidelibus, prophetia autem fidelibus, id quod alios attrahit et conjungit, majus est eo quod familiares ac domesticos componit et concinnat. Quid est ergo quod dictum est? Nihil difficile nec obscurum neque prioribus contrarium, sed valde conveniens, si attendamus. Nam prophetia quidem utrisque est apta, lingua autem minime. Ideo cum de lingua dixisset eam esse in signum, addidit, *Non fidelibus, sed infidelibus, hisque in signum*, hoc est, ad stupefaciendum, non adeo autem ad instituendum. At in prophetia, inquit, hoc ipsum fecit dicens : *Prophetia autem non infidelibus, sed fidelibus.* Neque enim fidelis opus habet ut signum videat, sed solum doctrina indiget et institutione. Quomodo ergo, inquit, dicis prophetiam utrisque esse utilem, cum ipse dicat, *Non infidelibus, sed fidelibus?* Si diligenter et exacte examinaveris, scies quod dicitur. Non enim dixit prophetiam non esse utilem infidelibus, sed non esse in signum, ut linguam, scilicet inutile. Neque infidelibus utile quid est lingua : unum enim est ejus opus ac munus, obstupefacere solum ac conturbare. Signum est enim ex iis quæ sunt media : ut quando dicit : *Fac mecum signum*, et addit, *in bonum ;* et rursum, *Factus sum tamquam prodigium multis* (*Psal.* 85. 17. *et* 70. 7), hoc est, in signum.

2. Et ut scias eum hic adduxisse signum, non quasi faciat aliquid omni ex parte utile, id quod ex illo fit inducit. Quid hoc est autem? *Dicent*, inquit, *quod insanitis.* Hoc autem dicit, non ex natura signi, sed ex illorum amentia. Infideles autem quando audieris, ne existimes eosdem ubique dici, sed aliquando eos qui morbo laborant incurabili, et manent ejusmodi ut non possint corrigi ; aliquando autem etiam eos qui possunt mutari : quales fuerunt tempore apostolorum qui admirabantur ea quæ dicuntur magnalia Dei ; cujusmodi fuit Cornelius. Hoc est ergo quod dicit : Prophetia quidem est et in infidelibus et in fidelibus ; linguam autem audientes infideles et insipientes, non solum non lucrifaciunt, sed etiam eos qui loquuntur irrident tamquam insanos : est enim eis solum in signum, hoc est, ut tantummodo obstupescant. Nam si sapuissent, etiam lucrati essent propter signum quod fuit illis datum. Non enim tunc erant solum qui ebrietatis insimularent, sed multi eos etiam admirabantur tamquam Dei magnalia loquentes : quamobrem qui irridebant erant insipientes. Et ideo Paulus non absolute dixit : *Dicent vos insanire*, sed addidit, *idiotæ et infideles.* Prophetia autem non absolute in signum, sed ad fidem et utilitatem utrisque est apta et utilis. Idque etsi non statim, per ea tamen quæ deinceps sequuntur, apertius interpretatus est, dicens : *Convincitur ab omnibus. Si* enim *omnes prophetent*, inquit, *intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus : et sic occulta cordis ejus fiunt manifesta, et cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.* Quamobrem non hoc solum major est prophetia, quod vim habeat in utrisque, sed etiam quod ex infidelibus eos attrahat qui sunt impudentiores. Neque enim idem erat miraculum quando Sapphiram convicit, quod quidem erat prophetiæ ; et quando linguis loquebatur Petrus : sed tunc quidem fuerunt omnes coerciti ; quando autem loquebatur linguis, etiam pro deliro est habitus. Cum ergo dixisset linguam non profuisse, et hoc ipsum rursus extenuasset, eo quod culpam in Judæos contulisset, procedens ostendit id etiam lædere. Et cur datum est? Ut procedat cum interpretatione : nam absque illo etiam contrarium evenit apud insipientes. *Si*, enim, inquit, *omnes loquantur linguis, ingrediantur autem infideles et idiotæ, dicent vos insanire ;* sicut etiam apostoli existimati sunt ebrii : dicebant enim, *Musto hi sunt repleti* (*Act.* 2. 13). Sed non est signi culpa, verum illorum ruditatis et injustitiæ. Propterea adjecit, *Idiotæ et infideles :* quare illorum imperitiæ et infidelitatis est existimatio. Nam ut prius dixi, non in iis quæ dantur vitio, sed in iis quæ non multum juvant, conatur donum ponere, ut eos reprimat, et

necessitatem afferat requirendi ejus qui interpretetur. Nam quoniam non eo spectabant, sed ad ostentationem gloriæque et honoris cupiditatem multi hoc dono utebantur, ab eo maxime abducit, ostendens eos in gloria et existimatione magnum damnum accipere, ut qui in insaniæ suspicionem veniant. Et hoc est maxime, quod assidue adstruere conatur Paulus; quando vult ab aliqua re abducere, ostendit eum lædi in iis ipsis quæ desiderat. Et tu quoque fac similiter: si a voluptate abducas, ostende rem esse acerbam; si ab inani gloria abstrahas, ostende rem esse plenam dedecore et infamia. Sic etiam faciebat Paulus. Divites enim avellens ab amore pecuniæ, non dixit solum noxias esse divitias, sed etiam injicere in tentationes: nam ait, *Qui volunt divites esse, incidunt in tentationem* (1. *Tim.* 6. 9). Quia enim videbantur liberare a tentationibus, eis tribuit contrarium ejus quod existimabant divites. Alii externæ operam dabant sapientiæ, tamquam hac ratione dogma stabilientes: ostendit eum non solum cruci non opem ferre, sed etiam eam exinanire. Urgebant ut judicarentur apud alios, existimantes indignum esse judicari apud suos, ac si externi essent sapientiores: ostendit esse turpe foris judicari. Accedebant ad ea quæ erant idolis immolata, tamquam perfectam ostentantes scientiam: ostendit hoc esse imperfectæ scientiæ, nescire administrare ea quæ sunt proximorum. Ita hic quoque, quoniam linguarum donum stupentes admirabantur, gloriam amantes, ostendit hoc quidem eos maxime dedecore afficere, non solum eos privans gloria, sed etiam illos in insaniæ suspicionem conjiciens. At non statim hoc dixit; sed cum prius innumera dixisset, quando effecit ut facile exciperetur grataque esset oratio, tunc subjungit id quod est admirabile et præter opinionem. Est autem hæc meditatio ipsi familiaris. Eum enim qui firmam sententiam est labefacturus et in contrarium conversurus firmiter stabiliterque conceptam opinionem, non oportet statim dicere contrarium: esset enim ridiculus apud eos, quos contraria præoccupavit sententia. Nam quod est valde admirabile et præter opinionem, non facile admitti poterit ab initio; sed oportet, cum per alia prius recte suffoderis et irrepseris, sic convertere in contrarium.

3. Sic certe fecit etiam disserens de matrimonio. Nam quoniam multi animum adhibebant matrimonio tamquam rei, in qua esset quies et recreatio; ipse autem volebat ostendere, non jungi matrimonio esse quietem ac recreationem, si statim quidem hoc dixisset, non fecisset ut hoc tam facile admitteretur: nunc autem cum post multa hoc posuisset, opportune inducens, facile perculsit auditores. Hoc etiam fecit in virginitate. Nam cum antea multa dixisset, et rursus postea, tunc dicit: *Vobis parco:* et, *Volo vos esse sine sollicitudine* (1. *Cor.* 7. 28. 32). Hoc facit etiam in linguis, ostendens eas non solum privare gloria, sed eos etiam, qui hoc donum habent, probro ac dedecore afficere apud infideles. Prophetia autem contra probro ac dedecore vacat apud infideles, et maximam habet gloriam et utilitatem. Nam in prophetia nemo dicet eos insanire, nec irridebit eos qui prophetant, sed contra eos stupebit et admirabitur. *Arguuntur* enim *ac convincuntur ab omnibus;* hoc est, ea quæ habet in corde in medium adducuntur et ostenduntur omnibus. Non sunt autem paria, ingressum quempiam videre, illum quidem Persice loquentem, hunc autem Syriace; et ingressum audire arcana ejus mentis, sive tentans et malo animo, sive sincere et bono animo sit ingressus; et quod hoc quidem ab illo gestum sit, de illo autem sit consultatum: hoc enim est illo multo terribilius et utilius. Propterea in linguis quidem dicit vos insanire: sed hoc ex se non dicit, verum ex illorum judicio: *Dicens* enim, inquit, *quod insanitis.* Hic autem utitur et rerum sententia, et eorum qui juvantur. *Convincitur* enim, inquit, *ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: et sic occulta cordis ejus manifesta fiunt, et ita cadens ille in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.* Viden' quod hoc quidem sit indubitatum? Nam illic quidem de eo quod fit ambigitur, et quispiam ex infidelibus id adscripserit insaniæ: hic autem nihil erit hujusmodi, sed et admirabitur et adorabit, factis primum confitens, deinde etiam verbis. Sic etiam Nabuchodonosor Deum adoravit dicens: *In veritate Deus vester ipse est Deus revelans mysteria, quoniam potuisti revelare mysterium istud* (*Dan.* 2. 47). Vidistin' vim prophetiæ, quomodo ferocem illum mutaverit et instituerit et ad fidem deduxerit? 26. *Quid ergo est fratres? Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, linguam habet, revelationem habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.* Vidistin' Christianismi fundamentum et regulam? Sicut enim est artificis officium ædificare, ita etiam Christiani proximis per omnia prodesse. Quoniam autem in donum valde est invectus, ne videatur esse supervacaneum; eorum enim fastum volens deprimere, hoc solum fecit: rursus ipsum cum aliis annumerat, dicens: *Psalmum habet, doctrinam habet, linguam habet.* Etenim psalmos olim faciebant ex charismate seu dono, et docebant ex dono: sed tamen hæc omnia, inquit, ad unum aspiciant, nempe ad proximi correctionem: nihil fiat temere et inconsiderate. Si enim non accedis fratrem ædificaturus, cur accedis? Non magna a me habetur ratio charismatum differentiæ: unum est mihi curæ, et unum est in quod meum pono studium, nempe ut omnia fiant ad ædificationem. Ita etiam qui parvum habet donum, eum qui magnum habet superabit ac prætervehetur, si hoc adsit. Propterea enim sunt dona, ut unusquisque ædificetur. Si hoc enim non factum fuerit, erit donum ei qui accepit, ad condemnationem. Quid enim, dic mihi, prodest prophetare? quid vero mortuos excitare, cum nullus sit qui lucretur? Si hic est porro donorum finis, licet autem etiam alio modo hoc conficere absque donis, ne propter signa efferaris et insolescas, neque te miserum esse existimes, quod sis charismatibus privatus. 27. *Sive lingua quis loquitur, secundum duos, aut ut multum tres et per partes, et*

unus interpretetur. 28. *Si autem non fuerit interpres, taceat in ecclesia, sibi autem loquatur et Deo.* Quid dicis, quæso? cum de linguis tam multa dixeris, quod id sit inutile, quod supervacaneum, nisi habeat interpretem, rursus jubes loqui linguis? Non jubeo, inquit, sed nec prohibeo; ut quando dicit, *Si quis vos vocat infidelium, et vultis ire* (1. *Cor.* 10. 27), non hoc dicit legem ferens ut eas, sed neque retinens; ita hic etiam, *Sibi autem loquatur et Deo.* Si non potest, inquit, tacere, sed est adeo honoris et inanis gloriæ cupidus, apud se loquatur. Quare hoc ipso quod sic permisit, prohibuit, ut qui pudore affecerit.

4. Quod etiam facit alibi disserens de consuetudine cum uxore, et dicens: *Hoc autem dico propter incontinentiam vestram* (1. *Cor.* 7). Sed quando de prophetia loquebatur, non sic dixit; sed quomodo? Imperando et legem ferendo: *Prophetæ autem duo aut tres loquantur.* Et nusquam hic quærit interpretem, neque os obstruit prophetanti, sicut illic, dicens: *Si non sit interpres, taceat.* Neque enim sufficit is qui lingua loquitur. Quamobrem si quis habeat utrumque donum, loquatur; si autem non habeat, vult autem loqui, cum interprete hoc faciat. Propheta enim est interpres, sed Dei, tu autem hominis. *Si autem non sit interpres, taceat.* Nihil enim supervacanee fieri oportet, nihil ad ambitionem et honoris studium. *Sibi autem loquatur et Deo;* hoc est, in mente, et sensim et absque strepitu, si velit. Non est enim hoc legem ferentis, sed forte potius pudorem incutientis per concessionem, sicut quando dicit, *Si quis autem esurit, domi comedat* (1. *Cor.* 11. 34); et cum videatur concedere, eo ipso illum tangit acrius. Non enim ideo, inquit, convenitis, ut vos dona habere ostendatis, sed ut eos qui audiunt ædificetis: quod etiam dixit initio, *Omnia ad ædificationem fiant.* 29. *Prophetæ autem duo aut tres dicant, et cæteri dijudicent.* Nusquam plurimum posuit sicut in linguis. Et quid hoc, inquies? neque enim sufficientem ostendit esse prophetiam, si aliis permittit judicium. Imo vero est valde sufficiens: neque enim huic sicut illi os obstruxit, et silentium indixit, si non sit qui interpretetur; neque sicut de illo dixit, *Si non sit interpres, taceat:* ita de hoc quoque, Si non sit qui discernat, ne prophetet; sed solum muniit auditorem. Hoc enim dixit ad eos monendos ut caverent, ne inter eos incurreret vates ac divinator. Nam etiam in principio hoc jussit cavere, quando divinationis et prophetiæ attulit differentiam; et nunc ipsum jubet discernere et considerare, ne quid irrepat diabolicum. 30. *Quod si alii revelatum sit sedenti, prior taceat.* 31. *Potestis enim omnes per singulos prophetare, ut omnes discant et omnes exhortentur.* Quid est quod dictum est? Si te, inquit, prophetante et loquente, alterius spiritus eum excitaverit, tace de cætero. Quod enim dixit de linguis, hoc hic quoque exigit ut fiat sigillatim, sed hic divinius: non dixit enim, Sigillatim, sed, *Si alii sit revelatum.* Quid enim adhuc opus esset, cum hic moveatur ad prophetiam, illum dicere? At oporteret utrosque? Sed res esset absurda et confusa. At prior rem? Et hoc quoque absurdum. Propterea enim, illo dicente, hunc movebat Spiritus, ut hic quoque diceret aliquid. Deinde consolans eum, cui os fuit obstructum, dicit: *Potestis enim omnes sigillatim prophetare, ut omnes discant et omnes consolentur.* Vides quomodo rursus affert causam, propter quam facit omnia? Si enim eum, qui linguis loquitur, omnino prohibet dicere, quando non habet interpretem, propter inutilitatem: merito etiam prophetiam, si hoc non habeat, sed confusionem faciat et conturbationem et tumultum importunum, jubet cohibere. 32. *Et spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt.* Vidistin' quam vehementer et terribiliter eum pudore affecerit? Nam ne contendat homo et seditionem agitet, ipsum donum ostendit subjici: spiritum enim hic vocat operationem. Si autem spiritus subjicitur, multo magis non æquum est ut tu, qui possides, contendas. Deinde ostendit quod hoc quoque sit Deo acceptum, subjungens et dicens: 33. *Non enim dissensionis est Deus, sed pacis, sicut et in omnibus ecclesiis sanctorum doceo.* Vidistin' quot modis eum in silentium deduxit, et eum qui alteri cedit consolatus est? per unum quidem idque præcipuum, ne videlicet ab hoc facto dissolvatur: *Potestis enim,* inquit, *per singulos omnes prophetare;* per alterum vero, ex eo quod illud spiritui videatur: *Spiritus enim prophetarum prophetis subjiciuntur:* præterea ex eo, quod secundum Dei sententiam sit; *Non enim est dissensionis,* inquit, *Deus, sed pacis:* quarto denique, eo quod lex ejusmodi per orbem universum ubique obtineat, nec alienum quidquam usquam illis imperetur: *Sic enim,* ait, *in omnibus ecclesiis sanctorum doceo.* Quid ergo his rebus fuerit magis horrendum? Etenim Ecclesia tunc erat cælum, Spiritu sancto omnia regente, et unumquemque ex iis qui præerant movente et a Deo afflatum reddente. Sed nunc illorum donorum symbola ac signa tantum tenemus. Nam nunc quoque duo aut tres dicimus, et vicissim, et alio tacente alius incipit; sed hæc sunt tantum illorum signa et monumenta. Propterea quando inceperimus dicere, populus respondet, Spiritu tuo: ostendens quod olim sic dicebant, non sua moti sapientia, sed Spiritu. Sed non nunc; de me jam loquor.

5. Sed Ecclesia nunc est similis mulieri, quæ a veteri prosperitate excidit, et multis in locis sola tenet symbola antiquæ illius felicitatis, et monilium aureorum quidem solas ostendit thecas et arculas, divitiis autem est privata: ei nunc Ecclesia est similis. Neque hoc solum dico propter dona; non enim esset grave, si hoc solum esset; sed etiam propter vitam et virtutem. Nam et viduarum numerus, et chorus virginum tunc magnum ornamentum præbebat Ecclesiis: nunc autem ab iis Ecclesia deserta est et exinanita, et sola manent signa. Nam sunt nunc quoque viduæ, sunt et virgines; sed eæ non habent illum ornatum, quem habere oporteret eas quæ se ad hæc pararunt certamina. Eximium enim virginis est indicium, quod de iis tantum quæ sunt Dei sit sollicita, et ad Deum precandum indivulse assideat: et

viduæ non tam fuerit indicium quod secundis non conjungatur nuptiis, quam hæc alia, nempe caritas in pauperes, hospitalitas, in precibus assiduitas, et alia omnia, quæ exactissime exigit Paulus scribens ad Timotheum (1. *Tim.* 5).

Eleemosyna quantum ornamentum. — Videris etiam eas, quæ sunt junctæ matrimonio, apud nos multam ostendere honestatem : sed non est hoc solum quod quæritur, sed diligens cura et studium egenorum, per quod priscæ mulieres valde resplendebant : non sicut multæ ex iis quæ sunt nostris temporibus. Nam tunc quidem pro auro eleemosynæ induebantur ornamento ; nunc autem hoc dimisso, funibus aureis ex catena peccatorum contextis amiciuntur. Dicamne etiam aliam thecam ornamento patrio exinanitam? Conveniebant olim omnes, et psallebant communiter. Hoc nunc quoque facimus ; sed tunc quidem in omnibus una erat anima et cor unum ; nunc autem ne in una quidem anima illam concordiam videris et consensum, sed ubique magnum est bellum. Pacem nunc quod precatur omnibus is qui præest Ecclesiæ, ut qui in domum ingreditur paternam ; sed hujus pacis nomen quidem est frequens, res autem nusquam. Tunc etiam domus erant ecclesiæ ; nunc autem etiam ecclesia est domus, vel potius quavis domo deterior. Nam in domo quidem bene constitutum videris ordinem : domina quippe domus sedet in solio cum omni honestate, modestia et decore, et ancillæ texunt cum silentio, et singuli ex famulis in manibus habent id quod est eis mandatum. Hic autem multus est tumultus, magna confusio, et a caupona nihil nostra differunt : tantus est risus, tanta perturbatio, sicut in balneis, sicut in foro clamantibus omnibus et tumultuantibus. Et hæc hic solum : nam alibi ne propinquum quidem licet alloqui in ecclesia, ne si amicum quidem longo tempore absentem exceperit, sed hæc foris fiunt ; et merito. Non enim ecclesia est tonstrina, neque unguentaria officina, neque ulla alia opificum qui sunt in foro taberna, sed locus angelorum, locus archangelorum, regnum Dei, ipsum cælum. Quomodo ergo si quis te in cælum introduxisset, etiamsi patrem videres, etiamsi fratrem, ne auderes quidem loqui : ita hic non aliud loqui oporteret præter spiritualia ; nam hic quoque est cælum. Quod si non credis, aspice ad hanc mensam, recordare propter quam causam et quamobrem hic stet ; cogita quis sit qui huc procedat, obstupesce etiam ante tempus. Etenim si quis solum viderit regis solium, animo assurgit exspectans regis exitum. Et tu ergo etiam ante illud tempus stupendum venerare, et obstupesce et assurge, antequam videas expansa aulæa, et præeuntem chorum angelorum, in ipsum cælum ascende. At hæc ignorat qui mysteriis non est initiatus : necesse est ergo illi etiam alia dicere. Neque enim nobis deerunt alia quæ illum doceamus, quæ possint efficere ut surgat, et persuadere ut volare conetur. Tu ergo qui hæc ignoras, quando audieris prophetam dicentem, Hæc dicit Dominus, Recede a terra, ipse quoque in cælum ascende : cogita quisnam sit qui per illum tecum loquitur. Nunc autem histrionis quidem risum moventis, et scortantis ac turpiter agentis mulieris tantum sedet spectaculum, iis quæ dicuntur magnum præbens silentium, idque cum nullus jubeat tacere, et neque est tumultus, neque clamor, nec ullus omnino strepitus : Deo autem e cælis loquente de rebus adeo stupendis ac reverendis, canibus sumus impudentiores, ne Deo quidem tantam exhibentes reverentiam, quantam meretricibus.

6. Hisne auditis exhorruistis? Multo magis hoc facientes, horrete. Quod de iis qui pauperes despiciunt et soli comedunt, dixit Paulus, *Annon habetis domos ad comedendum et bibendum? an ecclesiam Dei contemnitis, et eos qui non habent pudore afficitis* (1. *Cor.* 11. 22)? mihi quoque concedite ut dicam de iis qui hic cient tumultus et loquuntur : Annon habetis domos ad nugandum? an Dei ecclesiam despicitis, et eos etiam corrumpitis qui volunt esse modesti et quieti? At vobis est suave et jucundum alloqui eos qui sunt vobis noti? Non hoc prohibeo, sed domi, sed in foro, sed in balneis fiat : ecclesia enim non est colloquii locus, sed doctrinæ. Nunc autem nihil differt a foro ; et si non sit dictu audacius, forte neque a scena : adeo iis, quæ illic scortantur, lascivius et impudicius ornantur quæ hic conveniunt. Ideo multos quoque impudicos hic attrahunt : et si quis tentet, aut velit corrumpere mulierem, nullus, ut puto, ei videtur locus aptior ecclesia ; et si quid vendere aut emere oporteat, ecclesia videtur esse ad illud commodior, quam forum. Hic enim de iis plura colloquia miscent quam in ipsis officinis. Et si qui velint maledicere et maledicta audire, hoc quoque hic magis videbit contingere, quam in foro : et si volueris res audire civiles, et quæ in ædibus fiunt et quæ in castris, ne eas ad judiciale forum, neque sedeas in officina medicorum ; sunt enim qui omnibus accuratius hic omnia hæc annuntiant : et hic locus quidvis potius est, quam ecclesia. Vos fortasse valde tetigi : non ego quidem arbitror. Quando enim in iisdem perseveratis, undenam sciam quod quæ dicta sunt vos tetigerunt? Necesse est ergo rursus eadem tangere. Hæccine sunt tolerabilia? hæccine ferenda? Quotidie defatigamur et discerpimur, ut utile aliquid edocti discedatis : nemo autem vestrum aliquid lucratus recedit, sed majori etiam damno affectus. Etenim in judicium convenitis, cum peccati utique nullam habeatis occasionem, et meliores et mitiores expellitis eos vestris nugis undique molestia afficientes. Sed quid est quod dicitur a multis? Non audio, inquit, quæ leguntur, neque scio ea quæ dicuntur. Quia tumultuaris, turbas moves, neque accedis cum animo sensu pietatis prædito. Quid dicis? nescis quænam hæc dicta sibi velint? Atqui propter hoc ipsum te oportebat attendere. Si autem ne id quidem, quod est obscurum, tuum excitat animum, multo magis si essent clara ac manifesta, ea prætercurreres. Ideo enim neque omnia sunt dilucida, ne sis piger ; neque obscura, ne desperes. Et ille quidem eunuchus et barbarus nihil ex iis dixit, sed et tantorum negotio-

rum circumdatus multitudine, etiam cum in via esset, librum habebat in manibus et legebat, tu autem, cum et tibi sit copia doctorum, et habeas qui tibi legant, mihi excusationes profers et obtentus. Nescis ea quæ dicuntur? Ora ergo ut discas. Imo vero fieri non potest ut omnia ignores. Multa enim sunt ex se aperta et dilucida; imo vero etiamsi omnia ignorares, sic quoque oporteret te quiescere, ut non expellas eos qui attendunt : ut cum Deo acceptum fuerit tuum silentium et pudor tuus, ipse ea quæ sunt obscura reddat dilucida. At non potes silere? Exi ergo, ne aliis quoque damnum afferas. Etenim in ecclesia unam oportet semper esse vocem, ac si unum sit corpus. Propterea et qui legit, solus loquitur; et is qui episcopatum obtinet, manet silentio sedens; et is qui psallit, solus psallit; et si omnes respondendo resonent, vox fertur tamquam ex uno ore; et qui ad populum verba facit, solus loquitur. Quando autem multi de multis et diversis disceptant, cur vobis frustra molestiam exhibeamus? Nisi enim temere nos molestia afficere putaretis, nobis de tantis rebus loquentibus, de iis quæ nihil attinent non loqueremini. Propterea non in vita solum, sed et in ipsa rerum existimatione magna est perversio : ad ea quippe quæ sunt superflua inhiatis, veritatemque dimittentes, umbras et somnia persequimini.

Divitiarum vanitas. — Annon umbra et somnia sunt omnia præsentia, et umbra deteriora? Etenim priusquam appareant, recedunt; et priusquam avolent, magnam exhibent perturbationem, et majorem illa voluptate. Et si hic innumerabiles acceptas infoderit pecunias, cum nox præterierit, hinc nudus recedit; et merito. Nam et qui in somnis sunt divites, cum e cubili surrexerint, nihil habent ex iis quæ videbantur habere dormientes : ita etiam avari et qui plura habendi laborant cupiditate; imo vero non ita, sed longe pejus. Nam qui in somnis quidem est dives, neque habet pecunias quas in visione se putabat habere, neque alio quopiam malo ab hac visione accepto, surgit : iste autem, pecuniis quidem est privatus, peccatis autem quæ ex pecuniis orta sunt repletus, discedit; et cum quæ ex divitiis fiunt, visione apprehenderit, mala inde orta non videt ultra in visione, sed in ipsa rerum veritate : et fuit quidem voluptas in somnis; quod autem ex voluptate nascitur supplicium, non utique accidit in somnis, sed in ipsa experientia; imo vero etiam ante illud supplicium hic quoque extremas dat pœnas, ut qui in colligendo atteratur innumerabilibus animi ægritudinibus, sollicitudinibus, accusationibus, calumniis, tumultibus et perturbationibus. Ut ergo et a somniis liberemur, et a malis quæ non sunt in somniis, pro avaritia et plura habendi cupiditate eleemosynam eligamus, pro rapina benignitatem. Sic enim præsentia et futura bona assequemur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVII.

Cap. 14. v. 34. *Mulieres vestræ in ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit.*

1. Cum eum, qui ex linguis oriebatur, tumultum amputasset, et cum qui ex prophetiis, et legem tulisset, ne esset confusio, ut qui linguis loquebantur, hoc vicissim facerent, et ut qui prophetabant, cum alter incepisset, tacerent : procedit demum etiam ad perturbationem quæ oritur ex mulieribus, amputans earum importunam loquendi libertatem : idque valde opportune. Nam si iis, qui habent charismata, non permittitur temere loqui, neque quando velint, idque cum moveantur a Spiritu, multo magis illis inconsiderate et vane nugantibus. Propterea magna quoque cum auctoritate nugantium ora obstruit; et lege secum assumpta, eorum sic ora obturat. Non solum enim hic suadet, neque consulit, sed etiam vehementer imperat, legens antiquam his de rebus legem. Nam cum dixisset : *Mulieres vestræ in ecclesiis taceant*, et, *Non permittitur eis loqui, sed subjectas esse*, subjunxit : *Sicut et lex dicit.* Et ubi hoc dicit lex? *Ad virum tuum conversio tua, et ipse tibi dominabitur* (*Gen.* 3. 16). Vidistin' Pauli sapientiam, et quantum adduxerit testimonium, quod non solum eos jubeat tacere, sed etiam tacere cum metu, et cum tanto metu, cum quanto ancillam oportet silere? Propterea cum ipse dixisset, *Non permittitur eis loqui*, non subjunxit, Sed tacere, sed pro tacere posuit quod est amplius, nempe subjici. Si hoc autem apud maritos, multo magis apud doctores et patres, et in communi cœtu ecclesiæ. At si non loquantur, inquies, nec interrogent, quanam de causa aderunt? Ut audiant quidem quæ oportet, ea autem de quibus dubitant, a maritis domi discant. Et ideo subjunxit : 35. *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* Non solum, inquit, non illis loqui permittitur, sed nec aliquid interrogare in ecclesia. Si autem non oportet interrogare, multo magis absolute nefas est loqui. Et cur eas ad tantam redegit subjectionem? Propterea quod mulier res est imbecilla et mobilis et levis. Ideo eis maritos præfecit doctores, utrosque juvans. Nam et illas reddidit modestas, et hos reddidit gnavos et sollicitos, ut qui ea, quæ audierant, essent exactissime apud eas deposituri. Deinde quoniam id ornamento sibi fore ducebant quod loquerentur publice, sermonem ille deducit in contrarium, dicens : *Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia.* Nam primum quidem hoc confirmavit a lege Dei; deinde a communi ratione et consuetudine : sicut etiam quando eis de coma dicebat, *Annon hoc vos ipsa docet natura* (1. *Cor.* 11. 14)? Et ubique ejus talem inveneris modum, non ex divinis Scripturis, sed ex ipsa consuetudine pudore afficientem. Præterea ab iis quoque, quæ omnium opinione feruntur, et quæ ubique sunt

in usu, pudorem incutit : quod hic quoque adhibet, dicens : 36. *An a vobis verbum Dei processit, aut in vos solos pervenit?* Etenim cæteras adduxit Ecclesias hanc legem servantes, et a novitate tumultum resecans, et multorum calculo gratam et acceptam reddens orationem. Quamobrem alibi quoque dicebat : *Qui vobis in memoriam revocavit vias meas in Christo, sicut ubique in omnibus Ecclesiis doceo* (1. *Cor.* 4. 17); et rursus, *Non est enim Deus dissensionis, sed pacis, sicut et in omnibus Ecclesiis sanctorum* (*Ibid.* 14. 33); et hic : *An a vobis verbum Dei processit, aut ad vos solos pervenit?* Hoc est, neque vos primi, neque soli fideles, sed totus orbis terræ. Quod etiam ad Colossenses scribens, dicebat, *Sicut fructificat et crescit in toto mundo* (*Coloss.* 1. 6), loquens de evangelio. Id autem facit etiam aliter et exhortationem auditorum, ut quando dicit, eorum esse prima, et manifesta omnibus. Nam ad Thessalonicenses scribens dicebat : *A vobis enim resonuit sermo Dei, et in omni loco fides vestra ad Deum exiit* (1 *Thess.* 1. 8); et ad Romanos rursus scribens : *Fides vestra annuntiatur in toto mundo* (*Rom.* 1. 8). Ambo enim sufficiunt et ad exhortandum et excitandum, laudari ab aliis, et alios habere socios sententiæ. Et ideo hic quoque dicit : *An a vobis sermo Dei processit, aut ad vos solos pervenit?* Neque enim, inquit, hoc potueritis dicere : Nos fuimus doctores aliorum, et non æquum est ut ab aliis discamus ; neque, Fides hic solum stetit, et non oportet ab aliis exempla sumere. Viden' per quam multa eis pudorem incussit? legem adduxit, rei ostendit turpitudinem, cæteras Ecclesias in medio posuit.

2. Deinde, quod est omnium fortissimum, ultimum ponit dicens : Deus hæc etiam nunc jubet per me. 37. *Si quis* enim *videtur propheta esse aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* 38. *Si quis autem ignorat, ignoret.* Et cur hoc subjunxit? Ostendens se neque vim afferre, nec contendere : quod quidem est signum non eorum qui sua volunt constituere, sed eorum qui spectant id quod est aliis utile. Quamobrem dicit etiam alibi : *Si quis autem est contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus* (1. *Cor.* 11. 16). At non ubique hoc facit, sed ubi non ita magna admittuntur peccata, et tunc potius pudore afficiens. Nam quando de aliis loquitur, non sic dicit, sed quomodo? *Ne erretis : neque fornicatores, neque molles regnum Dei possidebunt* (*Ibid.* 6. 9); et rursus : *Ecce ego Paulus dico vobis, quod si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (*Gal.* 5. 2). Hic autem quoniam de silentio agebatur, non admodum vehementer insectatur, hoc ipso eos magis attrahens. Deinde quod semper solet facere, ad prius argumentum, unde ad hæc dicenda digressus est, revertitur dicens : 39. *Itaque, fratres mei, æmulamini prophetiam, et loqui linguis nolite prohibere.* Est enim mos ejus non solum agere id, quod est propositum, sed etiam ex illo id quod quomodocumque ei videtur conjunctum corrigere, et rursus redire ad propositum, ne videatur excidere ab argumento. Etenim quando loquebatur de concordia in mensis ; cum digressus esset ad communionem in mysteriis, et eos inde pudore affecisset, ad priora rursus revertitur, dicens : *Quamobrem convenientes ad comedendum, vos invicem exspectate* (1. *Cor.* 11. 33). Ita hic quoque, cum disseruisset de ordine observando in donis, et quod neque mœrore affici oporteat in minoribus, neque tumere propter majora, et deinde digressus esset ad modestiam mulieribus convenientem, et eam confirmasset, redit ad propositum, rursus dicens : *Itaque, fratres mei, æmulamini prophetiam, et loqui linguis nolite prohibere.* Vidistin' quomodo ad finem usque servaverit differentiam, et quomodo alterum quidem ostendat valde necessarium, alterum autem non item? Quamobrem de illo quidem dicit, *Æmulamini ;* de hoc autem, *Nolite prohibere.* Deinde tamquam in summo omnia corrigens, subjungit dicens : 40. *Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant ;* rursus illos tangens qui volunt temere se indecore gerere, et insaniæ sibi notam inurere, nec congruentem sibi servant ordinem.

Ordo rectus semper servandus. Avaritiæ morbus. — Nihil enim æque ædificat ut ordo rectus, ut pax, ut caritas, sicut etiam contraria dissolvunt. Non solum autem in spiritualibus, sed etiam in aliis omnibus hoc videris. Nam sive in choro, sive in navigio, sive in curru, sive in castris ordinem confundas, et majoribus suo loco ejectis in illorum ordinem minora induxeris, omnia corrumpis, et sic omnia sus deque vertuntur. Neque nos ergo ordinem corrumpamus, neque caput infra statuamus, neque pedes supra. Hoc porro fit, quando rectam quidem rationem inferne dejecerimus, concupiscentias autem, iram, excandescentiam et voluptatem rationi præfecerimus : unde magnus exsistit fluctus, ingens perturbatio, et intoleranda tempestas, cum omnia occupent tenebræ. Et si vis, primum excutiamus eam quæ hinc evenit turpitudinem, posteaque damnum hinc emergens. Quomodo ergo hoc nobis notum erit et manifestum? Adducamus in medium hominem sic affectum, captum amore meretricis, et qui ejus inhonesto teneatur desiderio ; et tunc videbimus quam hoc sit ridiculum. Quid enim possit esse illo turpius, qui stat ad fores domus meretriciæ, et pulsatur a meretrice, fletque et ejulat, probroque afficit suam existimationem? Si vis autem etiam videre damnum, veniant tibi in mentem sumptus pecuniæ, de extremis periculis, bellum quod geritur adversus rivales et adversarios amatores, vulnera et plagæ quæ infliguntur in hujusmodi acie. Tales sunt et ii, quos pecuniæ tenet cupiditas ; imo vero turpius et magis indecore se gerunt. Nam illi quidem in uno corpore sunt occupati et in eo suum ponunt studium et operam : avari vero de omnium facultatibus sunt similiter solliciti et curiosi, et pauperum et divitum, et illa amant quæ non sunt : quod est maxime signum improbæ cupiditatis. Non dicunt enim, Vellem habere hujus aut illius facultates, aut has vel illas solum ; sed et montes vo-

luut esse aurum, et domos et quæcumque videntur, et ad alterum se transferunt mundum; et hæc perpetuo patiuntur, neque usquam finem faciunt desiderandi. Quis verbis poterit explicare illarum fluctus cogitationum, tempestatem, caliginem? ubi autem sunt tot fluctus et tanta tempestas, quænam fuerit voluptas? Nulla, sed tumultus et dolor et caliginosæ nebulæ pro aquis ferentes multam animi ægritudinem: quod etiam solet accidere iis qui alienam amant pulchritudinem. Propterea qui nullo modo amant, in majori sunt voluptate quam hujusmodi amatores. Sed ad hoc quidem nemo contradixerit: ego autem eum etiam qui amat quidem, reprimit autem libidinem, majori dixerim affici voluptate, quam eum qui assidue fruitur meretrice. Nam etiamsi ejus demonstratio sit difficilior, necesse tamen est hoc audacter probandum suscipere. Est enim difficilior, non ex rei natura, sed ex eo, quod auditores hac philosophia non sint digni.

3. Quid est enim, dic quæso, amanti jucundius, ab amica despici, an honorari et illam despicere? Palam est hoc esse jucundius. Quem ergo, quæso, magis honorabit meretrix, eumne qui ipsi servit, et factus est ejus mancipium, an eum qui ejus superavit retia, et structis ab ea calamis volat altius? Est cuivis perspicuum quod hunc. In quemnam autem suum magis conferet studium, in eumne qui cecidit, an in eum qui nondum? In eum plane qui nondum. Quis erit autem desiderabilior, isne qui est confectus, an is qui nondum est captus? Is qui nondum est captus. Si autem non creditis, a rebus vestris afferam demonstrationem. Quamnam enim mulierem magis amarit quispiam, eamne quæ facile succumbit et ipsi se dedit, an eam quæ negat et negotium facessit? Hanc procul dubio: hinc enim accenditur majus desiderium. Ergo idem quoque erit in muliere; et eum magis illa honorabit et admirabitur qui se despicit. Si res autem ita se habeat, illud quoque palam erit in majori esse voluptate eum qui magis honoratur et diligitur. Nam et dux exercitus urbem quidem semel captam dimittit; ei autem quæ resistit et contendit omni studio assidet: et venator feram venando captam habet in tenebris inclusam, quemadmodum meretrix amatorem; eam autem quæ fugit, persequitur. At ille, inquies, fruitur desiderio; hic autem non fruitur. An probro ac dedecore non affici, neque ejus tyrannicis servire imperiis, nec ab ea duci et circumagi tamquam mancipium, pugnis contusum, conspulum, in capite pulsatum, parvam, dic quæso, existimas esse voluptatem? Si quis enim hæc accurate excusserit, et colligere potuerit omnia eorum probra, contumelias, criminationes, irasque perpetuas ex animo vel ex deliciis ortas, inimicitias, et alia omnia solis patientibus nota, inveniet quodvis bellum plures habere inducias, quam horum miseram vitam. Quamnam ergo dicis, quæso, voluptatem? eamne quæ capitur ex coitu, quæ est brevis et momentanea? Sed eam statim bellum excipit et fluctus et rabies et idem rursus furor. Et hæc quidem a nobis dicta sunt, perinde atque si quis ea dixerit adolescentibus intemperantibus et impudicis, qui ea quæ dicuntur de regno et gehenna non libenter ferant: quando autem hæc in medium adduxerimus, ne dici quidem potest quanta sit moderatorum et temperantium voluptas; quando quis secum reputat coronas, præmia, consuetudinem cum angelis, in universo orbe terræ celebrationem, fiduciam et dicendi libertatem, spes illas bonas et immortales. At coitus habet voluptatem; hoc enim perpetuo versant; qui vero temperans est, non potest assidue pugnare cum tyrannide naturæ. At contrarium inveneris: ipsa enim vis et perturbatio est magis apud eum qui scortatur. Multa enim est in corpore agitatio; et quovis fluctuanti mari hic gravius afficitur, cujus numquam sistitur cupiditas, sed ab ea semper impetitur, non secus atque qui corripiuntur a dæmone, et assidue discerpuntur a malis spiritibus. Temperans autem non secus ac fortis athleta, eam assidue feriens, optimam et innumeris hujusmodi deliciis jucundiorem percipit voluptatem, hac victoria, bona conscientia, et præclaris tropæis perpetuo ornatus. Si autem post congressum ille parum quiescit, hoc nihil fuerit: rursum enim invadit tempestas et rursum fluctus. Qui autem philosophatur, ne initio quidem permittit ut hæc se invadat perturbatio, neque ut mare assurgat, nec ut hæc fera vociferetur. Si vim autem patiatur in retinendo impetu tanto; at ille etiam libidinosus, frequenter pulsatus, confossus, œstrumque non ferens, haud secus, quam si equum indomitum freno retineret, artem omnem adhibens: si autem cesserit, et laborem fugerit, ab illo præceps quocumque feratur. Hæc si dicta sunt apertius quam par sit, nemo me reprehendat: nolo enim dicendi gravitate ornare orationem, sed graves et honestos facere auditores.

4. Propterea prophetæ quoque nulli hujusmodi verbo parcunt, volentes Judæorum exscindere libidinem et intemperantiam, sed eos tangunt etiam apertius, quam nos nunc in iis quæ diximus. Medicus enim volens ejicere putredinem, non eo spectat ut mundas conservet manus, sed ut ægrum liberet a putredine; et is qui humilem vult excelsum reddere, ipse prius fit humilis; et qui studium ponit ut occidat insidiatorem, se quoque cum illo cruentat, et hoc ipsum reddit clariorem. Nam si a bello reversum militem viderit quispiam sanie, sanguine et cerebro respersum et pollutum, non ideo odio habebit neque aversabitur, sed magis etiam admirabitur. Ita nos quoque faciamus cum viderimus quempiam, postquam mactarit cupiditatem, cruentum revertentem, eum magis admiremur, simulque socii ac participes ejus pugnæ et victoriæ, et iis qui amant dicamus: Ostendite nobis voluptatem quam accepistis ex libidine.

Temperantiæ voluptas. — Nam qui est temperans ac pudicus, voluptatem habet ex victoria; tu autem nullam habes omnino. Sin autem vos dicatis eam quæ est ex congressu; sed illa est manifestior et diuturnior. Nam tu ex eo quo frueris habes aliquid breve

et quod ne ultra appareat quidem; ille autem ex conscientia majorem habet et perpetuam suaviorem que lætitiam. Neque enim consuetudo mulieris potest tam imperturbatam reddere animam, et eam in altum evehere, quam philosophia. Et pudicus quidem, sicut dixi, aperte nobis voluptatem ostendit : in te autem ex eo quidem, quod sis victus, video animi ægritudinem, voluptatem autem volens videre, non invenio. Quodnam enim vis esse tempus voluptatis? idne quod est ante coitum? Sed non est; est enim furoris et insaniæ et mentis emotæ. Dentibus enim stridere, et e statu mentis dimoveri, non est voluptatis : sin esset autem voluptatis, non ea tibi inflixisset, quæ sustinent ii qui admodum dolent. Pugiles enim, tam qui percutiunt quam qui percutiuntur, stridenl dentibus : et parturientes mulieres, quæ distrahuntur doloribus, idipsum faciunt. Quamobrem non est id voluptas, sed potius mentis excessus tumultusque et perturbatio. An tempus quod post sequitur? Sed neque hoc dixeris. Neque enim eam quæ peperit dixerimus esse in voluptate, sed in libertate a doloribus : non est autem plane hoc voluptas, sed potius imbecillitas et dissolutio; multum autem interest inter utrumque. Quodnam est ergo tempus voluptatis, dic quæso? Nullum est : si est tamen, est adeo breve, ut ne appareat quidem. Cum millies contenderimus ut illud deprehenderemus et retineremus, non potuimus. Sed temperantis et moderati tempus non est ejusmodi, sed spatiosum est et omnibus evidens; vel potius tota ejus vita est in voluptate, cum ejus conscientia coronetur, cum sedati sint fluctus, nullo ex quavis parte oriente tumultu. Cum ergo hic magis sit in voluptate, libidinosus autem in animi ægritudine et tumultibus, fugiamus libidinem et intemperantiam, amplectamur temperantiam et castitatem, ut bona etiam futura consequamur, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XXXVIII.

Cap. 15. v. 1. *Notum autem vobis facio, fratres, evangelium quod prædicavi vobis quod et accepistis, in quo et statis*, 2. *per quod et salvamini, qua ratione prædicaverim vobis.*

1. Cum de spiritualibus absolvisset orationem, transit ad id quod est omnium maxime necessarium, nempe ad argumentum resurrectionis : in eo enim valde ægrotabant. Et sicut in corporibus, quando solidas eorum partes febris attigerit, nervos, inquam, et venas et prima elementa, malum sit immedicabile, nisi ejus magna geratur cura : sic tunc quoque ne fieret, erat periculum. Ad ipsa enim pietatis elementa tendebat malum. Quamobrem magno studio usus est Paulus. Non enim amplius ab eo agebatur de vita, neque quod ille quidem scortaretur, hic vero esset avarus, alius vero caput haberet opertum; sed in ipso bonorum capite versabatur oratio : nam de resurrectione ipsa inter se digladiabantur. Quia enim hæc est tota spes nostra, ei valde restitit diabolus; et aliquando quidem eam tollebat penitus, aliquando autem dicebat eam jam fuisse. Quod etiam Paulus scribens ad Timotheum, hoc malum dogma vocavit gangrænam, et eos qui ipsum inducebant notavit, dicens : *Ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui circa veritatem aberrarunt, dicentes jam factam esse resurrectionem, et evertunt aliquorum fidem* (2. *Tim.* 2. 17. 18). Atque aliquando quidem hoc dicebant, aliquando autem quod corpus non resurgat, sed resurrectio sit animæ purgatio. Hæc autem dicere persuadebat sceleratus ille dæmon, non solum evertere volens resurrectionem, sed etiam quæ pro nobis facta sunt omnia, ostendere esse fabulam. Nam si eis fuisset persuasum non esse corporum resurrectionem, paulatim eis persuasisset ne Christum quidem resurrexisse; ab hoc autem illud quoque ordine procedens induxisset eum non advenisse, neque ea fecisse quæ fecit. Talis est enim diaboli malignitas et versutia. Quamobrem Paulus eam vocat insidias (*Ephes.* 6. 11), quoniam non directe ostendit quod vult probare, ne deprehendatur; sed alia sibi imposita persona, alia fabricatur, et tamquam infestus hostis et versipellis, cum in urbem et muros irruerit, etiam inferne agit cuniculos, ut ea ratione non facile possit caveri, et recte ei succedat id quod est molitus. Quamobrem tales ejus laqueos semper inveniens, et sceleratas has insidias venans hic vir admirabilis et vere magnus, dicebat : *Non enim ignoramus cogitationes ejus* (2. *Cor.* 2. 11). Etenim hic totum aperit ejus dolum, et omnes ostendit machinationes, et quæcumque vult apparare producit in medium, accuratissime omnia persequens. Propterea enim hoc caput ponit post alia, quoniam erat maxime necessarium, et quod omnia nostra contineat. Vide autem ejus prudentiam. Nam cum suos prius muniisset et in tuto collocasset, tunc ulterius procedens, externos quoque invadit, et ipsis validissime os obstruit. Suos autem munit et in tuto collocat, non ex rationibus, sed ex iis quæ jam facta sunt, et quæ ipsi admiserunt, et facta crediderunt : quod quidem valde erat aptum ad pudorem incutiendum, et sufficiebat ad eos continendos. Nam si postea noluissent credere, non utique jam Paulo, sed sibi ipsi non erant crediturі : quod quidem crimen fuisset illorum qui semel admiserant, et jam transmutati essent. Propterea hinc incipit, ostendens se non opus habere aliis testibus, ad probandum se vera dicere, sed iis ipsis qui sunt decepti. Ut autem quod dico sit apertius, de cætero necesse est ipsa audire verba. Quænam ergo ea sunt? *Notum vobis facio, fratres, evangelium quod prædicavi vobis.* Vidistin' cum quanta incipiat lenitate? vidistin' quomodo ostendat ab initio, se nihil novum nec peregrinum introducere? Nam qui notum facit id quod jam notum fuerat et quod in oblivionem venerat, rursus id in memoriam reducit,

Cum autem vocavit fratres, hinc quoque non parvam præmisit demonstrationem eorum quæ dicuntur. Non aliunde enim facti sumus fratres, quam ex Christi secundum carnem dispensatione. Propterea eos sic vocavit, simul quidem eos leniens ac mitigans, et bona innumerabilia ipsis in memoriam revocans. Et quod deinceps sequitur, hoc ipsum confirmat. Quidnam hoc est? Evangelium. Evangelii enim summa hinc accipit initium, quod Deus factus sit homo, et cruci affixus fuerit, et resurrexerit. Hoc et Gabriel annuntiavit Virgini; hoc et prophetæ toti orbi terrarum; hoc etiam omnes apostoli. *Quod et prædicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis*, 2. *per quod et salvamini, qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis.* Vidistin' quomodo eos vocat testes eorum quæ dicta sunt? Non dicit : Quæ audivistis, sed, *Quæ accepistis*, ab eis exigens tamquam aliquod depositum, et significans, quod non solum sermone, sed et factis et signis et miraculis id acceperint, et ut ea tuto teneant.

2. Deinde postquam dixit vetera, tempus quoque præsens declaravit dicens : *In quo et statis;* eos præoccupans, ut ne etiamsi maxime vellent, possint negare. Et ideo incipiens non dixit, Vos doceo, sed, *Notum vobis facio*, id quod jam factum est. Et quomodo eos qui vacillabant dicit stare? Utiliter præ se fert ignorationem : quod quidem facit etiam ad Galatas, sed non similiter. Nam quoniam illic non poterat ignorantiam præ se ferre, alia ratione tractat orationem, dicens : *Confido autem in vobis in Domino, quod nihil aliud sentietis* (*Gal.* 5. 10). Non dixit : Quod nihil aliud sensistis; quoniam eorum delictum in confesso erat et evidens, sed spondet de futuro : quamquam hoc quoque erat incertum; sed ut illos magis attraheret. Hic autem etiam præ se fert se ignorare dicens : *In quo et statis.* Deinde lucrum sequitur, *Per quod et salvamini : qua ratione prædicaverim vobis.* Quamobrem hæc doctrina vobis nunc est declarationis et interpretationis. Non enim opus, inquit, habetis ut hoc dogma discatis, sed ut recordemini et corrigamini. Hæc autem dicit, non sinens ipsos esse impudentes. Quid sibi vult autem, *Qua ratione prædicaverim vobis?* Quo modo, inquit, dixi fieri resurrectionem. Nam quod sit quidem resurrectio, non dixerim vos dubitare : quæritis autem fortasse apertius scire quod dictum est. Hoc etiam faciam : aperte enim scio vos dogma tenere. Deinde quoniam enuntians dicebat, *In quo statis;* ne ea ratione eos redderet socordiores et negligentiores, illos rursus terret dicens, *Si tenetis, nisi frustra credidistis;* ostendens quod in capite fidei accepta fuerit plaga, neque agatur de quibuslibet obviis, sed de tota atque integra fide. Et nunc quidem hoc dicit pressius; procedens autem et cum incaluit, aperto deinceps capite vociferatur et dicit : *Si Christus non resurrexit, inanis est utique prædicatio nostra, inanis est etiam fides vestra*, adhuc estis in peccatis vestris. Sed non sic in proœmiis : sic enim expediebat sensim et paulatim progredi. 3. *Tradidi enim vobis in primis quod et accepi.* Nec hic dixit : Vobis dixi, neque, Vos docui, sed eamdem rursus usus est dictione : *Tradidi vobis quod et accepi.* Neque hic dicit se edoctum fuisse, sed, *Accepi;* hæc duo probans, quod et nihil ex se afferre oporteat, et quod per operum demonstrationem facti sint certiores, non nudis verbis : et paulatim fide dignam faciens orationem, universum reducit ad Christum, et ostendit ex his documentis nullum esse humanum. Quid est autem, *Tradidi enim vobis in primis?* Hoc est, ab initio, non nunc. Hæc autem dicit, tempus adducens in testimonium, et quod maxime esset pudendum, cum tantum tempus credidissent, illos transmutari. Nec hoc solum, sed etiam dogma esse necessarium; et ideo in primis fuit traditum, et statim a principio. Et quid, dic obsecro, tradidisti? At non hoc statim dicit, sed primum, se accepisse. Et quid accepisti? *Quod Christus mortuus est pro peccatis nostris.* Non statim dixit, Resurrectio est corporum nostrorum, sed hoc ipsum quidem probat, verum re longe petita, et per alia, dicens, *Christus est mortuus;* magnum, firmum ac stabile fundamentum prius jaciens ejus quod est dicendum de resurrectione. Neque enim solummodo dixit : Christus est mortuus, etiamsi hoc satis esset ad significandam resurrectionem, sed cum adjectione, *Christus est mortuus pro peccatis nostris.*

Contra Manichæos. — Primum autem operæ pretium est audire quid hic dicant qui laborant hæresi Manichæorum, et veritatis inimici, et qui cum sua pugnant salute. Quid ergo dicunt isti? Mortem, inquiunt, hic nihil aliud dicit Paulus, quam fuisse in peccatis, et resurrectionem esse liberationem a peccatis. Vidistin' quomodo errore nihil sit imbecillius, et quomodo suis capiatur pennis, neque externa pugna opus sit, sed a seipso configatur? Considera ergo quomodo ipsi seipsos confixerunt per ea quæ dixerunt. Si hoc enim est mors, Christus autem corpus non accepit, ut vos vultis, mortuus est autem : in peccato fuit, secundum vos. Nam ego quidem dico quod corpus acceperit, et mortem dico esse carnis : tu autem hoc negans, illud necessario dicas oportet. Si autem fuit in peccato, quomodo dicit? *Quis ex vobis arguet me de peccato* (*Joan.* 8. 46)? et, *Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam* (*Id.* 14. 30); et rursus, *Sic nos decet implere omnem justitiam* (*Matth.* 3. 15). Quomodo autem est omnino mortuus pro peccatoribus, si ipse fuit in peccatis? Nam cum, qui moritur pro peccatoribus, oportet nulli peccato esse obnoxium : si enim ipse etiam peccat, quomodo morietur pro aliis peccatoribus? Si autem est mortuus pro peccatis aliorum, mortuus est cum nulli esset peccato obnoxius : si autem est mortuus cum esset sine peccato, non est mortuus morte peccati (quomodo enim, in quem nullum cadebat peccatum?), sed morte corporis. Et ideo Paulus non dixit solum : *Est mortuus*, sed addidit, *Pro peccatis nostris;* et cum vel invitos coegisset fateri mortem corporalem; per hoc ostendens illum

etiam ante mortem nulli peccato fuisse obnoxium, (cum enim, qui pro peccatis moritur alienis, consequens est esse ejusmodi ut non peccet), ne hoc quidem contentus, subjunxit, *Secundum Scripturas*; hinc rursus fide dignam faciens orationem, et significans quamnam mortem diceret. Scripturæ enim ubique loquuntur de morte corporis : *Foderunt* enim, inquit, *manus meas et pedes meos* (*Psal.* 21, 17), et, *Videbunt in quem transfixerunt* (*Joan.* 19. 37).

3. Multa alia, ne omnia dicamus sigillatim, licet in eis videre, alia quidem per verba, alia vero per figuras, quæ significant carnis cædem, et quod pro nostris peccatis sit occisus. *Pro peccatis* enim, inquit, *populi mei venit ad mortem*; et, *Dominus tradidit ipsum peccatis nostris*; et, *Vulneratus est propter peccata nostra* (*Isai.* 53. 8. 6. 5). Si autem veterem non fers Scripturam, audi Joannem clamantem, et utraque ostendentem, nempe et cædem corporis et causam. *Ecce* enim, inquit, *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* 1. 29); et Paulum dicentem, *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos fieremus Dei justitia in ipso* (2. *Cor.* 5. 21) : et rursus, *Christus nos redemit a maledicto legis, factus pro nobis maledictum* (*Galat.* 3. 13); et rursus, *Exspolians principatus et potestates traduxit* (*Coloss.* 2. 15), acto de eis triumpho; et alia innumerabilia, quæ significant ea quæ facta sunt in cæde corporis, et propter nostra peccata. Ipse enim dicit, *Pro vobis sanctifico meipsum* (*Joan.* 17. 19); et, *Princeps hujus mundi nunc condemnatus est* (*Id.* 16. 11), significans se fuisse occisum, cum nullum haberet peccatum. 4. *Et quod sepultus est.* Hoc quoque priora confirmat : nam quod sepelitur, omnino est corpus. Et hic non amplius addidit, Secundum Scripturas : nam poterat quidem, sed non addit. Quamobrem? Vel quia sepulcrum omnibus manifestum et tunc fuit et nunc est : vel quia in communi positum est illud, *Secundum Scripturas*. Cur ergo addit, *Secundum Scripturas*, hic, *Et quod resurrexit tertia die secundum Scripturas*, et non est contentus illo priori, quod dictum est in communi? Quia hoc quoque multis erat incertum et obscurum; ideo hic quoque Scripturas adjungit inspiratus, et hac sapienti et divina suscepta cogitatione. Quomodo ergo non etiam in morte idem facit? Quoniam illic quoque crux quidem fuit omnibus manifesta, et omnibus videntibus cruci fuit affixus; causa autem non item. Nam quod mortuus quidem fuerit, sciverunt omnes; quod autem pro peccatis totius orbis hoc sit passus, non itidem sciebant multi. Propterea adducit testimonium ex Scripturis. Sed hoc quidem satis est demonstratum per ea, quæ a nobis dicta sunt : ubi autem quod sit sepultus et quod tertio die esset resurrecturus, dixerunt Scripturæ? Per Jonæ figuram, quam ipse quoque adducit dicens : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tres dies et tres noctes : ita erit etiam filius hominis in corde terræ tres dies et tres noctes* (*Matth.* 12. 40). Per rubum qui erat in deserto (*Exod.* 3) : quemadmodum enim ille ardebat et non comburebatur, ita etiam corpus illius mortuum quidem fuit, non detentum autem fuit a morte perpetuo. Draco item qui fuit tempore Danielis (*Dan.* 14) hoc tacite significat. Nam sicut ille accepto nutrimento, quod dedit propheta, ruptus est medius : ita etiam infernus, devorato illo corpore, fuit discissus, cum ipsius corpus ventrem ejus dissecuisset, et surrexisset. Si autem hæc etiam vis verbis audire, quæ vidisti per figuras, audi Isaiam dicentem : *Tollitur e terra vita ejus* : et, *Dominus vult eum mundare a plaga, ut ostendat illi lumen* (*Isai.* 53. 8. 10); et David ante illum, *Non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* 15. 10). Propterea te quoque Paulus transmittit ad Scripturas, ut scias hæc non fuisse facta temere et abs re. Quomodo enim, cum tot prophetæ ea prius describant et proclament, quod Scriptura nusquam dicat mortem peccati, mentionem faciens mortis Domini, sed corporalem et sepulturam et talem resurrectionem? 5. *Et quod visus est Cephæ.* Eum statim ponit, qui est omnium fide dignissimus. *Et post hoc duodecim* : 6. *deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt* : 7. *deinde visus est Jacobo, deinde apostolis omnibus* : 8. *novissime autem omnium tamquam abortivo visus est et mihi.* Postquam enim illam ex Scripturis ostendit demonstrationem, eam etiam addit quæ per res fit, testes adducens resurrectionis post prophetas apostolos et alios homines fideles. Si autem illam resurrectionem dixisset esse a peccato liberationem, supervacaneum fuisset dicere, Visus est huic et illi. Hoc enim est ejus qui facit fidem resurrectionis corporis, non ejus qui subindicat liberationem a peccatis.

4. Propterea neque semel dixit illud, *Visus est*, quamquam id suffecisset dictione in communi posita : nunc autem et bis et ter eam ponit, et in unoquoque fere eorum qui viderunt. *Visus est* enim, inquit, *Cephæ; visus est plusquam quingentis fratribus; visus est et mihi.* Atqui Evangelium dicit contrarium, quod visus sit primum Mariæ. Sed inter viros huic primum est visus qui maxime eum cupiebat videre. Quosnam autem hic dicit duodecim apostolos? nam post assumptionem in eorum numerum relatus fuit Matthias, non statim post resurrectionem. Sed est verisimile eum fuisse visum etiam post assumptionem. Hic ipse quidem certe apostolus post assumptionem et vocatus fuit, et ipsum vidit. Propterea neque ponit tempus, sed absolute et indefinite recenset visiones : nam verisimile est multas fuisse. Ideo Joannes quoque dixit, Tertio jam manifestavit seipsum. *Deinde visus est supra quingentis fratribus* (*Joan.* 21. 1). Aliqui illud, *Supra*, dicunt esse supra e cœlis. Non enim supra terram gradiens, sed superne et supra caput eis visus est. Non solum enim volebat facere fidem resurrectioni, sed etiam assumptioni. Quidam autem illud, *Supra quingentis*, dicunt plusquam quingentis. *Ex quibus multi manent usque adhuc.* Nam etsi, inquit, narro res antiquas, habeo tamen testes adhuc viventes.

Quidam autem dormierunt. Non dixit, Mortui sunt; sed, *Dormierunt*, hac quoque dictione rursus confirmans resurrectionem. *Deinde visus est Jacobo.* Mihi videtur dicere, fratri suo: ipse enim dicitur ei manum imposuisse ac ipsum ordinasse, et primum episcopum fecisse Jerosolymis. *Deinde apostolis omnibus.* Erant enim etiam alii apostoli, ut septuaginta. *Novissime autem omnium tamquam alicui abortivo visus est et mihi.* Hoc verbum modestiam valde sapit. Non enim quoniam erat minimus, propterea post alios ei visus est. Nam etiamsi se vocavit ultimum, longe iis qui ante ipsum fuerunt, vel potius omnibus visus est illustrior: nec quingenti fratres Jacobo fuerunt meliores, quoniam ante illum eis visus est. Et cur non simul visus est omnibus? Ut fidei semina prius jaceret. Nam qui prior vidit, et exacte factus est certior, aliis annuntiabat: deinde sermo præveniens constituebat eum qui audiebat, in magna hujus miraculi exspectatione, et viam muniebat ad fidem ante visionem. Propterea neque simul visus est omnibus, neque in initio multis, sed uni soli primum, eique omnium coryphæo et fidelissimo. Fidelissima enim maxime anima opus erat, quæ prima hanc acciperet visionem. Nam qui aspiciebant postquam alii vidissent et ab ipsis audiissent, habebant illorum testimonium, non parum conferens ad fidem faciendam, et præparans eorum mentem: qui autem primus dignus est habitus qui eum videret, magna, sicut antea dixi, fide opus habebat, ne admirabili, et quod omnem superat opinionem, conturbaretur spectaculo. Propterea primum apparet Petro. Nam qui primus Christum est confessus, jure etiam dignus est habitus qui primus videret resurrectionem. Non propter hoc autem apparet soli Petro, sed quoniam et ipsum negaverat, ex abundantia cum consolans et ostendens non esse repulsum, ante alios eum hac dignatus est visione, et primo oves tradidit. Propterea etiam primis visus est mulieribus. Quoniam minoris conditionis erat hic sexus, propterea mulier et in ejus ortu et in resurrectione prima sentit gratiam. Post Petrum autem et sparsim unicuique apparet; et aliquando quidem paucioribus, aliquando autem pluribus, ipsos inter se testes et doctores in hoc faciens, et apostolos reddens fide dignos in iis quæ dicebant. *Novissime autem omnium tamquam cuidam abortivo visus est mihi.* Quid sibi volunt hic hæc verba humilitatis, aut quamnam habent occasionem? Nam si vult se esse fide dignum et seipsum referre in numerum testium resurrectionis, contrarium facit ejus quod volebat: oporteret enim se extollere, et ostendere esse magnum, quod sæpe facit cum tempus postulat. Propterea enim hic quoque modeste loquitur, quoniam hoc erat facturus; sed non statim, verum cum ea qua par est prudentia. Nam cum prius modeste esset loquutus, et in se multas congessisset criminationes, tunc res suas amplificat. Quare? Ut cum magnum quidpiam et sublime de se loquutus fuerit, ut illud, *Plus quam omnes laboravi*, ea ratione grata et accepta sit oratio, quod ex quadam dictum sit consequentia, non ex præcedente instituto. Propterea etiam scribens ad Timotheum, cum esset magna de se dicturus, prius ponit suas criminationes (1. *Tim.* 1. 12. *seqq.*). Nam qui de aliis quidem magnum quid dicit, intrepide loquitur et secure: qui autem necesse habet seipsum laudare, maxime vero cum seipsum profert testem, pudore afficitur et erubescit. Ideo hic quoque beatus seipsum prius miserum pronuntiat, et tunc illud magnum loquitur. Hoc autem facit, et propriæ laudis molestiam resecans, et quæ postea sunt dicenda hinc fide digna efficiens. Nam qui quæ sunt probro danda cum veritate retulit, et nihil eorum celavit, ut quod Ecclesiam sit persequutus, quod fidem labefactare conatus, hinc etiam efficit ut quæ sunt honesta sint minime suspecta.

5. Considera autem quam insignis sit ejus humilitas. Nam cum dixisset, *Novissime autem omnium visus est et mihi*, eo non fuit contentus: *Multi* enim *novissimi*, inquit, *primi*, et *primi novissimi* (*Matth.* 19. 30). Propterea addidit, *Tamquam cuidam abortivo.* Neque hic stetit, sed suum etiam addidit judicium: 9. *Ego enim sum minimus apostolorum: qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persequutus sum Ecclesiam Dei.* Non dixit, Duodecim solum, sed etiam aliorum omnium. Hæc autem omnia dicebat, simul et utens modestia, et sic ut dixi affectus, et quod dicendum erat prius disponens, et ut lubentius exciperetur efficiens. Nam si prætergressus dixisset, Debetis mihi credere, quod Christus resurrexerit; vidi enim ipsum, et sum omnium fide dignissimus, ut qui plus laboraverim id quod dicebatur etiam offendisset eos qui audiebant: nunc autem in rebus humilibus et abjectis primum versatus, et in iis quæ criminatione digna erant; ejusmodi narrationis amputavit asperitatem, et viam muniit ad faciendam testimonio fidem. Propterea neque solum, ut dixi, se pronuntiat esse ultimum, et indignum qui appelletur apostolus, sed affert causam, dicens, *Quoniam persequutus sum Ecclesiam.* Atqui omnia illa fuerant remissa, sed tamen ipse numquam est eorum oblitus, volens ostendere gratiæ magnitudinem. Et ideo subjungit, dicens: 10. *Gratia autem Dei sum quod sum.* Vidistin' rursum aliam summam humilitatem? Nam delicta quidem sibi attribuit, ex recte autem factis sibi nihil, sed totum Deo adscribit. Deinde ne hic auditorem reddat supinum, dicit, *Et gratia ejus in me vacua non fuit.* Et hoc rursus demisse. Non dixit enim, Ostendi studium ac diligentiam dignam gratia, sed illa *Vacua non fuit. Sed abundantius illis omnibus laboravi.*

Pauli humilitas. —Non dixit, Sum honoratus, sed, *Laboravi:* et cum posset dicere et pericula et mortes, nomine laboris rursus extenuat quod dictum est. Deinde rursus solita utens humilitate, hoc quoque cito prætercurrit, et totum Deo adscribit, dicens: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Quid hac anima fuerit admirabilius? Nam cum per tam multa se depressisset, et unum quiddam altum solum esset loquutus, ne hoc quidem suum esse dicit, et ex iis quæ præcesserunt et quæ postea sunt sequnta, altum hoc

veroum deprimens, idque cum ex necessitate ad id venisset. Vide autem quam sit largus et copiosus in verbis humilitatis. Etenim *Novissimo omnium*, inquit, *mihi visus est*; propterea neque secum ponit alium; et *Tamquam cuidam abortivo*, minimumque se esse dicit omnium apostolorum, et nec esse dignum qui sic appelletur. Neque his fuit contentus, sed ne videatur verbis esse humilis, affert etiam causas et demonstrationes, quod sit quidem abortivus, quoniam ipse Jesum vidit posterior; quod autem sit indignus qui appelletur apostolus, quoniam persequutus est Ecclesiam. Nam qui temere et inconsiderate est humilis, hoc non facit: qui autem etiam affert causas, contrita mente omnia loquitur. Quamobrem etiam alibi eorum meminit, dicens: *Gratiam autem habeo ei qui me corroboravit Christo, quod me fidelem esse existimaverit, quod me ad ministerium posuerit, qui prius eram blasphemus et persequutor et contumeliosus* (1. *Tim.* 1. 12). Quare autem hoc quoque altum verbum est eloquutus. *Abundantius ipsis laboravi?* Videbat tempus afferre necessitatem. Nam si hoc non dixisset, sed seipsum solum vilipendisset, quomodo potuisset libere et confidenter seipsum citare ad testimonium, et cum aliis enumerare et dicere, *Sive enim ego, sive illi, sic prædicamus?* Testem enim oportet esse fide dignum et magnum. Quomodo autem aliis abundantius laboraverit, ostendit superius, dicens: *An non habemus potestatem comedendi et bibendi sicut et alii apostoli?* et rursus, *Factus sum iis, qui erant sine lege, tamquam essem sine lege* (1. *Cor.* 9. 4. 21). Ubi enim oportebat ostendere exactam diligentiam et perfectionem, omnes superavit: et ubi conveniebat se demittere et aliis accomodare, id quoque excellenter fecit. Nonnulli autem dicunt, quod missus sit ad gentes, et maximam orbis partem pervaserit. Unde est perspicuum quod majorem gratiam sit assequutus. Si enim plus laboravit, amplior etiam erat gratia: ampliorem autem gratiam est consequutus, quoniam majus ostendit studium et diligentiam. Vidisti quomodo, per quæ dum contendit et nititur sua adumbrare et tegere, ostenditur primus omnium?

6. Hæc nos quoque audientes, delicta quidem nostra traducamus at in publicum proferamus, recte autem facta sileamus; et si tempus necessitatem afferat, ea modeste dicamus, et totum gratiæ imputemus. Quod ipse quoque facit, susque deque primam quidem suam notans vitam, quæ autem postea sunt consequuta, gratiæ imputans, ut omni ex parte ostendat Dei benignitatem et clementiam, quod cum talis esset, eum servaverit, et rursus servatum talem fecerit. Nemo ergo ex iis, qui sunt in vitio, desperet; nemo ex iis, qui sunt in virtute, confidat; sed et hic sit timidus, et ille promptus et alacris. Neque enim qui est piger et socors, sufficiet ad manendum in virtute; neque qui studium adhibet et diligentiam, erit imbecillus ad fugiendum vitium. Horum autem amborum exemplum est beatus David, ut qui, quando parum dormitavit, valde ceciderit, et quando fuit compunctus, ad priorem reversus sit altitudinem. Sunt enim utraque ex æquo mala, et desperare et pigrum esse ac negligentem: nam illud quidem cito dejicit ab ipso cæli fornice; hoc autem non permittit ut qui jacet resurgat. Propterea illi quidem dicebat Paulus, *Qui videtur stare, videat ne cadat* (2. *Cor.* 10. 12); huic autem, *Hodie si vocem ejus audieritis, ne obduretis corda vestra* (*Psal.* 94. 8); et rursus, *Remissas manus et dissoluta genua erigite* (*Hebr.* 12 12). Eum quoque qui fornicatus fuerat, cum ductus esset pœnitentia, propterea recreat, ne nimia absorberetur tristitia. Quid ergo in aliis animo angeris, o homo! Nam si in peccatis, ubi est utilis solum tristitia, immoderatio magnum affert damnum, multo magis in aliis. Cur enim doles? an quod pecuniam perdideris? Sed cogita eos qui ne pane quidem satiantur, et citissimam accipies consolationem. Et in unoquoque eorum, quæ sunt gravia et aspera, ne defleas ea quæ acciderunt; sed pro iis, quæ non acciderunt aspera, age gratias. Habuisti pecunias et amisisti? Ne lacrymeris pro damno, sed age gratias pro tempore quo iis potitus es: dic cum Jobo, *Si bona accepimus a Domino, cur mala non sustinebimus* (*Job* 2. 16)? Cum hoc autem illud etiam considera: si amisisti pecunias, at corpus interim habes sanum, et non cum paupertate de ejus quoque lamentaris infirmitate. At tuum etiam corpus aliquam passum est noxam? Sed non est hic fundus malorum humanorum, sed ferris interim in medio dolio. Multi enim cum paupertate ac mutilatione luctantur et cum dæmone, et errant in desertis: alii rursus alia patiuntur his graviora. Absit enim ut patiamur quæcumque pati possumus. Hæc ergo semper reputans, eos cogita qui patiuntur graviora, et de nullo eorum doleas; sed quando peccaris, tunc solum ingemisce, tunc lacrymare: non prohibeo, sed potius hortor; et tunc quoque cum moderatione, cogitans quod sit reversio, sit reconciliatio. At vides alios esse in deliciis, te autem in paupertate, aliumque splendidis indutum vestibus et conspicuum esse? Verum ne hæc solum consideres, sed etiam eas quæ sunt ex his molestias. In paupertate autem ne consideres solam mendicitatem, sed etiam eam quæ inde capitur voluptatem.

Paupertatis felicitas. — Nam divitiæ quidem lætam habent larvam, interna autem plena sunt caligine; paupertas autem contra: et si uniuscujusque explicaris conscientiam, in anima quidem pauperis multam videbis securitatem et libertatem; in anima autem divitis tumultus, perturbationes et fluctus. Si autem doles videns ipsum divitem, ille quoque plus quam tu dolet, aspiciens eum qui est ipso ditior: et sicut tu illum times, ita ipse quoque alium, et in eo te nihil præcellit. At doles videns magistratum, quoniam tu es privatus, et ex iis qui parent imperio. Sed tibi veniat in mentem et dies successionis; sed et ante illum diem tumultus, pericula, labores, adulationes, vigiliæ, omnes calamitates. Et hæc dicimus apud eos, qui nolunt philosophari. Nam si hoc scias, ex aliis majoribus possumus te consolari: interim necesse est ex crassioribus tecum discentare. Quando

ergo videris divitem, cogita illo ditiorem, et videbis cum itidem ut tu es esse affectum. Post ipsum autem, cogita etiam eum qui est te pauperior, et quam multi dormierunt esurientes, et paternas amiserunt facultates, et habitant in carcere, ac quotidie mortem optant. Neque enim animi ægritudinem paupertas, neque voluptatem pariunt divitiæ, sed et hoc et illud nobis solet indere cogitatio. Considera autem ab infimis incipiens, qui emit stercora, dolet et tristitia afficitur, quod non sit liber ab hoc misero, et quod probrosum esse videtur, studio; sed si ipsum eo liberaveris et effeceris ut secure abundet rebus necessariis, rursus dolebit quod non plura possideat quam opus sit; et si plura dederis, volet ea esse duplo majora; ac propterea non minori afficietur dolore quam prius: et si duplo et triplo plura ei dederis, rursus animo angetur, quod non gerat rempublicam: et si hoc ei præbeas, seipsum ducet esse miserum, quod non primas partes teneat in republica: hunc autem honorem assequutus, quod non imperium obtineat. Quando autem imperium obtinuerit, quod non totius gentis: quando autem etiam totius gentis, quod non multarum gentium: quando autem multarum gentium, quod non omnium. Quando factus fuerit legatus aut præfectus, rursus dolore afficietur, quod non sit rex; et si sit rex, quod non solus; et si solus, quod non barbarorum quoque, quod non etiam totius orbis terræ; cum autem totius orbis, cur non etiam alterius mundi? Et sic in infinitum procedens cogitatio, non sinit eum umquam lætari.

7. Vidistin' quomodo, etiamsi ex vili et abjecto regem feceris, non tollis animi ægritudinem, nisi correxeris cogitationem, quæ laborat avaritia et plura habendi cupiditate? Age, tibi etiam ostendam contrarium, quod etiamsi a supremis ad infima deduxeris eum qui est prudentia præditus, non injicies in animi ægritudinem et tristitiam. Et si vis easdem descendamus scalas, et præfectum e sede urbis dejectum priva illa dignitate. Ipse enim hæc quæ diximus cogitare si velit, nihil inde dolebit. Neque enim reputabit ea quæ sunt ei ablata, sed ea quæ tunc habet, nempe gloriam quam habet ex eo quem gessit magistratu. Si autem eam quoque abstuleris, animo reputabit privatos, et qui ad eum magistratum numquam ascenderunt, et ad consolationem ei sufficient divitiæ: sin autem ab iis quoque rursus eum expuleris, considerabit eos qui mediocria possident: si autem etiam abstuleris mediocria, et ei solum necessarium impertieris alimentum, poterit animo cogitare eos, qui ne id quidem possident, sed cum jugi fame conflictantur, et in carcere habitant. Quod si etiam ipsum in domum illam duxeris, animo versans eos qui morbis laborant incurabilibus, intolerabilibusque doloribus, videbit multo se habere melius. Et sicut emptor ille stercoris ne rex quidem factus fruetur animi tranquillitate: ita hic quoque, ne si fuerit quidem in vinculis, umquam dolebit. Neque igitur divitiæ voluptatis, neque paupertas est causa animi ægritudinis, sed mens nostra, et quod animi nostri oculi minime sint puri, neque usquam firmi sint et stabiles, sed volent ad infinitum. Et sicut salubria quidem corpora, etiamsi solo pane alantur, bene affecta sunt et luxuriant; morbida autem, etiamsi lauta et varia fruantur mensa, eo sunt imbecilliora: ita etiam solet evenire in anima. Qui pusilli quidem et abjecti sunt animi, ne in diademate quidem et honoribus qui verbis non possunt explicari, possunt esse bono et tranquillo animo: philosophi autem et in vinculis et in catena et in paupertate pura fruuntur voluptate. Hæc ergo cogitantes, aspiciamus semper ad deteriores. Nam est quidem etiam alia consolatio, sed philosophica, et quæ multorum aliorum superat crassitudinem. Quænam ea est? Quod nihil sunt divitiæ, nihil paupertas, nihil ignominia, nihil honor; sed in brevi tempore, et in verbis solum inter se distant. Cum hac autem alia quoque est hac major, nempe futura et bona et mala cogitare, ea quæ vere sunt mala et quæ vere bona, et ab illis accipere consolationem. Sed quoniam, sicut prius dixi, multi sunt longe remoti ab hujusmodi doctrina, propterea necesse habuimus in hujusmodi immorari sermonibus, ut ordine ad hos quoque deducamus eos qui illa susceperunt. Hæc ergo omnia reputantes, omni ex parte nos ipsos componamus, et numquam dolebimus ob hæc inopinata. Neque enim si in imagine viderimus divites, eos esse dixerimus beandos et æmulandos; ut neque mendicos illic depictos, infelices et miserabiles. Atqui illi sunt firmiores et stabiliores iis qui sunt apud nos divites; magis enim in pictura manet dives, quam in ipsa rerum natura. Nam ille quidem sæpe etiam ad centum annos sic apparens duraverit: hic autem cum ne annum quidem unum in suis facultatibus se deliciis expleverit, repente privatus est omnibus. Hæc ergo omnia reputantes, omni ex parte muniamus animi quietem et tranquillitatem adversus inconsideratam tristitiam, ut et vitam præsentem transigamus cum voluptate, et bona futura consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simulque sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIX.

CAP. 5. v. 11. *Sive enim ego, sive illi, sic prædicamus, et sic credidistis.*

1. Postquam apostolos extulit et se dejecit, et deinde rursus supra illos se extulit, ut efficeret æqualitatem (æqualitatem enim effecit, se et melioris esse conditionis ostendens et deterioris), et ea ratione se reddens fide dignum; ne sic quidem eos dimittit, sed rursus se cum illis conjungit, indicans eam, quæ est secundum Christum, concordiam. Non tamen hoc sic facit ut videatur eis esse abjectus, sed ut ipse

quoque in eodem cernatur ordine : sic enim conducibile erat prædicationi. Quamobrem ambo similiter ei studio fuerunt, ut nec ipse videretur eos despicere, et ne propter honorem ipsis collatum vilipenderetur ab iis, qui erant ipsi subjecti. Propterea nunc quoque se exæquat, rursus dicens : *Sive ego, sive illi, sic prædicamus.* A quo, inquit, vultis discere, discite ; nihil differimus. Et non dixit, Si non vultis mihi credere, illis credite ; sed et seipsum facit fide dignum, et per se dicit sufficere, et illos per se satis esse. Nihil enim faciebat personarum differentia, cum par esset auctoritas. Porro hoc quoque facit in Epistola ad Galatas, eos assumens, non tamquam eis indigens, sed se quoque dicens sufficere : *Mihi enim qui videbantur*, inquit, *esse aliquid, nihil contulerunt* (*Gal.* 2. 6). Verumtamen sic quoque eorum sequor concordiam et consensionem : *Dexteras* enim, inquit, *mihi dederunt* (*Ibid.* v. 29). Nam si necesse esset, ut Pauli fides et auctoritas in aliis esset et illorum testimonio niteretur, damna innumerabilia hinc accepissent discipuli. Non hoc ergo facit seipsum extollens, sed timens evangelio. Propterea hic quoque dicit, seipsum exæquans : *Sive ego, sive illi, sic prædicamus.* Pulchre dixit, *Prædicamus*, magnam ostendens fiduciam ac loquendi libertatem. Non enim clam neque in occulto, sed tuba clariorem vocem emittimus. Neque dixit, Prædicavimus, sed nunc quoque *Sic prædicamus. Et sic credidistis.* Hic non dixit, Creditis, sed, *Credidistis.* Quoniam labahant, ideo ad superiora recurrit tempora, et de cætero ab iis ipsis addit testimonium. 12. *Si autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quod resurrectio mortuorum non est?* Viden' quomodo optime ratiocinatur et demonstrat resurrectionem ex eo quod Christus sit excitatus, cum ex multis illud prius confirmasset? Nam et prophetæ, inquit, hoc dixerunt, et ipse ostendit per visionem, et nos prædicamus, et vos credidistis, quadruplex connectens testimonium : quod ferebatur per prophetas, quod per rerum eventum, quod per apostolos, quod per discipulos ; vel potius quintuplex. Nam ipsa quoque causa ostendit resurrectionem, nempe quod sit mortuus pro aliorum peccatis. Si ergo hoc demonstratum fuit, palam est quod alterum quoque sequatur; cæteros etiam mortuos excitari. Ideo tamquam de eo quod in confesso est reprehendit, et dubium movet, dicens : *Si autem Christus resurrexit, quomodo quidam dicunt in vobis quod resurrectio mortuorum non est?* hac quoque ratione amputans asperitatem eorum qui contradicunt. Non enim dixit, Quomodo dicitis vos ; sed, *Quomodo dicunt quidam in vobis :* et neque omnes accusat, neque eos ipsos quos accusat, reddit manifestos, ne eos efficiat impudentiores ; neque rursus celat penitus, ut ipsos corrigat. Propterea cum et eos separasset a multitudine, ad disceptandum cum eis accingitur, hac ratione et eos reddens imbecilliores et obstupefaciens, et alios in suscipiendis adversus eos certaminibus firmius ac stabilius continens in veritate, nec sinens ut ipsi transfugiant ad eos qui studium posuerunt ut ipsos corrumperent. Paratus enim est, ut in eos vehementi impetu orationis feratur. Deinde ne dicant hoc quidem esse evidens et omnibus manifestum, quod Christus resurrexerit, et neminem dubitare, non tamen hoc necessario quoque alterum efficere, nempe hominum resurrectionem : nam quod ad Christi quidem attineat resurrectionem, ea et fuit prædicta, et evenit, et per testimonium visionis est probata ; nostra autem resurrectio adhuc in spe est; vide quid facit : ex altera parte rursus id probat, quod magnas habebat vires. Quid enim, inquit, dicunt quidam, quod non est mortuorum resurrectio? ergo illud quoque ex hoc est sublatum, quod Christus resurrexerit. Et ideo subjungit, dicens : 13. *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.* Vidistin' Pauli violentiam et contentionem inexpugnabilem, quomodo non ex eo solum quod est manifestum, id de quo dubitatur, sed etiam ex eo de quo dubitatur a contradicentibus, jam conetur demonstrare illud quod est manifestum? non quia id quod jam factum erat opus haberet demonstratione, sed ut ostenderet hoc esse æque atque illud credibile.

2. Et quænam est, inquies, hæc consequentia? nam quod si Christus quidem non resurrexerit, ne alii quidem resurgant, est consequens ; quod autem si alii non resurrexerint, ne ipse quidem resurrexerit, quomodo hoc ullam habeat rationem? Quoniam ergo hoc videbatur non esse admodum rationi consentaneum, vide quomodo consentaneum hoc valde faciat, ab alto prius jaciens semina, ex ipsa prædicationis causa : nempe quod pro peccatis nostris mortuus resurrexerit, et quod sit primitiæ eorum qui dormierunt. Primitiæ enim cujusnam fuerint primitiæ, nisi eorum qui resurgunt? quomodo autem fuerint primitiæ, nisi resurgant illi quorum sunt primitiæ? quomodo ergo non resurgunt? si autem non resurgunt, cur resurrexit Christus? cur venit? cur carnem suscepit, si carnem non erat suscitaturus? non enim ipse opus habebat ut resurgeret nisi propter nos. Sed hæc quidem ponit postea progrediens, interim autem dicit : Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit, utpote cum hoc sit connexum : nam si non fuisset resurrecturus, ne illud quidem fecisset. Vidistin' paulatim totam everti susceptæ carnis dispensationem, ex illis verbis, et ex eo quod non credatur resurrectio? Sed nunc nihil dicit de carnis susceptione, sed de resurrectione. Non enim carnem suscepisse, sed mortuum esse abolet mortem : nam eo carnem habente adhuc dominatum obtinebat illius tyrannis. 14. *Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra.* Atqui consequens erat dicere : Si autem Christus non resurrexit, pugnatis cum iis quæ sunt evidentia, et cum tam multis prophetis, et cum rerum veritate. Sed id ponit, quod est eis multo terribilius : *Inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est fides vestra.* Exagitare namque vult illorum mentem. Universum, inquit, perdidimus, pereunt omnia, si non resurrexit. Vidisti quan-

tum sit mysterium susceptæ carnis dispensationis? Nam si mortuus non potuit resurgere, neque abolitum est peccatum, neque mors est perempta, nec ablatum est maledictum, et non solum nos inania prædicavimus, sed vos quoque credidistis inania. Et non solum hinc ostendit absurditatem horum malorum dogmatum, sed etiam acriter decertat, dicens: 15. *Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum quod suscitaverit Christum: quem non suscitavit, si mortui non resurgunt.* Si autem hoc est absurdum (est enim Dei accusatio et calumnia), et non excitavit ut dicitis, non hoc solum, sed multa etiam alia sequentur absurda. Et ipsa rursus confirmat, et assumit dicens: 16. *Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* Nam si hoc non erat facturus, ne advenisset quidem. Hoc autem non dicit, sed finem, nempe ejus resurrectionem, per ipsam omnes trahens. 17. *Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra.* Ei, quod est manifestum et de quo constat, continenter addit Christi resurrectionem, ex eo quod est fortius, id etiam, quod videtur esse imbecillum et dubium, reddens validum et manifestum. *Adhuc estis in peccatis vestris.* Nam si non resurrexit, nec est quidem mortuus: si autem non est mortuus, nec abolevit quidem peccatum; ejus enim mors est abolitio peccati: *Ecce* enim, inquit, *Agnus Dei qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* 1. 29). Quomodo autem tollens? Morte. Et ideo etiam vocavit Agnum, ut qui occideretur. Si autem non resurrexit, neque fuit occisus; si non fuit occisus, neque peccatum est abolitum; si non fuit abolitum, in eo estis; si autem in eo estis, frustra prædicavimus; si frustra prædicavimus, frustra credidistis. Alioquin autem mors quoque manet immortalis, si non resurrexit. Si enim ipse quoque detentus fuit a morte, et dolorem ejus non solvit; quomodo alios omnes liberavit, qui ipse adhuc detinebatur? Et ideo subjungit: 18. *Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt.* Et quid dico, inquit, de vobis, cum etiam illi omnes perierint, qui totum confecerunt, et futuro, quod est incertum, non sunt amplius subjecti? Illud autem, *In Christo*, aut dicit in fide, aut qui propter ipsum sunt mortui, qui multa sustinuerunt pericula, qui multas passi sunt afflictiones, qui ingressi sunt per viam angustam. Ubi nunc sunt scelesta ora Manichæorum, qui dicunt eum dicere eam quæ hic est resurrectionem, nempe liberationem a peccato? Densi enim isti et continui ac reciproci syllogismi nihil indicant eorum quæ illi dicunt, sed id quod nos dicimus. Dicitur enim resurrectio ejus quod cecidit restitutio. Et ideo frequenter resumit, non solum dicens resurrexisse, sed etiam addens, *Ex mortuis.* Et Corinthii sane non dubitabant de remissione peccatorum, sed de resurrectione corporum. Quænam autem omnino urget necessitas, ut si homines non sint ejusmodi ut non peccent, ne Christus quidem sit hujusmodi? Nam si non esset suscitaturus, consequens esset dicere, Cur venit, et carnem accepit, et resurrexit? de nobis autem minime. Nam et peccantibus hominibus et non peccantibus, cum Deo semper est quod in eum non cadat peccatum, et nos illum non sequimur, neque hoc ad illud reciprocatur, sicut in resurrectione corporum. 19. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

3. Quid dicis, o Paule? quomodo in hac vita sperantes sumus, si corpora non resurgunt, cum maneat anima et sit immortalis? Quoniam si maneat anima, et millies sit immortalis, sicut est revera, absque carne non accipiet bona illa ineffabilia, sicut neque punietur. *Omnia enim manifestabuntur ante tribunal Christi, ut accipiat unusquisque quæ per corpus gessit, sive bona, sive mala* (2. *Cor.* 5. 10). Propterea dicit, *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Si enim non resurgit corpus, incoronata manet anima extra illam beatitudinem quæ est in cælis: si autem hoc ita se habet, tunc nihil omnino consequemur: si tunc nihil consequemur, in præsenti sunt remunerationes. Quid ergo, inquit, hac ratione fuerit nobis infelicius? Hæc autem dicebat, simul et eos confirmans ac stabiliens in eo quod dicitur de resurrectione corporum, et de immortali illa vita persuadens, ne existimarent nostra omnia dissolvi et desinere in præsenti. Nam cum per præcedentia satis confirmasset quod volebat et dixisset, *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit; si autem Christus non resurrexit*, periimus, et adhuc sumus in peccatis: rursus hoc quoque subjungit, exagitans illorum arrogantiam. Quando enim est necessarium aliquod dogma introducturus, metu primum percellit cordis eorum duritiem: quod hic quoque fecit, ut qui et superius ea disperserit, et animo anxios reddiderit, ut qui ab omnibus excidissent; et nunc rursus aliter, et ut maxime doleant, idem faciens ac dicens: *Miserabiliores sumus omnibus hominibus*, si post tot bella et mortes et mala innumerabilia, tantis bonis simus privandi, et intra præsens tempus nostra consistant: omnia enim pendent a resurrectione. Quamobrem hinc quoque est perspicuum, quod non loqueretur de peccatis, sed de resurrectione corporum, et de vita præsenti et futura. 20. *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium.* Postquam ostendit quot mala oriantur ex eo, quod non credatur resurrectio, rursus repetit quod dictum est, et dicit: *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis;* continuo addens, *A mortuis*, ut obturet ora hæreticorum. *Primitiæ eorum qui dormierunt.* Si est autem primitiæ, eos quoque oportet resurgere. Si autem resurrectionem diceret liberationem a peccatis, nemo autem est absque peccato (nam Paulus dicit, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* [1. *Cor.* 4. 4]); quomodo erunt aliqui qui resurgant secundum vestram sententiam? Viden' eum esse locutum de corporibus? Et ut hoc fide dignum faceret, continuo Christum adducit in medium, qui in carne resurrexit: deinde etiam affert causam. Nam ut dixi, quando enuntiat quidem, causam autem non dicit non tam facile a multis admittitur et probatur oratio

Quænam est ergo causa? 21. *Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Si autem per hominem, per eum plane qui habet corpus. Vide porro ejus solertiam, qui etiam aliter orationem efficit necessariam. Nam eum, qui fuit superatus, oportet et prostratam instaurare ac reparare naturam, et ipsum vincere : sic enim probrum excusserit. Videamus autem quamnam dicit mortem. 22. *Sicut* enim *in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Quid? omnesne, dic quæso, mortui sunt in Adam morte peccati? quomodo ergo Noe justus in generatione sua? quomodo Abraham? quomodo Job? quomodo alii omnes? Quid vero, dic rogo, omnesne vivificabuntur in Christo? Et ubi sunt qui abducuntur in gehennam? Nam si hoc quidem dictum est de corpore, stat quod dicitur : sin autem de justitia et peccato, nequaquam. Deinde ne cum audieris communem vivificationem, etiam peccatores existimares esse salvos, subjunxit : 23. *Unusquisque autem in suo ordine.* Nam quoniam audivisti resurrectionem, ne existimes omnes eadem assequi et iisdem frui. Nam si in supplicio non omnes eadem patientur, sed magna est differentia, multo magis ubi sunt peccatores et justi, major erit distantia. *Primitiæ Christus : deinde ii qui sunt Christi;* hoc est, fideles et qui sunt probati et bonæ existimationis. 24. *Deinde finis.* Nam quando illi resurrexerint, res omnes finem accipient : non sicut nunc postquam resurrexerit Christus, omnia adhuc sunt in suspenso. Et ideo addidit, *In ejus adventu*, ut discas ipsum loqui de illo tempore. *Cum tradiderit regnum Deo et Patri; cum evacuaverit omnem principatum, potestatem, et virtutem.*

4. Hic attente animum adhibete, et videte ne quid vos effugiat eorum quæ dicuntur. Est enim nobis pugna cum inimicis : ideo prius est exercenda deductio ad absurdum : quod sæpe etiam facit Paulus : sic enim maxime quæ dicunt, apparebunt nobis deprehensu facilia. Eos ergo primum rogemus quid sit quod dictum est, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri?* Nam si id inconsiderate acceperimus, et non ut Deo convenit, non illud postea habebit : nam qui alii tradidit, desinit de cætero ipse id tenere. Nec erit solum hoc absurdum, sed etiam quod ne ille quidem qui accepit, invenietur habere priusquam acceperit. Ergo secundum illos neque Pater erat Rex antea, et nostra persequitur; neque Filius postea Rex esse apparebit. Quomodo ergo ipse quidem dicit de Patre, *Pater meus usque nunc operatur, et ego operor* (*Joan.* 5. 17)? de ipso autem dicit Daniel, *Regnum ejus, regnum æternum, quod non præteribit* (*Dan.* 2. 44)? Viden' quam multa oriantur absurda, et quam cum Scripturis pugnantia, cum quispiam quæ dicuntur humane acceperit? Quemnam autem hic dicit evacuari et aboleri principatum? angelorumne? Absit. At fidelium? Ne hoc quidem. Sed quemnam? Dæmonum, de quo dicit : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi rectores tenebrarum hujus sæculi* (*Ephes.* 6. 12). Nam nunc quidem non sunt plene abolita nec adhuc cessant; in multis enim locis operantur; tunc autem cessabunt. 25. *Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis.* Rursus hinc quoque aliud oritur absurdum, nisi id quoque acceperimus, ut Deo convenit. Nam illud, *Donec*, est finis et determinationis; in Deo autem hoc non est. 26. *Novissima inimica destruetur mors.* Quomodo novissima? Post omnes, post diabolum, post alia omnia. Etenim etiam in initio intravit novissima : prius enim diaboli consilium et inobedientia, et tunc mors. Potestate ergo nunc quoque est abolita, re autem ipsa tunc. *Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat,* 27. *Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia.* 28. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit illi, qui subjecit sibi omnia.* Atqui antea non Patrem dicebat esse qui subjecit, sed ipsum evacuare et abolere : *Cum*, inquit, *evacuaverit omnem principatum et potestatem;* et rursus, *Oportet* enim *ipsum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.* Quomodo ergo hic dicit Patrem? Nec hoc est solum quod videtur esse dubium, sed etiam quod metu valde absurdo est affectus, et usus est correctione dicens, *Præter eum qui ei subjecit omnia*, tamquam aliquibus suspicantibus, num Pater quoque aliquando subjiceretur Filio : quo quid fuerit magis alienum a ratione? Sed tamen hoc timuit. Quid ergo est? etenim multæ deinceps occurrunt quæstiones : sed animum mihi adhibete. Etenim mihi necesse est primum dicere Pauli scopum et institutum et consilium, quod ubique videris resplendere, et tunc afferre solutionem : nam hoc quoque ad solutionem nobis confert. Quæ est ergo sententia Pauli, et quis est mos ejus? Aliter loquitur, quando loquitur de sola divinitate, et aliter quando acciderit ut loquatur de susceptæ carnis dispensatione. Nam quando carnem apprehenderit, de cætero secure omnia loquitur humilia et abjecta, confidens nempe, quod ea sit apta et idonea ad suscipiendum ea quæ dicuntur. Videamus ergo hic quoque an loquatur de sola divinitate, an cum carnis susceptæ dispensatione de ipso hæc enuntiet quæ dicit : imo vero prius ostendamus ubinam hoc, quod dixi, fecerit. Ad Philippenses scribens dicit : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se Deo æqualem, sed seipsum exinanivit servi formam accipiens, in similitudine hominum factus, et figura inventus ut homo; humiliavit seipsum, obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter Deus exaltavit illum* (*Philipp.* 2. 6-9). Vidistin' quomodo, quando de sola quidem loquebatur divinitate, illa magna dixit, cum in forma Dei esse, et æqualiter Genitori, et ipsi totum adscribit : quando autem ostendit eum tibi carnem suscepisse, rursus depressit orationem? Nisi enim hæc diviseris, magna est repugnantia eorum quæ dicta sunt. Nam si Deo erat æqualis, quomodo exaltavit eum, qui est sibi æqualis? si erat in forma Dei, quomodo ipsi donavit nomen? nam qui donat, ei qui non habet donat : et qui exaltat, eum qui prius erat humilis exaltat. Invenietur ergo esse imperfectus et in-

digens, priusquam altitudinem acceperit et nomen : et alia innumerabilia hinc sequentur absurda corollaria. Sed si carnis susceptæ addideris dispensationem, non peccabis hæc dicens. Hæc autem hic quoque cogita, et cum hoc consilio accipe quæ dicta sunt.

5. Cum his autem alias quoque dicemus causas. Interim autem illud necesse est dicere, quod et a Paulo verba fiebant de resurrectione, quæ videbatur fieri non posse, et quæ minime credebatur : et scribebat ad Corinthios, ubi plures erant philosophi, qui semper irridebant ea quæ sunt hujusmodi. Etenim cum in aliis inter se colliderentur, in hoc dogmate tamquam uno ore omnes conspirabant, statuentes non esse resurrectionem. De hujusmodi ergo causa decertans, cui adeo non creditur et quæ irridetur tam propter præjudicatam opinionem, quam propter rei difficultatem; et volens probare id fieri posse, primum hoc facit ex Christi resurrectione : et cum eam demonstrasset et ex prophetis et ex iis qui viderant, et ex iis qui crediderant, postquam accepit sibi concessam ad absurdum deductionem, deinceps probat hominum resurrectionem : *Nam si mortui non resurgunt*, inquit, *ne Christus quidem resurrexit*. Deinde cum continuo in præcedentibus eorum frequentem dedisset probationem, aliter rursus argumentatur, eam vocans primitias, et ostendens eum abolere omnem principatum et potestatem et virtutem et mortem novissimam. Quomodo ergo, inquit, fuerit abolita, nisi prius amiserit quæ habebat corpora? Postquam ergo magna loquutus est de Unigenito, nempe quod tradit regnum, hoc est, quod ipse ea conficit, et ipse bello vincit, et omnia pedibus suis subjicit; subjunxit corrigens multorum incredulitatem : *Oportet eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedibus suis*. Non finem regno imponens dixit illud, *Donec*, sed fide dignum faciens id quod dictum est, et ut bono sint animo et confidant procurans. Non enim postquam audivisti, inquit, eum esse aboliturum omnem principatum et potestatem et virtutem, et diabolum et tam multas dæmonum catervas, et infidelium turbas, et mortis tyrannidem, et mala omnia, timeas, tamquam ipse sit infirmus et imbecillus : donec enim fecerit hæc omnia, oportet eum regnare : non hoc dicens, quod postquam fecerit, non regnabit, sed illud probans, quod etiamsi non nunc factum sit, omnino sit futurum. Non enim conscinditur ejus regnum : dominatur enim et potens est et manet, donec omnia recte confecerit. Hunc autem morem inveneris etiam in Veteri Scriptura, ut quando dicit, *Verbum autem Domini manet in æternum*; et, *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* 118. 89; *et* 101. 28). Hæc autem dicit propheta, et quæ sunt hujusmodi, quando narrat de rebus, quæ longo post tempore sunt gerendæ et omnino futuræ, crassiorum auditorum expellens timorem. Quod autem illud *Donec* et *Usque*, si de Deo dicantur, non sint verba finem significantia, audi quid dicat : *A sæculo et usque in sæculum tu es* (*Psal.* 89. 2); et iterum, *Ego sum* (*Exod.* 3. 14); et, *Donec consenueritis ego sum* (*Isai.* 46. 4). Propterea et ultimam ponit mortem, ut ex aliorum victoria hoc quoque facile admittat is qui non credit. Quando ergo diabolum, qui mortem invexit, sustulerit, multo magis ejus opus dissolvet ac perfringet. Quoniam ergo ei omnia attribuit, quod evacuaverit principatus et potestates, quod regnum recte gesserit et administrarit, dico autem fidelium salutem, orbis terræ pacem, malorum delectionem (hoc enim est regnum recte gessisse et administrasse, mortem dissolvisse); neque dixit, quod Pater per ipsum, sed quod ipse evacuabit et abolebit et ipse ponet sub pedibus suis, neque usquam meminit Patris : jam timuit, ne videretur quibusdam a ratione alienioribus aut major Patre esse Filius, aut aliquod aliud principium ingenitum; et propterea sibi cavens et rem in tuto collocans, lenit ac mitigat magnitudinem eorum quæ dicta sunt, dicens : *Omnia enim posuit sub pedibus suis;* res gestas rursus Patri adscribens, non tamquam sit impotens et imbecillus Filius (quomodo enim esset, de quo tam multa tulit testimonia, et cui attribuit omnia quæ dicta sunt?) sed propter quam dixi causam, et ut ostenderet Patri et Filio esse communia quæ facta sunt pro nobis. Nam quod ipse sibi suffecerit ad omnia sibi subjicienda, audi rursus Paulum dicentem : *Qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut sit conforme corpori gloriæ suæ, secundum operationem, qua etiam possit ipse subjicere sibi omnia* (*Philipp.* 3. 21). Deinde etiam usus est correctione dicens : *Cum autem dicat, omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subjecit ei omnia;* hinc quoque de Unigeniti gloria non parvum ferens testimonium. Si enim fuisset minor, et longe inferior, numquam eum subiisset hic metus. Neque hoc fuit contentus, sed aliud etiam ei addit, dicens. Nam ne quispiam suspicaretur et diceret, Quid tum, si non subjectus sit Pater? hoc non obstat quominus fortior sit Filius : veritus impiam hanc suspicionem, quoniam per illud non satis poterat hoc ostendere, addidit ex multa abundantia : *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit illi;* ostendens ejus magnam cum Patre concordiam, et quod is est principium bonorum omnium et causa prima, qui eum genuit, qui tam multa potest et recte gerit.

6. Si autem plura dixit quam res postulabat, ne mireris : Magistrum enim suum imitans hoc facit. Ipse enim volens ostendere illius concordiam cum eo qui ipsum genuit, et quod non præter ejus voluntatem advenerit, tantum descendit et se demittit, non quantum exigebat concordiæ demonstratio, sed quantum opus habebat præsentium imbecillitas. Patrem enim rogat, non propter aliud quam propter hoc : et causam afferens dicit, *Ut credant quod tu me misisti* (*Joan.* 11. 42). Hunc ergo imitans, hic quoque dictione utitur ex abundantia, non ut coactam suspiceris servitutem, absit; sed ut absurda illa dogmata validius expellat. Nam quando vult aliquid radicitus evellere, magna utitur abundantia. Sic etiam dicens de muliere fideli et viro infideli, habentibus inter se

consuetudinem lege matrimonii; ne existimaret mulier se pollui ex concubitu et complexu infidelis, non dixit mulierem esse immundam, et nihil lædi ab infideli, sed quod est multo amplius, per ipsam sanctificatum esse infidelem (*1. Cor.* 7. 14) : non hoc volens ostendere, quod Græcus factus sit ex illa sanctus, sed verbi exsuperatione studens ejus metum solvere. Ita hic quoque, cum dictionis vi studuisset impium illud dogma tollere, dixit id quod dixit. Sicut enim imbecillem Filium suspicari, est extremæ iniquitatis : quamobrem id corrigit, dicens, *Omnes inimicos suos ponet sub pedibus suis :* ita rursus est hoc magis impium existimare Patrem illo esse minorem. Quamobrem id quoque tollit cum magna exsuperatione. Vide autem quomodo id ponat : non dixit enim simpliciter, *Præter eum qui subjecit*, sed adjecit, *Sine dubio*, rem confirmans et muniens, quamvis de illa jam constet. Et ut scias hanc esse causam eorum quæ dicta sunt, illud ex te sciscitabor, Fitne tunc accessio subjectionis Filio? et quomodo non est absurdum, et Deo indignum? maxima enim est subjectio et obedientia, quod cum sit Deus, servi formam acceperit. Quomodo ergo tunc subjicietur? Vides quod absurdam tollens suspicionem hoc posuerit, idque cum eo quo par est sensu? Nam ut Filium decet et Deum, sic obedit, non more humano, sed libere se gerens et omnem habens potestatem. Alioqui quomodo est consessor? quomodo sicut Pater, sic ipse quoque quos vult suscitat (*Joan.* 5. 21)? quomodo quæ sunt Patris, sunt ejus omnia; et quæ ejus sunt, Patris (*Joan.* 17. 10)? Hæc enim nobis indicant exactam et perfectam ejus cum Patre potestatem. Quid est autem, *Quando tradiderit regnum?* Duo regna Dei novit Scriptura : unum quidem ex conjunctione seu proprietate, alterum ex creatione. Nam in omnes quidem regnum obtinet, Græcos, Judæos, dæmones, adversarios, ratione creationis; regnum autem obtinet in fideles et voluntarios et subjectos, ratione conjunctionis. Hoc regnum dicitur etiam habere imperium : de eo enim dicit etiam in secundo Psalmo, *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* 2. 8) : de eo etiam ipse dixit discipulis, *Data est mihi omnis potestas a Patre meo* (*Matth.* 28. 18); ei qui genuit omnia adscribens, non quod ipse non sufficiat, sed ostendens quod sit Filius, et non ingenitus. Hoc ergo tradit, hoc est, recte gerit. Quare autem, inquit, nihil dixit de Spiritu? Quoniam nunc de ipso non agitur, neque omnia simul confundit. Nam etiam quando dicit, *Unus Deus Pater, et unus Dominus Jesus* (*1. Cor.* 8. 6), non omnino minorem sinens esse Spiritum, propterea tacet, sed quoniam tunc res non urgebat, hoc dixit. Scit enim et Patris solius meminisse; nec ideo Filium ejiciemus : scit etiam et Filii et Spiritus solius meminisse; nec propterea Patrem abolebimus. Quid est autem, *Ut sit Deus omnia in omnibus?* Ut omnia ab ipso pendeant; ne quis existimet duo esse principia sine principio, neque aliud regnum divisum. Nam quando strati quidem jacuerint inimici sub pedibus Filii, qui eos autem habet jacentes sub pedibus, cum Genitore non agitat seditionem, sed est in perfecta cum eo concordia; ipse erit omnia in omnibus. Quidam autem dicunt ipsum hæc dixisse, significantia abolitionem vitii, utpote cum omnes deinceps cedant et nullus resistat, nec maligne se gerat. Nam quando non fuerit peccatum, est perspicuum quod Deus erit omnia in omnibus. Si autem corpora non resurgunt, quomodo sunt hæc vera? gravissimus enim manet omnium inimicus, nempe mors, iis quæ voluit confectis. Nequaquam, inquit; neque enim amplius peccabunt. Et quid tum? neque enim de morte animæ, sed de morte corporis hic loquitur. Quomodo ergo illa aboletur? hoc est enim victoria, ea quæ sunt ablata, et quæ detinentur accepisse. Si autem in terra detinenda sunt corpora, manet ergo ejus tyrannis, cum hæc quidem detineantur, aliud autem non sit corpus ubi vincatur. Si ergo hoc fiat, quod dicit Paulus, sicut certe fiet, præclara etiam apparebit victoria, cum Deus potuerit suscitare illa quæ ab ipsa detenta sunt corpora. Nam tunc vincit quispiam inimicum, quando acceperit spolia, non quando ipsa siverit apud eum manere : si nemo autem audeat quæ sunt ejus accipere, quomodo dixerimus esse victum?

7. Hoc etiam modo victoriæ Christus in Evangeliis dicit se vicisse his verbis : *Quando alligaverit fortem, tunc et vasa ejus diripiet* (*Matth.* 12. 29). Alioqui si hoc non factum, ne manifesta quidem fuerit victoria. Nam sicut si de morte animæ agatur, qui est mortuus, fuit justificatus a peccato, neque hoc dixerimus esse victoriam; ille enim est qui vicit, non qui malis nihil addidit, sed qui eam quæ jam erat animi motuum solvit captivitatem : ita hic quoque non stiterit mortem corpora depascentem, esse dixerim præclaram victoriam, sed quæ jam detenta erant corpora ab ipsa avelli. Si autem adhuc contendant et dicant de morte animæ hæc esse dicta, quomodo illa aboletur ultima? nam in unoquoque qui baptizatur, plene est abolita. Sed si dicas de corpore, locum habet quod dictum est, nempe quod mors ultima abolcatur. Si quis autem dubitans quærat, cur cum dissereret de resurrectione, in medium non adduxerit corpora quæ resurrexerunt tempore Domini, illud dixerimus, quod hoc non fuisset loqui de resurrectione. Eos enim qui resurrexerunt ostendere rursus mori, non erat demonstrantis quod mors postremo aboleatur. Propterea enim dixit eam aboleri ultimam, ne existimes eam amplius resurgere. Vitio enim sublato, multo magis mors cessabit. Neque enim fuerit consentaneum, ut si fons arescat, qui ex eo manat consistat fluvius, et si evanescat radix, maneat fructus. Quoniam ergo in die novissimo inimici Dei abolentur cum morte et diabolo et dæmonibus, ne tristitia afficiamur, si Dei inimicis res prospere succedant. Inimici enim Domini, simulatque glorificati et in altum elati fuerint, deficientes, tamquam fumus defecerunt. Quando videris aliquem Dei inimicum divitem, stipatum satellitibus, habentem multos assentatores, noli animum abjicere, sed geme, lacrymare, Deum roga, ut eum referat in

ordinem et numerum amicorum : et quo magis rem suam bene gesserit cum sit inimicus, eo magis eum luge. Nam peccatores quidem semper oportet deflere, maxime autem quando abundant divitiis, et sunt eis res secundæ, sicut ægrotantes quando ventri indulgent et inebriantur. Sed sunt quidam, qui his verbis auditis, ita misere afficiuntur, ut propter hæc acerbe ingemiscant et dicant, Dignus sum lacrymis, qui nihil habeo. Recte dixisti, Qui nihil habes ; non quoniam non habes ea quæ ille habuit, sed quoniam rem ducis dignam quæ beata censeatur, ideo dignus es qui millies lugearis. Etenim si quis bona valetudine fruens, beatum judicet ægrotum, etiam in molli cubili jacentem, iste et illo multo miserior et infelicior, quod bonorum suorum nullum habeat sensum. Quod quidem in his quoque videre licet accidere : unde etiam tota nostra vita confunditur et turbatur. Hæc enim verba innumerabiles perdiderunt et diabolo tradiderunt, et iis qui fame tabescunt fecerunt miserabiliores. Nam quod qui plura appetunt, sint etiam mendicis miserabiliores, ut qui majori et acriori laborent animi ægritudine, hinc est perspicuum.

Siccitas Antiochiæ. — Civitatem nostram invasit quondam siccitas, et extrema timebant omnes, Deumque rogabant, ut hunc metum solveret : et tunc licebat videre quod dictum fuit a Moyse, cælum factum æneum (*Deut.* 28. 23), et quotidie exspectari mortem omni morte graviorem. Sed cum postea visum esset benigno et clementi Deo, præter spem omnem, multa atque adeo infinita ex alto cecidit pluvia : et omnes jam festum diem agebant, tamquam qui ex ipsis portis mortis ascendissent. Sed in tantis bonis et communi omnium lætitia quidam ex iis, qui valde opulenti erant, circuibat mœstus et tristis, præ animi ægritudine mortuus, et multis causam rogantibus cur in communi omnium lætitia solus doleret, ne intus quidem continere potuit hanc gravem animi perturbationem, sed a morbi punctus tyrannide, causam in medium protulit : Cum habeam, inquit, innumeras mensuras frumenti, nescio ubi illas deponam. Hunccine, dic quæso, pro his verbis beatum ducemus, pro quibus oportuisset eum obrui lapidibus, qui esset quavis fera crudelior, qui esset communis hostis ? Quid dicis, o homo ? doles quod non perierint omnes ut aurum cogeres ? non audivisti quid dicat Salomon : *Qui frumenti auget pretium, est populo exsecrandus* (*Prov.* 11. 26)? sed circuis communis inimicus bonorum orbis terræ, et hostis liberalitati Domini totius mundi, et mammonæ amicus, vel potius servus ? An non oportebat linguam illam amputari ? non cor exstingui quod hæc verba pepererat ?

8. Vidistin' quomodo aurum non sinat homines esse homines, sed feras et dæmones ? Quid enim hoc divite fuerit miserabilius, qui optat quotidie esse famem, ut ei sit aurum ? Ad contrarium enim ei redit animi perturbatio : neque enim lætatur abundantia possessionis fructuum, sed propter hoc ipsum dolet quod infinita possideat. Atqui eum qui multa possidet, lætari oportet : iste autem propter hoc ipsum animo angitur. Viden' quod, sicut dixi, non tantam ex præsentibus accipiunt voluptatem qui sunt divites, quantam animi sustinent ægritudinem ex iis quæ nondum advenerunt ? Nam qui frumenti mensuras possidebat innumeras, magis dolebat et ingemiscebat, quam qui esuriebat : et qui necessarium quidem habebat alimentum, coronabatur et exsultabat et Deo agebat gratias ; qui autem tam multa possidebat, ægre ferebat, et se periisse existimabat. Non est ergo abundantia quæ efficit voluptatem, sed mens philosophiæ dedita. Nam absque ea etiamsi quispiam omnia acceperit, tamquam omnibus privatus efficietur et lamentabitur. Hic enim, de quo nunc agitur, etiamsi tanto quanto voluisset pretio vendidisset quæ habebat, rursus doluisset quod non pluris vendidisset : et si pluris potuisset, rursus aliam quæsivisset exsuperationem : et si modium uno aureo venumdedisset, hic quoque rursus animi ægritudine fuisset laceratus, quod non tanti fuisset semimodius. Si autem ab initio non tanti fuit pretium, ne mireris. Nam et qui sunt ebrii, non ab initio incenduntur, sed cum multo mero fuerint impleti, tunc graviorem accendunt flammam. Ergo isti quoque quo plura fuerint complexi, eo in majori sunt inopia : et qui plura lucrantur, ii magis egent. Hæc autem a me non solum illi dicta sunt, sed unicuique eorum qui hoc morbo laborant, et annonæ pretium augent, proximoque procurant paupertatem. Benignitatis enim et humanitatis nusquam apud illos est ratio ; sed ubique pecuniæ amor venalium tempore multos exagitat, ac frumentum et vinum ille quidem citius, hic vero vendit tardius ; neuter autem ob curam quam publicæ rei gerat, sed ille quidem ut plura accipiat, hic autem ne pauciora, sic mutato fructu.

Avarorum tenacitas. — Nam quoniam plures legis Dei magnam non habentes rationem, omnia tenent intus inclusa ; aliter eos Deus adducens ad benignitatem et humanitatem, ut vel ex necessitate aliquid boni faciant, majoris damni injicit metum : non sinens in multum tempus durare fructus terræ, ut saltem ex eorum corruptione damnum timentes, ea vel inviti tradant egentibus, quæ domi infossa male servant. Verum post hæc etiam sunt quidam adeo inexplebiles, ut ne hinc quidem castigentur. Multi certe etiam integra dolia exinanierunt, et ne cyathum quidem pauperi dederunt, nec pecuniæ tantillum egentibus, acetum autem ex vino factum totum humi jecerunt, doliaque sua simul cum vino corrupere. Alii autem rursus cum ne offam quidem esurienti impertiissent, integras frumenti capsas in fluvium projecerunt : et quoniam Deum non audierunt jubentem dare egenis, jubente tinea vel inviti quidquid erat intus effuderunt ad exitium et extremum interitum, multum quidem risum, multas autem exsecrationes in suum caput simul cum hoc damno attrahentes. Et quæ hic quidem fiunt sunt ejusmodi : quæ autem illic, quænam explicarit oratio ? Sicut enim isti a tinea exesum et inutile redditum frumentum in fluvios jaciunt : sic eos qui hæc fecerunt, propter hoc ipsum inutiles reddidos, projicit Deus in fluvium ignis. Sicut enim fru-

mentum tinea et vermis, ita istorum animas exedit crudelitas et inhumanitas. Horum autem causa est, quod sint affixi præsentibus, et ad vitam solum præsentem inhient : unde etiam fit ut ingenti pleni sint animi ægritudine. Nam etiamsi quidvis jucundum et suave dixeris, ad omnia delenda sufficit metus mortis : qui autem est hujusmodi, est mortuus adhuc vivens. Et quod infidelibus quidem hæc accidant, non est mirum : quando autem ii, qui tot et tanta perceperunt mysteria et de futuris tam multa sunt philosophati, rebus præsentibus addicti in eis lubenter versentur, quanam fuerint digni venia? Qui fit autem, quod lubenter versentur in præsentibus? Ex eo quod incumbant deliciis, carnem saginent, animam frangant ac molliant, et grave onus reddant, multasque tenebras et crassum velum obtendant. Nam in deliciis quidem id, quod est melius, redigitur in servitutem ; quod est autem pejus, dominatum obtinet : et illud quidem undique excæcatur, mancumque ac mutilum trahitur; hoc autem in omnes partes agit et circumagit, cum deberet esse in loco et ordine eorum quæ aguntur. Est enim magnum animæ vinculum cum corpore, idque providit et procuravit Opifex, ne tamquam alienum id odisse aliqui persuaderent.

9. Nam Deus quidem jussit diligere inimicos : diabolus autem tantum potuit, ut persuaserit aliquibus etiam suum corpus odisse. Nam quando dicit id esse diaboli, nihil aliud quam hoc probat : quod est extremi delirii. Si enim est diaboli, quis est hujusmodi consensus et concordia, ut id reddat omni ex parte aptum ad operationes animæ, quæ tenetur studio philosophiæ? At si est, inquit, aptum, quomodo illam excæcat? Non est corpus quod excæcat animam, absit, sed deliciæ. Delicias autem undenam appetimus? Non utique ex eo, quod corpus habeamus, sed ex prava liberi arbitrii electione. Corpus enim eget alimento, non deliciis; corpus opus habet ut alatur, non ut infringatur et diffluat. Neque enim animæ tantum, sed etiam ipsi corpori quod alitur, hostes sunt deliciæ. Nam pro robusto fit imbecillius, pro firmo mollius, pro salubri valetudinarium, pro levi gravius, pro denso rarius, et turpe pro formoso, et pro bene olente pejus olens ac fœtidum, et pro mundo immundum, et dolore agitatum pro remisso, inutile pro utili, vetus pro novo, putridum pro forti, tardumque et hebes pro celeri, et claudum pro recto et integro. Atqui si esset diaboli, non oporteret ipsum ab eo lædi, a vitio inquam. Sed neque corpus, neque cibi sunt diaboli, sed solæ deliciæ. Nam per eas sceleratus ille dæmon mala efficit innumerabilia : sic populum integrum pessum dedit. *Impingnatus est* enim, inquit, *et dilatatus, et recalcitravit dilectus* (*Deut.* 32. 15). Porro hinc quoque Sodomis fuit illorum fulminum initium. Quod quidem significans Ezechiel dicebat : *Sed hæc iniquitas Sodomorum : in superbia, et in abundantia panis, et in rebus secundis se explebant deliciis* (*Ezech.* 16. 48).

Quanta mala ex gula oriantur.—Propterea Paulus quoque dicebat : *Quæ autem in deliciis degit, vivens est mortua* (1. *Tim.* 5. 6). Quare? Quoniam circumfert corpus tamquam sepulcrum, colligatum malis innumerabilibus. Si autem corpus ita perit, quomodo afficietur anima, quanto tumultu, quantis fluctibus, quanta tempestate erit referta? Propterea quidem certe ad omnia sit inutilis, et nec dicere, nec audire, neque consultare neque aliquid agere eorum quæ decet facile poterit : sed sicut gubernator, si tempestas vicerit artem, cum ipsa nave et vectoribus submergitur : ita etiam anima cum corpore demergitur in gravem abyssum insensibilitatis. Nam sicut quamdam molam Deus nobis ventrem indidit, data congruenti et moderata facultate, et certa constituta mensura, quam ipsum oportet quotidie molere. Si quis ergo plura injiciat, ea non confecta universo exitium afferunt. Hinc morbi et imbecillitates et deformitates : non enim solum morbidam, sed et turpem faciunt deliciæ eam quæ pulchra erat. Quando enim injucunda assidue eructat, et putridum vinum spirat, et plus quam par sit rubescit, et eum qui mulieri convenit ornatum corrumpit, omnemque perdit decorem et honestatem; et flaccida quidem fit caro, sanguinea autem et intensa supercilia, et major quam par sit crassitudo, et supervacanea carnis excrescentia : cogita quanta hinc sit insuavitas et molestia. Audivi quoque medicos dicentes, multis impedimento fuisse delicias ne proceriore essent statura. Nam cum intersecetur spiritus multitudine eorum quæ dejiciuntur, et occupetur in iis conficiendis, quod oportebat ad augmentum procedere, id in supervacaneorum insumitur confectione. Quid dixeris de pedum doloribus, de rheumate quod oberrat in omnes partes, quid de aliis morbis qui hinc oriuntur, et aliis abominandis? Nihil est enim æque injucundum et insuave ut mulier, quæ multa comedit. Propterea in pauperculis videris majorem formæ pulchritudinem, dum consumuntur excrementa, et non adhærent neque frustra adjiciuntur ipsis instar luti supervacanei. Nam quotidiana exercitatio, labores, afflictiones, mensa moderata et tenuis vitæ ratio, multam eis præbent bonam habitudinem, et hinc quoque magnam pulchritudinem. Si autem obtendas deliciarum voluptatem, eam invenies solum usque ad gulam : nam simul atque linguam præteriit, avolat, multas immittens molestias. Ne mihi enim solum accumbentes videas eos qui vivunt in deliciis, sed quando videris eos surrexisse, tunc sequere, et videbis magis esse ferarum et brutorum corpora, quam hominum. Videbis enim capite gravatos, pandiculantes, colligatos, lecto opus habentes, strangulis et multa quiete, et tamquam in multis undis fluctibusque jactatos et perturbatos, et iis qui servent opus habentes, cupientesque in illo esse statu, in quo erant priusquam disrumperentur. Tamquam enim gravidæ mulieres, ita gravati ventres circumferunt, et vix ingrediuntur, vix aspiciunt, vix loquuntur, et vix omnia. Quod si contigerit eos parum dormire, absurda rursus vident somnia, et referta visis innumerabilibus. Quid rursus dixeris de alia illorum insania,

de re, inquam, venerea? Nam ea quoque ex hoc fonte manat: et sicut equi in feminas furore perciti, ita ebrietatis œstro stimulati, omnes insiliunt, stolidius et furiosius quam illi exsultantes, et multa alia indecore facientes, quæ nefas quidem est dicere. Neque enim sciunt ea, quæ patiuntur, neque quæ agunt. Sed non est ejusmodi is qui non dat operam deliciis; sed sedet in portu, aliorum videns naufragia, et pura perpetuaque fruitur voluptate, eam quæ libero homini convenit vitam agens. Hæc ergo scientes, fugiamus mala convivia deliciarum et mensam tenuem tenuem: ut et anima et corpore bene affecti, omnem operemur virtutem, et bona futura assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XL.

Cap. 15. v. 29. *Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? quid et baptizantur pro illis?*

1. *Marcionistarum ritus.* — Aliud rursum caput aggreditur, aliquando quidem ex iis quæ Deus facit, aliquando autem ex iis quæ ipsi agunt, probans ea quæ dicuntur. Est autem hoc ad defensionem non parvum argumentum, quando eos qui contradicunt, adducit testes eorum quæ dicuntur, per ea quæ faciunt. Quid est ergo quod dicit? an vultis primum dicam, quomodo hanc dictionem adulterant qui morbo laborant Marcionis? Atque scio quidem fore ut risum multum moveam; verum etiam propterea maxime dicam, ut illorum morbum magis fugiatis. Nam postquam catechumenus quispiam apud eos excesserit, sub lecto mortui absconso aliquo vivente, accedunt ad mortuum et alloquuntur rogantque velitne accipere baptismum: deinde illo nihil respondente, qui est absconsus inferne, pro illo dicit se velle baptizari; et sic eum baptizant pro eo qui excessit, perinde ac si in scena luderent: tantum valuit diabolus in ignavorum animis. Deinde cum accusantur, adducunt hoc verbum, dicentes apostolum dixisse, *Qui baptizantur pro mortuis.* Vidistin' magnam irrisionem? convenitne adversus ea disceptare? Ego quidem non arbitror: nisi disserere oporteat cum furentibus pro iis quæ loquuntur delirantes. Ut nemo autem capiatur ex simplicioribus, necesse est ut hanc quoque disceptationem adversus eos instituamus. Nam si hoc diceret Paulus, cur minatus est Deus ei qui non baptizatur? non potest enim fieri ut quispiam deinceps non baptizetur, hoc excogitato. Alioqui vero non est culpa ejus qui excessit, sed ejus qui vivit. Quibusnam autem dixit, *Nisi comederitis carnem meam, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* 6. 54)? vivisne an mortuis, dic quæso? et rursus, *Nisi quis regeneratus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest videre regnum Dei* (*Id.* 3. 5)? Si enim hoc permittitur, nec opus est voluntate et instituto ejus qui accipit, nec assensu ejus qui est in vita; quid vetat quominus et ethnici et Judæi sic fiant fideles, aliis post illorum decessum pro illis hæc facientibus? Sed ne aranearum telas amplius conscindentes, inaniter laboremus, age hujus dictionis vim explicemus. Quid ergo dicit Paulus? Vobis primum, qui mysteriis estis initiati, volo in memoriam revocare eam dictionem, quam in illa vespera jubent vos dicere qui mysterio initiant, et tunc quid dicat Paulus explicabo: sic enim hoc quoque vobis erit dilucidius. Nam post alia omnia hoc addimus, quod nunc dicit Paulus. Et volo quidem aperte hoc dicere: non audeo autem propter eos qui non sunt initiati: ii enim expositionem nobis faciunt difficiliorem, ut qui nos cogant vel non aperte dicere, aut eis arcana enuntiare. Sed tamen dicam, quoad ejus a me fieri poterit, tecte et adumbrate. Nam post mysticorum illorum et terribilium verborum enuntiationem, et horrendas regulas dogmatum, quæ e cælo sunt demissa, hoc quoque in fine addimus, quando sumus baptizandi, jubentes dicere, Credo in resurrectionem mortuorum: et in hac fide baptizamur. Postquam enim hoc confessi sumus cum aliis, tunc demittimur in fontem sacrorum illorum fluentorum. Hoc ergo in memoriam revocans dicebat Paulus, *Si non est resurrectio, cur baptizaris pro mortuis?* id est, pro corporibus. Propter hoc enim baptizaris, mortui corporis credens resurrectionem, nempe quod non maneat mortuum. Et tu quidem per verba dicis mortuorum resurrectionem: sacerdos autem tamquam in quadam imagine, quæ credidisti et per verba es confessus, etiam per res ipsas ostendit. Quando absque signo credis, tunc tibi etiam præbet signum: quando quæ tua sunt feceris, tunc Deus quoque te reddit certiorem. Quomodo? Per aquam. Baptizari enim et demergi, deinde sursum remeare et emergere, est symbolum seu signum descensus ad inferos et inde ascensus. Quamobrem Paulus quoque baptismum sepulcrum vocat, dicens: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem* (*Rom.* 6. 4). Ex eo autem rem futuram quoque facit credibilem, corporum, inquam, resurrectionem. Est enim longe majus peccata delere, quam corpus suscitare. Et hoc enuntians Christus dicebat: *Quid enim est facilius dicere, Remittuntur tibi peccata, an dicere, Tolle grabbatum tuum et ambula* (*Matth.* 9. 5. 6)? Illud quidem, inquit, est difficilius: quoniam autem id minus creditis, ut quod non sit evidens, et quod est facilius pro difficili habetis, nempe potestatis meæ ostensionem; ne hoc quidem indicium recusabo vobis exhibere. *Tunc dicit paralytico, Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.*

2. Et quomodo est, inquies, difficile, cum hoc possint facere et reges et principes? adulteros enim et homicidas illi dimittunt. Ludis, o homo, hæc dicens: nam solus quidem Deus potest peccata remittere·

principes autem et reges, etiamsi dimittant et absolvant adulteros et homicidas, a præsenti quidem liberant supplicio, eorum autem peccatum non emundant et expiant; et si dimissos quidem provexerint ad magistratus, et vel ipsa induerint purpura, et imposuerint eis diadema; reges quidem sic fecerunt, a peccatis autem non liberarunt : solus enim Deus hoc facit. Quod quidem operatur in lavacro regenerationis : ipsam enim animam tangit gratia, et illinc peccatum evellit radicitus. Propterea ejus quidem, qui est dimissus a rege, sordidam videre licet animam : ejus autem qui est baptizatus, minime, sed ipsum solis radiis puriorem, et qualis fuit generata ab initio; imo vero illa quoque longe meliorem : fruitur enim Spiritu qui eam omni ex parte inflammat, et auget sanctitatem. Et sicut aurum aut argentum refundens, purum et novum facis denuo : ita etiam Spiritus sanctus in baptismo tamquam in fornace eam refundens, et peccata consumens, efficit ut quovis auro puro purius fulgeat. Itemque corporum resurrectionem hinc quoque rursus tibi facit esse credibilem. Nam quoniam peccatum mortem intulit, exsiccata radice non est amplius dubitandum de fructus interitu. Propterea cum prius dixisses remissionem peccatorum, tunc confiteris etiam mortuorum resurrectionem, hinc ad illud deductus Deinde quoniam non sufficit nomen resurrectionis ad universum ostendendum (multi enim qui resurrexerant rursus excesserunt, ut qui resurrexerunt in Veteri, ut Lazarus, ut qui tempore crucis), jubet dicere, Et in vitam æternam, ne quis amplius suspicetur mortem post resurrectionem. Hæc ergo verba in memoriam revocans Paulus dicit : *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* Nam si non est, inquit, resurrectio, hæc verba plane sunt ludus scenicus. Si non est resurrectio, quomodo eis suademus ut credant quæ non damus? ut si quis jubens edere schedulam quod hoc et illud acceperit, minime dederit quæ in ea scripta sunt; deinde postquam subscripta fuerit schedula, exigat quæ in ea sunt scripta. Quid enim de cætero faciet is qui subscripsit, cum se quidem debitorem constituerit, non acceperit autem ea quæ confessus est se accepisse? Hoc enim hic quoque dicit de iis qui baptizantur : Quid facient, inquies, qui baptizantur, qui subscripserunt quidem resurrectionem mortuorum corporum, non recipiunt autem, sed decipiuntur? quid omnino erat opus hac confessione, si res non sequebatur? 30. *Quid et nos periclitamur omni hora?* 31. *Quotidie morior propter vestram gloriam, quam habeo in Christo Jesu.* Vide rursus undenam dogma aggrediatur probare, a suo suffragio; imo vero non solum suo, sed etiam cæterorum apostolorum. Est autem hoc quoque non parvum, adducere doctores qui de eo valde certam habeant persuasionem, et hoc non solum verbis, sed etiam rebus ostendant. Propterea non dicit absolute, Nos quoque id habemus persuasum; neque enim satis erat hoc solum persuadere; sed etiam per res ipsas exhibet demonstrationem : perinde ac si diceret : Verbis hæc confiteri nihil vobis forte videtur esse mirandum; si autem etiam a rebus ipsis vocem vobis exhibeamus, quid ad hæc poteritis contradicere? Audite ergo quomodo etiam per pericula hæc quotidie confiteamur. Et non dixit, Ego, sed, Nos, assumens omnes simul apostolos, et ea ratione modeste se gerens, ac fide dignam faciens orationem. Quid enim dicere potueritis? quod vos decipiamus hæc prædicantes, et propter inanem gloriam hæc dogmata statuamus? Sed hanc sententiam ferre non sinunt pericula : quis enim sua sponte voluerit frustra et temere adire pericula? Et ideo dicebat, *Quid et nos periclitamur omni hora?* Nam et si quis propter inanem gloriam hoc sua sponte elegerit, semel et iterum hoc faciet, non omni tempore sicut nos : nos enim totam vitam huic rei addicimus. *Quotidie morior per vestram gloriationem, quam habeo in Christo Jesu;* gloriationem hic dicens eorum profectum. Nam quoniam multa ostendit esse pericula; ne videretur tamquam deflens hæc dicere, Non solum, inquit, non doleo, sed etiam glorior quod pro vobis hæc patiar. Duplici autem ratione se dicit gloriari, et quod propter ipsos pericula adeat, et quod ipsos videat incrementum suscipere. Deinde faciens id quod est sibi solitum, quoniam magna est loquutus, utraque Christo tribuit. Quomodo autem moritur quotidie? Animi alacritate, et quod ad hoc sit paratus. Et cur hæc dicit? Rursus per hæc quoque confirmans quod dicitur de resurrectione. Quis enim, inquit, elegerit tam multas subire mortes, si ne sit quidem postea resurrectio neque vita? Nam si qui credunt resurrectioni, vix pro ea pericula adierint nisi sint fortes ac generosi : multo magis is qui non credit, non tam multas et tam graves ac difficiles mortes elegerit. Etenim vide quantum paulatim faciat incrementum. Dixit, *Periclitamur;* addidit, *Omni hora;* deinde, *Quotidie;* postea non solum dicit, Periclitor, sed etiam Morior. Deinde ostendit et quot mortes, sic dicens : 32. *Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest?*

3. Quid est, *Si secundum hominem?* Quod ad homines attinet, pugnavi cum bestiis. Quid enim si me Deus eripuit a periculis? Quare qui pro his maxime debeo esse sollicitus, ego sum, qui tam multa sustineo pericula, et adhuc nullam accepi remunerationem. Nam si non advenit tempus remunerationis, sed intra præsens tempus res nostræ sunt conclusæ, nos majus damnum patimur. Nam vos quidem citra periculum credidistis : nos autem mactamur quotidie. Hæc autem omnia dicebat, non quoniam in patiendo nullam haberet utilitatem, sed propter multorum imbecillitatem, et ut ipsos confirmaret in ratione resurrectionis : non quod ipse curreret propter mercedem; erat enim sufficiens ei remuneratio, id facere quod Deo placeret. Quamobrem etiam quando dicit, *Si in hac vita speramus in Christo tantum, miserabiliores omnibus hominibus sumus.* Etiam illic rursus propter illos, ut metu hujus miseriæ eorum de resurrectione exagitet incredulitatem, et ad eorum imbecillitatem se demittens, sic loquitur : Est enim magna merces, Christo placere in omnibus : etiam

absque remuneratione, magna est merces propter ipsum adire pericula. *Si mortui non resurgunt, manducemus et bibamus : cras enim moriemur.* Hoc jam verbum est irridentis. Quamobrem non hoc ex se adduxit, sed magniloquentissimum prophetam produxit Isaiam, qui de iis, qui omnem sensum doloris exuerunt et sunt deplorati, dicebat hæc verba : *Qui mactant vitulos et sacrificant oves, ut carnes comedant et vinum bibant : qui dicunt, Comedamus et bibamus; cras enim moriemur. Hæc sunt aperta in auribus Domini Sabaoth : et non remittetur vobis hoc peccatum, donec fueritis mortui* (*Isai.* 22. 13. 14). Si autem venia tunc fuerunt privati qui hæc dicebant, multo magis in gratia. Deinde ne asperiorem redderet orationem, non amplius immoratur in adductione ad absurdum; sed orationem rursus convertit ad exhortationem, dicens : 33. *Nolite seduci : corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Hæc autem dicebat, simul quidem eos insectans tamquam insipientes; bonos enim benigna ac miti appellatione hic significavit, qui facile possunt decipi ; simulque, quantum potuit, pro præcedentibus ipsis veniam concedens, et maximam partem criminum ab eis propulsans et in alios transferens, ut hac quoque ratione eos attraheret ad pœnitentiam. Quod etiam in Epistola ad Galatas facit, dicens : *Qui autem vos conturbat, portabit judicium, quisquis ille sit* (*Gal.* 5. 10). 34. *Evigilate juste, et nolite peccare.* Tamquam ebriis dicit et furentibus. Nam omnia simul et repente e manibus ejicere, ebriorum erat et furentium, eo quod non amplius videant quæ viderunt, neque credant iis quæ prius confessi sunt. Quid est autem, *Juste?* Ad id quod conducit et est utile. Est enim injuste evigilare et expergisci, quando quispiam fuerit excitatus ad detrimentum suæ animæ. Recte autem addidit illud, *Nolite peccare*, ostendens quod hinc sint ipsis semina incredulitatis. Hoc quoque alibi tacite significat, quod vita corrupta mala gignat dogmata : ut quando dicit, *Radix omnium malorum est avaritia : quam quidam appetentes aberraverunt a fide* (*1. Tim.* 6. 10). Multi enim male sibi conscii, nec volentes dare pœnas, ab hoc metu læduntur in fide resurrectionis ; sicut ii quidem certe qui multa et præclara recte gesserunt, quotidie cupiunt videre illum diem. *Ignorantiam enim Dei quidam habent; ad pudorem id vobis dico.* Vide quomodo rursus crimina transfert in alios. Non enim dixit, Habetis ignorantiam, sed, *Ignorantiam quidam habent.* Nam non credere resurrectioni, est ejus qui non valde scit inexpugnabilem Dei virtutem et ad omnia sufficientem. Nam si quæ sunt fecit ex iis quæ non erant, multo magis poterit excitare et restituere ea quæ sunt dissoluta. Et quoniam eos vehementer tetigit et summopere eos carpsit, reprehendens eos de ingluvie, de ignorantia et stupore ; mitigans ea quæ dicta sunt, dicit : *Ad pudorem vobis loquor;* hoc est, ut corrigam, ut reducam, ut vos pudore affecti reddamini meliores. Timuit enim ne, si plus quam par esset eos secuisset, resilirent.

4. *Quos Paulus increpare intenderit. Dives ex aliorum jactura dives efficitur.* —Hæc autem existimemus non illis solis, sed nunc quoque dicta esse omnibus, qui eodem morbo laborant, et quorum vita est corrupta. Non enim ii solum qui mala habent dogmata, sed ii etiam qui gravibus tenentur peccatis, sunt ebrii et desipiunt. Quamobrem illis quoque dictum fuerit illud, Evigilate seu expergiscimini ; et maxime iis qui sunt gravati veterno avaritiæ, iis qui improbe rapiunt. Est enim bona rapina, nempe rapina cælorum quæ nihil lædit. Nam in pecuniis quidem nequit fieri ut quispiam evadat dives, nisi alius prius factus sit pauper; in spiritualibus autem non ita est, sed totum contrarium : fieri non potest ut quispiam fiat dives, nisi alterum fecerit opulentum : etenim si nemini profueris, non poteris effici opulentus. Nam in corporalibus quidem erogatio efficit diminutionem; in spiritualibus autem erogatio operatur abundantiam, et non impertiisse, hoc multam conficit paupertatem et infert ultimum supplicium. Hoc autem ostendit is qui infodit talentum. Etenim qui rationem habet sapientiæ, et alii impertiit, auget copias, ut qui multos fecerit sapientes : qui autem domi abscondit, seipsum privavit copiis, ut qui non pararit multorum utilitatem. Rursus qui alia habet dona, si multos curaverit, amplificavit donationem : et nec erogatione fuit ipse exinanitus, et multos implevit spirituali donatione. Et in omnibus spiritualibus firma et stabilis permanet hæc regula. Ita etiam in regno, qui sui regni multos reddit participes, hac rursus ratione eo ipse magis fruetur : qui autem nullum studet habere socium ac participem, ipse quoque excidet a magnis illis bonis. Si enim sapientia sensilis non consumitur innumerabilibus rapientibus, neque artifex multos efficiens artifices perdit artem : multo magis qui regnum rapit, minus illud non efficiet, sed tunc nobis majores erunt divitiæ, quando multos ad id vocaverimus. Rapiamus ergo ea quæ non consumuntur, sed dum rapiuntur magis abundant : rapiamus ea quæ nullum habent calumniatorem, nullum qui invideat. Etenim si auri locus esset perennem habens fontem scaturientem, et eo magis affluere, quo magis exhauriretur, alius autem esset locus habens thesaurum infossum : ex utro velles ditescere? an non ex illo? Est certe perspicuum. Sed ne verbis hoc solum effingamus, quod dictum est cogitate in aere et in sole : ea enim rapiuntur ab omnibus, et omnes implent : sed hæc quidem manent similia, a fruentibus et non fruentibus non diminuta. Quod autem dixi est multo majus. Non enim manet similis spiritualis sapientia, si distribuatur et non distribuatur, sed magis augetur si distribuatur. Si quis autem non ferat ea quæ dicta sunt, sed adhuc rerum ad victum pertinentium affixus sit inopiæ, ea quæ diminuta sunt rapiens; in hoc quoque rursus in memoriam revocet mannæ alimentum, et timeat exemplum supplicii. Quod enim in illo accidebat, hoc etiam videre licet in iis qui nunc superabundant.

Quid autem tunc accidebat? Ex eo quod superabundabat, scatebant vermes.

Deliciarum fructus corruptio est. — Hoc quoque nunc in his experimur. Alimenti enim mensura eadem est omnibus; unum enim ventrem implemus : apud te autem, qui expleris deliciis, est plus stercoris. Et sicut illic in domibus qui plus colligebant, quam erat constitutum, non manna congregabant, sed plures vermes et putredinem : ita etiam in deliciis et in superabundantia non plus alimenti, sed plus corruptionis congregant qui ventri indulgent et inebriantur. Sed tamen qui nunc sunt, tanto sunt illis pejores, quod illi quidem hoc semel passi, castigati sint et sibi temperarint; isti autem quotidie hunc vermem illo multo graviorem, in domos suas introducentes, neque sentiunt neque satiantur. Nam quod hæc illis sint similia, quod ad inanis laboris attinet rationem (supplicio enim hæc sunt multo graviora), hinc considera. In quo enim differt dives a paupere? nonne unum induit corpus, nonne unum alit ventrem? in quo ergo plus abundat? In sollicitudinibus, in consumendo, in eo quod Deo non pareat et obediat, in eo quod carnem corrumpat, in eo quod animæ exitium afferat. Hæc enim sunt ea, in quibus plus habet quam pauper. Nam si multos impleret ventres, haberet fortasse aliquid quod diceret, nempe pluribus esse opus, et sumptus majorem esse necessitatem. At nunc quoque, inquit, habent quod dicant, quod plures impleant ventres, nempe famulorum et ancillarum. Sed non ex necessitate neque propter benignitatem et humanitatem hoc fit, sed solum propter fastum et superbiam : unde nec admitti potest.

5. *Servorum multitudo vituperatur. Contra eos qui cum famulorum agmine incedunt.* — Cur enim multos habet ministros? Sicut enim in vestibus et in mensa solus usus est attendendus, ita etiam in ministris. Quis est ergo usus? Nullus penitus : uno enim famulo unum dominum solum uti oporteret, vel potius duos et tres dominos uno famulo. Si autem hoc est grave, cogita eos qui nullum habent, faciliori autem et expediliori fruuntur ministerio : Deus enim fecit eos qui sufficerent suo, imo vero et proximi ministerio. Si autem non credis, audi Paulum dicentem : *Necessitatibus meis, et iis qui mecum sunt, ministrarunt hæ manus* (*Act.* 20. 34). Siccine totius quidem orbis doctor et dignus cælis non erubescebat ministrare innumerabilibus; tu autem turpe esse ducis, si non circumferas multos greges mancipiorum, nesciens quidem hoc esse quod te maximo afficit dedecore? Propterea enim dedit nobis Deus et manus et pedes, ne opus haberemus famulis. Neque enim eo, quod esset opus, introductum fuit genus famulorum; nam alioqui cum Adamo creatus fuisset famulus; sed est pœna peccati et mulcta inobedientiæ. Christus autem cum advenisset, hoc quoque solvit : *Nam in Christo Jesu non est servus neque liber* (*Galat.* 3. 28). Quamobrem non est necesse habere servum : si autem necesse est, unum, aut plurimum duos. Quid sibi volunt examina ministrorum? Nam sicut qui vendunt oves et qui corpora cauponantur; ita in balneo, ita in foro procedunt et obeunt divites. Sed summo jure non ago : sit tibi etiam secundus minister : si autem multos congregas, non hoc facis benignitatis et humanitatis causa, sed tuis serviens deliciis. Nam si hoc facis eorum curam gerens, in tuo ministerio neminem occupes, sed cum emeris et artes docueris ut sibi sufficiant ad victum parandum, eos manumitte. Cum autem flagris cædas, cum in vincula conjicias, non est utique opus hoc humanitatis. Et scio quidem me esse molestum auditoribus : sed quid agam? In hoc positus sum, neque cessabo hæc dicere, sive quid profecero sive non. Quid enim sibi vult in foro superbe incedere? num inter feras ambulas, quod obvios expellas? Ne timeas; nullus te mordet eorum qui accedunt, et prope te gradiuntur. At injuriam existimas simul incedere cum omnibus? Et quam est hoc insanum, quam prodigiosum, equum quidem prope sequentem non existimare afferre injuriam; hominem autem, nisi multis abigatur stadiis, putare dedecore afficere? Quid vero famulos habes lictores, liberis utens tamquam servis; imo vero ipse quovis servo vivens ignominiosius? est enim quovis servo vilior et ignominiosior qui tantum circumfert fastum. Propterea nec veram videbunt libertatem, qui se huic gravi animi vitio manciparunt. Si enim vis expellere, superbeque et magnifice incedere, non accedentes, sed fastum expelle; non per famulum, sed per teipsum; non hoc flagello, sed spirituali. Nam nunc quidem famulus tuus expellit eos qui tecum incedunt; te autem ab alto arrogantia pellit turpius, quam famulus proximum. Si autem ab equo descendens eam abegeris per humilitatem, altius sedebis et in majori honore teipsum constitues, ad hoc non opus habens famulo. Quando enim modestus humi incedes, sedebis in curru humilitatis, qui te in cælum tollit, qui equos habet alatos : sin autem ab illo ceciderís, et in arrogantiæ currum transieris, nihilo melius afficieris quam serpentes humi repentes, imo vero multo vilius et miserabilius. Nam illos quidem sic reptare cogit mutilatio corporis, te autem morbus arrogantiæ. *Omnis* enim *qui se extollit*, inquit, *humiliabitur* (*Matth.* 23. 12) : Ne ergo humiliemur, sed extollamur, veniamus ad illam altitudinem. Sic enim inveniemus nostris animis quietem, convenienter divino oraculo, verumque et altissimum honorem consequemur : quem detur nobis omnibus assequi, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XLI.

CAP. 15. v. 35. *Sed dicet aliquis : Quomodo resurgunt mortui? quali autem corpore veniunt?* 36. *Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur.*

1. Cum ubique mitis et humilis sit apostolus, hic acriori utitur oratione, propter absurditatem eorum qui contradicebant. Neque tamen est hoc contentus, sed et rationes adducit et exempla, ea ratione etiam quemque valde contentiosum reprimens. Et superius quidem dicit : *Quoniam per hominem mors, et per hominem resurrectio :* hic vero solvit objectionem quæ fiebat a gentibus. Vide autem rursus quomodo diminuat vehementiam reprehensionis. Non dixit enim, Sed fortasse dicetis; sed eum qui contradicit posuit indefinite, ne libere et acriore utens oratione, auditores valde percelleret. Ponit autem duas dubitationes, modi resurrectionis et qualitatis corporum. De utrisque enim dubitabant dicentes : Quomodo suscitatur id quod est dissolutum? et, *Quo corpore veniunt?* Quid est autem, *Quo corpore?* Nempe hoc quod interiit, quod periit, an aliquo alio? Deinde ostendens quod non quærant ea, de quibus dubitatur, sed ea quæ in confesso sunt, acrius occurrit dicens : *Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi mortuum fuerit.* Quod nos quoque solemus facere erga eos qui contradicunt iis de quibus constat. Et cur non statim confugit ad Dei potestatem? Quoniam disserit cum infidelibus : nam quando verba facit apud fideles, non admodum opus habet ratiociniis. Quamobrem cum alibi dixisset, *Transfigurabit corpus humilitatis vestræ, ut sit configurata corpori claritatis suæ* (*Philipp.* 3. 21), et ostendisset aliquid amplius quam sit resurrectio; non posuit exempla, sed pro omni demonstratione Dei potestatem adduxit in medium, addens et dicens : *Secundum operationem ejus qui possit subjicere sibi omnia.* Hic autem ratiocinia ponit. Nam quoniam hoc confirmavit ex Scripturis, hæc quoque addit ex abundantia erga eos qui non parent Scripturis, et dicit : *Insipiens, tu quod seminas.* Hoc est, Apud teipsum horum habes probationem, per ea quæ facis quotidie, et adhuc ambigis? Propterea te voco insipientem, quod ignores ea quæ a te fiunt quotidie; et cum ipse sis opifex resurrectionis, de Deo dubitas. Propterea cum magna dixit emphasi, *Tu quod seminas :* tu qui es mortalis et peris. Et vide quomodo utatur dictionibus subjecto argumento congruentibus. *Non vivificatur* enim, inquit, *nisi mortuum fuerit.* Propriis enim seminum relictis dictionibus, nempe germinat, pullulat, putrescit et dissolvitur; adaptavit eas quæ carni nostræ conveniunt, nempe *Vivificatur* et *Mortuum fuerit*, quod quidem non est proprium seminum, sed corporum. Et non dixit : Postquam mortuum fuerit, vivit; sed, quod est majus, propterea vivit, quoniam moritur. Vides quod, sicut frequenter dico, orationem semper vertat in contrarium. Quod enim illi non resurgendi statuebant esse indicium, hoc facit esse certam resurgendi demonstrationem : dicebant enim non resurgere, quoniam est mortuum. Quid autem opponit ille? Atqui si non esset mortuum, non resurrexisset : et propterea resurgit, quoniam est mortuum. Sicut enim Christus apertius id ipsum ostendit, dicens, *Granum frumenti, si cadens in terram non mortuum fuerit, ipsum solum manet : sin autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Joan.* 12. 24) : illinc etiam Paulus trahens exemplum, non dixit : Non vivit, sed, *Non vivificatur;* rursus Dei assumens potestatem, et ostendens quod non natura terræ, sed ipse universum operatur. Et cur non adduxit in medium id quod erat convenientius et magis proprium, semen, inquam, humanum? nam ortus quoque noster incipit a corruptione sicut et frumenti. Quoniam non sunt hæc paria, sed hoc est majus. Quærit enim aliquid integrum, quod corrumpatur; illud autem pars erat : quamobrem hoc affert in medium. Alioquin autem illud quidem procedit a vivente, et in ventrem incidit viventem : hic autem non in carnem, sed in terram sementis dejicitur, et in eam dissolvitur, sicut corpus mortuum. Quamobrem hac quoque ratione erat exemplum convenientius. 37. *Et qui seminat, non corpus quod futurum est seminat.* Nam quæ prius quidem dicta sunt, spectant ad dicendum quomodo resurgant; hoc autem ad dubitandum cum quali corpore veniant. Quid est autem, *Non corpus quod futurum est seminas?* Non spicam integram, non frumentum recens. Hic enim non amplius ad resurrectionem spectat oratio, sed ad modum resurrectionis, cujusmodi est corpus quod est resurrecturum : nempe an tale, an melius et clarius; et ab eodem exemplo sumit utrumque, ostendens quod id sit resurrecturum multo melius.

2. *Contra hæreticos qui dicebant aliud corpus resurgere.* — Sed hæretici nihil horum intelligentes insultant, et dicunt : Alterum corpus cadit, et alterum resurgit. Quomodo ergo resurrectio? ejus enim quod cecidit, est resurrectio. Ubi est autem admirabilis illa et quæ opinionem superat adversus mortem victoria, si aliud cadit et aliud resurgit? neque enim illa utique cernetur reddidisse captivum quod accepit. Quomodo autem iis quæ dicta sunt convenerit exemplum? non enim alia quidem seminatur essentia, alia autem resurgit, sed eadem melior. Sed neque Christus idem corpus susceperit, qui fuit primitiæ resurgentium; sed, secundum vos, illud quidem abjecit, etiamsi nihil peccasset, accepit autem aliud. Unde ergo aliud? nam hoc quidem ex virgine, illud autem unde? Viden' ad quantam absurditatem devoluta est oratio? Cur enim ostendit figuras et vestigia clavorum? annon hoc volens ostendere, illud ipsum esse quod cruci fuit affixum, et ipsum resurrexisse? Quid sibi vult quoque figura Jonæ? non enim alius quidem fuit absorptus, alius autem in terram ejectus Jonas. Quid etiam dicebat, *Solvite templum hoc, et in tribus*

diebus excitabo ipsum (*Joan.* 2. 19. 21)? nam quod dissolvebatur, id scilicet excitavit. Quamobrem addidit evangelista, *Ille autem dicebat de templo sui corporis.* Quid ergo dicit, *Non corpus quod futurum est seminas?* Hoc est, non spicam : est enim eadem et non eadem : eadem quidem, quoniam eadem est essentia; non eadem, quoniam hæc est melior, eadem quidem manente essentia, majori autem facta specie ac decore, cum nova sit : quoniam nisi hoc esset, ne esset quidem resurrectio, nisi esset melius resurrectura. Cur enim domum esset diruturus, nisi splendidiorem esset ædificaturus? Hoc igitur dixit illis, qui existimabant eumdem esse interitum ac corruptionem. Deinde ne quispiam rursus existimaret hinc dictum esse aliud corpus, datum ænigma lenit, et interpretatur quod dictum est, non concedens auditori ut mentem alio transferat. Quid ergo nostris opus est verbis? Audi ipsum, qui dicit, quid sit interpretantem : *Non corpus quod futurum est seminas.* Statim enim subjunxit : *Sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus hujusmodi seminum.* Hoc est, non corpus quod est futurum, nempe non sic vestitum, neque culmum habens et aristas : *Sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus ex iis quæ sunt hujusmodi.* 38. *Deus autem dat illi corpus sicut voluit.* Certe, inquit; sed illic est opus naturæ. Cujus, dic quæso, naturæ? nam illic quoque Deus fabricatur universum, non natura neque terra neque pluvia. Quamobrem ipse hæc significans, dimissa terra et aere et pluvia et agricolarum manibus, subjunxit : *Deus dat illi corpus sicut voluit.* Noli ergo inquirere et indagare quomodo et quanam ratione, cum audieris Dei potentiam et voluntatem. *Et unicuique seminum proprium corpus.* Ubi ergo alienum? dat enim proprium. Quamobrem quando dicit, *Non quod futurum est seminas*, non hoc dicit, quod alia pro alia resurgat essentia, sed quod melior, quod splendidior. *Unicuique enim seminum proprium corpus.* Hinc jam introducit etiam differentiam resurrectionis tunc futuræ. Ne enim, quoniam seminatur semen et omnes ascendunt spicæ, propterea existimes parem etiam honorem esse in resurrectione. Etenim ne in seminibus quidem unus est ordo : Nam alia quidem sunt præstantiora et honestiora, alia vero deteriora : quare etiam subjunxit : *Et unicuique proprium corpus.* Cæterum non est hoc contentus, sed aliam quærit differentiam, majorem et manifestiorem. Nam ne cum audivisses, sicut dixi, quod omnes resurgant, existimares omnes eadem consequi et iisdem frui, prius quidem jecit in præcedentibus semina hujus sententiæ, dicens : *Unusquisque autem in proprio ordine.* Facit autem hoc apertius hic quoque rursus, dicens : 39. *Non omnis caro eadem caro.* Quid enim, inquit, dico in seminibus? hoc ipsum agitemus etiam in corporibus, de quibus a nobis nunc agitur. Quamobrem subjungit, dicens : *Sed alia quidem caro est hominum, alia autem pecorum, alia volucrum, alia autem piscium.* 40. *Et corpora cælestia, et corpora terrestria : sed alia quidem cælestium gloria, alia autem terrestrium :* 41. *alia est gloria solis, et alia est gloria lunæ, et alia gloria stellarum : stella enim a stella differt in gloria.*

3. Et quid sibi volunt hæc verba? quanam de causa a resurrectione corporum excidit in orationem de stellis et sole? Non excidit, neque abductus fuit ab argumento, absit, sed in eo adhuc hæret. Nam quoniam probavit quod dictum est de resurrectione, ostendit jam, quod tunc futuræ gloriæ magna sit differentia, etsi una est resurrectio : et in duo interim dividit universum, nempe in cælestia et terrestria. Nam quod corpora quidem resurgant, ostendit per frumentum : quod autem non omnia in eadem gloria, hinc ostendit. Sicut enim non credere resurrectioni, supinos facit : ita etiam negligentes reddit et socordes, existimare omnes eadem consequi et iisdem frui. Quamobrem utrumque corrigit : et alia quidem absolvit in præcedentibus, ab hoc autem nunc incipit : et cum duos fecisset ordines justorum et peccatorum, hos ipsos rursus secat in plures partes : ostendens quod neque justi, neque peccatores eadem assequentur; neque justi omnes eadem quæ justi alii, neque peccatores eadem quæ peccatores. Facit ergo primum unam sectionem justorum et peccatorum, dicens: *Corpora cælestia et corpora terrestria;* per terrestria quidem hos subindicans, per cælestia autem illos. Deinde de cætero introducit differentiam peccatorum a peccatoribus, dicens : *Non omnis caro eadem caro, sed alia quidem piscium, alia autem volucrum et pecorum.* Atqui sunt omnia corpora, sed alia quidem viliora et abjectiora, alia vero minus. In vita quoque similiter et in eadem constitutione. Et cum hoc dixisset, ascendit rursus in cælum, dicens : *Alia gloria solis, et alia gloria lunæ.* Sicut enim in terrestribus corporibus est differentia, ita etiam in cælestibus est differentia, eaque non vulgaris, sed etiam usque ad extrema. Non solum enim est differentia solis a luna, neque lunæ a stellis, sed etiam stellarum a stellis. Nam etiamsi omnia sint in cælo, alia tamen majorem, alia vero minorem habent gloriam. Quid ergo hinc discimus? Quod etiamsi omnes sint in regno, non omnes tamen eadem consequentur et iisdem fruentur : etiamsi omnes peccatores in gehenna, non omnes eadem sustinebunt. Et ideo subjunxit : 42. *Sic et resurrectio mortuorum.* Sic sunt quodammodo in multa differentia. Deinde hac tamquam probata dimissa oratione, rursus venit ad demonstrationem et modum ipsius resurrectionis, dicens : *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Vide autem prudentiam : in seminibus quidem usus est nomine corporum, dicens : *Non vivificatur, nisi fuerit mortuum;* in corporibus autem appellatione seminum, dicens : *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione.* Non dicit, Nascitur, ne existimes esse opus terræ, sed, *Surgit.* Seminationem autem hic dicit, non nostram in matrice generationem, sed defunctorum in terra sepulturam, dissolutionem, cinerem. Quamobrem cum dixisset, *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione,* subjunxit : 43. *Seminatur in ignobilitate.* Quid enim est visu turpius quam corpus quod dissolutum est? *Surgit in gloria : seminatur in infirmitate.*

Nondum enim sunt triginta dies, et periit universum : nec potest caro se continere, neque unum diem durare. *Surgit in virtute.* Tunc enim ejus nihil supererit reliquum. Propterea et illis opus habuit exemplis, ne multi hæc audientes, nempe quod surgunt in incorruptione et gloria et virtute, putarent resurgentium nullam esse differentiam. Nam omnes quidem resurgunt, et in virtute et in incorruptione et in gloria hac incorruptionis, non tamen omnes ejusdem honoris et securitatis. *44. Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale. Est corpus animale, et est corpus spirituale.* Quid dicis? hoc autem nonne est spirituale? Spirituale quidem, sed illud multo magis. Nam nunc quidem sæpe avolat Spiritus sancti multa gratia aliquibus magna peccantibus, et præsente quoque spiritu animæ, avolat vita carnis; et quod est hujusmodi, absque hoc est inane : tunc autem non sic, sed perpetuo permanet in carne justorum, et ejus erit potestas et imperium præsente quoque anima. Aut enim tale quid subindicavit, dicens *Spirituale;* aut quod futurum sit levius et subtilius, et quod possit etiam vehi in aere; vel potius utrumque. Si autem non credis ei quod dicitur, vide corpora cælestia quæ sunt tam splendida et durabilia, et permanent in conditione non senescendi; et hinc crede, quod Deus potest facere hæc quoque corruptibilia incorruptibilia fieri, et multo meliora iis quæ cernuntur. 45. *Sicut scriptum est : Factus est primus homo in animam viventem ; novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Atqui illud quidem scriptum est (*Gen.* 2. 7), hoc autem non est scriptum : quomodo ergo dixit, *Scriptum est?* A rerum eventu hoc interpretatus : quod solet assidue facere. Est enim hic mos prophetæ : etenim Jerusalem civitatem justitiæ vocandam fore dixit propheta (*Zach.* 8. 3), et non est vocata. Quid ergo? falsumne dixit propheta? Nequaquam : nam illam quidem sic vocandam dixit per rerum eventum. Christum quoque dixit vocandum Emmanuelem (*Isai.* 7. 14); et nec ipse quoque sic est vocatus, sed res ipsæ hanc vocem emittunt. Ita hic quoque *Novissimus Adam in spiritum vivificantem.*

4. Hæc autem dixit, ut discas, quod et vitæ præsentis et futuræ jam venerunt signa et pignora: præsentis quidem Adam, futuræ autem Christus. Nam quoniam quæ sunt meliora ponit in spe, ostendit principium jam evenisse, et radicem et fontem apparuisse. Si autem radix et fons est omnibus manifestus, nihil est dubitandum de fructibus. Et ideo dicit, *Novissimus Adam in spiritum vivificantem :* et alibi quoque dicit, *Vivificabit mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum in vobis* (*Rom.* 8. 11). Est ergo Spiritus vivificare. Deinde ne quispiam diceret, Cur sunt antiquiora ea quæ sunt pejora; et quæ sunt quidem animalia, tota evenerunt, nec tantum usque ad primitias, quæ autem spiritualia, non nisi usque ad primitias? Ostendit utriusque principia ita fuisse constituta. 46. *Sed non prius*, inquit, *quod spirituale est, sed quod animale : deinde quod spirituale.* Non dicit autem, quare, sed est contentus Dei ordinatione, habens sententiam quæ procedit a rebus, testimonium ferentem optimæ Dei administrationi, et ostendens quod res nostræ semper procedunt ad id quod est melius ac præstantius : simul etiam hinc quoque ei quod dicit fidem faciens. Nam si quæ sunt minora evenerunt, multo magis quæ sunt meliora sunt exspectanda.

Mortui non nimis lugendi, sed precibus et bonis operibus juvandi. — Cum ergo futurum sit ut talibus fruamur bonis, nos in hoc ordine collocemus, et ne defleamus eos qui excedunt, sed eos qui vitam male finiunt. Nam et agricola cum viderit dissolvi frumentum, non lamentatur, sed quamdiu quidem videt solidum manere in terra, veretur et contremiscit; postquam autem fuerit dissolutum, lætatur. Initium enim futuræ sementis est dissolutio. Sic nos quoque tunc lætemur, cum ceciderit domus in quam cadit interitus, quando homo fuerit seminatus. Nec mireris, si sepulturam vocarit sementem; ea enim est melior sementis. Nam illi quidem succedit mors et labores, pericula et curæ : huic autem, si recte vivamus, coronæ et præmia : et illi quidem corruptio ac interitus et mors; huic autem interitu carere, incorruptio et immortalitas, et bona innumerabilia : in illa seminatione sunt complexus et voluptates et somnus; in hac autem vox solum e cælis descendens, et omnia simul repente perficiuntur. Et qui resurgit, non amplius deinceps adducitur ad vitam laboriosam, sed ad eam unde effugit dolor, luctus et gemitus. Si autem defensionem requiris et patrocinium, et propterea virum defles, confuge ad omnium communem patronum, defensorem, servatorem et benefactorem Deum, ad inexpugnabile auxilium, ad facile et promptum adjumentum, ad perpetuam quæ semper et ubique adest protectionem, nos undique munientem. At consuetudo res est desiderabilis et amabilis. Ego quoque id scio; sed si rationi motum animi commiseris, et apud te reputaveris quis sit qui accepit, et quod si forti animo tuleris, Deo mentem totam offers sacrificium; hunc quoque fluctum poteris vitare, et quod tempus efficit, hoc faciet philosophia. Sin autem mollis fueris et enervatus, tempore quidem desinet animi perturbatio, tibi autem nullam afferet mercedem. Cum his rationibus collige etiam exempla quæ sunt in præsenti vita, quæ sunt in divinis Scripturis : cogita quod Abraham suum jugulavit filium, et neque flevit neque verbum emisit acerbum (*Gen.* 22). At ille, inquies, erat Abraham. Atqui tu vocatus es ut majora septa transcendas. Job autem tantum quidem doluit, quantum est consentaneum patrem liberos amantem, et magnam curam gerentem eorum qui excesserant. Nam quæ nos quidem nunc facimus, sunt inimicorum et hostium. Neque enim, si aliquo in regiam abducto et coronato plangeres et lamentareris, te dixerim esse coronati amicum, sed valde inimicum et hostem. At non illum, inquies, lugeo, sed me ipsum. Sed neque hoc est amantis, velle illum propter te angi et vexari et incerto futuro subjici, cum adsit coronari et ad portum tendere; aut in mari jactari, cum liceat esse in portu. At nescio, in-

quies, quo ivit. Cur nescis, dic mihi? nam sive recte vixit, sive secus, est manifestum quo sit abiturus. Propter hoc ipsum, inquies, plango, quod peccator excessit. Hæc sunt prætextus et effugia. Nam si propterea cum excesserit lugeas, viventem eum transformare et concinnare et componere oportebat. Sed tu quæ tua sunt ubique consideras et tibi proponis, non quæ illius. Si autem etiam peccator excessit, propterea etiam lætari oportet, quod interscissa sunt peccata et vitio nihil adjecit; et, quoad ejus fieri potest, ei succurrere, non lacrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis et oblationibus. Non sunt enim hæc temere excogitata, neque frustra eorum qui excesserunt in divinis mysteriis meminimus, et pro ipsis accedimus, rogantes agnum propositum, qui mundi peccatum tulit; sed ut inde eis aliqua sit consolatio: neque abs re is qui adstat altari, dum veneranda peraguntur mysteria, clamat: Pro omnibus qui in Christo dormierunt, et iis qui pro ipsis celebrant memorias. Nam si pro ipsis non fierent commemorationes, ne hæc quidem dicta essent. Non sunt enim res nostræ ludi scenici, absit: hæc enim fiunt ordinatione Spiritus.

5. Eis ergo opem feramus, et commemorationem eorum peragamus. Si enim Jobi filios expiabat patris sacrificium: quid dubitas, an nobis pro eis qui excesserunt offerentibus, ipsis detur aliqua consolatio? Solet enim Deus etiam aliis pro aliis gratificari. Et hoc ostendebat Paulus dicens: *Ut in multis personis, ejus quæ in nobis est donationis per multos gratiæ agantur pro vobis* (2. *Cor.* 2. 11). Ne nos pigeat opem ferre iis qui excesserunt, et pro eis offerre preces: est enim propositum orbis terræ commune piaculum. Propterea fidenter pro orbe terræ tunc rogamus, et cum martyribus eos vocamus, cum confessoribus, cum sacerdotibus. Etnim unum corpus omnes sumus, etiamsi sint membra membris splendidiora: et fieri potest ut veniam eis omni ex parte conciliemus, a precibus, a donis quæ pro eis offeruntur, ab iis qui cum ipsis vocantur. Cur ergo doles? cur luges et lamentaris, quando defuncto potest tanta conciliari venia? At luges, quoniam es deserta ac destituta, et perdidisti patronum ac defensorem? Sed numquam hoc dixeris; neque enim Deum perdidisti. Ideo quamdiu eum habes, ipse erit tibi major et marito et patre et filio et socero: nam et illis viventibus is erat qui faciebat omnia. Hæc ergo cogita, et dic sicut David, *Dominus illuminatio mea et salvator meus, quem timebo* (*Psal.* 26. 1)? dic, Tu es pater orphanorum, et judex viduarum; et ejus attrahe auxilium, et habebis eum nunc magis tibi providentem quam prius, quo in majorem redacta es inopiam. At perdidisti filium? Non perdidisti, ne dicas: res hæc est somnus, non mors; est migratio, non perditio; est peregrinatio a deterioribus ad meliora. Ne Deum irrites, sed places et reddas propitium. Nam si forti animo tuleris, erit hinc et defuncto et tibi quædam consolatio: sin contra, iram Dei magis accendis. Nam si servo a domino flagris cæso tu adstans ægre tuleris, dominum magis contra te irritaveris. Noli hoc facere, sed age gratias, ut tibi quoque hac ratione discutiatur nubes animi ægritudinis: dic sicut ille beatus, *Dominus dedit, Dominus abstulit*: cogita quam multi magis Deo placentes ne omnino quidem habuere filios, neque vocati sunt patres. Neque ego, inquit, vellem habuisse: melius enim fuisset non habuisse experientiam, quam postquam gustaris voluptatem, ab ea excidisse. Ne rogo, ne hæc dicas, ne sic quoque Dominum ad iram provoces; sed pro iis quidem quæ accepisti age gratias, pro iis autem quæ perpetuo non habes, glorifica. Non dixit Job, Melius fuisset non accepisse; quod tu insipienter et ingrato animo dicis: sed etiam pro illis agebat gratias, dicens: *Dominus dedit;* et pro his benedicebat dicens: *Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum in sæcula.* Uxori quoque sic os obstruebat apud eam justas afferens rationes, et admirabilia illa verba enuntians: *Si bona quidem accepimus a Domino, mala autem non sustinebimus?* Atqui gravior post hæc fuit tentatio; sed ille ne sic quidem fractus est et enervatus, sed similiter ferebat forti animo, et glorificabat. Tu quoque hoc fac, et apud te reputa, quod non homo accepit, sed Deus qui fecit, qui magis quam tu ejus curam gerit, et scit quid ei conferat, non hostis aliquis neque insidiator. Vide quam multi viventes, vitam non vitalem fecerunt parentibus. Generosos autem, inquies, et probos non vides? Eos quoque video; sed res quoque eorum minus sunt in tuto quam res tui filii. Nam etsi in bona sunt existimatione, finis tamen eorum est incertus: de illo autem in reliquum non times neque contremiscis, ne quid ei accidat, aut aliquam suscipiat mutationem. Hæc etiam cogita de pulchra uxore, et bona domus custode; et pro omnibus Deo age gratias, et si perdideris uxorem, gratias age. Fortasse te vult Deus adducere ad continentiam, ad majora vocat operum septa, te voluit liberare a vinculo. Si sic philosophemur, et lucrabimur præsentem animi tranquillitatem, et futuras assequemur coronas, etc.

HOMILIA XLII.

Cap. 15. v. 47. *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo, Dominus de cælo.*

1. Postquam animalem dixit primum et spiritualem secundum, rursus aliam ponit differentiam, terrenum dicens et cælestem. Nam prima quidem est vitæ præsentis et futuræ; hæc autem est ejus qui fuit ante gratiam, et ejus qui est post gratiam. Posuit autem illam ad rectum vitæ institutum dicens. Nam ne, sicut dixi, fidentes resurrectioni, vitam ex virtute et perfecte agendam negligerent, rursus eos quoque hinc reddit paratos ad decertandum, et hortatur ad virtutem, dicens: *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo, Dominus de cælo;* universum appellans hominem; et hunc quidem nominans ab eo quod est

melius ac præstantius, illum autem ab eo quod est deterius. 48. *Qualis terrenus, tales et terreni.* Sic peribunt et morientur. *Qualis cœlestis, tales et cœlestes.* Sic manebunt immortales et fulgentes. Quid vero, annon is quoque est mortuus? Mortuus quidem est, sed inde nihil fuit læsus, sed sic quoque mortem dissolvit. Vidistin' quomodo hinc quoque per mortem constituit dogma de resurrectione? Habens enim, ut prius dixi, principium et caput, noli dubitare de toto corpore. Sed et hinc quoque exercet optimam ac præstantissimam vitæ agendæ rationem, ponens exempla vitæ excelsæ ac philosophicæ, et ejus quæ non est hujusmodi, et utriusque adducens principia, illius quidem Christum, hujus vero Adamum. Propterea nec absolute dixit, E terra, sed *Terrenus*, hoc est, crassus, affixus præsentibus : et rursus de Christo contrarium, *Dominus e cælo.* Si autem quidam ideo dicant Dominum non habere corpus, quod dictum sit, *E cælo*, sufficiunt quidem quæ jam pridem dicta sunt ad ora eorum obstruenda ; nihil autem vetat, quominus hinc quoque ora eorum obstruamus. Quid est enim, *Dominus e cælo ?* naturamne dicit, an optimam vitæ instituendæ rationem ? Cuivis est perspicuum, quod optimam vitæ agendæ rationem : et ideo subjungit : 49. *Sicut portavimus imaginem terreni ;* hoc est, sicut mala fecimus ; *portemus et imaginem cælestis ;* hoc est, faciamus optima. Præter hæc autem, ex te libenter sciscitarer : De naturane dictum est, *Qui ex terra, terrenus*, et, *Dominus e cælo ?* Maxime, inquit. Quid ergo, terrenus solum erat Adam, an aliquam etiam aliam habebat essentiam cognatam supernis et incorporeis, quam Scriptura vocat animam et spiritum ? Est cuivis perspicuum, quod hanc quoque. Ergo neque Dominus erat solum ex superis, etiamsi dicatur e cælo, sed etiam carnem susceperat. Quod autem dicit, est hujusmodi : *Sicut portavimus imaginem terrestris*, malas actiones, *portemus et imaginem cælestis*, nempe vitæ agendæ rationem quæ est in cælis. Si autem loqueretur de natura, non adhortatione neque consilio res egeret. Quamobrem vel hinc perspicuum est, quod de vitæ agendæ ratione est id quod dicitur. Et ideo consulendo inducit orationem, et appellat imaginem, ea ratione rursus ostendens, quod de actione dicat, non de natura. Propterea enim effecti sumus terreni, quoniam mala fecimus : non quoniam ab initio effecti sumus terreni, sed quoniam peccavimus. Etenim peccatum primum et tunc mors, et illud, *Terra es, et in terram reverteris* (*Gen.* 3. 19) : tunc etiam intravit examen animi motuum et perturbationum. Neque enim ex terra esse genitum facit absolute terrenum ; nam Dominus quoque erat ex eadem massa et conspersione ; sed terrena agere ; sicut etiam cæleste, agere quæ sunt digna cælis. Sed quid ad hoc probandum opus est laborare supervacanee ? ipse enim procedens nobis sensum aperit, dicens : 50. *Hoc autem dico, fratres, quod caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Vidistin' quomodo rursus seipsum interpretetur, nos liberans a negotiis ? quod quidem facit etiam in multis locis. Carnem enim hic vocat mala opera, quod et alibi fecit, ut quando dicit : *Vos autem non estis in carne ;* et rursus, *Qui autem sunt in carne, Deo placere non possunt* (*Rom.* 8. 9. 8). Quamobrem quando dicit, *Hoc autem dico ;* nihil aliud dicit, quam se propterea hoc dixisse, ut discas malas actiones in regnum non introducere. Nam post resurrectionem statim de regno inducit sermonem ; et ideo subjunxit : *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* Hoc est, vitium non possidet gloriam illam et perceptionem ac fruitionem incorruptibilium rerum. Etenim multis in locis rursus usus est hac appellatione, dicens : *Qui seminat in carnem, ex carne metet corruptionem* (*Gal.* 6. 8). Si autem diceret de corpore, non autem de mala actione, non dixisset corruptionem ; nusquam enim corpus vocat corruptionem ; neque enim corruptio est, sed corruptibile. Quamobrem procedens, et de eo disserens, non id dixit corruptionem, sed corruptibile, dicens : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Deinde cum de vitæ agendæ ratione absolvisset admonitionem ; quod semper solet facere, argumentum argumento continuo admiscens, revertitur rursus ad loquendum de resurrectione, sic dicens : 51. *Ecce mysterium vobis dico.*

2. Venerandum quidpiam et arcanum, et quod non omnes norunt, est dicturus : quod etiam ostendi magnum honorem quo eos afficit, nempe eis arcana dicere. Quid hoc autem est ? *Non omnes quidem moriemur, et omnes immutabimur.* Hoc est autem quod dicit : Non omnes quidem moriemur, omnes autem immutabimur, etiam qui non moriuntur : nam illi quoque sunt mortales. Ne ergo quoniam morieris, propterea, inquit, timeas tamquam non resurrecturus : sunt enim, sunt etiam aliqui qui hoc effugient ; et tamen hoc eis non sufficit ad illam resurrectionem, sed oportet illa quoque corpora quæ non moriuntur, immutari et transire ad incorruptionem. 52. *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba.* Quoniam multum disputavit de resurrectione, tunc opportune ostendit id quod est in ea admirabile et præter opinionem. Non est enim hoc solum mirabile, quod primum putrescunt corpora et tunc resurgunt, inquit ; et quod iis, quæ nunc sunt, meliora ac præstantiora quæ resurgunt ; et quod ad longe meliorem transeant conditionem, neque quod unusquisque quod proprium est accipiat, et nullus quod alterius : sed quod tam multa, tanta et talia, et quæ omnem superant rationem et mentem, fiant in momento. Et hoc significans manifestius, *In ictu oculi*, dicit, id est, quanto tempore clauditur cilium. Deinde quoniam dixit rem magnam et stupore plenam, si res tot et tantæ tam repente fiant, subjungit ad demonstrationem reddens credibile quod dicitur : *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Illud, *Nos*, non dicit de seipso, sed de iis qui tunc invenientur viventes. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem.* Ne enim, cum audieris quod caro et sanguis regnum Dei non possidebit, existimes corpora non resurgere, subjunxit : *Oportet corruptibile*

hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Corruptibile autem est corpus, et mortale. Ideo corpus manet : corpus enim est subjectum induens : mortalitas autem et corruptio deletur et evanescit, ad ipsum accedente immortalitate et incorruptione. Noli ergo deinceps dubitare quomodo vitam vivet infinitam, cum audieris quod fiat incorruptibile et interitui non obnoxium. 54. *Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoria.* Nam quoniam magna dixit et arcana, rursus id quod dicit credibile et fide dignum facit ex prophetia : *Absorpta est*, inquit, *mors in victoria.* Hoc est, in finem ; ne manent quidem, inquit, ejus reliquiæ, neque spes est reditus, cum incorruptio consumpserit corruptionem et interitum. 55. *Ubi est, mors, victoria tua ? ubi est, inferne, stimulus tuus ?* Vidisti fortem et generosam animam ? Nam tamquam pro victoria sacrificans, et Deo afflatus, et futura videns quasi jam facta, insilit et jacenti morti insultat, et in caput ejus jacens de victoria exsultantem emittit vocem, clamans et dicens, *Ubi est, mors, stimulus tuus ? ubi est victoria tua, inferne ?* Periit et penitus evanuit, et temere fecisti illa omnia. Non solum enim eam armis exuit et vicit, sed etiam perdidit, et eo redegit ut ne esset quidem penitus. 56. *Stimulus autem mortis peccatum est : virtus vero peccati, lex.* Viden' quomodo loquatur de morte corporali ? Ergo loquitur etiam de resurrectione corporis. Nam si hæc non resurgunt, quomodo est mors absorpta ? Nec hoc solum, sed etiam quomodo peccati virtus est lex ? Nam quod peccatum sit stimulus mortis, et illa gravius, et hæc in ipso vim habeat, id manifestum est : quomodo autem ejus quoque virtus est lex ? Quoniam absque ea erat imbecillum, ut quod fieret quidem, non posset autem perinde condemnare. Nam fiebat quidem malum, non ita autem aperte indicabatur. Quamobrem lex non parum contulit, ad cognoscendum peccatum, imo vero etiam ad augendum supplicium. Si autem dum vellet prohibere, id reddidit gravius, non est culpa in medicum conferenda, sed in eum qui mala usus est medicamento. Nam Christi quoque adventus gravis fuit ac molestus Judæis ; sed non ideo eum vituperabimus, sed eum quidem etiam admirabimur, illos autem magis odio habebimus, qui læsi sunt per ea quæ debebant eis prodesse. Nam quod ipsa lex vim non dederit peccato, Christus ipsam totam implevit, et erat extra peccatum. Tu autem mihi considera, quomodo hinc quoque facit fidem resurrectioni. Nam si ipsum peccare erat causa mortis, Christus autem cum venisset solvit peccatum, et nos ab ipso liberavit per baptismum, et cum peccato legem quoque solvit ac fregit, quæ dum violatur ac transilitur, ipsum consistit : quid adhuc dubitas de resurrectione ? quomodo enim mors postea dominatum obtinebit ? num per legem ? Sed ea est soluta et abrogata. At per peccatum ? Sed id est penitus deletum. 57. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.*

3. Nam tropæum quidem ipse erexit, coronis autem nos quoque frui curavit, idque non ex debito, sed sola sua benignitate. 58. *Itaque, fratres, stabiles estote et immobiles.* Justa jam est et opportuna adhortatio. Nihil enim adeo labefactat facitque vacillare, atque existimare se temere affligi et sine causa. *Abundantes in opere Domini semper ;* hoc est, in vita munda. Nec dixit, Bonum operantes, sed *Abundantes*, ut hoc faciamus cum abundantia et septa transiliamus. *Scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Quid dicis ? rursus labor ? Labor quidem, sed qui habet coronas, et suscipitur pro cœlis. Nam prior quidem, qui fuit post paradisum, est pœna peccatorum admissorum ; hic autem est fundamentum futurorum præmiorum. Quamobrem nec hac ratione fuerit labor, et quod superne magnum nobis detur auxilium : et ideo subjunxit : *In Domino.* Nam prior quidem fuit ut daremus pœnas, hic autem ut bona futura consequamur. Ne ergo dormiamus, dilecti. Neque enim fieri potest, ut, si pigri sumus et ignavi, regnum cælorum consequamur, neque si in deliciis agamus mollesque simus et effeminati. Præclare enim nobiscum agetur, si corpus affligentes et castigantes, et innumerabiles sufferentes ærumnas, difficultates et labores, possimus bona illa consequi. Annon videtis quantum inter cælum et terram intermedium sit spatium ? et quantum bellum immineat, et quam sit homo propensus ad vitium, et quomodo nos circumstet peccatum, et quam multi in medio sint laquei ? Cur tam multas ergo curas attrahimus extra naturalia et nobis plura exhibemus negotia, majoraque imponimus onera ? non sufficit ventris et vestium et domus curam gerere ? non sufficit sollicitudo de iis quæ sunt necessaria ? Quamquam etiam ab iis nos abduxit Christus, dicens : *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid comedatis, neque corpori vestro, quid induamini* (*Matth.* 6. 25). Si autem de alimento necessario et indumento non oportet esse sollicitos, neque de die sequenti : qui tam multam attrahunt farraginem ac congeriem, et seipsos obruunt, quando poterunt emergere ? non audiisti Paulum dicentem : *Nemo militans implicatur hujus vitæ negotiis* (2. *Tim.* 2. 4) ? Nos autem et deliciis operam damus et ventri indulgemus et inebriamur, et pro rebus quidem externis affligimur, in rebus autem cælestibus molles sumus et effeminati. An nescitis quod supra hominem est promissio ? Non licet homini ingredienti cæli fastigium ascendere : nos autem non studemus vivere secundum hominem, sed et brutis evadimus deteriores. Nescitis coram quo sistemur tribunali ? annon cogitatis quod et verborum et cogitationum a nobis exigetur ratio, et ne res quidem curamus ? *Qui* enim *aspexit mulierem ad concupiscendum eam, jam est mœchatus* (*Matth.* 5. 28). Sed tamen qui etiam curiosi aspectus reddunt rationem, non recusant vel in ipso putrescere peccato. *Qui dicit fratri suo, Stulte, deturbabitur in gehennam* (*Ibid.* v. 22). Nos autem innumerabilia probra in eos torquere, et varie eis insidiari non desistimus. Qui di-

ligit diligentem, non plus habet quam ethnicus : nos autem eis quoque invidemus. Quamnam ergo consequemur veniam, quando vetera jussi septa transilire, nostram vitæ agendæ rationem etiam illorum mensura conteximus minorem ? quænam nos eripiet oratio ? quis nobis aderit, et opem feret dum castigamur ? Nullus, sed necesse est omnino ejulantes, lugentes, dentibus frementes, tormentis cruciatos, abduci in illas luce carentes tenebras, in dolores inevitabiles, in pœnas intolerabiles. Quamobrem rogo et obsecro, et vestra apprehendens genua supplico, donec habemus hoc parvum vitæ viaticum, ut iis quæ dicta sunt compungamur, convertamur, reddamur meliores : ne, sicut ille dives, inutiliter illic lamentemur cum excesserimus, et defleamus ; fletus autem nihil nobis remedii afferat. Nam sive patrem habeas, sive filium, sive quemvis alium qui apud Deum habeat fiduciam, nemo te eripiet, cum propria tua facta te prodant. Tale est enim illud judicium : judicat solum ex operationibus, nec aliter illic salvum esse licet. Hæc autem dico, non ut tibi dolorem inferam, non ut injiciam in desperationem, sed ne inani et frigida spe nutriti, et huic et illi fidentes, nostram negligamus virtutem. Nam si socordes fuerimus ac negligentes, non justus, non propheta, non apostolus, nemo nobis aderit : si vero studium et diligentiam adhibuerimus, ex operibus sufficientem habentes defensionem, cum libertate ac fiducia fruemur etiam bonis, quæ sunt reposita iis qui Deum diligunt : quæ detur nobis omnibus consequi, etc.

HOMILIA XLIII.

Cap. 16. v. 1. *De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite per unam sabbati.*

1. Absoluta oratione de dogmatibus, aggressurus eam quæ magis spectat ad mores, missis aliis procedit ad summam bonorum, verba faciens de eleemosyna. Sed cum de eo solo disseruisset, desinit ; quamquam nusquam hoc fecit, sed de eleemosyna, de temperantia, de mansuetudine, de lenitate, de patientia deque aliis omnibus disserit in aliis epistolis in fine. Quare ergo ejus quod spectat ad mores hanc solam hic tractat partem ? Quoniam eorum, quæ prius dicta sunt, plura magis pertinebant ad mores, quæ per castigavit fornicatorem, per quæ eos admonuit qui foris judicio contendebant, per quæ terruit ebriosos et eos qui ventri indulgebant, per quæ eos condemnavit qui seditionem agitabant, contendebant, magistratumque et imperia ambibant, per quæ eos, qui indigne accedebant ad mysteria, illi intolerando tradidit supplicio, per quæ disseruit de caritate. Propterea ejus solum meminit quo maxime opus habebat, nempe opis ferendæ sanctis. Vide autem ejus solertiam : quando eis persuasit resurrectionem, eosque fecit promptiores et animo alacriores, tunc demum de eo quoque disserit. Atqui de his quoque antea disseruit, quando dicebat : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos vestra carnalia metimus* (1. *Cor.* 9. 11) ? et, *Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit* (*Ibid.* v. 7) ? Sed quoniam præclaræ hujus actionis noverat magnitudinem, non recusat hoc quoque addere fini epistolæ. Λογίαν autem collectam vocat, statim ab initio rem faciens levem : nam quando ab omnibus confertur, leve singulis est quod constituitur. Cum autem dixisset de collecta, non statim dixit : Unusquisque vestrum apud se ponat, recondens quod ipsi placuerit ; quamquam hoc erat consequens ; sed cum prius dixisset, *Sicut constitui Ecclesiis Galatiæ*, tunc hoc subjunxit, ea narrando quæ ab aliis fiebant, studium ipsis accendens, idque ponens loco narrationis. Quod etiam fecit scribens ad Romanos. Etenim cum illis videretur narrare, cur proficisceretur Jerosolymam, sic sermonem injicit de eleemosyna : *Nunc autem vado Jerosolymam ministrans sanctis. Visum est enim Macedoniæ et Achaiæ communicationem quamdam facere in pauperes sanctorum* (*Rom.* 15. 25. 26). Sed illos quidem per Macedones et Corinthios, hos autem etiam per Galatas adhortatur. *Sicut constitui*, inquit, *Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite.* Erubuissent enim videri inferiores Galatis. Non dixit autem, Suasi et consilium dedi, sed, *Constitui* : quod quidem majorem ostendit auctoritatem. Neque adducit unam, aut duas aut tres civitates, sed totam gentem : quod quidem facit etiam in dogmatibus, dicens : *Sicut et in omnibus Ecclesiis sanctorum.* Si hoc enim ad fidem faciendam dogmatibus est validum, multo magis ad æmulationem. Quid ergo, die quæso, constituisti ? 2. *Per unam sabbati*, hoc est, die Dominico, *unusquisque vestrum apud se seponat recondens quod ei bene placuerit.* Vide quomodo etiam adhortatur a tempore : dies enim erat idoneus ad eos adducendos ad eleemosynam. Recordemini enim, inquit, quænam eo die consequuti estis. Bona enim ineffabilia, et radix et initium vitæ nostræ illa die facta sunt. Non hac autem solum ratione aptum est tempus ad benignitatem prompto et alacri animo exercendam, sed et quod habeat quietem ac remissionem immunitatemque et vacationem a laboribus. Nam anima a laboribus libera redditur expeditior et aptior ad miserendum. Ad hæc autem, venerandis quoque ac immortalibus communicare mysteriis, magnam affert et immittit alacritatem. *In ea ergo unusquisque vestrum*, non absolute hic aut ille, sed *unusquisque*, sive sit pauper, sive dives, sive vir, sive mulier, sive servus, sive liber, *apud se seponat recondens.* Non dixit, Ferat in ecclesiam, ne propter paucitatem erubescant ; sed cum ea quæ paulatim accedunt in collectionibus auxerit, cum accessero, tunc ostendat. Interim autem, inquit, apud te sepone, et domum tuam fac ecclesiam, arculam gazophylacium : esto custos sacræ pecuniæ, a te ipso ordinatus dispensator pauperum. Benignitas et humanitas dat tibi hoc sacerdotium. Hujus est symbolum ac signum quod nunc est gazophylacium. Sed

manet quidem symbolum, res autem nusquam est. Et scio quidem, quod multi ex iis, qui una assident, nos rursus reprehendent, cum de his disseramus dicentes : Ne, rogo, ne sis gravis et molestus auditoribus, sed permitte libero arbitrio et voluntati auditorum ; nam nunc quidem nos pudore afficis et erubescere cogis : sed hæc verba non feram. Neque enim Paulum pudebat pro his assidue esse molestum, et mendicantium more loqui. Nam si hoc dicerem, Da mihi et depone in meis ædibus, pudendum forte esset quod dicerem ; imo vero ne tunc quidem : nam *Qui altari*, inquit, *assident, altaris sunt participes* (1. *Cor.* 9. 13).

2. Cæterum fortasse quispiam me reprehenderet, ut qui pro me verba facerem : nunc autem supplico quidem pro egentibus ; imo vero non pro egentibus, sed pro vobis qui præbetis : et ideo loquor libere. Quis est enim pudor dicere, Da Domino esurienti, indue illum nudum oberrantem, excipe peregrinum? Non erubescit Dominus tuus hæc dicere in orbe terrarum, *Esurivi, et non dedistis mihi quod comederem* (*Matth.* 25. 42) ; qui non erat indigens, nec ulla re opus habebat : et ego erubescam et dubitabo? Absit: diabolicarum insidiarum est hic pudor. Non ergo erubescam, sed libere dicam : Date egentibus, et majori voce quam qui egent. Nam si quispiam posset ostendere et probare, quod hæc dicentes, ad nos ipsos traheremus, et prætextu pauperum ipsi lucraremur, non solum probro ac dedecore digni essemus, sed qui vel a mille fulminibus feriremur, et qui hæc agerent ne mererentur quidem vivere : si autem Dei gratia pro nobis minime molesti sumus, sed sine sumptu vobis posuimus evangelium, non laborantes quidem sicut Paulus, sed contenti propriis, dicam cum omni fiducia : Date egentibus, nec cessabo hoc dicere, et eorum qui non dant, ego gravis accusator. Si enim essem dux exercitus et milites haberem, non me puderet alimenta petere pro militibus. Valde enim amo vestram salutem. Sed ut etiam efficacior sit oratio, assessore accepto Paulo, cum illo vobiscum agam dicens : *Unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod sibi videbitur.* Considera autem hinc quoque quam non sit hoc grave et molestum : non dixit, Tantum vel tantum, sed, *Quod videatur*, et recte habeat, sive sit multum, sive modicum : nec dixit, Quod quis lucratus fuerit, sed, Quod videatur et recte habeat, ostendens a Deo esse suppeditationem. Non hac autem solum ratione, sed etiam eo, quod non uno tempore totum jubeat pendere, symbolam reddit facilem : eo enim quod paulatim colligatur, insensilis est opera et suppeditatio. Propterea nec statim jubet in medium adducere, sed dat longum tempus constitutum, et causam afferens, dicit : *Ut non, cum venero, tunc collectæ fiant.* Hoc est, Ne in tempore illationis sive sumptus necesse habeatis colligere. Et ad hoc rursus eos non leviter est adhortatus : Pauli enim exspectatio eos faciebat promptiores et alacriores. 3. *Cum autem præsens fuero, quos probaveritis, per epistolas hos mittam deferre gratiam vestram in Jerusalem.* Non dixit, Hunc et illum, sed, *Quos vos probaveritis*, quos elegeritis, ut ministerium careat suspicione. Quamobrem curat ut ipsi ferant suffragium electionis eorum qui laturi sunt. Non enim dicit, Collatio quidem est vestra, eligendi autem potestas est eorum qui portant, non vestra. Deinde, ne ipsis videatur abesse, literas addit dicens : *Quos probaveritis, per epistolas mittam.* Quasi diceret : Ego quoque ero vobiscum, et muneris obeundi ero particeps per literas. Neque dixit, Eos mittam ut vestram deferant eleemosynam, sed *Vestram gratiam*, ut ostendat eos magna operari, et inde lucrum consequi. Alibi autem appellat benedictionem et communicationem : illud quidem, ne redderet pigriores ; hoc vero, ne nimis efferret : nusquam autem hoc nominavit eleemosynam 4. *Quod si dignum fuerit ut ego eam, mecum ibunt.* Hic rursus eos hortatur ad largitatem et munificentiam. Nam si tanta res sit, inquit, ut mea opus sit præsentia, ne hoc quidem recusabo. Sed statim non est hoc pollicitus, neque dixit, Postquam advenero, ipse feram : neque enim hoc adeo amplificasset, si ab initio id posuisset : postea autem pulchre et opportune id addit. Propterea non statim promisit, neque omnino id siluit, sed cum dixisset se missurum, tunc quoque addit seipsum. Hic quoque rursus in eorum ponit potestate, dum dixit : *Si operæ pretium fuerit ut ego eam ;* hoc vero in illis situm erat multum facere quod colligebatur, et tantum ut ipsos non puderet eum excitare. 5. *Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero.* Dixit hoc quoque superius, sed tunc quidem iracunde ; addidit enim, *Et cognoscam non sermonem inflatorum, sed virtutem* (1. *Cor.* 4. 19) : hic autem mitius, ut ejus desiderent præsentiam. Deinde ne dicant : Cur ergo nobis præfers Macedones? non dixit, Postquam abiero, sed, *Cum Macedoniam pertransiero. Nam Macedoniam pertransibo.* 6. *Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo.* Neque enim volo vos invisere tamquam in transitu, sed vobiscum versari et apud vos manere. Nam quando hanc scribebat epistolam, erat Ephesi hiemis tempore. Dicit ergo : 8. *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten :* postea autem abibo in Macedoniam, et cum eam pertransiero, veniam ad vos æstate : forte autem et hiemem apud vos transigam.

3. Cur autem dixit *Forsitan*, et non affirmavit? Quoniam non omnia præsciebat Paulus ; idque utiliter. Propterea neque absolute affirmat, ut si non factum fuerit, habeat effugium, quod tunc dixerit indefinite, et Spiritus potestatem quæ eum quo vellet duceret, non quo ipse cupiebat. Quod etiam ponit in secunda Epistola de mora se excusans et dicens : *Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me est est, et non non* (2. *Cor.* 11. 17). *Ut vos me deducatis quocumque iero.* Hoc quoque est caritatis et multæ dilectionis. 7. *Nolo enim vos modo in transitu videre : spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit.* Hæc autem dicebat, simul et caritatem ostendens, et eos qui peccarent terrens, non tamen aperte, sed amicitiæ nomine : *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten.* Me-

rito eis omnia dicit exacte, declarans tamquam amicis. Nam et hoc est amicitiæ, dicere causam cur non advenerit, propter quam differat, et ubi versetur. 9. *Ostium enim mihi apertum est magnum et evidens, et adversarii multi.* Et, si magnum, quomodo adversarii? Propter hoc ipsum multi sunt adversarii, quoniam magna est fides, et latus ingressus. Quid est autem, *Ostium magnum?* Multi sunt parati ad fidem suscipiendam, multi debent accedere et converti : latus mihi patet aditus, crescente et vigente accedentium mente ad obediendum fidei. Propterea vehementer spirabat diabolus, quoniam videbat multos a se desciscere. Quamobrem propter utrumque manere oportebat, et quod multum esset lucri, et quod magnum certamen. Hoc autem quoque illis animos addebat, quod dixerit verbum jam ubique operari, et facile germinare. Si autem sunt multi qui insidiantur, hoc quoque signum est profectus evangelii. Numquam enim magis sævit ac furit sceleratus ille dæmon, quam cum ex suis vasis et instrumentis multa videt diripi. Et nos ergo quando magnum aliquod et præclarum opus gerere voluerimus, ne hoc consideremus quod magni sit laboris, sed ad lucrum aspiciamus. Vide namque Paulum non propterea vereri ac dubitare, nec propterea refugere, quoniam multi sunt adversarii, sed quoniam magnum erat ostium, instare et permanere. Nam sicut dixi, hoc erat signum quod nudaretur et spoliaretur diabolus. Non est enim ejus qui parva gerat et mala, malam illam bestiam irritare. Quamobrem quando videris justum magna ac præclara gerere et mala pati innumerabilia, ne mireris. Nam contra mirari oporteret, si diabolus multas accipiens plagas quiesceret et vulnera placide ferret. Neque enim, si serpens punctus continuo efferatur et pungendo insultet, mirari oportet. Quovis enim serpente gravius serpit diabolus, omnibus insultans, et surgit sicut scorpius in altum erecto stimulo. Ne hoc vos conturbet : eum enim, qui a bello et a victoria et cæde revertitur, necesse est fuisse cruentatum, sæpeque etiam vulnera exhibere. Et tu ergo cum videris aliquem eleemosynas facientem, et innumerabilia alia bona operantem, et sic vires diaboli frangentem, deinde incidere in tentationes et pericula, ne propterea conturberis : ideo enim incidit in tentationes, quod diabolum vehementer ferierit. Et quomodo, inquies, id permisit Deus? Ut magis coronetur, et majorem diabolus plagam accipiat. Nam quando, postquam bona fecerit, gravia et aspera patiens, perpetuo agit gratias, tunc feritur diabolus. Magnum quidem est etiam rebus secundis et prospere fluentibus, et misereri et virtutem amplecti; multo autem est majus, dura et gravia patientem, non desistere ab hac bona operatione. Is enim est, qui propter Deum hæc maxime facit. Quamobrem etiamsi in periculum veniamus, dilecti, et quidvis patiamur, cum majori animi alacritate pro virtute labores suscipiamus. Non est enim hic tempus mercedis ac remunerationis. Ne hic ergo coronas exigamus, ne in tempore coronarum minor sit merces ac remuneratio. Quemadmodum enim in artificibus, qui seipsos quidem alunt, majorem accipiunt mercedem; qui autem aluuntur ab iis qui conduxerunt, non parvam partem de mercede detrahunt : ita etiam in sanctis, qui bona quidem facit innumerabilia et innumerabilia patitur mala, integram habet mercedem et longe majorem remunerationem, non pro bonis solum quæ fecit, sed etiam pro malis quæ passus est : qui autem hic fruitur quiete et deliciis, non tam præclaras illic habet coronas. Ne hic ergo quæramus remunerationem, sed tunc maxime lætemur, quando bona opera agentes male patimur. Non solum enim ex recte factis, sed etiam ex tentationibus Deus nobis illic recondit mercedem.

4. Ut autem quod dico fiat manifestius, sint duo divites misericordes, et dent pauperibus : deinde eorum alter quidem maneat in divitiis, et omnia prospere ei succedant; alter autem incidat in paupertatem et morbos et calamitates, et Deo agat gratias. Cum ergo ii hinc illuc excesserint, quis majorem accipiet mercedem? annon perspicuum est quod qui ægrotat et affligitur, quoniam et bene faciens et male patiens, nihil passus est humanum? Id certe palam omnibus est. Hic enim est statua adamantina, hic est servus gratus et benevolus. Si autem non propter spem regni oportet aliquid boni facere, sed propter id quod Deo videtur ac placet; quod quidem est majus quovis regno; quid meretur qui eo, quod non hic accipiat remunerationem, in exercenda virtute est pigrior? Ne ergo conturbemur, quando viderimus, quod hic aut ille advocans viduas, et pauperes frequentibus excipiens conviviis, incendio exustam domum amisit, aut aliquam aliam similem passus est calamitatem : propterea enim accipiet mercedem. Neque enim Job in tanta admiratione habebatur propter eleemosynas, in quanta propter ea quæ passus postea. Propterea et vilipenduntur ejus amici, et nullius censentur esse pretii, quod præsentes quærerent remunerationes, et ideo in justum iniquam ferrent sententiam. Ne ergo hic quæramus remunerationem, sed efficiamur pauperes et mendici. Hoc enim esset extremæ vilitatis et abjectionis, cum cælum sit propositum, et quæ supra cælum, quæ hic sunt spectare. Ne sic ergo faciamus, sed quodcumque inexspectatum nobis jussum advenerit, nos Deum assidue colamus, et beato Paulo pareamus, pauperumque arculam domi faciamus, quæ juxta locum in quo stas orans sita sit : et quoties ad orandum fueris ingressus, depone primum eleemosynam, et tunc emitte precationem : et sicut nolueris manibus illotis ad orandum accedere (*a*), sic neque absque eleemosyna. Neque enim minus est eleemosynam ibi depositam esse, quam evangelium juxta lectum appensum esse. Nam si evangelium quidem suspenderis nihil faciens, non adeo magnam accipies utilitatem : hanc autem habens arculam, habes arma adversus diabolum, precationem reddis alatam, sanctam domum constituis, quæ habeat in-

(*a*) Ante precationem manus abluebantur.

tus alimenta regis recondita. Ideo et juxta lectum sita sit arcula, noxque nullis perturbabitur visis et insomniis : tantum nihil in eam injiciatur ex injustitia. Eleemosyna enim res est : fieri autem non potest ut eleemosyna umquam germinet ex crudelitate. Vultis et vobis dicam undenam impendere et largiri oporteat, ut hac quoque ratione facilem eam faciatis collationem? Opifex, velut calceorum consarcinator, aut coriarius, aut faber ærarius, aut quivis alius artifex, cum aliquid vendiderit ex iis quæ sua arte fiunt, det Deo primitias pretii, ibi parvam partem dejiciat, et ex minori parte cum Deo partiatur. Neque enim magnum quid peto, sed tantum quantum Judæorum infantes, et mille malis pleni, tantum nos qui cælum exspectamus, faciamus. Hæc autem dico non legem ferens, neque prohibens ne plus eroges, sed æquum censens ut non minus deponas quam partem decimam. Hoc autem fac non solum vendens, sed etiam emens. Hanc legem etiam servent qui prædia possident in proventibus : eam omnes qui justos colligunt proventus. Ad eos enim, qui usuram exigunt, a me verba non fiunt ; neque ad milites qui alios concutiunt, et aliis procurant calamitates : Deus enim nihil inde vult accipere : sed hæc dico eis, qui ex justis laboribus facultates colligunt. Nam si nos ipsos ad eam deduxerimus consuetudinem, nos deinceps punget conscientia, si hanc deseramus legem ; neque rem existimabimus gravem, et paulatim veniemus ad majora, et meditati contemnere pecunias, cum malorum radicem evulserimus, et hic vitam secure et tranquille agemus, et vitam consequemur futuram : quam detur nobis omnibus consequi, etc.

HOMILIA XLIV.

Cap. 16. v. 10. *Si autem venerit Timotheus ad vos, videte ut sine timore sit apud vos.*

1. Existimet fortasse quispiam hanc exhortationem esse indignam virtute Timothei ; sed non hoc dictum est propter Timotheum, sed propter audientes, ne per eas quæ ipsi pararentur insidias seipsos lædèrent : ille enim semper erat proclivis ac propensus ad adeunda pericula. Nam *Tamquam filius patri, mecum servivit*, inquit, *in evangelio* (*Philipp.* 2. 22). Sed ne ex audacia in discipulum, ad magistrum quoque procederent et fierent deteriores, eos eminus comprimit et coercet, dicens : *Ut sine timore sit apud vos :* hoc est, ne quispiam ex iis qui sunt deplorati in eum insurgat. Erat quippe fortasse eos increpaturus de iis quæ scribebat Paulus : denuntiarat enim se propterea ipsum mittere. *Misi* enim, inquit, *ad vos Timotheum, qui vobis in memoriam revocabit vias meas in Christo, sicut ubique in omni Ecclesia doceo* (1. *Cor.* 4. 17). Ne ergo nobilitati et divitiis et populi commendationi et externæ sapientiæ confidentes, invaderent et conspuerent et insidiarentur, dolentes se ab ipso argui, aut propterea quod magister illos reprehenderet, pœnas exigerent ipsum ulciscentes, propterea dicit : *Ut sine timore sit apud vos.* Ne mihi enim externos dixeris Græcos et infideles ; ea a vobis exigo, pro quibus tota conscripta est epistola, quos etiam in initio terruit et in procœmiis. Propterea dixit : *Apud vos.* Deinde a ministerio eum facit fide dignum dicens : *Opus enim Domini operatur.* Ne hoc autem spectes, inquit, si non sit dives, si non eruditus, si non senex ; sed quid jussus sit, et quid efficiat : *Opus enim Domini operatur.* Hoc autem ei sufficit pro omni et nobilitate et divitiis et ætate et sapientia. Nec hoc fuit contentus, sed addidit, *Sicut et ego ;* et superius, *Qui est mihi filius dilectus et fidelis in Domino ; ipse vobis in memoriam revocabit vias meas in Christo* (1. *Cor.* 4. 17). Quoniam ergo juvenis erat, et ipsi concredita fuerat tanti populi correctio, utrumque autem ipsum in contemptum adducebat ; merito subjungit : 11. *Ne quis ergo illum spernat.* Neque hoc solum exigit, sed etiam majorem honorem : quamobrem etiam dicit, *Deducite autem illum in pace.* Hoc est, sine timore : non pugnas inferentes et contentiones, non odia et inimicitias, sed subjectionem et honorem, attendentes ipsi tamquam magistro. *Ut veniat ad me ; exspecto enim illum cum fratribus.* Et hoc erat terrentis : nam ut cum scirent omnia sibi dicenda quæ passus esset, fierent modestiores, propterea addidit : *Exspecto enim illum.* Alioquin autem eum quoque hinc facit fide dignum. Siquidem exiturus ipsum exspectat, et suam in illos ostendit caritatem, quando eum qui esset adeo utilis, propter ipsos misisse cerneretur. 12. *De Apollo autem fratre vobis notum facio, quod multum rogavi eum, ut ad vos veniret cum fratribus.* Hic videtur esse et bene eruditus, et major ætate Timotheo. Ne ergo dicerent : Cur virum quidem non misit, sed pro illo juvenem? vide quomodo etiam hoc levet, eum et fratrem vocans, et dicens se multum illum rogasse ut veniret. Ne enim videretur præposuisse illi Timotheum, et idcirco eum non misisse, hinc que majorem accenderet invidiam, subjunxit : *Multum illum rogavi, ut veniret.* Quid ergo? non ce sit ille neque annuit, sed restitit et contendit? Non hoc dicit, sed ut neque illum reprehenderet, et se excusaret, dicit : *Et utique non fuit voluntas ejus ut nunc veniret.* Deinde ne dicerent hæc esse obtentum et subterfugium, subjunxit : *Veniet autem, cum ei vacuum fuerit.* Sic et illum defendit ac excusavit, et eorum qui ipsum desiderabant spei satisfecit. Deinde ostendens ipsos non in magistris, sed in seipsis debere spem salutis habere, dicit : 13. *Vigilate, state in fide.* Non in externa sapientia ; non est enim illic stare, sed ferri, sicut quidem certe stare in fide convenit. *Viriliter agite et confortamini.* 14. *Omnia vestra in caritate fiant.* Hæc autem dicens videtur quidem admonere ; illos autem tangit tamquam pigros et desides. Et ideo dicit, *Vigilate*, tamquam eis dormientibus ; *State*, tamquam labantibus ; *Viriliter agite et fortes estote*, ut qui essent molles ; *Omnia vestra in caritate*

fiant, ut qui seditionem agitent. Et adversus eos quidem qui decipiunt, est illud, *Vigilate, state;* adversus eos autem qui insidiantur, est hoc, *Viriliter agite;* adversus eos vero qui seditionem agitant et conantur divellere ac distrahere, est illud, *Omnia vestra in caritate fiant;* quod quidem est vinculum perfectionis, et radix fonsque bonorum. Quid est autem illud, *Omnia in caritate?* Sive quispiam increpat, inquit, sive imperat, sive paret imperio, sive discit, sive docet, omnia cum caritate. Nam et cuncta quæ dicta sunt, ideo contigerant, quod caritas neglecta fuisset. Nam si ea non esset neglecta, non fuissent inflati, non dixissent, *Ego quidem sum Pauli, ego vero Apollo* (1. *Cor.* 1. 12) : si ipsa adfuisset, non foris judicio contendissent, imo ne contendissent quidem : si ipsa adfuisset, ille uxorem patris non accepisset, non fratres infirmos contempsissent, hæreses non habuissent, propter charismata inanem gloriam non concepissent. Propterea dicit, Omnia cum caritate fiant. 15. *Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Stephanæ, quod sunt primitiæ Achaiæ, et in ministerio sanctorum ordinaverunt seipsos.*

2. Etiam in initio hujus meminit dicens, *Baptizavi autem et Stephanæ domum* (1. *Cor.* 1. 16) : et nunc eam dicit esse primitias, non solum Corinthi, sed et totius Græciæ. Non est autem hoc quoque parvum encomium, accessisse primum ad Christum. Quamobrem etiam in Epistola ad Romanos ex eo quosdam laudans dicebat : *Qui etiam ante me geniti sunt in Christo* (*Rom.* 16. 7). Nec dixit eos primos credidisse, sed fuisse primitias, ostendens, cum fide vitam etiam optimam exhibuisse, tamquam ex fructibus, se omni ex parte dignos præbentes. Oportet enim primitias esse meliores cæteris, quorum sunt primitiæ: quod his quoque per hanc dictionem suo testimonio tribuit Paulus. Non enim solum, sicut dixi, vere et sincere crediderunt, sed etiam multam ostenderunt pietatem, vegetamque virtutem, et in eleemosynis dandis munificentiam. Non solum autem hinc, sed etiam aliunde eorum ostendit pietatem, ex eo quod totam domum pietate impleverint. Quod autem bonis quoque operibus et recte factis essent ornati, significat per ea quæ deinceps sequuntur, dicens : *In ministerio sanctorum ordinaverunt seipsos.* Audivistis hospitalitatis quanta sint encomia? Non enim dixit, Ministrant, sed, *Ordinaverunt seipsos :* hanc vitam perpetuo elegerunt, in hac se exercent meditatione. 16. *Ut et vos subditi sitis ejusmodi.* Hoc est, ut alter alteri opem feratis, et ad impensas pecuniæ et ad obeundum ministerium corporis, ut communicetis. Nam illis labor erit levis, quando habuerint socios, et ad plures transiverit beneficium. Et non dixit absolute, Cooperamini, sed etiam in iis quæ jusserint parere, accuratam ostendens obedientiam. Et ne eis videatur gratificari, addidit : *Et omni cooperanti et laboranti.* Hæc sit, inquit, lex communis : neque enim privatim ac seorsum dico de illis, sed si quis est illis similis, his quoque fruatur. Propterea et eos incipiens commendare, ipsos quoque evocat testes, dicens : *Obsecro autem vos, nostis domum Stephanæ.* Scitis, inquit, et vos quomodo laborant, neque opus est ut a nobis discatis. 17. *Gavisus sum autem in præsentia Stephanæ et Fortunati et Achaici, quoniam id quod vobis deerat ipsi suppleverunt :* 18. *refecerunt enim meum spiritum et vestrum.* Quoniam erat verisimile eos adversus ipsos esse irritatos; ii enim erant qui venerant et seditionem ei significaverant; per ipsos enim etiam scripserant de virginibus et matrimonio conjunctis : vide quomodo eos mitigat, in principio quidem epistolæ dicens : *Significatum est* enim, inquit, *mihi de vobis ab iis qui sunt Chloes* (1. *Cor.* 1. 11); et hos celans et illos in medium adducens; erat enim verisimile illos per hos declarasse : hic autem, *Id quod vobis deerat, ipsi suppleverunt, et refecerunt meum spiritum et vestrum;* ostendens eos venisse pro omnibus, et sua sponte tantam suscepisse peregrinationem. Quomodo ergo quod est proprium fiet commune? Si quod vobis defuit reparetis per vestram in eos benevolentiam, si eos honoretis, si excipiatis, si beneficentiæ communicetis : ideoque dicit, *Cognoscite ergo qui ejusmodi sunt.* Et laudans eos qui convenerant, eas quoque cum laude conjungit qui missi erant, et qui miserant, dicens : *Refecerunt meum spiritum et vestrum. Cognoscite ergo qui sunt ejusmodi*, quoniam propter vos patriam et domum reliquerunt. Vidistin' prudentiam? non solum Paulo, sed illis etiam eos ostendit esse gratificatos, quod totam civitatem in se circumferant : quod eos etiam reddebat fide dignos, et non sinebat eos ab illis abscindi, tamquam qui per ipsos ad Paulum essent adducti. 19. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ.* Semper cogit et conglutinat membra per salutationem. *Salutant vos in Domino multum Aquila et Priscilla.* Apud eos enim manebat, cum esset contextor tabernaculorum. *Cum domestica sua ecclesia.* Hoc quoque non parva est virtus, quod domum fecissent ecclesiam. 20. *Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo sancto.* Hoc sancti osculi hic solum posuit additamentum. Quamobrem? Valde inter se dissidebant, eo quod dicerent : *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ, ego vero Christi* (1. *Cor.* 1. 12) : eo quod alius quidem esuriret, alius vero esset ebrius : eo quod haberent pugnas et æmulationes et lites ac judicia, et ex donis magna erat invidia, magna superbia et arrogantia. Postquam ergo eos conjunxit per exhortationem, merito etiam jubet conjungi per osculum sanctum. Hoc enim unit, et unum corpus facit : hoc est sanctum, quod non est cum dolo et simulatione. 21. *Salutatio mea manu Pauli.* Ostendit magno studio compositam fuisse epistolam : et ideo hoc adjecit : 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.*

3. *Fastus quot malorum causa.* — Per unum hoc verbum omnes terruit, qui membra sua faciebant membra meretricis; eos qui fratres offendebant per immolata idolis, eos qui nominabantur ex hominibus, eos qui non credebant resurrectioni. Non solum autem terruit, sed etiam ostendit viam virtutis, et

fontem vitii. Sicut enim quæ vehemens fuerit caritas, exstinguit et expellit omnes peccatorum species : ita etiam quando fuerit imbecillior, facit ea germinare. *Maranatha.* Quanam de causa hoc dictum est? et cur voce Hebraica? Quoniam omnium malorum causa erat fastus (hunc autem fastum efficiebat externa sapientia : et hoc fuit caput malorum, quod maxime divulsit ac divisit Corinthum) ; eorum fastum comprimens, ne Græca quidem, sed Hebræa lingua usus est, ostendens se non modo non pudere simplicitatis et imperitiæ, sed eam etiam vehementissime et ardentissime complecti. Quid est autem *Maranatha? Dominus noster venit.* Quanam ergo de causa hoc ipsum dicit? Dispensationis Domini sermonem confirmans, eo quod ex iis maxime composuerit semina resurrectionis; nec hoc solum, sed illos etiam pudore afficiens : quasi diceret : Communis omnium Dominus tantum dignatus est descendere : vos autem in iisdem estis, et peccare perseveratis? non summam caritatem obstupescitis et admiramini, quod est caput bonorum? Hoc solum, inquit, cogita, et tibi sufficiet ad profectum in omni virtute, et omne peccatum poteris exstinguere. 23. *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum.* Hoc est doctoris, non solum consiliis opem ferre, sed etiam votis ac precibus. 24. *Caritas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu. Amen.* Nam ne existimarent, quod eis assentans in hoc desierit, dicit : *In Christo Jesu.* Nihil enim habet humanum neque carnale, sed est quædam dilectio spiritualis. Quamobrem ea est valde germana et sincera ; nam valde amantis erat verbum. Quia enim loco distabat, tamquam alicujus dexteræ extensione, caritatis manibus eos complectitur, dicens : *Caritas mea vobiscum :* quasi diceret : Sum cum vobis omnibus. Per quæ ostendit, non esse indignationis et iræ quæ scripta sunt, sed curæ quam eorum gerit, cum post tantam accusationem eos non aversetur, sed amet et complectatur, cum essent procul remoti, per epistolas et has literas eis quasi circumfusus. Sic oportet facere eum qui corrigit. Nam qui ira incitatus solum facit, implet suam animi perturbationem : qui autem postquam correxit peccantem, caritatem quoque exhibet, ostendit illa quoque esse benevolentiæ, quæ dicebat increpans. Sic nos quoque alter alterum erudiamus et castigemus : et neque qui arguit, irascatur ; non est enim hoc correctionis, sed animi perturbationis ; neque qui arguitur, ægre ferat : quod fit enim, est medicina, non odium et inimicitiæ. Si autem medici urunt, et non reprehenduntur, etiamsi sæpe aberrent a fine ; sed et qui dolent, dum uruntur et secantur, beneficio se affici existimant ab iis qui hunc dolorem excitant : multo magis eum, qui suscipit reprehensionem, ita affici oportet, ut eum qui corrigit pro medico habeat, non pro inimico. Porro nos quoque qui increpamus, accedamus cum multa mansuetudine et cum multa prudentia ; et si videris fratrem tuum delinquentem, sicut Christus jussit, noli in publicum proferre reprehensionem, sed eum reprehende inter te et ipsum solum : non exprobrans nec jacenti insultans, sed docens et ægre ferens : et te ipsum quoque exhibe paratum ut reprehendaris, si quid pecces. Ut autem quod dico fiat apertius, per hypothesim quod dicimus exerceamus : absit enim ut in veritate hoc nobis exemplum suppeditetur. Sit frater aliquis habitans cum virgine, honestus quidem et pudicus ; sed ne sic quidem malam effugiat existimationem. Si ergo audieris hanc in ore vulgi esse habitationem, ne despexeris, neque dixeris : Annon ipse sapit? annon novit quid expediat? sine causa ameris, ne sis odio sine causa : quid enim mihi curæ est supervacaneas suscipere inimicitias? Hæc sunt verba delira bestiarum, vel potius dæmonum. Non potest enim fieri, ut temere et sine causa odio habeatur qui hoc facit ob correctionem, sed ut magna bona, coronas ineffabiles consequatur. Si autem dicas : Quid vero, non ipse sapit? audies a nobis eum non sapere ; est enim affectu ebrius. Si enim in externis judiciis ii, qui injuria afficiuntur, non possunt pro se dicere, ut qui ira ferveant, quamquam non est vitium hæc commiseratio : multo magis ii, qui mala tenentur consuetudine. Propterea dico, etiamsi millies sit sapiens, mentem non habet vigilantem. Quid enim erat Davide sapientius qui dicebat, *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi* (*Psal.* 50. 8)? Sed quando injustis oculis vidit uxorem militis, tunc dicebat id sibi accidere quod iis qui navigant in mari furenti : *Omnis sapientia ejus est absorpta* (*Psal.* 106. 27) ; et opus habebat aliis qui corrigerent, nec sentiebat quidem in quibus et quantis intus versaretur malis. Quamobrem sua deflens peccata dicebat : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me. Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* 37. 5. 6).

4. Non sapit ergo nec mentem habet qui peccat ; est enim ebrius, et ejus caligant oculi. Ne hæc ergo dicas, neque illud addas : Non est mihi curæ ; *Unusquisque enim suum onus portabit* (*Gal.* 6. 5). Etenim vel maximum tibi crimen oritur, quod cum vidisses errantem, in viam non reduxeris. Si enim jumentum inimici in Judæorum lege non licet despicere (*Deut.* 22. 1) ; qui non jumentum, neque inimici animam, sed amici despicit, quamnam assequetur veniam? Neque enim ad nostram sufficit excusationem, quod ille mentem habeat. Nam nos quoque qui sæpe multas dedimus admonitiones, nobis non sufficimus, nec sumus utiles. De illo ergo peccante hoc quoque considera, quod consentaneum sit eum a te magis quam a seipso optimum accipere consilium ; neque dicas, Quid hæc sunt mihi curæ? Time eum qui primus dixit hoc verbum : nam illud, *Numquid sum custos fratris mei* (*Gen.* 4. 9)? eodem quo hoc recidit : hinc mala nascuntur omnia, quod quæ sunt nostri corporis aliena esse ducimus. Quid dicis? frater non est tibi curæ? Sed cui erit curæ? infideline qui ejus malis lætatur, exprobratque et insultat? at diabolo qui impellit et supplantat? Et undenam hoc? Quod non proficiam dicens et consulens quæ oportet. Undenam

autem est perspicuum, quod non proficies? hoc est enim extremæ amentiæ, cum in incerto sit finis, certum subire crimen negligentiæ. Atqui Deus futura præsciens, sæpe dixit et nihil profecit, et neque sic destitit: idque cum sciret se non persuasurum. Si autem qui præscivit se nihil plus effecturum, non desistit corrigere? quamnam habebis excusationem qui futurum omnino ignoras, pigrescisque et torpescis? Etenim multi sæpe aggressi profecerunt, et cum maxime desperassent, tunc maxime sunt assequuti. Quod si etiam nihil amplius effeceris, fecisti quod tuum est. Ne sis ergo inhumanus, neque immisericors, neque negligens. Nam quod hæc verba sint crudelitatis et socordiæ, illinc est perspicuum. Cur enim cum unum ex tuis membris laborat, non dicis: Quid mihi curæ, et unde mihi constabit, quod si ejus curam geram, convalescet? sed omnia facis, ut etiamsi nihil juveris, te non possis reprehendere, quod aliquid sit prætermissum eorum quæ debent fieri. An vero cum membrorum quidem corporis tantam curam geramus, membra Christi negligemus? et ubinam hæc merentur veniam? Nam si te non inflecto dicens, Membri tui curam gere, ut vel metu fias melior, tibi in memoriam revoco corpus Christi. Quomodo enim non est horrendum putrescentem carnem tuam aspicere et despicere? Et si haberes quidem famulum aut asinum laborantem putredine, non sustineres despicere; Christi autem corpus videns repletum scabie prætercurris? et non existimas hæc esse digna mille fulminibus? Propterea omnia susque deque miscentur, propter hanc inhumanitatem, propter hanc negligentiam.

Fratres quomodo corrigendi. — Idcirco rogo hanc expellamus crudelitatem: accede ad illum qui habitat cum virgine, et parvum dic fratris encomium, ex aliis quæ habet commodis et dotibus id componens; et tamquam aqua calida fovens laudibus, ita deprime tumorem ejus vulneris: te quoque ipsum pronuntia miserum, accusa commune genus humanum, ostende nos omnes esse in peccatis, pete veniam, dicens te majora aggredi quam quæ vires tuæ ferre possint, sed caritatem persuadere omnia audere. Deinde consulens hoc fac, non tamquam imperans, sed ut frater: et cum his omnibus tumorem depresseris, et lenieris dolorem qui accidit ex sectione futuræ reprehensionis, et sæpe usus fueris excusatione, rogaverisque ne irascatur; cum eum his ligaveris, tunc plagam inflige, nec vulnus alligans, nec dissolvens, ut neque illinc resiliat, neque hinc despiciat. Nam si violentum non dederis vulnus, nihil amplius efficies: sin autem vehementer percusseris, efficies ut resiliat. Propterea et post hæc omnia reprehensurus, misce rursus encomium cum reprehensionibus: et quoniam id, quod fit ab eo, per se non potest esse encomium (non est enim laude dignum simul habitare cum puella virgine), hoc fac ex mente et instituto ejus qui simul habitat. Etsi enim scio, inquies, quod tu propter Deum facis, et illius miseræ videas calamitatem, et quod defensore careat et patrono, ei manum præbuisti; etiamsi non hoc animo faciat, tu dic ita: et postea hæc quoque adde, rursus utens excusatione, et dicens: Hæc dico, non jubens, sed in memoriam revocans: propter Deum tu facis, ego quoque id scio; sed videamus num ex hoc aliquod aliud nascatur malum: et si nullum quidem sit, intus contine, pulchrumque hoc et honestum studium persequere; nullus est qui vetet: sin autem hinc nascitur aliquod damnum majus lucro, caveamus ore ne, dum unam studemus recreare animam, mille offendamus. Nec statim addas supplicia proposita iis qui offendunt et scandalum afferunt, sed ejus quoque adsume testimonium, dicens: Non opus est ut hæc a me discas; tu ipse scis, si quis offendat unum ex his pusillis, quanti supplicii intententur minæ: et cum sic lenieris orationem, et iram mitigaris, impone medicamentum correctionis. Si autem rursus causetur ejus solitudinem, ne sic quidem obtentum reprehenderis, sed dic ei: Nihil horum te terreat: sufficientem habebis excusationem aliorum scandalum: non enim propter socordiam, sed illorum curam gerens, destitisti ab hoc studio.

5. Et breve quidem sit consilium; non enim eget magna doctrina; venia autem sit multa et frequens: et continenter confuge ad caritatem, eorum quæ dicta sunt contegens gravitatem et molestiam, dansque ei potestatem et dicens: Ego quidem hæc suadeo et consulo, in tua autem potestate est ut persuadearis: neque enim cogo nec vim affero, sed totum permitto libero tuo arbitrio. Si reprehensionem ita tractemus, facile poterimus peccantes corrigere: nam quæ nunc facimus sunt magis bestiarum et rationis expertium, quam hominum. Nam si nunc quidem senserint aliqui quempiam hæc peccantem, illum quidem non alloquuntur, ipsi autem tamquam ebriæ aniculæ inter se susurrant: et illud, Sine causa ameris, et, Ne temere et sine causa odio habearis, nusquam apud illos videtur locum habere; sed quando cupiunt quidem accusare, despiciunt illud, Non sine causa odio haberi, imo vero etiam puniri (neque enim hunc solum nascitur odium, sed etiam supplicium); quando autem opus fuerit correctione, et hoc ipsum et mille alias afferunt excusationes et obtentus. Tunc enim, tunc illud cogitare oporteret, quando accusas, quando criminaris, nempe, Ne temere et sine causa odio habearis, et, Nihil proficio, et, Non est mihi curæ. Nunc autem tum quidem es vehementer inaniterque ac supervacanee curiosus: et odium despicis, et mala innumerabilia, quando autem salutis fratris te curam gerere oporteret, tunc vis esse non curiosus et non gravis ac molestus. Atqui ex maledicentia quidem nascitur odium et apud homines et apud Deum, et hoc non est tibi curæ: ex eo autem, quod das seorsum consilia, et ex ejusmodi reprehensionibus, et apud illum et apud Deum erit tibi amicitia. Quod si etiam ipse te oderit, propterea Deus manet te magis diligens: imo vero nec sic oderit, ut quando odio habebat maledicentem; sed tunc quidem tamquam inimicum et hostem aversabitur, nunc autem existimabit te quovis patre magis reverendum. Quod si etiam aperte animo ægre ferat,

seorsum apud se magnas tibi habebit gratias.

6. Hæc ergo cogitantes, curam geramus nostrorum membrorum, neque linguam alter in alterum acuamus, neque verba loquamur quæ demergant et obruant, proximi bonam famam subvertentes, et non secus atque in bello et pugna sauciantes et sauciati. Quid enim jam prodest jejunium aut vigilia, quando ebria fuerit lingua, et canis carnibus immundiorem mensam comedit, ut quæ sanguivora effecta sit, et cœnum effundat et cloacæ canalem os faciat; imo vero eo longe impurius et magis abominandum? Nam quod illinc quidem procedit, corpus polluit: quod hinc autem, sæpe suffocat animam. Hæc dico, non eorum qui male audiunt, temere curam gerens; nam illi quoque digni sunt coronis, cum quæ dicuntur ferunt fortiter; sed vestrum qui dicitis. Nam cum quidem, qui temere et sine causa male audit, beatum pronuntiant Scripturæ; eum autem, qui male dicit, a sanctis expellunt mysteriis, imo ab ipso ambitu ecclesiæ: *Eum*, inquit, *qui clanculum detrahit de suo proximo, persequebar* (*Psal.* 100. 5); quinetiam eum dicit indignum lectione sacrarum literarum. *Cur*, inquit, *tu enarras justificationes meas, et assumis testamentum meum per os tuum* (*Psal.* 49. 16)? Deinde causam afferens, dicit: *Sedens contra fratrem tuum loquebaris*. Et hic quidem non distinxit, sintne vera an falsa; alibi autem hoc quoque prohibuit, ostendens quod etiamsi vera dicas, ea non sunt a te dicenda. *Nolite judicare*, inquit, *ut non judicemini* (*Matth.* 7. 1). Nam et qui publicanum maledictis insectabatur, est condemnatus, etsi vere illum accusabat. Quid vero si sit, inquit, quispiam audax et exsecrandus, non est ipse a nobis corrigendus et arguendus? Arguendus sane est et corrigendus, sed ita ut prius dixi: sin autem hoc facis ei exprobrans, vide ne, dum Pharisæum illum imitaris, id tibi quod illi accidat. Nihil enim hinc redit lucri, non ad te qui dicis, non ad illum qui audit sic accusatus: sed ille quidem evadit impudentior. Nam quamdiu quidem latet, scit erubescere: postquam autem evaserit manifestus, id quod inde habebat frenum expellit: qui autem audit, rursus magis lædetur. Nam sive rerum recte a se gestarum fuerit sibi conscius, inflatur, alterius tumens accusationibus; sive peccatorum, fit promptior et alacrior ad vitium. Et ipse rursus qui dicit, apud eum qui audit in mala erit existimatione, et Deum in se magis irritabit. Quamobrem rogo omne verbum obscœnum et fœtidum ejiciamus; si quid bonum ad ædificationem, hoc dicamus. At cupis illum ulcisci? Cur ergo te pro illo ulciscris? Nam qui studes ulcisci eos qui tibi fuerunt molesti, ita ulciscere ut Paulus jussit ulcisci. *Si esurit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, da illi potum* (*Rom.* 12. 20). Si autem hoc quidem non facis, solum autem insidiaris, in teipsum ensem stringis. Quamobrem si ille maledicat, orna eum laudibus et encomiis. Sic enim et illum poteris ulcisci, et teipsum liberabis a mala suspicione. Nam qui dolet eo quod male audiat, hoc videtur pati ex mala conscientia; qui autem irridet ea quæ dicuntur, maximum profert indicium, quod nullius rei malæ sibi sit conscius. Cum ergo nec audienti, nec tibi, nec ei qui accusatur prosis, et in te ipsum stringas gladium, vel ex hoc ipso evade moderatior. Nam oportebat quidem persuaderi ex regno cælorum, et iis quæ Deo videntur ac placent: sed quoniam es crassius affectus, et mordes tamquam fera, vel hinc erudiaris et castigeris; ut his verbis modestior effectus, ex his solis, quæ Deo videntur ac placent, possis componi ac concinnari, ut cum omni animi perturbatione superior evaseris, cælestia bona consequaris: quæ detur nobis omnibus consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri cum sancto Spiritu sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI
JOANNIS CHRYSOSTOMI,
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,
IN SECUNDAM AD CORINTHIOS EPISTOLAM COMMENTARIUS [a].

HOMILIA I.

CAP. 1. v. 1. *Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaia: 2. gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo. 3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, 4. qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per consolationem qua ipsi consolamur a Deo.*

(*a*) Collatus cum Codice Coisliniane X. sæculi num. 33 et olim. 74.

1. *Cur secundam ad Corinthios epistolam Paulus scripserit.* — Prius quærere convenit, cur secundam epistolam priori adjungat, et quare a Dei miserationibus atque a consolatione initium ducat. Cur ergo secundam adjecit? Cum in priori epistola dixisset, *Veniam ad vos, et cognoscam, non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem* (1. *Cor.* 4. 19); et ad calcem rursus hoc ipsum suavioribus verbis pollicitus fuisset, *Veniam enim*, inquit, *ad vos, postquam Macedoniam pertransiero; Macedoniam enim pertransibo, atque apud vos fortasse manebo, aut etiam hiemabo* (1. *Cor.* 16. 5): multum temporis intercesserat, nec

tamen ad eos se contulerat ; quin potius, cum præstitutum tempus jam effluxisset, adhuc tamen cunctabatur ac moras trahebat ; quod scilicet Spiritus eum in aliis longe magis necessariis negotiis retineret. Hac de causa secundam epistolam scribere necesse habuit, non necesse habiturus, si minus tarde venisset. Nec vero hoc dumtaxat nomine, sed ob id etiam, quod ex superiore epistola meliores redditi fuerant. Nam fornicatorem eum, quem prius favore complectebantur, et ob quem insolenter se efferebant, absciderant ac prorsus ejecerant. Id quod his verbis indicavit : *Si quis autem contristavit, non me contristavit, sed ex parte, ut non onerem omnes vos* (2. *Cor.* 2. 5) Sufficit ei, qui ejusmodi est, objurgatio ea quæ fit a pluribus. Ac rursum sermonis progressu idem innuit, cum ait : *Ecce enim hoc ipsum, quod secundum Deum contristati estis, quantum in vobis sollicitudinem effecit ; imo excusationem, imo indignationem, imo timorem, imo desiderium, imo æmulationem, imo vindictam. In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse in negotio* (2. *Cor.* 7. 11). Quin pecuniam eam, quam imperaverat, summo studio collegerant : unde etiam dicebat, *Scio enim alacritatem vestram, de qua glorior apud Macedones : quoniam Achaia parata est ab anno superiori* (2. *Cor.* 9. 2). Huc accedit quod Titum, quem ipse miserat, maxima cum benevolentia susceperant. Id quod etiam ostendebat, cum rursus diceret : *Viscera ejus abundantius sunt in vobis, reminiscentis omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore et tremore eum suscepistis* (2. *Cor.* 7. 15). His omnibus causis adductus, secundam epistolam scribit. Etenim par erat, ut quemadmodum illos, cum peccarent, objurgabat ; sic etiam eosdem ad meliorem mentem reversos comprobaret ac laudibus afficeret. Ac proinde nec acrem se ac vehementem per totam epistolam præbet, sed in paucis dumtaxat sub ipsius finem partibus. Nam et apud eos Judæi quidam erant, qui magnifice de se sentirent, ac Paulum ut arrogantem nulliusque pretii hominem criminarentur : ideoque dicebant, *Epistolæ quidem graves, præsentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis* (2. *Cor.* 10. 10). Quorum verborum hæc erat sententia : Cum adest ille, nullius pretii esse videtur ; hoc enim in his verbis significatur, *Præsentia corporis infirma :* cum autem abscessit, per literas magnopere se jactat ; hæc enim horum verborum significatio est, *Epistolæ graves.* Imo ut honorem sibi conciliarent, se nihil accipere simulabant. Quod etiam ipsum innuebat, cum diceret : *Ut in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos* (2. *Cor.* 11. 12). Ac præterea, quoniam dicendi facultate pollebant ibi, eo nomine animos majorem in modum attollebant. Idcirco ipse sese imperitum appellat, ut ostendat id sibi minime pudori esse, nec rem magni esse pretii ; imo nullius momenti. Quoniam igitur verisimile erat quosdam eorum oratione a recta sententia deduci, idcirco cum prius ipsos ob id, quod recte fecerant, laudibus extulisset ; ac rursus illorum arrogantiam ob Judaicas ceremonias, quas intempestive jam observare studebant, retudisset : tum denique hoc eos nomine nonnihil objurgat. Atque hujusmodi, ut summatim ac velut obiter dicam, epistolæ argumentum mihi esse videtur. Sequitur jam ut epistolæ initium attingamus, dicamusque, cur post salutationem, quam pro suo more adhibebat, sic a Dei miserationibus exorsus sit. Prius tamen principium ipsum explicare opus est, ac quærere, quare Timotheum hoc loco sibi copularit. *Paulus* enim, inquit, *apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater.* Etenim in priore epistola se illum esse missurum pollicebatur et hortabatur his verbis : *Si autem venerit Timotheus, videte ut sine metu sit apud vos* (1. *Cor.* 16. 10) : cur ergo eum hoc loco in proœmio secum conjungit ? Cum, ut magister promiserat, ad eos se contulisset (*Misi* enim, inquit, *ad vos Timotheum, qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo* [1. *Cor.* 4. 17]), atque ubi omnia rectius constituisset, ad Paulum se receperat. Etenim cum cum mitteret, dicebat, *Deducite eum in pace, ut veniat ad me : exspecto enim eum cum fratribus* (1. *Cor.* 16. 11).

2. Posteaquam igitur ad magistrum se recepisset, ac restitutis correctisque una cum eo Asiæ negotiis (*Manebo* enim, inquit, *Ephesi usque ad Pentecosten* [1. *Cor.* 16. 8]), rursus in Macedoniam transivisset : jam non immerito eum ut præsentem sibi copulat. Etenim tunc ex Asia, nunc autem e Macedonia scribit. Ipsum porro sibi conjunxit, tum ut eum honorabiliorem redderet, tum ut ingentis humilitatis suæ specimen exhiberet. Erat enim ille inferior ipso ; sed caritas omnia connectit. Eoque etiam fit, ut illum ubique sibi exæquet, nunc ita loquens, *Tanquam patri filius, mihi inservivit* (*Philipp.* 2. 22) : nunc rursus, *Opus enim Domini operatur, sicut et ego* (1. *Cor.* 16. 10) : ac denique hoc loco fratrem quoque eum appellat : nimirum ut omnibus modis ei apud Corinthios venerationem comparet. Nam eo, ut jam dixi, perrexerat, suæque virtutis documentum præbuerat. *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi.* Rursus eos Eccle iam vocat, ut omnes in unum conciliet ac devinciat. Neque enim Ecclesia una esse queat, divulsis iis, atque inter se dissidentibus, qui in ea sunt. *Cum sanctis omnibus qui sunt in universa Achaia.* Eadem opera et Corinthios honore afficit, dum per eam quam ad eos scribit epistolam omnes consalutat, et universam nationem inter se conciliat. Sanctos autem eos vocat, ut ostendat ab hac appellatione alienum esse, quisquis impuris est moribus. Et cur ad metropolim scribens, omnibus per eam scribit, cum id ubique minime faciat? Siquidem cum ad Thessalonicenses literas daret, non ad Macedones quoque scribebat ; nec item Ephesiis scribens, universam Asiam una complexus est ; nec denique Epistola ad Romanos iis etiam, qui in Italia versabantur, missa est. Hic autem hoc facit, atque item in Epistola ad Galatas. Neque enim illic uni dumtaxat, aut duabus, aut tribus civitatibus, sed iis qui passim dispersi erant scribit, his verbis utens : *Paulus apostolus, non ab hominibus nec per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem, qui suscitavit eum ex mortuis, et qui me-*

cum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ : Gratia vobis et pax (*Gal.* 1. 1. 3). Quin ad Hebræos quoque unam generatim epistolam scripsit, nec eos per civitates distinxit. Quænam igitur hujusce rei causa est? Mea quidem sententia, quod communes hic morbi essent; ideo communem quoque epistolam facit, quia communi correctione indigebant. Etenim Galatæ omnes morbo laborabant et Hebræi, atque, ut mea opinio fert, hi quoque. Quamobrem cum universam nationem congregasset, atque eos, ut reliquos omnes consueverat, salutasset; *Gratia* enim *et pax*, inquit, *a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo*; audi jam quomodo accommodate ad institutum argumentum exordiatur. *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis.* Quonam autem modo, inquies, hoc præsenti argumento congruit? Maxime sane : sic enim expende : magna hoc eos molestia et perturbatione afficiebat, quod apostolus illuc minime profectus fuisset, cum id se facturum spopondisset, verum universum tempus in Macedonia consumpsisset, aliosque ipsis anteferre videretur. Quare ut hanc perturbationem comprimat, causam exponit, ob quam minime ad eos perrexerit. Nec tamen recta eam ponit, nec ait, Scio quidem quod pollicitus sum me ad vos venturum, sed, quia calamitates mihi impedimento fuere, ignoscite, quæso, nec me superbiæ cujusdam aut negligentiæ condemnate : verum alia ratione ac magnificentius atque ad fidem faciendam accommodatius hoc idem efficit, rem per consolationem amplificans : quo deinceps ipsi non sciscitentur cur ad eos venire cunctatus sit. Ac perinde facit, ut si quis, cum se ad aliquem, quem carum habeat, venturum esse recepisset, ac postea innumeris periculis perfunctus veniat, ac dicat : Gloria tibi sit, Deus, quod faciem mihi caram ac desideratam ostendisti : benedictus Deus, quibus periculis me liberasti! Siquidem hujusmodi divinæ gloriæ prædicatio purgationis vice apud eum est, qui expostulaturus fuerat, nec eum de cunctatione ac mora conqueri permittit. Erubescit enim eum, qui ob tot ac tanta mala ex quibus ereptus est Deo gratias agit, in jus vocare, pœnasque tarditatis ab eo expetere. Ideo sic auspicatur, *Benedictus Deus misericordiarum.* Quibus verbis hoc subindicat, se ipsius ope ex ingentibus periculis eductum ac liberatum fuisse. Quandoquidem David non ubique eodem modo, nec ab iisdem rebus ipsum appellat; verum cum de bello ac victoria verba facit, *Diligam te, Domine, virtus mea,* inquit, *Dominus protector meus* (*Psal.* 17. 1) : cum autem de calamitate, qua liberatus est, ac de animi caligine, quæ ipsum circumdabat, *Dominus illuminatio mea et salus mea* (*Psal.* 26. 1) : atque nunc a benignitate et clementia, nunc a justitia, nunc ab incorrupto judicio, prout illa, in quibus versabatur, tempora postulabant, cognomentum ipsi tribuit. Ad eumdem itaque modum hoc loco Paulus incipiens a benignitate et clementia ipsum appellat, *Deus misericordiarum*, inquiens, hoc est, qui tantæ miserationis specimen edidit, ut nos ex ipsis mortis portis eduxerit.

3. *Pauli humilitas.* Hoc enim maxime Deo proprium ac peculiare est ipsiusque naturæ insitum, nimirum ad hunc modum misereri. Ideo misericordiarum Deum ipsum vocat. Atque hinc quoque Pauli humilitatem velim consideres. Nam quamvis evangelicæ prædicationis causa periclitaretur, non tamen merito suo, sed per Dei miserationes salutem consequutum se esse ait. Verum hoc quidem apertius postea dixit; nunc autem hæc verba subjungit : *Qui consolatur nos in omni tribulatione.* Non dixit, Qui non sinit nos calamitate affici, sed, *Qui in calamitate nos consolatur.* Nam hoc tum Dei potentiam declarat, tum eorum, qui calamitatibus premuntur, patientiam auget : *Tribulatio* enim, inquit, *patientiam operatur* (*Rom.* 5. 3). Id quod propheta quoque his verbis indicabat : *In tribulatione dilatasti me* (*Psal.* 4. 2), Non dixit, Non passus es me in tribulationem labi, aut, Tribulationem confestim submovisti, sed, Ea manente dilatasti me : hoc est, ingentem cordis latitudinem et voluptatem mihi attulisti. Id quod etiam in tribus pueris contigit. Neque enim, quo minus in fornacem inciderent, prohibuit, nec cum incidissent, flammam exstinxit, verum flagrante fornace latitudinem ipsis præbuit.

Deus semper consolatur. — Hoc autem Deus perpetuo facere consuevit : quod etiam Paulus subindicabat, cum diceret : *Qui consolatur nos in omni tribulatione.* Quin aliud quoque his verbis demonstrat. Quidnam tandem istud? Nempe quod non semel aut iterum, sed semper hoc faciat. Neque enim nunc consolatur, nunc rursus deserit, sed semper ac perpetuo hoc agit. Ob idque dixit, *Qui consolatur*, non, *Qui consolatus est*; et, *In omni tribulatione*, non in hac atque illa, sed *In omni; ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per consolationem, qua consolamur et ipsi a Deo.* Videsne quomodo excusationem præstruat, dum magnæ cujusdam afflictionis suspicionem auditori præbet? Atque etiam per hæc ipsa verba modestiam præ se fert, cum ait hanc quoque ipsam miserationem, non ob ipsorum meritum ac dignitatem, sed propter eos, qui ab ipsis adjuvandi erant, contigisse. Ob id enim, inquit, nos consolatus est, ut nos mutuam consolationem alii aliis adhibeamus. Atque hinc quoque apostolorum dignitatem declarat, dum hoc indicat, quod posteaquam solatio affectus ac recreatus fuit, non sicut nos supinum se atque ignavum præbeat, verum ad cohortandos atque confirmandos et excitandos alios progrediatur. Sunt etiam qui hunc locum sic exponant, ac si apostolus dicat : Consolatio nostra aliorum quoque consolatio est. Quin mihi etiam ipse in falsos apostolos, qui incassum se jactabant, domique desidebant ac deliciis operam dabant, per hujusmodi proœmium invehi videtur; verum obscure, ac velut obiter. Cæterum præcipue id agebat, ut cunctationis ac negligentiæ notam a se depelleret. Nam si propterea consolatione afficimur, ut aliis quoque consolationem afferamus,

crimini ne vertite, quod ad vos non accesserimus : si quidem nobis omne tempus in insidiis et invasionibus, depellendisque ingruentibus periculis terebatur. 5. *Quoniam sicut abundant Christi passiones in nobis, ita etiam per Christum abundat consolatio nostra.* Etenim ne discipulorum animos calamitates suas nimium exaggerando consternaret, ostendit rursum ingentem quoque consolationis copiam esse : sicque animos eorum erigit. Neque hac tantum ratione, sed eo etiam, quod eos Christi submoneat, ipsiusque passiones esse asserat : atque ante consolationem ab ipsis quoque calamitatibus consolationem inducit. Quid enim suavius ac jucundius, quam me Christi socium effici, atque ipsius causa hæc perpeti? Quid cum hac consolatione comparandum? Nec vero hinc tantum, sed aliunde quoque eorum, qui calamitatibus conflictantur, animos attollit. Unde tandem aliunde? Hinc nempe, quod ait, *Abundant.* Non enim dixit, Quemadmodum Christi passiones nobis ingruunt, sed, *Sicut abundant.* Quibus verbis illud ostendit, quod non modo illius cruciatus, sed his quoque plures perferant. Non enim, inquit, ea tantummodo, quæ ipse passus est, pertulimus, verum his etiam ampliora. Sic enim considera : vexatus est, persequutionem passus est Christus, flagris cæsus est, mortuus est. At nos, inquit, his plura patimur : quod quidem vel solum ad consolationem satis esse queat. Nec quisquam hunc sermonem arrogantiæ ac temeritatis damnet : nam et alio loco ait : *Nunc gaudeo in passionibus meis, atque adimpleo ea quæ desunt passionibus Christi in carne mea* (*Coloss.* 1. 4). At neutrum horum temeritatis ullius et arrogantiæ est. Sicut enim discipuli majora, quam ipse, miracula fecerunt; *Qui enim credit in me,* inquit, *majora his faciet* (*Joan.* 14. 12); totum autem ipsi adscribitur, qui in ipsis operabatur : sic etiam plura, quam ipse, perpessi sunt; at universum hoc rursus ipsi adscribi debet, qui eos consolabatur, atque ita comparabat, ut ingruentia mala forti animo perferrent.

4. Unde etiam Paulus, quam excelse loquutus esset, agnoscens, vide quomodo hoc rursus his verbis mitiget, *Ita et per Christum abundat consolatio nostra;* totum hoc acceptum illi referens, atque ipsius benignitatem prædicans. Non enim, inquit, quanta calamitate, tanta quoque consolatione afficimur, sed multo majore. Neque enim dixit, Consolatio calamitates æquat, sed, *Abundat consolatio;* ita ut certaminum tempus, aliarum rursus coronarum tempus sit. Quid enim, quæso, tam amplum ac præclarum, quam ob Christum flagris cædi, et cum Deo colloqui, omnibusque robore præstare, ac persequutores vincere, neque ab universo terrarum orbe subigi et expugnari posse, atque ejusmodi bona hinc exspectare, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt? quid tam egregium, quam pietatis causa premi, atque innumeris Dei consolationibus frui, ac tot tantisque peccatis liberari, et Spiritu sancto et sanctitate atque justitia donari, nec quemquam metuere ac perhorrescere, atque in ipsismet periculis quovis splendidiorem videri? Ne igitur in tentationibus animo dejiciamur. Nemo enim deliciis studens et dormiens ac languens, cum Christo societatem habet; nemo eorum, qui molliter ac remisse vivunt : verum is demum illi vicinus est, qui in calamitate ac tentatione versatur, atque arctum vitæ iter tenet. Nam ipse quoque hac via incessit : eamque ob causam dicebat, *Filius hominis non habet ubi caput reclinet* (*Matth.* 8. 20).

In calamitatibus quomodo agendum. — Proinde ne animo discrucieris, cum calamitate premeris, animadvertens cui communices, et quonam modo per tentationes scelerum maculas eluas, quantumque inde fructum referas. Nihil enim aliud grave atque acerbum est, quam in Dei offensionem incurrere. Hoc sublato, non afflictio, non insidiæ, non aliud quidquam prudentem animam molestia afficere queat. Quin potius, quemadmodum si exiguam scintillam in magnum pelagus injicias, eam protinus exstinxeris : eodem modo molestia omnis, quamlibet ingens, si in animum bene sibi conscium inciderit, confestim perit et evanescit. Ideo Paulus etiam semper gaudebat, quandoquidem in iis rebus, quæ divinæ voluntati consentaneæ erant, fidentem animum gerebat; ac tot mala ne quidem sentiebat, verum quamvis, ut homo, dolore tangeretur, non tamen animo concidebat. Sic patriarcha quoque ille in gaudio versabatur, tametsi gravia multa sustineret. Sic enim perpende : patria excidit, longas ac molestas peregrinationes subiit; atque, cum in alienam regionem venisset, ne pedis quidem vestigium habebat. Hinc rursus eum fames excepit, ac solum vertere coegit; famem rursum uxoris ereptio sequuta est, ac mortis metus et sterilitas et bellum et pericula et insidiæ, ac denique, quod ærumnarum caput erat, unigeniti et cari filii mactatio, illa, inquam, acerbissimum atque immedicabilem dolorem afferens. Neque enim existimes, quoniam prompto ac libenti animo Deo paruit, idcirco citra ullum doloris sensum illa omnia pertulisse. Nam etiamsi millies justus fuisset, ut revera erat, tamen homo erat, eaque quæ natura fert, patiebatur. At ipsum tamen nihil horum perculit; sed fortis athletæ instar constitit, atque in uno quoque horum victoriam adeptus est. Ad eumdem modum beatus quoque Paulus, cum frequentes afflictiones quolibet die in se irruentes perspiceret, haud secus ac si in medio paradiso degeret, ita gaudebat et exsultabat. Ut igitur is, qui hujusmodi gaudio fruitur, a mœrore arripi non potest : sic qui illud minime amplexus est, a quibusvis arripi et expugnari potest : ac perinde ei accidit, ut ei qui imbecillibus armis instructus est, ac vel levissimo ictu sauciatur; cum contra is qui probe undique armatus est, ingruentia omnia tela propulset. Etenim quibusvis armis firmior ac valentior est voluptas ea, quæ secundum Deum percipitur : nec quidquam est, quod hujusmodi virum in tristitiam ac mœrorem conjicere queat, verum omnia forti ac generoso animo perfert. Quid enim igne gravius? quid perpetuis cruciatibus acerbius? Nam ut etiam opes et liberos, ac

denique quidvis amittat, hoc tamen ad ciendum dolorem omnibus est violentius. *Pellem* enim, inquit, *pro pelle, et omnia quæ habet homo, dabit pro anima sua* (*Job.* 2. 4). Nec quidquam corporis tormentis acerbius fingi potest. Sed tamen quæ vel auditu intoleranda sunt, ea ob gaudium illud, quod divinitus concipitur, tolerabilia atque etiam expetenda fiunt. Ac si a ligno, vel a sartagine, nonnihil adhuc spirantem martyrem eduxeris, tantum gaudium in eo situm comperies, quantum ne verbis quidem ullis exprimi possit. Et quid faciam, inquies, quando martyrii tempus nunc non est? Quid dicis? martyrii tempus nunc non adest? Numquam illud abest, sed semper ob oculos nostros versatur, si vigilanti animo simus. Neque enim in ligno tantum pendere, martyrem facit: quoniam si ita res haberet, coronarum hujusmodi Job expers esset. Neque enim ad tribunal adductus est, nec judicis vocem audivit, nec carnificem vidit; non enim e ligno sublimis pendens excarnificabatur: et tamen multis martyribus acerbiora passus est; ac voces illæ nuntiorum, qui alii aliis succedebant, eum quavis plaga acrius acerbiusque convulnerabant, atque undique lancinabant, vermiumque illorum ora omni ex parte ipsum immanius, quam sexcenti carnifices, corrodebant.

5. Ecquem igitur martyrem hic non æquet? Imo vero sexcentos. Nam per omnia rerum genera tum luctabatur, tum palmam obtinebat, nimirum per opes per liberos, per corpus, per uxorem, per amicos, per hostes, per servos; nam hi quoque in os ejus inspuebant; per famem, per somnia, per dolores, per fœtorem. Ob eamque causam dixi, eum non uni aut duobus aut tribus, sed sexcentis martyribus æquandum esse. Etenim una cum iis quæ commemorata sunt, tempus quoque magnum ipsius coronis cumulum addit: quippe quod ante legem et gratiam hæc perpessus sit, quod multos menses, quod omnia supra modum, quod acerbitates omnes simul in eum impetum fecerint: quamquam unumquodque eorum vel solum intolerabile erat, ipsaque adeo divitiarum jactura, quæ reliquis tolerabilior esse videbatur. Multi quippe plagas quidem æquo animo tulerunt, qui tamen opum jacturam minime pertulerunt; verum earum causa flagris potius concidi, atque innumeris calamitatibus affici, quam aliquam earum partem projicere maluerunt, gravioremque eam plagam existimarunt, quæ ex opum detrimento capitur. Itaque hoc quoque aliud martyrii genus est, cum quis earum amissionem forti animo perfert. Et quonam modo, inquiet aliquis, eam forti animo perferemus? Cum didiceris te per unicam vocem, qua Deo gratias agas, plus lucri facturum, quam damni feceris. Nam si audita earum amissione minime conturbemur, sed dicamus, Benedictus Deus; longe uberiores divitias invenimus. Neque enim tantum utilitatis capies, si opes tuas in egentes consumas, et obambules, ac pauperes conquiras, facultatesque tuas in eos qui fame laborant spargas, quantum per hoc unum verbum emolumenti feres. Quandoquidem et Jobum non tam admiror, cum domum suam pauperibus apertam habet, quam eumdem suspicio ac prædico, cum bonorum ereptionem ita fert, ut gratias etiam agat. Quod etiam ipsum in liberorum amissione accidere cernere licet. Neque enim hac in re minorem mercedem capies, quam ille, qui filium suum adduxit atque immolavit, si cum filium morientem conspexeris, benigno Deo gratias agas. In quo enim is qui hujusmodi animo præditus est, Abrahamo inferior sit? Ille enim non mortuum humi stratum vidit, sed tantum exspectavit: quocirca si hac ratione superior est, quod filium mactare parabat, atque extenta manu gladium arripuerat, in hoc rursum inferior est, quod hic puer mortuus jaceat. Quinetiam alioqui præclari facinoris spes consolationem ipsi afferebat: atque illud item, quod strenuum hujusmodi facinus propriæ ipsius fortitudinis munus erat; ac præterea vox ea, quæ cælitus mittebatur, ab eo audita, promptiorem eum reddebat. Hic autem nihil ejusmodi est. Ex quo intelligitur, adamantina quadam anima opus esse, ut quispiam unicum filium, qui in divitiis educatus fuerat, lætamque de se spem afferebat, in tumulo jacentem et extentum conspiciens, casum hunc leniter ac placide ferat. Qui hoc animo est, si sedatis naturæ fluctibus illud Jobi siccis oculis dicere queat, *Dominus dedit, Dominus abstulit* (*Job* 1. 21); ob hoc dumtaxat verbum una cum Abrahamo collocabitur, una cum Job victor prædicabitur. Quod si, compressis mulierum singultibus chorisque lugentium dissolutis, omnes ad celebrandas Dei laudes excitarit innumera in cælo, innumera in terra præmia consequetur, hominibus eum admirantibus, angelis plaudentibus, Deo coronante.

6. Et qui fieri queat, dicet aliquis, ut qui homo est, non lugeat? Nimirum si cogites, nec patriarchæ nec Jobo, cum homo uterque esset, quidquam tale accidisse, idque cum uterque ante legem et gratiam ac tantam legum philosophiam exstitisset: si præterea illud consideres, eum, qui vitam cum morte commutavit, ad meliorem regionem migrasse, atque ad præstantiorem sortem transiliisse, teque non filium amisisse, sed in tuto jam loco collocasse. Quamobrem ne dixeris, Jam pater non vocor. Cur enim non jam voceris, cum filius tuus superstes sit? num puerum amisisti? num filium perdidisti? Imo potius adeptus es, tutiusque possides. Ideo non jam hic solum pater vocaris, sed etiam in cælo. Quamobrem, tantum abest ut patris nomen amiseris, ut copiosius etiam illud tibi accesserit: neque enim jam mortalis, sed immortalis filii pater vocaberis, strenuique militis, atque intus perpetuo stantis. Neque enim est, quod eum idcirco tibi periisse putes, quia non adest. Etenim si peregre profectus fuisset, non propterea una cum corpore propinquitatis quoque nomen abscessisset. Quocirca ne jacentis vultum attende; sic enim ægritudinem exsuscitas, verum da operam, ut mentem ab eo, qui jacet, ad cælum subducas. Non enim cadaver hoc, quod humi jacet, filius tuus est, sed ille, qui avolavit, atque in immensam altitudinem

ascendit. Cum itaque depressos oculos atque contractum os et corpus motu carens videris, cave hoc tibi in mentem veniat, quod os istud non jam loquitur, oculi isti non jam cernunt, pedes isti non jam ambulant, sed omnia in corruptionem abierunt : cave, inquam, ista dicas; verum his contraria, nempe, Os istud melius loquetur, oculi isti meliora cernent, et pedes in nubibus sublimes tollentur, ac denique corpus istud, quod nunc corrumpitur, immortalitatem induet, illustrioremque filium meum recipiam. Quod si mœrorem tibi ea, quæ cernis, afferunt, interim tecum ipse hæc loquere : Vestimentum hoc est, id exuit, ut ipsum præclarius recipiat : domus hæc est, ea eversa est, ut luculentior fiat. Quemadmodum enim nos, cum domum purgaturi sumus, eos qui intus habitant, non sinimus manere, sed ne quid pulveris contrahant ac tumultu offendantur, foras amandamus ac paulisper secedere jubemus; posteaquam autem domum tutam reddidimus, tum denique ipsos libere introire sinimus : eodem modo Deus quoque facit; everso enim putri ipsius tabernaculo, interim eum in paternam domum atque ad se introducit, ut posteaquam illud diruerit, atque instaurarit, tum demum splendidius id ei reddat Quocirca ne dixeris, Periit, nec jam est; eorum enim, qui fide carent, hæc verba sunt; verum hoc potius, Dormit, ac resurget; peregre abiit, atque cum Rege venturus est. Quis hoc sermone utitur? Is nempe, qui Christum in se loquentem habet. *Si enim credimus*, inquit, *quod Jesus mortuus est et resurrexit ac vivit; ita etiam Deus eos, qui obdormierunt, per Jesum adducet cum eo* (1. *Thess.* 4. 14). Quare si filium quæris, illic eum quære, ubi Rex est, ubi angelorum exercitus, non in sepulcro, non in terra, ne alioqui, eo usque adeo in altum erecto, ipse humi provolutus maneas. Si ad hunc modum philosophemur, omnem ejusmodi dolorem nullo negotio propellemus. Deus autem miserationum et Pater totius consolationis omnium nostrum corda consoletur, et eorum qui in ejusmodi doloribus versantur, et eorum qui alio mœroris genere tenentur, donetque ut omni mœstitia liberemur, ac spirituale gaudium percipiamus, futuraque bona consequamur : quæ detur omnibus nobis assequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simulque sancto Spiritui gloria, potestas, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

Cap. 1. v. 6. *Sive autem tribulamur, pro vestra consolatione et salute, quæ operatur in tolerantia earumdem passionum, quas et nos patimur :* 7. *et spes nostra firma est pro vobis.*

1. Postquam unam ac principem exhortationis atque consolationis causam protulit, nempe quod Christo communicemus, secundam quoque hanc ponit, nimirum quod discipulis ipsis hinc salus comparetur. Ne igitur animis concidatis, inquit, nec perturbemini ac metuatis, propterea quod affligimur : quandoquidem hoc ipso nomine æquius fuerit vos fiduciam concipere. Nam nisi affligeremur, hæc omnia vobis exitium attulissent. Qui tandem istud? Quoniam si animis fracti ac periculorum metu perterriti, fidei doctrinam vobis minime prædicavissemus, ut veram scientiam intelligeretis, extremo in discrimine res vestræ sitæ essent. Vides rursus quanta Pauli vis sit atque contentio? ab his ipsis rebus, quæ metum ac perturbationem ipsis afferebant, eos consolatur. Quo etenim persequutiones nostræ magis ingravescunt, inquit, eo magis bona vestra spes incrementum capere debet, quandoquidem tanto major saluti consolationique vestræ cumulus accedit. Quidnam enim tantam ad consolandum vim habebat, quam quod prædicationis beneficio tot bona consequebantur? Postea, ne universam laudem solus ipse sibi arrogare videatur, vide quomodo eos quoque in laudis societatem adsciscat. Postquam enim dixit, *Sive tribulamur, pro vestra consolatione et salute*, subjunxit, *Quæ operatur in tolerantia earumdem passionum, quas et nos patimur.* Ac dilucidius hoc quidem postea exprimit his verbis, *Sicut socii estis passionum, sic eritis et consolationis :* interim autem hoc loco id subindicavit, cum dixit, *Earumdem passionum*, atque ita sermonem cum illis communicavit. Quod autem ait, hanc sententiam habet : Non nos soli vestræ salutis negotium agimus, sed et vos quoque. Siquidem et nos, dum prædicationis munus obimus, affligimur; et vos, qui sermonem excipitis, in iisdem calamitatibus versamini : nos videlicet, ut quæ accepimus vobis impertiamus; vos, ut quod datur accipiatis nec amittatis. Quidnam igitur est, quod cum hac humilitate comparari possit; quippe cum eos, qui tanto intervallo ab eo dissiti erant, in eamdem patientiæ laudem dignitatemque subvehat? inquit enim, *Quæ operatur in tolerantia earumdem passionum.* Neque enim per fidem dumtaxat salus vobis comparatur, verum per id etiam, quod easdem quas nos calamitates suffertis.

Justi virtus in ærumnis lucet et augetur.—Quemadmodum egregius athleta ob splendorem et probam corporis habitudinem, etiam cum artem in seipso continet, homines in admirationem trahit; at cum operatur et plagas perfert atque adversarium ferit, tum denique potissimum elucet, quoniam tum denique bona ipsius habitudo vim suam exserit, artisque præstantia declaratur : eodem modo salus nostra tum luculentius agitur, hoc est, ostenditur, augetur, amplificatur, cum tolerat et patitur, ac cuncta forti et strenuo animo subit. Ex quo colligitur, salutis negotium non in hoc consistere, ut quispiam alium malo afficiat, sed ut ipse afficiatur. Nec dixit, ἐνεργούσης, hoc est, quæ efficit, sed, ἐνεργουμένης, id est, quæ efficitur : ut videlicet illud ostendat, quod ad eorum promptitudinem atque animi alacritatem divina quoque gratia adjun-

cia, multas utilitates afferebat, dum in illis operaretur. *Et spes nostra firma est pro vobis.* Hoc est, etiamsi innumeras rerum acerbitates perpetiamini, confidimus tamen fore, ut ne ob vestras quidem persequutiones concidatis. Tantum enim abest, ut sinistri quicquam de vobis ob ea quæ patimur suspicemur, ut cum ipsi periclitamini, tum quoque bono animo simus. Vides quantum illi ex priore epistola profeceriut? Etenim multo majora ipsis pro testimonio tribuit, quam Macedonibus, quos tamen alioqui passim per totam epistolam laudibus tollit. Nam illorum quidem causa in metu erat, atque aiebat : *Misimus vobis Timotheum ad confirmandos vos et exhortandos pro fide vestra, ut nemo moveatur in tribulationibus istis; ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus* (1. *Thess.* 3. 2. 3) : ac rursus : *Propterea et ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram, ne forte tentaverit vos is qui tentat, et inanis fiat labor noster* (*Ibid. v.* 5). De his autem nil tale loquitur, sed plane contra : *Spes nostra firma est pro vobis. Sive consolamur, pro vestra consolatione et salute; scientes quod sicut estis socii passionum, ita eritis consolationis.* Nam quod eorum causa apostoli premerentur, his verbis indicavit, *Sive tribulamur, pro vestra consolatione et salute.* Vult item ostendere, quod eorum etiam causa consolatione afficerentur. Atque hoc quidem superius quoque dixit, tametsi indefinite : *Benedictus* enim, inquit, *Deus qui consolatur nos in omni tribulatione, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Alt rursus idem hoc quoque loco apertius, atque ad eorum animos curandos efficacius : *Sive* enim *consolamur*, inquit, *pro vestra consolatione.* Quorum verborum hic sensus est : Consolatio nostra, consolatio vestra exsistit, etiamsi vos minime sermone consolemur. Nam si paulum ipsi respiremus, id vobis ad consolationem satis est; ac si nos solatio afficiamur, in consolationem vestram hoc cedit. Quemadmodum enim calamitates nostras vestras esse ducitis : sic etiam nostram consolationem vestram esse censetis. Neque enim certe, cum in adversis rebus socii mihi sitis, in lætis item ac secundis socii non eritis. Quocirca cum in omnibus rebus socios vos habeam, et in tribulatione et in consolatione, non est quod me hujusce tarditatis ac moræ nomine accusetis : nam pro vobis affligimur, et propter vos consolatione afficimur. Ne quis enim grave ac molestum id esse existimaret, quod dixerat, Propter vos hæc patimur, illud etiam addit, Et propter vos consolatione afficimur; ac ne nos quidem soli periclitamur, cum ipsi quoque in earumdem calamitatum partem veniatis.

2 Itaque tum ex eo quod periculorum socios ipsos assumpsit, tum ex eo quod consolationis suæ causam ipsis adscribit, orationem lenit. Ac propterea, sive insidiis appetamur, firmo animo estote; nam ut fides vestra plus roboris colligat, hoc patimur; sive solatium accipimus, hoc quoque nomine gloriamini : nam propter vos eo fruimur, ut hinc etiam consolationis nonnihil ad vos redeat, dum lætitiæ nostræ participes estis. Atque ut intelligas quod de hoc consolationis modo nunc loquatur, quem ipse percipiebat, non hinc tantum quod consolatione ab ipsis afficeretur, verum etiam quia eos ab afflictione liberos esse intelligeret, audi quæ deinceps sequuntur, per quæ hoc aperte declaravit, cum dixit, *Scientes quod sicut socii estis passionum, ita eritis et consolationis.* Sicut enim, cum nos persequutionem patimur, vos perinde doletis ac si ipsi eam subiretis : sic non dubitamus, quin, cum solatium accipimus, vos eo frui existimetis. Quid hoc animo humilius fingi possit? quippe qui periculis tanto eos intervallo superans, socios tamen eos vocat, qui ne minimam quidem eorum partem sustinebant; in consolatione autem universam ipsis causam, non suis laboribus adscribit. Deinde quoniam de afflictionibus generatim loquebatur, jam locum quoque narrat, in quo hæc perpessus sit. 8. *Non enim volumus vos ignorare, fratres, de tribulatione nostra quæ facta est nobis in Asia.* Hæc, inquit, idcirco dicimus, ne ea, quæ nobis acciderunt, ignoretis. Siquidem rerum nostrarum statum vobis exploratum esse cupimus, atque id summo studio curamus : quod quidem maximum est dilectionis argumentum. Hoc autem in superiore quoque epistola his verbis prius significarat : *Ostium mihi apertum est magnum et evidens, et adversarii multi Ephesi* (1. *Cor.* 16. 9). Hæc igitur in memoriam ipsis redigens, atque exponens quæ subierat, ait, Nolo vobis ignotam esse afflictionem eam quæ mihi in Asia contigit. Quod etiam ipsum, cum ad Ephesios scriberet, dicebat. Nam cum Tychicum ad eos misisset, hanc ipsi profectionis causam fuisse commemorat : ideoque dicebat : *Ut autem sciatis et vos quæ circa me sunt, quid faciam, omnia vobis nota faciet Tychicus, carissimus frater et fidelis minister in Domino : quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, et consoletur corda vestra* (*Ephes.* 6. 21. 22). In aliis quoque epistolis hoc ipsum facit. Neque id supervacaneum est, sed perquam etiam necessarium : partim ob ingentem caritatem qua discipulos prosequebatur, partim ob assiduas tentationes, in quibus permagna consolatio erat, compertum habere quonam statu utraque ex parte res se haberent : quo nimirum, si tristes et acerbæ essent, ad eas perferendas se compararent, atque in sollicitudine cautioresque essent; sin autem lætæ ac jucundæ, simul gauderent. Cæterum hoc loco et tentationum invectionem, et quo pacto his liberatus sit, simul exponit. *Quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem;* non secus videlicet ac navis aliqua, quæ gravi quodam onere demergitur. Atque unam quidem et eamdem rem his verbis intelligere videtur, cum dixit, *Supra modum*, et, *Supra virtutem;* non tamen una est, sed duæ. Etenim ne quis dicat, Quid enim, si supra modum quidem erat periculum, vobis autem non magnum erat? idcirco subdidit, Et magnum erat et vires nostras superabat, atque usque adeo superabat, ut etiam vivere nos tæderet : hoc est, nullam spem et exspectationem haberemus nos amplius victuros. Id quod David inferorum portas,

ac partus dolores, et mortis umbram appellat, hoc nimirum hic quoque Paulus dicit, Ejusmodi periculum subiimus, quod omnino mortem afferret. 9. *Sed ipsi in nobis ipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos.* Quid est, *Responsum mortis habuimus?* Sententiam, judicium, exspectationem. Talem enim res ipsæ vocem mittebant, tale responsum dabant ea quæ evenerant, nempe quod certissime morituri essemus. Verum id usque ad rem ipsam minime processit, sed intra suspicionem nostram substitit. Quamquam enim rerum natura hoc pronuntiaverat, tamen Dei potentia sententiam in opus exire non passa est, sed in sola nostra cogitatione atque in exspectatione hoc contingere permisit : ideoque ait, *In nobis ipsis responsum mortis habuimus*, non in re ipsa. Cur autem tantum periculum nobis creari permiserit, ut vitæ spes omnis nobis erepta esset? *Ne*, inquit, *fidentes simus in nobis, sed in Deo.*

3. His autem verbis Paulus, non quod ipse ita affectus esset, absit hoc, sed ut alios per ea, quæ de seipso dicebat, institueret, simulque etiam modestiæ studio ductus, utebatur : quandoquidem in progressu quoque ait, *Datus est mihi stimulus carnis* (2. *Cor.* 12. 7), hoc est, tentationes, ut ne extollar. Atqui Deus non ideo se permisisse ait, sed alteram ob causam. Quam tandem? Nimirum ut ipsius potentia magis eluceret : *Sufficit* enim *tibi*, inquit, *gratia mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur* (*Ibid. v.* 7). Verum, ut a me dictum est, nusquam mores suos obliviscitur, seipsum inter eos, qui longe inferiores erant ac multa disciplina et correctione opus habebant, accensens. Nam alioqui, cum ad meliorem mentem revocandos etiam vulgares homines, una aut altera tentatio coorta sufficiat; quonam tandem modo is, qui supra mortales omnes humilitatem per omnem vitæ cursum coluerat, pluraque quam quisquam alius perpessus fuerat, post tot annos ac cælis dignam philosophiam, hac admonitione opus haberet? Ex quo perspicuum illud est, cum hoc loco partim modestiæ studio, partim ut eos, qui de seipsis magnifice sentiebant atque arroganter se jactabant, deprimeret ac coerceret, his verbis usum fuisse, *Ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo.* Ac vide quomodo hac quoque ratione animos eorum deliniat. Tentationes enim, inquit, vestra causa nobis inferri permissæ sunt; tanto in pretio vos Deus habet : *Si enim tribulamur*, inquit, *pro vestra consolatione et salute*; at immodica calamitatum magnitudo propter nos contigit, ne magnifice sentiamus : *Nam supra vires aggravati sumus, ut ne fidentes simus in nobisipsis, sed in Deo qui suscitat mortuos.* Rursus doctrinam de resurrectione, de qua tot in priori epistola verba fecerat, in memoriam ipsis revocat, atque a præsentibus rebus ei fidem adstruit : unde etiam subjunxit, 10. *Qui de tantis mortibus nos eripuit.* Non dixit, Ex tot periculis : quo simul et intolerandam tentationum acerbitatem ostendat, et illum quem dixi sermonem confirmet. Quoniam futura res erat resurrectio, idcirco hanc quotidie fieri ostendit. Nam cum Deus hominem, de quo spes omnis jam abjecta erat, quique ad ipsas usque mortis portas accesserat, in sublime revocat, nihil aliud quam resurrectionis specimen præbet, ab ipsis mortis faucibus eum retrahens, qui in eas inciderat. Quo etiam fit, ut de multis, qui cum ab omnibus deplorati fuerint, ac deinde ex gravi morbo aut intolerandis quibusdam tentationibus emerserint, illud usurpari soleat : Mortuorum resurrectionem in hoc homine vidimus. *In quem speramus quoniam et adhuc eripiet*, 11. *adjuvantibus etiam vobis in oratione pro nobis : ut ex multorum personis ejus, quæ in nobis est, donationis per multos gratiæ agantur pro nobis.* Quoniam id quod dixerat, *Ut ne simus fidentes in nobisipsis*, commune crimen et accusatio esse videbatur, quæ nonnullos eorum perstringeret, mitigat rursus id quod dixit, preces ipsorum ingentis præsidii loco implorans, illudque simul indicans, vitam nostram in perpetua cura et sollicitudine esse oportere. Nam dum ait, *Speramus autem quoniam et adhuc eripiet*, multarum tentationum agmen prænuntiat, nec tamen usquam derelictionem, sed auxilium ac suppetias. Deinde, ne ideo animis consternantur, quod audiant fore, ut in perpetuis periculis versentur, prius quidnam pericula utilitatis afferant demonstravit, nempe, *Ne simus fidentes in nobisipsis*, hoc est, ut Deus nos in perpetua humilitate contineat; et ut salus eorum procuretur, atque alia etiam plura exsistant, velut Christo communicare; *Abundant* enim, inquit, *passiones Christi in nobis*; et pro fidelibus pati; *Sive* enim *tribulamur*, inquit, *pro vestra consolatione ac salute*; tum etiam quod hæc ipsa magis eluceat; sic enim ait, *Quæ operatur in tolerantia earumdem passionum*; illud item, quod hinc fortes ac tolerantes efficiantur; ac præterea, quod resurrectionem ante oculos suos effulgentem cernant; *Ex tantis* enim, inquit, *mortibus nos eripuit*; ad hæc quod ea ratione solliciti reddantur, atque in eum semper respiciant : *Speramus* enim, inquit, *quod eripiet*; ac denique, quod precibus affixi sint; *Adjuvantibus* enim, inquit, *vobis in oratione pro nobis.* Posteaquam igitur afflictionum utilitatem ostendit, ac deinde sollicitudinem ipsis injecit, rursus eorum animos acuit atque ad virtutem promptiores efficit, magnum ipsorum precibus testimonium tribuens, si quidem ob eas Paulum ipsis donarint : *Adjuvantibus* enim, inquit, *vobis in oratione.* Quid autem est, *Ut in multis personis ejus, quæ in nobis est, donationis per multos gratiæ agantur pro nobis?* Ex mortibus illis nos eripuit, adjuvantibus etiam vobis in oratione, inquit : hoc est, vobis omnibus nostra causa deprecantibus. Beneficium enim in nos collatum, hoc est, salutem nostram, vobis omnibus largiri voluit : ut multæ personæ gratias ipsi agant, quandoquidem multæ quoque gratiam acceperunt.

4. Hæc porro eo dicebat, partim ut ipsos ad preces aliorum quoque causa fundendas excitaret, partim item ut pro iis etiam calamitatibus, quibus alii afficerentur, gratiis Deo semper agendis ipsos assuefa-

ceret : ostendens videlicet, id ipsi quoque quam gratissimum esse. Nam qui hæc aliorum causa facere consueverint, multo sane magis utraque hæc ipsi sua causa præstaturi sunt. Quinetiam eos ad humilitatem erudit, atque ad ferventiorem caritatem ducit. Nam cum ipse, qui tot partibus sublimior illis erat, eorum precibus salutem se consequutum esse, ac propter ipsorum orationes beneficium accepisse dicat, velim tecum reputes, quo eos animo quamque modesto esse oportebat. Quin illud quoque animadverte, quod etiamsi Deus misericordia permotus aliquid faciat, tamen hic quoque precatio multum adjumenti affert. Etenim in principio salutem suam Dei miserationibus acceptam retulit; *Deus* enim *miserationum*, inquit, *nos eripuit;* hic autem eamdem ipsorum quoque precibus adscripsit. Nam etiam illum, qui talentorum decem millia debebat, postquam ad ipsius pedes accessisset, miseratus est : et tamen dictum est, *Misericordia motus dimisit eum.* Atque item Chananææ post multam illam assiduitatem ac tolerantiam, tum denique filiæ salutem concessit (*Matth.* 15. 28) : etiamsi alioqui misericordia ductus ipsi salutem attulerit. Ex quo nimirum discimus, quamvis Deus misericordiam erga nos adhibiturus sit, nobis tamen istud prius faciendum esse, ut misericordia dignos nosipsos præstemus. Quamvis enim misericordia sit, dignos tamen requirit : non enim temere quibusvis obtingit, etiam stupore laborantibus : *Miserebor* enim, inquit, *cujus miserebor; et misericordiam præstabo ei, cui miserebor* (*Exod.* 33. 19). Vide quippe quidnam hic quoque dicat : *Adjuvantibus et vobis in oratione.* Nam nec totum ipsis tribuit, ne eorum animos efferat; nec rursus eos omni ex parte ab hujus beneficii laude submovit, ut eos incitet alacriores-que efficiat, atque inter se devinciat. Unde etiam dicebat, Salutem meam vobis donavit. Nam persæpe quoque Deus quasi pudore commovetur, cum multitudinem ad precationem concordem atque conspirantem cernit : ideoque prophetæ dicebat, *Ego autem non parcam huic civitati, in qua habitant plus quam centum viginti millia hominum* (*Jonæ* 4. 11). Deinde, ne putes Deum ob multitudinem dumtaxat ad misericordiam inflecti, his verbis utitur : *Si fuerit numerus Israel tamquam arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Isai.* 10. 22). Qui factum est igitur, ut Ninivitas servarit? Nempe quia non multitudo solum erat, sed multitudo virtute prædita : pœnitentiam enim unusquisque egit, et a via sua prava recessit. Atque etiam ipse, dum salutem ipsis afferret, aiebat : *Nesciunt quid sit inter dextram et sinistram* (*Jon. l. c.*). Ex quo perspicuum est, eos in priora peccata simplicitate potius quam animi perversitate lapsos fuisse : idque ex eo constat, quod paucis verbis auditis ad meliorem mentem se receperunt. Quod si ad eos servandos hoc satis virium habuisset, quod centum viginti hominum millia erant, quidnam prius quoque prohibuisset, quin salutem adipiscerentur? Cur igitur non dixit ei, Ego autem non parcam civitati huic ita immutatæ, sed tot millia profert? Ex abundanti hoc facit : nam mutatio quidem manifesta erat, numerus autem et simplicitas civium prophetæ ignota erant. Undique igitur eorum animos emollire studet : nam tum viribus pollet multitudo, cum virtus insuper accedit.

Orationis vis. — Hoc etiam alio loco Scriptura his verbis declarat : *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo* (*Act.* 12. 5) : tantamque vim habuit, ut quamvis etiam fores clausæ essent, et catenæ apostolum stringerent, custodesque utrimque ad ipsius latus dormirent, eum tamen eduxerit atque ex omnibus illis difficultatibus liberarit. Verum quemadmodum, si virtus adsit, magnam vim habet multitudo : ita si vitium adsit, nullam utilitatem affert. Siquidem et Israelitæ, quos arenæ maris numerum adæquasse Scriptura refert, omnes perierunt; atque etiam tempore Noe permulti, imo innumeri erant, nec tamen eos quidquam hoc juvit : sola enim multitudo nihil potest, verum tum demum cum accessionis loco est. Demus igitur operam, ut in precibus coeamus, alii pro aliis precemur, quemadmodum illi pro apostolis. Sic enim et mandatum explemus, et ad caritatem incitamur : cum autem caritatem dico, omnia bona hoc vocabulo complector : atque etiam majore studio gratias agere discamus. Nam qui pro alienis gratias Deo agunt, multo magis id pro suis faciunt. Hoc David quoque faciebat, cum diceret, *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum* (*Psal.* 33. 4) : hoc et apostolus passim exposcit : hoc nos item faciamus, atque apud omnes Dei beneficium prædicemus, ut eos laudationis socios assumamus. Nam si, cum beneficium aliquod ab hominibus accepimus atque id celebramus, promptiores eos ad bene de nobis merendum reddimus : multo magis, Dei beneficia prædicantes, ad majorem benevolentiam ipsum attrahemus. Et si, cum beneficium aliquod ab hominibus consequuti sumus, ad gratias nobiscum agendas alios etiam excitamus, multo profecto magis nobis curandum est, ut multos, qui gratias pro nobis agant, ad Deum adhibeamus. Cumque Paulus, qui tantam fiduciam obtinebat, hoc faciat, tanto magis hoc a nobis fieri necesse est. Quocirca sanctos viros etiam atque etiam obsecremus, ut pro nobis gratias agant, atque etiam ipsi pro nobis hoc invicem faciamus. Istud præsertim sacerdotum munus est, utpote bonum omnium præstantissimum. Accedentes enim, primum pro universo orbe communibusque commodis gratias agimus.

5. Nam etsi communia Dei beneficia sunt, tamen tu quoque in communi salutem es consequutus. Itaque tum pro privata tua communem gratiarum actionem debes, tum pro communi privatam Deo laudem abs te offerri æquum fuerit. Etenim solem non tibi uni accendit, sed etiam communiter omnibus; et tamen in parte totum habes : nam ob communem omnium utilitatem tanta magnitudine creatus est; tu tamen solus tantum vides, quantum universi mortales videre queant. Ex quo efficitur, ut tantam gratiarum actionem debeas, quantam universi; ac te et pro communibus beneficiis gratias agere par est, et pro aliorum virtute

Multis enim etiam propter alios beneficiis afficimur. Etenim si vel decem soli justi viri in Sodomis inventi fuissent, non in eas, quas pertulerunt, calamitates incidissent. Quamobrem pro aliorum quoque apud Deum libertate ac fiducia gratias agamus : siquidem prisca lex hæc est, atque antiquitus in Ecclesia instituta. Sic Paulus pro Romanis, pro Corinthiis, pro universo orbe gratias agit. Nec vero illud mihi dixeris : Hoc præclarum facinus meum non est. Quamvis enim tuum non sit, sic quoque tamen gratias agere debes, quod membrum tuum tale sit. Alioquin etiam tuum illud facis, cum laudas et in coronarum partem ipse etiam venis, atque eamdem gratiam percipies.

Preces pro catechumenis. — Ob eam causam Ecclesiæ leges ad hunc modum preces fieri jubent : non eas dumtaxat quæ pro fidelibus, sed eas etiam quæ pro catechumenis adhibentur : siquidem lex ad supplicandum pro his, qui nondum initiati sunt, fideles excitat. Nam cum diaconus ait, *Pro catechumenis intente oremus*, nihil aliud facit, quam ut universam fidelium multitudinem ad preces pro illis obeundas excitet. Atqui alieni adhuc sunt catechumeni : nondum enim corpori Christi insiti sunt, nec mysteriorum participes effecti, verum a spirituali grege adhuc divisi. Quod si ergo pro his orandum est, multo sane magis pro nostris membris. Ob idque etiam ait, *Intente oremus*, ne videlicet eos tamquam alienos abdices ac rejicias, ne tamquam peregrinos non agnoscas. Nondum enim lege sancitam, atque a Christo invectam precationem habent; nondum liberius orandi potestatem nacti sunt, sed aliorum, qui mysteriis initiati sint, ope indigent. Etenim extra vestibula regia stant, longeque a sacris cancellis : eaque etiam de causa, cum tremendæ preces fiunt, ablegantur. Quo fit, ut te quoque hortetur, ut pro illis ores, quo membra tua fiant, nec jam peregrini atque alieni sint. Illud enim, *Oremus*, non ad sacerdotes tantum, sed etiam ad populum spectat. Nam cum ait, *Recte stemus, oremus*, omnes ad precandum hortatur; ac tum precationem auspicans, ait, *Ut misericordissimus ac miserator Deus orationes eorum exaudiat.* Etenim ne dicas, Quid est quod oremus? alieni sunt, nondum nobiscum conjuncti : unde Deum permovere possum? unde eum adducere, ut misericordiam ac veniam illis impertiat? ne, inquam, hæc quærens hæreas, vide quomodo his verbis dubitationem tuam discutiat : *Ut misericordissimus ac miserator Deus.* Audisti, Misericordissimus Deus? Perplexo jam animo esse desine : misericordissimus enim ille, omnium, hoc est, tam peccatorum quam amicorum, miseretur. Quocirca ne dixeris, Quonam modo eorum causa Deum adibo? ipse enim eorum preces exaudiet. Quænam porro alia catechumenorum precatio fuerit, quam ut ne catechumeni maneant? Mox supplicationis quoque modum dictat. Quisnam autem ille est? *Ut cordium ipsorum aures aperiat.* Occlusæ enim et obturatæ adhuc sunt. Aures porro non externas hasce, sed mentis intelligit. *Ut audiant quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.* Neque enim arcana mysteria audierunt, sed procul et eminus stant. Atque etiam si audiant, haud tamen quid dicatur intelligunt : siquidem ea ingentem sagacitatem et intelligentiam requirunt, non autem ut dumtaxat audiantur; ipsi vero internas aures nondum acceperunt. Unde etiam prophetiæ gratiam ipsis optat : siquidem propheta ad hunc modum loquebatur : *Dominus dat mihi linguam eruditam, ut sciam quando oporteat proferre sermonem : quoniam ipse aperit os meum, posuit me mane, apposuit mihi aurem audientem* (*Isai.* 50. 4. 5). Quemadmodum enim prophetæ alio modo ac reliqui homines audiebant : sic fidelis quoque alio modo quam catechumeni. Atque hinc etiam docetur catechumenus, se ab hominibus hæc non discere, neque audire (*Nolite* enim, inquit, *vocare vobis magistrum in terra* [*Matth.* 23. 8]), sed sublimitus atque e cælis : *Erunt* enim *omnes*, inquit Scriptura, *docibiles Dei* (*Isai.* 54. 13). Atque idcirco ait, *Et instillet ipsis verbum veritatis :* ita ut interne in ipsos infundatur. Necdum enim, ut par est, veritatis verbum norunt. *Ut timorem suum in ipsis seminet.* At hoc minime sufficit : alia enim ceciderunt secus viam, alia super petras.

6. Verum nos non ad hunc modum postulamus; sed sicut aratrum in pingui terra sulcos aperit, sic etiam hic ut fiat precamur, nempe ut in mentis imo innovati, semina injecta excipiant, ac quidquid audierint accurate retineant. Unde etiam hæc verba subnectit, *Et confirmet fidem suam in animis eorum.* Hoc est ut ne in superficie jaceat, sed alte radices agat. *Ut justitiæ evangelium ipsis revelet.* Duplex velamen esse ostendit; alterum quia mentis ipsorum oculi clausi sunt, alterum quia opertum illis est evangelium. Ac proinde superius quidem dicebat, *Ut aperiat aures cordis ipsorum;* hic autem, *Ut justitiæ evangelium ipsis detegat;* hoc est, ut sapientes eos et ad illud excipiendum idoneos reddat, atque ut doceat ac semina jaciat. Nam sive idonei sint, nihil tamen id ipsis emolumenti attulerit, nisi Deus detexerit : sive Deus detegat, ipsi autem repudient, in idem rursus detrimentum prolabentur. Hac de causa utrumque petimus, nempe ut et corda aperiat, et evangelium patefaciat. Neque enim si regium paludamentum superjecto velo tectum jaceat, quicquam hoc intuentium oculis profuerit : quemadmodum rursum nil detectum illud esse juverit, si oculi minime vigilent. Ambo porro ista contingent, si illi prius voluerint. Quidnam autem est, *Justitiæ evangelium?* Nimirum quod justos efficit. His enim verbis baptismi desiderium in ipsis ciet, dum illud ostendit, evangelium non tantum peccata remittere, sed justitiam etiam afferre. *Ut det illis mentem divinam, castam cogitationem, vitam cum virtute conjunctam.* Audiant hæc fideles, qui vitæ hujusce negotiis affixi sunt. Nam si iis, qui minime initiati sunt, hæc postulare jubemur, animadvertas velim, quales nosipsos esse oporteat qui hæc aliis postulamus : siquidem id agendum est, ut vita nostra evangelio respondeat. Quo etiam fit, ut precationis lex a doctrina ad vitam transeat. Postquam enim dixit, *Ut justitiæ*

evangelium ipsis detegat, subjunxit, *Ut det ipsis mentem divinam*. Quid est, *divinam?* Hoc est, ut Deus in ea habitet : *Inhabitabo* enim *in ipsis*, inquit, *et inambulabo* (*Lev.* 26. 12). Nam cum mens justitia prædita est ac peccata exuit, Dei domus efficitur : cum autem in ea domicilium sibi constituerit, nihil posthac humanum erit. Sic divina mens redditur, divinitus omnia proloquens, ac velut domus Dei in ea habitantis. Ex quo colligitur eum mentem divinam non habere, qui turpibus sermonibus utitur; nec castam cogitationem, qui scurrilitate ac risu delectatur. Quidnam autem est castam cogitationem habere? Nempe spirituali sanitate præditum esse. Etenim is, qui vitii cupiditate correptus tenetur, præsentiaque ad stuporem usque miratur, castus, hoc est sanus, esse nequit. Quemadmodum enim qui in morbo versatur, ea etiam appetit, quæ minime convenit : eodem hic quoque modo. *Vitam cum virtute conjunctam.* Doctrina quippe vitam etiam desiderat. Audite hæc, qui sub vitæ finem ad baptismum acceditis. Nam nos quidem id precibus a Deo contendimus, ut post baptismum quoque probam vitam habeatis : tu contra in hoc incumbis, nihilque non facis, ut sine proba vita hinc excedas. Quid enim, si justus quidem fias, sed a fide dumtaxat? At nos ut a virtutum quoque muneribus tibi fiducia comparetur, oramus. *Perpetuo quæ ipsius sunt cogitare, quæ ipsius sunt sapere, quæ ipsius sunt meditari.* Castam enim cogitationem atque honestam vitam, non ad unum dumtaxat aut duos aut tres dies, sed per universum vitæ curriculum petimus, et, quod bonorum omnium causa est, quæ ipsius sunt sapere. *Plerique enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi* (*Philipp.* 2. 21). Quonam igitur modo hoc fieri possit? ad precem enim hoc quoque accedat oportet, ut quæ nostra sunt præstemus. *Si in ipsius lege dies noctesque versemur :* unde etiam deinceps hoc petit, *In ipsius lege die ac nocte morari.* Et quemadmodum superius dixerat, *Perpetuo :* eodem modo hic, *Die ac nocte.* Itaque eorum me pudet, qui toto anno vix semel in ecclesia conspiciuntur. Quam enim excusationem nancisci queant, qui cum die ac noctu in Dei lege, non dicam versari, sed morari, hoc est semper meditari jubeantur, tamen ne minimam quidem vitæ partem in hoc impendunt, ut ipsius mandata memoria usurpent, atque ipsius justificationes custodiant?

7. Videsne catenam optimam, quamque apte singula hæc inter se cohæreant, atque quavis aurea catena firmius et elegantius? Postquam enim mentem divinam postulavit, exponit quonam pacto talis esse queat. Quomodo autem? Nimirum si quis perpetuo ea, quæ Dei sunt, meditetur. Hoc autem quanam ratione quispiam consequi possit? Si divinæ legi operam dare numquam intermittat. Quonam pacto id mortalibus persuaderi queat? Si mandata ipsius observent : quin potius ex eo ipso, quod legi divinæ quispiam studeat, id consequitur, ut mandata servet; quemadmodum scilicet ex eo, quod quis ea quæ ipsius sunt sapit, ac mentem divinam habet, illud adipiscitur ut quæ ipsius sunt meditetur. Singula enim ex his quæ diximus, et id quod vicinum est efficiunt, et ab eo efficiuntur; et ipsum continent, et ab ipso continentur. *Intensius adhuc pro ipsis rogemus.* Quoniam animus in prolixa oratione obdormiscere consuevit, rursus eum excitat. Magna enim rursum atque excelsa postulare vult : ideoque ait, *Intensius adhuc pro ipsis rogemus.* Quidnam autem hoc est? *Ut eripiat eos ab omni malo et absurdo negotio.* Hoc loco id ipsis petimus, ut ne intrent in tentationem, atque ut ab omnibus tam corporeis quam spiritualibus insidiis liberentur. Ob id etiam hæc verba subjunxit, *Ab omni peccato diabolico, et omni obsidione adversarii.* Quibus verbis tentationes ac peccata significat.

Peccati natura. — Peccati enim ea natura est, ut facile hominem obsideat atque undique stet, a fronte nempe et a tergo, sicque nos dejiciat. Postquam enim quæ a nobis præstanda sint exposuit, hoc est, ut in ejus lege versemur, ipsius mandata memoria teneamus, justificationes ejus custodiamus, hoc jam admonet, ne ista quidem sufficere, nisi adsit ipse atque opem ferat. *Nisi* enim *Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam* (*Psal.* 126. 1) : ac præsertim in iis, qui diabolo adhuc objecti sunt, ac sub ipsius imperio et ditione. Ac vos hæc nostis, qui sacris initiati estis. Facile enim illa verba vobis in memoriam redeant, per quæ ipsius tyrannidi nuntium remisistis, cum flexo genu ad Regem transfugistis, ac tremenda illa verba protulistis, quibus tyranno nullo prorsus modo obsequi docemur. Adversarium porro ac diabolum ipsum appellat, quoniam et Deum apud homines, et homines apud Deum, ac nos ipsos inter nos criminatur. Etenim ipse olim Jobum apud Deum in crimen vocabat, cum diceret, *Num Job frustra colit Deum* (*Job.* 1. 9. 16)? ac rursum Deum apud Jobum his verbis, *Ignis descendit de cœlo :* atque item Deum apud Adamum, cum diceret fore, ut eorum oculi aperirentur (*Gen.* 3. 5) : ac nunc etiam apud plerosque mortalium, dicens : Deus iis, quæ oculis cernuntur non prospicit, sed res vestras dæmonibus permisit. Quin apud complures quoque Judæos Christum traducebat, impostorem ac præstigiatorem eum appellans. Quonam autem modo operetur, audire fortasse aliquis cupit. Cum mentem non divinitus afflatam et non sobriam cogitationem invenit, quæ Dei mandata non recordetur, nec ipsius justificationes custodiat, tum demum captivam eam secum abducit. Adamus quippe, si hujusce mandati meminisset, *De omni ligno comede*, si legem eam servasset quæ dicebat, *In quacumque die comederitis, morte moriemini* (*Gen.* 2. 17); non ea, quæ passus est, passus fuisset. *Ut dignetur eos in tempore opportuno lavacro regenerationis, et remissione peccatorum.* Quædam enim præsentia petimus, quædam futura : ac de lavacro philosophamur, atque in ipsa petitione docemus eos vim baptismi cognitam habere. Hinc enim jam sermo eos assuefacit, ut intelligant rem eam regenerationem esse, nosque ut a vulva, sic ab aquis denuo gigni :

ut ne illi cum Nicodemo dicant, *Quomodo potest homo nasci cum sit senex? potestne in ventrem matris suæ introire, ac nasci denuo* (*Joan.* 3. 4)? Deinde postquam peccatorum remissionem dixit, per ea quæ sequuntur ipsam confirmat dicens : *Indumento incorruptionis.* Etenim qui filii dignitatem induit, procul dubio incorruptibilis efficitur. Quid autem est, *In tempore opportuno?* Nimirum cum quis probe affectus est, cum animo alacri et cum fide accedit : fidelis etenim hominis opportunum tempus hoc est. *Ut benedicat introitus et exitus eorum, omnem vitam ipsorum.* Hoc loco aliquid, quod ad corpus spectet, petere jubentur, ut qui adhuc imbecilles sint. *Domos eorum et habitationes.* Hoc est, sive famulos habeant, sive cognatos, sive alios quosdam necessarios. Hæc enim erant Veteris Testamenti præmia : nec quidquam perinde grave, atque acerbum esse videbatur, ut viduitas, ut sterilitas, ut præmatura funera, ut fames, et adversi rerum successus. Ob eam causam in petitionibus ad corpus pertinentibus eos immorari sinit, paulatim ipsos in altum subvehens. Hoc enim et Christus facit et Paulus, antiquas videlicet benedictiones uterque in memoriam revocans : Christus nempe, cum ait, *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* 5. 4) : Paulus autem, *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram. Filios eorum, ut eos augeas et benedicas, atque ad mensuram ætatis perductos sapientia instruas* (*Ephes.* 6. 2. 3).

8. Hic rursus partim corporeum, partim spirituale beneficium ipsis poscit, utpote puerili adhuc animo præditis. Quod autem sequitur, omni ex parte spirituale est, *Ut omnia quæ ipsis proposita erunt, ad utilitatem dirigat.* Non enim simpliciter quæ proposita erunt, sed quæ ad utilitatem. Sæpe enim peregrinatio aliqua instituitur, sed minime conducit; atque aliud quiddam simile, quod nec item utile est. Ex quibus hoc discunt, Deo in omnibus rebus gratias agere, ut quæ ad eorum commodum et utilitatem fiant. Post hæc omnia jam eos surgere jubet. Nam cum prius eos humi prostratos tenuisset, posteaquam ea petierunt quæ petierunt, ac fiducia repleti sunt, jam eos sermo erigit, ac deinceps ipsos quoque precationem ad Deum amplecti jubet. Siquidem quædam nos dicimus, quædam rursus ipsis committimus, petitionis nempe januas ipsis aperientes : non secus videlicet ac pueros primum ipsi docemus, post autem ipsos quoque loqui jubemus. Itaque hoc ipsis dicimus, *Angelum pacis petite, o catechumeni.* Est quippe angelus etiam cruciatum inferens, ut cum ille ait, *Immissionem per angelos malos* (*Psal.* 77. 54). Est et angelus exterminator. Ac provide eos angelum pacis petere jubemus, docentes eos, id quod bonorum omnium vinculum est, hoc est, pacem postulare : ita ut ab omni pugna, ab omni bello, et ab omni dissidio absint. *Pacifica vobis omnia quæ proponuntur.* Utcumque enim grave aliquid sit, dum tamen pacem quispiam habeat, leve est. Eoque etiam nomine Christus dicebat, *Pacem meam do vobis* (*Joan.* 14. 27). Neque enim ullum armorum genus diabolo æque firmum ac validum est, ut pugna et simultas ac bellum. *Pacificum hunc diem, atque omnes vitæ vestræ dies postulate.* Vidistin' rursus quomodo universam vitam in virtute transigi jubeat? *Christianos vestros fines;* et quod bonorum caput est, *quod honestum est et quod utile.* Nam quod honestum non est, id ne utile quidem esse potest. Alia enim rerum utilium apud nos natura est, quam vulgus opinatur. *Vos ipsos Deo viventi ac Christo ipsius commendate.* Nondum enim hoc illis committimus, ut pro aliis orent, sed præclare agi putamus, si pro seipsis orare queant. Videsne quam plena et numeris omnibus absoluta precatio sit, sive doctrinam sive vitam consideres? Nam cum evangelium dicimus, cum incorruptionis indumentum, cum regenerationis lavacrum, doctrinam universam his verbis complectimur. Rursus cum mentem divino numine afflatam, cum sobriam cogitationem, cum denique cætera, quæ a nobis commemorata sunt, vitam significamus. Demum eos capita inclinare jubemus, hoc videlicet argumento preces exauditas esse statuentes, quod Deus eos benedicat. Neque enim homo est qui benedicit, sed per illius manum ac linguam regi ipsi capita eorum, qui adsunt, offerimus. Ac tum inclamant omnes, *Amen.* Hæc autem omnia quorsum tandem a me dicta sunt? Ut doceam nos aliorum commoda quærere debere, ac ne putent fideles hæc, cum recitantur, nihil ad se pertinere. Neque enim ad parietes diaconus loquitur, cum ait, *Oremus pro catechumenis.* Verum nonnulli adeo amentes, atque ignavi ac dissoluti sunt, ut non modo in catechumenorum, sed etiam fidelium tempore stent atque confabulentur. Hinc omnia subversa sunt, hinc omnia perierunt : quia quo tempore maxime curandum est ut Deum nobis reconciliemus, hoc ipso ita discedimus, ut ejus iram in nos concitemus. Siquidem coram fidelibus pro episcopis, pro presbyteris, pro regibus, pro imperatoribus, pro terra et mari, pro aeris temperie, denique pro universo terrarum orbe benignum Dominum adire jubemur. Quamobrem cum nos, qui tanta fiducia præditi esse debemus, ut etiam pro aliis oremus, ne pro nobis quidem attento ac vigilanti animo precemur, quinam excusationis, quinam veniæ nobis locus esse possit? Ac proinde obsecro, ut hæc omnia animo ac mente complectentes, precationis tempus agnoscamus, sublimesque efferamur atque a terra excedamus, ipsumque cæli fornicem attingamus, ut Deum nobis propitium et placidum reddere, ac promissa bona consequi possimus : quæ utinam consequi nobis contingat, per gratiam ac misericordiam Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

CAP. 1. v. 12. *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in mundo.*

1. *Ex pura conscientia quanta consolatio oriatur.* — Hic rursum aliud quoque non parvum consolationis argumentum nobis aperit, imo perquam ingens, quodque animum in periculis demersum erigere queat. Quoniam enim dixerat, *Deus nos eripuit*, atque id totum miserationibus Dei precibusque ipsorum adscripserat; ne hac ratione auditoris animum supinum ac languidum redderet, utpote Dei misericordiæ dumtaxat aliorumque precibus confidentem, ostendit ipsos quoque non parum ex se præstitisse. Atque id quidem prius etiam his verbis declaravit, *Sicut abundant passiones Christi in nobis, sic etiam abundat consolatio nostra :* hic autem aliud a se recte factum commemorat. Quodnam hoc? Quoniam in pura conscientia minimeque ficta mente ubique terrarum conversati sumus, inquit. Hoc porro ad nostram consolationem et cohortationem non parum momenti habet; nec ad consolationem tantum, sed ad aliud etiam insuper, quod consolatione longe præstantius est, hoc est, ad gloriationem. His autem verbis partim eos docet, ut in afflictionibus minime animis frangantur, sed potius glorientur, cum puram conscientiam habeant : partim etiam falsos apostolos tacite perstringit. Et quemadmodum in superiore epistola ait, *Misit me Christus ut evangelizem, non in sapientia sermonis, ne evacuetur crux Christi* (1. *Cor.* 1. 17); et, *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei* (1. *Cor.* 2. 5) : sic etiam hoc loco ait, *Non in sapientia, sed in gratia Christi.* Quin aliud quoque his verbis subindicavit, *Non in sapientia*, hoc est, non in fraude : nimirum hic quoque profanam eruditionem impetens. *Gloria enim nostra hæc est*, inquit, *testimonium conscientiæ nostræ.* Hoc est, conscientia nostra, quæ nos condemnare nequit, tamquam qui ob improba facinora exagitemur. Quamvis enim innumeris calamitatibus afficiamur, atque undique impetamur et periclitemur, nobis tamen ad consolationem, nec ad consolationem tantum, sed etiam ad coronam sufficit conscientia quæ pura est, nobisque hoc testificatur, nos non sceleris ullius causa, sed ob Dei voluntatem, ob virtutem, ob philosophiam, ob multorum salutem hæc pati. Ac prior quidem illa consolatio a Deo manabat; hæc autem ab ipsis atque a vitæ puritate colligebatur. Unde etiam gloriam ipsam vocat, quoniam propria eorum virtute comparabatur. Quænam igitur est hæc gloria, et quidnam nobis conscientia nostra testificatur, *Quoniam in simplicitate et in sinceritate?* Hoc est, nihil fraudulentum, nihil per hypocrisim, per simulationem, per assentationem, per insidias, per fallaciam, ac per aliud quidquam ejusmodi fecimus; sed in omni libertate, in veritate, in pura minimeque maligna voluntate, in mente ab omni dolo vacua, nihil tectum et adumbratum, nihil fucatum ac veteratorium habentes. *Non in sapientia carnali.* Hoc est, non in vafritie et improbitate, nec in sermonis facundia nexuque sophismatum : hæc enim per carnalem sapientiam intelligit. Atque id, unde illi magnopere gloriabantur, inficiatur ipse ac rejicit : ex abundanti videlicet ostendens, haud dignum istud esse, de quo quisquam glorietur; quippe cum ipse non modo id non requirat, verum etiam submoveat ac probro ducat. *Sed in gratia Dei conversati sumus in mundo.* Quid est, *In gratia Dei?* Hoc est, sapientiam ac potentiam ipsius beneficio nobis concessam per miracula declarantes : atque hinc etiam, quod, cum rudes essemus nihilque externæ doctrinæ nobiscum afferremus, doctos tamen, oratores, philosophos, reges ac populos vicerimus. Porro non vulgaris est hæc consolatio ac gloriatio, nempe quod ipsi sibi conscii essent, se non humanam potentiam adhibere, sed divina gratia omnia conficere. *In mundo.* Ita non Corinthi tantum, sed passim quoque toto terrarum orbe. *Abundantius autem apud vos.* Quid abundantius ad vos? *In gratia Dei conversati sumus.* Nam et signa et miracula apud vos edidimus, et diligentiam majorem adhibuimus vitamque ab omni reprehensione alienam. Nam hoc quoque gratiam Dei vocat, nimirum ea etiam, quæ cum virtute gessit, ipsi adscribens. Illic enim ultra septa prosiliit, dum sine sumptu evangelium poneret, ut eorum imbecillitati consuleret. 13. *Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legitis et agnoscitis.* Quoniam magnifica de se proloquutus fuerat sibique ipsi testimonium dixerat, id quod importunum erat, rursum eorum quæ dicit ipsos testes producit. Ne quis enim, inquit, existimet ea, quæ a me dicuntur, verborum dumtaxat pompam esse : hæc enim vobis commemoramus, quæ vobis ipsis explorata sunt; quodque nos minime mentiamur, præ cæteris ipsi testes esse queatis. Legentes enim agnoscitis, quod, quæ nos re ipsa præstitisse compertum habetis, ea per literas quoque prædicamus : nec testimonium vestrum literis nostris repugnat, sed earum ipsarum lectioni consonat hæc cognitio, quam ante de nobis habebatis. 14. *Sicut et cognovistis nos ex parte.* Neque enim ex aliorum sermone res nostras cognovistis, sed ex ipsa experientia. Illud autem, *Ex parte*, modestiæ causa dixit. Hoc enim ipsi in more positum est, cum necessitate adductus (neque enim alias hoc facit) magni de se quidpiam pronuntiarit, ut eorum quæ dixit tumorem statim retundat. *Spero autem quod etiam usque in finem cognoscetis.*

2. Vides rursum quo pacto a præteritis fidem futuris adstruat, nec a præteritis tantum, sed etiam a Dei potentia? Neque enim absolute affirmavit, sed hoc totum ad ipsum spemque, quam in ipso positam habet, relegavit. *Quod gloria vestra sumus, sicut et vos nostra in die Domini nostri Jesu Christi.* Hoc loco

invidiam, quam ea quæ superius dixerat ipsi concitare potuerant, succidit, dum ad eorum quæ recte et cum virtute gesserat consortium ac societatem ipsos adsciscit. Non enim intra nos constiterunt, sed ad vos quoque dimanant, ac vicissim a vobis ad nos. Quoniam enim seipsum extulerat, ac præteritorum argumentum exhibuerat, et de futuris spoponderat, ne auditores eum tamquam magna de se prædicantem incesserent, atque in invidiam, ut dixi, prolaberentur, gloriationem cum ipsis communicat, atque hanc laudum coronam ad ipsos pertinere ait. Nam si tales appareamus, inquit, nostra laus vestra gloria est : quemadmodum scilicet nos quoque, dum vos laude atque gloria floretis, exsultamus, gestimus et coronamur. Atque hic quoque rursus per ea quæ dixit, ingentem humilitatis suæ significationem præbet. Non enim ut Magister ad discipulos, sed ut discipulus discipulos alloquens, ita sermonem exæquat. Ac vide quo pacto eos sublimes efficiat, ac philosophia impleat, dum ipsos ad illum diem transmittit. Ne enim mihi præsentia commemoretis, inquit, hoc est probra, convicia, scommata, quæ vobis a plerisque inferuntur ; neque enim quidquam hic magni momenti est, non læta, non molesta, non scommata, non humanæ laudes : verum tremendi illius atque horrendi diei vobis in mentem veniat, in quo omnia aperta erunt. Tum enim et nos in vobis, et vos in nobis gloriabimini, cum et vos tales magistros habuisse perspicuum erit, qui nec humani quidquam docuerint, nec improbe ac flagitiose vixerint, nec ullam vitii ansam cuiquam porrexerint, ac nobis rursus tales discipulos fuisse, qui nec humani aliquid passi fuerint, nec vacillarint, sed alacri ac prompto animo cuncta exceperint, nec ulla ex parte fallaciam sibi fieri permiserint. Et hæc quidem nunc mente præditis manifesta sunt, tum autem cunctis erunt. Itaque etiamsi nunc affligimur, non mediocris hæc quoque nobis consolatio suppetit : quæ quidem nunc a conscientia proficiscitur, tum autem ab ipsa manifestatione. Nunc enim conscientia quidem nostra hoc perspectum habet, nos Dei gratia omnia efficere, quemadmodum ipsi quoque scitis ac scietis : at tum omnes etiam mortales, tam nostra, quam vestra cognoscent, nosque mutuo alios ab aliis celebrari perspicient. Etenim ne solus ipse splendorem ex gloriatione consequi videatur, ipsis quoque gloriandi causam præbet, atque a præsentibus molestiis eos avocat. Quodque in consolatione fecerat, cum diceret, Propter vos consolatione afficimur, hoc etiam hic facit, cum ait, Propter vos gloriamur, quemadmodum vos quoque propter nos : ubique scilicet eos rerum omnium socios adhibens, consolationis, passionum, suæ denique salutis : nam hanc salutem precibus quoque ipsorum assignat : *Adjuvantibus* enim, inquit, *vobis in oratione, Deus nos eripuit.* Ad hunc igitur modum ea quoque, ob quæ gloriatur, communia cum ipsis facit. Ut enim illic ait, *Scientes quoniam sicut socii estis passionum, ita et consolationis :* eodem hic quoque modo, *Gloria vestra sumus, ut et vos nostra.* 15. *Et hac confidentia volebam prius venire ad vos.* Quanam confidentia ? Quod virtuti vestræ majorem in modum confidam, quod propter vos glorier, quod gloriatio nostra sitis, quod vos unice amem, quod nullius mali mihi conscius sim, quod non dubitem quin omnia apud nos spiritualia sint, ac vos harum rerum testes habeam. *Volebam venire ad vos,* 16. *et per vos transire in Macedoniam.* Atqui contrarium in priore epistola pollicitus fuerat, his verbis utens : *Veniam autem ad vos, cum Macedoniam transiero : Macedoniam enim pertransibo.* Qui fit itaque, ut hic pugnantia dicat ? Non pugnantia dicit, absit : hæc enim cum iis quidem quæ scripserat, pugnabant ; cum iis autem, quæ in animo habebat, minime pugnabant. Ideo non hic dixit, Scripsi me per vos in Macedoniam transiturum, sed, *Volebam.* Nam etiamsi non ita scripserim, inquit, tamen studebam ac cupiebam prius quoque ad vos proficisci ; tantumque abest, ut serius quam promiseram ad vos me conferrem, ut ipsam quoque pollicitationem antevertere cuperem. *Ut secundam gratiam haberetis.* Quid est, *Secundam ?* Duplicem : alteram nempe per literas, alteram per præsentiam. Per gratiam porro hoc loco lætitiam intelligit. *Et per vos transire in Macedoniam, et rursus a Macedonia transire ad vos, et a vobis deduci in Judæam.* 17. *Cum ergo hoc vellem, numquid levitate usus sum ?*

3. Hic jam recta et aperte cunctationis absentiæque crimen a se propulsat. Quod enim ait, hanc sententiam habet : Volebam venire ad vos : cur ergo non veni ? an quod levitate et inconstantia laborarem ? hoc enim significat istud, *Numquid levitate usus sum ?* Minime. Quid igitur causæ est ? *Quoniam quæ cogito, non secundum carnem cogito.* Quid est, *Non secundum carnem cogito ?* Non carnali modo. *Ut sit apud me, Est est, Non, non.* At id quoque obscurum est. Quidnam igitur his verbis sibi vult ? Carnalis homo, hoc est, qui præsentibus rebus affixus est ac perpetuo in iis versatur, et a Spiritus operatione alienus est, quaslibet in oras proficisci et vagari pro lubito potest. At Spiritus minister, quique ab eo afflatur ac circumducitur, non potest ubique pro arbitrio suo se gerere, quippe quem Spiritus auctoritati ita addixerit, ut ex ipsius nutu pendeat : verum perinde illi accidit, ut si probus quispiam servus, qui ob herilia imperia quoquoversum distrahitur, nec sui juris atque arbitrii est, ac ne tantillum quidem respirandi facultatem habet, conservis suis aliqua promittat, ac deinde, quia domino aliter placeat, minime præstet quæ promiserat. Hoc igitur ait, Non secundum carnem consulto, neque a Spiritus gubernatione liber atque immunis sum, nec mihi, quo libeat, proficisci licet. Nam Paracleti imperio et edictis subjicior, atque ad ipsius calculum agor ac circumagor. Hinc factum est ut venire nequiverim : non enim Spiritui placuit. Id quod etiam in Actuum libro plerisque locis ipsi usu venit (*Act.* 16) : alio enim se conferre constituentem Spiritus alio proficisci jubebat. Quamobrem non meæ levitatis et inconstantiæ est, inquit, quod non venerim, sed quod Spiritui, cui subjectus sum, parcn

dum esset. Vides rursum consuetam ipsi argumentandi rationem? Unde enim ipsi se probaturos existimabant, cum iis consiliis uti, quæ a carne proficiscerentur, quod nimirum promissis non stetisset; hinc ipse vel maxime se spirituali consilio ductum fuisse ostendit, ac contra carnali modo cogitaturum fuisse, si contrarium fecisset. Quid igitur, dicet aliquis, an non ex Spiritu pollicitus fuerat? Minime vero: etenim jam dictum est a me, non omnia ea Paulo cognita fuisse quæ futura erant et conducebant. Ideo in superiore quidem epistola his verbis utitur, *Ut vos me deducatis quocumque proficiscar* (1. *Cor.* 16. 6); hoc videlicet metuens, ne cum in Judæam dixisset, alio abire cogeretur: hic autem, quoniam hac spe delusus fuerat, istud ait, *Et a vobis deduci in Judæam.* Nam quod caritatis erat, id ponit, hoc est, ad eos venire: quod autem eorum nihil intererat, nempe ut in Judæam abiret, hoc non jam diserte addit. Postquam autem convictus est, hic jam fidenter dicit, *In Judæam.* Atque hoc utiliter contingebat, ne quis ipsorum majorem, quam par esset, opinionem de eo haberet. Etenim si, cum hæc etiam ita se haberent, tamen non defuerunt, qui tauros ipsis immolare vellent; quo tandem impietatis non proruissent, nisi multa humanæ imbecillitatis documenta præbuissent? Et cur miraris ea omnia, quæ futura erant, Paulo minime nota fuisse, cum etiam in precibus plerumque quod expediat ignoret? *Quid* enim *oremus*, inquit, *quemadmodum oportet nescimus* (*Rom.* 8. 26). Nec vero hoc eo dumtaxat ait, ut modestiæ opinionem colligat; sed etiam ostendit, ubinam, quid in precibus utile esset, ignorarit. Ubinam autem ignoravit? Nempe cum precibus a Deo contendebat, ut e tentationibus eriperetur, his verbis utens: *Datus est mihi stimulus carnis angelus satanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi; et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; virtus enim mea in infirmitate perficitur* (2. *Cor.* 12. 7.-9). Vides quomodo, quid ex usu esset, postulare nesciverit? Ac propterea non accepit, cum tamen sæpe postulasset. 18. *Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit ad vos, non fuit Est et Non.* Exorientem objectionem præclare discutit. Dicere enim potuissent: Si cum ipse te ad nos venturum receperis, id tamen facere distulisti, atque ita non est apud te, Est est, Non non, verum quæ nunc dicis, postea subvertis, ut in tua ad nos profectione fecisti; væ nobis, si hoc quoque in evangelii prædicatione contingit. Ut ergo hæc nec cogitarent nec perturbarentur, ait, *Fidelis Deus, quia sermo noster ad vos non fuit Est et Non.* Hoc enim, inquit, in prædicatione non contingit, sed in viis ac peregrinationibus dumtaxat: nam in prædicatione firma atque immota manent quæ diximus. Per sermonem enim hoc loco prædicationem significat. Postea irrefutabile argumentum hujus rei affert, ad Deum hoc totum referens. Quod autem ait, hunc sensum habet: Adventus mei pollicitatio mea erat, atque ego mea sponte id promiseram; at prædicatio non mea erat, nec humana, sed Dei: quod autem Dei est, in id mendacium cadere nequit: unde etiam dicit, *Fidelis autem Deus;* hoc est, verax. Quamobrem nihil est, cur ea, quæ illius sunt, vobis suspecta sint: nihil enim in ipsis humanum est. Ac posteaquam sermonem dixit, de quo sermone loquatur, deinceps exponit.

4. Quisnam igitur hic sermo est? 19. *Dei enim Filius, qui in vobis per nos prædicatus est, per me et Silvanum et Timotheum, non fuit Est et Non.* Ob eam enim causam magistrorum chorum in medium adducit, hinc quoque testimonio suo fidem adstruens, non per auditores tantum, sed etiam per magistros. Atqui discipuli illi erant, sed modestiæ studio eos in magistrorum album refert. Quid autem est, *Non fuit Est et Non?* Non ea subverti, inquit, quæ prius inter concionandum dixi: non modo hoc, modo illud apud vos disserui: hoc enim non fidei fuerit, sed animi aberrantis. *Sed Est in illo fuit.* Hoc est, immotus ac firmus sermo manet. 20. *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est, et in ipso Amen, Deo ad gloriam per nos.* Quid est, *Quotquot promissiones Dei?* Prædicatio evangelica multa promittebat; atque ipsi multa hæc promittebant ac prædicabant. Nam et de resurrectione verba fecerant, et de assumptione et de incorruptione et de magnis præmiis atque arcanis illis bonis. Has igitur pollicitationes firmas ac stabiles, manere ait; et non fuit Est et Non in illis. Hoc est, non quandoque vera, quæ dixi, quandoque falsa fuerunt, ut meus ad vos accessus, sed semper vera. Ac primum quidem pro fidei dogmatibus sermoneque de Christo contendit dicens: *Sermo meus* et prædicatio mea *non fuit Est et Non:* deinde pro ipsius pollicitationibus pugnat: *Quotquot enim*, inquit, *promissiones Dei sunt, in illo Est.* Quod si firma ac certa sunt quæ promisit, nec dubium est quin ea daturus sit, multo utique magis ipse, ac sermo qui de eo habetur, firmus ac certus est; neque istud dici potest quod nunc quidem sit, nunc autem non sit, sed semper est, atque idem est.

Promissa Dei quam firma. — Quid est autem, *In illo Est, et Amen?* His verbis id quod omnino futurum est significat. Promissiones enim in ipso ac non in homine, hoc habent, ut contingant et expleantur. Quare nihil est quod metuas: non enim homo est, ut suspectum eum habere possis, sed Deus, qui et dixit et explet. *Deo ad gloriam per nos.* Quid est, *Ad gloriam per nos?* Eas per nos explet; hoc est, per collata in nos beneficia ad gloriam Dei: hoc enim est, *Deo ad gloriam.* Si autem ad Dei gloriam, quin fiat non est dubitandum, tum quia, etiamsi salutem nostram contemptui haberet, non tamen gloriam suam contempturus est; tum quia singularem erga homines benevolentiam gerit. Adde quod nostra salus cum gloria ea, quæ hinc ad ipsum redit, conjuncta est. Quo fit, ut cum promissiones ad ipsius gloriam pertineant, dubium esse non possit, quin salus quoque nostra consequatur. Quod etiam in Epistola ad Ephesios crebro inculcat dicens: *In acquisitionem gloriæ ipsius* (*Ephes.* 1. 14). Atque ubique istud ponit, ut

ostendat id necessario eventurum : quod etiam hoc loco ait, nempe quod ipsius pollicitationes minime fallant. Neque enim nobis dumtaxat salutem, sed ipsi quoque gloriam afferunt. Ne ergo illud tecum reputes, quod per nos ista promissa sint, nec propterea de iis dubites : neque enim per nos, sed per eum explentur ; et promissiones per ipsum sunt ; non enim nostra, sed quæ Dei sunt, vobis diximus. 21. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos, Deus ;* 22. *qui et signavit vos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Rursum per præterita fidem futuris conciliat. Nam si ipse est, qui nos in Christo confirmat, hoc est, qui nos a fide quæ in Christum est dimoveri non sinit ; atque ipse etiam est, qui nos unxit, spiritumque in cordibus nostris dedit : quomodo non futura quoque daturus est ? Nam cum principia et materiam ac radicem et fontem, hoc est, veram ipsius cognitionem ac Spiritus participationem largitus sit : qui fieri potest, ut non ea etiam largiatur, quæ ex his oriuntur ? Nam cum illa horum causa donentur, multo magis is, qui hæc dedit, illa quoque præbebit : et cum hæc adhuc hostibus dederit, multo magis illa amicis donabit. Ac proinde ne Spiritum quidem simpliciter dixit, sed pignus nominavit, ut per hoc de toto fiduciam concipias. Neque enim si totum daturus non esset, pignus præbere, ac frustra et temere perdere in animum induxisset. Ac vide, quæso, Pauli probitatem. Quid enim, inquit, dicere attinet, promissionum veritatem in nobis minime sitam esse ? imo hoc ipsum, quod vos firmi atque immobiles statis, non in nobis est, sed Dei beneficium est : *Qui* enim *confirmat vos*, inquit, *Deus est.* Non ergo nos sumus, qui vos fulcimus : nam ipsi quoque confirmantis ope indigemus. Quocirca non est, quod quisquam prædicationem in nobis periclitari existimet : ipse totum hoc in se recepit, ipsi totius negotii cura est.

5. Quid autem est, *Qui unxit et signavit ?* Hoc est, qui Spiritum dedit, per quem utrumque horum effecit, nimirum simul et prophetas et sacerdotes et reges efficiens : siquidem hæc hominum genera olim ungebantur. At nos non unam, sed tres istas dignitates præstantiore conditione obtinemus : nam et regno potituri sumus, et, cum victimæ loco corpora nostra offerimus, sacerdotes efficimur ; *Exhibete* enim, inquit, *membra vestra hostiam viventem, placentem Deo* (*Rom.* 12. 1) ; atque insuper prophetæ constituimur. *Quæ enim oculus non vidit, nec auris audivit, ea nobis patefacta sunt* (1. *Cor.* 2. 9). Quamquam etiam alia ratione reges efficimur, si improbis cogitationibus imperare voluerimus. Nam quod is qui talis sit regnet, et quidem magis, quam qui diademate cinctus est, liquido jam vobis demonstrabo. Multos ille exercitus habet ; at nos quoque plures illis cogitationes habemus : neque enim infinita cogitationum, quæ in nobis sunt, multitudo enumerari potest. Nec vero multitudinem dumtaxat intueri licet, sed etiam multos in hac cogitationum copia duces, tribunos, turmarum præfectos, sagittarios, fundibularios. Quid aliud est, quod regem efficiat ? vestesne ? At hic quoque meliori ac præstantiori veste amictus est, quam nec tinea exest, nec vetustas conficit. Quin multiplicem quoque coronam habet, nempe gloriæ et miserationum Dei : *Benedic* enim, inquit, *anima mea Domino, qui coronat te in misericordia et miserationibus* (*Psal.* 102. 2. 4) : et gloriæ ; *Gloria* enim, inquit, *et honore coronasti eum* (*Psal.* 8. 6) : et bonæ voluntatis ; *Ut scuto* enim, inquit, *bonæ voluntatis coronasti nos* (*Psal.* 5. 13) : et gratiarum ; *Coronam* enim, inquit, *gratiarum accipies capiti tuo* (*Prov.* 1. 9). Videsne quam varie textum quantoque gratius, ac venustius sit istud diadema ? Verum altius rursum et accuratius horum regum statum expendamus. Ille stipatoribus suis dominatur et cunctis imperat, omnesque ipsi parent et obsequuntur : at ego hic majus præstantiusque imperium tibi ostendo. Nam multitudo quidem par est, aut etiam amplior ; superest autem ut subjectionem ipsam consideremus. Ac ne mihi eos in medium proferas, qui regia dignitate lapsi sunt, atque ab ipsismet satellitibus suis trucidati. Ne, inquam, eos in medium producamus, verum eos conquiramus, qui pulchre in utraque parte regnum administrarunt. Ac tu quidem, quos libuerit, pone ; ego autem patriarcham unum cunctis opponam.

Abrahæ fides et virtus. — Nam cum ipse filium mactare juberetur (*Gen.* 22), cogites velim quotnam tum adversus eum cogitationes insurrexerint. Et tamen omnes subegit, atque omnes eum magis quam regem satellites pertimescebant : ac vel solo obtutu omnes comprimebat, ita ut ne hiscere quidem earum ulla auderet ; verum cunctæ caput submitterent ac velut regi cederent, quamvis alioqui acerrimæ essent atque imprimis acerbæ. Neque enim hastarum cuspides tam horrendæ sunt, cum a multis militibus surriguntur, quam tum formidabiles erant illæ cogitationes. Annon enim hastis atrocior erat illa, quam natura ciebat, commiseratio ? Ac proinde animam illam magis, quam præacuta cuspis, exscindere poterant. Nec enim ulla hasta tam acuta umquam esse queat, quam cogitationum illarum aculei, qui ab intimis visceribus acuebantur ac surrigebantur, justi viri animam transfigebant. Nam hic et tempore et consilio et plaga et dolore opus est ; ac tum mors sequitur : illic autem nihil horum requirebatur ; adeo tum celeriora, tum acriora vulnera erant. Et tamen, cum adversus eum cogitationes arma induissent, ingens erat tranquillitas, omnesque composite stabant, ornantes potius ipsum quam terrore afficientes. Eum enim gladium extendentem ante oculos tibi pone, ac quos volueris reges, Augustos, Cæsares, in medium profer. Nihil enim simile dixeris, nec speciem ullam ejusmodi tamque amplam et insignem ac cælis dignam ostendere poteris. Tum enim vir ille justus de potentissima tyrannide triumphum egit : nihil enim est quod majorem tyrannidem habeat, quam natura. Atque ut sexcentos, qui necem tyrannis intulerint, proferas, nullum tamen ejusmodi nobis ostenderis. Etenim hæc palma angeli verius quam hominis tunc erat. Sic quippe

considera : natura cum armis suis, cum militaribus omnibus copiis suis humi jacebat ; ipse autem stabat extenta manu, non coronam, sed gladium quavis corona illustriorem tenente : atque angelorum agmen applaudebat, ac Deus e cælis victorem eum pronuntiabat. Quoniam enim in cælis conversatio erat, idcirco cælesti quoque præconio celebrabatur. Quidnam hoc splendidius ? imo quidnam cum hoc tropæo conferri queat ? Nam si, cum athleta vicisset, non præco quidam ex inferiori loco, sed rex ipse e superiore assurgens victoris laudes prædicaret ; annon hoc ille coronis ipsis honorificentius sibi esse duceret, omniumque spectatorum oculos ad se converteret ? Cum igitur non mortalis quispiam rex, sed Deus ipse, non in hoc theatro, sed toto orbe inspectante, atque angelorum et archangelorum grege, alta voce de cælo clamans, victorem ipsum pronuntiet, ubinam, quæso, justum illum collocabimus ? Quin, si placet, vocem quoque ipsam audiamus. Quænam ergo hæc vox est ? *Abraham, Abraham, non extendas manum tuam in Isaac, nec facias illi quidquam. Nunc enim cognovi quod tu timeas Dominum, quoniam non pepercisti unigenito filio tuo propter me* (*Gen.* 22. 12). Quid autem hoc ? isne qui omnia novit antequam oriantur, nunc demum cognovit ? Atqui hominibus quoque perspecta jam erat ipsius pietas : tot suæ erga Deum benevolentiæ argumenta dederat, cum Deus ad eum dixisset, *Egredere de terra tua, et de cognatione tua* (*Gen.* 12. 1) : cum ob ipsum atque honoris ipsius causa nepoti suo primatu cessisset : cum eum e tot tantisque periculis extraxisset : cum in Ægyptum ipsius jussu profectus fuisset, atque uxore sibi adempta non indignationem concepisset, aliaque multa fecisset. Quibus ex rebus homo etiam, ut jam dixi, pietatem ipsius compertam habere potuisset, nedum Deus, qui non exspectat ut per ipsas res finem noscat. Quonam autem modo illum justum pronuntiasset, si ipsum ignorasset ? *Credidit* enim, inquit, *Abraham, et reputatum est ipsi ad justitiam* (*Rom.* 4. 3).

6. Quid igitur est istud, *Nunc cognovi ?* Syrus quidem sic habet, *Nunc declarasti*, subaudi, hominibus. Nam ipse jampridem atque ante omnia jussa id noram. Cur autem *nunc* quoque hominibus ? annon illa ad declarandam ipsius erga Deum benevolentiam sufficiebant ? Sufficiebant sane ; verum hoc tanto illa omnia antecellit, ut præ eo nihil prorsus illa esse videantur. Quamobrem, ut præclarum hoc facinus amplificaret, atque reliquis omnibus præstantius esse ostenderet, his verbis usus est. Etenim hoc etiam in hominum consuetudine positum est, ut in eximiis ac præcellentibus rebus palmamque obtinentibus ad hunc modum loquantur : verbi gratia, cum quis majus quam antea munus a quodam accipit, sæpe ita loquitur : Nunc perspexi, quod me ille amet : non hoc dicens quasi ea quæ præcedentis temporis erant ignoret ; sed ut hac ratione ostendat, munus istud quo nunc affectus est, cæteris omnibus præstare. Sic Deus quoque humano more loquens, *Nunc*, inquit, *cognovi :* nihil hisce verbis, quam certaminis magnitudinem, exprimere volens, non autem quod tum dumtaxat, aut timorem aut timoris magnitudinem cognosceret. Nam etiam cum ait, *Venite descendamus* (*Gen.* 11. 7) ac videamus, non idcirco hac ratione utitur, quod descensu opus habeat ; quippe qui omnia impleat, atque omnia apertissime cognoscat ; sed ut hinc discamus, de re aliqua non temere pronuntiare. Atque item, cum ait Scriptura, *Deus de cælo prospexit* (*Psal.* 13. 2), per metaphoram ab hominibus ductam, exactissimam cognitionem intelligit. Eodem modo hic quoque, *Nunc cognovi*, ait : ut hoc omnibus prioribus majus excellentiusque esse demonstret. Hoc ita esse probat ex eo, quod deinceps subjungit, *Quia non pepercisti filio tuo dilecto propter me.* Non dumtaxat dixit, Filio tuo, sed, *Filio dilecto.* Non enim adversus naturam tantum, sed etiam adversus benevolentiæ affectum, qui tum ob proprios mores, tum ob magnam pueri virtutem ingens erat, intrepidum se præbuit. Quod si, ne ut improbos quidem filios aspernentur, facile adduci parentes queunt, verum eos quoque lacrymis prosequuntur ; cum et filius fuerit, et germanus, et unigenitus, et dilectus, et Isaac, et ab ipso patre jugulandus sit, quisnam incredibilem illam philosophiam verbis complecti possit ? Nimirum hoc certamen mille diademata atque innumeras coronas splendore superat. Etenim ei, qui coronam illam gerit, plerumque et mors superveniens infesta est, et mille etiam ante mortem rerum insidiæ : hoc autem diademate quisquis redimitus fuerit, id ei ne post mortem quidem quisquam eripere poterit, non suorum, non alienorum. Atque etiam pretiosissimum hujus diadematis lapidem perspicias velim. Ut enim pretiosus lapis, sic eum ad extremum cingit. Quidnam autem hoc est, *Propter me ?* Neque enim hoc est, quod admirationem meretur, nempe quod non pepercerit, sed quod propter eum. O dexteram beatam, quali gladio donata est ! o admirandum gladium, quali dextera donatus est ! o beatum inquam gladium, ad quod ministerium paratus est ! quod munus obivit, et cui figuræ subservivit ! quonam pacto cruore tinctus est, et cruore non est tinctus ! Neque enim, quo verbo utar, scio : adeo tremendum istud mysterium erat. Non pueri pellem attigit, nec sancti illius guttur penetravit, nec justi cruore rubuit : imo vero et attigit et penetravit et cruore rubuit, et immersus est, et non immersus. Mentis errore affici fortasse vobis videor, qui ita pugnantia loquar. Et certe afficior, dum justi illius miraculum animo contemplor, nec tamen pugnantia loquor. Etenim justi viri manus eum in pueri gutture defixit ; at Deus etiam infixum non permisit pueri cruore contaminari. Neque enim Abraham solus eum tenebat, sed etiam Deus : ille per voluntatem impellebat, hic per vocem reprimebat. Nam eadem vox dextram illius et armavit et compescuit, atque Deo, tamquam bellico cuidam imperatori, subdita ad ipsius nutum omnia exsequebatur, cunctaque ad illius vocem administrabantur. Sic enim considera : dixit, Occide, ac statim armabatur : dixit, Ne occidas, ac statim arma deponebat : siquidem omnia parata jam erant,

Ac postea Deus militem suum ac ducem orbi ostendit, victorem angelorum theatro, illum inquam sacerdotem, illum regem, gladio magis quam ullo diademate coronatum, illum tropæo præstantem, ac sine conflictu victorem. Quemadmodum enim si quis imperator strenuissimum militem habeat, etiam ipsa gerendorum armorum dexteritate, ipsa statione, ipso impetu, hostem metu percellit : sic Deus sola justi viri voluntate, solo gestu, sola denique statione, communem omnium nostrum hostem diabolum exterruit atque in fugam vertit. Nam et illum existimo tum tremebundum recessisse. At, dixerit fortasse aliquis, quare Deus dextram cruentari non permiserit, ac postea mactatum repente ad vitam revocarit? Quoniam fas non erat Deum hujusmodi sanguinem capere; sed pestiferos dæmones mensa hæc decebat. Atque hic utrumque declarabatur, nempe et Domini benignitas et servi probitas. Ac prius quidem de terra sua egressus fuerat; tum vero ab ipsa quoque natura excessit. Eoque nomine sortem cum fœnore accepit, idque admodum merito : patris enim nomen amittere maluit, quam a probi servi officio recedere. Eo factum est, ut non modo pater, sed etiam sacerdos exsisteret; et quia Dei causa etiam a suis abscesserat, idcirco Deus ipsi cum illis sua quoque largitus est. Ac quidem ipse, cum ab hostibus insidiæ crearentur, etiam usque ad rem ipsam progreditur, ac miracula edit; ut in fornace, ac leonibus usu venit (*Dan.* 3. *et* 6) : cum autem ipsemet est qui imperat, intra animi promptitudinem imperium suum sistit.

7. *Abrahæ constantia.* — Quid enim, heus tu, in illa animi fortitudine ac præstantia jam desiderabatur? num Abraham quod eventurum erat, præsciebat? num Dei misericordiam ullo artificio captabat? Nam licet propheta esset, at propheta non omnia novit. Itaque supervacanea jam ac Deo indigna trucidatio exstitisset. Quod si illud operæ pretium fuerat scire, Deum mortuos ad vitam revocare posse, multo scilicet admirabilius id ab uxoris vulva intellexerat, imo ante hanc quoque demonstrationem, ut qui fide præditus esset. Tu vero justum illum non solum admireris, sed etiam imiteris : cumque eum in tanto tumultu ac tanta fluctuum tempestate non secus atque in tranquillitate navigantem cernis, fac etiam ut obedientiæ et fortitudinis clavum arripias. Nec mihi illud tantum commemora, quod altare exstruxerit et ligna pararit; sed pueri quoque vocem in mentem revoca, tecumque illud reputa, quanta exercituum agmina impetum in eum fecerint, ipsi pavorem injicientia, cum puerum dicentem audivit, *Pater, ubinam est victima* (*Gen.* 22. 7)? animadverte, quot tum cogitationes commotæ sint, non ferro, sed igneis hastis armatæ, atque undique eum pungentes et conscindentes. Nam si nunc quoque multi, etiam qui patres non sunt, dolore franguntur, et collacrymassent, nisi rei exitum perspectum haberent; imo etiam complures, quamquam illum norint, lacrymantes tamen intueor : quo tandem cruciatu affectum eum fuisse probabile est, qui ipsum genuerat, qui educaverat, qui in senectute, qui solum habebat, qui talem, qui cernebat, qui audiebat, qui jamjam de medio sublaturus erat? Quæ verborum prudentia? quæ responsionis mansuetudo? Quis autem tum operabatur? diabolusne, ut faces quasdam naturæ admoveret? Minime : verum Deus, ut auream justi animam magis exploraret. Etenim cum Jobi uxor verba faceret, diabolus operabatur; tale quippe illud consilium erat : hic vero nihil impie loquebatur, sed perquam pie et circumspecte : ac multa venustas in verbis efflorebat, magnaque mellis copia e sermonibus manabat, a tranquilla illa et placida anima fluens : atque tantam vim hæc verba habebant, ut vel saxeum pectus emollire possent. Nec tamen adamantem illum perculerunt, imo nec concusserunt; nec dixit, Quid patrem vocas, qui paulo post pater tuus futurus non est, quique jam hujus honoris jacturam fecit? Quanam porro de causa puer quoque sciscitatur? Certe non quod curiositate duceretur, sed quod de iis, quæ proposita erant, anxio ac sollicito animo esset. Sic enim secum cogitabat, nisi pater eum participem earum rerum quæ gerebantur adhibere voluisset, minime facturum fuisse, ut servis infra manere jussis, ipsum solum assumeret. Ob idque tum denique ipsum interrogat, cum jam soli essent, nec quisquam ea quæ dicebantur audiret : tanta pueri prudentia erat. Annon omnes, tam viri quam uxores, incaluistis? annon unusquisque vestrum puerum illum animo complectitur, et exosculatur, prudentiamque suscipit, atque ipsius pietate commovetur, qua fiebat ut, cum etiam colligaretur ac rogo imponeretur, non metu conculeretur nec resiliret nec patrem ut furore percitum accusaret; verum et vinculis astringeretur et tolleretur ac imponeretur, cunctaque, velut agnus quispiam, vel potius, ut communis omnium Dominus, silentio ferret? Etenim illius mansuetudinem imitabatur, ac figuram tenebat. *Tamquam ovis* enim, inquit, *ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente se obmutuit* (*Isai.* 53 7). Atqui loquutus est iste; nam et Dominus quoque ipsius loquutus est : quonam igitur modo obmutuit? Hoc est, nihil arrogans, nihil asperum loquutus est, sed blanda omnia et mansueta; ac verba ipsa plus mansuetudinis præ se ferebant, quam si tacuisset. Quandoquidem etiam Christus dicebat, *Si male loquutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis* (*Joan.* 18. 23)? et tamen sic mansuetudinem suam magis declaravit, quam si silentio usus fuisset. Et ut hic patri ex altari, sic ille etiam e cruce loquitur, *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* 23. 34). Quid igitur ad ista patriarcha? *Deus providebit sibi victimam in holocaustum, fili* (*Gen.* 22. 8). Uterque naturæ vocabula usurpat : ille Patrem, hic filium vocat. Ac grave utrimque bellum excitatur, atque ingens tempestas; nusquam tamen naufragium : philosophia enim omnia vincit. Deinde ut Dei nomen audivit, nullum ultra verbum addidit, nec curiosius inquisivit : usque adeo prudens erat hic puer, idque in ipso ætatis flore. Vides quot

exercitus rex hic superarit, quot irruentia bella compresserit? Neque enim Jerosolymæ tam formidabiles erant barbari, cum eam sæpenumero aggrederentur, quam hæ cogitationes undique ipsum circumsidentes; et tamen omnes superavit. Vis etiam sacerdotem cernere? non longe exemplum est. Nam cum eum ignem et gladium habentem, et altari adstantem intueris, quid jam est quod de sacerdotio dubites? Quod si vis victimam quoque videre, duplicem cernas licet. Obtulit enim filium, obtulit et ovem, vel, ut rectius loquar, ante omnia voluntatem suam. Atque per ovis quidem cruorem, manum; per filii autem mactationem animam sanctificavit. Atque ita sacerdos creatus est, per unigeniti sanguinem, per agni sacrificium. Nam et sacerdotes per victimarum, quæ Deo offerebantur, sanguinem olim sanctificari solebant. Visne etiam prophetam conspicere? *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum : et vidit, et gavisus est* (*Joan.* 5. 35). Ad eumdem modum tu quoque in baptismo rex, et sacerdos, et propheta efficeris : rex, cum omnes pravas actiones in terram abjecisti, ac peccata interemisti : sacerdos, cum teipsum Deo obtulisti, ac corpus mactasti, atque ipse quoque mactatus es : *Si enim ei commortui sumus*, inquit, *et convivemus ei* (2. *Tit.* 2. 11) : propheta denique, cum futura discis ac divino numine afflaris atque obsignaris. Quemadmodum enim nota quædam militibus, ita fidelibus quoque Spiritus imponitur. Quo fit, ut si ordinem deserueris, perspicuus omnibus fias. Judæi enim signi loco circumcisionem habebant, nos autem pignus Spiritus. Hæc igitur scientes, ac dignitatem nostram considerantes, vitam gratia dignam præstemus, ut futuro quoque regno potiamur : quod detur omnibus nobis assequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simulque sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Cap. 1. v. 23. *Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis non ultra veni Corinthum.*

1. Quid ais, beate Paule? parcens eis non venisti Corinthum? Ergo sermonem secum pugnantem nobis hoc loco inducis Superius enim hoc asserebas, hanc tibi non veniendi causam fuisse, quod carni consentanea consilia minime admitteres, nec tui juris esses, verum Spiritus arbitrio ubique circumagereris; atque afflictiones etiam in medium proferebas : hoc autem loco tui arbitrii fuisse ais, quod non veneris, non autem auctoritatis ac potestatis Spiritus : *Parcens* enim *vobis*, inquit, *non veni Corinthum*. Quidnam igitur dicendum? Nempe aut quod hoc quoque ipsum a Spiritu proficiscebatur; cumque venire ipse vellet, in mentem ei Spiritus injecit, ut non veniret, hoc videlicet proponens, ipsis indulgendum esse : aut de altero adventu loquitur, atque hoc significat, sibi quidem in animo fuisse, priusquam superiorem epistolam scriberet, ad eos se conferre, cæterum sese ob caritatem continuisse, ne eos incorrectos ostenderet. Probabile autem est, post illam epistolam, Spiritu jam eum minime prohibente, suapte sponte ob hanc causam mansisse. Quod etiam magis conjicere est, nempe quod initio quidem Spiritus prohibebat, post autem ipse quoque secum reputans id melius esse, manserit. Tu vero consideres velim quo pacto rursus mentionem sui faciat. Quod quidem idcirco facit (id enim inculcare non desinam), ut a contrariis patrocinium sibi quærat. Quoniam enim verisimile erat eos sinistri aliquid suspicari ac dicere : Idcirco ad nos non venisti, quia nobis infensus esses; contrarium ostendit, nempe se ideo ad eos profectum non esse, quod eos amaret. Quid autem est, *Parcens?* Audivi, inquit, nonnullos esse apud vos qui stuprum perpetrarint; noluique ad vos venire, ne vos in mœrorem conjicerem. Coram enim necesse fuisset facinus examinare, et vindicare ac punire, atque de multis pœnas sumere. Itaque satius esse duxi abesse, ac resipiscentiæ locum vobis concedere, quam præsens facinus ulcisci, graviusque irasci. Etenim sub epistolæ finem apertius istud declaravit, cum dixit : Timeo autem, *Ne forte cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia et fornicatione quam fecerunt* (2. *Cor.* 12. 21). Hoc igitur hic quoque ostendit, atque id quidem profert, tamquam se excusans, eos vero acerrime perstringit ac terret. His enim verbis significavit, eos pœnæ obnoxios esse, atque adeo fore ut acerbi aliquid patiantur, nisi quamprimum emendentur. Quod etiam ipsum rursus ad epistolæ calcem ait, *Si rursus venero, non parcam.* Cæterum illic apertius istud exprimit; hic autem, quoniam initium scribendi faciebat, non ita hoc dicit, sed submissius : ac ne hoc quidem contentus, id quoque ipsum rursus mitigat, ac correctione quadam utitur. Quia enim hoc dictum hominis esse videbatur haud parvam auctoritatem præ se ferentis; iis enim parcit aliquis, in quos suo jure animadvertere potest; idcirco illud molliens, atque id, quod speciem asperitatis habebat, adumbrans, ait : 24. *Non quia dominamur fidei vestræ.* Hoc est, Non idcirco dixi me, ut vobis parcerem, Corinthum non venisse, ac si vobis dominer. Nec dixit, Vobis, sed, quod mitius ac verius erat, *Fidei vestræ :* nam credere nolentem quis est qui cogere queat? *Sed adjutores sumus gaudii vestri.* Quoniam, inquit, gaudium vestrum nostrum est, ideo non veni, ne vos in mœrorem conjicerem, atque ita mœrorem meum augerem; sed mansi, ut minis correcti lætemini. Omnia enim lætitiæ vestræ causa facimus, et hac in re studium ponimus, quia illam vobiscum communem habemus. *Nam fide statis.* Vide quo pacto rursum submisse loquatur : veretur enim iterum eos perstringere, quo-

niam in priore epistola vehementer ipsos incesserat, ac resipiscentiam quamdam exhibuerant. Atque hoc eorum animos subversurum erat, si, cum ad meliorem frugem se convertissent, eamdem objurgationem subiissent. Ideo hæc epistola superiore multo lenior est. (*Cap.* 11) 1. *Statui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos.* Cum ait, *Iterum*, ostendit se jam ab illis mœrore affectum fuisse : cumque se excusare videtur, eos tacite perstringit. Nam si jam ei mœrorem attulerant, ac rursus allaturi erant, cogites velim quantus mœror ipsius verisimiliter futurus erat. Verum hoc non dicit, quod mœstitia ab ipsis affectus sit, sed alio modo loquens, hoc ipsum innuit aitque : propterea non veni, ne vos mœrore afficiam : quod eamdem quidem vim habet atque id quod dixi, æquioribus autem animis excipitur. 2. *Si enim ego contristo vos, et quis est qui me lætificet, nisi is qui contristatur ex me?* Quænam hæc consequentia est? Maxima certe : sic enim considera. Nolui, inquit, ad vos proficisci, ne vos amplius contristem, objurgans, excandescens, aversans. Deinde, quoniam hoc quoque grave erat, atque ipsorum accusationem complectebatur, si quidem ita viverent, ut Paulum mœstitia afficerent, correctionem adhibet, aitque : *Si enim ego contristo vos, et quis est qui me lætificet, nisi is qui contristatur ex me?* Horum autem verborum hic sensus est : quod si etiam futurum esset, ut in dolore versarer, dum scilicet vos objurgare ac mœstos videre cogerer : at ex hoc quoque ipso voluptatem caperem. Maximum enim hoc amoris argumentum est, tanti me a vobis pendi, ut animos vestros mordere queam, dum vos aversor.

2. *Pauli prudentia.* — Ac vide prudentiam. Nam quod in more discipulorum positum est, ut doleant atque ægre ferant cum objurgantur, sic tamen eos inducit, tamquam hac in re ipsi gratificentur : Neque enim, inquit, me quispiam perinde exhilarat ut ille qui verba mea curat, ac discruciatur cum me iratum cernit. Et quidem consentaneum erat ut diceret : Si enim ego contristo vos, ecquis est qui lætitiam vobis afferre possit? at hoc tamen non dicit, sed id rursus invertit, eos videlicet deliniens, ac dicens : Etiamsi vos molestia afficio, in hoc tamen maximum a vobis beneficium capio, quod sermonibus meis animi vestri perstringantur. 3. *Etenim hoc ipsum scripsi vobis.* Quidnam? Quod ut vobis parcerem, non venerim. Quando autem id scribebat? an in priore epistola, cum dicebat : *Nolo autem nunc vos in transitu videre* (1. *Cor.* 16. 7)? Non quidem, ut opinor, sed in eadem epistola, cum diceret : *Ne cum venero rursus, humiliet me Deus apud vos* (2. *Cor.* 12. 21). Scripsi ergo, inquit, in fine epistolæ : *Ne forte cum venero humiliet me Deus, et lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt.* Cur autem scribebas? *Ut non cum venero, tristitiam habeam de iis, de quibus oportuerat me gaudere : confidens in omnibus vobis, quia gaudium meum omnium vestrum est.* Quia enim dixerat voluptate se affici, cum ipsi angerentur, atque hoc adhuc asperius arrogantiusque videri poterat, id rursus alio modo invertit, ac per ea, quæ subjunxit, mitigavit. Ideo, enim, inquit, prius ad vos scripsi, ne dolenti animo vos inveniam non correctos. Ob idque dixi, *Ut non contrister;* non quod hac in re commodum meum spectem, sed vestrum. Scio enim vos, cum me lætum cernitis, lætos quoque esse; cum dolentem conspicitis, in dolore etiam versari. Vide igitur rursus quo pacto, quæ dicta sunt, inter se cohæreant : sic enim, quid Paulus dicat, facilius intellectu assequemur. Idcirco, inquit, non veni, ne vos mœrore afficerem, si incorrectos offendissem. Hoc autem non mea, sed vestra causa faciebam. Ego enim ex vestro mœrore haud parvam voluptatem capio, cum me vobis tantæ curæ esse cerno, ut etiam in mœrore ac dolore sitis, cum indignatione afficior : *Quis enim est qui me exhilaret, nisi qui ex me contristatur?* Tamen quamvis animo ita constitutus sim, quoniam vestri rationem habeo, hoc ipsum ad vos scripsi, ut ne contrister : in hoc quoque rursus non meum, sed vestrum commodum spectans. Neque enim me fugit, quin ea res vobis mœrori futura sit, si dolentem me videritis : ut contra lætitiæ, si me lætum conspexeritis. Vide itaque prudentiam : dixerat, *Non veni*, ut ne vos contrister; et tamen gaudeo, inquit. Deinde, ne ex eorum dolore voluptatem sibi esse videatur, In hoc, inquit, gaudeo, quod vos perstringam. Nam alioqui discrucior, cum eos, a quibus tantopere amor, molestia afficere cogor, non ob id tantum quod objurgem, sed ob id etiam quod ipse quoque in mœrore sim, ac vobis rursus hoc nomine mœrorem accersam. Animadverte autem quo pacto istud etiam cum laude ponat dicens, *De quibus oportuerat me gaudere.* Hæc enim verba hominis sunt, sinceritatem atque ingentem amoris affectum testificantis : non secus ac si quis de filiis, quos multis beneficiis affecisset, et quorum causa plurimum laboris suscepisset, loqueretur. Quocirca, inquit, si hac ratione scribo, ac non venio, ut magni aliquid procurem non venio, ac non quod vos oderim atque averser, sed quod admodum amem. Deinde quoniam dixerat, Qui me contristat, me lætificat; ne illi dicerent, Hoccine igitur tibi studio est, ut lætificeris, atque omnibus vim tuam ostentes? ideo subjunxit, 4. *Nam ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non ut contristemini, sed ut sciatis quam caritatem habeam abundantius erga vos.*

Pauli amor erga discipulos. — Quid hac anima ad amandum propensius? Ostendit enim se non minus, imo etiam multo magis doluisse, quam illi ipsi, qui peccaverant. Non enim ex tribulatione tantum dixit, sed, *Ex multa;* nec per lacrymas solum, sed, *Per multas lacrymas et cordis angustiam.* Hoc est, Mœrore præfocabar ac strangulabar : ac tristitiæ nubem jam non ferens, ad vos scripsi; *Non ut contristemini*, inquit, *sed ut caritatem eam noscatis, quam abundantius erga vos habeo.* Atqui sermonis series hoc postulabat, ut diceret, Non ut contristemini, sed ut resipiscatis; etenim hac de causa scripserat : hoc tamen non dicit, sed, ut plus suavitatis orationi suæ conciliet, atque

in majorem sui amorem eos pertrahat, hoc illius loco ponit, ostendens se amore ductum omnia facere. Nec caritatem tantum dixit, sed, *Quam abundantius habeo erga vos.* Vult enim hac quoque ratione animos eorum allicere, dum se eos præ cæteris amare, atque ut erga eximios discipulos affectum esse demonstret. Unde etiam ait, *Et si aliis non sum apostolus, at vobis tamen sum*; et, *Si multos pædagogos habeatis, non tamen multos patres* (1. *Cor.* 9. 2. *et* 4. 15); ac rursus, *In gratia Dei conservati sumus in mundo, abundantius autem apud vos.* Atque infra etiam inquit, *Abundantius vos diligens, minus diligor* (2. *Cor.* 1. 12. *et* 12. 15); et hoc loco, *Quam habeo abundantius erga vos.*

3. Itaque etiamsi verba iracundiæ plena erant, tamen hæc animi concitatio ex ingenti caritate ac dolore nascebatur. Cumque epistolam scriberem, inquit, dolebam et angebar, non hoc tantum nomine, quod peccassetis, sed etiam, quod vobis mœrorem afferre cogerer. Verum hoc quoque ipsum ex amore: non secus ac si quis, cum filium in primis carum habeat, qui sanie laboret, eumque secare atque urere cogatur, utroque nomine doleat, tum quod æger sit, tum quod eum secare necesse habeat. Ac proinde id, quod mei in vos odii signum esse existimatis, magni amoris argumentum erat. Quod si hoc ipsum, quod vos contristarim, ab amore ortum trahit, multo sane illud magis, quod, dum in mœrore estis, in lætitia verser. Cum ergo se ipse excusasset (siquidem plerisque locis se excusat; nec propterea erubescit: Nam cum Deus id faciat dicens, *Populе meus, quid feci tibi* [*Mich.* 6. 3]? multo magis id Paulum facere convenit): cum, inquam, se ipse excusasset, ac jam pro eo verba facere pararet, qui stupri crimine se obstrinxerat: nè illi, tamquam qui contraria jussa acciperent, distorquerentur pertinaciusque contenderent, quia idem ipse erat, qui et tum ita exarserat et nunc eum missum facere jubebat, vide quo pacto tum per ea quæ dixit, tum per ea quæ dicturus est, hoc præmuniverit. Quid enim ait? 5. *Si quis autem contristavit, non me contristavit.* Posteaquam prius illos laudavit, quod iisdem rebus et gauderent et angerentur, tum demum sermonem de hac re aggreditur: cum prius dixisset, *Gaudium meum vestrum omnium est.* Quod si gaudium meum omnium vestrum est, oportet ut mecum nunc quoque gaudeatis, ut tunc mecum doluistis. Nam ut tum dolendo mihi voluptatem attulistis, ita nunc gaudendo, siquidem gavisi fueritis, idem efficietis. Nec dixit, Mœror meus mœror omnium vestrum est; sed cum in aliis locis hoc adstruxisset, nunc id solum, quo habebat opus, posuit, nempe gaudium, dicens, *Gaudium meum omnium vestrum est.* Deinde superiorem quoque meminit his verbis: *Si quis autem contristavit, non me contristavit, sed ex parte, ut non onerem vos omnes.* Scio, inquit, quod ira et indignatione mecum commoti fuistis propter eum qui stuprum admiserat: atque hoc facinus vos omnes ex parte mœstitia affecit. Atque ideo dixi, *Ex parte*, non quod vos minorem inde mœrorem acceperitis, quam ego: sed ne illum, qui stuprum perpetravit, nimium onerem.

Quocirca non me solum ille in mœrorem conjecit, sed vos etiam omnes; etiamsi ut indulgentius cum eo agerem, dixi, *Ex parte.* Vides quomodo statim iratos eorum animos lenierit, cum ostendit ipsos indignationis quoque participes fuisse? 6. *Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio ea quæ fit a pluribus.* Non dixit, Fornicatori, sed rursus, *Ei qui ejusmodi est*, ut et in præcedenti epistola; verum non eamdem ob causam: illic enim ob pudorem ita loquebatur, hic ob indulgentiam. Ob idque nec jam uspiam peccati mentionem facit, quod tempus esset, ut ipsius patrocinium susciperet. 7. *Ita ut e contrario magis donetis et consolemini, ne forte abundantiore tristitia absorbeatur qui est ejusmodi.* Non enim solum jubet objurgationi finem imponi, sed etiam illum ad priorem statum reduci. Etenim si quis eum, qui verberibus cæsus sit, tantummodo missum faciat nec ei medeatur, nihil fecit. Vide autem quonam rursus modo illum quoque coerceat, ne ob condonatum peccatum deterior fiat. Nam quamvis peccatum confessus fuerit, ipsiusque cum pœnituerit; ostendit tamen eum non tam pœnitentiæ opera, quam gratia et beneficio veniam consequi. Ob idque ait, *Donetis et consolemini.* Et quod sequitur, idem declarat. Non enim quod id promereatur, nec quod eam, quam par sit, pœnitentiam præstiterit, sed quia infirmus est, ideireo, ait, hoc peto: unde etiam subjunxit, *Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui est ejusmodi.* Quæ verba sunt hominis magnæ pœnitentiæ testimonium ipsi tribuentis, nec eum in desperationem ruere sinentis. Quid est autem, *Absorbeatur?* Nempe vel hoc faciens, quod a Juda factum est; vel etiam, si vitæ usura fruatur, deterior factus. Etenim si resilat, inquit, quod contractum ex longiore objurgatione dolorem non amplius ferre queat; desperata salute, aut in laqueum, aut in majorem deinceps improbitatem ruet. Itaque occurrendum est, ne ulcus ingravescat, neve id quod recte fecimus, ob neglectum modum amittamus.

4. Hæc autem eo dicebat, ut et illum, quod jam dixi, coerceret et admoneret, ne post impetratam veniam ignavior fieret. Non enim, inquit, eum ita excepi, quasi sordes penitus absterserit, sed quod vererer ne gravius aliquid in se admitteret. Ex quo illud discimus, non ex scelerum tantum natura, sed ex peccantium etiam animo atque affectione indicendam esse pœnitentiam, ut tum fecit apostolus, quod ipsius imbecillitatem extimesceret. Ideoque dicebat, *Ne absorbeatur*, velut a bellua quadam, atque a tempestate ac procellis. 8. *Propter quod obsecro vos.* Non jam imperat, sed obsecrat, non ut præceptor, sed ut æqualis, atque illis in judiciaria sede constitutis, ipse in patroni loco atque ordine se collocavit. Quoniam enim id, quod in animo habebat, confecerat, præ gaudio jam modum in supplicando excedit. Quidnam est, quæso, de quo obsecras? *Ut firmetis in eum caritatem.* Hoc est, constabiliatis, nec eum leviter ac vulgari modo suscipiatis. Quibus etiam verbis summæ virtutis testimonium ipsis tribuebat: si quidem ii, qui hominem illum usque adeo amabant ac

tuebantur, ut etiam animis inflarentur, adeo rursus eum aversati sint, ut tantopere laborandum Paulo fuerit, ut caritatem in eum firmarent. Hæc discipulorum, hæc magistri virtus est : quod illi tam morigeros se præbeant, hic tam præclare ipsos componat ac moderetur. Hoc si nunc quoque fieret, qui peccant, haud sine sensu peccarent. Nec enim temere amare oportet, nec sine ratione aversari. 9. *In hoc enim etiam scripsi vobis, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis.* Hoc est, non modo in amputando, sed etiam in adjungendo. Vides quonam pacto hic quoque rursus metum immittat? Ut enim cum ille peccasset, terrorem ipsis injecit, nisi eum abscinderent, dicens, *Exiguum fermentum totam massam corrumpit* (1. *Cor.* 5. 6), aliaque plura : eodem hic quoque modo inobedientiæ metum iisdem injicit, his fere verbis utens : Ut tunc non pro illo tantum, sed etiam pro vobis, sic nunc quoque non magis illius, quam vestra causa consilium vobis capiendum est, ne pervicaces atque inhumani esse videamini, nec in omnibus obedientes. Ac proinde ait, *In hoc enim etiam scripsi vobis, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis.* Etenim illud invidiæ fortasse ac livoris esse videri potuisset ; hoc autem puram in primis ac sinceram obedientiam ostendit, et an ad humanitatis officia idonei sitis.

Discipulorum officium. — Hoc enim proborum discipulorum est, nempe non modo illa, sed contraria quoque imperanti obtemperare. Ideo dixit, *Ad omnia.* Quibus verbis ostendit, nisi obediant, id non tam ei quam sibi ipsis probro ac dedecori fore, ut qui pervicaciæ opinionem collecturi sint. Hoc autem facit, ut hinc quoque ipsos ad parendum impellat : unde etiam ait, *In hoc enim et scripsi vobis.* Neque enim ob eam causam scripsit, sed hoc idcirco dixit, ut eorum animos pelliceret : quod enim præcipue agebatur, erat illius salus, qui peccarat. Verum ubi nihil damni, ipsis etiam gratificatur. Per hæc autem verba, *Ad omnia,* rursus eos laudat, pristinam eorum obedientiam commemorans, atque in medium adducens. 10. *Cui autem aliquid donatis, et ego.* Vides quo pacto rursus posteriores sibi tribuit, illos videlicet duces atque auspices, se vero comitem dumtaxat ostendens? Sic nimirum exacerbatus animus mitigatur, sic durus ac pertinax emollitur. Postea ne supinos eos reddat, ut penes quos negotii summa sit, et ne illum missum faciant, ad hoc ipsos impellit, dum ait se quoque illi condonasse. *Nam et ego si quid donavi, quod donavi, propter vos.* Quin hoc quoque ipsum vestra causa feci, inquit. Et sicut, cum illum amputari jubebat, nec ei indulgendi arbitrium ipsis permisit, dicens, *Jam judicavi tradere hujusmodi hominem satanæ* (1. *Cor.* 5. 5), ac rursus tamen eos sententiæ socios ascivit, cum diceret, *Congregatis vobis tradere eum :* duas videlicet res maximas struens, nempe ut et sententia ferretur, et tamen non sine illis, ne hac ratione eos lædere videretur; ac neque solus eam proferebat, ne illi eum arrogantem esse, ac se ab eo contemni judicarent; nec rursus rem totam ipsorum arbitrio committebat, ne accepta hujusce rei potestate proderent eum qui peccaverat, intempestivam erga ipsum indulgentiam adhibentes : ita hic quoque facit, dicens : Ego jam condonavi, qui in priore epistola jam condemnaram. Deinde ne, tamquam contempti, animis offenderentur, ait, *Propter vos.* Quid igitur? an ut ab hominibus gratiam iniret, ipsi ignovit? Minime : ideoque adjecit, *In persona Christi.* Quid est, *In persona Christi?* Hoc est, secundum Deum, vel ad Christi gloriam. *Ne circumveniamur a satana :* 11. *non enim ignoramus cogitationes ejus.* Viden', ut et illis potestatem concedat, et eamdem rursus adimat : ut illinc quidem eos mitiget ac emolliat, hinc autem eorum arrogantiam amputet? Nec vero id solum hoc loco molitur, sed illud quoque, ut ostendat commune detrimentum fore, si non obedierint : quod etiam in principio fecit. Nam tum etiam dicebat, *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (1. *Cor.* 5. 6); et rursus hic, *Ut non circumveniamur a satana :* atque illius qui peccarat absolutionem ubique sibi et illis arrogat.

5. Verum altius rem considera : *Si quis autem me contristavit,* inquit, *non me contristavit, sed ex parte, ut non onerem omnes vos ;* ac deinde rursus, *Sufficit ei qui ejusmodi est, objurgatio ea, quæ fit a pluribus.* Hoc ipsius decretum est atque sententia. Nec tamen in hoc decreto constitit, sed rursum eos quoque socios adhibet, dicens : *Ut e contrario magis condonetis et consolemini. Propter quod obsecro vos, ut firmetis in eum caritatem.* At postea quam totum istud eorum arbitrio permisit, ad auctoritatem suam deinceps transit, his verbis utens : *In hoc enim scripsi vobis, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes estis.* Mox rursus gratiam ipsis adscribit, cum ait, *Cui autem donastis :* tum rursus sibi, dicens, *Et ego si cui donavi, propter vos :* deinde simul et ipsis et sibi eam vindicat, cum ait, *Nam et ego, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Hoc est, ad gloriam Christi; vel, tamquam Christo hoc etiam imperante : idque maxime illos movebat. Timebant enim ne indulgentia minus uterentur in re, quæ ad Christi gloriam pertineret, ipsique placeret. Deinde rursus commune detrimentum, si obedire negligerent, proponit dicens, *Ut non circumveniamur a satana.* Quo loco pulchre πλεονεξίας vocabulum usurpavit : neque enim ille sua jam capit, sed nostra eripit. Nec vero mihi hoc dixeris, quod solus ille fornicator belluæ in prædam cedat, verum illud quoque tecum reputa, quod gregis numerus minor fit; ac nunc præsertim, cum id quod amissum est recuperare licet. *Non enim ejus cogitationes ignoramus.* Nempe quod pietatis prætextu nobis exitium afferat. Non enim hinc solum, quod aliquem ad stuprum inducat, sed a contrario quoque perniciem afferre potest, nimirum ab immodico mœrore ex pœnitentia contracto. Cum igitur una cum suis nostros quoque abripiat, cum et peccare jubens perdat, et nobis pœnitentiam indicentibus rapiat, annon istud πλεονεξίας

est, hoc est, alienæ rei usurpatio? Non enim satis habet per peccatum nos dejicere, sed per pœnitentiam quoque, nisi vigilemus, idem efficit. Atque ideo πλεονεξίαν merito appellavit, cum per ea etiam quæ nostra sunt, victoriam adipiscitur. Etenim per peccatum capere proprium ipsius est, at per pœnitentiam, non item : nostrum enim, non autem illius est hoc armorum genus. Quamobrem cum hinc quoque capere potest, animadverte quam turpis sit hæc clades, quantumque ille ut imbelles et miseros irrisurus atque exagitaturus est, siquidem nos nostrismet armis subegerit. Perquam enim ridiculum ac summe pudendum illud est, quod per medicamenta nostra ipse vulnera efficiat. Ideo Paulus dicebat, *Non enim ipsius cogitationes ignoramus;* hoc est, quam multiplex, quam vafer, quam veterator ac versutus sit, quam denique sub pietatis obtentu infestum nobis hostem præbeat. Hæc igitur nos quoque cogitantes neminem unquam contemnamus, nec peccantes desperemus, nec rursum socordia languescamus ; verum, cum peccatum admisimus, animum conteramus, nec verba dumtaxat proferamus. Siquidem complures novi qui se quidem peccata sua dellere aiunt, at interim nil magni operantur ; verum jejunant illi quidem ac vestes asperas gestant, cæterum majori pecuniarum cupiditate flagrant, quam caupones ; ira magis corripiuntur, quam feræ ; atque obtrectatione magis, quam alii laudationibus delectantur. Pœnitentia ista non sunt : pœnitentiæ larva atque umbra ista sunt, non pœnitentia. Ob idque ad ejusmodi homines illud usurpare licet, Videte ne circumveniamur a satana ; non enim ejus cogitationes ignoramus. Alios quippe per peccata, alios per pœnitentiam, alios alio modo perdit ; dum videlicet eos nullum ex pœnitentia fructum percipere sinit. Nam cum quibusdam recta via perniciem afferre nequit, alteram viam init, sicque se comparat, ut labores quidem augeat, fructus autem adimat, ipsisque hoc persuadeat, ut tamquam omni ex parte officio perfuncti, reliqua negligant. Quocirca ne incassum nosipsos vexemus, brevem ad hujusmodi mulieres orationem habeamus : mulierum enim potissimum hic morbus est. Præclarum quidem hoc quoque est, quod nunc facitis, hoc est jejunare et humi cubare ac cinerem adhibere ; sed nisi alia insuper accesserint, nulla hinc utilitas consequetur. Ostendit Deus quo pacto peccata remittat : quid igitur relicta hac via alteram vobis sternitis? Peccarunt quondam Ninivitæ, eaque fecerunt quæ vos quoque nunc facitis ; sed videamus quidnam ipsis utilitatem attulerit. Quemadmodum enim medici ægrotis multa quidem remedia adhibent ; sed qui sagaci ingenio est, non hoc perpendit, quod hoc atque illo medicamento usus sit is qui adversa valetudine laborat, sed quam utilitatem hinc sit consequutus : eodem modo hic etiam res expendenda est. Quidnam igitur barbaris illis utilitati fuit? Vulneribus suis jejunium adhibuerunt, humi cubationem, saccum, cinerem, fletum ; adjunxerunt etiam vitæ mutationem.

6. Videamus igitur quidnam horum sanitatem ipsis attulerit. Unde autem hoc sciemus, inquies? Si ad medicum accedamus, atque ipsum interrogemus : neque enim id nos celabit, sed etiam libenter dicet. Imo potius ne quis ignoret, aut sciscitari necesse habeat, pharmacum quoque, quod eos erexit, literis mandavit. Quodnam igitur istud est? *Vidit*, inquit, *Deus quod conversus est unusquisque a via sua prava : et pœnituit eum malorum quæ loquutus fuerat ut faceret eis* (*Jonæ* 3. 10). Non dixit, Vidit jejunium et cilicium ac cinerem. Nec tamen hæc eo dico, ut jejunium tollam ; avertat hoc Deus ; sed ut vos ad id, quod jejunio præstantius est, faciendum horter, hoc est, ut ab omni vitio abstineatis. Peccavit etiam David : videamus igitur quo pacto hic quoque pœnitentiam egerit. Tres totos dies in cinere sedit (2. *Reg.* 12). At ille quidem hoc non ob peccatum fecit, sed filii causa, calamitate nimirum adhuc temulentus : peccatum autem alio modo abstersit, nempe per humilitatem, per cordis contritionem, per animæ compunctionem, dum etiam illud cavet, ne in eadem relabatur, dum peccati numquam memoriam abjicit, dum irruentes omnes acerbitates grato animo fert, dum iis a quibus molestia afficitur parcit, dum eos qui ipsi insidias parant non ulciscitur, imo eos qui id facere cupiunt prohibet. Nam cum Semei eum innumeris probris obrueret, ac militarium copiarum præfectus, qui tum aderat, id indigno animo ferret, dicebat *Sine illum mihi maledicere : Deus enim hoc ei præcepit* (*Id.* 16. 10). Cor quippe contritum et humiliatum (*Psal.* 50. 19) habebat, quod ipsius peccata maxime abstergebat : nam hoc confessio, hoc pœnitentia est. Quod si jejunantes arrogantia laboremus, non modo nullum hinc emolumentum, sed etiam detrimentum capiemus. Quamobrem tu quoque cor tuum demitte, ut Deum allicias : *Prope* enim *est his qui tribulato sunt corde* (*Psal.* 33. 19). Annon vides quomodo in splendidis ædibus ii, qui dedecore affecti sunt, cum etiam ab infimis quibusque servis contumeliam accipiunt, non tamen colluctentur, sed ob infamiam eam, quam peccatum ipsis inussit, æquo animo id ferant? Idem quoque tu facias : si quis te conviciis insectetur, ne exaspereris, sed ingemiscas, non ob illatam tibi contumeliam, sed ob peccatum quod te in ignominiam conjecit. Cum peccaveris ingemisce, non quod pœnas daturus sis, nihil enim hoc est; sed quod Dominum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuæ appensum, ut Filium quoque suum tua causa tradiderit. Ingemisce ideo, neque umquam id facere intermitte : etenim hoc demum est confessio. Non nunc lætum, cras autem mœstum ac rursum lætum te præbe ; verum perpetuo in luctu ac tui contritione mane. *Beati* enim, inquit, *qui lugent* (*Matth.* 5. 5), hoc est, qui assidue hoc faciunt. Hoc semper facias, tibique attendas, ac pectus tuum conteras, non secus ac si quis amisso filio unice caro in luctu versetur. *Scindite* etenim, inquit, *corda vestra, et non vestimenta vestra* (*Joel.* 2. 13). Quod fractum est, haudquaquam se in altum extulerit : quod contrarium est, non

exsurrexerit. Ob eamque causam alter ait, *Scindite*, alter autem, *Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet* (*Psal.* 50. 19). Etsi sapiens es, etsi dives, etsi princeps, pectus tamen scinde, nec ipsum alte de se sentire atque inflari sine. Nam quod scissum est, non inflatur : etiamsi aliquid sit a quo extollatur, tamen quia scissum est, inflationem ferre nequit. Sic tu quoque modestiæ atque animi summissioni stude : illud tibi in mentem veniat, publicanum ob unum verbum justificatum fuisse (*Luc.* 18); quamquam ne modestia quidem erat illa, sed vera confessio. Quod si hoc tantam vim habet, quanto quæso majorem habitura est humilitas? Iis, qui in te deliquerint, peccata remitte : nam hinc quoque peccata remittuntur. Ac de priori quidem ait, *Vidi quod ambulaverit tristis, et sanavi vias ejus* (*Isai.* 57. 18); et in Achab istud Dei iram sustulit (3. *Reg.* 21) : de posteriore autem, *Dimittite, et dimittetur vobis* (*Luc.* 6. 37). Est etiam alia via, hoc pharmacum nobis ferens, scelerum condemnatio : *Dic enim tu prior iniquitates tuas*, inquit, *ut justificeris* (*Isai.* 43. 26). Illud item peccata delet, si calamitate affectus gratias agas; et quæ omnibus antecellit, eleemosyna. Numera igitur remedia, quibus vulnera tua sanantur : atque omnia continenter impone, humilitatem nempe, confessionem, injuriarum oblivionem, gratiarum actionem in rebus adversis, misericordiam in juvandis tam pecunia quam studio atque officio proximis, firmas denique ac continuas preces. Sic vidua illa immanis illius et crudelis judicis animum mitigavit (*Luc.* 18). Quod si illa iniquum, quanto magis tu mansuetum ac facilem? Est et alia præter eas, quas commemoravimus, via, nempe iis qui injuria afficiuntur, præsidio esse : *Judicate enim pupillo*, inquit, *et viduam justificate : et venite et disputemus : et si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nivem ea dealbabo* (*Isai.* 1. 16. 17). Quanam porro excusatione digni erimus, si cum tot vias habeamus nos in cœlum subvehentes, cum tot pharmaca quæ vulneribus medeantur, etiam post baptismum in iisdem vitæ studiis perseveremus? Ne, quæso, perseveremus, verum ii quidem, qui nondum lapsi sunt, in sua pulchritudine perstent, imo eam magis ac magis excolant (nam etiamsi præclara hæc officia peccata nulla reperiant, cumulatiorem certe pulchritudinem reddunt) : nos vero, qui peccata multa perpetravimus, ad correctionem ea quæ diximus adhibeamus : ut ad Christi tribunal cum magna fiducia adstemus; cujus utinam nos omnes participes simus, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

Cap. 2. v. 12. *Cum autem venissem Troadem propter evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino*, 13. *non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum.*

1. Hæc quidem verba indigna Paulo esse videntur, nempe quod ob fratris absentiam tantam salutis afferendæ occasionem abjecerit. Ac præterea videntur ista non satis cum prioribus cohærere. Quid igitur? vultis ut prius ostendam, eum nihil seipso indignum dixisse? aut hæc ad seriem quadrare? Meo quidem judicio satius fuerit, posterius priore loco demonstrare : sic enim alterum quoque facilius ac dilucidius fuerit. Quomodo igitur hæc cum superioribus cohærent? Illa ipsa in memoriam redigamus, atque ita istud intelligemus. Quænam igitur illa erant? Quæ initio dicebat, *Nolo vos ignorare de tribulatione quæ facta est nobis in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem.* Postea autem ubi ostendit quomodo liberatus sit, eaque quæ in medio sunt interjecit, necessario rursus docet se alio quoque modo afflictum fuisse. Qui tandem istud? Quod Titum non invenerit. Etenim istud quidem grave est, atque ad consternandum animum magnam vim habens, nempe tentationes subire : at cum deest qui consoletur sarcinamque una sufferre queat, tum major est tempestas. Titus porro ipse est, quem infra ab illis ad se venisse refert, et de quo multas ac præclaras laudes recenset, quemque a se missum esse dicebat. Ut ostendat ergo se ipsorum causa hanc quoque afflictionem subiisse, his verbis usus est. Quod itaque hæc verba pulchre cum superioribus cohæreant, hinc perspicue patet; quod autem Paulo non indigna sint, id quoque planum facere conabor. Neque enim hoc dicit, quod Titi absentia eorum, qui ad fidem accessuri erant, saluti moram attulerit, nec quod propterea eos qui fidem susceperant contempserit, sed quod requiem non habuerit, hoc est, ob fratris absentiam in afflictione ac dolore versatus sit; hinc nimirum ostendens quanti momenti sit fratris absentia; atque ideo illinc excesserit. Quid autem hæc verba sibi volunt, *Cum venissem Troadem propter evangelium?* Non, inquit, temere eo profectus sum, sed ut prædicarem. Et tamen licet ea de causa eo me contulissem, ac maximum opus reperissem; *Ostium enim mihi apertum esset in Domino; Non habui requiem*, inquit : tametsi non propterea opus impeditum fuerit. Cur ergo dicit, 13. *Valefaciens eis, abii?* Hoc est, præ animi angustia ac dolore non diuturno tempore illic moratus sum. Ac fortasse etiam illius absentia negotio impedimentum afferebat. Hoc porro non parvæ quoque consolationi ipsis erat. Nam si, cum fores illic apertæ essent, atque ob eam causam venisset, quoniam fratrem non invenit, confestim abscessit, multo æquius est, inquit, vos negotiorum angustiis ac necessitatibus ignoscere, quæ nos quaquaversum agunt ac circumagunt, nec ad eos quos volumus arbitratu nostro proficisci, ac diutius apud eos morari sinunt. Unde etiam, ut supra Spiritui, ita hic quoque Deo peregrinationes suas adscribens, hæc subjungit : 14. *Deo autem gratias, qui semper triumphat*

nos in Christo Jesu, et bonum odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Etenim ne tamquam lugens hæc deplorare videatur, gratias Deo agit. Quod autem ait, hunc sensum habet : ubique afflictio, ubique anxietas : veni in Asiam, gravatus sum supra vires : veni Troadem, fratrem non inveni : ad vos non veni ; hoc quoque non parvam, imo perquam ingentem mœstitiam mihi attulit. Illudque præterea quod multi apud vos peccaverint, eaque mihi, cur vos minime viderim, causa fuerit : *Parcens* enim *vobis non veni Corinthum* (2. *Cor.* 1. 23), inquit. Quare ne hæc per deplorationem dicere videretur, subdit : Non modo non dolemus in hisce tribulationibus, sed etiam gaudemus : quodque majus est, non modo propter futura præmia, sed etiam ob præsentia ; siquidem hic quoque ob eam causam clari atque illustres sumus. Quocirca tantum abest ut luctu afficiamur, ut etiam triumphum rem istam appellemus, atque ob ea quæ contingunt gloriemur. Eoque nomine dicebat, *Gratias autem Deo, qui semper triumphat nos ;* hoc est, qui nos apud omnes splendidos reddit. Nam quod dedecoris speciem habet, nimirum undique pelli, hoc nos summo honori ducimus. Ideo non dixit, Qui nos conspicuos reddit, sed, *Qui triumphat.* Qua voce hoc indicat, hujusmodi persequutiones ubique terrarum perpetua adversus diabolum tropæa erigere. Deinde una cum eo, qui triumphat, causam etiam afferens, hinc quoque auditoris animum erigit. Non enim, inquit, a Deo tantum in triumphum agimur, sed etiam in Christo, hoc est propter Christum ac prædicationem. Nam cum triumphare opus sit : omnino nos quoque qui tropæum ferimus, conspicuos esse necesse est, quandoquidem ipsum gestamus; ob idque clari ac celebres sumus. *Et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.*

2. Superius dixit, *Semper triumphat ;* hic, *In omni loco,* inquit, illud nimirum indicans, nec locum nec tempus ullum esse, quod non apostolicis certaminibus impletum sit. Atque altera rursus metaphora utitur, a suavi odore ducta. Ut enim qui unguentum gestant, inquit, sic cunctis ipsi conspicui sumus ; pretiosum unguentum Dei cognitionem vocans. Nec dixit, Notitiam, sed, *Odorem notitiæ.* Ejusmodi enim est præsens cognitio, hoc est, non admodum perspicua et reserata. Ob id tum in priore epistola dicebat, *Videmus nunc per speculum in ænigmate* (1. *Cor.* 13. 12) ; atque hic odorem hoc unguentum vocat. Porro qui odorem sensit, illud quidem novit, unguentum alicubi conditum esse ; at cujusmodi naturæ, non item, nisi prius id perspectum habuerit. Eodem nos quoque modo quod sit Deus, scimus; quidnam autem natura sit, non item. Itaque tamquam thuribulum regium sumus, cæleste unguentum, ac spiritualem fragrantiam, quoquo gentium pergamus, redolentes. Hæc autem dicebat, partim ut evangelicæ prædicationis vim demonstraret : nempe quod per eos, a quibus insidiæ ipsis pararentur, magis elucerent, dum videlicet eorum persequutores hoc facerent, ut universus orbis tum eorum tropæa, tum odoris suavitatem exploratam haberet; partim etiam ut eos ad omnes afflictiones et tentationes forti animo perferendas cohortaretur : quippe cum etiam ante cæleste præmium gloriam perciperent, quæ nullis verbis explicari posset. 15. *Quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt.* Sive enim quis salutem consequatur, inquit, sive pereat, evangelio semper virtus sua constat. Et sicut sol, licet infirmis oculis tenebras offundat, lumen tamen est ; ac mel, etiamsi ægrotis amarum sit, suapte tamen natura dulce est ; sic evangelium suavi odore præditum est, etiamsi quidam non credentes pereant. Neque enim illud exitii causa est, sed eorum perversitas. Quin hinc quoque vel maxime ipsius suavitas percipitur, quod qui improbi ac corrupti sunt, pereant. Ac proinde non modo per bonorum salutem, sed etiam per improborum interitum ipsius virtus declaratur. Nam et sol, quia perquam clarus est, ea re potissimum infirmorum oculos perstringit : ac Salvator in multorum ruinam et resurrectionem est, et tamen Salvator manet, quamvis innumeri cadant : atque ipsius præsentia gravius punit eos qui non obsequuntur, tamenque salutaris manet. Ideo Paulus ait, *Deo bonus odor sumus ;* hoc est, Quamvis nonnulli pereant, interim tamen id esse perstamus, quod sumus. Nec absolute dixit, *Bonus odor sumus*, sed *; Deo.* Porro cum Deo bonus odor simus, atque ille hæc calculo suo comprobet, quis jam contradicat? Quin hæc verba, *Christi bonus odor sumus*, mihi duplici modo exponi posse videntur : aut enim hoc ait, quod seipsos victimam offerrent, dum mortem oppeterent ; aut, quod necis Christi bonus odor simus : perinde ac si quis dicat, Hujusce victimæ bonus odor est hic suffitus. Aut igitur hoc significat boni odoris vocabulum, aut, quod ante dixi, quod quotidie Christi causa macten-tur. Vides quo tentationes subvexerit, cum triumphum eas, et odorem, oblatumque Deo sacrificium appellat? Deinde postquam dixit, *Bonus odor sumus in iis qui pereunt ;* ne hoc existimes illos quoque Deo gratos et acceptos esse, subjunxit : 16. *Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Hanc enim fragrantiam quidam ita suscipiunt ut salvi fiant ; quidam rursus ita, ut pereant. Itaque etiamsi pereat aliquis, ipse in culpa est. Nam et sues unguento suffocari dicuntur ; et lumen, ut antea dixi, infirmis oculis tenebras offundit. Atque hujusmodi bonorum natura est, ut non ea tantum, quæ ipsis familiaria sunt, sanent, sed etiam contraria perdant : hinc que maxime vis eorum declaratur. Siquidem et ignis, non solum cum illuminat, aut cum aurum purgat, sed etiam cum spinas absumit, vim suam maxime indicat, atque hac ratione ignem se esse demonstrat. Eodem modo Christus hinc quoque majestatis suæ specimen edit, cum oris sui spiritu Antichristum opprimit, ac per adventum præsentiæ suæ de medio tollit. *Et ad hæc quis idoneus?* Quoniam magnifice loquutus erat dicens, Christi sacrificium, ac, Bonus odor sumus, atque, Ubique triumpha-

mus, rursus moderatione utitur, Deo cuncta assignans, ob idque ait, *Et ad hæc quis idoneus?* Hoc enim totum Christi est, inquit : nihil est quod nobis arrogemus. Viden' quomodo secus quam pseudapostoli loquatur? Etenim illi gloriabantur, perinde ac si ad prædicationem aliquid ex se afferrent; hic autem eo nomine se gloriari ait, quod nihil ipsius sit : *Gloria* enim *nostra hæc est*, inquit, *testimonium conscientiæ nostræ, quoniam non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in mundo* (2. *Cor.* 1. 12). Ob cujus rei, hoc est externæ sapientiæ, adeptionem, gloriandum sibi illi existimabant, de hujus rei sublatione hic gloriatur : unde etiam hoc loco ait, *Et ad hæc quis idoneus?* Quod si minime idonei sumus, gratiæ profecto id est quod geritur. 17. *Non enim sumus sicut reliqui adulterantes verbum Dei.*

3. Nam etsi magna quædam loquimur, tamen nihil nostra opera recte factum fuisse, sed omnia Christi esse diximus : neque enim pseudapostolos imitabimur, qui pleraque sua esse dicunt. Hoc enim est cauponari, cum quis vinum adulterat; cum quis pecunia id vendit, quod gratis dare debebat. Hoc enim loco et de quæstu eos perstringere videtur, et rursus, id quod dixi, subindicare, nempe quod sua illi divinis admisceant. Qua de re Isaias etiam accusabat, *Caupones tui vinum aqua miscent* (*Isai.* 1. 22). Nam etsi de vino hoc dictum est, non tamen aberrarit, qui de doctrina hoc quoque intellexerit. At non nos, inquit, ad hunc modum; sed qualia nostræ fidei commissa sunt, talia quoque ea præbemus, doctrinam meram propinantes : unde subjunxit, *Sed ex sinceritate tamquam ex Deo, coram Deo in Christo loquimur.* Non ut vos decipiamus ita prædicamus, inquit, tamquam vobis gratificantes, aut tamquam a nobis aliquid afferentes atque admiscentes, sed *Tamquam ex Deo;* id est, non dicimus nos aliquid nostrum elargiri, sed Deum omnia dedisse, hoc enim sibi vult illud, *Ex Deo;* ut non gloriemur quasi aliquid habeamus, sed omnia ipsi referentes, *In Christo loquimur;* non nostra sapientia, sed illius potentia afflati. Qui autem gloriantur, non ad hunc modum se gerunt, verum perinde ac si aliquid a seipsis afferant. Unde etiam eos alio loco his verbis traducit, *Quid enim habes, quod non acceperis? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (1. *Cor.* 4. 7)?

Virtus maxima omnia Deo adscribere. Dei oculum nemo fugit. — Hæc maxima virtus est, omnia Deo adscribere, nihil suum esse ducere, nihil gloriæ humanæ causa facere, sed secundum Dei voluntatem : hic enim est, qui vitæ actæ rationes exacturus est. Nunc vero rei ordo inversus est : atque illum quidem qui pro tribunali sessurus, ac rationes repetiturus est, non valde metuimus; eos autem, qui nobiscum stabunt ac judicium subituri sunt, expavescimus. Unde igitur hic morbus? unde in nostras animas invasit? Hinc nimirum, quod non assidue res illas animo volutemus, sed præsentibus affixi teneamur. Hinc fit, ut et in exitiosas actiones facile prolabamur, et si quid boni agimus, ostentationis causa faciamus, atque id quoque in detrimentum nobis cedat. Siquidem vidit fortasse quispiam impudicis oculis mulierem, nec id aut mulier quæ conspecta est, aut ii qui una gradiebantur, senserunt; verum oculum illum pervigilem minime fugit. Nam ille prius etiam quam peccatum admissum esset, impudicam animam et internum furorem et cogitationes in tempestate ac procella sese convolventes perspexit. Neque enim testibus et conjecturis ille opus habet, cui omnia explorata sunt. Quocirca ne oculos ad conservos tuos convertas : nam etiamsi homo laudet, nihil tamen hoc prodest, cum Deus non approbat; nec si condemnet homo, quidquam hinc detrimenti redit, cum Deus non condemnat. Ne hac quoque ratione judicem ad iracundiam concites, dum conservorum quidem magnam rationem habes, ipso autem indignante, nec metu nec tremore afficeris. Quare laudem eam, quæ ab hominibus proficiscitur, contemnamus. Quousque tandem viles et abjecti erimus? quousque Deo ad cælum nos attollente ipsi humi serpere contendemus? Fratres Josephi, si Dei timorem ante oculos habuissent, ut habere par erat, non captum in solitudine fratrem interemissent (*Gen.* 37). Cain rursus, si sententiam ipsius, ut par erat, extimuisset, non dixisset : *Veni et egrediamur in agrum* (*Gen.* 4. 8). Quid enim, o miser et calamitose, a patre ipsum distrahis atque in campum abducis? annon Deus etiam in campo facinus tuum cernit? annon ab iis, quæ patri tuo acciderunt, didicisti, quod omnia norit, atque omnibus quæ fiunt intersit? Quid autem causæ est, cur non ad eum scelus inficiantem ita loquutus sit, Mene celas, qui ubique adsum et arcana novi? Quia nondum ille hæc recte ac sapienter percipere poterat. Quid autem ait? *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me* (*Ibid. v.* 10); non quod sanguis vocem habeat, sed eodem modo, quo de perspicuis ac manifestis dicere solemus, Res clamat. Ac proinde Dei sententiam ob oculos semper habere opus est; moxque omnia mala exstincta erunt. Sic in precibus quoque vigilantem animum præstare possumus, si quem alloquamur cogitemus, si illud reputemus, nos sacrificium offerre, gladiumque in manibus, ignem ac ligna habere; si cæli portas per cogitationem reseremus, si illuc migremus, acceptumque Spiritus gladium in victimæ jugulo defigamus, ipsique vigilantiam immolemus, ac lacrymas effundamus. Hic enim hujus victimæ sanguis est : tali altare illud cæde tingitur. Ne igitur sinas quidquam humanarum cogitationum animam tuam tum occupare.

4. Subeat in mentem, Abrahamum, cum sacrificium offerret, non uxori, non servo, non alii cuiquam ut adesset permisisse. Eodem modo tu quoque ne sinas ut servilis ullus et illiberalis affectus tibi adsit, sed solus in montem ascende, ad quem ille ascendit, et ad quem nefas est alium quemquam ascendere. Quod si quæ hujusmodi cogitationes una conscendere conentur, impera eis cum auctoritate, ac dic : Sedete hic, ego autem et filius, postquam adoraverimus, revertemur (*Gen.* 22. 5) : atque asina et pueris, et si

quid brutum ac stolidum est, infra relictis; si quid ratione præditum est, accipe atque ascende, quemadmodum ille assumpsit Isaac. Altare quoque perinde ut ille, exstrue, tamquam humani nihil habens, atque extra naturam raptus: quandoquidem et ille, nisi a natura excessisset, filium non jugulasset. Nec quidquam tum te interturbet, sed supra ipsos etiam cœlos assurge: acerbe ingemisce, confessionem macta: *Dic enim tu prior iniquitates tuas*, inquit, *ut justificeris*: macta contritionem cordis. Hæ victimæ non in cinerem desinunt, nec in fumum dilabuntur; nec lignis et igne opus habent, sed dumtaxat animo compuncto: hoc ligna, hoc ignis est, urens illa, sed non perurens. Nam qui ferventer orat, uritur quidem, at non peruritur, sed sicut aurum, quod igne exploratur, splendidius efficitur.

Non precandum contra inimicos. — Ad hæc illud cave, ne ullum in oratione verbum emittas, quod Dominum irritet, vel in hostium tuorum perniciem ipsum adeas. Nam si vel hostes habere, probro non caret, cogita quantum malum sit adversus eos orare? Pro eo oportebat excusare te quod hostes habes, tu vero contra eos quoque accusas. Et quam tandem veniam obtinere queas, cum eo quoque tempore aliis obtrectes, quo ingenti ipse misericordia opus habes? Etenim eo accessisti, ut pro tuis peccatis orares: ne igitur alienorum peccatorum recorderis, ne alioqui tuorum ipse memoriam refrices. Nam si dixeris, Hostem percute, os tuum obstruxisti, jam linguæ fiduciam præcidisti: primum nempe, quia ab ipso statim initio Dominum ad iracundiam incitasti; deinde quia contraria postulas, quam oratio ferat. Nam si pro peccatorum remissione Deum precaris, qui fit, ut pro supplicio verba facias? Quin contra potius faciendum erat, pro ipsis quoque preces fundere, ut hoc pro nobis quoque cum fiducia peteremus. Nunc vero Judicis sententiam per tuam occupasti, dum petis ut de precantibus supplicium sumat: quod quidem omnem tibi veniam adimit. Contra si pro ipsis preceris, etiamsi pro peccatis tuis nullum verbum feceris, rem totam confecisti. Cogita quotnam in lege sacrificia sint: sacrificium laudis, sacrificium confessionis, sacrificium salutis, sacrificium purgationum, ac sexcenta alia: atque interim nullum est adversus inimicos, sed pro propriis peccatis aut etiam recte factis. Num alium Deum adis? Annon ad illum accedis, qui dixit, *Orate pro inimicis vestris* (*Matth.* 5. 44). Quonam igitur modo adversus illos clamitas? cur Deum, ut legem suam infringat, rogas? A supplicis persona istud alienum est: nemo supplicat ut alius pereat, sed ut ipse salutem consequatur. Quid igitur supplicis ejusdem personam geris, dum accusatoris verba habes? Ac quidem cum pro nobis ipsis oramus, scabimus nos, oscitamus, et in sexcentas cogitationes labimur; cum autem adversus inimicos, attenti ac vigilantes hoc facimus. Quia enim diabolus illud novit, quod in nos ipsos gladium impellimus; non minime distrahit vel avocat, ut hac ratione majorem nobis perniciem afferat. At, inquies, læsus sum et affligor. Ergo adversus diabolum ora, qui omnium maxime nos injuria afficit. Hoc etiam dicere præceperis, *Libera nos a malo* (*Matth.* 6. 13). Ille implacabilis hostis est; at homo, quidquid tibi faciat, amicus ac frater est. Quocirca omnes adversus illum irascamur, adversus eum Deum obsecremus, dicentes: Contere Satanam sub pedibus nostris. Ille enim inimicos quoque nobis parit. Quod si adversum inimicos preceris, id precaris, quod ipse quoque in votis habet: ut si pro inimicis ores, adversus eum precaris. Quid igitur relicto vero hoste membra tua mordes, atque hac ratione feris ipsis immaniorem te præbes? At, inquis, contumeliam mihi intulit, ac bona ademit. Et quem luctu prosequi convenit, eumne qui injuriam accepit, an qui intulit? Qui pecunias lucratus est, a Dei benevolentia seipsum exclusit, pluraque perdidit quam accepit: ac proinde ipse est qui læsus est. Ob idque non adversus eum, sed pro eo potius orandum est, ut Deus propitium se illi præbeat.

5. Vide quot calamitatibus affecti sint tres pueri, cum tamen nihil mali admisissent: patria et libertate exciderant, captivi abducti ac servi effecti, atque in alienam ac barbaram regionem abstracti fuerant, frustraque ac temere propter insomnium obtruncandi erant. Quid igitur cum Daniele ingressi, quid inquam orarunt? quid dixerunt? Contere Nabuchodonosor, ipsius diadema abripe, e regio solio eum deturba? Nihil ejusmodi; verum Dei misericordiam implorabant. Et cum in fornace essent, eodem modo se gesserunt. At vos non perinde; sed longe quam illi minora passi, ac plerumque merito, sexcenta mala imprecari non desinitis: atque alius quidem sic loquitur, Prosterne inimicum, ut Pharaonis currum demersisti; alius, Carnem illius feri; alius rursus, Redde illi in filios. Annon hujusmodi verba agnoscitis?

Auditorum Chrysostomi risus. — Unde igitur vobis hic risus? Vides quam ridicula hæc sint, cum citra animi perturbationem dicuntur? Et sane peccatum omne tum denique quam fœdum sit patet, cum ab eo, qui id admittit, affectum detraxeris. Si ei qui iratus fuit, in memoriam ea verba redigas, quæ in iracundia protulit, crubescet et seipsum irridebit, ac mille mala perpeti, quam verba illa protulisse malet. Si impudicum hominem post coitum ad mulierem eam, cui stuprum obtulit, adduxeris, hic quoque ut exsecrandam ipsam adversabitur. Eodem modo vos qui ab hoc affectu liberi estis, hujusmodi verba ridetis; ridicula enim sunt, ac temulentis vetulis digna, muliebrique simultate. Quin etiam Joseph, licet venditus ac servus effectus, atque in carcerem conjectus, ne sic tamen acerbum adversus eos, a quibus læsus fuerat, verbum emisit; sed quid ait? *Furtim sublatus sum de terra Hebræorum* (*Gen.* 40. 15); nec addit, a quo: pudet enim eum malorum fratrum, magis quam eos ipsos, qui hæc perpetraverant. Ita nos quoque affici convenit, ut pro iis, qui nobis injuriam inferunt, vehementius angamur, quam

illi ipsi : detrimentum enim ad illos transit. Sicut enim qui clavos calcibus impetunt, altumque sapiunt, hujusmodi furoris ergo commiseratione ac lacrymis digni sunt : eodem modo qui eos lædunt, a quibus nihil injuriæ acceperunt, multis lamentis ac fletibus potius, quam exsecrationibus digni sunt, ut qui suas ipsimet animas feriant. Nihil enim sceleratius est anima malum imprecante, nec impurius lingua, hujusmodi sacrificia offerente. Homo es ; ne aspidum virus evomas : homo es ; ne bellua fias. Ideo os tibi datum est, non ut mordeas, sed ut aliorum vulneribus medearis. Recordare quid tibi præceperim, inquit Deus, remittere nempe ac condonare. Tu vero me obsecras, ut socium me tibi ad evertenda præcepta mea adjungam, ac fratrem corrodis, linguam cruentas, non secus ac furiosi propriis carnibus dentes cruore perfundunt. Quanta diabolum voluptate afficì, quanto risu existimas, cum ejusmodi preces audit? quam Deum irasci, teque aversari atque odisse, cum talia rogas? quo quid gravius esse queat? Nam si nefas est eum ad mysteria accedere, qui inimicos habet ; annon is, qui non tantum hostem habet, sed etiam ei imprecatur, ab ipso quoque templi ambitu arcendus est? Hæc igitur cogitantes, atque hujus sacrificii causam agnoscentes, nempe quod pro hostibus mactatus Christus sit, id demus operam, ut ne inimicum quidem habeamus ; ac si habeamus, pro illo precemur : ut nos quoque peccatorum nostrorum veniam consequuti, cum fiducia tribunali Christi adstemus ; cui gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Cap. 3. v. 1. *Incipimus iterum nosmetipsos commendare? aut numquid egemus, sicut quidam, commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis?*

1. Quod futurum erat, ut ipsi ab aliis objiceretur, nempe quod seipsum attolleret, hoc ipse antevertens posuit : quamvis etiam tanta præmonitione ante usus fuisset, ac dixisset : *Et ad hæc quis idoneus est?* et, *Ex sinceritate loquimur* ; sed tamen hæc ipsi minime sufficiunt. Ea enim ipsius consuetudo est : ut longe absit, ut magni quidpiam de se dicere videatur, vehementerque atque incredibilem quemdam in modum istud fugit. Tu vero hinc quoque singularem ipsius sapientiam animadverte. Rem enim, quæ tristitiæ speciem habet, hoc est afflictiones, usque adeo extulit, ac luculentam et illustrem rem esse ostendit, ut ex his, quæ dixerat, hæc ei objectio emerserit. Quod etiam in epistolæ fine facit. Postquam enim innumera pericula, contumelias, anxietates, angustias, ac cætera ejusmodi recensuit, hæc verba mox subjunxit : *Non nosipsos commendamus, sed occasionem vobis damus gloriandi* (2. *Cor.* 3. 12). Atque istud quoque rursus illic vehementer, atque cum majori eon olatione ponit. Etenim hic caritatis verba sunt : *Aut numquid egemus, sicut quidam, commendatitiis epistolis?* illic autem necessario sane ac utiliter sensu et animo plena sunt quæ dicit : *Non* enim, inquit, *rursus nos commendamus, sed occasionem vobis damus gloriandi* ; ac rursus, *Putatis quod vobis nosmetipsos excusemus? Coram Deo in Christo loquimur. Timeo autem ne forte, cum venero, non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis qualem non vultis* (2. *Cor.* 12. 19. 20). Siquidem ne adulationis opinionem subeat, ut qui honorem ab ipsis ambiat, his verbis utitur : *Timeo ne forte, cum venero, non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis qualem non vultis.* Verum hæc quidem non sine multa reprehensione ; initio autem non ita, sed mitiori sermone utitur. Quidnam autem his verbis sibi vult? De tentationibus ac periculis loquutus est, quodque ubique a Deo triumphatur in Christo, atque orbis universus hos triumphos novit. Quoniam igitur magnifica quædam de se proloquutus erat, idcirco objectionem sibi ipsemet struit, dicens : *Incipimus iterum nosipsos commendare?* Quod autem ait, hunc sensum habet : Fortasse quispiam hoc nobis objecerit : Quid hoc est, Paule? hæc de te loqueris, ac teipsum effers? Hanc igitur suspicionem solvens, ait : Non hoc volumus, nempe nosipsos jactare atque attollere : imo tantum abest ut commendatitiis ad vos epistolis opus habeamus, ut vos ipsi nobis epistolæ instar sitis. 2. *Nam epistola nostra vos estis*, inquit. Quid est, *Vos estis?* Si commendatione apud alios opus mihi fuisset, vos epistolæ loco in medium produxissem : quod et in priori epistola dicebat : *Signaculum enim apostolatus mei vos estis* (1. *Cor.* 9. 2). At hoc loco id non ita exprimit, sed per ironiam quamdam, ut majores aculeos orationi addat : *Aut numquid egemus commendatitiis epistolis?* Atque pseudapostolos innuens, subjecit : *Sicut quidam ad vos, aut ex vobis commendatitiis epistolis*, ad alios. Deinde quoniam grave erat, quod dixerat, id mitigat, hæc verba subjungens : *Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris, quæ scitur et legitur ab omnibus hominibus* : 3. *manifestati quod epistola estis Christi.* Hoc loco non solum amoris, sed etiam recte factorum testimonium ipsis tribuit, quippe qui ejusmodi sint, ut Magistri dignitatem per virtutem suam demonstrare queant. Hoc enim significat quod ait, *Epistola nostra vos estis.* Id quod literæ fecissent, nempe ut nos commendarent, ac reverentiam nobis conciliarent ; hoc ipsi præstatis, dum homines vos vident atque audiunt. Discipulorum enim virtus, magistro plus ornamenti, atque commendationis affert, quam ulla epistola. *Scripta in cordibus nostris.* Hoc est, quam omnes norunt : adeo nimirum vos quoquo gentium circumferimus, atque animo versamus. Non secus ac si diceret : Nostra apud alios commendatio vos estis : vos enim in corde semper habemus, ac vestra recte facta apud omnes

prædicamus. Quo fit, ut non modo quia apud alios quoque commendationis instar nobis estis, epistolis vestris minime indigeamus; sed ideo quoque commendatione nobis apud vos minime opus est, quod vos apprime amem. Etenim ad ignotos quidem literis quispiam opus habet; vos autem nobis in animo estis. Nec vero solum dixit, *Estis*, sed *Inscripti*, hoc est, nec mihi ex animo excidere potestis. Sicut enim ex literis, qui eas legunt, sic ex corde nostro, qui hoc norunt, nostram erga vos dilectionem perspectam habent.

2. Quocirca si literarum hoc munus est, ut ex iis liqueat hunc aut illum mihi amicum esse, hic libertate fruatur, ad id totum conficiendum satis est vestra erga me caritas. Nam sive ad vos proficiscamur, aliorum commendatione minime indigemus, quod amor erga me vester id muneris jam occuparit : sive ad alios, literis rursus nihil nobis opus est, utpote quibus eadem dilectio earum loco satis sit : circumferimus enim epistolam in cordibus nostris. Mox altius adhuc eos attolens, epistolam quoque Christi eos vocat, dicens : *Manifestati quod epistola estis Christi.* Atque id loquutus occasionem hinc atque initium sumit legem examinandi. Atque alio modo suam eos epistolam esse hic ait : superius enim eos idcirco epistolam appellabat, quod ab ipsis commendaretur : hic autem epistolam Christi eos vocat, ut qui Dei legem inscriptam habeant. Nam quæ Deus cum omnibus aliis, tum vobis etiam nota esse volebat, hæc in cordibus vestris inscripta sunt. Nos porro ita vos comparavimus, ut literas exciperetis. Ut enim Moses lapides et tabulas sculpsit, sic nos quoque animas vestras : ideo ait, *Ministrata a nobis.* At in hoc pari conditione erant : nam et illæ a Deo conscriptæ erant, et hæc a Spiritu. Quanam ergo in re discrimen situm est? *Scripta non atramento, sed Spiritu Dei viventis : non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus.* Quantum autem inter Spiritum et atramentum, atque inter lapideas et carnales tabulas interest, tantum etiam inter has et illas est discriminis : ac proinde inter eos quoque, qui his operam navarunt, et eum, qui illis operam navavit. Ob eamque causam, quia magnifice loquutus fuerat, confestim seipsum carpit, dicens : 4. *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum;* ac rursus totum id Deo adscribit : horum enim nobis Christus causa est, inquit. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis.* Vide rursus alteram etiam præmunitionem; siquidem hac virtute, hoc est humilitate, in primis Paulus excellit. Eoque fit, ut quoties de seipso magnifice aliquid ait, nihil non studii adhibeat, ut id quovis modo mitiget ac molliat. Quod etiam hoc loco his verbis facit : *Non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis.* Hoc est, Non ita dixi, *Fiduciam habemus*, ac si aliud nostrum sit, aliud Dei; sed totum istud Deo adscribo. *Nostra enim sufficientia ex Deo est*, 6. *qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Quid est, *Idoneos nos fecit?* Fecit ut huic muneri pares esse possimus. Parvum porro hoc non est, nimirum tales tabulas et epistolas, prioribus multo majores ac præstantiores orbi attulisse : unde etiam subjunxit, *Non literæ, sed spiritus.* En rursus aliud discrimen. Quid autem? annon lex quoque illa spiritualis erat? quomodo ergo ait : *Scimus quod lex spiritualis est* (*Rom.* 7. 14)? Spiritualis quidem erat, sed spiritum minime præbebat : non enim spiritum Moses, sed literas attulit; nostræ autem fidei commissum est, ut spiritum demus : unde etiam istud studiose prosequitur, dicens, *Litera enim occidit, spiritus autem vivificat.* Hæc autem non temere dixit, sed eos subindicans qui de Judaicis altum sapiebant. Per literam autem hoc loco legem intelligit, quæ peccantes supplicio afficiebat; per spiritum autem gratiam baptismi, qua ii, qui a peccato interempti sunt, ad vitam revocantur. Postquam enim discrimen illud commemoravit, quod inter utriusque tabulæ naturam erat, non in eo hæret, sed ulterius progressus, hoc latius prosequitur : qua ratione auditorem magis capere poterat, nimirum ab utilitate et facilitate. Neque enim laborem habet, inquit, et majorem gratiam affert. Nam si de Christo loquens, ea potissimum ponit quæ benignitatis ipsius potius, quam nostri meriti sunt, quæque inter se devincta sunt, multo magis hoc necessario facit, cum de testamento loquitur. Quidnam igitur hæc verba significant, *Litera occidit?* Dixerat quidem in tabulis lapideis et cordibus carneis; at nondum magnum quoddam discrimen proferre videbatur. Adjunxit itaque, quod illa litera aut atramento, hæc spiritu perscripta sit. Hoc autem non eos admodum excitabat. Hoc ergo demum dicit, quod vel pennas illis afferre queat, nempe, *Litera occidit, spiritus autem vivificat.*

3. Quidnam autem hoc est? In lege is qui peccatum habet, punitur; hic qui peccatum habet, accedens baptizatur, ac justus efficitur : justus autem effectus, vivit, utpote peccati morte liberatus. Lex si homicidam arripuerit, eum morte afficit : gratia si homicidam ceperit, illuminat ac vivificat. Quid autem homicidam dico? Lex eum, qui sabbati die ligna collegerat, arreptum lapidibus obruit (*Num.* 15); hoc enim est quod ait, *Litera occidit :* gratia contra sexcentos homicidas et latrones accepit, ac baptismi aqua tinctos prioribus malis liberat; hoc est, *Spiritus vivificat.* Illa eum, qui deprehensus est, ex vivo mortuum reddit : hæc rursum ex mortuo vivum efficit. *Venite* enim, inquit, *ad me omnes qui laboratis et onerati estis :* et non dixit, excruciabo vos, sed, *reficiam vos* (*Matth.* 11. 28). Etenim in baptismo peccata sepeliuntur, priora delentur, homo vivificatur, omnis gratia in ipsius pectore, tamquam in tabulis inscribitur. Itaque reputes, velim, quanta Spiritus dignitas sit, quippe cum ipsius tabulæ prioribus meliores sint, atque ipsa etiam resurrectione præstantius aliquid ostendat. Nam et mors ea, a qua ipsa liberat, priore gravior est, et quidem tanto, quanto anima corpori præstat : atque ea vita, quam Spiritus impertit, per eam conflatur. Quod si hanc afferre potest, multo

magis minorem : illam etenim prophetæ quoque contulerunt, hanc autem non perinde. Nemo enim, Deo uno excepto, peccata remittere potest. Quin ne illam quidem citra Spiritus opem præbebant prophetæ. Nec vero hoc dumtaxat mirum est, quod vivificet, sed etiam quod id faciendi potestatem aliis quoque præbuerit. *Accipite* enim, inquit, *Spiritum sanctum* (*Joan.* 20. 22). Quid ita? an id sine Spiritu non licebat? Sed ut ostenderet Deus illum supremæ potentiæ ac regiæ illius essentiæ esse, eamdemque vim habere, his verbis utitur : ideoque subjungit, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quandoquidem igitur nos vita donavit, viventes mancamus, nec ad priorem mortem rursus redeamus : *Christus* enim *jam non moritur* (*Rom.* 6. 10). Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel, nec vult semper nos gratiæ beneficio salutem consequi; alioqui enim omnium vacui futuri sumus : ac proinde a nobis quoque aliquid conferri vult. Itaque hoc conferamus, ut animam viventem conservemus.

Animæ vita, quæ. — Quid autem animæ vita sit, a corpore disce. Etenim corpus tum demum vivere dicitur cum sano quodam gressu incedit : at ubi dissolutum jacet, ac præpostere movetur, etiamsi vivere aut ambulare videatur, tamen quavis morte gravior est hujusmodi vita. Eodem modo si nihil sani loquatur, sed eorum, qui mentis emotæ sunt, verbis utatur, atque alia pro aliis cernat, rursus miserabilior est ille, quam mortui. Sic anima quoque, cum nihil sani habet, etiamsi viventis speciem præbeat, tamen mortua est : cum aurum non ut aurum, sed ut magnum aliquid ac pretiosum cernit; cum futura non cogitat, sed humi serpit; cum pro aliis alia facit. Unde enim nos anima præditos esse constat? annon ex actionibus? Cum igitur suis ipsa muneribus non fungitur, annon mortua est? Verbi gratia, cum virtutis cura non tenetur, sed rapit ac flagitiose vivit, unde queam dicere animam tibi inesse? an quod ambules? At hoc bruta etiam habent. An quod edas ac bibas? At hoc ferarum quoque est. An quod recto corpore sis, ac duobus pedibus insistas? At hoc mihi potius indicat te belluam humana forma esse. Nam cum cætera eadem tibi cum bellua sint, erectio autem non item, hoc ipso vehementius me turbas ac perterrefacis, magisque portentum id esse existimo, quod cerno. Etenim si feram humana lingua loquentem cernerem, non propterea hominem esse dicerem : quin hoc ipso nomine potius feram, fera prodigiosiorem. Unde ergo mihi exploratum esse queat, humanam animam tibi inesse, cum ut asini calcitres, ut cameli memor sis injuriarum, ut ursi mordeas, ut lupi rapias, ut vulpes fureris, ut serpentes vafer ac fraudulentus sis, ut canis impudenter te geras? unde, inquam, te humana anima præditum esse intelligere queam? Vultis mortuam ac viventem animam ostendam? Ad priscos illos viros sermonem conferamus, ac, si placet, divitem illum, qui Lazari tempore erat (*Luc.* 16), in medium proferamus; atque, quidnam tandem mors animæ sit, intelligemus. Etenim ille mortuam animam habebat; idque ex iis quæ faciebat liquet : eorum enim munerum, quæ animæ sunt, nullum exsequebatur, sed solum edebat ac bibebat et voluptatibus operam dabat.

4. Tales nunc etiam sunt, qui immisericordia et crudelitate laborant : mortuam enim hi quoque animam habent, ut et ille. Universus enim is calor, qui ab amore erga proximum manat, absumptus est, ipsaque magis quam exanime corpus mortua est. At pauper non ita; sed in ipsa philosophiæ arce stans, elucebat : et quamvis perpetua fame conflictaretur, ac ne necessarius quidem cibus ipsi suppeteret, tamen ne sic quidem blasphemi quidquam adversus Deum loquutus est, sed omnia generoso animo tulit. Hoc porro non parvum animæ opus est, sed maximum et nervorum et sanitatis argumentum. Cum autem hæc desiderantur, liquet ideo ea interiisse, quia anima mortua sit. Annon mortuam animam illam esse dicemus, quam invadit diabolus, feriens, lancinans, mordens, calcibus impetens, nec tamen ea quidquam horum sentit, sed mortua jacet, nec, cum ipsi opes suæ adimuntur, dolet; verum ille quidem insultat, hæc autem immobilis manet, et instar corporis anima orbati nullo sensu afficitur? Nam cum Dei timor una cum cura ac diligentia non adest, talem eam esse necesse est, ac mortuis miseriorem. Neque enim in saniem et cinerem ac pulverem, corporis in modum, anima dilabitur, sed in ea, quæ his fœtidiora sunt, in ebrietatem, in avaritiam, in absurdos amores et intempestivas cupiditates. Quod si ipsius fœtorem certius intueri cupis, da mihi puram animam, ac tum perspicue cernes quam fœtida sit turpis illa et impura. Nunc enim id minime perspicere poteris; nam quamdiu fœtori assueti sumus, id non sentimus : at cum spiritualibus sermonibus alimur, tunc malum illud agnoscimus, etiamsi permultis indifferens esse videatur. Ac de gehenna nondum loquor; sed si lubet præsentia expendamus, nec eum qui turpia perpetrat, sed eum qui turpia loquitur, consideremus, quam ridiculus sit, quamque sese primum contumelia afficiat, atque, ut qui cœnum aliquod ex ore emittit, sic se ipse contaminet. Etenim si fluxio usque adeo impura est, cogita, quæso, qualis hujus cœni scaturigo sit : *Ex abundantia enim cordis os loquitur* (*Matth.* 12. 34). Ego vero non hoc tantum nomine lugeo, sed quod apud nonnullos ne turpe quidem istud videatur. Hinc mala omnia incrementum capiunt, cum et peccamus, nec tamen peccare nobisipsis videmur.

Obscœna loqui quantum malum. — Visne igitur scire quantum malum sit turpia loqui? Animadverte quomodo eos, qui te audiunt, obscœnitatis tuæ pudeat. Quid enim vilius, quid contemptius homine turpia loquente? Nam qui tales sunt, in histrionum classem, atque in prostitutæ pudicitiæ mulierum ordinem sese contrudunt : imo etiam plus illis, quam vobis, pudoris inest. Quonam autem modo uxorem ad pudicitiam erudire queas, cum per hujusmodi verba eam ad libidinem instituas? Præstat saniem ex ore emittere,

quam verbum obscœnum. Ac nunc, si fœteat os, ne ad communes quidem cibos admitteris, cum autem anima usque adeo fœteat, heus tu, mysteria percipere non dubitas? Ac si aliquis vas impurum acciperet, atque in mensa tua collocaret, fustibus quoque cæsum illum exigeres : tu vero Deum habens in mensa ipsius (mensa enim ipsius os nostrum est, cum gratiarum plenum est), quovis impuro vase exsecrabiliora verba proferens, quæso te, non eum ad iracundiam provocare putas? et qui hoc fieri queat? Nihil enim æque sanctum illum ac purum exacerbat, ut verba hæc : nihil ita temerarios et impudentes homines reddit, ut hujusmodi verba loqui et audire : nihil æque pudicitiæ nervos refringit ut flamma, quæ per ea excitatur. Deus unguentum ori tuo imposuit; tuo vero cadavere fœtidiora verba in eo recondis, atque animam ipsam occidis et immobilem reddis. Etenim cum aliquem contumelia afficis, hoc non animæ, sed iracundiæ vox est; cum obscœna loqueris, non illa, sed libido loquuta est; cum obtrectas, invidia; cum insidias struis, avaritia. Hæc enim non animæ sunt, sed perturbationum ipsius ac morborum. Quemadmodum enim corrumpi, non simpliciter corporis est, sed mortis et vitii quod in corpore est : eodem modo ista quoque, adventitiarum animæ perturbationum sunt. Nam si viventis animæ vocem audire vis, audi Paulum dicentem : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus* (1. *Tim.* 5. 8); et, *Quæstus magnus est pietas* (*Ibid. v.* 6); et, *Mihi, mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* 6. 14). Audi Petrum dicentem, *Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do* (*Act.* 3. 6) : audi Job gratias agentem ac dicentem, *Dominus dedit, Dominus abstulit* (*Job* 1. 21). Hæc viventis animæ verba sunt, hæc suam vim exserentis. Sic Jacob etiam dicebat, *Si dederit mihi Dominus panem ad manducandum, et vestimentum ad induendum* (*Gen.* 28. 20) : sic et Joseph, *Quo pacto faciam verbum hoc malum, et peccabo coram Deo* (*Ibid.* 39. 9)? At non perinde barbara illa, sed velut ebria ac delirans, ita loquebatur dicens, *Dormi mecum* (*Ibid. v.* 7). Hæc igitur cum noverimus, viventem animam æmulemur, mortuam fugiamus, ut futuram quoque vitam consequamur; quam utinam nobis omnibus consequi contingat, per gratiam et benignitatem, etc.

HOMILIA VII.

Cap. 3. v. 7. *Quod si ministratio mortis literis efformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent filii Israel intendere in faciem Moysis, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur :* 8. *quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?*

1. Dixerat quod Mosis tabulæ lapideæ essent, ut etiam quod literas haberent, et quod carnales essent, apostolorum corda, et spiritu descripta, et quod litera occideret, spiritus autem vivificaret. Supererat jam huic comparationi aliud non modicum adjiciendum, nempe Mosis gloria : quam quidem nemo hoc in Novo Testamento corporeis oculis vidit. Unde etiam magna videbatur, quoniam gloria ea sub sensum cadebat : corporis enim oculis cernebatur, licet ad eam accedere nemo posset, cum contra gloria Novi Testamenti intellectu cerneretur. Neque enim imbecillioribus perspicua est hujusmodi præcellentiæ cognitio; verum gloria illa magis eos attollebat, atque ad se convertebat. Quoniam igitur in hujusmodi comparationem inciderat, atque quantum hæc illam antecellat demonstrare studebat, idque propter auditorum crassitiem difficile erat; vide quid faciat, et qua arte id moliatur : primo rationes, ex quibus discrimen agnoscatur, inducens, easque ex iis quæ ante dixerat contexens. Nam si illa mortis, inquit, hæc autem vitæ ministratio est; dubium esse non potest, quin hæc quoque gloria illam antecellat. Quia enim facere non poterat, ut corporeis oculis eam spectandam proponeret, ipsius præstantia argumento declaravit dicens : *Quod si ministratio mortis fuit in gloria, quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* Per mortis autem ministerium legem intelligit. Atque interim vide, quam sedulo in ista comparatione caveat, ne ullam hæreticis ansam præbeat. Non enim dixit, Lex mortem efficit, sed, *Mortis ministratio est :* mortem enim ministrabat, non autem pariebat. Nam peccatum id erat, quod mortem efficiebat; lex autem supplicium invehebat, ac peccatum indicabat, non autem faciebat. Malum enim apertius detegebat, ac plectebat, non autem ad malum impellebat : neque ad id ministrabat, ut peccatum fieret, aut mors exsisteret, sed ut pœnas daret is qui peccasset : ac proinde hac quoque ratione peccatum delebat.

Lex quomodo mortem afferebat. — Nam dum ipsa peccatum adeo formidandum esse ostenderet, proculdubio hoc etiam faciebat, ut ipsum fugiendum esse videretur. Sicut igitur is, qui ensem in manus sumit, ac sonti caput amputat, judici pronuntianti ministrum se præbet; neque ipse est qui interimit, etiamsi ipse caput abscindat; nec rursum is, qui sententiam profert et condemnat, sed ejus de quo supplicium sumitur improbitas : ita hic quoque non lex necem afferebat, sed peccatum ipsum erat, quod et interimebat et condemnabat; hæc vero, in sontem animadvertens, vim illius succidebat, supplicii metu eum coercens. Nec vero satis habuit Paulus præstantiæ declarandæ causa hoc solum protulisse, sed aliud quoque adjungit, dicens : *In literis deformata in lapidibus.* Vide quomodo rursus Judaicos spiritus deprimat. Nihil enim aliud lex erat, quam literæ; non autem subsidium ullum e literis prodiens, atque aspirans iis qui dimicant, sicut in baptismo, sed tabulæ et scripturæ, mortem iis qui literas violabant afferentes. Vides quo pacto Judaicum contentionis studium retundens, per ipsa quoque vocabula auctoritatem legis nunc dejiciat, lapidem dicens et literas et ministrationem mortis, addensque præterea, quod de-

formata atque impressa? Hinc enim nil aliud designat, quam quod lex in uno loco defixa erat, non quemadmodum spiritus, qui ubique aderat, vim magnam cunctis inspirans : vel certe hoc indicat, quod literæ minas multas efflabant, et quidem ejusmodi minas quæ deleri non possent, sed semper manerent, utpote saxis insculptæ. Deinde etiam, dum vetera laudibus efferre videtur, rursus Judæorum accusationem simul inspergit. Cum enim dixisset, *In literis, deformata in lapidibus, fuit in gloria ;* subjunxit, *Ita ut non possent filii Israel intendere in faciem Moysi.* Quod quidem magnam eorum imbecillitatem animique ad res terrenas propensionem declarabat. Ac rursus dicit, non, Propter tabularum gloriam, sed, *Propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur.* Ostendit enim eum, qui tabulas ferebat, gloria affici, non autem illas. Non enim dixit. Quia non possent intendere in tabulas, sed, *In vultum Moysis :* ac rursus non dixit, Propter gloriam tabularum, sed, *Propter gloriam vultus ipsius.* Deinde postquam eam extulit, vide quo pacto eam rursus dejiciat dicens, *Quæ evacuatur :* quamquam hoc accusationis rationem non habet, sed extenuationis. Non enim dixit, Quæ corrupta est, aut, Quæ mala est ; sed, Quæ desinit, ac finem accipit. *Quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* Fidenti enim animo jam Novi Testamenti dignitatem attollit, ut omnis dubitationis expertem. Ac vide quid agit : opposuit lapidem cordi, et literas spiritui. Deinde cum ea quæ ex utrisque orirentur i dicasset, non jam quæ ex utrisque sint ponit ; sed postea quam id quod a litera ortum habet expressit, nempe mortem et condemnationem, id quod a spiritu proficiscitur, non item exprimit, hoc est, vitam et justitiam, sed ipsum spiritum : quod quidem sermonem amplificabat. Novum enim Testamentum non vitam solam dabat, sed etiam spiritum, a quo vita afferebatur, subministrabat : quod vita multo majus erat. Ideo dixit, *Ministratio spiritus.* Ac postea rursus eamdem rem inculcat, dicens : 9. *Nam si ministratio damnationis, gloria.*

2. Ac dilucidius exponit quidnam his verbis significetur, *Litera occidit ;* hoc videlicet inquiens, quod ante diximus, nempe legem peccatum indicare, non autem efficere. *Multo magis ministratio justitiæ abundat in gloria.* Etenim tabulæ illæ peccatores ostendebant, ac supplicio afficiebant : hæc autem peccatores non modo non punichat, sed etiam justos efficiebat ; baptismus enim hoc largiebatur. 10. *Non enim glorificatum est, quod glorificatum est in hac parte, propter excellentem gloriam.* Superioribus verbis id quidem ostendit, quod hoc quoque in gloria sit, nec simpliciter in gloria, sed quod etiam abundet : non enim dixit, Quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? sed, *Abundat in gloria ;* supradictis nimirum argumentis id probans. Hic vero præcellentia quoque quanta sit, his verbis ostendit : si hanc cum illa comparem, ne gloria quidem est Veteris Testamenti gloria. Quibus verbis non hoc simpliciter adstruit, quod gloria non sit, sed comparationis ratione : unde etiam subjunxit, *In hac parte,* hoc est, si comparatio habeatur. Nec tamen hoc Vetus Testamentum traducit, sed vehementer etiam ipsum commendat : etenim comparationes de rebus cognatis fieri consueverunt. Mox aliud argumentum movet, quod alia quoque ratione præstantiam demonstrat. Quale istud? Nimirum a tempore dicens : 11. *Si autem quod evacuatur, per gloriam est ; multo magis id quod manet, est in gloria.* Illud enim finem accepit ; hoc perpetuo manet. 12. *Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur.* Quia enim auditor tot ac tanta de Novo Testamento audierat, atque hanc gloriam oculis ipsis usurpare cupiebat, vide quonam pacto ipsum ad futurum ævum rejiciat. Ideo spem in medium protulit, dicens, *Habentes igitur talem spem.* Qualem tandem? Quod majorem dignitatem quam Moses consequuti sumus, non tantum nos apostoli, sed etiam omnes fideles. *Multa fiducia utimur.* Apud quem, quæso? apud Deum, an apud discipulos? Apud vos, inquit, quos discipulos habeo : hoc est : Cum libertate ubique loquimur, nihil occultantes, nihil dissimulantes, nihil suspicantes, sed perspicue loquentes : nec veremur ne oculorum vestrorum aciem perstringamus, quemadmodum Moses Judæorum. Nam quod istud subindicarit, audi quæ sequuntur ; imo vero historiam prius referre necessarium est : nam et ipse eam assidue versat. Quænam igitur est hæc historia? Cum Moses acceptis denuo tabulis descenderet, gloria quædam ex ipsius vultu exsiliens, adeo effulgebat, ut Judæi nec ad eum accedere, nec cum eo colloqui possent, quousque faciei suæ velamen imposuisset. Sic enim in Exodo scriptum est : *Cum descendisset Moyses de monte, duæ tabulæ erant in manibus ejus. Et ignorabat quod glorificatus esset aspectus faciei ejus : et timuerunt appropinquare ei. Et vocavit eos Moyses, et loquutus est ad eos. Et postquam cessavit loqui ad eos, imposuit faciei suæ velamen. Cum autem ingrediebatur ut loqueretur coram Domino, tollebat velamen quousque egrederetur* (*Exod.* 34. 29-34). Hujus historiæ mentionem faciens ait : 13. *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus quod evacuatur.* Quod autem dicit, est ejusmodi : Nihil necesse est, ut Mosis instar nosipsos obvelemus : potestis enim ipsi in gloriam hanc, qua cincti et ornati sumus, intueri, etsi multo major ac splendidior est quam illa Mosis. Videsne quantum illi profecerint? Nam qui in priore epistola dicebat, *Lac vobis potum dedi, non cibum* (1. Cor. 3. 2), hic ait : *Multa fiducia utimur :* ac Mosem in medium producit, sermonemque per comparationem provehit, ut hac quoque ratione auditorem in altum subducat. Ac primum Judæis ipsos anteponit dicens, Non opus habemus velamine, quemadmodum ille apud eos, quibus præerat : quæ sequuntur autem ad legislatoris dignitatem ducunt, et multo majora sunt. Interim autem, quæ deinceps sequuntur, audiamus. 14. *Sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum,*

quoniam in Christo evacuatur. Vide quid per hæc verba adstruat. Nam quod tum semel in Mose contigit, hoc perpetuo in lege contingit. Nec tamen his verbis legem criminatur, quemadmodum nec Mosem tum sese obvelantem, sed Judæorum vecordiam : illa enim suam gloriam habet; at isti eam intueri nequiverunt. Quid igitur mirum vobis est, inquit, si hanc gratiæ gloriam cernere nequeant, cum minorem illam Mosis non perspexerint, nec illius vultum obtueri potuerint? quid turbamini, si Judæi Christo non credant, cum ne legi quidem credant? Nam ob id gratiam etiam ignorarunt, quoniam ne Vetus quidem Testamentum nec ipsius gloriam cognoverunt.

3. Siquidem legis gloria in hoc sita est, quod ad Christum animos convertat. Vides ut hinc quoque Judæorum fastum retundat? Etenim unde illi præstantiore conditione se esse existimabant, nempe quod Mosis facies fulgorem emitteret, hinc eorum crassitiem et abjectionem ostendit. Ne ergo hoc nomine illi glorientur : quid enim hoc ad Judæos qui frui non potuerunt? Unde etiam id assidue inculcat, nunc videlicet ipsum velamen in Veteris Testamenti lectione non revelatum manere dicens, quia in Christo evacuetur; nunc, usque in hodiernum diem, quo tempore legitur Moses, id ipsum velamen in ipsorum corde positum esse; ac tum in lectione, tum in eorum corde imponi dicens. Superius vero dixerat : *Ut intendere non possent filii Israel in faciem Mosis, propter gloriam vultus ejus quæ evacuatur :* quo quid abjectius fingi possit? cum ne ejus quidem gloriæ, quæ evanescit, imo si cum altera conferatur, nulla sit, spectatores esse queant, sed ab ipsis ea obtegatur, ut non intendant in finem ejus quod evacuatur, hoc est in legem, quæ finem habet. *Sed obtusi sunt sensus eorum.* Et quid hoc, dixerit aliquis, ad velamen illud? Quoniam futura præsignabat. Neque enim tunc tantum non viderunt, sed ne nunc quidem legem vident. Hoc autem ipsorum vitio fit : obtusio enim mentis stuporem ac vecordiam declarat. Itaque nos sumus, qui legem cognitam habemus : nam illis non modo gratia, sed ipsa quoque lex obumbrata est. *Usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet*, inquit, *non revelatum, quia in Christo evacuatur.* Quod autem ait, hanc sententiam habet : Hoc ipsum cernere nequeunt, eam finem accepisse, quia Christo non credunt. Etenim si per Christum finem accepit, ut vere accepit, idque etiam lex ante dixit : qui fieri queat, ut qui Christum, a quo lex antiquata est, non recipiunt, legem ipsam antiquatam esse perspiciant? Porro qui hoc perspicere nequeunt, palam sane est, quod ipsius etiam legis quæ hæc dicit vim ac robur gloriamque universam ignorent. At ubinam dixit, inquies, lex se in Christo aboleri? Non solum dixit, sed etiam per res ipsas demonstravit : ac primum quidem quod sacrificia et sanctificationem omnem in uno loco, hoc est in templo, concluserit, atque hoc ipsum templum postea destructum sit. Nisi enim sacrificia et legem omnem de his institutam finem habere voluisset, duorum alterum fecisset, aut templum non sustulisset, aut, si sustulisset, sacrificia certe aliis in locis fieri non prohibuisset. Nunc vero, cum universo terrarum orbi et ipsi quoque Jerusalem aditum ad hujusmodi sacrificia præcluserit, solumque templum ipsis permiserit et assignarit, atque hoc ipsum postea sustulerit : per res ipsas tandem declaravit, legis ritus per Christum finem accepisse : siquidem templum a Christo sublatum est. Quod si per verba quoque videre libet, quomodo per Christum lex abrogata sit, ipsummet legislatorem audi, sic loquentem : *Prophetam vobis suscitabit Deus de medio fratrum vestrorum, tamquam me : ipsum audietis in omnibus, quæcumque mandaverit vobis. Et erit, omnis anima quæ prophetam illum non audierit, exterminabitur* (*Deut.* 18. 18. 19). Vides quo pacto lex ostenderit, quid in Christo finem acceptura esset? Etenim propheta hic, id est, Christus secundum carnem, quem Moses audire jussit, et sabbatum et circumcisionem aliaque omnia sustulit. Ac David hoc quoque ipsum indicans, de Christo dicebat : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec* (*Psal.* 109. 4), non autem secundum ordinem Aaron. Ob eamque causam Paulus perspicue hoc exponens, ait : *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat* (*Hebr.* 7. 12). Atque alio loco his rursum verbis utitur : *Sacrificium et oblationem noluisti : holocausta et pro peccato non placuerunt tibi : tunc dixi, Ecce venio* (*Psal.* 39. 7. *Hebr.* 10. 5-7). Atque alia multo his plura testimonia ex Veteri Testamento proferre licet, quibus, quomodo lex per Christum abrogata sit, perspicuum fiat. Itaque posteaquam a lege abscesseris, tum demum legem pulchre perspicies : quamdiu autem eam retinueris, nec Christo credideris, ne legem quidem ipsam perspectam habiturus es. Ideo, ut hoc ipsum luculentius adstruat, subjunxit : 15. *Sed in hodiernum usque diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Quoniam enim dixerat, in Veteris Testamenti lectione velamen manere; ne quis hæc verba de legis obscuritate intelligenda esse existimaret, tum per alia verba hoc ipsum prius demonstravit (nam cum dixisset, *Obtusi sunt sensus eorum*, ostendit eos in culpa esse); tum rursus in his quoque verbis. Non enim dixit, In literis manet velamen, sed, *In lectione;* lectio porro legentium actio est : ac rursum, *Cum legitur Moyses.* Dilucidius autem istud deinceps indicavit, aperte dicens, *Velamen positum est super cor eorum.* Quandoquidem et in Mosis facie non ob Mosem positum erat, sed propter eorum crassitiem et carnalem mentem.

4. Cum igitur eos satis coarguisset, jam correctionis etiam modum ostendit. Quinam autem hic modus est? 16. *Cum autem conversus fuerit ad Dominum*, hoc est, a lege abscesserit, *auferetur velamen.* Viden' velamen illud non faciem Mosis, sed faciem Judæorum obtexisse? Non enim ut Mosis gloria occultaretur, hoc fiebat, sed ne illi viderent : neque enim capaces erant. Itaque illorum hoc vitium erat : neque enim fecit, ut ille quidquam ignoraret, sed ut illi. Nec dixit qui-

dem, Cum legem reliquerit ; sed hoc subindicavit cum diceret : *Cum enim conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* Ad extremum usque in historia perstitit. Etenim cum Moses Judæos alloqueretur, faciem suam obvelabat ; cum autem ad Dominum se convertebat, eam detegebat. Hoc autem rei futuræ figura erat ; nempe quod, cum ad Dominum nosipsos converterimus, tunc legis gloriam ac nudam legislatoris faciem perspiciemus ; imo non hoc tantum, sed in Mosis classe atque ordine erimus. Vides quo pacto Judæum ad fidem excitet ? dum ostendit eum, si ad fidem accesserit, non modo Mosem intueri posse, sed etiam in eodem quo legislator ille gradu atque ordine esse. Non modo enim eam gloriam cernes, inquit, quam tum minime vidisti ; sed et ipse in eadem qua ille gloria futurus es, imo multo etiam majore, atque tanta, ut ne illa quidem gloriæ speciem præbeat, si cum hac comparetur. Quonam tandem modo ? Quoniam, cum ad Dominum conversus fueris, atque in gratia esse cœperis, illa gloria frueris, cum qua Mosis gloria collata, usque adeo inferior est, ut ne gloria quidem sit. Et tamen quamvis exigua ea sit, longeque minor ista, tamen quamdiu Judæus eris, ne hanc quidem consequeris ; ergo neque tunc Judæi illam videbant, neque nunc vident : si autem fidem amplexus fueris, hac multo majorem divino beneficio perspicies. Et quidem, cum fidelibus verba faceret, glorificatum fuisse negabat id quod glorificatum fuerat : hic autem non ita, sed quo pacto ? *Cum conversus fuerit ad Dominum, tolletur velamen ;* sensim videlicet illum subvehens, ac primum quidem in eodem cum Mose gradu collocans, deinde autem majorum rerum consortem eum faciens. Nam cum Mosem, inquit, in gloria videris, tum demum ad Deum te convertes, amplioreque quam hæc sit gloria frueris. Itaque a principio vide quotnam res posuerit, quæ discrimen efficerent, atque illud ostenderent, Novum Testamentum Veteri præstare, non autem cum eo pugnare atque ipsi adversari. Illud, inquit, et litera, et lapis, et mortis ministratio erat, et aboletur ; et tamen ne hac quidem gloria Judæi digni habiti sunt : hoc autem carnalis tabula est, et spiritus, et justitia, et constanter manet ; atque omnes eo digni habemur, non unus tantum, ut tum Moses illo minore : *Nos* enim *omnes*, inquit, *revelata facie gloriam*, non Moysis, sed *Domini intuemur.* Verum quoniam nonnulli, rebus quæ in confesso erant reluctantes, hæc verba, *Cum autem conversus fuerit ad Dominum*, de Filio dicta esse contendunt, accuratius istud expendamus, illud prius ponentes, unde id se adstruere ac confirmare putant. Quidnam autem hoc est ? Quemadmodum, inquiunt, Scriptura dicit, Spiritus est Deus : eodem modo etiam hoc loco, Spiritus Dominus est. Non enim dixit, Spiritus est Dominus, sed, Dominus est Spiritus. Multum porro inter hanc et illam compositionem interest. Nam cum ita loqui vult, ut tu ais, adjectivo articulum non addit. Quin aliter etiam omnia ea, quæ supra commemorata sunt, de quonam dixerit, videamus : velut cum dicebat, *Litera occidit, Spiritus autem vivificat ;* ac rursus, *Scripta non atramento, sed Spiritu Dei viventis :* utrum de Filio an de Spiritu ? Liquet profecto quod de Spiritu : ad eum enim a litera eos vocabat. Etenim ne quis, cum Spiritus vocabulum audivisset, ac deinde hoc secum reputans, Si Moses ad Dominum conversus fuerit, ipse autem ad Spiritum, inferiore conditione esse arbitraretur : ut hujusmodi suspicioni medeatur, his verbis utitur : 17. *Dominus autem Spiritus est.* Hoc est, Ipse quoque Dominus est. Atque ut intelligas ipsi de Paracleto sermonem esse, subjunxit, *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Neque enim dixeris, eum ita loquutum fuisse : Ubi autem Dominus Domini. Libertatem autem dixit, habita ratione pristinæ servitutis. Deinde, ne eum de futuro tempore loqui putes, ait : 18. *Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini speculantes ;* non illam, inquam, quæ finem accipit, sed quæ manet ; *in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a Domino Spiritu.*

Spiritus sanctus in Dei ordine est.—Vides quo pacto rursus Spiritum in Dei ordine collocet, eosque in apostolorum classem subvehat ? Etenim prius dixerat, *Epistola estis Christi ;* et hoc loco, *Nos autem omnes revelata facie.* Atqui ipsi legem, Mosis instar, gestantes venerant. Sed quemadmodum, inquit, nos velamine non opus habuimus : sic nec vos quidem, qui evangelium suscepistis. Atqui longe major est hæc gloria ; neque enim vultus nostri est, sed Spiritus : et tamen vos, æque ac nos, in eam oculorum aciem intendere potestis. Illi namque nec per mediatorem ; vos autem sine mediatore potestis majorem videre : illi Mosis faciem cernere non potuerunt ; vos Spiritus quoque gloriam potestis. Quod si Spiritus inferiorem locum obtineret, hæc certe, ut illis majora, minime posuisset.

5. Quidnam autem est, *Gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur ?* Apertius id quidem demonstrabatur, cum miraculorum dona vim suam exsererent : tamen ne nunc quidem id perspicere difficile fuerit ei, qui fidei oculis præditus fuerit. Nam simul atque baptizamur, supra solem anima exsplendescit, a Spiritu perpurgata : ac non modo gloriam Dei prospicimus, sed illinc quoque splendorem aliquem haurimus. Sicut enim purum argentum, ad solis radios situm, ipsum quoque radios emittit, non ob suam dumtaxat naturam, sed etiam ob solarem fulgorem : eodem modo anima defæcata, atque argento splendidior effecta, a Spiritus gloria radium suscipit, ac vicissim remittit. Unde etiam ait, *Speculantes, in eamdem imaginem transformamur a gloria*, Spiritus, *in gloriam*, nostram, quam contrahimus, quæque talis est qualem esse par est, *a Domino Spiritu.*

Spiritus sanctus ejusdem dignitatis cujus Pater est.—Vide quomodo hoc item loco Spiritum Dominum appellet. Atque alibi quoque ipsius dominationem perspicere licet : *Ministrantibus* enim *ipsis Domino*, inquit, *ac jejunantibus, dixit Spiritus sanctus : Segregate mihi Paulum et Barnabam* (*Act.* 13. 2). Ob id

enim his verbis Scriptura utitur, *Ministrantibus ipsis Domino, Segregate mihi*, ut eum ejusdem dignitatis esse ostendat. Ac rursum ait Christus, *Servus nescit quid faciat dominus ejus* (*Joan.* 15. 15) : ut autem homo novit ea quæ sua sunt, ita Spiritus novit quæ Dei sunt (1. *Cor.* 2. 11), non quod edoceatur : nam ita similitudo sibi non constaret. Quin hinc quoque auctoritatem ac dominationem suam ostendit, quod, prout vult, operatur. Hic nos transformat, hic nos huic sæculo conformari non sinit, hic hujusmodi creationis artifex est, Quemadmodum enim ait, *Creati in Christo Jesu* (*Ephes.* 2. 10) : eodem modo ait, *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (*Psal.* 50. 12). Vis hoc tibi ab apostolis quoque sensibiliori modo ostendam? Paulum cogita, cujus vestes operabantur; Petrum, cujus ipsæ quoque umbræ viribus pollebant. Neque enim, nisi Regis imaginem gestassent, et incomparabilis quidam fulgor ex ipsis effulsisset, eorum vestes atque umbræ tot miracula edidissent. Regis quippe vestes latronibus etiam terrori sunt. Libetne videre hanc per corpus quoque collucentem? *Intuentes*, inquit, *faciem Stephani, viderunt tamquam faciem angeli* (*Actor.* 5. 15). Quamquam nihil istud erat præ gloria ea, quæ interne rutilabat. Nam quod Moses in vultu habebat, hoc isti in anima circumferebant, atque adeo multo amplius. Etenim id quod Mosi contingebat, sensui subjectum erat; hoc autem corporis expers est. Et sicut ignea corpora, a splendidis corporibus in id quod propinquum est defluentia, ipsis quoque splendorem suum impertiunt : eodem modo in fidelibus quoque usu venit. Ob eamque causam a terra abscedunt, qui ita affecti sunt, cælestiaque sola ipsis in mente versantur. Hei mihi! hic enim acerbe quoque ingemiscere pulchrum fuerit, quod, cum tanta nobilitate prædili simus, tamen ne ea quidem quæ dicuntur novimus, quia confestim has res nobis perire sinimus, atque iis quæ in sensum cadunt inhiamus. Arcana enim hæc et tremenda gloria ad unum quidem aut alterum diem in nobis manet; deinceps autem eam exstinguimus, dum negotiorum hujusce vitæ tempestatem accersimus, ac per nubium densitatem radios propulsamus.

Hæc vita tempestas est. — Tempestas enim res hujusce vitæ sunt, ac tempestate tristiores. Neque enim hinc frigus oritur, nec pluvia nec lutum ac profundus limus, sed, quæ his omnibus graviora sunt, nempe gehenna et gehennæ mala. Et quemadmodum grassante acerrimo frigore membra omnia concrescunt, ac mortua sunt : sic etiam animus in peccatorum frigore contremiscens, nullum munus suum exsequitur, ut qui videlicet conscientia ac si gelu concretus sit. Quod enim corpori frigus est, hoc animo mala conscientia : unde etiam timiditas exsistit. Nihil enim homine mundanis rebus affixo timidius fingi potest : nam qui ejusmodi est, ut Cain vivit, quotidie tremens (*Gen.* 4), Quid autem mortes et detrimenta et offensiones et assentationes et obsequia commemorem? nam, ut hæc omittam, sexcentas mutationes extimescit. Atque arca quidem auro referta est, animus autem paupertatis metu minime vacat; ac merito quidem. In rebus enim imbecillis et quæ facile mutentur ancoram figit : etiamsi ipse naufragium non patiatur, in aliis tamen id perspiciens, examinatur; atque ut ingenti timiditate, ita ingenti ignavia laborat. Neque enim hujusmodi homo in periculis dumtaxat, sed in omnibus aliis ignavus est. Nam si pecuniarum cupiditas irruerit, non ut ingenuus vir impetum propulsat; sed ut pretio emptum mancipium quidvis facit, avaritiæ tamquam acerbæ dominæ serviens. Si formosam aliquam puellam conspicatus fuerit, protinus captus trepidat, rabidique canis in morem eam sequitur, cum contra faciendum sit. Etenim cum formosam mulierem cernis, ne hoc spectes quomodo cupiditatis tuæ compos fias, sed quomodo cupiditate libereris. Et quanam ratione hoc fieri possit, inquies? neque enim amare mei est arbitrii. Cujus ergo, dic mihi? Insultus dæmonis. Omnino igitur dæmonem esse arbitraris, qui insidias struat?

6. Luctare igitur, ac pugna cum morbo. At non possum, inquies. Age igitur hoc primum te docebimus, ignaviæ tuæ esse id quod tibi accidit, teque ab initio dæmoni aditum præbuisse, ac nunc, si voluntas ita tulerit, eum facillime propellere posse. Dic mihi, qui adulterium perpetrant, utrum amore ducti id perpetrant, an quod simpliciter pericula expetant? Amore ducti haud dubie. Num igitur veniam propterea obtinent? Minime. Quid ita? Quoniam ipsorum est peccatum. At quid syllogismos nectis, inquies? conscius mihi ipse sum, me affectum hunc submovere velle, nec tamen id possum, sed id imminet, graviterque me premit et excruciat. Vis quidem illud, o homo, submovere; at non ea facis, quæ repellere possint; verum perinde facis, ut si quis febri correptus, ac sese frigida aqua ingurgitans, dicat. Quanta comminiscor, dum febrim exstinguere studeo nec possum, sed flammam potius meam accendo?

Cupiditatis exstinguendæ modus. — Videamus igitur num tu quoque ea facias, quæ morbum inflamment, cum te ea excogitare putes, quæ exstinguant. Non, inquis. Dic igitur, quidnam, ut morbum exstingueres, facere umquam es conatus? quid autem omnino est, quod morbum augeat? Etenim, licet non omnes his criminibus obnoxii simus (plures enim reperire est, qui pecuniarum quam qui corporum amore teneantur); commune tamen omnibus, tam his quam illis remedium proponetur. Nam et ille amor absurdus est, et hic quoque; verum hic illo acrior est ac vehementior. Quamobrem si majorem superaverimus, non est dubium quin minorem quoque facile vincamus. At, inquies, si acrior hic amor est, qui fit, ut non omnes hoc malo corripiantur, sed plures ad insaniam usque pecunias ament? Primum quia periculo carere videtur hæc cupiditas; deinde quoniam, etsi corporum cupiditas acrior est, tamen citius exstinguitur. Nam si perstaret, ut pecuniarum cupiditas, eum qui captus esset funditus perderet. Age igitur, de hoc corporum amore ad vos disseramus, ac videa-

mus undenam incrementum sumat hoc malum : sic enim perspectum habebimus, utrum culpa nostra contrahatur, necne : ac, si culpa nostra contrahitur, nihil non faciamus, quo superiores eo simus ; si autem extra culpam sumus, quid frustra nosipsos maceramus? quid item iis, qui eo capiuntur, non ignoscimus potius, quam succensemus? Unde igitur nascitur hic amor? Ab elegantia formæ, inquies, cum scilicet pulchra et venusta ea fuerit, quæ vulnus infert. Frustra et temere hæc dicis. Nam si formæ pulchritudo amatores alliceret, omnes haberet amatores hæc puella : quod si non omnes habet, proinde nec naturæ nec eleganti formæ, sed impudicis oculis istud adscribendum est. Nam cum eam curiose intuens suspexeris, atque adamaris, telum excepisti. Quisnam autem, inquies, facere possit, ut pulchram mulierem cernens, non eam laudet? Quo fit, ut cum res hujusmodi mirari, voluntatis nostræ minime sit, ne amor quidem in nostro arbitrio situs sit. Absiste, o homo! Quid omnia simul confundis, undique in orbem excurrens, nec mali radicem perspicere volens? siquidem plerosque video, qui formam admirentur ac laudibus efferant, nec tamen ament. Et qui fieri potest, inquis, ut qui mirantur, non item ament? Ne tumultuare, quæso; hoc enim dicere paro ; sed exspecta, et audies Mosem, filium Jacob admirantem, ac dicentem : *Et erat Joseph pulcha facie, et aspectu decorus valde* (*Gen.* 39. 6). Num igitur propterea is amabat, qui hæc dicebat? Minime. Non enim, inquies, eum quem laudabat cernebat. Atqui erga auditas quoque formas ita quodammodo afficimur, non modo erga conspectas. Verum ne mihi in his rebus contentionem moveas ; annon David admodum formosus erat, ac subrufus cum oculorum pulchritudine? quæ oculorum elegantia maxime violenta pulchritudinis pars est. Num igitur quispiam ipsius amore captus est? Minime : non igitur una cum admiratione amor etiam nascitur. Nam et matres multi habuerunt corporis pulchritudine florentissimas : num igitur filii earum amore incensi sunt? Absit istud. Quamquam enim id quod cernunt admirentur, tamen in fœdum amorem non incidunt. At, rursum inquies, hoc ipsis natura præstat. Quænam oro natura? Quia matres sunt, inquies. Annon audis Persas nemine cogente, cum matribus suis misceri, nec unum aut duos, sed universam gentem? Quin citra hæc liquido hinc constat morbum hunc non corporis elegantiæ, nec simpliciter pulchritudini adscribendum esse, sed animi socordiæ atque oberrationi. Permulti etenim, cum innumeras præstanti forma mulieres præteriissent, deformibus sese dederunt : ex quo perspicuum est, amorem a formæ venustate minime proficisci. Nam si ita esset, ii, qui in amorem inciderunt, ab illis potius quam ab istis capti fuissent. Quidnam igitur in causa est, inquies? nam si formæ honestas non facit ut quispiam amet, unde igitur amor causam ac radicem habet? an a malo dæmone? Habet quoque illinc ortum, sed non hoc est quod quæritur ; verum annon ipsi quoque in causa simus. Neque enim illorum dumtaxat sunt insidiæ, sed cum illis a nobis primum. Non aliunde perniciosus hic morbus æque ortum trahit, atque a consuetudine et verborum blanditiis, et otio ac cessatione, quodque nihil quod agamus, habeamus.

7. *Modus exstinguendæ libidinis.* — Magna quippe, magna, inquam, consuetudinis vis est, atque adeo tanta, ut in naturæ necessitatem migret. Quod si consuetudinis est hanc procrearc, non dubium quin etiam exstinguere. Sane multi amantes sic amare desierunt, cum quas amabant, non cernerent. Hoc autem ad breve quidem tempus acerbum ac perquam injucundum esse videtur ; at progressu temporis suave efficitur, ac ne si velint quidem, morbum revocare queant. Quid igitur, inquies, cum citra consuetudinem ullam ab ipso primo aspectu captus fuero? Hic quoque in causa est corporis desidia, aut deliciæ, aut quod ea quæ opus sunt non cures, nec in necessariis negotiis verseris. Nam qui talis est, instar erronis cujuspiam quovis malo transfigitur : atque hujusmodi animam, non secus ac puerum vagantem, quisquis vult in servitutem trahit. Quoniam enim ipsa hoc in more positum habet, ut aliquid operetur, si ipsius in rebus honestis, actionem comprimas, quia nihil agere non potest, alia pariat necesse est. Sicut enim terra, cum nec seritur nec plantatur, herbam dumtaxat profert : ita et anima, cum necessariarum rerum nihil habet quod agat, atque aliquid agere cupiat, pravis rebus se tradit. Et sicut oculus, qui cernere non cessat, prava cernat necesse est, cum bonis objectis caret : sic etiam animus, cum se a necessariis abduxerit, jam circa inutilia versatur. Alioqui quod occupatio et cura primum quoque impetum propellere queat, multis argumentis liquet. Quamobrem cum pulchram mulierem conspexeris, ab eaque te affectum senseris, eam ne ultra cernas, et liberatus es. Et qui fieri poterit, inquies, ut eam ultra non cernam, cum cupiditate trahar? Aliis rebus, quæ animum distrahant, facte addicas, libris nimirum, necessariis curis, patrociniis, opitulationibus eorum, quibus injuria infertur, precibus, rerum futurarum meditationi : his animum adstringe. Sic non recens tantum vulnus curabis, sed concretum etiam atque inveteratum facile discutes. Nam si contumelia, ut est in proverbio, amanti persuadet, ut amorem abrumpat, quomodo non multo magis spirituales hæ incantationes malum istud superent, dummodo ab eo nos removere in animum inducamus? Quod si cum illis versemur ac confabulemur, quæ hujusmodi tela in nos contorquent, ac de illis tum loquamur, tum audiamus, morbum hoc pacto alimus. Quonam ergo modo ignem exstingui cupis, cum quotidie flammam accendas? Ac de consuetudine hæc mihi ad juvenes dicta sint : nam quod ad viros attinet, eosque qui philosophari norunt, nihil perinde juvat, ut Dei timor, gehennæ memoria, regni cælorum cupiditas; hæc enim ad exstinguendum ignem sufficiunt. Ac præterea illud tecum reputa, id quod cernis nihil aliud esse, quam pituitam et sanguinem ac corrupti alimenti succum. At lætus ac

splendidus oris flos est, inquies. Sed terræ etiam floribus nihil lætius ac jucundius est; qui tamen etiam marcescunt, atque in putredinem abeunt. Quocirca ne hic quoque ad florem attende, sed interius animo transi, et a pulchra illa cuti cogitationem avertens, explora quæ sub ea sita sint. Quandoquidem etiam hydropicorum corpus nitet ac lucet, nec quidquam fœdi in superficie habet; sed tamen humoris illius, qui intus conditus est, cogitatione perculsi, hujusmodi homines oculari non sustinemus. At tener et versatilis est oculus, ac recte porrectum supercilium, et cæruleæ palpebræ, et suavis pupilla, et serenus aspectus? At rursum hoc vide, quod istud quoque nil aliud est, quam nervi et venæ atque arteriæ. Quin tu hunc ipsum pulchrum oculum, ægrum, senio affectum, mœrore afflictum, ira tumentem cogita, quam scilicet deformis sit, quam celeriter pereat, quam citius etiam pictura evanescat. Ab his jam cura, ut ad veram pulchritudinem animum traducas. At, inquis, animæ pulchritudinem non cerno. At, si libuerit, cernes: et sicut absentes formosos, licet oculis non cernas, mente admirari potes; eodem modo animæ pulchritudinem etiam sine oculis perspicere licet. Annon egregiam formam sæpe cogitatione formasti, eoque figmento nonnihil te affici sensisti? Effinge nunc quoque animæ pulchritudinem: atque hujusmodi formæ elegantia te oblecta. At, inquis, non cerno ea, quæ corpore vacant. Atqui ista animo magis intuemur, quam corpora: siquidem ob hanc quoque causam et angelos et archangelos admiramur, quamvis eos minime cernamus: probos item mores animæque virtutem. Ac si probum hominem et moderatum videris, magis hunc admiraberis, quam elegantem illam faciem. Quod si injuria affectum videris eamque patienter ferentem, hujusmodi hominem ama, etiamsi senio confectus sit. Nam hujusmodi animæ pulchritudo in senectute quoque amatores multos habet, nec umquam marcescit, sed perpetuo floret. Igitur ut hanc quoque ipsi pulchritudinem adipiscamur, eos qui hac pollent captemus, atque ipsorum amatores simus. Sic enim nos quoque hanc pulchritudinem consequuti, ad æterna bona pervenire poterimus: quæ utinam nobis consequi detur, per gratiam et benignitatem, etc.

HOMILIA VIII.

Cap. 4. v. 1. *Ideo habentes hanc ministrationem, juxta quod misericordiam consequuti sumus, non deficimus,* 2. *sed abdicavimus occulta dedecoris.*

1. Quoniam magna quædam loquutus fuerat, ac seipsum et fideles omnes Mosi anteposuerat, atque tantam eorum quæ dixerat magnitudinem esse sentiebat, vide quo pacto rursus modestiam præ se ferat. Nam et propter pseudapostolos atque auditores sese efferre debebat, et rursum tumorem illum mitigare, non autem omnino tollere; nam hoc ludentis fuisset. Quocirca hoc alia via aggreditur, ostendens id omne non nostris meritis ac virtutibus, sed divina benignitate contigisse: proinde ait, *Habentes igitur ministrationem hanc.* Neque enim quidquam amplius erogavimus, quam quod ministri exstitimus, beneficiisque a Deo datis administram operam præbuimus. Quo fit, ut nec largitionis nec suppeditationis, sed ministerii vocabulo usus sit. Ac ne hoc quidem contentus addidit: *Juxta quod misericordiam consequuti sumus.* Nam hoc quoque ipsum, quod his ministravimus, a Dei misericordia et benignitate profectum est. Quamquam misericordiæ est, e malis exemisse, non autem tot insuper beneficiis affecisse; sed hoc etiam habet Dei misericordia. *Non deficimus.* Hoc quoque ipsius humanitati acceptum referendum est. Nam illa verba, *Juxta quod misericordiam consequuti sumus,* existimare debes tam ad ministerium referri, quam ad id quod sequitur, *Non deficimus.* Ac velim animadvertas, quam seipsum deprimere studeat. Nam qui tot ac tantis, inquit, beneficiis ornatus sit, idque divina tantum misericordia et benignitate, non magni quidpiam fecit, si tales labores suscepit, si pericula adit ac tentationes sustinet. Ideo non solum non concidimus animo, sed etiam gaudemus, ac verborum libertate utimur. Postquam enim dixit, *Non deficimus,* subnectit, *Sed abdicavimus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei.* Quid sibi volunt hæc, *Occulta dedecoris?* Non, inquit, magna profitemur ac pollicemur et alia rebus ipsis ostendimus, quemadmodum illi: unde etiam dicebat, *Quæ in faciem sunt, perspicitis* (2. *Cor.* 10. 7): verum tales omnino sumus, quales cernimur, non fictum ac velut duplicem animum gerentes, nec ea dicentes atque agentes, quæ præ pudore ac rubore occultanda et velut umbris quibusdam obvolvenda sint. Idque exponens, subjunxit, *Non ambulantes in astutia.* Nam quod illi laudi ducebant, hoc ipse fœdum ac ridiculum esse statuit. Quidnam autem est, *In astutia?* In ea existimatione illi erant, quasi ab accipiendis muneribus abstinerent, cum tamen occulte acciperent: sanctorum ac proborum apostolorum existimatione florebant, cum interim innumeris vitiis scaterent. At nos, inquit, hæc abjecimus (nam hæc sunt, quæ occulta dedecoris vocat), quippe qui tales simus, quales videmur; nec quicquam, non modo in vita nostra et moribus, sed nec prædicatione tectum atque adumbratum habemus: hoc enim significat, quod ait, *Neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis.* Hoc est, non vultu et ostentatione, sed ipso rerum documento. *Commendantes nos ipsos ad omnem conscientiam hominum.* Non enim fidelibus tantum, sed et infidelibus perspicui sumus, ac quibusvis expositi, ut res nostras explorent: atque hinc nosipsos commendamus, non a fuco ac simulatione, aut quod splendidam larvam circumferamus. Dicimus itaque nos nullum munus accipere; atque hujus rei vos testes vocamus: dicimus nos nullius flagitii nobis conscios esse; atque hujus rei rursus a vobis testimo-

nium petimus; non ut illi solent, qui vitia sua obtegentes multos decipiunt. Nam nos et vitam nostram cunctis in medium proponimus, et doctrinam ita patefacimus, ut quivis eam intelligere possint. Mox autem, quia infideles vim hujusce doctrinæ minime perspectam habebant, subjunxit, hoc non sibi, sed eorum stupori assignandum esse, dicens : 3. *Quod si etiam opertum est evangelium nostrum, in iis qui pereunt opertum est, 4. in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium.* Quod hic dicit, eamdem vim habet, quam ea, quæ prius dixit : *Aliis odor mortis sumus in mortem, aliis odor vitæ in vitam* (2. *Cor.* 2. 16).

2. *Marcionistarum et Manichæorum errores.* — Quid sibi vult illud, *Deus hujus sæculi?* Qui Marcionis morbo laborant, de rerum Opifice, justo quidem illo, sed non item bono, hæc dicta esse contendunt : aiunt enim Deum quemdam justum esse, qui non sit bonus. Manichæi autem his verbis diabolum significari asserunt ; hinc nimirum alium rerum conditarum effectorem, præter eum qui vere est, perquam stolide inducere cupientes. Habet enim hoc familiare Scriptura, ut deum non ex ipsius dignitate, sed ex eorum qui ipsius imperio subsunt imbecillitate nuncupet : ut cum mamonam dominum dicit, et ventrem deum. Neque enim propterea aut venter deus est, aut mamona dominus, sed eorum demum, qui sese ipsis subjecerint. Atvero nos illud dicimus, non de diabolo quidem hæc verba habita esse, sed de universorum Deo; sicque legendum esse, *Infidelium hujus sæculi mentes Deus excæcavit.* Nam futurum ævum infideles non habiturum est, sed hoc dumtaxat. Si vero quis aliter legat, nempe *Deus hujus sæculi*, ne hinc quidem ulla calumniæ ansa porrigitur : neque enim hinc ostenditur, eum hujus tantum sæculi Deum esse. Nam et Deus cæli dicitur; nec tamen cæli tantum Deus est : et, Deus præsentis diei, dicimus; nec tamen hæc ita dicimus, quasi ipsius imperium unius diei angustiis circumscribamus. Quin Deus quoque Abrahæ dicitur, et Deus Isaac, et Deus Jacob ; cum tamen non eorum tantum sit Deus. Ac pleraque etiam alia hujusmodi testimonia in Scripturis inveniri possunt. Quonam porro modo excæcavit? Non sane quod in hoc ulla ipsius actio fuerit, absit, sed quia id passus est ac permisit : nam Scripturæ mos est ita loqui, ut cum ait, *Tradidit eos Deus in reprobum sensum* (*Rom.* 1. 28). Quoniam enim illi prius fidem abrogarunt, seque indignos reddiderunt qui mysteria viderent, illos ipse dereliquit. Quid enim hic faciendum erat? an invitos trahere, suaque arcana iis, qui ea cernere recusabant, aperire? At magis contempsissent illi, nec videre voluissent : unde etiam mox subjunxit, *Ut non fulgeat eis illuminatio evangelii gloriæ Christi;* non ad hoc, ut Deo non credant, sed ut quæ sint interna mysteria infidelis mens minime perspiciat : quod etiam ille nobis præcepit, ut ne margaritas ante porcos conjiciamus (*Matth.* 7. 6). Etenim si ea infidelibus detexisset, eorum morbus magis increduisset. Nam si quis oculis laborantem cogat solares radios respicere, illius infirmitatem magis auget. Ideo medici eos in tenebris abditos tenent, ne morbus ingravescat. Sic ergo hic etiam intelligendum est, nempe quod icti vitio suo increduli exstiterunt. Increduli autem effecti, evangelii arcana minime jam perspexerunt, Deo nimirum radios suos illis deinceps subducente. Id quod etiam discipulis dicebat, *Propterea in parabolis loquor ipsis, quia audientes non audiunt* (*Matth.* 13. 13). Verum ut quod dico exemplo dilucidius fiat, finge gentilem esse quemdam, qui res nostras pro fabulis habeat : hic igitur plusne ex eo commodi capiet, si ingressus fuerit ac mysteria conspexerit, quam si foris maneat? Ideo ait : *Ut non fulgeat illis illuminatio;* in Mosis videlicet historia adhuc hærens. Nam quod illius ætate Judæis accidit, hoc evangelii tempore omnibus infidelibus usu venit. Quidnam autem sit, quod ait opertum illis fuisse ac minime declaratum, audi quid ipse dicat : *Ut non fulgeat eis illuminatio evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Nempe quod orbis salus crux est ipsiusque gloria, quod is qui crucifixus est cum multo splendore venturus sit : atque alia omnia, tam præsentia, quam futura, tam in aspectum cadentia, quam occulta et ineffabilis rerum quæ exspectantur adventus. Unde etiam αὐγάσαι dixit, hoc est irradiare, ne tu totum in hac vita quæras. Est enim velut radius quispiam Spiritus, id quod nunc datur. Id quod etiam superius indicans, odoris ac rursum pignoris vocabulo usus est, declarans multo majorem partem in futuro ævo exspectandam esse. Sed tamen hæc omnia ipsis occultata sunt, et ob id occultata, quia prius ipsi fidem Deo abrogarunt. Postea, ut ostendat, non Christi modo, sed etiam Patris gloriam iis incognitam esse, qui eam non viderunt, adjecit, *Qui est imago Dei.* Cave enim in Christo solo consistas. Ut enim per eum Patrem cernis, ita, si ipsius gloriam ignores, ne Patris quidem gloriam cognitam habebis. 5. *Non enim nos ipsos prædicamus, sed Christum Jesum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum.*

3. Quinam hic sermonis tenor est? quid hoc cum iis, quæ ante dicta sunt, commune habet? Vel eos notat ut insolentius sese efferentes, et discipulis suadere cupientes, ut ab eorum nominibus sibi nomen imponant, sicut in superiore epistola dicebat, *Ego sum Pauli, ego autem Apollo* (1. *Cor.* 3. 4) : aut aliud quiddam gravissimum significat. Quidnam hoc? Quoniam acerrimum in ipsos bellum illi gerebant, atque insidias undique ipsis struebant. Num, inquit, adversum nos pugnatis, ac non adversus eum qui a nobis prædicatur? neque enim nosipsos prædicamus : ego servus sum, ego eorum qui prædicationem excipiunt minister, operam omnem alteri navans, atque ipsius gloriæ causa quidvis faciens. Itaque, dum mihi bellum infers, ea quæ illius sunt dejicis. Tantum enim abest, ut ex evangelico munere quidquam mihi arrogem, ut ne servus quidem vester esse propter Christum recusaturus sim, quandoquidem ipsi visum est tanto in pretio vos habere, tantoque amore vos complecti, ac salutis vestræ causa quidvis agere.

Unde etiam ait, *Nos autem servos vestros propter Christum.* Viden' animum ab omni gloriæ studio purum? Tantum abest, inquit, ut eorum, quæ Domini sunt, quidquam usurpemus, ut etiam nosipsos vobis propter eum subjiciamus. 6. *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus vestris.* En quomodo rursus iis, qui eximiam illam gloriam, Mosis videlicet, videre cupiebant, ostendit etiam cum additamento fulgentem! Sicut in vultum Mosis, inquit, ita in corda vestra effulsit. Et quidem prius ea, quæ in rerum conditarum initio exstiterunt, in memoriam revocat, lucem nimirum in sensum cadentem et tenebras; ostendens hoc opificium illo præstantius esse. Verum ubinam dixit, *De tenebris lucem splendescere?* In principio ac rerum conditarum primordiis: *Tenebræ* enim, inquit, *erant super faciem abyssi.* Et dixit Deus, *Fiat lux, et facta est lux* (*Gen.* 1. 2. 3). Sed tunc quidem dixit, *Fiat*, et, *Factum est*; nunc autem non dixit, sed ipse nobis lux factus est. Quocirca nec res sensiles hac luce affulgente intuemur, sed Deum ipsum per Christum. Videsne quo pacto nihil in Trinitate sit diversum? Nam de Spiritu dicit, *Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam a Domino Spiritu* (2. *Cor.* 3. 18); de Filio, *Ut non fulgeat illis illuminatio evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei*; de Patre denique, *Qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus vestris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi.* Quemadmodum enim cum dixisset, *Evangelii gloriæ Christi*, subjecit, *Qui est imago Dei*, his verbis indicans eos illius quoque gloria orbatos esse: ita cum dixisset, *Scientiæ Dei*, adjecit, *In facie Christi*, ut ostendat nos per Christum ad Patris cognitionem pervenire, ut etiam per Spiritum ad eum adducimur. 7. *Habemus autem istum thesaurum in vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.* Quoniam enim de arcana illa gloria multa et ampla verba fecerat, ne quis diceret: Qui fit igitur, ut tantam gloriam consequuti, in mortali corpore maneamus? Hoc ipsum, inquit, est summopere mirandum, ac luculentissimum divinæ potentiæ argumentum, quod fictile vasculum tantum splendorem ferre ac tantum thesaurum tueri potuerit. Cujus etiam rei admiratione ipse commotus dicebat: *Ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis*; his verbis eos rursus subindicans, qui in seipsis gloriabantur. Nam et donorum magnitudo, et eorum qui his affecti sunt imbecillitas, vim Dei demonstrant, non modo quia magna largitus est, sed quia parvis et abjectis: fictile quippe dixit, ut humanæ naturæ fragilitatem significaret, carnisque nostræ imbecillitatem conspicuam redderet. Testa namque nihilo melius illa se habet; adeo offensionibus patet, ac morte, morbis, cæli intemperiis, atque innumeris aliis malis facile dissolvitur. Hæc porro dicebat, tum ut eorum arrogantiam comprimeret, tum ut nihil rerum nostrarum humanum esse demonstraret.

4. Nam tum demum Dei vis maxime elucet, cum per viles et abjectos ingentes res patrat. Ac proinde alio etiam loco aiebat, *Virtus mea in infirmitate perficitur* (2. *Cor.* 12. 9). In Veteri quoque Testamento per culices et muscas totos barbarorum exercitus in fugam vertebat (ideo erucam magnam vim suam appellabat [*Joel.* 2. 25]), et olim linguas dumtaxat confundendo, ingentem illam turrim Babylonicam delevit. In bellis insuper nunc per trecentos viros infinitam hostium manum profligabat, nunc tubarum clangore urbes evertebat, ac postea per exiguum ac vilem adolescentem Davidem universam barbarorum aciem in fugam agebat. Eodem itaque modo hic quoque missis solum duodecim viris de orbe victoriam adeptus est, duodecim, idque cum ipsi infesta omnia haberent, ac bello ab omnibus vexarentur. Dei ergo potentiam admiremur et adoremus: sciscitemur ex Judæis, sciscitemur ex gentilibus, quisnam universo terrarum orbi persuaserit, ut a patriis institutis abscederet, atque ad alteram vivendi rationem sese conferret? piscator, an tentoriorum effector? publicanus, an indoctus ac literarum expers? Quam autem hoc rationem haberet, nisi vis divina fuisset, quæ per illos omnia conficeret? Nam quid dicentes illi, persuadebant? Baptizemini in nomine crucifixi (*Act.* 2. 38). Cujus tandem? Quem numquam viderant. Et tamen cum hæc dicerent ac prædicarent, auditoribus persuadebant, eos qui vaticinabantur, atque a majoribus traditi ipsis erant, deos non esse. Christus vero clavis affixus omnes attrahebat. Atqui, quod in crucem sublatus ac sepultus fuisset, apud omnes constabat; quod autem resurrexisset, pauci omnino viderant. Nihilo secius tamen hoc ipsum iis, qui non viderant, persuaserunt: nec id solum, sed etiam, quod in cælos ascendisset, atque ad judicium de vivis ac mortuis ferendum venturus esset.

Apostoli quomodo orbem subegerunt. — Unde igitur, quæso, persuadendi vis in his sermonibus? Non aliunde, quam a Dei potentia. Primum enim novitas ipsa omnium animos offendebat: cum autem in hujusmodi rebus quispiam innovat, tunc gravior res efficitur, ut cum priscorum rituum fundamenta effringit, ac leges radicitus evellit. Huc accedit, quod præcones non fide digni viderentur. Nam et ex ea natione erant, quæ omnibus odiosa esset, et ipsi timidi ac doctrinæ expertes erant. Unde igitur orbem subegerunt? unde vos et majores vestros, qui philosophi videbantur, atque deos ipsos ejecerunt? annon liquet illos Deum secum habuisse? Neque enim tam præclara facinora in humanam potentiam cadunt, sed in divinam quamdam et ineffabilem. Minime vero, inquiunt isti; sed præstigiis usi sunt. Ergo dæmonum imperium augeri oportebat, atque idolorum cultum amplificari. Qui igitur factum est, ut ea deleta atque exstincta sint, et ex contrario nostra efflorescant? Quare hinc quoque liquet, Dei calculo hæc contigisse: neque a prædicatione tantum, sed ab ipsa quoque vitæ ratione. Quando enim tanta virginitas passim toto orbe consita est? quando par opum, vitæ, atque

aliarum omnium rerum contemptus ? Nam flagitiosi ac præstigiatores nihil ejusmodi effecerint, sed contraria omnia : at hi angelicam vitæ rationem nobis et in nostra et in barbara regione atque in extremis terræ recessibus non modo docuerunt, sed etiam perfecerunt. Unde perspicuum est, Christi vim fuisse quæ hoc totum ubique fecerit, vim, inquam, illam ubique lucentem ac fulgure quovis celerius hominum mentes illustrantem. Hæc igitur omnia cogitantes, atque apertum promissionis futurorum bonorum argumentum ex iis quæ facta sunt capientes, invictam illam Crucifixi potentiam nobiscum adorate : ut et intolerandos cruciatus effugiatis, et sempiternum regnum assequamini : quod utinam nobis contingat, per gratiam et benignitatem, etc.

HOMILIA IX.

CAP. 4. v. 8. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur : aporiamur, sed non destituimur :* 9. *persequutionem patimur, sed non derelinquimur.*

1. In eo adhuc immoratur, ut ostendat omne hoc negotium divinæ potentiæ adscribendum esse : quo eorum arrogantiam coerceat, qui in seipsis gloriabantur. Non enim, inquit, hoc solum mirabile est, quod hunc thesaurum in fictilibus vasis asservemus ; sed etiam quod, cum sexcentis incommodis premamur, atque omni ex parte pulsemur, eum tamen tuemur nec amittimus. Et quidem si vel adamantinum vas esset, tanto tamen thesauro gestando, tantisque insidiis sustinendis impar esset : nunc autem et ferimus et per Dei gratiam nihil grave patimur. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.* Quid est ? *In omnibus ?* In hostibus, in amicis, in necessariis, in aliis, quorum penuria laboramus, ab hostibus, a nostris. *Sed non angustiamur.* Ac vide quomodo pugnantes res dicat, ut hinc quoque Dei vim commonstret. *Tribulationem patimur,* inquit, *sed non angustiamur : aporiamur, sed non destituimur :* hoc est, non ad extremum usque concidimus. Plerisque enim in locis dolemus, nec quod volumus assequimur, non sic tamen ut a propositis rebus excidamus : hæc quippe non eo permittit Deus ut vincamur, sed ut exerceamur. *Persequutionem patimur, sed non derelinquimur : dejicimur, sed non perimus.* Quamvis enim tentationes contingant, non ea tamen contingunt, quæ ex tentationibus oriri solent : idque per Dei potentiam et gratiam. Alibi autem hæc Deum ideirco permittere ait, tum ob ipsorum humilitatem, tum ad aliorum securitatem : *Ne* enim *insolentius efferar,* inquit, *datus est mihi stimulus* (2. *Cor.* 12. 7); et rursus, *Ne quis existimet de me supra id quod videt, et audit ex me* (*Ibid.* v. 6); et alio loco, *Ne fidentes simus in nobis ipsis* (*Ibid.* 1. 9) : hic vero, Ut Dei potentia elucescat.

Ex tentationibus quantum lucrum. — Videsne quantus quæstus ex tentationibus redeat ? Nam et Dei vim ostendebant, et gratiam amplius detegebant ; *Sufficit* enim *tibi gratia mea* (*Ibid.* 12. 9), inquit ; et ad humilitatem concitabant, alios compescebant, et illos tolerantiores efficiebant : *Patientia* enim, inquit, *probationem operatur, probatio spem* (*Rom.* 5. 4). Nam qui in quamplurima pericula inciderant, atque ex iis spe divina freti emerserant, hinc docebantur ut illi magis hærerent in omnibus. 10. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corpore nostro.* Quidnam erat hæc mortificatio Domini Jesu, quam circumferebant ? Mortes quotidianæ, per quas resurrectionis specimen edebatur. Nam si quis est, inquit, qui Christum mortem obiisse, atque resurrexisse non credat, in nos intueatur, qui singulis diebus morimur, atque ad vitam revocamur : ac tum resurrectioni fidem habeat. Viden' quomodo aliam adhuc tentationum causam invenerit ? Quam tandem ? *Ut et vita Jesu,* inquit, *manifestetur in corpore nostro ;* in eo videlicet, quod nos e periculis extrahat. Ita fit, ut quod infirmitatis ac derelictionis speciem habet, hoc ipsius resurrectionem prædicet. Neque enim, si nullis molestiis afficeremur, perinde ipsius potentia declarata fuisset, ut nunc declaratur, cum patimur nec tamen vincimur. 11. *Etenim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in nobis in carne nostra mortali.* Passim hunc morem tenet, ut cum quidpiam obscure dixerit, id rursus exponat : id quod hoc quoque loco fecit, illud quod dixerat apertius declarans. Propterea tradimur, inquit, hoc est mortificationem circumferimus, ut vitæ ipsius potentia perspicua fiat, non sinentis nimirum mortalem carnem tanta perpetientem, malorum agmine vinci. Hoc aliter quoque accipi potest. Quomodo ? Ut alio loco ait, *Si commoriamur, et convivemus* (2. *Tim.* 2. 11). Ut enim nunc ipsius mortem perferimus, atque ipsius causa vitam cum morte commutare volumus, ita etiam ipse exstinctos ad vitam revocare tunc volet. Nam si nos e vita ad mortem venimus, ipse quoque e morte ad vitam nobis dux erit. 12. *Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.* Non jam de corporea morte loquens, sed de tentationibus et de quiete. Nos enim in periculis ac tentationibus versamur, inquit ; vos autem in quiete vitam eam, quæ in periculis comparatur, percipitis : atque ea quidem, quæ cum periculo conjuncta sunt, ipsi sustinemus ; ut vos rebus secundis fruimini : neque enim pares tentationes suffertis. 13. *Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est : Credidi propter quod loquutus sum, et nos credimus propter quod et loquimur :* 14. *scientes quoniam qui suscitavit Dominum Jesum, et ipse suscitabit nos per Jesum.* Submonuit nos psalmi, insignem philosophiam complectentis, qui maxime possit in periculis excitare. Hæc enim verba vir justus pronuntiavit, cum in magnis periculis esset, et

e quibus non aliunde, quam per divinam opem, emergere poterat.

2. Quoniam igitur quæ cognata sunt, magnam ad consolandum vim habere solent, idcirco dixit : *Habentes eumdem spiritum ;* id est, eodem subsidio freti, quo ille e periculo ereptus est, nos quoque servamur : ex eodem spiritu, quo ille loquutus est, nos quoque loquimur. Quibus verbis illud ostendit, miram esse inter Novum et Vetus Testamentum concordiam, atque eumdem spiritum esse, qui in utroque vim suam exseruerit : illudque præterea, non nos solos in periculis versari, sed etiam veteres omnes ; ob idque fide ac spe animos erigendos esse, nec urgentium malorum finem statim petendum.

Christi resurrectio, omnium resurrectionem probat. — Postquam enim rationibus resurrectionem ac vitam demonstravit, illudque insuper, pericula imbecillitatis ac desertionis argumentum non esse, deinceps jam fidem etiam invehit, eique omnia committit. Quamquam ipsam quoque ut probet, Christi resurrectionem in medium affert, cum ait : *Nos quoque credimus, propter quod loquimur.* Quid credimus, heus tu ? *Quod is qui Christum suscitavit, nos etiam excitabit et constituet vobiscum.* 15. *Omnia enim propter vos, ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei.* Rursus animos eorum effert, ut non hominibus gratiam habeant, hoc est, pseudapostolis. Hoc enim totum Dei est, qui compluribus gratificari vult ut major gratia appareat. Propter vos quippe et resurrectio ipsius exstitit, et cætera omnia. Neque enim unius dumtaxat hominis causa hæc fecit, sed omnium. 16. *Propter quod non deficimus ; sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpitur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.* Quomodo corrumpitur ? Cum flagris cæditur, exagitatur, sexcentis acerbitatibus afficitur. *Is tamen, qui intus est, renovatur de die in diem.* Quo pacto renovatur ? Fide, spe, animi promptitudine. Restat igitur, ut ad pericula intrepidum animum afferamus. Quo enim pluribus incommodis corpus divexatur, eo lætiori spe animus fruitur, ac splendidior efficitur, non secus atque aurum, cui ignis diutius adhibetur. Ac vide quomodo præsentis vitæ molestias abstergat. 17. *Id enim quod in præsenti est momentaneum ac leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis,* 18. *non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Spe negotium conclusit, quodque in epistola ad Romanos dicebat : *Spe salvi facti sumus ; spes autem quæ videtur non est spes* (*Rom.* 8. 24) : hoc etiam hic adstruens, præsentia cum futuris componit : præsens cum æterno, leve cum gravi, tribulationem cum gloria. Ac ne hoc quidem contentus, alteram vocem adjungit, eamque conduplicat, cum ait : *Supra modum in sublimitate.* Deinde modum declarat, quo tot ac tantæ afflictiones leves efficiantur. Quonam igitur modo levantur ? *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Ita nimirum et præsentes molestiæ leves, et futurum illud præmium ingens erit, si a visibilibus nos abduxerimus. *Quæ enim videntur temporaria sunt.* Ergo et ejusmodi sunt afflictiones. *Quæ autem non videntur, æterna.* Igitur et coronæ quoque tales. Nec dixit, Tales sunt tribulationes, sed, *Quæ videntur* omnia, sive supplicium dicas, sive quietem : ut non sit cur aut hinc emollias, aut illinc frangaris. Quocirca nec de futuris verba faciens, dixit, Regnum æternum ; sed, *Quæ non videntur, æterna sunt,* sive regnum sit, sive cruciatus : ut et hinc terrorem nobis incutiat, et illinc nos adhortetur. Cum igitur quæ videntur temporalia sint, quæ autem non videntur, æterna, ad hæc oculorum aciem intendamus. Ecqua enim nobis excusatio futura est, si fluxa sempiternis prætulerimus ? Nam etsi suave est quod præsens est, non est tamen perpetuum ; at acerbitas, quæ ex hac suavitate nascitur, nec finem habet nec veniam. Quam enim excusationem habituri sunt, qui, cum spiritum acceperint tantoque beneficio affecti sint, abjectis tantum rebus incumbunt atque in terra collabuntur ? Etenim complures audio qui ridiculis hisce verbis utuntur : Da mihi hodiernum diem, et tu crastinum sume. Nam si talis est in futuro ævo rerum status, qualem dicitis, unum pro uno fuerit : si vero ex iis nihil omnino est, duo pro nihilo erunt. Quid his vocibus sceleratius, quid dementius fingi potest ? Nos de cælo disserimus, de arcanis et ineffabilibus illis bonis ; et tu verba e circo petita in medium profers, nec pudore suffunderis ea proloquens, quæ mente captorum hominum sunt, nec erubescis, præsentibus rebus ita infixus ? non desipere ac mente excedere desines, atque in juvenili ætate delirare ? Quod si hæc verba ex gentilium ore mitterentur, nihil mirum esset : at vero fide præditos homines ejusmodi sermones effutire, quam tandem veniam mereri id queat ? an spes illas immortales omnino suspectas habes ? an hæc prorsus incerta esse censes ? qua tandem venia hæc digna esse queant ? Et quisnam, inquiunt, ad nos venit, ac quæ illic gerantur exposuit ? Hominum sane nemo, sed Deus ipse, omnium fide dignissimus, hæc declaravit. Sed non vides res illas ? Neque enim Deum cernis : quid ergo, an proinde Deum esse non existimabis, quia eum non vides ? Et valde quidem existimo, inquies.

3. Igitur si quispiam ex infidelibus percontetur, Ecquis e cælo venit, atque hæc narravit : quid dicturus es ? unde nosti Deum esse ? Ab iis rebus quæ in aspectum cadunt, inquies, ab eo ordine, qui in rebus omnibus conditis elucet : hinc denique quod de eo inter omnes constat. Sic igitur sermonem quoque de extremo judicio excipe. Quo pacto, inquies ? Percontabor te ; tu vero responde. Justusne hic Deus, an cuique quod meretur tribuit ; an contra sceleratos florere atque in deliciis versari vult, probos autem contraria habere ? Minime, inquies : nam ne homini quidem hoc acciderit. Ubinam igitur, qui virtutem in hac vita coluerunt, bonis fruentur ? Ubinam rursus improbis pœna constituta erit, si nulla vita, nulla merces, aut pœna futura est ? Videsne, quod unum pro uno adhuc est, et non duo pro uno ? Ego vero illud tibi ostendam, ne unum quidem pro uno impro-

bos habere, sed duo pro uno justis futurum esse, peccatoribus vero et deliciantibus contra omnino. Nam qui in hac vita se voluptatibus dediderunt, ne unum quidem pro uno acceperunt : qui autem in virtute vitam ducunt, duo pro uno. Utri, quæso, in voluptate sunt, qui præsenti vita abusi sunt, an qui philosophiæ operam dederunt? Tu fortasse illos dices; ego autem hos esse ostendam, et quidem eos ipsos testes citans, queis præsentibus bonis frui contigit : nec vero ita perfricta fronte erunt, ut adversus ea quæ dicturus sum, niti audeant. Nam et pronubas sæpe diris omnibus devoverunt, ipsumque diem quo thalami strati sunt, eosque felices prædicarunt, qui uxorem non duxerunt. Multi quoque juvenes, cum ineundi matrimonii potestas esset, non aliam ob causam abnuerunt, quam ob rei incommoda. Nec vero hæc eo a me dicuntur, ut matrimonium accusem ; honorabile enim ; sed eos, qui eo præpostere usi sunt. Quod si ii qui matrimonium inierunt, acerbissimam plerumque hanc vitam esse judicarunt, quid de iis dicemus, qui in prostibulorum voraginem prolapsi sunt, ac captivo quovis servilius et miserius sese affecerunt? quid de iis, qui in deliciarum cœno computruerunt, ac sexcentis morbis corpus involverunt? At gloria pollere dulce est. Nihil hac servitute acerbius. Nam qui ita inanis gloriæ cupiditate captus est, ut quibuslibet placere studeat, mancipiis quibusvis servilior est : qui autem eam calcat, nec gloriam hominum curat, omnibus superior est. At opes habere est expetendum. Verum a nobis sæpe demonstratum est, eos magis divitiis et quiete frui, qui opibus vacui, nihil habent. Sed inebriari suave est. Et quis hoc dixerit? Quocirca si suavius est, inopem esse quam divitem, a matrimonio abstinere quam matrimonium subire, inanem gloriam aspernari quam appetere, a deliciis abhorrere quam deliciis studere : et hic plus habent ii qui præsentibus non sunt affixi. Hoc autem dico, quod vir quidem probus, tametsi innumeris tormentis excrucietur, habet tamen spem lætam, quæ ipsum fulciat : improbus contra etiam si innumeris voluptatibus fruatur, habet tamen futuri supplicii metum, voluptatem ipsius perturbantem. Nam ne hic quidem supplicii modus parvus est; contrarius vero, voluptatis et oblectationis. Est etiam tertius modus præter hos duos. Quinam tandem? Quod hujusce vitæ deliciæ ne tum quidem apparent, cum adsunt, utpote quas et natura et tempus coarguat : illæ contra non modo sunt, sed firmæ quoque manent. Viden' quod non modo duo pro nullo, sed etiam tria, quinque, atque adeo sexcenta pro nullo ponere poterimus? Quod ut exemplo intelligas, dives ille ac Lazarus, ille præsentia, hic futura percepit. An porro unum et unum esse statuis per omne tempus puniri, atque ad exiguam horam fame vexari? in mortali corpore ægrotare, et in immortali acerbum in modum igne cruciari? parvo illo morbo perfunctum, coronari et æternis postea deliciis circumfluere ; aut post brevem fructum sempiternis postea suppliciis torqueri? et quis hæc dixerit? Quid vis ponamus? qualitatemne an quantitatem? ordinem Dei aut sententiam de utroque latam? Quousque tandem scarabæorum in cœno semper sese volutantium verba loquemini? Neque enim hominum ratione præditorum est, animam, quæ tanti pretii est, pro re nullius momenti projicere, cum oporteret pro exiguo labore cælum capere.

Judicium futurum horrendum erit. — Visne ut aliunde te doceam, horrendum in altero ævo tribunal esse? Conscientiæ tuæ januam aperi, ac judicem in animo tuo velut pro tribunali sedentem intuere. Quod si tu, quamvis præpostero tui amore affectus, teipsum condemnas, nec iniquam sententiam ferre sustines; an non multo majori curæ jus Deo erit, atque incorruptum ille de omnibus judicium feret, nec temere hæc omnia ferri sinet? Ecquis tandem hoc dixerit? Nemo profecto : nam et Græci et barbari, et poetæ et philosophi, et omnes denique mortales in hoc nobiscum, etsi dispari modo, consentiunt, ac quædam in inferis tribunalia esse aiunt : usque adeo perspicua et indubitata hæc res est. Et cur, inquies, Deus hic non punit? Nimirum ut longanimitatem suam ostendat, nobisque per pœnitentiam viam ad salutem muniat, ac non universum mortalium genus funditus deleat, eosque qui per optimam vitæ mutationem salutem consequi poterant, priusquam ad eam perveniant, de medio tollat. Nam si de peccatis homines confestim pœnis ac morte afficeret, quomodo salutem accepisset Paulus, quomodo Petrus, principes illi, ac totius orbis magistri? quomodo David salutem ex pœnitentia percepisset? quomodo Galatæ, aliique plures? Quamobrem nec ab omnibus in hac vita pœnas expetit, sed ex omnibus illis paucis tantum supplicia infert; nec rursus in altero ævo de omnibus pœnas sumit, sed de aliis hic, de aliis illic : ut et per eos, quos hic plectit, vel stupidissimos excitet, et per eos, quos impunitos sinit, illud efficiat, ut futura exspectemus. Annon vides plerosque hic pœnas luere, ut eos qui turris ruina oppressi sunt, ut eos quorum sanguinem Pilatus cum sacrificiis commiscuit, ut Corinthios eos qui ob indigne percepta mysteria præmaturam mortem obierunt, ut Pharaonem, ut Judæos, qui a barbaris trucidati sunt, ut plerosque alios, et tunc et nunc, et perpetuo? Rursus alii multi, nullis hic scelerum pœnis persolutis, e vita discesserunt : ut dives ille Lazari tempore, aliique complures.

4. Hæc porro ideo facit, partim ut eos qui futura non credunt excitet; partim, ut eos, qui credunt ac segnitie laborant, diligentes reddat. Deus enim justus est judex et fortis et longanimis, nec per singulos dies iram inducit. Quod si ipsius longanimitate abutamur, erit tempus, cum jam ne tantillo quidem tempore longanimitatem adhibebit, verum statim pœnam inferet. Ne itaque, dum ad unicum momentum (momenti enim instar est hæc vita) deliciis indulgere volumus, infinitorum sæculorum pœnam nobis accersamus; verum ad momentum potius laboremus, ut perpetuis coronis cingamur. Annon

cernitis in hujusce quoque vitæ negotiis bonam hominum partem id facere, ac brevem laborem diuturnæ quietis causa suscipere : tametsi sæpe contra res evenit, quam sperabant? Hic enim laborum ac quæstus æqua est portio ; sæpe etiam infinitus est labor, fructus autem tenuis, ac sæpe ne tenuis quidem : atvero, cum de cælesti regno agitur, contraria est ratio : parvum enim laborem magna atque infinita jucunditas excipit. Perpende autem : agricola totum annum laborat, et in fine, spe et diuturnorum laborum fructu sæpe excidit. Rursus navis gubernator, et miles, ad extremam usque ætatem in bellis et laboribus versati, sæpe ita hinc excedunt, ut et ille mercium suarum opibus labatur, et hic vitam una cum victoria amittat. Ecquam ergo, te rogo, excusationem habituri sumus, qui cum in rebus fluxis ea, quæ cum labore conjuncta sunt, præferimus, ut parum conquiescamus, vel ne parum quidem (dubia quippe hæc spes est) ; in spiritualibus contrario omnino modo faciamus, ac propter exiguam ignaviam cruciatus qui nullis verbis explicari possint, nobis attrahamus? Quocirca vos omnes oro, ut tandem aliquando ex hoc stupore vos ipsos recipiatis. Nemo enim tum erit, qui nos e pœnis eximat, non frater, non pater, non filius, non amicus, non vicinus, non quisquam alius ; sed, si nos opera nostra prodiderint, omnia pessum ibunt, ac prorsus de nobis actum erit. Quantos dives ille luctus emisit, quantis precibus a patriarcha contendit, ut Lazarum ad se mitteret? Verum audi quid responsi ab Abrahamo tulerit : *Chaos magnum inter vos et nos : ita ut ne ii quidem, qui volunt illuc transire, id possint* (*Luc.* 16. 26). Quam obnixis precibus virgines illæ cum æqualibus suis egerunt, ut parum olei acciperent? Verum audi quid ipsæ quoque dicant : *Ne forte non sufficiat nobis et vobis* (*Matth.* 25. 9) ; nec potuit quisquam eas in thalamum introducere. Hæc itaque animis nostris reputantes, nos quoque vitæ nostræ curam geramus. Nam quoslibet labores dixeris, quoslibet cruciatus admoveris, nihil hæc omnia erunt, si cum futuris bonis conferantur. Pone enim, si ita lubet, ignem et ferrum et belluas, ac si quid his acerbius est ; hæc tamen præ tormentis illis ne umbræ quidem sunt. Hæc quippe, cum vehementius adhibentur, tum potissimum levia efficiuntur, quod cito transeant, quod corpus ferendæ doloris acerbitati ac diuturnitati minime par sit. Atvero illic secus res habet : nam et longinquitas et incredibilis quædam magnitudo simul concurrunt, tam in rebus jucundis quam in acerbis. Proinde, quamdiu tempus est, præoccupemus faciem Domini in confessione, ut tum eum suavem ac placidum cernamus, ac minaces illas potestates effugiamus. Annon hos lictores conspicis, qui præfectis administram operam navant, quomodo trahant, quomodo vinciant, quomodo flagris afficiant, quomodo latera perfodiant, quomodo faces in tormentis admoveant, quomodo secent? Atqui hæc cuncta merus ludus ac risus sunt, si cum illis suppliciis comparentur. Etenim hoc tormenta temporaria sunt ; illic autem nec vermis moritur, nec ignis exstinguitur : corpus quippe tunc incorruptibile erit. Faxit autem Deus, ne hæc experimento discamus, sed intra verba hi terrores consistant, nec carnificibus illis tradamur, verum hic potius castigemur. Quantum verborum tum profundemus, nos ipsos accusantes! quos gemitus, quos singultus edemus! Sed tunc nihil inde fructus consequemur ; quandoquidem et nautæ fracta ac depressa nave nihil prodesse possunt, nec medici exstincto ægroto ; verum sæpe quidem dicent, quod hoc atque illud facere oportebat ; sed frustra omnia atque incassum dicentur. Quamdiu enim per vitæ ac morum emendationem salutis spes adhuc maneat, nihil non dicere ac facere opus est : cum autem nulla jam res arbitrii nostri erit, re tota perdita et corrupta, tum frustra et dicentur omnia et fient. Nam et Judæi tum dicturi sunt, *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Jonæ* 12. 13) : at nullum hujus vocis fructum capere poterunt, ut pœnam effugiant : cum enim hoc dicendum erat, non dixerunt. Ne ergo hoc quoque nobis in vita accidat, hic jam vitam in melius commutemus, ut ad Christi tribunal cum omni fiducia sistamur : quam utinam omnes consequamur per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, etc.

HOMILIA X.

Cap. 5. v. 1. *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus tabernaculi dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.*

1. Rursus eorum alacritatem excitat, quia multæ ipsis tentationes inferebantur. Verisimile enim erat eorum animos ob ipsius absentiam debilitatos fuisse. Quid igitur ait? Nihil est quod miremur ac perturbemur ob calamitates eas, quibus afficimur : multa enim commoda hinc percipimus. Quorum alia quidem prius dixit, ut, quod mortificationem Jesu circumferamus, ac potentiæ ipsius specimen maximum exhibeamus ; *Ut enim*, inquit, *sublimitas virtutis sit Dei* ; et perspicuum resurrectionis argumentum edimus ; ut ex his patet, *Ut vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali*. Posteaquam autem illud præterea dixit, interiorem quoque nostrum hominem hoc pacto meliorem fieri ; *Etsi* enim, inquit, *is qui foris est noster homo corrumpitur, is tamen qui intus est renovatur de die in diem* ; ostendens rursum quantum utilitatis afferat vapulare ac divexari, illud subjungit, quod cum plene atque integre hoc fit, tum innumera bona iis, qui hæc incommoda pertulerint, hinc pullulabunt. Etenim ne externum tuum hominem corrumpi audiens animo discrucieris, hoc asserit quod cum istud plene atque omnino acciderit,

tum maxime gaudebis atque ad meliorem sortem venies. Itaque non modo non est dolendum, cum ille aliqua ex parte nunc corrumpitur; verum etiam, ut omni ex parte corrumpatur, expetendum est: hæc enim corruptio ad incorruptionem maxime te ducit: ac proinde hæc quoque subjungit, *Scimus enim quia si terrestris domus nostra hujus tabernaculi dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus, non manufactam æternam in cælis.* Quia enim resurrectionis doctrinam, in qua potissimum ægrotabant, rursus prosequitur, idcirco auditorum judicium etiam assumit, eamque hoc pacto adstruit; non tamen perinde ut ante, sed velut ex altera occasione in eum sermonem ingressus: jam enim eorum errorem correxerat; aitque, *Scimus quod si terrestris domus nostra hujus tabernaculi dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis.* Sunt qui per terrestrem domum mundum hunc intelligant: ego vero his verbis corpus potius subindicari contenderim. Atque hic velim consideres, quomodo per nomina ipsa ostendat, quantum futura præsentibus antecellant. Nam cum terrestrem dixisset, cælestem opposuit; cum tabernaculi domum, quo verbo fluxam et fragilem ipsius naturam declarat, æternam objecit: Etenim tabernaculi nomen plerumque temporarium quiddam indicat: ac proinde aiebat Christus, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* 14. 2). Quod si Scriptura quietem sanctorum tabernaculi nomine usquam appellat, non simpliciter dicit tabernacula, sed cum addito: non enim dixit, Ut vos recipiant in tabernacula, sed, *In æterna tabernacula* (*Luc.* 16. 9). Jam vero cum dixit, *Non manufactam*, eam, quæ manu constructa est, subindicavit. Quid igitur, corpusne manu conditum est? Minime vero: sed vel domos manufactas designat; vel si non ita, domum tabernaculi corpus non manufactum vocavit. Non enim ad comparationem illud opposuit, sed encomia et laudes adjiciens. 2. *Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes.* Quam habitationem? Corpus a corruptione alienum. Et cur nunc ingemiscimus? Quoniam illud longe melius est. De cælo autem ipsum esse ait, quia ab omni corruptione immune est. Non enim corpus e cælo ad nos delabitur, sed hoc vocabulo gratiam illinc manantem indicat. Quocirca tantum abest ut ob certum aliquod tentationum genus dolendum sit, ut etiam quodvis tentationum genus expetere debeamus: ac si diceret, Ingemiscis ob persequutiones, et quia externus tuus homo corrumpitur? imo ingemisce quod non majorem in modum hoc fiat, nec in totum corrumpatur. Videsne quonam pacto sermonem in contrarium verterit; ostendens ideo ingemiscendum esse, quod non confertim venerint, cum illi ingemiscant quod per partes veniant? Ideo jam corpus non tabernaculum appellat, sed habitationem; idque non sine magna ratione. Tabernaculum enim facile dissolvitur, illud autem perpetuo manet. 3. *Si tamen vestiti, non nudi inveniamur.* Hoc est, etiamsi corpus deposuerimus, non tamen sine corpore illic sistemur, sed cum eodem incorruptibili effecto. Quidam dicunt, id quod admodum probo: *Si quidem vestiti, non nudi inveniamur.* Ne enim omnes ob resurrectionem confidant, ait, *Si tamen vestiti:* hoc est, incorruptibilitatem atque immortale corpus consequuti; *ac non nudi inveniamur*, gloria ac securitate. Id quod in superiore quoque ad Corinthios epistola dicebat, *Omnes quidem resurgemus, et in suo quisque ordine* (1. *Cor.* 15. 23); et, *Sunt corpora cælestia, sunt et terrestria* (*Ibid. v.* 40). Nam communis est omnium resurrectio, sed gloria non item communis est: verum alii cum honore, alii cum ignominia, alii ad regnum, alii ad pœnam resurrecturi sunt. Quod etiam ipsum hic indicavit cum dixit, *Si tamen vestiti ac non nudi inveniamur.* 4. *Nam et nos, qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri.*

2. Hoc rursum loco plene atque aperte hæreticorum ora obstruxit, cum ostendit, se non de alio atque alio corpore simpliciter verba facere, sed de corruptione atque incorruptione. Neque enim ea nobis ingemiscendi causa est, ut corpore liberemur (hoc quippe non exuere volumus); verum de corruptione, quæ ipsi inest, solvi properamus. Unde etiam dicit, Nolumus corpus exuere, sed ipsum incorruptione supervestire. Atque hæc verba mox exponit, *Ut absorbeatur, quod corruptibile est, a vita.* Quia enim molestum plerisque esse videbatur corpus deponere, atque cum omnium mortalium suffragiis pugnabat, dicens, *Ingemiscimus*, nolentes eo liberari, (si enim anima cum ab ipso disjungitur, in tanto luctu versatur, quorsum hoc ais, nos idcirco ingemiscere, quod non ab eo distrahamur?), ne igitur hæc ipsi objiciantur, occurrit et ait: Non ego hoc dico, quod ob id ingemiscamus, ut corpus deponamus (nemo enim est, qui sine animi mœstitia ipsum deponat: quippe cum de Petro quoque dicat Christus, *Tollent te, ac ducent quo non vis* [*Joan.* 21. 18]); sed ut immortalitatis veste ipsum superinduamus. Hoc enim est, per quod corpore gravamur, non quod corpore convestiti sumus, sed quod corruptibili et passibili corpore; nam hoc est quod nobis mœrorem affert: verum accedens vita corruptionem conficit atque absumit, non item corpus. Et quomodo hoc fit, inquit? Ne quæras, Deus hoc facit: ne curiose hoc exquiras. Unde etiam subjecit: 5. *Qui autem nos effecit in hoc ipsum, Deus.* Quibus verbis ostendit hæc jam olim decreta fuisse. Non enim nunc primum ita visum est Deo, sed cum a principio nos ex terra formavit, atque Adamum condidit. Nec vero eum in hoc condidit, ut moreretur, sed ut immortalem eum efficeret. Postea ut fidem dictis adstrueret, subjunxit, *Qui etiam dedit nobis pignus Spiritus.* Nam et tunc in hunc finem hominem effinxit, et nunc per baptismum effecit, ejusque rei non parvum nobis pignus præbuit, nempe Spiritum sanctum. Frequenter autem pignoris vocabulo utitur, tum ut demonstret se totius hujus rei debitorem esse, tum ut majorem fidem apud obtusiores verbis suis conciliet. 6. *Audentes igitur semper*

ac scientes. Audentes dixit propter persequutiones, insidias ac mortes assiduas, perinde ac si diceret : Exagitat te aliquis, insectatur, obtruncat? ne animo concidas, bono tuo hoc omne fit : ne timeas, sed confide. Id enim, de quo ingemiscis et doles, nimirum quod corruptioni servias, deinceps de medio tollit, atque ex hac servitute celerius liberat. Ac proinde dicit, *Audentes igitur semper;* non modo in quiete, sed etiam in afflictionibus ; *et scientes quoniam dum versamur in corpore, peregrinamur a Domino :* 7. *per fidem enim ambulamus et non per speciem :* 8. *audemus autem, et bonam voluntatem habemus peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum.* Quod omnibus sublimius est, posteriore loco posuit : præstantius enim est cum Christo esse, quam corpus a corruptione liberum accipere. Hoc autem vult significare : Vitam nostram is non exstinguit, qui nos oppugnat, ac morte afficit : ne timeas : confide cum conciderís. Neque enim ille dumtaxat te a corruptione vindicat, ac gravi sarcina levat, sed etiam ad Dominum confestim transmittit. Ideo non dixit, Dum sumus in corpore, quasi hic simus in externa regione. *Scientes igitur quod dum versamur in corpore, peregrinamur a Domino : audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse apud Dominum.* Viden' quo pacto molesta illa mortis et obitus vocabula reticens, alia perquam suavia in eorum vicem substituerit, præsentiam nimirum ad Deum ea nuncupans ; ac prætermissis illis vocabulis, quæ jucunditatis speciem habebant, quæ ad vitam pertinent, a tristibus nuncupavit, peregrinationem a Domino vitam hanc appellans ? Hoc autem eo consilio fecit, ne quisquam in præsentibus libenter immoretur, sed ea potius graviter ferat ; nec rursus, ex hac vita excessurus, perturbetur, sed potius lætetur, ut ad majora bona proficiscens. Postea, ne quis hæc audiens, *Peregrinamur a Domino,* diceret : Quid ais ? num a Deo abalienamur, quia hic sumus ? objectionem hanc prævertens, dixit, *Per fidem enim ambulamus, non per speciem;* atque hic quidem ipsum noscimus, sed non ita clare. Id quod alio loco dicit, *Per speculum,* et, *In ænigmate* (1. *Cor.* 13. 12). *Audemus autem, et bonam voluntatem habemus.* Papæ, quo sermonem circumduxit ! nempe ad summum mortis desiderium ; id, quod molestum est, suave esse ostendens, et quod suave, molestum. Quod enim ait, *Bonam voluntatem habemus*, id est, expetimus. Quid expetimus? Excedere e corpore, atque apud Dominum præsentes esse. Hoc autem, ut jam dixi, Paulus semper facit, ut eorum, qui ipsi adversantur, sermonem in contrarium torqueat. 9. *Unde et contendimus, sive præsentes sive absentes, ipsi placere.* Hoc enim nobis propositum est, inquit, ut sive illic sive hic simus, ex ipsius voluntate et sententia vivere : hoc enim studio nihil est nobis antiquius. Itaque hinc jam regnum habes sine probatione. Nam ne rursus, cum in tantam cupiditatem venissent, illius peregrinationis moras ægre ferrent, hic jam ipsis, quod bonorum omnium caput est, tribuit. Quid illud est ? Ut Deo grati sint. Neque enim simpliciter hinc excedere præclarum est, sed excedere cum vitæ probitate ; hinc enim præclarum quoque illud effieitur : nec rursus hic simpliciter esse grave est, sed cum offensione Dei hic esse.

3. Cave ergo existimes excessum e corpore sufficere : virtute quippe ubique est opus. Sicut enim, cum resurrectionis vocabulo usus esset, non sivit nos in ea sola fiduciam habere, dicens, *Si tamen vestiti, et non nudi inveniamur :* sic, cum peregrinationem ostendisset, ne eam tibi ad salutem satis esse crederes, hoc adjecit, placere Deo oportet. Postquam igitur a multis rebus lætis eorum animos incitavit, deinceps a tristioribus metum incutit. Quod enim utile est, tam in bonorum adeptione, quam in malorum fuga consistit, quæ quidem sunt gehenna et regnum. Cæterum quoniam pœnam effugere majorem vim habet : nam plerique jacturam bonorum facile ferrent ; si autem tormenta sint ferenda, non item ; oporteret enim priorem jacturam intolerabilem existimare ; sed ex infirmitate et abjectione multi pœnam graviorem existimant) : quoniam ergo magnam auditorum partem bonorum largitio non perinde excitat, ut tormentorum comminatio, necessitate compulsus sic sermonem concludit : 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Mox tamen, ubi tribunalis illius memoria auditorem terruit, ne hic quidem tristia sine lætis posuit, sed voluptate quadam miscuit, dicens : *Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.* Quibus verbis et eos, qui præclare se gesserant atque vexabantur, in spem erigit, et eos qui conciderant, injecto terrore diligentiores reddit : ac denique corporum resurrectionem confirmat. Non enim, inquit, id quod tum ad virtutem, tum ad vitium operam dedit, a præmio vel pœna excludetur ; sed una cum animis corpora partim excruciabuntur, partim coronas consequentur. At sunt hæretici, qui aliud corpus resurgere asserant ? Unde hoc quæso ? aliud peccavit, aliud punitur ? aliud recte fecit, aliud coronatur ? Quid ad hæc Pauli verba dicturi estis, *Nolumus spoliari, sed supervestiri ?* quomodo id quod corruptibile est, a vita absorbetur ? Nec enim dixit Paulus, Ut absorbeatur mortale, vel corruptibile corpus ab incorruptibili corpore ; sed, *Ut corruptio a vita.* Hoc enim tum contingit, cum illud ipsum corpus ad vitam redit. Quod si relicto illo aliud exstruatur, non jam absorbetur corruptio, sed manet ac dominatur. Quocirca minime hoc fit ; verum oportet corruptibile hoc, corpus nempe, induere incorruptionem. Corpus enim in medio est, ac nunc in corruptione est, post autem in incorruptione erit : ideo in corruptione prius, quoniam incorruptio solvi non poterat. *Neque* enim *corruptio,* inquit, *incorruptionem hereditate possidebit* (1. *Cor.* 15. 50) ; quomodo enim posset cum sit incorruptio ? verum contra corruptio a vita absorbebitur. Illa enim hanc vincit ; hæc autem illam non item. Ut enim cera ignis ardore colliquescit, cera autem ignem non solvit : sic corruptio ab incorru-

pibilitate solvitur atque exstinguitur, huic autem illa dominari numquam poterit. Audiamus ergo vocem Pauli dicentis, *Oportet nos sisti ad tribunal Christi* : ac tribunal illud animo depingamus, existimemusque ipsum jam adesse, ac vitæ rationes a nobis exposci. Ego enim fusius exponam. Nam Paulus, quia de afflictione sermonem habebat, nec eos rursum premere volebat, non diutius in hac oratione immorandum esse duxit, sed paucis his verbis, *Unusquisque referet prout gessit*, id quod acerbitatem afferebat complexus, statim ulterius transiit. Existimemus igitur diem illum extremum nunc adesse : quisque conscientiam consideret, fingatque animo adesse jam Judicem, omniaque detegi atque in medium proferri : neque enim sisti tantum nobis necesse est, sed etiam manifestari. An non erubuistis ? an non mente excessistis ?

Judicii postremi descriptio. — Quod si nunc re nondum præsente, sed efficta dumtaxat atque animo adumbrata, conscientia nostra pene nos exanimat ; quid tandem faciemus, cum dies ille venerit, cum totus orbis terrarum adfuerit, cum angeli et archangeli, cum densa agmina, atque omnium cursus, et raptus in nubibus, et acies tremoris plena ? cum tubæ aliæ atque aliæ, et continuæ illæ voces ? Nam, etiamsi nulla gehenna esset, tamen in tanto splendore rejici et cum ignominia secedere, quantum tormentum esset ? Etenim si Imperatore cum suis urbem ingrediente, suam quisque nostrum paupertatem intuentes, non tantum ex hujusmodi spectaculo voluptatis, quantum ex eo, quod earum rerum quæ circum Imperatorem sunt nullo modo participes efficimur, nec prope eum qui rerum potitur sumus, mœroris capimus ; quid tum futurum est ? an vero leve tormentum esse censes, non adscribi in illum chorum, ad arcanam illam gloriam non admitti ? ab illa celebritate ac bonis, quæ nullo sermone explicari possunt, procul ac longe projici ? Cum vero tenebræ insuper sint, et dentium stridor, et vincula insolubilia, et vermis immortalis, et ignis numquam exstinguendus, et oppressio atque angustia, et linguæ conflagratio, quemadmodum illa divitis, cum ejulemus et nemo audiat ; ingemiscamus ac præ dolorum acerbitate rugiamus, et nemo attendat ; in omnes partes oculos convertamus, et nusquam sit qui solatium ferat : quo tandem loco eos constituemus, qui in tanta calamitate versabuntur ?

4. Quid illis animis miserius ? quid miserabilius ? Nam si, cum in carcerem quemdam ingressi, alios squalore confectos, alios catenis vinctos ac fame borantes, alios in tenebris clausos conspicimus, animis commovemur ac perhorrescimus, nihilque non facimus, ut ne in eum locum incidamus : cum ad ipsos gehennæ equuleos abrepti trahemur, quinam futuri sumus ? Non enim vincula illa ex ferro confecta sunt, sed igne perpetuo ardente ; nec nobis æquales ii, qui cruciandis nobis præficientur, quos etiam sæpenumero placare queas ; sed angeli, quos ne obtueri quidem possis, propter eas quas Domino intulimus contumelias ira flagrantes. Nec vero, ut in hac vita, cernere est alios qui pecuniam, alios qui cibum, qui cohortatorios sermones afferant, consolationemque aliquam ; verum omnia illic venia carent : etiamsi adsit Noe, etiamsi Job, etiamsi Daniel (*Ezech.* 14. 15), ac propinquos excruciari videat, iis auxilio esse non audet. Nam tum omnis illa commiseratio, a natura indita, exstinguitur. Quia enim ita fieri potest, ut improborum parentes justi sint liberorum, ac contra improborum parentum justi filii ; ut pura atque omni mœrore vacua lætitia sit, nec ii qui bonis illis fruuntur, commiserationis necessitate torqueantur : hunc quoque commiserationis affectum in eis exstingui assero, ipsosque una cum Domino adversus viscera sua iracundia incendi. Nam si vulgares etiam homines, cum filios suos improbos esse vident, eos abdicant atque a familia exscindunt ; multo sane magis id tum justis usu venturum est. Quocirca nemo sibi bona polliceatur, si nihil boni fecerit, quamvis sexcentos etiam justos avos habeat : *Unusquisque enim referet, prout gessit, propria corporis.* Atque hic scortatores mihi perstringere videtur, ac futurorum suppliciorum metum ipsis injicere ; nec ipsis dumtaxat, sed et omnibus qui in alio scelere sese devinciunt. Hæc igitur nos quoque audiamus : si libidinis igne flagras, ignem illum oppone ; atque hic confestim exstinguetur et evanescet : si quid, quod absonum sit, loqui gestis, dentium stridorem cogita ; et freni instar tibi hic metus erit : si vis cuipiam aliquid eripere, audi Judicem imperantem ac dicentem, *Ligate manus ejus ac pedes, et ejicite eum in tenebras exteriores* (*Matth.* 22. 13) : ita fiet, ut hanc cupiditatem exturbes. Si vino deditus es, nec a crapula abstrahi potes, audi divitem illum dicentem, Mitte Lazarum, ut extremo digito suo linguam meam ignis ardore conflagrantem refrigeret (*Luc.* 16. 24), nec tamen id obtinentem : ita hoc vitio laborare desines. Si deliciarum amore teneris, afflictionem illam et angustiam cogita, et delicias ne quidem cogitabis : si sævus et crudelis es, virginum illarum tibi in mentem veniat, quæ ob exstinctas lampadas ad thalamum minime admissæ sunt ; et humanitatem quam primum indues. Sed segnitie ac languore torpes ? Cogita eum qui talentum abscondit ; et ignem ipsum acrimonia vinces. Sed fortasse alienarum opum cupiditas te arrodit ? Vermem illum immortalem in mente habe ; ac perfacile hunc morbum profligabis, et alia omnia Dei præcepta explebis : neque enim ille quidquam durum ac grave imperavit. Unde fit igitur, ut quæ edixit, molesta nobis videantur ? Est socordia nostra et inertia. Ut enim, si studium ac diligentiam adhibeamus, etiam quæ intoleranda videntur, facilia et levia erunt ; ita si desidia laboremus, etiam quæ tolerabilia sunt, difficilia nobis apparebunt. Hæc itaque omnia cogitantes, non eos qui deliciis indulgent spectemus, sed quis eorum sit exitus ; hic nempe stercus et corporis obesitas, illic vermis et ignis : non eos qui

aliena rapiunt, sed quis eorum sit finis ; hic videlicet curæ ac metus et angores, illic vincula insolubilia : non eos qui gloriæ studio ducuntur, sed quid ex ea nascatur ; hoc est, servitus hic et simulationes, illic damnum intolerabile ac perpetuus flammæ cruciatus. Nam si hæc cum animis nostris disseramus, et similia pravis cupiditatibus nostris occinamus, cito præsentium rerum amorem expellemus, et futurarum incendemus. Incendamus igitur eum atque inflammemus. Nam si harum rerum cogitatio, quamvis obscura sit, tantam affert voluptatem : cogita, quæso, quantum oblectamenti perspicua earum fruitio nobis allatura sit. Beati ac ter et sæpius beati, quibus bonis illis frui contigit : quemadmodum contra miseri ac ter miseri, qui contraria his mala patiuntur. Ut ergo ex illorum, non ex horum numero simus, virtutis studium capessamus : sic enim ad futura bona perveniemus : ad quæ utinam pervenire nobis omnibus detur, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et sancto Spiritu sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XI.

Cap. 5. v. 11. *Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus : spero autem nos et in conscientiis vestris manifestos esse.*

1. Hæc igitur scientes, inquit, hoc est, horrendum illud tribunal, omnem operam adhibemus, ut ne ansam ullam vobis demus aut offendiculum aut falsam aliquam adversum nos malæ actionis suspicionem. Viden' accuratum vitæ institutum studiumque animæ sollicitæ ? Neque enim tum solum accusamur, cum quid mali perpetravimus ; sed quamvis etiam nihil perpetremus, tamen si in suspicionem veniamus, nec eam amoliri, cum liceat, curemus, pœnas utique subituri sumus. 12. *Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem vobis damus gloriandi pro nobis.* Vide quomodo frequenter ejusmodi suspicionem a se removeat, quasi suas ipse laudes canere videatur. Nihil enim perinde auditorum animos offendit, ut cum quis magna et eximia quædam de se prædicat. Quoniam igitur in hujus argumenti sermonem incidere necesse habuerat, correctionem adhibuit dicens : Hoc vestri causa feci, non nostra, ut habeatis unde gloriemini, non nos : neque id simpliciter, sed propter falsos apostolos. Unde etiam subdidit, *Ad eos qui in facie gloriantur, et non in corde.* Videsne ut hos ab illis abduxerit, atque ad suas partes pertraxerit, cum illud ostendit, quod ipsi quoque Corinthii occasionem aliquam arripere cupiant, qua ipsius causam tueri, iisque a quibus in crimen vocabatur respondere queant ? Non enim, inquit, hæc eo dicimus, ut ipsi gloriemur, sed ut vos pro nobis liberam vocem mittere possitis : id quod hominis erat ingentem illis erga se amorem testificantis : nec vero ut tantum gloriemini, sed etiam ut ne ab ipsis in fraudem impellamini. Illud tamen haud aperte dicit, verum mitioribus aliis verbis eamdem rem aggreditur, ac citra illorum perstrictionem dicens : *Ut habeatis unde gloriemini ad eos, qui in facie gloriantur.* Ac ne hoc quidem temere et sine causa ab iis fieri vult, sed tum demum, cum eos insolentius sese efferre conspexerint : ubique enim occasionem exquirit. Non igitur, ut seipsum illustrem ostendat, sed ut illos, præpostere atque in Corinthiorum detrimentum sese venditantes, compescat, hoc facit. Quid autem est *In facie ?* In iis, quæ oculis cernuntur, atque ad ostentationem tendunt. Tali enim animo illi præditi erant, ut qui ad honores et gloriam actiones suas omnes referrent intusque inanes essent, ac pietatis quidem larvam gererent gravitatisque speciem haberent, cæterum bonis operibus carerent. 13. *Sive enim mente excedimus, Deo ; sive sobrii sumus, vobis.* Sive enim, inquit, magni aliquid loquamur (nam hoc mentis excessum vocat, ut et alio loco insipientiam), Dei causa facimus, ne vos, dum de nobis ut vilibus existimatis, contemptui nos habeatis ac pereatis : sive humile aliquid ac demissum, vestri gratia hoc facimus, ut modeste de vobis sentire discatis. Vel etiam hoc ait, Si quis nos insanire existimat, a Deo propter quem in hanc suspicionem venimus, mercedem efflagitamus : sin autem nos sanæ mentis esse censet, fruatur ille sane nostra sobrietate. Ac rursus aliter, Insanire nos quispiam dicit ? Propter Deum hujusmodi insania laboramus : unde etiam subdit, 14. *Caritas enim Dei urget nos : æstimantes hoc.* Non modo, inquit, futurorum metus, sed etiam quæ jam contigerunt, non sinunt nos desidia torpere atque obdormiscere ; verum ad suscipiendos salutis vestræ causa labores exsuscitant atque impellunt. Quænam autem sunt ea, quæ jam contigerunt ? *Quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Ergo ita loquitur Paulus, ac si omnes periissent. Neque enim pro omnibus Christus mortem oppetiisset, nisi omnes mortem obiissent. Hic enim sunt salutis occasiones, illic autem non item. Proinde *Caritas*, inquit, *Dei urget nos*, nec sinit conquiescere. Extremæ enim miseriæ fuerit, ac vel gehenna ipsa atrocius, cum ille tam præclarum facinus ediderit, inveniri quosdam qui ex tanta ipsius cura nullum fructum capiant. Magnæ enim ac singularis cujusdam est caritatis, pro tanto terrarum orbe, atque ita affecto, mortem subiisse. 15. *Ut qui vivunt, non jam sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est ac resurrexit.* Si itaque nos nobisipsis vivere non oportet, ne turbemini, inquit, neque tumultuemini, instantibus periculis et morte. Ac rationem haud dubiam affert, quamobrem id facere debeamus. Etenim cum per ipsum morte functum vivamus, ei utique, per quem vivimus, vivere debemus. Atque unum et idem

esse videtur id quod dictum est : cæterum si quis ac curate rem expendat, duo hæc esse comperiet ; unum nimirum, quod propter ipsum vivimus, alterum quia ipse nostri causa mortuus est. Quorum utramque, vel seorsim consideratum, nos ei obnoxios reddere queat : cum autem ambo in unum confluant, cogites velim quanto ei beneficio sis devinctus. Imo tria hæc sunt. Etenim primitias propter te excitavit, atque in cælum evexit : unde etiam addidit, *Ei qui pro nobis mortuus est ac resurrexit.* 16. *Itaque nos ex hoc jam neminem novimus secundum carnem.* Nam si omnes mortui sunt, et omnes resurrexerunt, atque ita mortui sunt, ut peccati tyrannis eos condemnabat ; resurrexerunt autem per regenerationis lavacrum et Spiritus sancti renovationem ; jure dicit, *Neminem* fidelium *novimus secundum carnem.* Etsi enim in carne sunt, quid tum ? Nam carnalis illa vita interiit : ac desuper in Spiritu geniti sumus, atque aliam vitæ rationem aliumque vitæ statum, nimirum eum qui in cælis est, novimus. Ac rursum hujus beneficii auctorem Christum esse ostendit, ac propterea subjunxit : *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.*

2. Quid igitur ? dices, an carnem exuit, ac nunc corporis est expers ? Apage : nam nunc quoque in carne est. *Hic* enim *Jesus, qui a vobis assumptus est in cælum, sic veniet* (*Act.* 1. 11). Quomodo, sic ? In carne videlicet, et cum corpore. Cur ergo dicit, *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus ?* Cum de nobis sermo est, *Secundum carnem*, idem est, quod in peccatis esse ; contra, *non secundum carnem*, idem quod in peccatis non esse : at cum de Christo sermo habetur, secundum carnem nihil aliud significat, quam in naturæ affectionibus esse, ut in fame, in siti, in fatigatione, in somno. *Peccatum enim non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*Isai.* 53. 9). Atque ideirco dicebat, *Quis ex vobis arguet me de peccato ?* et rursus : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* 8. 46. *et* 14. 30). Illud vero, *non secundum carnem*, nihil aliud indicat, quam eum hujusmodi affectionibus jam vacare, non autem quod extra carnem sit. Nam cum hac quoque, impatibili jam atque immortali, ad judicium de orbe ferendum venturus est. Ad quam etiam dignitatem nos proficiscemur, cum corpus nostrum conforme effectum fuerit corpori claritatis ipsius (*Philipp.* 3. 21). 17. *Itaque si qua in Christo nova creatura.* Postquam enim a caritate ad virtutem incitavit, jam ab ipsis quoque rebus ad eam nos exstimulat : ac propterea subjungit, *Itaque si qua in Christo nova creatura.* Si quis ipsius fidem amplexus est, inquit, ad alterum opificii genus venit : etenim superne per Spiritum genitus est. Atque ideo par est ut ipsi vivamus, non tantum quia nostri juris non sumus, aut quia ipse pro nobis mortem oppetiit, aut quia primitias generis nostri a morte ad vitam revocavit, sed etiam quia ad alteram vitam accessimus. Vide quot æquas rationes afferat, cur recte nobis ducenda vita sit. Nam ob id quoque crassiore vocabulo correctionem hujusmodi appellandam censuit, ut magnam migrationem ac vitæ commutationem ostendat. Postea ulterius prosequens id quod dixit, atque ostendens quomodo nova creatura simus, *Vetera transierunt*, inquit; *ecce facta sunt omnia nova.* Quænam vetera ? Peccata et impietates ; vel etiam Judaicæ omnes ceremoniæ ; vel potius hæc simul et illa. *Ecce facta sunt omnia nova.* 18. *Omnia autem ex Deo.* Nihil a nobis profectum est. Nam et peccatorum condonatio et adoptatio et gloria incorrupta ipsius munere nobis concessa est. Non enim jam a futuris tantum, sed a præsentibus quoque illos cohortatur. Attende enim : dixerat fore ut resurgeremus, atque ad incorruptionem veniremus, domumque sempiternam haberemus : verum quoniam apud eos, qui futura non perinde ut oportet credunt, præsentia majorem ad excitandos animos vim habent quam futura, quanta jam acceperint demonstrat, et qui tum essent, cum hujusmodi beneficiis ornati sunt. Quinam ergo erant ? Mortui utique omnes (*Omnes* enim *mortui sunt ;* et *pro omnibus mortuus est :* tanto erga omnes amore flagrabat), ac vitii senio et vetustate omnes confecti.

Omnia jam nova sunt, quomodo. Apostolorum dignitas.—At ecce jam anima nova (purgata enim est), et corpus novum, et novum adorationis genus, et pollicitationes novæ, et Testamentum, et vita, et mensa, et vestis, et omnia nova sunt. Etenim pro terrena Jerusalem cælestem metropolim accepimus ; pro visibili templo templum spirituale cernimus, pro lapidei stabulis carneas, pro circumcisione baptismum, pro manna corpus Dominicum, pro aqua e petra cruorem e latere profluentem, pro virga Mosis aut Aaronis crucem, pro terra illa Judæis promissa cælorum regnum, pro sexcentis sacerdotibus unum pontificem, pro agno rationis experte agnum spiritualem. Hæc aliaque Paulus animo volvens, dicebat, *Nova facta sunt omnia. Omnia autem ex Deo :* per Christum videlicet, ac per beneficium ab eo acceptum. Unde etiam subjungit, *Qui nos reconcilians sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis.* Ex hoc enim omnia bona. Nam ei qui nos amicos reddidit, eidem quoque alia accepta referenda sunt, quæ Deus nobis in amicitiam receptis largitus est. Neque enim nos hostes manere sinens hujusmodi munere affecit, sed prius in amicitiam ipsius restitutos. Porro cum aio Christum reconciliationis nobis auctorem exstitisse, Patrem quoque dico : cum dico Patrem dedisse, Filium quoque dico, *Omnia* enim *per eum facta sunt* (*Joan.* 1. 13) : atque ipse hujus rei auctor exsistit. Neque enim nos ad eum accurrimus, sed ipse nos vocavit. Quonam modo vocavit ? Per Christi necem. *Qui nobis dedit ministerium reconciliationis.* Hic rursus apostolorum dignitatem ostendit, declarans et quantum munus ipsorum fidei commissum sit, et quam eximius ac singularis sit Dei erga nos amor. Non enim postquam legati illius, qui venerat, vocem audire neglexerunt, ira incensus est eosque deseruit, sed perstat adhuc, tum per se tum per alios admonens et exhortans. Ecquis est qui tantam salutis nostræ curam pro

dignitate admirari possit? Interemptus est Filius, qui dirimendæ injuriæ causa venerat; Filius, inquam, verus atque unigenitus. ac ne sic quidem Pater eos, qui ipsi necem intulerunt, aversatus est, nec dixit, Misi legationis causa Filium meum; illi autem non modo ipsum audire recusarunt, sed etiam de medio sustulerunt, atque in crucem egerunt: æquum est jam eos derelinquere: verum contra omnino fecit; et quia ille abscessit, nobis hanc provinciam mandavit. *Qui dedit nobis ministerium reconciliationis:* 19. *quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Videsne caritatem, vim omnem verborum, cogitationem omnem excedentem? Quisnam erat, qui injuriam acceperat? Ipse. Quisnam fuit, qui primus ad delendam inimicitiam venit? Ipse. At, inquies, Filium misit, non autem ipse venit. Filium quidem misit, sed tamen non is solum hortabatur, sed Pater quoque, et cum eo et per eum: ob idque etiam dicebat apostolus, *Deus erat mundum sibi reconcilians in Christo.* Hoc est, per Christum. Quoniam enim dixerat, *Qui dedit nobis ministerium reconciliationis*, temperamento quodam utitur, dicens: Ne existimetis summam hujus rei auctoritatem penes nos esse; ministri tantum sumus: Deus est qui totum hoc efficit, qui per Unigenitum terrarum orbem reconciliavit. Quo tandem id modo? nam hoc est admirabile, non solum quod amicus effectus sit, sed etiam quod sic amicus. Sic, quomodo? Peccata ipsis remittens; nam aliter amicitia contrahi non poterat: unde etiam subdidit, *Non reputans illis delicta ipsorum.* Etenim si admissorum peccatorum rationem exposcere voluisset, omnes periissemus: omnes quippe mortui erant. Sed tamen cum tantus peccatorum numerus esset, non modo nullas a nobis pœnas expetivit, sed etiam nobiscum in gratiam rediit; non modo remisit, sed nec imputavit. Sic et nobis faciendum est, ut inimicis nostris ignoscamus, quo eamdem veniam impetremus. *Et posuit in nobis verbum reconciliationis.* Neque enim nos ad grave aliquod negotium venimus, sed ut omnes Deo amicos efficiamus. Quoniam, inquit, verbis meis fidem non adhibuerunt, in exhortando ipsi perstate, donec persuaserit is. Ideo subjunxit: 20. *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.*

3. Vides quomodo hoc negotium extulerit, cum Christum ipsum supplicantem induxit; imo non Christum solum, sed etiam Patrem? Horum enim verborum hic sensus est: Pater Filium misit, qui ipsius nomine exhortaretur, atque apud hominum genus legationis munus susciperet: sed quoniam ille necatus abscessit, nos legationi illi successimus, atque et illius et Patris nomine vos exhortamur. Tanto nimirum in pretio est apud eum hominum genus, ut et Filium dederit, idque cum eum mactatum iri sciret, et vestra causa nos apostolos crearit. Itaque non abs re dicebat, *Omnia propter vos. Pro Christo igitur legatione fungimur;* ac si diceret, Christi vice: non enim ipsius muneri successimus. Quod si hoc magnificentius aliquanto tibi dictum videtur, audi quæ sequuntur, ex quibus ostendit, quod non Christo dumtaxat, sed Patri quoque hoc faciant. Nam ob id etiam adjunxit, *Tamquam Deo per nos exhortante.* Non enim per Filium tantum suum, sed et per nos quoque, qui ipsius muneri successimus, exhortamur. Quamobrem ne existimetis vos a nobis rogari: Christus ipse vos rogat, Pater ipse per nos vos orat. Ecquid est quod cum tam eximia benignitate conferri possit? Ipse enim post innumera sua beneficia contumeliis affectus, non modo nullas pœnas sumpsit, verum etiam Filium suum dedit, ut ipsi reconciliemur. Qui autem eum acceperunt, adeo in gratiam reduci non curarunt, ut etiam eum morte affecerint. Rursum alios deprecatores misit, iisque missis, ipse est qui rogat. Quid autem rogat? *Reconciliamini Deo.* Non dixit, Dei gratiam recuperate; neque enim ipse est qui inimicitias gerit, sed vos: Deus quippe numquam inimicitias gerit. Atque etiam ut legatus missus, causam disceptans. 21. *Eum enim*, inquit, *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Non priora dico, inquit, nempe quod contumelia eum affecistis, quod eum a quo nihil injuriæ acceperatis, quod præclare de vobis meritum, quod nullas a vobis pœnas expetivit, quod prior injuria affectus, prior rogat: nihil horum nunc commemoretur. Annon vel ob unum hoc beneficium, quod nunc in vos contulit, æquum fuerit ut cum ipso in gratiam redeatis? Et quod tandem? *Eum qui non noverat peccatum, pro vobis peccatum fecit.* Nam etiamsi nihil omnino præstitisset, sed hoc dumtaxat fecisset, cogita, quæso, quanti illud æstimandum erat, quod Filium suum pro iis, a quibus contumelia affectus fuerat, dedisset. Nunc vero et magna præstitit, et præterea eum qui læsus fuerat, pro iis qui læserant, cruciari permisit. At hoc minime quidem dixit apostolus, sed, quod multo his majus erat, posuit. Quidnam autem? *Eum*, inquit, *qui non noverat peccatum*, qui ipsamet justitia erat, *peccatum fecit;* hoc est, ut peccatorem condemnari passus est, ut maledictum hominem mori: *Maledictus* enim, *qui pendet in ligno* (*Deut.* 21. 23). Multo quippe atrocius erat ita mori, quam dumtaxat mori: quod ipse quoque alio loco subindicat, dicens, *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* 2. 8). Neque enim cruciatum dumtaxat ea res habebat, sed et ignominiam. Animadverte itaque quot ab eo beneficia acceperis. Magnum enim censendum est, cum quis, etiam peccator, pro alio quicumque sit mortem oppetit: at cum justus etiam est qui patitur, et pro peccatoribus moritur; nec solum moritur, sed etiam ut exsecrandus, nec ut exsecrandus tantum moritur, verum etiam ingentia hinc, et quæ numquam exspectaveramus, bona nobis conciliat (*Ut* enim *efficiamur Dei justitia in ipso*, inquit): quænam hæc oratio, quænam mens hæc consequi atque exprimere queat? Eum enim, qui justus erat, inquit, peccatorem fecit, ut peccatores justos efficiat. Imo ne sic quidem loquutus est, sed quod longe sublimius erat, dixit:

neque enim affectionem, sed qualitatem ipsam posuit. Non enim dixit, Fecit peccatorem, sed, *Fecit peccatum*; non, Eum qui peccatum non perpetrarat, sed, Qui ne peccatum quidem norat: ut et nos efficiamur, non justi, sed justitia ipsa, atque adeo Dei justitia. Dei enim ipsa est, cum non ex operibus (nam in iis nullam labem inveniri necesse esset), sed ex gratia, quæ peccatum omne prorsus delet, justificamur. Hoc porro simul nec animis efferri nos sinit, quod Deus id totum nobis tribuerit, et beneficii magnitudinem ostendit. Prior enim illa legis atque operum justitia est, hæc vero Dei justitia. Hæc igitur cogitantes, magis verba ista, quam gehennam timeamus; magis has res, quam ipsum cælorum regnum admiremur; nec grave esse judicemus pœna affici. Sed peccare. Nam etiamsi ipse in nos minime animadverteret, nos tamen de nobis ipsis pœnas sumere deberemus, qui tam ingrati in bene de nobis meritum exstitimus. Et quidem, amasiam quispiam habens, sæpe etiam sibi mortem conscivit, quod ea potiri non potuisset; atque etiam potitus, si quid in eam peccarit, ne luce quidem se dignum existimat: nos autem tam benignum Dominum contumeliis incessentes, non nosipsos in gehennæ flammam injiciemus? Mirum aliquid, singulare, quodque plerisque incredibile videbitur, dicam: major ei qui, cum tam benignum Dominum ostenderit, pœnas luit, consolatio futura est, si sana mente sit, eumque, ut par est, amet, quam ei de quo supplicium non sumitur.

4. Atque hoc vel ex communi consuetudine perspici potest. Nam qui hominem sibi carissimum læsit, tum maxime quiescit, cum a seipso pœnas exegerit, ac mali aliquid perpessus fuerit: ut et David dicebat, *Ego qui pastor sum, peccavi, ego qui pastor sum, iniique egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me et contra domum patris mei* (2. *Reg.* 24. 17). Ad hæc cum Absalonem amisit, gravissimas a seipso pœnas exposcebat: quamquam non ipse erat, qui injuriam intulerat, sed qui acceperat; sed tamen quia ingenti amore filium defunctum complectebatur, doloribus sese conficiebat, hac ratione leviorem sibi ejus casum efficiens. Sic nos igitur, cum in eum peccamus, in quem peccare minime oportebat, pœnam de nobisipsis sumamus. Annon eos videtis, qui clarissimis filiis orbati sunt, quomodo discrucientur ac capillos vellant, quoniam solatii loco illis est, pro iis quos amant sese afflictare? Quod si, cum nihil mali in homines nobis carissimos admiserimus, levamur tamen, cum ex eorum calamitatibus dolore ipsi afficimur; annon cum ipsi sumus, qui eos ad iracundiam concitavimus et injuriam intulimus, multo magis nos recreabit pœnas dare, quam pœna non affici? Nemini id dubium est. Si quis erga Christum eo amore est, quo debet, quid dicam intelligit, quomodo, ne ipso quidem ignoscente, quin seipsum cruciet non sustinebit: maximum enim supplicium eo ipso pendit, quod ipsum ad iracundiam exstimulavit. Nec vero me fugit incredibilia plerisque videri quæ dico; sed tamen ita se res habet, ut dixi. Quocirca si Christum ita amemus, ut amandus est, peccatorum nostrorum ipsimet vindices erimus. Iis enim, qui cujusvis hominis amore flagrant, non illud molestum est, quod pro offenso ejus quem amant gravius aliquid patiantur, sed illud ante omnia, quod eum quem diligunt offenderint. Ac si ille ira commotus, injuriam acceptam non ulciscatur, hoc ipso amicum gravius excruciat: contra, si quid pœnarum sumat, plus ei levationis affert. Ne igitur gehennam perhorrescamus, sed id potius timeamus ne Deum offendamus: hoc enim illo atrocius est, cum infensus vultum suum a nobis avertit; hoc quovis supplicio gravius atque acerbius. Atque ut quantum hoc malum sit intelligas, animadverte quod dico. Si quis rex latronem aliquem ac facinorosum hominem pœnas luentem conspiciens, earum et unicum ac germanum filium necandum dederit, atque una cum morte crimen quoque ab illo ad filium, longe ab illius flagitiis remotum, transtulerit, ut reum et a supplicio eximat et ab infamia vindicet, atque insuper ad ingentem dignitatem evexerit; ac deinde ipse post allatam illi ejusmodi salutem amplissimamque gloriam ab eo, in quem tanta beneficia contulerit, contumeliis afficiatur; annon ille, si modo mente constet, millies mortem oppetere mallet, quam tam ingrati animi crimine laborare? Hoc itaque nunc quoque perpendamus, atque ob offensum beneficum acerbos gemitus emittamus: nec quia injuriis a nobis lacessitus longanimem se præbet, fidentem animum præferamus, verum ob id quoque ipsum distorqueamur. Nam etiam apud homines, cum quis impacta sibi in dextram maxillam alapa sinistram quoque præbet, majorem ultionem sumit, quam si mille plagas inflixisset: et cum maledictis impetitus, non modo maledicta non regerit, sed etiam conviciatori suo fausta precatur, gravius eum ferit, quam si sexcentis eum probris aspersisset. Quod si in hominibus, cum is quem injuria affecimus lenem se nobis præbet, erubescamus; quanto magis in Deo metuendum illis est, qui peccandi finem non faciunt, nec quidquam adversi patiuntur: siquidem in capitis ipsorum perniciem, inenarrabilis cruciatus asservatur. Hæc igitur animo volventes, peccatum ante omnia timeamus: hoc enim pœna est, hoc gehenna, hoc innumera mala. Nec vero tantum timeamus, sed etiam fugiamus, ac Deo perpetuo placere studeamus: hoc enim regnum est, hoc vita, hoc innumera bona. Ita fiet ut et hic jam regno potiamur, et futuris bonis: quæ utinam omnes consequamur, per gratiam ac benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

CAP. 6. v. 1. *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 2. *Ait enim : Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tibi.*

1. Quoniam enim Deum rogare dixerat, apostolos autem legatione fungi, atque obsecrare ut cum Deo in gratiam redirent ; ne segniores inde redderentur, hinc rursus eos terret et excitat dicens, *Ne itaque in vacuum Dei gratiam recipiatis.* Neque enim propterea nos socordiæ demus, inquit, quia Deus nos rogat, ac legatos ad nos misit : imo vero ob hoc ipsum majore studio et diligentia Deo placere, ac spirituales merces colligere curemus (id quod etiam superius dicebat, *Caritas Dei urget nos*, hoc est, premit, impellit) : ne alioqui post tantam Dei sollicitudinem collapsi, nec ullum egregium virtutis specimen edentes, tantis bonis excidamus. Ne igitur existimetis, inquit, quia hortatores misit, perpetuum id fore : usque ad secundum ipsius adventum hoc erit : tantum hortatur dum hic sumus ; postea sequitur pœna et cruciatus. Propterea, Urgemur, inquit. Neque enim eos solum a bonorum magnitudine ac Dei benignitate, sed etiam temporis brevitate semper exstimulat : unde et alio loco ait, *Nunc enim propior est nostra salus* (*Rom.* 13. 11) ; et rursus, *Dominus prope est* (*Philipp.* 4. 5). Hic vero quidpiam amplius facit. Neque enim hinc tantum eos ad salutem impellit, quod breve atque exiguum sit id temporis quod restat, sed hinc etiam, quod solum hoc tempus ad eam adipiscendam appositum sit. *Ecce enim nunc tempus acceptabile, ecce dies salutis.* Ne igitur occasionem nobis perire sinamus, sed dignum accepta gratia studium exhibeamus. Nam ideo et ipsi festinamus, quod et brevitatem et opportunitatem temporis perspectam habeamus : unde etiam dicebat, *Adjuvantes autem exhortamur. Adjuvantes*, vos scilicet : vos enim potius, quam Deum pro quo legationis munus obimus, adjuvamus. Ipse enim nulla re indiget, verum salus omnis ad vos permeat. Atque ut etiam Dei adjutorem se esse dicat, ne hoc quidem ille repudiat : nam et alio loco dicit, *Dei adjutores sumus* (1. Cor. 3. 9). Atque hac ratione homines rursum salutem impertire ait : *Et exhortamur.* Ille quippe cum exhortatur, non simpliciter exhortatur, sed has justificationes affert ; quod justum illum Filium, qui ne peccatum quidem nosset, donaverit, et pro nobis peccatoribus ipsum peccatum fecerit, ut nos justi efficiamur : quæ quidem cum habeat, ac Deus sit, ne rogare quidem eum oportet, homines præsertim, et a quibus offensus fuerat, verum singulis diebus rogari ; nihilo secius tamen rogat : at nos, cum rogamus, nullum omnino jus, nullum beneficium proferre possumus ; verum unum hoc, quod Dei, qui tanta bona dederit, nomine vos obsecramus. Obsecramus porro, ut oblatum beneficium accipiatis, nec munus repudietis. Morem itaque nobis gerite, ac videte ne in vacuum gratiam accipiatis. Etenim ne illi in hoc uno reconciliationem positam esse existimarent, ut vocanti fidem adhiberent, ideo hæc verba adjungit, quibus studium in vitæ ratione efflagitat. Nam qui, posteaquam peccatis liberatus atque in amicitiam receptus est, in prioribus flagitiis rursus volutatur, is ad inimicitias redit ; ac frustra, quantum ad vitam attinet, gratiam Dei accepit.

Gratia non multum juvat ad salutem, si impure vivamus. — Neque enim magnum quidpiam ad salutem nobis affert gratia, si impure vivamus : quin potius detrimentum in nos accersit, vehementius in peccatis gravatos, ut qui post ejusmodi cognitionem ac beneficium ad priora vitia nos ipsos referamus. At nondum hoc ponit, ne molestam atque asperam orationem reddat : hoc solum dicit, nullam hinc ad nos utilitatem redire. Deinde prophetiæ quoque memoriam refricat, quo eorum animos ad capessendum salutis studium impellat et urgeat. *Ait enim : Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tibi. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Tempus acceptabile : quodnam istud ? Tempus videlicet beneficii et gratiæ, in quo de peccatis admissis rationes non exposcuntur nec pœnæ penduntur, in quo una cum reconciliatione innumeris quoque bonis fruimur, justitia nimirum, sanctificatione, aliisque omnibus. Quantos enim labores suscipere par erat, ut hanc occasionem nancisceremur ? at ecce, nullo a nobis suscepto labore, adest, omnium ante admissorum veniam afferens. Ac proinde acceptabile hoc tempus vocat, quoniam eos quoque, qui innumeris sceleribus sese obstrinxerant, admittebat, nec tantum admittebat, sed ad summum etiam honoris gradum subvehebat : non secus atque adveniente rege judicii tempus non est, sed gratiæ ac salutis. Ob eam causam acceptabile hoc tempus vocat, quamdiu adhuc in scammate versamur, quamdiu adhuc in excolenda vinea operam navamus, quamdiu undecima hora superest.

2. Accedamus, ac vitam nostram recte instituamus : id enim facile est. Nam qui eo tempore certat, quo tantum beneficium ac tanta gratia effusa est, palmam facili negotio consequetur. Etenim apud terrenos quoque imperatores, cum festi eorum dies agitantur, atque in consulari habitu cernuntur, is etiam qui exiguum munus offert, magnis donis afficitur ; iis autem diebus, queis judicis munus exercent, magna diligentia magnoque examine opus est. Sic nos etiam hujus beneficii tempore decertemus : dies gratiæ est, divinæ inquam gratiæ, unde etiam facile coronas adipiscemur. Nam si, cum tot vitiis scateremus, et admisit nos et iis liberavit ; omnibus solutos, eaque quæ nostri muneris sunt præstantes, annon multo magis admissurus est ? Postea id quod perpetuo facit, ut seipsum in medium proponat, atque hinc exemplum sumere jubeat, hic quoque facit :

unde etiam subjungit, 3. *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.* Non modo a tempore, sed etiam ab iis, qui præclare se gesserunt, eos permovere studet. Ac vide quam sine fastu atque arrogantia : non enim dixit, Intuemini in nos, quia tales sumus ; verum prius quæ ad se spectant enarrat, ut omnem reprehensionis causam submoveat. Ac duo eximia immaculatæ vitæ argumenta ponit, dum ait, *Nemini dantes ullam :* nec dixit accusationem, sed, quod longe minus erat, *Offensionem ;* ac si diceret, reprehensionis et querimoniæ locum nulli dantes. *Ut non vituperetur ministerium nostrum.* Hoc est, ne quis illud carpat. Nec rursus dixit, Ut non accusetur, sed, Ut ne levissima quidem in eo culpa hæreat, nec quispiam sit qui ulla in re illud insectari queat. 4. *Sed in omnibus exhibentes nosmetipsos sicut Dei ministros.* Hoc multo majus est. Neque enim in pari laude ponendum est, reprehensione vacare, atque ita se comparare, ut undique perspicuum sit, eos Dei ministros esse : non enim paris laudis est, a reprehensione liberum esse, et laudum ornamentis abundare. Nec dixit, Apparentes, sed *Exhibentes*, hoc est, demonstrantes. Deinde unde tales effecti sint exponit. Undenam igitur? *In multa patientia*, inquit. Quibus verbis bonorum omnium fundamentum posuit. Ideo non simpliciter patientiam dixit, sed multam addit, ut illius magnitudinem declararet. Unam aut alteram tulisse tentationem non magnum esset ; sed ille tentationem ceu imbrem inducit, dicens, *In tribulationibus, in necessitatibus.* Hoc afflictionum augmentum est, cum mala vitari nequeunt, ac velut necessitas quædam acerbitatum incumbit, ex qua vix te expedire queas. *In angustiis.* Famis scilicet aliarumque rerum necessariarum, vel simpliciter tentationum. 5. *In plagis, in carceribus, in seditionibus.* Atqui quodlibet horum vel solum intolerabile erat, et flagris cædi solum, et vinciri solum, et pulsum nusquam consistere posse : hoc enim significat, *In seditionibus.* At cum et hæc omnia et simul ingruunt, cogita quam firmum animum requirant. Deinceps una cum externis sua recenset : *In laboribus, in vigiliis, in jejuniis*, 6. *in castitate.* His verbis ærumnas eas innuit, quas huc atque illuc cursando ac victum sibi manibus quærendo exantlabat, noctesque quas in docendo vel etiam laborando conterebat. Ad hæc etiam nec jejunium omittebat, tametsi illa mille jejuniorum instar essent. Per castitatem rursus hoc loco vel pudicitiam intelligit, vel in omnibus rebus puritatem, vel quod muneribus abjectis gratis evangelium prædicaret. *In scientia.* Quid est, *In scientia?* In sapientia a Deo concessa, quæ vera scientia est : non ut illi, qui sapientes videntur, ac de externa scientia gloriantur, hac vero destituti sunt. *In longanimitate, in suavitate.* Hæc quoque perquam generosi animi sunt, nempe, cum undique provoceris ac pungaris, æquo animo ferre omnia. Tum autem ostendens, unde talis effectus sit, subjunxit, *In Spiritu sancto.* In ipso enim omnia hæc consequimur. At vide quandonam Spiritus sancti auxilium posuit : postquam nempe sua ostenderat. Quamquam mihi aliud quoque his verbis indicare videtur. Quidnam hoc? Nempe quod copioso Spiritu repletus esset, atque hinc quoque missionis suæ argumentum præberet, quia spiritualibus gratiis donatus fuisset. Nam etsi id quoque gratia erat; at ipse quoque causa item erat, ut qui per sua recte facta et sudores gratiam attraxisset. Quod si quis insuper id quoque ab apostolo indicari contendat, quod in spirituali etiam illa gratia nullam offensionis ansam dederit, ab ipsius sententia non aberrarit. Etenim illi, qui apud eos linguarum donum acceperant, ideoque arrogantiam conceperant, vituperati sunt : fieri enim potest, ut qui spiritualem gratiam acceperit, ea non ut par est utatur. At nos non ita ; verum in spiritu etiam, hoc est, in spiritualibus gratiis, inculpati fuimus. *In caritate non ficta.*

3. Hæc bonorum omnium causa erat ; hæc talem ipsum efficiebat ; hæc id præstabat, ut Spiritus, cujus ope omnia recte efficiebat, apud ipsum maneret. 7. *In verbo veritatis.* Hoc est, quod plerumque ait, non dolo tractantes nec adulterantes verbum Dei perstitimus. *In virtute Dei.* Quod nusquam non facit, ut nihil sibi, sed Deo accepta omnia referat, eaque quæ cum laude gesserit adscribat, hoc etiam hic fecit. Quoniam enim magna quædam loquutus fuerat, dixeratque se vitam semper a reprehensione alienam, ac summam philosophiam exhibuisse, Spiritui ac Deo hæc attribuit. Neque enim vulgaria erant quæ dixerat. Nam si quietam vitam agenti virtutem assequi et irreprehensibilem esse difficile est, illud tecum repuita, quam egregii animi sit, tot tentationibus vexatum semper effulsisse. Atqui non hæc sola sustinuit, sed multo his plura, quæ deinceps enumerat. In quo illud admirandum est, non quod tot tantisque fluctibus irreprehensibilis fuerit, nec quod omnia forti animo pertulerit, sed quod etiam cum voluptate omnia : quæ deinde his verbis declarat. *Per arma justitiæ, a dextris et a sinistris.* Videsne animi præsentiam firmosque sensus? Afflictiones enim arma esse ostendit, quæ non modo non dejiciant, sed etiam muniant ac firmiores efficiant. Sinistra autem ea vocat, quæ molestiæ speciem habent : nam ejusmodi sunt ea, quæ mercedem habent. Cur igitur hoc iis nomen imponit? Vel secundum vulgi opinionem, vel quia jussit nos Deus orare, ne in tentationem intremus. 8. *Per gloriam et ignominiam, per infamiam et bonam famam.* Quid ais? magnumne ad laudem tibi esse censes gloria frui? Maxime, inquit. Quid ita? nam ignominiam quidem ferre magnum est ; in gloria autem versari, annon strenuum animum requirit? Strenuum plane ac perquam ingentem, ut ne is qui ea fruitur obruatur. Quo fit, ut in eo quoque Paulus glorietur, ut et in illo : quoniam in utraque re peræque elucebat. Quomodo arma justitiæ? Quoniam multos ad pietatis studium incitat, cum magistros in honore esse conspiciunt : atque bonorum operum hoc argumentum est, et hinc Dei gloria ce-

lebratur. Quin illud quoque divini artificii erat, nimirum evangelii prædicationi aditum per contraria aperire. Sic enim cogita : Vinctus erat Paulus? Id quoque ad evangelii commodum cedebat. *Quæ circa me sunt*, inquit, *magis ad profectum evangelii venerunt : ita ut plures e fratribus confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui* (*Philipp.* 1. 12. 14). Rursum in gloria versabatur? Hoc quoque rursum promptitudinem illis majorem afferebat. *Per infamiam et bonam famam.* Non enim ea solum quæ corpore excipiebat, forti animo perferebat, afflictiones, eaque omnia quæ recensuit, sed ea etiam, quæ animum solum perstringebant : neque enim hæc tumultus excitare consueverunt. Ipse quippe Jeremias, cum multas tentationes tulisset, ad has fatiscebat, et cum conviciis incesseretur, dicebat : *Non prophetabo, nec loquar ultra in nomine Domini* (*Jer.* 20. 9). David etiam sæpe in probro se esse deplorat. Atque Isaias post alia multa pro hac re sic cohortatur : *Nolite timere opprobrium hominum, et despectum eorum ne metuatis* (*Isai.* 51. 7). Ac rursum Christus discipulis, *Cum dixerint*, inquit, *omne malum adversum vos, mentientes, gaudete et exsultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* (*Matth.* 5. 11. 12); et alio loco dicit, *Et exsultate* (*Luc.* 6. 23). Atqui non tantam mercedem constituisset, nisi ingens esset certamen. In cruciatibus enim corpus cum animo dolores partitur; hoc quippe habet dolor, ut et corpus et animum afficiat : at in probris animus solus vexatur. Multi certe his solis prostrati sunt, animæque suæ jacturam fecerunt. Atque ipsi Jobo vermibus et ulceribus graviora ea probra fuere, quibus ab amicis oneratus fuit. Nihil enim est, nihil inquam, est iis qui doloribus premuntur intolerabilius, quam oratio quæ illos mordeat. Quocirca cum periculis ac sudoribus hæc collocat, dicens, *Per gloriam et ignominiam.* Multi quippe, etiam ex Judæis, ne ea gloria in qua apud vulgus erant laberentur, fidem amplecti noluerunt. Timebant enim, non ne supplicio afficerentur, sed ne ex synagoga proscriberentur (*Joan.* 12. 42) : unde etiam dicebat Christus, *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis* (*Joan.* 5. 4. 4)? Ac multos cernere est, qui cum acerba omnia contempsissent, a gloria superati sunt. *Ut seductores et veraces.* Idem est cum illo, *Per infamiam et bonam famam. Sicut qui ignoti et cogniti.* Hoc idipsum est quod, *Per gloriam et ignominiam.* Quibusdam enim noti erant, ab iisque colebantur; quidam ne cognoscere quidem eos dignabantur. 9. *Quasi morientes, et ecce vivimus.* Ut morti obnoxii ac damnati : quod ipsum quoque ignominia erat.

4. Hoc porro dicebat, tum ut inenarrabilem Dei potentiam, tum patientiam suam declararet. Nam, quantum penes insidiatores est, mortui sumus, atque ita omnes existimant; at divina potentia factum est, ut ex periculis erepti simus. Postea cur hæc Deus permittat explanans, subjungit, *Ut castigati, et non mortificati.* Quibus indicat, ex tentationibus ingentem etiam ante ipsa præmia fructum ipsis exoriri, hostesque vel invitos sibi utiles esse. 10. *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Exteri suspicantur nos in mœrore esse; at nos, quid ipsi existiment, haud attendimus, verum florentissima voluptate fruimur. Nec vero gaudentes solum dixit, sed addidit, *Semper.* *Semper* enim *gaudentes*, inquit. Ecquid igitur huic vitæ par esse queat, in qua, tot calamitatibus incursantibus, auctior voluptas efficitur? *Sicut egentes, multos autem locupletantes.* Quidam aiunt hoc loco de spiritualibus opibus verba haberi; ego autem de iis quoque, quæ ad carnem attinent : nam et his novo quodam modo prædiiti erant, ut quibus omnium ædes paterent. Atque hoc perspicuum fecit ex eo quod deinceps ait, *Tamquam nihil habentes, et omnia possidentes.* Et qui fieri hoc potest, inquies? Imo qui contrarium fieri potest? Nam qui multa possidet, nihil habet; qui autem nihil habet, omnia possidet. Neque hic solum hoc usu venit, sed et in aliis rebus e contrariis contraria exsistunt. Quod si miraris quonam modo fiat, ut qui rebus omnibus caret, cuncta habeat, hunc ipsum Paulum in medium adducamus, qui orbi terrarum imperabat, nec pecuniarum tantum, sed et oculorum omnium dominus erat : nam, *Si fieri potuisset*, inquit, *oculos vestros eruissetis, et mihi dedissetis* (*Gal.* 4. 15) Hæc porro dicit, ut nos doceat ut ne ob vulgi opiniones turbemur, etiamsi nos impostores appellent, etiamsi nos ignorent, damnatos existiment, etiamsi in mœrore atque egestate versari putent et inopia premi, etiamsi, cum læti simus, mœsto animo esse dicant : quandoquidem nec cæcis perspicuus est solis splendor, nec insanis sapientium voluptas. Soli enim pii viri recti sunt rerum judices, nec de iisdem quibus alii rebus vel gaudent vel anguntur. Nam si quis palæstræ rudis pugilem vulneribus affectum spectet ac corona redimitum, eum ob vulnera discruciari judicarit, quod quantam ei corona voluptatem pariat ignoret. Eodem modo isti, quia quæ patimur norunt, ea autem ob quæ patimur nesciunt, non mirum si hæc sola suspecta habeant, ut qui certamina quidem et pericula perspiciant, præmia autem et coronas et certaminum causam non item. Quænam ergo ea omnia erant, quæ Paulus possidebat, cum diceret, *Tamquam nihil habentes et omnia possidentes?* Mundana et spiritualia. Ille enim quem urbes velut angelum exciperent, ac pro quo effossos oculos tradere, pro quo cervices suas exponere parati multi essent, annon ille omnia eorum bona possidebat? Quod si spiritualia quoque perspicere libet, videbis eum in iis maxime locupletem. Nam qui in tanta omnium Regis amicitia versabatur, ut angelorum Dominus arcana sua ipsi impertiret : qui fieri poterat, quin omnes opibus anteiret, atque omnia possideret? Non enim alioqui dæmones ita ei cessissent; non ita dolores ac morbi fugam corripuissent. Proinde nos quoque, cum propter Christum malo afficimur, non modo fortem, sed etiam lætum animum præbeamus : si jejunamus, perinde exsultemus ac si in voluptate essemus; si contumelias accipimus, ac si laudaremur choreas

agamus ; si sumptus facimus, ita affecti simus, ac si quæstus faciamus ; si pauperibus largimur, nosipsos accipere arbitremur : nam qui non eo animo dat, nec facile dabit. Quare cum vis spargere, non id solum specta quod expendis, sed hoc etiam quod plura lucraris ; et hoc prius quam illud. Nec vero in eleemosyna solum, sed in omni quoque virtute, non laborum acrimoniam, sed præmiorum suavitatem, atque ante omnia Christum, qui certaminum causa est, tibi propone. Sic fiet, ut certamina impigre adeas, atque omnem vitæ cursum cum voluptate conficias. Neque enim quidquam est, quod tantam voluptatem afferat, ut animus sibi bene conscius. Propterea Paulus quidem, cum singulis diebus vexaretur, gaudebat et exsultabat : nunc autem homines ne per somnium quidem horum aliquid perpetientes, dolent ac mœsti sunt, nullam aliam ob causam, quam quod philosophico animo præditi non sint. Alioqui enim exponas mihi velim quid sit quamobrem lugeas? an quia pauper es, ac rerum necessariarum inopia premeris? Ergo ideo potius lugendus es, non quia ploras nec quia eges, sed quia abjecto es animo ; non quia nummis cares, sed quia nummos tanti æstimas. In singulos dies morte fungebatur Paulus, nec tamen plorabat, imo etiam lætabatur : cum perpetua fame luctabatur, nec dolebat, imo etiam gloriabatur,

5 At tu, quia totius anni proventus reconditos non habes, angeris teque affligis? Non mirum, inquis : ille enim de se tantum erat sollicitus ; me vero et servi et liberi et uxor sollicitum tenent. Imo vero ille non rerum suarum tantum sollicitudinem gerebat, sed universi terrarum orbis : ac tu quidem pro unica domo sollicitudine afficeris ; ille autem pro tot Jerosolymitanis pauperibus, pro Macedonicis, pro omnibus denique egenis qui ubique erant, nec minus pro iis qui ipsis largiebantur, quam pro iis qui accipiebant. Duplex enim ipsum in terrarum orbem cura tangebat, nempe ut ne rebus ad vitam necessariis indigerent, et ut spiritualibus opibus abundarent. Nec vero tantum mœroris tibi afferunt filii fame laborantes, quantum ipsi fidelium omnium negotia. Quid dico fidelium? nam neque ab infidelium cura vacabat, verum ea ita conficiebatur, ut eorum loco anathema quoque fieri optaret ; tu vero, ne si millies quidem fames invalesceret, pro ullo tamen homine mori velles. Ac tu quidem pro unica uxore in cura es ; ille autem pro omnibus totius orbis Ecclesiis : *Sollicitudo enim mea*, inquit, *omnium Ecclesiarum* (2. *Cor.* 11. 28). Quousque ergo ludes, o homo, teipsum cum Paulo conferens? non tu hac tanta animi imbecillitate laborare desines? Collacrymandum enim est, non cum in paupertate sumus, sed cum peccamus : hoc quippe est, quod lacrymas meretur ; nam alia risu digna sunt. At non hoc dumtaxat mihi mœrori est, inquis, sed illud quoque, quod hic potentia præditus est, ego autem jaceo. Quid tum? ipse quoque Paulus ignobilis atque abjectus plerisque videbatur. Verum Paulus ille erat, inquis. Ergo non rerum natura, sed animi imbecillitas hanc tibi mœstitiam affert. Quocirca paupertatem noli deflere, verum te ipsum, qui ita affectus sis : imo vero teipsum ne defle, sed potius corrige, nec opes quære, sed quod majorem quam infinitæ opes lætitiam parit, consectare, nempe philosophiam ac virtutem. Hæc enim si adsit, nihil nocet paupertas ; si desit, nihil prosunt opes. Quid enim, oro te, utilitatis capiunt, qui opibus quidem affluunt, verum pauperes animos habent? Non tu tam miserum te ipsum censes, quam dives ille seipsum, quia non omnium opes habet. Quod si non perinde ut tu lamentatur, ipsius conscientiam explica, et lamentationes atque singultus videbis.

Opes quænam veræ sint. Pauperes divitibus feliciores. — Vis tuas tibi opes ostendam, ut beatos eos existimare desinas, qui sunt locupletes? Vides hoc cælum, quam præclarum, quam ingens, quam sublimi loco situm? Hac ille pulchritudine nihilo amplius fruitur quam tu, nec te ille propellere, totumque sui juris efficere queat : ut enim propter illum est creatum, ita etiam propter te. Quid sol, splendidum hoc sidus ac rutilans, atque oculos nostros oblectans? annon communis hic quoque omnibus mortalibus patet, atque omnes æque, tam divites quam egentes, eo fruuntur? quid stellarum corona, quid lunæ orbis? annon omnibus æque concessa sunt? Imo vero, quod dictu mirabile est, nos, qui pauperes sumus, uberius iis fruimur quam illi. Etenim illi, mero ut plurimum obruti, atque in comessationibus altissimoque somno vitam degentes, ne hæc quidem sentiunt, ut qui sub tecto se teneant atque in umbra alantur : pauperes contra ea conditione sunt, ut nulli mortalium parem ex elementis voluptatem capiant. Quin si aerem ipsum, qui ubique fusus est, exploraveris, puriore utique eo atque uberiore pauperem frui perspicies. Nam et viatores et agricolæ lætius eo afficiuntur, quam qui in urbibus degunt ; et si hos quoque spectes, lætius artifices, quam qui toto die perbacchantur. Nam quid de terra dicam? annon cunctis æque patet? Minime, inquies. Quid ita? Quoniam is, qui dives est et in urbe multa terræ jugera adeptus, longa pomœria exstruit, et in agris multas partes desecat. Quid ergo? an quia desecat, solus proinde iis fruitur? Haud sane, quamlibet adnitatur : fructus etenim in omnes distribuere cogitur, ac triticum, vinum et oleum tibi elaborat, ac nusquam non tibi inservit. Amplorum etiam septorum ac domiciliorum post incredibiles sumptus et labores atque ærumnas usum tibi comparat, exiguis a te pro hujusmodi ministerio nummis acceptis. Atque hoc et in balneis et in aliis omnibus rebus usu venire comperias, ut qui divites sunt, sumptibus, curis et laboribus conficiantur ; qui autem opibus carent, paucis obolis hoc assequuntur, ut his omnibus cum summa securitate fruantur. Nec vero plus fructus e terra ad divitem redit : neque enim ille decem ventres implet, cum tu unum dumtaxat. At exquisitioribus cibis ille vescitur? Sane quidem istud haud magna præstantia est : tamen hic quoque pauperem plus habere comperiemus. Nam

profusa illa et exquisita vitæ ratio ideo tibi beata et expetenda esse videtur, quod majore voluptate perfusa sit; sed amplior voluptas penes pauperem est, nec solum voluptas, sed etiam sanitas; atque in hoc solo superior est dives, quod imbecillius sibi corpus efficiat, ac plures morborum fontes colligat. Quidquid enim pauper edit, modo rationi consentaneo administratur; quidquid autem dives, quia modum excedit, in corruptionem desinit et morbum.

6. Quod si placet, exemplo istud ipsum perspiciamus. Si rogus accendendus sit, atque ille quidem sericas vestes et permulta tenui filo contexta lintea injiciat, atque ita eum accendat, hic contra quercea et picea ligna, quid amplius ille habet quam hic? Nihil sane; imo inferius etiam quidpiam. Quid vero? (nihil enim prohibet quominus idem exemplum alio modo invertamus) si alter ligna, alter corpora exurenda in rogum injecerit, utri tandem rogo lubentius affueris, huicne qui lignis, an ei qui corporibus inflammatus sit? Liquet profecto quod ei qui lignis incensus sit: ille enim, ut naturæ consentaneum est, ardet, ac jucundum spectaculum præbet; hic contra ejusmodi est, qui nidore et sanie ac fumo et ossium fœtore omnes procul abigat. Cohorruisti ad hæc verba, atque rogum hunc exsecraris? Tales utique sunt divitum ventres: majorem in illis, quam in illo rogo putredinem quis reperiat; ut fœtidos halitus et impuras defluxiones, quod toto corpore atque in singulis partibus ingens ob saturitatem cruditas exsistat. Nam cum naturalis calor conficiendis omnibus cibis haud par sit, verum is obruatur, urgent illi, fumum rursum excitantes, atque ingentem molestiam afferentes. Cuinam igitur rei eorum ventres conferre quis possit? ac velim ne vos offendat quod dicturus sum; verum si falsa loquar, orationem meam refutate: cuinam, inquam, rei ejusmodi ventres conferre quispiam possit? neque enim quæ diximus, ad declarandam eorum miseriam sufficiunt. Alteram rursum imaginem reperi. Quam tandem? Quemadmodum in cloacis, in quibus magna est stercoris, fœni, stipulæ, lapidum ac luti colluvies, crebræ obstructiones oriuntur, ex quibus fit tandem ut cœnum ad superiores partes sese diffundat: ita etiam in horum ventre usu venit: eo quippe ab inferiori parte obstructo, malæ illæ defluxiones magna ex parte ad superiores partes regurgitant. At apud pauperes secus res habet. Ut enim fontes, qui puros latices fundunt, atque hortos et prata irrigant, ita horum quoque ventres ab his excrementis puri sunt: cum contra divitum, vel potius deliciis studentium ventres humoribus noxiis, pituita, bile, corrupto sanguine, putrique defluxione aliisque hujusmodi rebus pleni sint. Ex quo fit, ut ne ad breve quidem tempus incolumis quis perstare possit, qui semper in deliciis vivat, verum in perpetuis morbis versetur. Quocirca lubens ex istis scisciter, quam ob causam cibi nobis concessi sint: ut intereamus, an ut alamur? ut adversa valetudine laboremus, an ut sani simus? ut imbecilles simus, an ut firmi ac robusti? Perspicuum est quod alimoniæ, sanitatis, viriumque tuendarum causa dati sint. Cur ergo iis in contrarium abutimini, morbos atque imbecillitatem per eos corpori procurantes? Contra pauper frugali ac tenui cibo valetudinem, corporisque firmitatem ac robur sibi comparat. Proinde ob paupertatem, sanitatis parentem, ne lacrymare, sed potius exsulta; et si tibi divitiæ cordi sunt, divitias contemne. In hoc enim potissimum opes positæ sunt, non ut quis divitias habeat, sed ut ne habere quidem curet. Id quod si adepti fuerimus, et hic divitibus omnibus copiosiores erimus, et illic futura bona consequemur: quæ utinam consequamur, per gratiam ac benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

Cap. 6. v. 11. *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est.* 12. *Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris.*

1. Postquam tentationes suas et afflictiones exposuit; *In patientia* enim, inquit, *in ærumnis, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, incertis sedibus, in laboribus, in vigiliis;* atque ingens id bonum esse ostendit; *Sicut tristes* enim, inquit, *semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tamquam nihil habentes, et omnia possidentes:* tum etiam arma ea esse dixit; *Ut castigati* enim, ait *et non mortificati:* atque insuper magnam Dei erga nos curam ac potentiam per ea declaravit; *Ut* enim, inquit, *sublimitas virtutis sit Dei, et non ex nobis:* ac præterea certamina quoque sua enumeravit; *Semper* enim, inquit, *ipsius mortificationem circumferimus:* illudque item addidit, ea perspicuum resurrectionis argumentum esse; *Ut* enim *et vita Jesu,* inquit, *manifestetur in carne nostra mortali:* ad hæc quarum rerum particeps exstiterit, quæque ipsius fidei commissa fuerint; *Pro Christo* enim *legatione fungimur,* inquit, *tamquam Deo per nos exhortante:* atque insuper quarum rerum minister sit, nimirum non literæ, sed spiritus: ac denique quod non eo tantum nomine venerandus sit, sed etiam ob tentationes; *Deo* enim, inquit, *gratia, qui nos semper triumphat:* jam ad eos objurgandos se accingit, ut parum sui studiosos. Nec ad hoc statim orationem confert, verum id prius agit, ut suam erga eos dilectionem ostendat, atque ita demum in hujusmodi sermonem ingreditur. Nam etsi a rebus præclare gestis venerabilis est is qui increpat, attamen cum amicitiam exhibet erga eos quos corripit, tolerabiliorem sermonem reddit. Ideo ipse quoque Paulus e tentationibus suis ac sudoribus et certaminibus egressus, ad sermonem de caritate transit, et sic illos objurgat. Quænam ergo suæ eos caritatis argumenta affert? *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii.* Et quodnam caritatis argumentum hoc est? aut

quid omnino hæc sibi verba volunt? Non sustinemus, inquit, silentio ad vos uti, sed continenter vos alloqui atque orationem ad vos habere gestimus : qui amantium mos est. Nam quod in corpore sunt manuum complexus, hoc in animo est sermonis commercium. Ad hoc etiam aliud subindicatur. Quid illud? Apud vos, inquit, quos carissimos habemus, cuncta libere loquimur, nihil dissimulantes aut reservantes. Quoniam enim jam objurgaturus est, idcirco veniam petit; illud ipsum, quod eos libere objurget, ingentis sui erga eos amoris documentum esse statuens. Jam ipsa quoque nominis adjectio magnæ amicitiæ ac ferventis affectus specimen habet : nam et eorum quos amamus nuda nomina nobis identidem in ore versari solent. *Cor nostrum dilatatum est.* Quemadmodum enim id, quod calorem affert, dilatare solet : ita etiam caritatis munus est dilatare : calida quippe ac fervens est virtus. Hæc os quoque Pauli aperiebat, et cor dilatabat. Neque enim ore tantum amo, inquit; verum etiam cor ipsum in amore consonat : ideo cum fiducia loquor, toto ore, ac tota mente.

Pauli amor erga omnes quantus. — Non enim Pauli corde quidquam latius erat, quod pios omnes, perinde atque amasius quispiam, adeo arcto amore complectebatur, non sese scindente ipsius amicitia et imbecillitatem contrahente, sed integra in unoque manente. Et quid mirum talem ipsius in pios viros animum fuisse, cum etiam in infidelibus cor ipsius universum terrarum orbem amplecteretur? Ideo non dixit, Amo vos, sed, quod majorem emphasim habet, *Os nostrum patet, cor nostrum dilatatum est;* omnes intus habemus : ac ne id quidem utcumque, sed cum ingenti amplitudine. Nam qui amatur, in intimo amantis corde sine ullo metu obambulat : idcirco ait, *Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris.* Objurgationem vide non parva indulgentia temperatam : id quod magnopere amantium est. Non dixit, Vos me non amatis, sed, Non pari modo : neque enim vult asperius eos insectari. Ac passim cernere est quomodo incredibili quodam fidelium amore flagret, si quis ex singulis epistolis testimonia seligat. Ad Romanos enim scribens ait, *Cupio videre vos;* et, *Sæpe proposui venire ad vos;* et, *Si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam ad vos* (*Rom.* 1. 11. 13. 10). Ad Galatas autem hæc dicit, *Filioli mei, quos iterum parturio* (*Gal.* 4. 19); ad Ephesios rursus, *Hujus rei gratia flecto genua mea pro vobis* (*Ephes.* 3. 14); ad Philippenses (*a*) autem, *Quæ enim est spes mea aut gaudium aut gloriæ corona? annon vos* (1. *Thess.* 2, 19)? Quin se et in corde et in vinculis eos circumferre dicebat (*Philipp.* 1. 7). Porro cum ad Colossenses scribit, *Cupio*, inquit, *videre vos quantum certamen habeam pro vobis, et quicumque faciem meam non viderunt in carne : ut consolationem habeant corda vestra* (*Coloss.* 2. 1); et ad Thessalonicenses, *Quemadmodum si nutrix fovet filios suos, ita desiderantes vos cupiebamus vobis dare, non solum evangelium, sed etiam animas nostras* (1. *Thess.* 2. 7. 8); tum etiam ad Timotheum, *Memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear* (2. *Tim.* 1. 4). Et cum ad Titum scribit, *Dilecto filio* (*Tit.* 1. 4); et item ad Philemonem similiter (*Philem.* 1. 1).

2. Ad hæc in Epistola ad Hebræos multa alia ejusmodi scribit, nec cessat consolari ac dicere : *Adhuc modicum aliquantulum, et qui venturus est, veniet et non tardabit* (*Hebr.* 10. 37) : perinde videlicet ac si mater filios tædio ac mœrore laborantes alloquatur. Sic et illis, *Non angustiamini in nobis*, inquit. Nec vero se dumtaxat eos amare ait, sed ab ipsis etiam amari, quo nimirum hinc quoque eorum animos alliciat. Atque de his quidem hoc testificans, ait, *Titus venit, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem* (2. *Cor.* 7. 7); et de Galatis, dicens, *Si fieri posset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi* (*Gal.* 4. 15); et de Thessalonicensibus, *Qualem introitum habuerimus ad vos* (1. *Thess.* 1. 9); et rursus de Timotheo, *Memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear* (2. *Tim.* 1. 4). Ac denique passim in epistolis hoc videas, ipsum discipulis testificantem, quod et eos amet et vicissim ab iis ametur : non tamen similiter. Hic quoque dicit, *Licet abundantius vos diligens, minus diligar* (2. *Cor.* 12. 15). Verum hoc quidem ad epistolæ calcem ait, interim autem acrius, *Non angustiamini*, inquit, *in nobis, angustiamini autem in cordibus vestris.* Vos, inquit, unum capitis; ego urbem universam ac plebem tantam. Nec dixit, Non nos capitis, sed, *Angustiamini;* idem nimirum subindicans, sed molliori verbo utens, ne acrius eos perstringeret. 13. *Eamdem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico, dilatamini et vos.* Atqui minime par est, prius amari, deinde amare. Quamvis enim parem amoris mensuram quis afferat, hoc tamen nomine vincitur, quod posterior ad amandum venerit. Verum hæc non accurate requiro, inquit; mihi satis fuerit, si vel meo amore provocati, mutuæ erga me benevolentiæ significationem præbeatis, diligo et amplector. Postea, ut eos ad hoc obstringi ostendat, atque ea quæ dicit ab omni assentationis suspicione vindicet, *Tamquam filiis dico*, inquit. Quid est, *Tamquam filiis?* Nil magni postulo, si, cum pater vester sim, a vobis amari velim.

Pauli prudentia et modestia. — Ac vide ipsius prudentiam et modestiam. Non hic pericula pro ipsis suscepta, non labores ac mortes ponit, quamvis multa ejusmodi commemorare queat; adeo ab omni fastu alienus est; verum unum hoc, quod eos amet, ac proinde amari quoque velit : Quia pater vester sum, inquit, quia acerrimo vestri amore incendor. Etenim illud sæpe eum qui amatur offendit, cum quis collata in eum beneficia profert; exprobrare enim videtur. Quocirca hoc minime facit Paulus, verum, Ut filii parentem diligite, inquit : quod quidem naturæ potius est, ac tale ut patri hoc suo quisque præstare debeat. Postea, ne quis existimet eum sua causa hæc dicere, demonstrat se commodis eorum consulere, cum eorum benevolentiam ad se attrahit : unde etiam sub-

(*a*) Hic error esse videtur : verba enim sequentia non Philippensibus, sed Thessalonicensibus scripta sunt.

jungit, 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Non dixit, Nolite commisceri cum infidelibus, sed vehementius eos perstringens, utpote jus violantes, Ne deflectatis vosipsos, inquit. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate?* Hic jam non sui amoris, et eorum qui Corinthios corrumpebant, comparationem affert, sed Corinthiorum nobilitatem cum illorum ignominia comparat : sic enim et plus gravitatis oratio contrahebat, et ipsius personæ magis conveniebat, ac denique Corinthios conjunctiores ipsi reddebat. Quemadmodum si quis filio parentes aspernanti ac sceleratis totum se tradenti dicat, Quid facis, o puerule? patrem contemnis, eique scelestos homines atque innumeris vitiis coopertos anteponis? an te fugit, quantum illos probitate ac nobilitate superes? Hac namque ratione ipsum magis ab eorum societate abstrahet, quam si paternas laudes prædicaret. Etenim si ita loquatur, An nescis quanto illis melior sit pater tuus? non tantum efficiet : sin autem omisso patre ipsum illis præferat, dicens : An ignoras quis tu sis, et quinam illi? non in mentem venit tua nobilitas atque ingenuitas, et illorum ignominia? ecquid enim tibi commercii est cum furibus illis, cum adulteris, cum præstigiatoribus? confestim eum ejusmodi laude, tamquam pennis erectum eo adducet, ut ab illorum societate se abducat. Nam priorem orationem non ita libenter excipiet, quia hoc ipso, quod pater illi antefertur, reprehenditur ipse, ut qui non modo patri mœrori sit, sed etiam ejusmodi patri : hic autem nil tale ipsi accidet. Neque enim ullus est qui laudari nolit : quin etiam illi una cum laude audienti acceptior est reprehensio ; cedit enim ille monenti, animosque magnos concipit, penitusque eorum societatem respuit. Enimvero non hoc solum mirandum est, quod Paulus talem comparationem invexerit, sed quod majus etiam aliquid excogitarit, atque ad incutiendum terrorem accommodatius. Primum videlicet, quia per interrogationem sermonem inducit, id quod in perspicuis et certissimis rebus fieri consuevit : deinde quia per nominum multitudinem eum dilatat atque amplificat. Non enim unum aut duo aut tria, sed plura ponit personarum loco rerum nomina, atque hinc summam virtutem, illic extremum vitium describit; ac multum, imo infinitum inter utrumque discrimen esse ostendit, ut nec probatione res indigeat. *Quæ enim,* inquit, *participatio est justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras?* 15. *quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* 16. *qui autem consensus templo Dei cum idolis?*

3. Vides quo pacto nuda nomina ponit, quæ satis sint ad eos ab hujusmodi rebus avertendos? Non enim dixit, Prævaricationi, quod plus erat quam iniquitas; nec dixit, Iis qui sunt lucis, et iis qui sunt tenebrarum, sed res ipsas inter se contrarias ponit, talesque, ut quæ sibi contraria sunt nullo modo admittere queant, nempe lucem ac tenebras. Nec dixit, Iis qui sunt Christi, et iis qui sunt diaboli ; verum, quod multo remotius erat, *Christo et Belial ;* Hebraica voce apostatam illum ita appellans. *Aut quæ pars fideli cum infideli?* Hic jam, ne vitii tantum insectationem ac virtutis commendationem prosequi videatur, personarum quoque indefinite meminit. Nec dixit, Quæ societas? sed, *Quæ pars?* Hoc est, præmium ac merces. *Quis consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei vivi.* Horum verborum hic sensus est : Quemadmodum Rex vester nihil cum diabolo commune habet; (*Quæ enim concordia Christo cum Belial?*) ita nec res ipsæ inter se commercium ullum habent : *Quæ* enim *communicatio luci cum tenebris?* Proinde nec vobis ullum cum istis commercium esse debet. Ac priore loco Regem ponit, secundo ipsos; hac ratione magis illos abscindens. Tum autem, postquam dixit, *Templo Dei cum idolis,* atque eos Dei vivi templum esse pronuntiavit, necessario jam testimonium quoque subjungit, ostendens se assentatione minime uti. Nam qui aliquem laudat, nisi probationem quoque afferat, adulari videtur. Quodnam ergo est hoc testimonium? *Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo.* Inhabitabo in templis et spatiabor ; uberiorem videlicet erga eos affectum indicans. *Et erunt mihi in populum, et ero illorum Deus.* Quid ais, inquit? Deum in teipso gestas, et ad illos curris? Deum, inquam, cui cum illis nihil commune est? hæccine venia digna sunt? animadverte quis in te inambulet, quis inhabitet. 17. *Propter quod exite de medio eorum et separamini, et immundum ne tetigeritis :* 18. *et ego recipiam vos, dicit Dominus.* Non dixit, Immunda ne faciatis, sed accurationem majorem requirens, Ne attingatis, inquit, nec appropinquetis. Quid autem est carnis immunditia? Adulterium, stuprum, impudicitia? Quid autem animæ? Impuræ cogitationes, libidinosus aspectus, injuriarum memoria, fraudes et cætera hujusmodi. Vult itaque nos utrimque puros esse. Videsne quantum hinc præmii exsistat? Nimirum ab improbis separari, ac cum Deo conjungi. Audi quæ sequuntur : *Et ego ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus.* Videsne ut propheta præsentem nobilitatem, hoc est regenerationem per gratiam, longe ante prædicat. (*Cap.* 7). 1. *Has ergo promissiones habentes, carissimi.* Quas? Quod templa, quod Dei filii ac filiæ simus, quod hospitem ipsum et in nobis deambulantem habeamus, quod populus ipsius efficiamur, quod Deum ipsum ac patrem possideamus. *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus.* Ne impura contrectemus ; hoc enim carnis inquinamentum est; nec ea quæ animam contaminant; hæc quippe est spiritus impuritas. At ne hoc quidem contentus, subjungit, *Perficientes sanctificationem in timore Dei.* Non enim puri efficimur, si nihil impuri attingamus; sed ad hoc ut sancti simus, aliud præterea requiritur, nempe studium, attentio, pietas. Pulchre addidit, *In timore Dei.* Fieri enim potest, ut quis pudicitiam præstet, non tamen id Dei metu faciat, sed ex inanis gloriæ studio. Postea aliud per hæc verba, *In timore Dei,* subindicat, modum videlicet, quo sanctitas perficiatur. Nam etsi cupiditatis magna vis tyrannis est; ta-

men, si Dei timore animum obseptum habeas, ipsius furorem infringes. Per sanctificationem hoc loco non pudicitiam dumtaxat intelligit, sed ab omni peccato liberationem : sanctus enim est, qui puritate præditus est. Purus autem tum demum effici quispiam poterit, si non solum scortatione vacet, sed etiam avaritia, livore, arrogantia, inani gloria : ac potissimum hac postrema, quæ in omnibus rebus fugienda, maximeque in eleemosyna ; nam eleemosyna non fuerit, si hoc morbo laboret, sed ostentatio et crudelitas.

Eleemosyna ostentatione careat oportet. — Nam cum ad largiendum non miseratione, sed beneficii evulgandi studio duceris, non modo id eleemosyna non est, sed etiam contumelia : fratrem quippe traduxisti. Proinde non pecunias tantummodo dare eleemosyna est, sed ex commiseratione dare. Quandoquidem ii, qui in theatris spectant, tum cinædis largiuntur tum aliis qui in scena versantur, nec tamen ea res eleemosyna est; et qui cum scortis congrediuntur, dant quidem item, nec tamen humanitas id dici potest, sed contumelia. Huic porro non dissimilis est qui gloriæ cupiditate laborat. Sicut enim ille, cum meretrici stuprum intulit, contumeliæ mercedem ipsi persolvit : ita tu quoque ab eo exigis, qui contumeliam accepit, tibique simul atque illi sinistræ famæ notam inuris ac præterea majori, quam dici queat, detrimento teipsum afficis. Ut enim bellua quædam, aut canis rabidus insiliens : ita flagitiosus hic morbus atque hæc inhumanitas bona nostra nobis eripit : inhumanitas quippe ac sævitia est hæc res; imo etiam scelus ea gravius. Nam qui crudelis est, egenti quidem nihil impertit; at tu pejus eo facis : iis enim, qui dare volunt impedimento es. Nam cum munus tuum jactas atque in vulgus effers, simul et accipientis famam deles, et cum qui dare parat, si ignavi animi fuerit, reprimis. Neque enim jam ei daturus est, ut qui jam acceperit nec perinde egeat, sed illum sæpe insectabitur, si postquam acceperit accedat, et impudentem habebit.

4. Contra eleemosynam ex ostentatione factam. Pauperes feliciores sunt divitibus in rebus ad salutem pertinentibus.—Ecqua ergo eleemosyna hæc est, cum et teipsum et eum qui accipit dedecore afficis, et duplici quoque nomine eum, qui hoc edixit : quia eo eleemosynæ tuæ spectatore non contentus, oculos quoque conservorum præter eum requiris, et quia legem ab eo institutam, qua id prohibetur, violas? Volebam alia quoque persequi, velut jejunium et precationem, ac quantam illic quoque inanis gloriæ studium perniciem afferat, demonstrare; verum in mentem mihi venit, me sermonem quemdam necessarium superiore disputatione non absolvisse. Et quis tandem hic sermo erat? Dicebam scilicet, quod pauperes etiam in rebus temporariis meliori conditione sint, quam divites, cum de sanitate ac lætitia verba facerem : atque id aperte demonstrabatur. Age itaque hodie hoc planum faciamus, eos non in sæcularibus modo, sed in sublimioribus quoque rebus superiores partes ferre. Utra enim ad cælorum regnum inducit, opulentia an paupertas? Ab ipso cælorum Domino audiamus : de illis enim ait, facilius esse camelum introire per foramen acus, quam divitem in regnum cælorum; de pauperibus autem contra omnino : *Si enim vis*, inquit, *perfectus esse, vende quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlis* (*Matth.* 19. 24. 21). Quod si placet, alia quoque ratione id, quod a nobis dictum est, consideremus. *Arcta*, inquit, *et angusta est via, quæ ducit ad vitam* (*Matth.* 7. 14). Uter ergo per arctam viam iter facit, isne qui in deliciis, an qui in egestate degit? isne qui solus est, an qui infinitas sarcinas gestat? qui mollis est ac dissolutus, an qui curis ac sollicitudinibus afficitur? Verum quid verbis opus est, cum ad personas ipsas venire liceat? Pauper erat Lazarus, et valde pauper; dives contra is, qui in foribus jacentem præteribat; uter in regnum cælorum ingressus est, atque Abrahæ sinu deliciatur? uter rursus in flammis excruciatur, ac ne stillam quidem aquæ consequi potest? At etiam pauperes plerique perituri sunt, inquis : ac contra divites multi arcanis illis bonis fruentur. Imo contra cernere est, paucos quidem divites, pauperes autem multo plures ad salutem pervenire. Ac velim diligenter consideres hinc opum impedimenta, hinc paupertatis vitia. Quamquam nec opum nec paupertatis hæc vitia sunt, sed utrumque eorum, qui his præditi sunt: sed tamen utrum e duobus telum firmius muniat, videamus. Quodnam vitium paupertas habere videtur? Mendacium. Quodnam rursus divitiæ? Superbiam, malorum omnium matrem, quæ etiam diabolum ut diabolus esset, cum prius talis minime esset, effecit. Rursus malorum omnium radix est avaritia (1. *Tim.* 6. 10) : uter itaque huic radici vicinior est, divesne an pauper? Dives proculdubio : quo enim quis pluribus opibus undique cinctus est, eo plures expetit. Ad hæc inanis gloriæ studium sexcentas virtutes labefactat : at non procul item ab hac sedes habet dives. Quid autem, inquit pauperis incommoda non affers, afflictionem videlicet atque angustiam? At hæc illi cum divite sunt communia : imo etiam majore ex parte hujus sunt, quam illius. Ita fit, ut quæ paupertatis mala esse videntur, utriusque communia sint; quæ autem divitiarum, ea divitem solum vexent. Quid vero, inquies, cum pauper ob rerum necessariarum penuriam multa scelera perpetrat? At nullus pauper tot scelera ob egestatem admittit, quot divites ob amplas et uberes opes admittunt, et ne quæ domi congesta habent amittant. Neque enim pauper necessaria perinde expetit, ut dives supervacanea; nec rursus tantam ad improbitatem exercendam viam ac facultatem habet, quantam ille. Proinde si et vult magis et plus potest, liquet profecto quod prava quoque designabit. Neque enim pauper famem ita reformidat, ut dives metu contremiscit ac pene exanimatur, ne bona ei sua pereant, et discruciatur se nondum omnia omnium bona accepisse. Proinde cum et inani gloriæ et superbiæ et avaritiæ, quæ malorum omnium radix est, propinquior sit; quam tandem salutis spem

habiturus est, nisi insignis cujusdam virtutis specimen edat? quonam modo per arctam viam gradietur? Quæ cum ita sint, vulgi opiniones ne circumferamus, sed res ipsas expendamus. Annon absurdum fuerit, nos, cum de pecuniis agitur, aliis fidem non habere, sed numero et calculo id committere; cum autem de rebus judicandum est, in aliorum opiniones temere trahi; idque cum exactam rerum omnium lancem ac normam et amussim habeamus, nempe divinarum legum sententiam? Quocirca vos omnes rogo atque obsecro, ut, quid hic aut ille de his rebus sentiat nihil morantes, Scripturas sacras de iis consulatis, ac quæ veræ sint opes cognoscatis, cognitas omni studio consectemini, ut æternis perfruamur bonis: quæ utinam nos omnes consequamur per gratiam ac benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

Cap. 7. v. 2. *Capite nos: neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.* 3. *Non ad condemnationem vestram dico: prædiximus enim, quod in cordibus nostris estis ad commoriendum et convivendum.*

1. Rursum de caritate sermonem movet, increpationis asperitatem reprimens. Postquam enim eos coarguit, atque hoc nomine objurgavit, quod amati non perinde redamarent, sed ab ipsius amore sese abrumpentes, aliis pestiferis hominibus sese adjungerent, rursus objurgationis acerbitatem lenit dicens, *Capite nos:* hoc est, amate nos. Beneficium poscit minime grave, et quod majori iis qui dant, quam qui accipiunt, utilitati sit. Nec dixit, Amate, sed, quod miserationem redolebat, *Capite.* Quisnam nos, inquit, a vestris mentibus abegit? quis ejecit? quid causæ est, quamobrem in vobis coarctemur? Quoniam enim supra dixit, *Angustiamini in visceribus vestris,* hoc loco id apertius declarat dicens, *Capite nos:* atque hac rursus ratione ipsos ad se pertrahit. Neque enim quidquam est, quod perinde ad amandum alliciat, ut cum is qui amatur intelligit eum, qui amat, dilectionem suam summopere expetere. *Neminem læsimus.* Vide quo pacto rursus beneficia sua non recenset, verum alio modo ita loquitur, ut et minus molestiæ oratio habeat, et tamen acrius feriat. Simul etiam pseudapostolos notat, cum ait, *Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.* Quid est, *Corrupimus?* Hoc est, neminem in fraudem induximus: quemadmodum et alio loco ait, *Ne forte ut serpens Evam decepit, ita corrumpantur sensus vestri* (2. *Cor.* 11. 3). *Neminem circumvenimus;* non rapuimus, non insidias struximus. Nondum dicit, Hæc atque illa commoda vobis attulimus, sed, quo majorem ad pudorem incutiendum vim oratio haberet, *Neminem læsimus,* inquit; ac si diceret: Etiamsi nullum in nos beneficium contulissemus, tamen ne sic quidem nos adversari debebatis: neque enim aliquid aut parvum aut magnum habetis, quod mihi objicere possitis. Postea autem dicti asperitatem sentiens, sermonem rursus temperavit. Nec prorsus tacuit; neque enim eorum animos excitasset; nec rursum sermonis acerbitatem sine temperamento conditam reliquit: nam alioqui gravius ipsis vulnus inflixisset. Et quid ait? *Non ad condemnationem vestram dico.* Unde id liquet? *Prædixi enim,* inquit, *quod in cordibus nostris estis ad commoriendum et convivendum.* Maxima vis amoris hæc est, cum etiam contemptus, una cum ipsis et mori et vivere vult. Neque enim utcumque estis in cordibus nostris, sed ita ut dixi. Fieri enim potest, ut et amet quis, et pericula fugiat; at nos non ita.

Pauli prudentia quanta. — Hic quoque miram apostoli prudentiam perspice. Non enim quibus eos beneficiis jam affecisset narravit, ne ea rursus exprobrare videretur, sed de futuris pollicetur. Nam si pericula inferri contingat, inquit, quidvis pro vobis impigro animo patiar. Neque enim mihi vel mors per se, vel vita, ullius momenti esse censetur; sed ubicumque vos fueritis, vel mihi mortem vita, vel vitam morte cariorem efficietis. At mortem pro aliquo oppetere, amicitiæ apertum argumentum est; vivere autem quis nolit, etiam eorum, qui minime amici sunt? cur ergo id velut magnum posuit? Quia perquam magnum hoc est. Sunt enim multi, qui male agentibus amicis condoleant, at non perinde de eorum gloria gaudeant, verum invidia tangantur: nos autem secus. Nam sive in calamitatibus sitis, adversarum rerum vestrarum participes esse non metuimus; sive prospere agatis, livore minime percutimur. Demum, quia hæc sæpe oratione versavit dicens, *Non angustiamini in nobis;* et, *Angustiamini in visceribus vestris;* et, *Capite nos;* et, *Dilatamini et vos;* et, *Neminem læsimus;* atque hæc omnia ad eorum reprehensionem spectare videbantur. Vide quomodo aliter quoque asperitatem his verbis mitiget, 4. *Multa mihi fiducia est ad vos.* Ideo, inquit, talia audeo, non quod vos condemnem, sed quod ingenti fiducia nitar: id quod superius etiam dicebat, *Multa est mihi gloriatio pro vobis.* Cavete enim existimetis, inquit, a me hæc idcirco dici, quod vos semel ac prorsus condemnem; nam de vobis magnopere mihi placeo ac glorior; sed quia vobis consultum volo, ac vos majora virtutis incrementa facere cupio: id quod Hebræis quoque post multam objurgationem dicebat, *Confidimus autem de vobis meliora, et viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Cupimus autem unumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem* (*Heb.* 6. 9. 11). Sic enim hoc loco, *Multa mihi gloriatio est pro vobis.* Apud alios, inquit, de vobis gloriamur. Vides quam sinceram consolationem adhibuerit? Nec utcumque glorior, dixit, sed magnopere: ideoque subjungit, *Repletus sum consolatione.* Qua consolatione? A vobis videlicet manante: quia ad meliorem frugem reversi, per opera me consolati estis. Amantis enim

hoc est, tum de eo, quod non ametur, expostulare, tum metuere ne modum in accusando excedens, mœrorem afferat. Ideo dicit, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio.*

2. Atqui hæc cum prioribus pugnare videntur, inquies. Minime vero pugnant, sed mirifice potius consentiunt. Hæc enim efficiunt, ut illa æquioribus animis excipiantur; atque harum rerum laudatio utilitatem eam, quam reprehensiones illæ afferebant, sinceriorem reddit, ut quæ dolorem earum subducat. Ideo perquam apposite et amanter his verbis usus est. Non enim dixit, Impletus sum gaudio : sed, *Abundo*, imo non abundo, sed *Superabundo;* hinc rursus ostendens, quanta cupiditate incensus sit, utpote qui, tametsi usque adeo ametur ut gaudeat et exsultet, nondum tamen, quantum amari debeat, tantum amari se existimet, nec totum accepisse : usque adeo per ingentem suum erga eos amorem inexplebili cupiditate tenebatur. Nam ab iis, quos quis amat, vel utcumque amari, non parvam voluptatem affert, quod ipse vehementer eos amet. Itaque hoc rursus caritatis ipsius argumentum erat. Ac de consolatione quidem dixit, *Repletus sum;* accepi quod mihi debebatur; de gaudio autem, *Superabundo.* Quasi dicat : Magno contra vos mœrore affectus sum; verum abunde mihi satis fecistis, ac solatium attulistis : neque enim mihi solum mœroris causam ademistis, sed etiam uberiore lætitia me perfudistis. Deinde ipsius magnitudinem declarans, non hinc solum hoc ostendit, quod dixerit, *Superabundo gaudio,* sed ex eo etiam, quod subdit, *In omni tribulatione nostra*, Tanta, inquit, erat ea voluptas, quæ mihi a vobis allata est, ut ne tanta quidem afflictione obscurari potuerit, sed magnitudinis suæ exuberantia molestias omnes, quæ nos invaserant, fregerit, nec earum sensu nos affici permiserit. 5. *Nam et cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra.* Quoniam enim dixit, *Tribulatione*, Idcirco quanta etiam ea tribulatio fuerit exponit, eamque verbis exaggerat, ut ostendat magnam eam consolationem ac lætitiam, qua ab ipsis affectus fuerit, exstitisse, quæ tantum dolorem propulsarit. *Sed omnem tribulationem passi sumus.* Quomodo omnem? *Foris pugnæ*, ab infidelibus; *intus timores,* ob eos, quorum fides imbecilla erat, ne in errorem pertraherentur. Neque enim apud Corinthios tantum, sed alibi etiam hæc contingebant. 6. *Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos in adventu Titi.* Quoniam enim præclarum eis testimonium dixerat, ut assentationis opinionem a se removeret, Titum fratrem testem adducit, qui post superiorem epistolam a Corinthiis ad Paulum reversus, de eorum emendatione certiorem eum fecerat. At tu mihi velim consideres, quomodo ubique Titi præsentiam permagni æstimet. Nam et prius his verbis usus est, *Cum autem venissem Troadem propter evangelium, non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum* (2. *Cor.* 2. 11); et hic rursus, *In adventu Titi consolationem accepimus,* inquit. Vult quippe apud eos auctoritatem ipsi conciliare, atque efficere, ut summopere ab iis ametur. Ac vide quomodo utrumque adstruat. Ex eo enim quod ait, *Non habui requiem spiritui meo*, virtutis ipsius magnitudinem commonstrat : ex eo rursum quod ait, *In tribulatione nostra ex ipsius adventu* consolationem accipiens; 7. *nec solum ex ipsius adventu, sed etiam ex consolatione, qua consolatus est in vobis;* Corinthiorum benevolentiam ipsi conciliat. Nihil enim perinde amicitias gignit atque conglutinat, ut cum quis lætum aliquid ac sanum de quopiam commemorat : id quod de Tito affirmat, dicens, Reversus ille summa lætitia animum nostrum erexit; tam fausta de vobis nuntiavit : ideo ipsius adventus magnæ nobis voluptati fuit. Non enim solum ipsius adventus nos lætitia affecit; sed etiam ea consolatio, quam ipse a vobis accepit. Quonam autem modo consolationem accepit? Per virtutem vestram, ac recte facta : unde etiam subjungit, *Annuntians nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me.* Hæc sunt quæ ipsum oblectarunt, inquit; hæc sunt, quæ ipsi solatio fuerunt. Vides quo pacto ipsum quoque magno eorum amore flagrare ostendat, ut qui eorum probitatem atque gloriam consolationem suam esse ducat, ac velut ob bona sua reversus ad Paulum glorietur? Ac vide quam ferventi affectu ea exponat : *Vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem.* Verisimile enim est eos in luctu ac dolore fuisse, quidnam esset quod beatus Paulus tantopere stomacharetur, ac tamdiu ab ipsis abesset. Quocirca non simpliciter dixit, Lacrymas, sed *Fletum;* nec Cupiditatem, sed *Acre desiderium;* nec Iram, sed zelum, et quidem *zelum* pro ipso, id est, quo in fornicatorem atque in Pauli accusatores exarserant. Vos, inquit, acceptis meis literis inflammati atque incensi estis. Ob eam causam gaudio abundat, ob eam causam consolatione repletus est, quod ipsos perstrinxisset. Mihi porro ista non tantum ad eorum, qua præcesserant, consolationem dicta esse videntur, sed etiam ad eorum, qui hæc præstiterant, cohortationem. Quamvis enim nonnulli, ut quidem existimo, prioribus criminibus obnoxii, atque his laudibus indigni essent, non tamen eos discernit; verum communes ponit et laudes et reprehensiones : hoc videlicet auditorum conscientiæ tribuens, ut singuli quæ ad se pertinerent seligerent. Ita enim et reprehensiones non molestæ erant, et laudes ingentem zelum excitabant.

3. Eodem nunc quoque modo ii, qui accusantur, affici debent, hoc est, ut lugeant ac lamententur, et magistrorum suorum desiderio flagrent, avidiusque eos quam ipsos parentes requirant. Ab his quippe vivere, ab illis bene vivere habent. Sic paternas objurgationes ferre convenit; sic una cum antistitibus, ob eos qui peccant, dolore affici. Non enim in ipsis totum positum est, sed partim etiam in nobis. Etenim si is, qui flagitium admisit, se quidem a patre reprehendi, a fratribus autem deliniri videat, segnior efficitur. Proinde cum pater objurgat, tu quoque cum eo irascaris, tum ut fratris curam

gerens, tum ut cum patre indignatus : magnum studium exhibe et lacrymare, non quia objurgatus est, sed quia peccavit. Alioqui si exstruam quidem ego, tu vero destruas, quid aliud assequimur, quam ut labore nos ipsos conficiamus? Imo non modo tibi damnum infers, verum pœnam quoque tibi accersis. Nam qui obstat quominus vulnus curetur, non minori quam qui inflixit, imo etiam graviori supplicio afficitur. Neque enim par crimen est, aliquem ferire, et impedire ne remedium afferatur : hoc enim omnino mortem gignit, illud autem non omnino. Hæc autem vobis a me dicta sunt, ut cum antistites justis de causis irascuntur, vos quoque cum ipsis irascamini : ut cum quempiam objurgatum videritis, ipsi eum magis etiam aversemini quam magister ipse. Qui deliquit, vos magis quam magistros pertimescat. Etenim si magistri solius timor in ipsius animo versetur, cito peccabit : sin autem tot oculos ac tot ora pertimuerit, cautius vitam instituet. Quemadmodum enim nisi hæc faciamus, extremas pœnas daturi sumus : ita si hæc præstemus, quæstum quem peccantium correctio parit, una consequemur.

Erga peccantes fratres quomodo agendum. — Quamobrem ita faciamus : et si quis Christianis convenire dixerit, humanitatem erga peccantem fratrem adhibere, discat ille, humanitate eum uti qui irascitur, non eum a quo præmature, qui peccat, advocatur, nec peccati sui sensu affici sinitur. Uter enim, quæso, febre ac phrenesi laborantem misericordia prosequitur? isne qui in lecto eum sternit ac vinculis astringit atque a noxiis cibis et potionibus arcet, an qui ei mero se ingurgitandi facultatem præbet, ac sui juris et arbitrii eum esse jubet omniaque facere sinit, quæ ab homine sano fieri debent? annon morbum quoque hic auget, qui humanitatis officio fungi sibi videtur, cum contra ille morbum pellat? Eodem modo hic quoque judicamus. Humanitatis enim est, ægrotis non ubique indulgere, nec præposteris ipsorum cupiditatibus adblandiri. Nemo eum, qui apud Corinthios fornicatus erat, tam amabat quam Paulus, qui eum satanæ tradi jubebat (1. *Cor.* 5); nemo rursus tam eum oderat, quam ii qui peccanti applaudebant et obsequebantur. Atque hoc exitus rei comprobavit. Illi enim ipsius etiam animum inflarunt, ac tumorem majorem effecerunt; hic autem tumorem compressit, nec ante abstitit, quam eum integræ valetudini reddidisset : atque illi quidem malum, quod jam erat, auxerunt; hic vero id, quod primum contractum fuerat, evulsit. Quocirca nos etiam has humanitatis leges addiscamus. Nam et tu, si equum videris qui in præcipitia feratur, frenum injicis, acriterque inhibes ac sæpe flagellas : quamquam cruciatus hoc est; verum hujusmodi cruciatus salutem ei affert. Eamdem igitur erga eos qui peccant rationem tene : vinculis eum, qui scelus admisit, coerce, usque dum ipse Deum sibi propitium reddiderit : solutum eum ne linquas, ne arctioribus divinæ iræ vinculis constringatur. Si vincula ipse injecero, Deus non jam vinciet; sin autem in vinculis eum non tenuero, ejusmodi eum vincula manent, quæ frangi non queant. *Si enim nosipsos judicaremus, non utique judicaremur* (1. *Cor.* 11. 31). Ne hanc rem crudelitatis ac sævitiæ esse arbitreris, sed summæ benignitatis præstantissimæque medendi rationis nec vulgaris sollicitudinis. Verum satis diu pœnas expenderunt, inquis. Quamdiu quæso? annum unum et alterum ac tres? Atqui temporis moram non quæro, sed animæ correctionem. Hoc itaque fac demonstres, sintne compuncti, sintne in melius immutati; et res tota confecta erit. Quod nisi ita sit, nihil profecto temporis diuturnitas emolumenti attulerit. Neque enim sæpiusne obligatum vulnus fuerit, quærimus, sed an ligamen illud profuerit : ac si etiam ad exiguum tempus adhibitum profuit, non amplius adhibeatur; si autem nihil juvit, etiam post decem annos adhibeatur. Hic solvendi vincti terminus esto, utilitas. Si ad hunc modum et nostri et cæterorum curam geramus, ac non hominum gloriam aut ignominiam spectemus, verum futuræ vitæ cruciatum ac probrum, atque ante omnia Dei offensionem nobis ob oculos ponentes, pœnitentiæ pharmaca non leviter imponamus; tum ad integram sanitatem quamprimum veniemus, tum futura bona consequemur : quæ etiam omnes consequamur, per gratiam ac benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

Cap. 7. v. 8. *Quare etsi contristavi vos per epistolam, non me pœnitet, etiamsi pœnituerit.*

1. Jam de epistola se excusat, cum correcto peccato sine periculo blandius eos alloqui poterat, ostenditque quanta ex ea re utilitas parta sit. Atque hoc quidem etiam jam ante fecerat, dicens : *Ex multa enim tribulatione et angustia cordis scripsi vobis, non ut contristemini, sed ut caritatem cognoscatis, quam abundantius habeo erga vos* (2. *Cor.* 2. 4) : hoc autem etiam nunc facit, ac pluribus verbis adstruit. Nec dixit, Prius quidem me pœnitebat, nunc autem non me pœnitet; sed quomodo? *Non me pœnitet* nunc, *etiamsi me pœnituerit :* quasi diceret : Etiamsi ejusmodi essent ea quæ scripseram, ut increpationis modum excederent, ac me pœnitudine afficerent; tamen magnum illud commodum, quod ex iis literis exstitit, non jam me pœnitudine tangi sinit. Hæc porro non eo dicebat, quod immodica in eos objurgatione usus esset, sed ut eorum laudes amplificaret. Tantam enim, inquit, emendationem præ vobis tulistis, ut etiamsi mihi acriorem vobis plagam intulisse contigisset, ut me ideo condemnarem, nunc tamen perspecto rei exitu factum meum laudarem. Ut in pueris usu venit, ut cum grave aliquod ipsis et acerbum medicamenti genus adhibitum est, sectio puta, vel ustio, vel amara potio quædam,

tuto jam iis blandiamur : ita hic quoque Paulus facit. *Video enim quod epistola illa, etsi ad horam, vos contristavit.* 9. *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Postquam dixit, *Non me pœnitet*, causam hujus rei affert, fructum qui ex literis illis ortus est ponens, ac prudenter se purgans his verbis, *Etsi ad horam.* Brevis enim, inquit, ea molestia fuit; at utilitas perpetua. Ac tenor quidem orationis postulabat ut ita diceret, Etsi ad horam vos contristavit; at perpetuæ vobis lætitiæ atque utilitati postea fuit: verum his verbis non utitur, sed prinsquam utilitatem eam exponat, ad eorum laudes rursus transit, ostenditque qua sollicitudine ipsis prospiciat, dicens : *Nunc gaudeo, non quia contristati estis ;* quid enim ex eo, quod mœrore affecti sitis, ad me lucri redit? *sed quia contristati estis ad pœnitentiam ;* quia fructum aliquem habuit hic mœror. Ut pater, qui cum filium secari conspicit, non eo gaudet quod excrucietur, sed quod morbus propulsetur : ita quoque Paulus. Ac vide quomodo a rebus ad eos prosperum omnem successum transferat, et molestiam literis suis adscribat, cum ait, *Etsi ad horam vos contristavit*, utilitatem autem ex literis allatam eorum virtuti tribuat. Non enim dixit, Quia vos epistola correxit, etiamsi ita se res habeat, sed, *Quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nulla re detrimentum patiamini.* Vides prudentiam ineffabilem? Nisi enim hoc fecissemus, inquit, magnum a nobis damnum accepissetis. Ac bonum inde partum ipsis adscribit, damnum vero se allaturum fuisse ait, si tacuisset. Nam si ex correctione emendatio sequutura erat ; nisi increpassem, vobis damnum intulissem, quod et mihi et vobis commune fuisset. Quemadmodum enim qui mercatori ea, quæ ad navigandum necessaria sunt, non suppeditat, ipse est qui damnum infert; eodem modo, nisi pœnitentiæ occasionem vobis præbuissemus, vos damno affecissemus. Vides quo pacto peccantes non increpare, tum magistro tum discipulo detrimentum afferat? 10. *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Propterea, inquit, etsi me pœnituit, priusquam fructum et lucrum perspexissem, nunc tamen haud me pœnitet. Talis enim est mœstitia, quæ secundum Deum suscipitur : de qua jam verba facit, ostendens tristitiam non semper gravem esse, sed cum secundum mundum concipitur. Quid autem est, Secundum mundum? Si ob amissas opes, si ob gloriam, si ob alicujus mortem in mœrore verseris, hæc omnia secundum mundum sunt. Ideo mortem etiam accersunt. Nam qui gloriæ causa mœrore afficitur, is etiam invidet, ac plerumque interire cogitur : cujusmodi scilicet mœrore Cain et Esaü laborarunt. Itaque per sæculi tristitiam eam intelligit, quæ mœrentibus detrimentum affert. Nam mœror ad peccata dumtaxat utilis est : id quod hinc liquido perspici potest. Qui ob amissas opes in mœrore est, damnum minime sarcit ; qui mortem alicujus mœrore prosequitur, jacentem non excitat ; qui ob morbum discruciatur, is eum adeo non depellit, ut etiam augeat. At is cui peccata mœrori sunt, solus e mœrore fructum capit ; peccata enim absumit ac delet. Quia enim medicamentum istud ad hoc tantum comparatum est, idcirco hic etiam dumtaxat vim habet utilitatemque suam exserit, in aliis vero rebus lædit.

2. At, dicet aliquis, Cain ideo in mœrore jacebat, quod apud Deum laudem non consequeretur. Imo non eam ob causam, sed quia splendentem fratrem cernebat. Nam si ob illud doluisset, fratris virtutem imitari eique gratulari debebat : nunc autem dolens, ostendebat se mœstitia huic mundo consentanea teneri. At non ita David, non Petrus, non cæteri justi, qui omni laude florebant, quod aut propter sua aut propter aliena peccata dolerent. Quamquam quid mœrore gravius? Sed tamen, cum secundum Deum suscipitur, lætitia mundana præstabilior est. Hæc enim in nihilum desinit ; ille pœnitentiam in salutem, cujus nos numquam pœniteat, gignit. Hoc enim ille mirum habet, quod qui sic doluerit, eo nomine numquam pœnitentia ducetur : id quod maxime tristitiæ mundanæ proprium. Quid enim legitimo filio carius? quid rursus hujusmodi morte acerbius fingi potest? Et tamen parentes, qui in ipsa doloris vi nullius consolationem admittere sustinent seque ipsos excruciant, iidem postea ob immodicum luctum pœnitudine afficiuntur, ut qui non modo nihil inde commodi ceperint, sed gravius etiam seipsos vexarint. At non talis est mœror secundum Deum susceptus : quin potius duplex emolumentum habet, et quod dolor ille non improbetur, et quod in salutem desinat; quo utroque lucro mundanus dolor privatur. Nam qui ita dolent, et in perniciem suam dolent, et postquam doluerint, seipsos improbant : quod signum maximum est, ipsos in perniciem suam doluisse. Contra vero in mœrore illo qui secundum Deum est : ideoque dicebat Paulus, *Pœnitentiam in salutem non pœnitendam operatur.* Nemo enim sese improbabit, quod ob peccata sese mœrore luctuque afflixerit atque obtriverit. Quod cum dixisset Paulus, non aliunde exemplum proferre, eosque quorum mœrores priscæ historiæ monumentis proditi sunt, in medium adducere necesse habuit ; verum Corinthios ipsos producit, atque ab iis quæ fecerunt verbis suis fidem adstruit, ut una cum laudibus ipsos etiam eruditat, arctiusque sibi devinciat. 11. *Ecce enim*, inquit, *hoc ipsum, quod secundum Deum contristati estis, quantam in vobis operatum est sollicitudinem?* Vos enim; inquit, non modo eo non injecit hæc mœstitia, ut vosmetipsos condemnaretis, ut qui frustra hoc fecissetis ; verum contra diligentiores reddidit. Subjungit deinde sollicitudinis eorum argumenta. *Sed defensionem :* hoc est, purgationem apud me. *Sed indignationem*, contra illum qui peccaverat. *Sed timorem.* Etenim valde metuentium erat tantum studium ac celerrima illa correctio. Ac, ne seipsum efferre videatur, vide quam propere id leniat dicens, *Sed desiderium*, erga me ; *sed æmulationem*, pro Deo ; *sed vindictam :* nam violatæ divinæ legis vindices exstitistis.

In omnibus exhibuistis vosipsos incontaminatos esse in negotio. Non modo quia nullum facinus aggressi essent (perspicuum enim hoc erat), sed etiam quia id perpetranti minime faverent. Quia enim in priore epistola dicebat, *Et vos inflati estis* (1. *Cor.* 5. 2); hic ait, Hac quoque suspicione vosipsos liberastis, dum non modo facinus istud non laudastis, verum etiam ei, a quo admissum fuerat, succensuistis. 12. *Igitur etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est.* Nam ne diceret, Ecquid igitur nos objurgas, si huic facinori affines non eramus? huic objectioni superius etiam occurrens, atque ad id sibi viam præmuniens, ea dicebat quæ dicebat, nempe : *Non me pœnitet, etiamsi pœnituerat.* Tantum enim abest, inquit, ut de iis, quæ tum scripsi, me pœniteat, ut tum magis me pœnituerit, quam nunc, cum vos puros exhibuistis. Videsne rursus, quanta dicendi vi atque contentione Paulus utatur, et quomodo sermonem in contrarium retorserit? Ex eo enim ipso, unde eum pudore affectum fuisse existimabant, ut qui frustra eos objurgasset, quod in melius profecissent, ex eo ipso demonstrat se justam liberius eos alloquendi causam habuisse. Neque enim ipsis jam ad gratiam loqui recusat, cum id se facere posse videt. Etenim cum superius dixerit, *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur* (1. *Cor.* 6. 16); et, *Tradite hujusmodi hominem satanæ in interitum carnis* (1. *Cor.* 5. 5): et, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est* (1. *Cor.* 6. 18); et cætera omnia ejusdem generis : qui fit ut hic dicat, *Non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est?* Non secum ipse pugnat, cum ita loquitur, imo pulchre concordat. Quomodo secum concordat? Quoniam summo ei studio erat, vim sui erga eos amoris declarare. Quocirca non hoc amputat, quod fornicatoris illius saluti consultum velit; verum simul, ut jam dixi, suam erga eos caritatem ostendit, seque longe magis hoc metu perculsum fuisse, quod vereretur ne Ecclesia tota detrimentum ex eo flagitio acciperet, malumque latius serperet, ac sensim grassans, totam Ecclesiam occuparet. Ideo dicebat, *Modicum fermenti totam massam corrumpit* (1. *Cor.* 5. 6). Verum id quidem tunc dicebat : nunc autem, quoniam ad meliorem frugem se receperant, non jam ita loquitur, verum alio modo; atque id-ipsum quidem subindicat, sed suavius orationem tractat, dicens, *Ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis ad vos.* Hoc est, ut exploratum habeatis, quantopere vos amem. Hoc autem ipsum prius dixit; sed aliis verbis explicatum, speciem aliam præbere videtur. Nam quod idem sit, mentem Pauli excute, nec quidquam discriminis esse comperies. Quoniam enim, inquit, valde vos amo, verebar ne quid inde molestiæ caperetis, atque ipsi mœrore afficeremini. Sicut cum ait, *Num de bobus cura est Deo* (1. *Cor.* 9. 9)? non hoc dicit, ei boum curam minime esse; neque enim res ulla Dei providentia destituta conservari potest; sed his verbis hoc vult, Deum, cum legem illam sanciret, non præcipuam boum curam habuisse : sic et hoc loco, Propter vos, inquit, potissimum scripsi; deinde etiam illius causa. Atque infixum quidem in animo vestri amorem habebam, etiamsi nihil ad vos literarum dedissem; cæterum eum vobis per literas illas atque omnibus in universum declarare cupiebam. *Ideo consolati sumus :* quoniam et nostrum erga vos studium ostendimus, et officio plene perfuncti sumus. Sic alio quoque loco dicebat, *Nunc vivimus, si vos statis in Domino* (1. *Thess.* 3. 8); et rursus, *Quæ est ergo spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ* (1. *Thess.* 2. 19)? *nonne vos?* Discipulorum enim incrementum mente prædite magistro et vita et cohortatio et consolatio est.

3. Nihil enim eum, qui imperium gerit, æque indicat, ut amor atque indulgentia erga eos quibus præest. Nam patrem non modo sobolis procreatio facit, sed etiam post procreationem amor. Quod si ubi natura est, tantus amor requiritur : quanto magis ubi gratia? Ita veteres omnes splenduerunt. Hinc quippe omnes, qui apud Hebræos in gloria fuerunt, nominis splendorem assequuti sunt. Sic Samuel magnum se præbuit, cum diceret : *Absit a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis* (1. *Reg.* 12. 23). Sic David, sic Abraham, sic Elias, sic justi omnes, tam in Veteri quam in Novo Testamento. Etenim Moyses subditorum amore ductus, ingentes opes ac thesauros omni sermone sublimiores reliquit, potius habens affligi cum populo Dei. Quin prius etiam, quam dux creatus fuisset, reipsa populi moderator erat. Quare perquam stolide ad eum Hebræus ille dicebat, *Quis te constituit principem ac judicem super nos* (*Exod.* 2. 14)? Quid ais? opera cernis, et de nomine dubitas? Perinde ac si quis medicum peritissimo secantem, atque ægræ corporis parti opem afferentem, conspiciens dicat, Quis te medicum constituit, ac secare jussit? ars nimirum ipsa, vir optime, ac morbus tuus : eodem modo hunc quoque artis scientia ad talem dignitatem evexit. Neque enim imperium tenere, dignitas tantum est, sed ars etiam, et quidem artium omnium præstantissima. Nam si æternum imperium ars est, et scientia omnium præclarissima : multo profecto magis hoc nostrum. Tanto quippe hoc imperium illo præstantius est, quanto illud reliquis antecellit; imo vero longe etiam magis. Ac si placet, hunc sermonem accuratius expendamus. Ars est agricultura, ars est textrina, ars est ædificatio : quæ etiam ipsæ perquam necessariæ sunt, ac vitam nostram maxime tuentur. Nam cæteræ, ut ferraria, fabrilis, eaque quæ in ovibus armentisque pascendis sita est, his dumtaxat ancillantur. Sed harum artium maxime necessaria est agricultura, quam etiam Deus primam invexit, cum hominem creavit. Etenim sine calceis ac vestimentis vita duci potest, sine agricultura autem nullo modo potest.

Hamaxobii, Nomades et Gymnosophistæ. — Tales Hamaxobios esse ferunt; tales Nomadas qui apud Scythas in pascuis degunt; tales apud Indos gymnosophistas (*a*). Hi enim et ædificandi et texendi et con-

(*a*) De Hamaxobiis Scythiæ et Sarmatiæ populis, qui in

ficiendarum vestium artem reliquerunt, solaque agricultura opus habent. Pudeat vos, qui supervacaneis artibus indigetis, et coquis et placentarum cupediarumque artificibus aliisque ejusdem generis permultis, ut vitam transigatis : pudeat vos qui vanas artes in vitam humanam induxistis. Vobis, qui in Christum creditis, barbari illi pudorem incutiant, quibus arte opus non est. Etenim Deus naturam ita fecit, ut paucis admodum contenta sit. Quamquam nec vos cogo, nec legem impono ut ita vivatis, verum ut Jacob postulavit. Quid autem ille postulavit? *Si mihi dederit Deus panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum* (*Gen.* 28. 20). Sic etiam Paulus imperabat, dicens : *Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus* (1. *Tim.* 6. 8). Prima itaque est agricultura, secunda textoria ars, tertia ea, quæ in exstruendis ædibus sita est; quæ autem in calceamentis versatur, omnium postrema est. Apud nos quippe et famuli complures et agricolæ sunt, qui sine calceamentis vitam transigant : proinde utiles ac necessariæ artes hæ sunt. Age igitur, ipsas cum imperandi arte conferamus. Hæc enim mihi causa fuit, cur eas artes, quæ magis usui sunt, in medium adduxerim, ut cum hanc illis præstantiorem esse demonstratum fuerit, sine controversia de aliis quoque ipsa palmam ferat. Unde igitur hanc omnibus aliis magis necessariam esse probabimus? Quia hac sublata nihil illæ prosunt. Ac, si lubet, omissis aliis, agriculturam, quæ omnibus præstat magisque necessaria est, in medium proferamus. Ecquid igitur ex agricolarum labore emolumenti afferetur, si homines inter se bellum gerant, aliique aliorum bona diripiant? Nunc enim principis metus eos reprimit, conservatque ea, quæ ab illis elaborantur : quem tu metum si semel sustuleris, frustra labor ille susceptus fuerit. Quod si quis accurate rem expendat, alterum quoque imperium, quod hoc gignat ac tueatur, inveniet. Quodnam hoc tandem? Illud scilicet, per quod cuique hoc agendum est, ut sibi ipse præsit ac dominetur, atque ita se comparet, ut illiberales animi motus coerceat, et rursus virtutis surculos alat atque omni studio augeat. Duplex enim imperii genus est : alterum cujus opera homines et populis et urbibus imperant, ac civilem hanc vitam moderantur : id quod Paulus indicabat, cum diceret : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo* (*Rom.* 13. 1). Ac postea, quantum hinc commodi comparetur ostendens, hæc verba subjunxit, *Magistratus Dei minister est in bonum* (*Ibid. v.* 4); ac rursus, *Dei minister est, vindex in iram ei, qui malum egit.* Alterum est, per quod imperium in se gerit quisquis mente ac prudentia præditus est : quod ipsum quoque Paulus his verbis declaravit, *Quod si vis non timere potestatem, bonum fac* (*Rom.* 13. 3) : de eo loquens, qui sibiipsi imperat.

4. *Ecclesiæ imperium quodnam.*—At vero hic aliud quoque imperii genus est, ac civili quidem imperio sublimius. Quodnam igitur hoc est? Quod in Ecclesia viget : cujus etiam ipsius mentionem Paulus facit, cum ait : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (*Hebr.* 13. 17). Hoc enim imperium tanto civili excellentius est, quanto cælum terra; imo etiam multo præstantius. Primum namque non hoc præcipue curat, ut perpetrata scelera vindicet, sed ut ne omnino quidem perpetrentur : deinde si perpetrata sint, non ut ægrotantem de medio tollat, sed ut ipsa deleantur. Ad hæc rerum quidem hujus vitæ parvam omnino rationem habet; verum pro cælestibus omnia agit : *Nostra quippe conversatio in cælis est* (*Philipp.* 3. 20), nostra quoque vita illic. *Abscondita est* enim, inquit, *cum Christo in Deo* (*Coloss.* 3. 3). Præmia etiam illic sunt, ac pro coronis illic reconditis hic curritur. Neque enim hæc vita post mortem deletur, imo tum demum clarius lucet. Quocirca non modo majorem, quam provinciarum præfecti, sed etiam quam illi ipsi, qui diademate cincti sunt, honorem acceperunt qui hoc imperium gerunt, ut qui in majoribus rebus et ob majora commoda homines fingant. At vero nec qui civile, nec qui spirituale imperium expetunt, id rite ac præclare administrare poterunt, nisi sibiipsis prius, ut par est, imperent, atque utriusque politiæ leges summo studio servent. Ut enim duplex quodammodo est imperium populare : sic illud etiam quod in se quisque habet. Atque hic quoque rursus spirituale imperium civili præstat, ut a nobis est demonstratum. Porro artes etiam quasdam perspicere est, quæ imperii speciem imitentur, ac potissimum agriculturam. Est enim plantarum velut præfectus quidam agricola : quippe qui partim eas amputet ac cohibeat, partim augeat et excolat : non secus ac præclarissimi quique principes flagitiosos homines, ac pluribus labem et perniciem afferentes suppliciis afficiunt atque exscindunt, bonos contra et modestos viros ad majus quidpiam provehunt. Quo fit ut Scriptura vinitoribus antistites comparet. Quid enim, si plantæ vocem nullam mittunt, ut in urbibus ii solent quibus injuria fit? attamen per ipsum tamen aspectum injuriam acceptam ostendunt, ut quæ a noxiis herbis in arctum coactæ marescant. Atque ut improbitas legibus coercetur : ita hic quoque artis hujus adjumento et terræ vitium et plantæ ignobilitas ac feritas corrigitur. Etenim ea omnia quæ in humanis moribus exsistunt, illic quoque reperiemus, asperitatem nimirum, mollitiem, timiditatem, temeritatem, inconstantiam; ac ramos quidem alios opibus intempestive atque in vicinorum perniciem florentes, alios rursus egentes injuriaque affectos, velut cum sepes quædam in vicinarum plantarum exitium assurgunt, atque item

plaustris quasi domibus habitabant, plurimi scriptores egerunt. Erant etiam in Africa Hamaxobii, de quibus Silius Italicus :

Nulla domus, plaustris habitant, migrare per arva
Mos, atque errantes circumvectare penates.

De Nomadis etiam qui in pascendis gregibus vitam agebant, vide Strabonem multis in locis; eorumque frequens mentio est apud scriptores multos. Dicitur autem hinc Numidarum in Africa nomen manavisse.

De Gymnosophistis Indorum philosophis innumeri pene egerunt. Sic autem vocabantur, quod γυμνοί, nudi, incederent.

infrugiferæ aliæ arbores et agrestes in altum elatæ subjectarum arborum incrementum impediunt. Et sicut præfecti ac reges habent qui imperium suum labefactent atque oppugnent : ita etiam agricola ferarum incursus, aeris intemperiem, grandinem, rubiginem, imbrem, siccitatem aliaque ejusdem generis. Quæ quidem eo fiunt, ut perpetuo spes tua in Deo sita sit. Nam cæteræ quidem artes hominum quoque studio ac præsidio sese tuentur ; hæc vero ubertatis spem magna ex parte in Dei ope atque auxilio positam habet, totaque pene omnino hinc pendet : at tametsi pluvias etiam, partiumque anni temperiem desideret, potissimum tamen Dei providentiam requirit. *Neque* enim *qui plantat, aut qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus* (1. *Cor.* 3. 7). Quin hic quoque et mors et vita est, et parturigines et partus, ut in hominibus. Nam et exscindi contingit, et fructum ferre, et mori, et quod mortuum fuerit, rursus ad vitam redire : in quo etiam nobis varie ac perspicue terra de resurrectione sermocinatur. Nam cum radix fructum fert ac semen edit, annon id resurrectio est? Ac multam utique Dei providentiam et sapientiam imperio huic adjunctam cernere quis possit, si singula persequi velit. Verum, ut ad institutam orationem veniam, imperium illud circa terram ac stirpes versatur ; nostrum autem circa curam animarum. Quanto itaque inter stirpes et animas interest, tanto hoc imperium illo præstabilius censeri debet. Rursus qui præsentis vitæ imperio potiuntur, tanto iis, penes quos ecclesiasticum imperium est, inferiores sunt, quanto minus præclarum est invitis, quam volentibus, imperare. Nam hoc etiam naturæ consentaneum imperium est. Etenim illic quidem omnia metu ac necessitate perficiuntur ; hic voluntas liberaque animi sententia omnia exsequitur. Neque hac tantum ratione hoc imperium illi præstat, sed etiam quia non imperium modo, verum et paternitas, ut ita dicam, est : nam patris mansuetudinem habet, cumque majora præcipiat, ea tamen persuadet. Externus enim princeps dicit, Si adulterium admiseris, actum de te erit : at hic gravissimas pœnas minatur, si impudicis oculis mulierem conspexeris. Etenim grave ac venerandum est hoc tribunal ; nec corpus solum, sed animam etiam corrigit.

5. Quantum ergo inter corpus et animum discriminis est, tantum item hoc imperium ab illo distat. Ad hæc qui imperio illo fungitur, perspicuorum dumtaxat criminum judex sedet, imo ne horum quidem omnium, verum eorum tantum, quæ comperta sunt : quin plerumque etiam accidit, ut prodito jure ea dissimulet. At contra tribunal nostrum omnes qui ingrediantur hoc docet, quod qui apud nos judicis partes tenet, nudâ omnia et aperta in communi totius terrarum orbis theatro proferet : nec cuiquam sese occultandi facultas erit. Ac proinde Christiana lex multo magis vitam nostram tuetur et continet, quam externæ. Nam si de tectis atque occultis peccatis contremiscere, cautiorem hominem reddit, quam de perspicuis tantum in metu esse, atque is, qui de levibus etiam noxis pœnas expetit, ad virtutis studium magis excitat, quam qui gravissima dumtaxat punit : non est profecto dubium quin vita nostra hoc imperio maxime fulciatur et conservetur. Quod si placet, utriusque etiam principis ordinationem consideremus : hic quippe multum discrimen perspicies. Non enim numerata pecunia hoc imperium accipere licet, sed edito probatissimæ vitæ documento : nec vero ad hoc imperium ita provehitur is qui ordinatus est, quasi ad humanam gloriam et privatam requiem, sed velut ad labores et sudores ac publicam utilitatem. Unde etiam haud parvum a Spiritu sancto auxilium consequitur. Atque illic quidem non ultra progreditur is qui imperat, quam ut quæ facienda sint edicat ; hic vero precum etiam et gratiæ subsidium adjungit. Quin potius illic ne verbum quidem ullum de philosophia habetur, nec sedet quisquam qui doceat, quid sit anima, quid mundus, quid ipsi postea futuri, et ad quæ hinc migraturi sumus, quaque ratione virtutem adipisci queamus ; verum de pactis quidem et contractibus ac pecuniis multa verba funduntur, harum autem rerum nulla prorsus cura est. At in Ecclesia sermones omnes hisce de rebus institui conspicias. Ob eamque causam quidvis eam merito nuncuparis, tribunal, medicinæ et philosophiæ scholam, et animæ ludum literarium, et gymnasium cursuum in cælum ferentium. Jam vero, quod hoc imperium omnium imperiorum lenissimum sit, etiamsi alioqui plus diligentiæ requiras, hinc liquet. Nam qui externum imperium gerit, si adulterum arripuerit, protinus in eum animadvertit. Ecquid porro hinc commodi existit? hoc enim non vitium est de medio tollere, sed sauciam animam abigere. At qui hic imperat, non hoc curat ut de nocente supplicium sumat, sed ut vitium evellat. Nam tu quidem perinde facis, ac si morbo aliquo in capite enato, non morbum comprimas, sed caput amputes : ego vero non ita, sed morbum trunco ; atque eum quidem a mysteriis sacrisque septis arceo, sed eumdem postea excitatum, ac vitio liberatum melioremque per pœnitentiam effectum, rursus assumo. Et qui fieri potest, inquis, ut adulterium eximatur? Potest, inquam, et quidem facile : si quis his legibus sese submittat. Balneum enim spirituale est Ecclesia, non corporis spurcitiem, sed animæ labes variis pœnitentiæ modis abstergens. Nam tu quidem, si eum impunitum dimiseris, pejorem reddis ; si supplicio affeceris, incurabilem reliquisti : ego autem nec impunitum abire sino, nec tuo more plecto ; verum simul et pœnam, quam debeo, ab eo expeto, et quod commissum est corrigo. Visne etiam aliter ex me discere quo pacto tu gladium stringens, ac flammam peccatoribus ostendens, haud magnam iis medicinam afferas ; ego autem his etiam remotis ad integram eos sanitatem ducam? Nec vero mihi oratione ac verbis opus est, sed terram ac mare, atque adeo ipsam hominum naturam in medium adduco. Ac mihi velim expendas, priusquam tribunal hoc fixum esset, quinam rerum humanarum status erat ; quomodo nihil

eorum, quæ nunc præstantur, ne nomine quidem tenus olim audiri poterat. Ecquis enim adversus mortem intrepidum animum præbuit? ecquis opes contempsit? quis gloriam pro nihilo duxit? quis fuga relictis mundi tumultibus montes et solitudinem, philosophiæ matrem, complexus est? ubinam virginitatis nomen olim erat? Hæc quippe omnia, atque his plura, tribunalis hujus beneficio nobis contigerunt: hæc nobis hoc imperium effecit. Cum igitur hæc perspecta habeatis, atque omnem hujus vitæ utilitatem, orbisque universi correctionem hinc fluere intelligatis, date operam, ut ad divinorum sermonum auditionem atque ad hos conventus et precationes crebro veniatis. Nam si ad hunc modum vos componatis, vitamque ac mores cælis dignos exhibeatis, promissa bona consequi poteritis, per gratiam et benignitatem, etc.

HOMILIA XVI.

Cap. 7. v. 13. *Ideo consolati sumus in consolatione vestra; abundantius autem magis gavisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis.*

1. En rursus quomodo laudes eorum attollat, eorumque caritatem ostendat. Posteaquam enim magnam se voluptatem cepisse asseruit, quod tantum ipsius epistola præstitisset, quodque tantum inde emolumenti ad Corinthios rediisset; *Gaudeo* enim, inquit, *non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam;* suamque erga eos caritatem his verbis declarasset: *Etiamsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est, sed ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis ad vos;* rursus aliud eorum benevolentiæ argumentum commemorat, quod magnam ipsis laudem conciliat, ostenditque quam sincera caritate præditi sint: *In consolatione enim vestra,* inquit, *abundantius gavisi sumus super gaudio Titi.* Atqui non est hoc hominis magno amore flagrantis, ob eum majori lætitia affici, quam ob illos. Imo vero, inquit Paulus, magni amoris hoc argumentum est: non enim tam illius, quam vestra causa sum delectatus: unde etiam mox subdit, *Quia viscera ejus refecta sunt a vobis omnibus.* Non dixit, Ipse, sed, *Viscera ipsius;* hoc est, caritas ea, qua vos complectitur. Quonam autem modo refecta sunt? *Ab omnibus:* nam id quoque amplissimæ laudi ducendum est. 14: *Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum.* Magna hæc laus habenda est, cum præceptor gloriatur: ait enim, *non sum confusus.* Ob id gavisus sum, quod meliores exstitistis, ac rebus ipsis verba mea comprobastis. Ex quo mihi duplex ornamentum comparatum est, tum quia vestra virtus altius provecta est, tum quia minime a veritate aberrasse visus sum. *Sed sicut omnia vobis in veritate loquuti sumus, ita et gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est.* Hoc loco aliud quoque subindicat. Quemadmodum, inquit, apud vos omnia de Tito vere loquuti sumus (verisimile enim est, eum multas apud illos Titi laudes protulisse): sic vicissim ea, quæ de vestris laudibus a me ad Titum dicta sunt, vera comperta sunt, 15. *Et viscera ipsius abundantius in vobis sunt.* His verbis jam eum commendat, ut magno amore inflammatum atque ipsis devinctum. Non enim dixit, Caritas ipsius, sed *Viscera ipsius.* Deinde ne assentari, videatur, ubique amicitiæ causas affert, tum ne, uti jam dixi, in adulationis suspicionem incidat, tum ut eos ad virtutem acrius incitet, laudem ad eos referens, atque ostendens eos esse, qui tantæ benevolentiæ initium atque argumentum Tito injecerint. Nam cum dixisset, *Viscera ejus abundantius sunt ad vos,* subjungit, *Reminiscentis omnium vestrum obedientiam.*

Titi laus. — Hoc autem Titi quoque gratum animum erga homines de se bene meritos ostendit, ut qui eos omnes animo complexus rediisset, perpetuaque memoria circumferret, atque et ore et mente versaret. Corinthios etiam majorem in modum ornat, quod ipsum ita sibi devinctum dimisissent. Mox obedientiam etiam ipsorum exponit, ut eorum studio stimulos addat: unde et subnectit hæc verba, *Quomodo cum timore et tremore suscepistis eum.* Non modo cum caritate, sed etiam cum summo honore. Viden' quomodo duplicis virtutis testimonium ipsis tribuat: quod et ut patrem eum amarent, et ut antistitem metuerent, nec metu eorum benevolentiam obscurante, nec benevolentia metum solvente? Atque id est quod superius dicebat: *Quod secundum Deum contristati estis, quantam in vobis operatum est sollicitudinem, sed timorem, sed desiderium* (2. *Cor.* 7. 11)? 16. *Gaudeo igitur quoniam in omnibus confido in vobis.* Viden' quomodo ob ipsos magis gaudeat? Quoniam, inquit, præceptori vestro dedecori minime fuistis, nec testimonio meo indignos vos reddidistis. Proinde non tam ob Titum lætabatur, quod tantum honorem accepisset, quam ob eos, quod tantum grati animi specimen edidissent. Nam ne illius potius amicitia ductus, in lætitia versari videatur, vide quomodo hic quoque causam afferat. Ut enim superius dixit, *Quod si quid de vobis gloriatus sum, non sum confusus:* sic etiam hoc loco, *Quoniam in omnibus confido in vobis.* Sive objurgatio adhibenda sit, non timeo, ne vos a me separemini; sive gloriandum sit, non vereor ne redarguar; sive vos, ut morigeros, sive ut caritate aut etiam zelo præditos, laudandos habeam, confido de vobis. Edixi ut exscinderetis, et exscidistis; edixi ut reciperetis, et recepistis; dixi coram Tito vos magnos quosdam et admirandos viros esse, magistrosque vereri nosse: hæc rebus ipsis vera esse demonstrastis. Nec perinde ille hæc ex me didicit, ut ex vobis. Quocirca ingenti vestri amore incensus ad me reversus est: quod plura exhibueritis, quam verba mea ferrent. (Cap. 8) 1. *Notam autem vobis facio, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ.*

2. Postquam eos laudibus extulit, admonitionem rursus adhibet. Ideo enim objurgationi laudes admiscuit, ne ab objurgatione ad monendum delapsus, minus acceptam orationem redderet, verum lenitis prius ipsorum auribus, ita sibi viam ad monendum pararet. Vult enim de eleemosyna verba facere : unde etiam prius dixit, *Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.* Nimirum ab iis, quæ jam egregie præstiterant, ad hoc promptiores reddens. Nec vero protinus dixit, Eleemosynam igitur date; sed animadverte sagax ipsius consilium, quomodo eminus atque ab alto orationem præmuniat : *Notam* enim, inquit, *vobis facio gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ.* Gratiam id vocat, ne animis efferantur : ac res aliorum narrans id agit, ut dum alios laudat, diligentiores hos efficiat. Ac duas, imo tres Macedonibus laudes tribuit; quod tentationes strenuo animo perferrent; quod egentibus opem ferre nossent; quod quamvis ipsi inopia laborarent, munificentiam tamen in eleemosynis exhiberent : nam illis suæ quoque facultates ereptæ fuerant. Idque significabat cum in epistola, quam ad ipsos scribebat, diceret, *Vos enim imitatores facti estis Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, quoniam eadem passi estis a contribulibus vestris, quæ illi a Judæis* (1. *Thess.* 2. 14). Audi jam quibus postea verbis utatur, cum ad Hebræos scribit, *Nam et rapinam vestrorum bonorum cum gaudio suscepistis* (*Hebr.* 10. 34). Gratiam porro hanc rem vocat, non solum ut eos in modestia contineat, sed etiam ut illos excitet, nec invidiosam orationem reddat. Quocirca fratrum quoque nomen adjunxit, ut livorem omnem succidat : eximiis enim laudibus Macedones ornare parat. Audi quippe quid de iis prædicet. Nam cum dixisset, *Notam vobis facio gratiam Dei*, non dixit, Quæ data est in hac vel in illa civitate; verum universam gentem laudibus ornat dicens : *In Ecclesiis Macedoniæ.* Mox ipsam quoque gratiam declarat. 2. *Quoniam in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit.* Viden' Pauli sagacitatem? Priore enim loco istud non dicit quod volebat, sed alterum anteponit, ne consulto hac facere videatur, sed ex altera verborum serie ad hoc venire : *In multo experimento tribulationis.* Id quod ad ipsos quoque Macedones, cum ad eos scriberet, dicebat : *Imitatores facti estis Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti* (1. *Thess.* 1. 6); et rursus, *A vobis etiam diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia et in Achaia, sed etiam in omni loco vestra fides, quæ est ad Deum, profecta est* (*Ib.* v. 8). Quidnam autem his verbis sibi vult, *In multo experimento tribulationis abundantia gaudii eorum fuit?* Utrumque inquit, mirum in modum ipsis contigit, et tribulatio et lætitia. Ex quo incredibile quidpiam nascebatur, quod tanta voluptatis ubertas et copia ex afflictione ipsis oriretur. Neque enim modo mœrorem illis nullum tribulatio pepererat, sed lætitiæ quoque ipsis causam præbuerat, etsi multa erat. His porro verbis utebatur, ut eos ad certamen ungeret ac strenuos constantesque redderet. Non enim leviter vexati fuerant, sed ita, ut per patientiam virtus eorum explorata fuerit : imo vero non, Per patientiam, dixit, sed quod plus erat quam patientia, gaudium. Nec gaudium simpliciter dicit, sed gaudii abundantiam : ingens enim et quæ verbis explicari nequeat lætitia in ipsis nata est. *Et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum.* Utrumque rursus hoc cum exsuperantia. Quemadmodum enim multa tribulatio multiplex gaudium et gaudii abundantiam peperit : ita ex magna paupertate ingentes eleemosynæ opes ortæ sunt. Hoc enim his verbis significavit, *Abundavit in divitias simplicitatis eorum.* Neque enim ex donorum mensura, sed ex donantium animo liberalitas æstimatur. Quamobrem nusquam donorum copiam dicit, sed, *Divitias simplicitatis eorum.* Id autem perinde est ac si diceret : Non modo ipsis ad liberalitatem nihil impedimenti paupertas attulit; verum occasio ipsis fuit uberius largiendi, non secus ac tribulatio amplius gaudendi. Quo enim egentiores erant, hoc majori animi promptitudine largiebantur. Unde etiam magnopere eos laudat ac suspicit, quod in tanta egestate tantæ liberalitatis specimen dederint. *Altissima enim eorum paupertas*, id est, ingens atque ineffabilis, simplicitatem eorum demonstravit. At vero non dixit, Demonstravit, sed, *Abundavit :* nec item, Simplicitatem, sed, *Divitias simplicitatis*, hoc est quæ paupertatis magnitudini responderet : quin potius multo majorem liberalitatem præstiterunt. Tum hoc apertius etiam exponit, dicens : 3. *Quia secundum virtutem testificor*, fide dignus testis, *et supra virtutem :* hoc est, Exuberavit in divitias simplicitatis eorum. Imo non per hoc tantum, sed et per ea quæ sequuntur id indicat : *Voluntarii* enim *fuerunt*, inquit. En alteram etiam amplificationem. 4. *Cum multa exhortatione.* En tertiam ac quartam. *Obsecrantes nos.* En quintam. Et quidem cum afflictione ac paupertate premerentur. Sexta hæc est. Septima, quod copiosissime dederint.

3. Postea, quia hoc potissimum apud Corinthios efficere studebat, ut libenter largirentur, in ea re præsertim immoratur, dicens, *Cum multa exhortatione;* et, *Obsecrantes nos.* Non eos, inquit, rogavimus, sed ipsi nos. Quid autem obsecrantes nos? *Gratiam et communicationem ministerii, quod fit in sanctos.* Videsne rursus quo pacto rem amplificet, insignibus nominibus eam nuncupans? Quia enim illi spirituum studiosi erant, gratiam id appellat, ut ad eam accurrerent : ac rursus communicationem, ut intelligerent se non tantum dare, sed etiam accipere: Hoc itaque, inquit, a nobis precibus contendebant, ut hujusmodi ministerium susciperemus. 5. *Et non sicut speravimus.* Hæc verba tum ad largitionis amplitudinem, tum ad calamitates refert. Numquam fore speravissemus, inquit, ut, cum in tanta calamitate ac paupertate versarentur, nos etiam urgerent ac tantopere obsecrarent. Ad hæc, qua sollicitudine in reliqua vita excolenda uterentur, his verbis declaravit : *Sed seipsos primum dederunt Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.* In omnibus enim eorum obedien-

tia exspectationem nostram superavit. Nec enim, quia egentibus dabant, idcirco aliarum virtutum curam abjiciebant, sed seipsos Domino primum obtulerunt. Quid autem est, *Domino semetipsos dederunt*? Hoc est, consecrarunt; probati in fide exstiterunt; animi magnitudinem in tentationibus adhibuerunt, moderationem, facilitatem, caritatem, studiumque in aliis omnibus virtutibus atque alacritatem præ se tulerunt. Quid his verbis sibi vult, *Et nobis?* Hoc est, obedientes se nobis præbuerunt; dilexerunt, paruerunt, ut et Dei leges implerent, et caritatis vinculo nobiscum astringerentur. Ac perpende, quomodo hic quoque eorum intentissimum studium ostendat, dicens: *Semetipsos dederunt Domino.* Non, inquit, partim Deo, partim mundo obedierunt, sed omnia Deo, atque etiam seipsos totos ei dederunt. Neque enim ob piam largitionem arrogantia elati sunt, verum cum ingentem prius humilitatem, ingentem obedientiam et honorem, magnam philosophiam exhibuissent, ita demum eleemosynam elargiti sunt. Quid porro his verbis significatur, *Per voluntatem Dei?* Quoniam dixerat, *Semet ipsos nobis dederunt*, non, inquit, humano affectu, sed secundum Dei voluntatem hoc fecere. 6. *Ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita et perficiat in vobis gratiam istam.* Et quænam est hæc verborum series? Egregia sane ac cum iis quæ præcesserunt pulchre cohærens. Quoniam enim, inquit, eos in omnibus, hoc est in tentationibus, in eleemosynis, in nostri amore, ac reliqua vitæ puritate, acres ac ferventes esse comperimus: ut vos quoque ipsorum virtutem adæquetis, Titum misimus. Id enim his verbis indicavit, etsi non ita sit loquutus. Ac consideres velim amoris magnitudinem. Ab illis, inquit, cum rogaremur et obsecraremur, de vobis solliciti eramus, nimirum ne ab illis vinceremini. Quæ etiam nobis mittendi Titi causa fuit, ut hinc quoque excitati et commonefacti, Macedonas æmularemini. Etenim illic erat Titus, cum hæc epistola scriberetur. Ostendit autem eum jam ante Pauli cohortationem hoc facere cœpisse, cum ait: *Ut quemadmodum ante cœpit.* Unde etiam mirificis laudibus eum afficit, tum in exordio, sic loquens: *Eo quod non invenerim Titum fratrem, non habui requiem spiritui meo* (2. *Cor.* 2. 13); tum hoc loco per omnia hæc verba quæ de eo habuit, ac denique per hoc ipsum. Neque enim exigua laus est incipere, quippe quæ ferventem animum indicet. Ideoque illum misit, ex Titi præsentia magnum illis ad largitionis studium calcar addens. Ac propterea laudibus eum extollit, ut eum Corinthiis vehementius conciliet. Nam et istud magnum ad persuadendum pondus habet, cum is qui monet benevolo animo est. Pulchre autem semel et iterum ac tertio eleemosynæ mentionem faciens, gratiam eam vocat. Nunc enim ait, *Notam autem vobis facio, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ;* nunc, *Voluntarii fuerunt, cum multa oratione obsecrantes nos gratiam et communicationem;* ac rursus, *Ut quemadmodum prius cœpit, ita et perficiat in vobis gratiam istam.*

4. Eleemosynam erogare majus est, quam mortuos ad vitam revocare. — Etenim ingens bonum ac Dei donum hoc est, quod si præstetur, Deo ipsi nos, quantum fieri potest similes efficiat. Hoc enim potissimum homo est. Unde etiam hominis indicium quidam dicens, hoc posuit: *Magna res est*, inquit, *homo, ac magni pretii vir eleemosynæ studiosus* (*Prov.* 20. 6). Major hæc gratia est, quam mortuos ad vitam revocare. Christum enim fame laborantem alere multo præstantius est, quam in nomine Jesu a morte ad vitam homines excitare: illic enim Christo beneficium das, hic ille tibi. Porro non iis, qui beneficium accipiunt, sed iis qui dant, merces est constituta. Etenim in miraculorum editione debitorem te Deus habet, in eleemosyna autem tu Deum tibi obstrictum habes. Eleemosyna vero tum demum est, cum tu alacri animo, cum large et copiose tribuis, cum teipsum non dare, sed accipere existimas, cum ut beneficium accipiens et quæstum faciens, ac non tamquam perdens largiris: nam hoc ne beneficium quidem censendum fuerit. Qui enim inopiam alterius sublevat, is læto animo esse nec moleste ferre debet. Annon absurdum fuerit, si cum alterius mœrorem discutias, mœreas ipse? neque enim ipsi jam eleemosynæ nomen reliquum facis. Nam si idcirco mœres, quod alterius mœrorem depuleris, extremæ cujusdam crudelitatis ac feritatis argumentum edis: præstat enim non depellere, quam ita depellere. Quid autem omnino est, o homo, quod mœres? an ne aurum tuum minuatur? Si hoc animo es, prorsus ne des quidem: nisi tibi in cælis aurum tuum multis partibus augeri confidis, ne tribuas. At hic vicem tibi rependi postulas? Quid ita? Sine eleemosynam eleemosynam esse, non negotiationem. Sane multi in hac quoque vita receperunt, verum non ita receperunt, quasi superiores iis futuri, qui hic nihil acceperunt: quin potius nonnulli ex illis, ut imbecilliores, quia futuris bonis non admodum alliciebantur, hic receperunt. Et sicut helluones et imperiti homines ventrisque mancipia, ad regiam mensam acciti, congruum tempus puerorum more minime exspectantes, voluptatem suam labefactant, antevertentes ipsi, vilioribus epulis sese ingurgitant: ita hi quoque, qui in hac vita bona quærunt et accipiunt, futuræ mercedem minuunt. Itane vero tu, cum pecuniam fœnori das, sortem tuam longo post tempore recipere cupis, ac fortasse ne recipere quidem, ut ex mora fœnus tibi augeatur; hic contra statim exigis, idque cum non hic, sed illic perpetuo futurus sis; non hic judicium subiturus, sed illic causam dicturus? Et quidem si tibi quispiam ædes illic appararet, ubi commoraturus minime esses, contumeliæ id duceres; nunc autem hic dives esse studes, unde ante vesperam quoque fortasse migrandum tibi est? An te fugit nos in aliena regione tamquam hospites et advenas versari? an nescis advenas ea esse conditione, ut tum ejiciantur, cum minime id exspectant et opinantur? id quod nobis usu venit. Propterea quidquid exstruxerimus, hic relinquimus. Neque enim sinit nos Dominus ea nobiscum hinc efferre, sive

domos condiderimus, sive prædia emerimus, sive mancipia, sive vasa, sive aliud quidpiam ejusdem generis. Nec vero te dumtaxat minime sinit ea tecum efferre, sed ne mercedem quidem tibi assignat : prædixit enim tibi ac denuntiavit, ne ædifices atque consumas aliena, sed tua. Quid igitur causæ est, cur relictis tuis, in alienis operam naves et sumptus facias, ut sic et laborem et mercedem perdas, et extremas pœnas subeas? Ne quæso, hoc committamus ; verum quia natura advenæ sumus, animo quoque ac voluntate simus, ne alioqui illic advenæ simus, atque contempti et abjecti. Nam si cives hic effici in animum induxerimus, nec hic cives erimus, nec illic : sin autem hic advenæ esse perseveraverimus, atque ita, ut advenas decet, vitam degamus, civium libertatem ac fiduciam, et in hac et in futura vita consequemur. Vir quippe justus, etiamsi nullas opes habeat, tamen et hic in omnium bonis tamquam in suis versabitur, et ad cælum profectus, æterna tabernacula sua conspiciet : ac neque hic injucundi quidquam perpetietur ; nec enim quisquam eum, qui terram universam pro civitate sua habeat, peregrinum facere poterit ; et patriæ suæ restitutus, veras opes accipiet. Ut igitur, et hujus et illius vitæ bona lucremur, facultatibus nostris, ut par est, utamur. Sic enim fiet, ut cælorum cives simus, et multa libertate ac fiducia perfruamur : qua utinam nobis omnibus frui contingat, per gratiam et benignitatem, etc.

HOMILIA XVII.

Cap. 8. v. 7. *Sed ut in omnibus abundetis fide et sermone, et scientia et omni sollicitudine.*

1. Vide quomodo rursus ad laudes cohortationem adjungat, ut eorum animos ad majores laudes excitet. Nec dixit, Ut detis, sed, *Ut abundetis in fide* donorum spiritualium, *et sermone* sapientiæ, *et scientia* dogmatum fidei, *et omni sollicitudine*, hoc est studio cæterarum virtutum, *insuper et caritate vestra in nos ;* de qua prius loquutus sum, et cujus demonstrationem feci. *Ut et in hac gratia abundetis.* Vides eum ideo ab illis laudibus exorsum esse, ut via progrediens, eos in his quoque ad idem studium pertraheret. 8. *Non quasi imperans dico.* Vide quomodo assidue illis indulgeat, quomodo minime gravem ac violentum et imperiosum se præbeat : imo vero utrumque his verbis complectitur ; et minime molestus est, et necessitatem non inducit. Quoniam enim frequenter admonuit, ac Macedonas summis laudibus extulit ; ne hoc coactionis speciem habere videatur, ait, *Non quasi imperans dico, sed per aliorum sollicitudinem vestræ caritatis sinceritatem comprobans.* Non ut dubitans ; neque enim istud hoc loco significat ; sed probam eam efficiens ac declarans, et firmiorem reddens. Ob id enim his verbis utor, ut vos ad eamdem animi promptitudinem exstimulem : ideo studium eorum commemoro, ut animi vestri propensionem illustrem atque excitem. Deinde hinc ad aliud quiddam majus delabitur : neque enim ullum admonitionis modum prætermittit, verum omnia movet, ac quovis modo orationem tractat. Nam et per aliorum laudes eos cohortatus est, dicens : *Notam autem vobis facimus gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ ;* et eos etiam ipsos laudando, cum ait, *Sed ut in omnibus abundetis, in sermone, in scientia.* Hoc enim acrius hominem mordet, cum quis a seipso vincitur, quam cum ab aliis. Postea denique ad id, quod admonitionis caput et coronis erat, se confert : 9. *Scitis enim gratiam Domini nostri, quoniam propter nos egenus factus est, cum dives esset, ut illius inopia nos divites essemus.* Cogitate, inquit, ac cum animis vestris reputate gratiam Dei, nec temere eam præterite, verum quæ et quanta sit illius magnitudo conjicite : ita fiet, ut nullis vestris rebus parcatis. Ille gloriam suam exinanivit, ut vos, non illius opibus, sed egestate ditemini. Si adduci nequis, ut egestatem divitiarum efficientem esse credas, Dominum tuum cogita, et de ea re ambigere desines. Nisi enim ille pauper factus fuisset, tu dives minime exstitisses. In quo illud mirandum est, quod paupertas opibus circumfluxit. Divitias porro hoc loco appellat pietatis cognitionem, peccatorum purgationem, justitiam, sanctificationem, ac mille alia bona, quæ nobis largitus est, ac largietur. Atque hæc omnia paupertatis beneficio nobis contigerunt. Cujus paupertatis? Quod carnem susceperit atque homo factus sit, eaque pertulerit. Quamquam hæc ille minime debebat, cum tu contra ipsi debeas. 10. *Et consilium in hoc do : hoc enim vobis utile est.* Vide rursus quantam curam adhibeat, ne gravis ac molestus sit, atque his duabus rebus sermonem mitiget, dum ait : *Consilium do ;* et, *Quod vobis utile est.* Neque enim cogo ac vim infero, inquit, neque ab invitis extorqueo, sed in his verbis non tam eorum qui accipiunt, quam vestram utilitatem mihi propono. Deinde exemplum ab ipsis sumit, non ab aliis. *Qui non solum facere, sed et velle prius cœpistis ab anno superiore.* Vide quomodo ostendat eos ultro, ac citra cujusquam cohortationem eo venisse. Quoniam enim hoc de Thessalonicensibus asseruerat, quod ultro et cum magna exhortatione ad eleemosynam se contulerant, vult jam ostendere hos idem quoque præstitisse. Ac proinde dixit, *Non solum facere, sed et velle ;* et non, Cœpistis, sed, *Prius cœpistis ab anno superiori.* Ad eadem ergo vos hortor, inquit, ad quæ antehac cum omni alacritate vosipsos excitastis. 11. *Nunc vero et facto perfecistis.* Non dixit, Fecistis, sed, Finem imposuistis. *Ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita et sit perficiendi ex eo quod habetis.* Ut præclara hæc virtus non intra animi promptitudinem consistat, sed etiam mercedem, quam opera afferunt, consequatur. 12. *Si enim voluntas prompta est, secundum id quod quis habet, accepta est, non secundum id quod non habet.*

Pauli sapientia. — Vide sapientiam ineffabilem. Cum quosdam ostendisset, qui facultates suas in lar-

giendo excederent, Thessalonicenses nimirum, eosdem hoc nomine collaudasset dixissetque, *Testimonium reddo eis, quod etiam supra virtutem;* quia secundum facultates jam hortatur, sinens exemplum partes suas agere ; norat enim admonitionem ad earumdem rerum imitationem non perinde animum excitare, ac zelum ; idcirco ait : *Si enim voluntas propria est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet.* Ne timeas, inquit, quia illa dixi : etenim mirificam illorum liberalitatem prædicabam ; at Deus ea tantum expetit, quæ nostrarum virium sunt, secundum id quod quis habet, non secundum id quod non habet. Vox enim εὐπρόσδεκτος hoc loco idem indicat, quod ἀπαιτεῖται, id est, postulatur. Atque his verbis valde ipsos delinit, exemplo illo fretus, eoque magis illos alliciens, quod potestatem illis daret : unde etiam subjunxit. 13. *Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.*

2. Atqui Christus contrarium in vidua illa laudavit, quod videlicet victum totum suum profudisset, atque ex penuria sua tribuisset (*Marc.* 12. 44). Sed quia Corinthios alloquebatur, ubi esurire malebat ; *Melius est enim mihi mori*, inquit, *quam ut gloriam meam quis evacuet* (1. *Cor.* 9. 15) ; ob eam causam admonitionem suam temperat ; illos quidem, qui supra vires largiuntur, laudans ; hos tamen, ut idem faciant, haud adigens ; non quod nollet, sed quia imbecilliores erant. Alioqui cur illos hoc nomine laudibus effert, quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii eorum fuerit, et altissima paupertas eorum superabundaverit in divitias simplicitatis eorum, et quod supra vires tribuerint ? annon perspicuum est, eum hos quoque ad earumdem virtutum studium incitare ? Quocirca, etiamsi minora ipsis concedere videatur, hoc tamen eo consilio facit, ut ipsos per illa ad hæc subvehat. Considera quippe quomodo per ea etiam quæ sequuntur id occulte adstruat. Postquam enim his verbis usus est, subdidit, 14. *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat.* Non enim superioribus tantum, sed etiam his verbis efficere studet, ut præceptum hoc leve ipsis esse videatur. Ac ne hinc quidem dumtaxat, sed etiam a mercede rursus illud facilius reddit, ac magnificentius, quam pro eorum dignitate, loquitur, dicens : *Ut fiat æqualitas in præsenti tempore, et illorum abundantia vestram inopiam suppleat* (*Ibidem*). Quid autem est quod ait ? Vos opibus floretis ; illi vitæ integritate et libertate ac fiducia erga Deum. Proinde de opibus quæ vobis redundant, ipsis autem desunt, eis impertite, ut de ea fiducia, qua ipsi abundant, vos autem indigetis, vicissim accipiatis. Vide quomodo occulte hoc adstruxerit, ipsos supra vires atque ex penuria dare debere. Si enim, inquit, de redundantia accipere vis, de redundantia quoque tribue : si autem totum attrahere cupis, de penuria quoque ac supra vires præbe. At hoc quidem minime dixit, verum auditoribus cogitandum relinquit : ipse autem id, quod sibi proponebat, ac temperatam admonitionem interim efficit, secundum id quod apparebat subjungens ac dicens : *Ut fiat æqualitas in præsenti tempore.* Quomodo æqualitas ? Vobis atque illis mutuo quæ utrisque redundant tribuentibus, ac quæ desunt supplentibus. At enim quæ est ista æqualitas pro carnalibus spiritualia rependere ? multo enim præstantiora hæc sunt, quam illa : quo pacto igitur æqualitatem vocat ? Nimirum vel quantum ad redundantiam et inopiam, vel quantum ad præsentem dumtaxat vitam attinet, hanc æqualitatem fieri dicit. Ob id enim cum dixisset, *Æqualitas*, subjunxit : *In præsenti tempore.* Hæc autem dicebat, tum ut divitum arrogantiam comprimeret, tum ut ostenderet post discessum ex hac vita spirituales homines præstantiore conditione fore. Etenim in hac vita æqualitate magna omnes fruimur ; at tum magna distinctio erit, ac summa præcellentia, justis solem splendore superantibus. Postquam eos non tantum dare, sed etiam majora vicissim accipere demonstravit, alia quoque ratione alacres eos ad dandum efficere molitur, illud ostendens, quod ne si sua quidem aliis non impertiverint, quidquam tamen amplius habituri sint, etiamsi omnia domi congesta habuerint. Ac veterem historiam profert, ad hunc modum loquens : 15. *Sicut scriptum est : Qui multum, non abundavit ; et qui modicum, non minoravit.* Hoc autem in manna contigit. Nam et qui amplius et qui minus collegerant, eamdem mensuram habere comperiebantur : Deo hac ratione inexplebilem aviditatem coercente. Hoc porro dicebat Paulus, tum ut ob ea, quæ tum contigerunt, Corinthiis metum injiceret ; tum ut eos dehortaretur, ne plus habendi cupiditate usquam tenerentur, nec quod minus haberent angerentur. Hoc nunc quoque videre est in rebus humanis, neque in manna tantum. Nam cum omnes unum tantum ventrem expleamus, unum vitæ cursum conficiamus, et uno tantum corpore cooperiamur ; nihil profecto nec amplius diviti ex opum affluentia, nec minus pauperi ex egestate futurum est. Cur ergo paupertatem formides, cur opes expetas ? Timeo, inquies, ne cogar ad aliorum ostia venire, et stipem petere. Multos etiam assidue sic precantes ac dicentes audio : Ne me eo redigi sinas, ut hominum auxilio opus habeam. Hæc audiens ingentem risum edo ; puerilis siquidem est hic metus. Nullus enim dies, nulla, ut ita dicam, res est, in qua alii aliis non indigeamus. Itaque inconsiderati atque arrogantia tumentis animi hæc verba sunt, nec rerum naturam perspicue agnoscentis. Annon cernis nos omnes aliorum ope carere non posse ? Nam et artifice miles opus habet, et artifex mercatore, et mercator agricola, servus libero, et herus servo, et pauper divite, et dives paupere, et qui nil operis facit, eo qui eleemosynam præbet, et qui præbet, eo qui accipit. Etenim is, qui eleemosynam accipit, rem necessariam et omnium præstantissimam explet. Nisi enim pauperes essent, salus nostra magna ex parte eversa esset, ut qui ubi pecunias serere possemus non haberemus. Ex quo fit, ut pauper, qui omnium minime utilis esse videtur, omnium maxime sit utilis. Quod si alterius ope indigere turpe est, nihil aliud reliquum

est, quam ut intereamus : neque enim fieri potest, ut vivat, qui hoc timet. At, inquis, elatum supercilium ferre nequeo. Ecquid alium arrogantiæ insimulans, teipsum per hanc accusationem probro afficis? arrogantis enim est hominis, superbi animi fastum ferre non posse. Ecquid vero hæc, quæ nihil æstimanda sunt, metuis ? ad hæc contremiscis ? ob hæc paupertatem reformidas ? Nam si dives fueris, eo pluribus et vilioribus indigebis. Quo enim ad majores opes perveneris, eo magis te huic maledicto subjicies.

3. Ita quid preceris, nescis, dum opes eo petis, ut nullius opem desideres : ac si quis mare ingressus, ubi et nautis et nave et amplissimo apparatu opus est, vota faciat, ut nullius omnino hominis opera indigeat. Nam si vis nullo valde opus habere, paupertatem opta : ita fiet, ut si cujuspiam ope indigeas, pro pane tantum aut veste indigeas. Quod si dives fueris, et pro agris, et pro ædibus, et pro pensionibus, et pro mercedibus, et pro dignitate, et pro vitæ præsidio, et pro gloria, et pro iis qui imperium gerunt, opus his habebis ; neque his tantum, sed et iis qui illis subsunt, et iis qui in urbibus, et iis qui ruri degunt, et mercatoribus et cauponibus. Jamne perspicitis quam extremæ amentiæ hæc verba sint ? Horrendum omnino esse censes, cujusquam ope indigere ? Fieri omnino nequit, ut in hac re liber sis. Cæterum si tumultum fugere cupis ; id enim licet ; in tranquillum paupertatis portum confugiens, multiplicem negotiorum tumultum amputa, nec turpe esse statue altero opus habere ; hoc enim ineffabili Dei sapientia ita comparatum est. Nam si alii aliis opus habeamus, neque necessitas illa parit mutuam amicitiam ; si nobisipsis sufficeremus, annon immanes feræ essemus ? Quocirca Deus vi ac necessitate nos invicem subjecit ; et tamen quotidie mutuis offensionibus inter nos collidimur. Quod si hoc frenum abscidisset, quis proximi amicitiam prompto animo appetiisset ? Proinde nec turpe hoc esse ducamus, nec deprecemur ac dicamus : Ne sinas nos alicujus auxilio opus habere ; verum ita precemur : Ne sinas, cum in necessitate constituti sumus, preces nostras ab iis repudiari, a quibus juvari possumus. Non enim aliorum ope indigere grave est, sed aliorum facultates eripere. At nunc pro hac quidem re numquam preces fudimus, nec diximus : Ne me sinas alienis bonis cupiditatis oculos adjicere ; penuria autem premi, id nobis aversandum esse videtur. Atqui Paulus persæpe eguit, nec tamen id dedecori, sed ornamento ducebat, eosque quorum opera usus fuerat, laudibus efferebat dicens : *Quia semel et bis in usum misistis* (*Philipp.* 4. 16) ; et rursus, *Alias Ecclesias exspoliavi, stipendium accipiens ad ministerium vestrum* (1. *Cor.* 11. 8). Quocirca non ingenui, sed mollis ac degeneris et stulti animi est hoc nomine pudore affici. Nam ita Deo placet, ut alii aliis indigeamus. Proinde ultra modum philosophari ne stude. At, inquis, hominem eum ferre nequeo, qui crebro rogatus, precibus meis minime cedat. Et quomodo te Deus feret, a quo sæpe rogaris nec flecteris : et quidem rogaris de iis rebus, quæ tua intersunt ? *Pro Christo* enim, inquit, *legatione fungimur, tamquam Deo obsecrante per nos : reconciliamini Deo.* (2. *Cor.* 5. 20). Et tamen ipsius Dei servus sum, inquis. Quid tum ? Cum enim tu qui servus es, mero te ingurgites ; ille autem, qui herus est, fame laboret, ac ne necessario quidem alimento fruatur, quidnam tibi præsidii servitutis nomen allaturum est ? Imo vero hoc te gravius onerabit, cum tu in ædibus, quæ triplex tabulatum habent, commoreris, ille ne commodum quidem tectum habeat ; cum tu in mollibus stragulis conquiescas, illi ne cervical quidem præsto sit. At dedi, inquis. Sed non est intermittendum hoc facere. Nam tum dumtaxat tibi erit excusatio, cum quod des non habueris, ac rebus omnibus carueris : quamdiu autem habueris, etiamsi sexcentis dederis, sint autem alii qui fame laborent, nulla tibi excusatio suppetet. At vero, cum et frumentum claudis, et pretium auges, et inusitatas cauponandi rationes comminisceris, ecqua jam tibi salutis spes futura est ? Esurienti gratis dare jussus es ; at tu ne cum æquo quidem pretio das : ipse tua causa tanta se gloria spoliavit ; tu eum nec dignum ducis, cui panem impertias ; verum cum canis tuus cibis distentus sit, Christus contra fame conficitur ; cum famulus tuus ciborum copia disrumpatur, tuus contra illiusque Dominus necessario victu caret. Hæccine tandem amicorum sunt ? Deo reconciliemini : hæc enim inimicorum sunt infestorumque hostium. Quocirca pudorem nobis ea omnia beneficia incutiant, quæ accepimus atque accepturi sumus : ac si quis pauper accedat, opemque nostram imploret, magna cum animi benevolentia eum excipiamus, consolantes ipsum ac verbis erigentes, ut eadem ipsi tum a Deo, tum ab hominibus consequamur.

Erga proximum agendi regula.—*Omnia* enim, *quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* (*Matth.* 7. 12). Nihil grave, nihil molestum hæc lex habet ; Quæ tibi fieri vis, inquit, hæc ipse facito : æquæ sunt vices. Nec vero dixit : Quæ non vultis vobis fieri, hæc ne quidem ipsi facite ; sed quod majus est. Illic enim a malis tantum abstinetur ; hic vero bona quoque efficiuntur, atque hoc illo continetur. Nec dixit : Hæc vos quoque velitis ; sed, *Facite illis.* Quidnam autem hinc lucri ? *In hoc lex sita est et prophetæ.* Misericordiam tibi adhiberi vis ? adhibe ipse. Veniam vis impetrare ? ignosce ipse. Non vis male audire ? male ne dixeris. Laudari expetis ? lauda ipse. Non vis tua tibi per injuriam extorqueri ? aliena ne eripe. Viden' quomodo virtutem naturale quoddam bonum esse ostenderit, nosque externis legibus ac magistris minime opus habere ? In iis enim, quæ nobis a proximis nostris vel accidere, vel non accidere volumus, nobismet ipsi legem imponimus. Quamobrem si, quod tibi fieri nolis, alteri facias, aut si quid tibi fieri velis, quod ipse minime facias, tuomet ipse te calculo condemnas, nec jam quidquam habes, quo excusari possis, velut, quæ facienda sint ignorans. Ideo operam quæso demus, ut hanc per nosipsos in animis nostris legem statuentes, ac perspicuas hasce et compendiosas literas pervolventes, tales nos erga

proximos nostros præbeamus, quales eos erga nos esse volumus : ut et præsenti tranquillitate fruamur, et futura bona consequamur, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVIII.

Cap. 8. v. 16. *Gratias autem Deo qui dedit eamdem sollicitudinem pro vobis in corde Titi.*

1. Rursus Titum laudat. Quoniam enim de eleemosyna sermonem habuerat, jam de iis quoque verba facit, qui pecunias ab ipsis accepturi ac deportaturi erant. Hoc enim ad hujusmodi collectionem, et ad augendam eorum qui erogabant alacritatem adjumentum afferebat. Nam qui eorum, qui legendis ac suscipiendis pecuniis operam navant, integritati confidit, nec quid sinistri de accipientibus suspicatur, uberius copiosiusque erogare solet. Quod quidem, ut tunc quoque fieret, audi quomodo eos commendat, qui ad hoc munus obeundum perrexerant : inter quos principem locum Titus tenebat ; ideoque dicit, *Gratias autem Deo, qui dedit eamdem sollicitudinem in corde Titi.* Quid est, *Eamdem ?* Quam pro Thessalonicensibus quoque habebat : vel eamdem quam ego. Ac prudentiam Pauli animadverte : Dei beneficium hoc esse ostendit, proindeque ejus auctori gratias agit, ut hac quoque ratione animos eorum moveat atque incitet. Nam cum Deus illum excitarit et ad vos miserit, ipse proculdubio per illum petit. Cavete igitur existimetis humanitus hoc contigisse. At unde liquet quod Deus ipsum cohortatus sit ? 17. *Quòniam exhortationem quidem suscepit, sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est.* Vide quomodo eum ostendat, ad hoc, ut partes suas obiret, nullius cohortatione opus habuisse. Et postquam Dei gratiam dixit, non sivit id totum Deo adscribi, ut sic eos ad majorem Titi amorem pertrahat, cum ait eum sua quoque sponte excitatum fuisse. *Cum* enim *sollicitior esset,* inquit, *sua voluntate profectus est ;* hoc est, provinciam hanc præripuit ; in thesaurum insiliit ; suismet commodis consulere judicavit, operam vobis navando : tantaque in eo vis amoris erga vos fuit, ut ne cohortatione quidem nostra eguerit ; quamquam fuit illa quidem a nobis adhibita, sed haudquaquam hinc ille, sed a seipso et a Dei gratia excitatus est. 18. *Misimus autem etiam cum illo fratrem, cujus laus est in evangelio per omnes Ecclesias.*

Quis sit frater cujus laus est in evangelio. — Et quisnam est hic frater ? Nonnulli his verbis Lucam significari putant, atque hoc dicunt propter eam historiam, quam literis mandavit : alii Barnabam : nam prædicationem quoque non scriptam evangelium nuncupat. Cur eorum nomina non scribit, sed Titum quidem nominatim declarat, et ab evangelicæ functionis societate appellat (quippe cujus opera tanto usui esset, ut ob ipsius absentiam non magnum quid efficere Paulus potuerit : *Eo* enim, inquit, *quod Titum fratrem meum non invenerim, non habui requiem spiritui meo* [2. *Cor.* 2. 13]), et ab ipsius erga eos amore (*Viscera* enim *ipsius,* inquit, *abundantius sunt ad vos* [2. *Cor.* 7. 15]), et a diligentia, qua in hoc munus incubuit (*Sua* enim *voluntate,* inquit, *profectus est*) ; hos autem nec perinde commendat, nec nominatim citat ? quid igitur dici potest ? Fortasse ipsi Corinthiis ignoti erant, ac proinde in prædicandis eorum laudibus quorum virtutis periculum nondum fecerant, non multum immoratur ; verum hactenus de iis verba facit, quatenus ipsis ad commendationem vitandamque sinistram suspicionem satis erat. Cæterum videamus, unde huic laudem texat. Unde igitur laudis argumentum petit ? Primum a prædicatione ipsum laudat, quod non solum prædicaret, sed etiam ut par erat, et eo quo conveniebat studio. Neque enim dixit, quod evangelium prædicaret ; sed *Cujus laus est in evangelio.* Ac ne in assentationis suspicionem veniat, non unum aut alterum aut tres, sed universas Ecclesias testes ipsi citat, dicens : *Per omnes Ecclesias.* Deinde ab eorum quoque calculo, a quibus ordinatus fuerat, venerationem ipsi conciliat : quæ non parva res est. Ideo postquam dixit : *Cujus laus est in evangelio per omnes Ecclesias,* subjunxit : 19. *Non solum autem.* Quid sibi hæc volunt, *Non solum autem ?* Non, inquit, ideo tantum venerationem meretur, quod prædicationis laude floreat, atque ab omnibus commendetur, sed etiam, quod ab Ecclesiis nobiscum ordinatus sit. Ex quo mihi Barnabam significare videtur. Ac magnam ipsius dignitatem indicat : ostendit enim qua de causa ordinatus sit : *Comes* enim, inquit, *peregrinationis nostræ in hanc gratiam, quæ ministratur a nobis.* Vides quot ipsum laudibus afficiat ? In evangelii prædicatione emicuit, deque ea re Ecclesias omnes testes habuit ; ordinatus est a nobis ad eadem quæ Paulus præstanda, et ubique socius ipsi tam in tentationibus, quam in periculis exstitit : hoc enim peregrinatio subindicat. Quinam autem horum verborum sensus est, *In hanc gratiam, quæ ministratur a nobis ?* Hoc est, In hoc, ut verbum annuntiet, evangeliumque prædicet ; vel, ut in ratione pecuniaria operam navet : imo utrumque his verbis mihi intelligi videtur. Subjicit postea, *Ad Domini gloriam et alacritatem vestram.* Quæ verba hunc sensum habent : Postulavimus, inquit, ut ipse nobiscum eligeretur, atque ad hoc munus designaretur, ut sacrarum pecuniarum promuscondus ac minister esset (neque enim parva hæc dignitas erat ; *Considerate* enim, inquiebat Petrus, *viros ex vobis boni testimonii septem* [*Act.* 6. 3]) ; atque ab Ecclesiis, consentientibus totius populi calculis, creatus est. Quid autem hæc verba significant, *Ad gloriam Domini et vestram alacritatem.* Hoc est, ut et Dei gloria celebretur, et vos promptioribus animis sitis, cum probos eos esse perspexeritis, qui pecunias suscipiunt, nec quemquam

esse, qui ullam de ipsis, ne falsam quidem suspicionem conflare possit.

2. Ideo tales viros conquisivimus ; nec uni dumtaxat id muneris commisimus, verum una cum eo, ut hanc quoque suspicionem fugiat, Titum etiam misimus, et cum illo alium. Postea autem hæc ipsa verba exponens, *Ad gloriam Domini et alacritatem vestram*, subdidit : 20. *Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis.* Quam tandem sententiam hic sermo habet? Dignam profecto Pauli virtute, et quæ ipsius curam et sollicitudinem atque indulgentiam declarat. Ne quis enim, inquit, sinistri aliquid de nobis suspicetur, ac vel levissimam reprehensionis ansam adversum nos habeat, velut de commissa nobis pecunia aliquid intervertentibus, idcirco tales viros misimus, non unum dumtaxat, sed et duos et tres. Vides quo pacto ipsos ab omni suspicione vindicet, non solum quod evangelium prædicent, aut quod ordinati fuerint, sed etiam quod probitate præstent, ob idque ipsum ordinati sint, ne locus ullus suspicioni detur? Nec dixit, Ne vos vituperetis ; sed, *Ne quis* alius. Atqui eorum causa hoc fecerat ; idque his verbis indicavit, *Ad gloriam Domini et alacritatem vestram;* cæterum eos perstringere non vult, sed alio modo ait, *Devitantes hoc facere.* Ac ne hoc quidem contentus, rursus ipsos per ea quæ sequuntur delinit his verbis, *In hac plenitudine, quæ ministratur a nobis ;* atque ita id, quod grave erat, cum laudibus ponens. Ne dolerent ac dicerent : Habesne quod de nobis suspiceris ? atque ita miseri sumus, ut de his rebus apud te in suspicionem veniamus? hinc objectioni medetur, inquiens : Multæ pecuniæ a vobis mittuntur ; atque hæc plenitudo, hoc est, pecuniarum copia, satis magnam vim habet ad sinistram suspicionem in improborum animis ciendam, nisi cautionem adhibeamus. 21. *Providemus enim bona non solum coram Domino, sed etiam coram hominibus.*

Pauli laus. — Ecquid Pauli par esse queat? Non enim dixit : Pereat atque ejulet qui hujusmodi quidpiam suspicari in animum induxerit ; donec me conscientia mea condemnet, hujusmodi suspiciones nihil moror : sed quo imbecilliores ipsi erant, eo magis ad eos sese demittebat. Ægrotanti quippe non succensere, sed opem afferre oportet. Et quidem a quo peccato tam longe remoti sumus, quam ille ab ejusmodi suspicione? Nam ne si dæmon quidem fuisset, hoc beati illius viri ministerium suspectum habuisset. Et tamen ille, quamlibet ab hac præpostera suspicione procul dissitus, nihil non agit ac molitur, ut ne umbram quidem ullam iis relinquat, qui quoquo modo suspicari aliquid mali velint, ac non modo accusationes fugit, sed etiam leves reprehensiones ac nudas suspiciones. 22. *Misimus autem cum illis et fratrem nostrum.* En rursus alium quoque adjungit, eumque non sine laude, calculoque tum suo tum aliorum multorum. *Quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse, nunc autem multo sollicitiorem.* Postea- quam eum ab his quibus præditus erat virtutibus laudavit, ab ea quoque qua illos complectebatur benevolentia eum laudibus evehit ; quodque de Tito dixerat, *Cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est,* hoc de eo quoque prædicat dicens, *Nunc autem multo sollicitiorem ;* studii erga Corinthios atque amoris semina prius in ipsorum animis inserens. Ac demum, eorum virtute declarata, Corinthios jam pro ipsis sic hortatur : 23. *Sive pro Tito, qui est socius meus, et in vobis adjutor.* Quid est, *Sive pro Tito?* Si quid dicere necesse est, inquit, hoc dicere habeo, quod socius meus est, et in vobis adjutor. Hoc enim est quod ait. Vel certe hoc vult : Si pro Tito aliquid feceritis, non vulgari cuipiam homini feceritis ; socius quippe meus est. Quibus verbis cum eum laudare videatur, eos ipsos effert, ita affectos eos esse demonstrans, ut ad honorem alicui habendum satis ampla apud eos materia sit, ipsius socium esse. At hoc minime contentus, alterum quoque adjecit dicens : *In vobis adjutor.* Non utcumque adjutor, sed in iis rebus, quæ vestra intersunt, in vestro profectu atque incremento, in amicitia, in studio erga vos : id quod ad eorum benevolentiam ipsi conciliandam maximam vim habebat. *Sive fratres nostri.* Sive de aliis, inquit, quidpiam audire vultis, hi quoque maximas apud vos æquissimasque commendationis causas habent. Nam et ipsi *Fratres nostri* sunt, inquit, *et apostoli Ecclesiarum ;* hoc est, ab Ecclesiis legati sunt. Deinde quod omnibus præstat, *Gloria Christi.* Ad eum enim omnia ea referuntur, quæ in ipsos facta fuerint. Quocirca, si ipsos ut fratres excipere vultis, sive ut Ecclesiarum legatos, sive ut Christi gloriam vobis proponentes, multas erga eos benevolentiæ occasiones habetis. Nam pro Tito quidem hoc dicere habeo, quod socius quoque meus sit, vestrique amans ; pro iis autem, quod fratres, quod Ecclesiarum legati, quod gloria Christi.

3. Videsne perspicuum hinc quoque esse, illos Corinthiis tum ignotos fuisse? Alioqui enim a quibus rebus Titum, ab iisdem etiam ipsos ornasset, nempe a benevolentia quam erga eos haberent. Sed quia nondum ipsis noti erant, Ut fratres, inquit, eos suscipite, ut Ecclesiarum apostolos, denique ut ad Christi gloriam hoc facientes : unde subjungit : 24. *Ostensionem ergo, quæ est caritatis vestræ et nostræ gloriæ pro vobis, in illos ostendite in facie Ecclesiarum.* Nunc, inquit, planum facite quam me ipsi ametis, quamque ego rursus in vobis non frustra ac temere glorier : hoc porro ita demum planum facietis, si ipsis caritatem præstiteritis. Postea terrorem quoque sermoni suo adjicit dicens : *In faciem Ecclesiarum ;* hoc est, ad Ecclesiarum gloriam et honorem. Nam si ipsis honorem habueritis, Ecclesiis profecto, a quibus missi sunt, honor a vobis habitus erit. Neque enim ad eos dumtaxat honor permanat, sed ad illos etiam, a quibus missi atque ordinati sunt ; et præ omnibus id ad Dei gloriam tendit. Nam cum eos, qui illi ministrant, honore afficimus, ad illum utique laus ea pervadit. In communi Ecclesiarum ; hoc est, in publico Ecclesiarum cœtu. Quod quidem non leve ducendum est : magna quippe sacri conventus, hoc est Ecclesiarum,

vis ac potentia est. Animadverte quanta sit vis cœtus Ecclesiæ : oratio Petrum e vinculis exemit, Pauli os aperuit (*Act.* 12. 5) : horum suffragium eos, qui ad spirituales dignitates veniunt, haud leviter exornat. Ac propterea is, qui ordinaturus est, illorum preces tum poscit, atque ipsi calculum suum addunt, acclamantque ea quæ norunt qui mysteriis initiati sunt : neque enim fas est coram profanis cuncta detegere. Interdum autem nihil inter sacerdotem interest, et eos quibus præest, velut cum tremenda mysteria percipienda sunt : æque enim omnes ad ea admittimur : non sicut in Veteri Testamento alia subditus edebat, nec plebi fas erat iis vesci, quibus sacerdos vescebatur. Nunc autem secus se res habet, omnibus siquidem unum corpus, unum poculum proponitur. In precationibus quoque populum videris multum conferre. Etenim pro energumenis, et pro iis qui in pœnitentia sunt, communes et a sacerdote et ab ipsis preces fiunt ; atque omnes unam eamdemque precem concipiunt, precem, inquam, misericordia plenam. Rursus cum eos, qui sacrosanctæ mensæ participes esse nequeunt, a sacris septis arcemus, ineunda est altera oratio, in qua omnes æque humi jacemus, omnes æque consurgimus. Ad hæc cum pax danda vicissimque accipienda est, omnes mutuo nos exosculamur. Jam in tremendis quoque mysteriis, ut sacerdos pro plebe, ita plebs pro sacerdote vota facit : hæc enim verba, *et cum spiritu tuo*, nihil aliud quam hoc significant. Rursus ea oratio, qua Deo gratiæ aguntur, utriusque communis est : neque enim ipse solus gratias agit, sed etiam plebs universa. Nam cum prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt id digne ac juste fieri, tum demum gratiarum actionem auspicatur. Quid autem miraris, si cum sacerdote plebs interdum loquatur, cum etiam cum ipsis Cherubim ac supernis Virtutibus sacrosanctos illos hymnos communiter in cælum mittat ? Hæc porro cuncta eo a me dicuntur, ut unusquisque, etiam ex iis qui subsunt, advigilet ; illudque intelligamus, nos omnes unum corpus esse, tantumque dumtaxat inter nos differre, quantum membra a membris differunt : ac proinde ne omnia ad sacerdotes rejiciamus ; quin potius nos Ecclesiæ totius, perinde ac communis corporis, cura afficiamur. Hoc enim et majorem securitatem affert, et majus virtutis incrementum nobis comparat. Audi quippe quomodo apostolorum tempore ipsi persæpe eos, quibus præerant, consilii socios adhibebant. Nam cum septem diaconos crearent, ad plebem prius retulerunt ; et cum Petrus Matthiam, de ea re cum omnibus qui tum aderant, tam viris quam mulieribus, agitavit. Neque enim hic qui præsunt fastum præ se ferre debent, nec qui subsunt, servi habendi sunt ; verum spirituale imperium est, hoc præsertim nomine superiores partes obtinens, quod pro vestræ salutis cura plures labores suscipiat, non autem quod plures honores requirat. Etenim omnes, ut domum unam, sic Ecclesiam habitare ; ut unum corpus, ita affectos esse convenit : quemadmodum et baptisma unum est, et mensa una, et fons unus, et creatio una, sic et Pater unus. Cur ergo disjuncti et dissecti sumus, cum tot summæ conjunctionis vincula habemus ? Rursum enim eadem deplorare cogimur, quæ sæpenumero luctu prosequuti sumus : luctu quippe dignus est hic rerum status, in quo alii ab aliis usque adeo abrupti sumus, cum contra corporis unius compagem imitari nos oporteat. Sic enim a minore quoque is, qui major est, lucri aliquid facere queat. Nam si Moses quidpiam, quod in rem esset, ex socero didicerit, quod ipse non animadvertebat : quanto magis in Ecclesia hoc usu venire possit ? Quid autem causæ est, cur quod profanus homo perspiciebat, hoc spiritualem fugeret ? Ut omnes qui tunc erant hominem eum esse intelligerent, et in secando mari et in effringenda petra Dei auxilio indigere, miraculaque ea, non humanæ naturæ, sed divinæ potentiæ adscribi debere. Nunc quoque, si quispiam parum utilem sententiam dixerit, surgat alter ac loquatur.

Moses cur Jethro soceri consilium admiserit. — Quod si quamvis inferior sit, aliquid tamen quod ex usu sit dicat, sententiam illius comproba, nec eum quamlibet abjectum asperneris. Neque enim quisquam horum tam a proximo suo distat, quam socer ille a genero Mose, qui tamen sermonem ipsius minime fastidivit ; verum et consilium excepit eique paruit, et literis quoque mandavit, nec ejusmodi rem historiæ prodere erubuit, ut multorum hominum fastum dejiceret : ob idque hæc tamquam in cippo insculpta reliquit, quod multis hanc historiam utilitati fore perspectum haberet. Ne ergo eos qui optima dat consilia, etiamsi ex subditorum numero sint et abjectæ sortis, contemnamus, nec quæ ipsi censuerimus, ea prorsus obtinere velimus ; verum ut ea, quæ utilia visa fuerint, omnium calculis comprobentur. Plerique enim cæcutientium multa clarius perspexerunt, quam qui acute cernebant, quod contentionem majorem ac studium adhibuissent. Nec vero dicas, Ecquid me in consilium vocas, si verbis meis non obtemperas ? non enim consultoris, sed tyranni hæ accusationes sunt. Nam qui consultor est, hoc solum in arbitrio suo habet, ut quid censeat dicat : quod si sententia alia conducibilior appareat, et ipse suam sequi velit, non jam consultorem, ut jam dixi, sed tyrannum agit. Ne igitur sic faciamus, sed animum ab omni fastu atque arrogantia eximentes, id spectemus, non ut ea solum quæ ipsi decreverimus stent, sed ut ea sententia quæ conducibilior fuerit valeat, etiamsi a nobis minime allata sit. Neque enim parum lucri hinc colligemus, etiamsi ipsi quæ in rem sint non reperiamus, si ea quæ ab aliis utilius animadversa fuerint amplectamur ; et magnam a Deo mercedem accipiemus, inde maxime gloriam consequemur. Ut enim is qui utilem sententiam dixit, sapiens : ita nos, qui eam comptexi sumus, prudentiæ candorisque laudem feremus. Ad hunc modum et domus et civitates, et ad hunc modum Ecclesia gubernata,

majoribus incrementis augebitur : nos quoque præsenti vita optime instituta, futuris bonis potiemur : quibus utinam omnes potiamur per gratiam et benignitatem, etc.

HOMILIA XIX.

Cap. 9. v. 1. *Nam de ministerio quod fit in sanctos, superfluum est mihi scribere ad vos.*

1. Posteaquam tot verba de ea re habuit, ait : *Superfluum est mihi scribere ad vos.* Nec vero in hoc tantum ipsius prudentia enitet, quod, tam longa oratione habita, supervacaneum esse ait ad eos scribere, sed in hoc etiam, quod de eadem re rursus verba facit. Nam ea quidem quæ paulo ante dixit, de iis dixit qui pecunias susceperant, hoc videlicet agens, ut ipsi magno in honore haberentur : ea vero, quæ de Macedonibus antea disserebat, nempe quod altissima eorum paupertas in divitias simplicitatis eorum abundaret, cæteraque omnia, ad beneficentiam eleemosynamque spectabant. Et tamen, quamvis tam multa et prius dixisset et rursus dicturus esset, *Superfluum mihi est*, inquit, *scribere ad vos.* Hoc porro eo facit, ut eorum animos alliciat. Pudet quippe hominem, qui ea existimatione est, ut ne consilio quidem egere videatur, mortalium de se opinioni imparem reperiri. Plerumque etiam, cum accusatione utendum est, ita facit, quædam prætermittens : hoc enim non parvam vim habet. Judex siquidem, accusatoris magnanimitatem perspiciens, nihil deinceps suspicionis habet. Id enim secum reputat, nullo modo fieri posse, ut qui, cum multa dicere in promptu haberet, tamen dicere supersederit, is falsa crimina confingat. Sic etiam plura suspicari suadet, quam ipse dixerit ; sibique ipsi probitatis existimationem conciliat. Atque hoc tum in consiliis, tum in laudibus facit. Postquam enim dixit, *Superfluxm est mihi scribere*, vide quo pacto eos moneat : 2. *Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones.* Magnum est quod ipse novit, multo majus quod ad alios efferat : majoris quippe hoc ponderis est ; non enim in tanta hominum multitudine dedecore affici voluissent. Videsne quam in monendo prudentiam adhibeat ? Ab aliis, nempe a Macedonibus, eos cohortatus est : *Notam* enim, inquit, *facio vobis gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ* (2. *Cor.* 8. 1). Ab ipsis hortatus est, his verbis utens : Qui non solum facere, sed et velle cœpistis ab anno superiori. Tum a Domino quoque hortatus est, dicens : *Nostis enim gratiam Domini nostri, quoniam propter vos egenus factus est, cum dives esset* (*Ibid. v.* 9). Rursus ad firmum caput confugit, ab aliis exemplum petens. Zelotypum enim est mortalium genus. Et quidem par erat ut illi Domini potius exemplo, ac deinde præmiorum spe moverentur ; sed quia imbecilliores erant, hac potius ratione ipsos pertrahit. Neque enim quidquam est, quod tantum efficiat, quantum zelus. Ac velim animadvertas quam novo modo hoc invehat. Non enim dixit, Hos imitemini, sed quid ? *Vestra æmulatio provocavit plurimos.* Quid ais ? aliquanto ante dicebas, quod voluntarie et cum multa deprecatione obsecrantes nos : quomodo ergo *Vestra æmulatio* ? Ita est, inquit : non suasimus, non cohortati sumus ; vos laudibus tantum extulimus, de vobis gloriati sumus ; idque ad excitandos illos abunde fuit. Vides quomodo hos per illos, ac vicissim illos per hos excitet, atque zelotypiæ maximam laudem adjungat ? Mox, ne animos illis attollat, orationem arte quadam castigantis more temperat, inquiens : *Vestra æmulatio provocavit plurimos.* Perpende itaque quam turpe sit, eos ipsos, qui hujusce liberalitatis auctores aliis exstiterunt, in hoc largitionis genere posteriores partes ferre. Ideo non dixit, Illos imitemini ; neque enim tanto illos zelo inflammasset ; sed quomodo ? Vestrum illi exemplum sequuti sunt : ne magistri discipulis inferiores videamini. Ac perspice quomodo, ut eos vehementius excitet atque incendat, cum iis se stare simulet, non secus atque in certamine quodam et contentione ad eorum partes se conferens. Ut enim superius dicebat, *Voluntarii et cum multa exhortatione nos deprecantes*, ad nos venerunt, *ita ut Titum rogaremus, ut quemadmodum cœpit, ita et perficiat gratiam istam :* ita hic quoque ait : 3. *Idcirco misi fratres, ut ne quod gloriemur, evacuetur in hac parte.* Videsne quam anxio ac trepido animo sit, ne ea quæ dixit, cohortationis tantum causa dixisse videatur ; Verum quia res ita se habeat, fratres, inquit, misi ; tantæ videlicet mihi propter vos curæ est, ne gloriatio nostra evacuetur. In quo ita se gerit Paulus, ut prorsus ad Corinthiorum partes sese adjungere videatur, tametsi revera omnibus æque consulit. Horum porro verborum hic sensus est : Magnopere propter vos glorior : apud omnes me effero, apud illos etiam me jactavi : quocirca si procrastinetis, commune mihi vobiscum hoc dedecus erit. Atque hic quoque sermonem temperavit : adjecit enim, *In hac parte*, non omnibus in rebus, *ut quemadmodum dixi, parati sitis.* Neque enim dixeram eos paratos fore, sed omnia jam prompta ac parata esse, nec quidquam jam ipsis deesse. Hoc igitur, inquit, reipsa comprobari volo. Postea animi anxietatem his verbis amplificat : 4. *Ne, si venerint Macedones mecum, et imparatos vos invenerint, confundamur, nos* (*ut non dicamus, vos*) *in hac substantia gloriationis.*

2. Major incutitur pudor, cum quis magno numero spectatores adhibet, et eos qui audierunt. Nec vero dixit, Macedones mecum duco ; mecum enim illi ad vos se conferunt ; ne hoc dedita opera facere videatur : quonam autem modo ? *Ne forte, si venerint Macedones.* Fieri siquidem potest ut veniant. Hoc quippe modo suspicionem omnem a se removet : si alio modo dixisset, contentiosiores illos redditurus erat. Vide quomodo non tantum spiritualibus, sed humanis etiam rationibus eos impellat. Nam etsi me, inquit, haud magni ducitis, ac fidenti animo estis, ut a

pressisses? annon flumina quoque in vinum verti cupiisses? annon omnibus rebus pestem atque exitium attulisses? Si alimenti certa mensura est, quam cum excedimus, valetudinem lædimus, ac ne sic quidem tamen frenum pati potes, verum eo perrupto omnes omnium facultates accipis, ut improbæ gulæ tyrannidi administram operam præstes : quid non fecisses, si modus hic a natura constitutus sublatus esset? annon universum vitæ tempus in hoc impendisses? Num igitur oportebat cupiditatem adeo absurdam confirmare, atque perniciem ex immoderatione nascentem minime coercere? et quot tandem hinc alia incommoda non orta fuissent? Verum, o vecordes homines! qui cum in crapula reliquisque luxuriæ generibus tamquam in cœno volutentur, si paulum resipuerint, nihil aliud sedentes faciunt, quam ut his verbis utantur : Cur hoc in hanc rem insumitur? cum contra peccata ipsi sua accusare debeant. Nam pro eo quod ais ; Quare Deus certos fines constituit? quare non omnia temere feruntur? ita loquere : Quare ebrietati studere non desinimus? quare non satiamur? quare animantes rationis expertes stoliditate superamus? Hæc enim eos inter se quærere conveniebat, atque apostolorum vocem audire, perspectumque habere quotnam his viris bona ex eleemosyna oriri testetur, atque hunc thesaurum præripere. Hoc enim, nempe pecunias aspernari, probos, ut ab eo dictum est, homines reddit, et ut Dei gloria celebretur, efficit, et caritatem inflammat, et magnitudinem animi gignit, et sacerdotes constituit sacerdotio fungentes, quod ingentem mercedem afferat. Nam qui eleemosynæ studiosus est, non ille quidem talari veste indutus est, nec tintinnabula circumfert, nec corona redimitus est; verum beneficentiæ stola, quæ sacram illam vestem sanctitate superat, vestitus est, oleoque delibutus, non ex materia quæ in sensum cadat, sed a Spiritu effecto; coronam a commiseratione contextam habet; ait enim Scriptura : *Qui coronat te in misericordia et miserationibus* (*Psal.* 102. 4) : ac pro lamina Dei nomen gestat, imo Dei similitudinem assequitur. Quomodo? *Similes*, inquit, *eritis Patri vestro qui in cœlis est* (*Matth.* 5. 45).

3. Visne etiam ipsius altare intueri? Non illud Beseleel, non ullus artifex alius exstruxit, sed Deus ipse, non ex lapidibus, sed ex materia cælo illustriore, hoc est, ex animis ratione præditis. At dices : In sancta sanctorum ingreditur sacerdos. Licet tibi, hoc sacrificii munus obeunti, in adyta magis tremenda ingredi, in quibus nemo adest, nisi Pater tuus, qui te in abscondito videt (*Id.* 6. 6), in quibus nemo alius cernit. Quomodo, inquies, fieri potest, ut nemo videat, cum palam sit altare? Hoc enim est, quod admirationem movet : quia tunc quidem portæ undique et vela solitudinem efficiebant; nunc vero palam rem sacram facienti, ut in sanctis sanctorum, majoreque cum animi horrore hoc facere licet. Nam cum non humanæ ostentationis causa hoc facis, viderit licet universus orbis, nullus vidit, quando ita fecisti. Neque enim tantum dixit Christus, *Ne faciatis coram hominibus* ; sed adjecit, *Ut videamini ab eis* (*Matth.* 61). Hæc ara ex ipsis Christi membris constat, ac Domini corpus altare tibi efficitur. Hoc ipsum verere : in carne victimam Domini immolas. Hoc altare præsenti quoque altari terribilius est, nedum veteri illo. Verum ne turbemini : hoc enim admirandum quidem est ob victimam, quæ in ipso imponitur; illud autem, hoc est, hominis misericordiæ studiosi, non hoc dumtaxat nomine, sed etiam quia ex ipsa quoque victima, quæ hoc efficit, constructum est. Rursum hoc altare admirandum est, quia natura quidem lapis est, sanctum autem efficitur, postquam Christi corpus excipit; illud vero quia Christi corpus est. Itaque hoc horribilius est quam illud, cui tu laicus adstas. Ecquid jam tibi Aaron videtur, si cum his rebus conferatur? quid corona? quid tintinnabula? quid sancta sanctorum? Nam quid jam vetus illud altare ad comparationem afferre necesse est, cum etiam cum hoc nostro collatum, adeo splendidum apparuerit? At tu altare quidem hoc in honore habes, quia Christi corpus capit; eum autem, qui ipsummet Christi corpus est, contumelia afficis ac pereuntem despicis. Hoc altare ubique et in vicis et in foro situm videre poteris, singulisque horis in eo rem sacram facere : nam hic quoque sacrificium obitur. Et sicut stat sacerdos, Spiritum accersens : ita tu quoque Spiritum accersis, non voce, sed rebus ipsis. Neque enim quidquam est, quod perinde Spiritus ignem retineat atque accendat, ut oleum istud largiter effusum. Quod si etiam scire expetis, quid fiant quæ abs te deponuntur, accede, et ea tibi commonstrabo. Quisnam igitur hujus aræ fumus est? quæ fragrantia? Gloria, et gratiarum actio. Quonam usque progreditur? ad cælum usque? Imo vero ipsum cælum transcendit, et cælum cæli, atque regio ipsi solio adstat : *Preces enim tuæ*, inquit, *et eleemosynæ ascenderunt in conspectum Dei* (*Act.* 10. 4). Atque ea odoris suavitas, quæ in sensum cadit, ne magnam quidem aeris portionem intersecat; hæc autem ipsos etiam cælorum fornices reserat. Ac tu quidem taces, res autem ipsa clamat; fitque sacrificium laudis, non vitula jugulata, nec pelle cremata, sed spirituali anima, quæ sua sunt afferente. Omni enim humanitatis genere sacrificium istud est præstantius. Cum ergo pauperem fide præditum cernis, existima te altare videre : cum hujusmodi pauperem conspicis, non modo eum contumelia ne affice, sed etiam verere. Quod si alterum contumeliam ipsi inferentem videas, prohibe atque injuriam propulsa. Sic enim poteris et ipse propitium Deum habere, ac promissa bona consequi : quæ utinam nobis omnibus consequi detur, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, etc.

HOMILIA XXI.

CAP. 10. v. 1. *Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis.* 2. *Rogo autem vos ne præsens audeam per eam confidentiam, qua existimor audere, in quosdam qui arbitrantur nos, tamquam secundum carnem ambulemus.*

1. Postquam institutum de eleemosyna sermonem, ut oportebat, absolvit, ostenditque plus eos a se amari, quam ab ipsis ametur, atque insuper de patientia sua et de tentationibus verba fecit; tempestive jam ad objurgandum se confert, pseudoapostolos subindicans, et in iis quæ molestiora erant sermonem concludens, ac seipsum commendans. Nam hoc quoque in tota epistola facit; idque etiam sentiens, plerumque se ipse corrigit, his verbis utens. *Num iterum nosipsos commendamus* (2. *Cor.* 3. 1)? atque ulterius progrediens: *Non rursus nosipsos commendamus, sed occasionem damus vobis gloriandi* (2. *Cor.* 5. 12); et postea, *Insipiens factus sum gloriando: vos me coegistis* (2. *Cor.* 12. 11). Ac multas hujusmodi correctiones adhibuit. Nec vero quispiam aberrabit, qui hanc epistolam Pauli encomium appellarit: adeo copiose et quæ gratiæ sunt, et quæ ad ipsius patientiam attinent, largiter describit. Quoniam enim nonnulli erant, qui magnifice de se sentirent, ac seipsos Paulo anteferrent, eumque ut arrogantem, ut nullius pretii hominem, ut nihil sani docentem traducerent (nam hoc corrupti eorum animi vel maximum erat indicium); vide quomodo eos objurgare incipiat: *Ipse autem ego Paulus.* Viden' qua gravitate, qua auctoritate loquatur? Hoc enim perinde est ac si diceret: Obsecro vos, ne me cogatis, ac mea adversus eos, qui me parvipendunt et carnalem hominem esse existimant, potentia uti sinatis. Hoc porro minis illis acerbius est, quas in priore ad eos epistola his verbis intentabat: *In virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu lenitatis?* nunc autem, *Quasi non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem et cognoscam, non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem* (1. *Cor.* 4. 21. 18. 19). Utrumque etenim hoc loco ostendit, nimirum et potentiam, et lenitatem ac patientiam, ut qui tali modo tamque accurate roget atque obsecret, ut ne ad ultricis suæ potentiæ demonstrationem venire necesse habeat, atque ferire ac supplicio afficere pœnasque ab iis extremas expetere. Hoc enim his verbis subindicavit, *Rogo autem vos ne præsens audeam per eam confidentiam, qua existimor audere, in quosdam qui arbitrantur nos, quasi secundum hominem ambulemus.* Interim vero ad id, quod in initio positum est, sermonem conferamus: *Ipse autem ego Paulus.* Magna in his verbis emphasis, magna gravitas inest; ut alio loco ait: *Ecce ego Paulus dico vobis* (*Gal.* 5. 2); et rursus, *Ut Paulus senex* (*Philem.* 19); et rursum alio loco, *Ipsa enim adstitit mihi, et mihi ipsi* (*Rom.* 16. 2). Eodem modo hic quoque ait, *Ipse autem ego Paulus.* Atque illud quidem magnum est, quod ipse obsecret; sed alterum majus, quod adjunxit dicens: *Per clementiam et benignitatem Christi.* Nam quia magnum ipsis pudorem incutere studet, clementiam ac mansuetudinem prætendit; hac ratione obnixius supplicans, perinde ac si diceret: Ipsam Christi mansuetudinem, per quam vos rogo, vereamini. Hoc autem ideo dicebat, ut illud planum faceret, se quantamvis illi necessitatem afferrent, tamen ad lenitatem propensiorem esse, non quod viribus non valeret aspere agere, quia sic etiam Christus faciebat. *Qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis.* Quid hoc est? Vel ironice loquitur, eorum verba usurpans. Hoc enim illi dicebant, quod cum præsens ipse esset, nullius omnino pretii, sed vilis ac despicabilis esset; cum autem abesset, tum demum intumesceret ac magnifice loqueretur, ipsosque vexaret ac minis insectaretur. Hoc quippe per hæc verba, quæ sequuntur, subindicat, *Quoniam*, inquit, *epistolæ graves sunt, præsentia autem corporis infirma et sermo contemptibilis.* Ergo vel per ironiam, inquit, magnam asperitatem declarans, ac dicens: Ego ille, coram humilis, ego ille vilis, ut ipsi aiunt; cum autem absum, sublimis: vel certe hoc vult, se, quamvis magnifice loquatur, non ex arrogantia hoc facere, sed quod eorum fiducia niteretur. *Rogo autem vos ne præsens audeam hac confidentia, qua existimor audere, in quosdam qui nos secundum carnem ambulare arbitrantur.* Vides quanta sit hæc indignatio, quamque his verbis eos perspicue arguat? Rogo enim vos, inquit, ne in eam necessitatem me adducatis, ut ostendere cogar, quod præsens quoque viribus ac potentia polleam. Quia enim dicebant me absentem magna adversum vos audacia uti atque efferri, his verbis usus sum: Idcirco obsecro ne mihi hanc necessitatem afferant, ut potentia mea utar. Hoc enim significat illud, *Ea confidentia.* Nec dixit, Qua paratus sum, sed, *Qua existimor.* Necdum enim hoc constitutum est, verum ipsi occasionem præbent: at ego ne sic quidem hoc facere in animum induco. Atqui non ut se, sed ut evangelium ulcisceretur, hoc faciebat. Quod si, ubi prædicationis causa tuenda erat, minime acerbum se præbet, sed moras nectit, rogatque ne tanta sibi necessitas inferatur: multo minus in suis injuriis propulsandis quid quam hujusmodi fecisset.

2. Hoc igitur, inquit, mihi indulgete, ut ne necesse habeam ostendere, quod coram etiam adversus quos par sit fiducia uti queam, hoc est, eos punire ac supplicio afficere. Videsne quam a gloriæ studio alienus esset, nec ostentationis causa quidquam faceret, ut qui, cum necesse esset, audaciam tamen id appellaret? *Rogo* enim, inquit, *ne præsens audeam ea confidentia, qua existimor audere, in quosdam.* Hoc enim magistri officium est, non confestim pœnas sumere, sed corrigere, atque in inferendis suppliciis cunctantem ac tardum esse. Quosnam porro eos intelligit, quibus comminatur? Eos videlicet, *Qui de nobis*

ita existimant, tamquam secundum carnem ambulemus. Nam eum illi ut hypocritam, ut improbum atque arrogantem insimulabant. 3. *In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus.* Hic jam eos figurata voce terret : carnem enim gerimus, inquit ; non id inficior ; verum carni non vivimus. Imo vero ne hoc quidem dixit, sed aliquantisper reservavit, quod ad vitæ laudem pertineret : ac prius de prædicatione disserit, ostendens eam minime humanam esse, nec inferiore ope indigere. Quocirca non dixit, Non secundum carnem vivimus ; sed, *Non secundum carnem militamus ;* hoc est, bellum quidem ac dimicationem suscepimus, at carnalibus armis minime decertamus, nec humanis auxiliis nos tuemur. 4. *Arma enim nostra non sunt carnalia.* Quænam enim arma carnalia sunt ? Opes, gloria, principatus, facundia, gravitas, concursationes, assentationes, simulationes, aliaque ejusmodi. At nostra arma non talia sunt. Qualia ergo ? *Potentia Deo.* Nec dixit, Nos haud carnales sumus, sed, *Arma nostra.* Nam uti jam dixi, de prædicatione verba prius facit, potentiamque universam Deo adscribit. Nec dixit, Spiritualia, quamquam hoc vocabulum abhibendum esset, ut carnalibus opponeretur, sed *Potentia ;* per hoc illud quoque significans atque ostendens, quod illorum arma infirma et imbecilla sint. Atque animadverte quam ipse fastus omnis sit expers. Non enim dixit, Nos potentes sumus, sed, *Arma nostra Deo potentia sunt.* Non nos ea talia paravimus, sed Deus ipse. Quoniam enim ipsi flagris cædebantur et exagitabantur, atque innumeris malis premebantur, quæ quidem imbecillitatis argumentum erant, idcirco Dei potentiam ostendens ait, *Sed Deo potentia sunt.* Nam hoc in primis ipsius vim indicat, quod per hæc arma victoriam adipiscatur. Itaque tamesti nos hæc gestamus ; at ipse tamen est, qui per ea dimicat et operatur. Postea horum quoque armorum longum encomium texit dicens : *Ad destructionem munitionum.* Ac ne munitionis audito nomine, quidquam sensibile cogites, ait : *Consilia destruentes ;* per figurarum loquendi genus emphasim indicans, per id autem quod subjunxit, spirituale hoc bellum esse declarans. Munitiones enim istæ non corpora, sed animos obsident. Quare illis firmiores sunt ; ob idque majoribus etiam armis opus habent. Munitionum porro vocabulo Græcorum fastum intelligit, et sophismatum atque argumentationum vim. Et tamen omnia contra ipsos parata arma superavit. *Consilia destruentes*, 5. *atque omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Persistit in metaphora, ut significantius sese exprimat. Quamvis enim munimenta sint, inquit, quamvis turres, atque aliud quidvis ; his tamen armis cedunt. *Et captivantes omnem intellectum in obsequium Christi.* Atqui incommodam significationem habet captivitatis vocabulum : est enim libertatis eversio. Cur ergo hac voce usus est ? Secundum alteram significationem. Captivitatis enim nomen duplicem significatum habet ; nempe et vi captum esse, atque ita expugnatum, ut jam nulla resurgendi facultas sit. Itaque posterioris hujus significationis ratione hoc vocabulum usurpavit. Ut enim, cum ait, *Alias Ecclesias exspoliavi* (1. *Cor.* 11. 8), his indicat se non furtim accepisse, sed eas exspoliasse atque omnia accepisse : sic etiam hoc loco cum ait, *In captivitatem redigentes.* Neque enim ex æquo pugnabat Paulus, sed facillime victoriam obtinebat. Non dixit, unum, aut duos, sed *Omnem :* non dixit, Vincimus tantum ac superiores exsistimus, sed, In captivitatem redigimus : ut superius etiam non dixit, Tormenta propugnaculis admovemus, sed, Destruimus : armis quippe, inquit, longe eos antecellimus. Non enim verbis pugnamus, sed rebus adversus verba : non in carnali sapientia, sed in spiritu mansuetudinis ac potentiæ. Quomodo ergo gloriaturus eram, inquit, ac per sermonem jactaturus, et per epistolas comminaturus, ut illi eum criminabantur dicentes, *Epistolæ quidem graves* (2. *Cor.* 10. 10) ; cum vis nostra in his minime sita esset ?

3. Postquam autem dixit, *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi ;* quia captivitatis nomen durius erat, tropum hunc confestim dissolvit, his verbis utens : *In obsequium Christi,* a servitute in libertatem, a morte ad vitam, ab exitio ad salutem. Neque enim tantum adversarios sternimus, sed eos ad veritatem transferimus. 6. *Et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia.* Hoc loco non illos tantum, sed et hos quoque metu concutit. Vos enim, inquit, exspectamus, ut posteaquam nostris admonitionibus ac minis correcti ac repurgati, atque ab eorum societate abducti fueritis, tum demum illis qui incurabili morbo laborant, solis relictis, supplicium inferamus, cum vos prorsus ab ipsis abscesseritis. Nam obeditis quidem nunc quoque, verum non integre. Atqui, inquies, si hoc nunc fecisses, majus lucrum consequutus fuisses. Minime vero : si enim nunc hoc fecissem, vos quoque eodem supplicio involvissem. At dices, Eos quidem pœna afficere oportebat, nobis autem parcere. Verum si pepercissem, gratia ductus id facere visus fuissem : nunc vero id minime volo, sed prius vos corrigere, atque hinc ad puniendos illos me conferre. Quid visceribus illis mitius ? quippe qui suos alienis permixtos cernens, plagam quidem inferre vult, cæterum se cohibet atque indignationem reprimit, donec illi secesserint, ut hos solos feriat ; vel potius ut ne hos quidem. Ob id enim his minatur, atque se illos tantum recuperare cupere, ut et isti timore correcti ad meliorem frugem migrent, nec in quemquam iram effundat. Ut enim præstantissimus medicus et pater communis et patronus ac curator, ita omnia agebat, ita omnium commodis consulebat, impedimenta submovens, pestiferos homines coercens, undique cursitans. Neque enim pugnando negotia sic conficiebat, sed ut ad paratam promptamque victoriam pergens, tropæa erigebat, diaboli propugnacula, dæmonumque machinas diruens, demoliens, ac solo æquans, atque prædam omnem ad Christi castra traducebat ; ac ne tantillum quidem respirabat, ab his ad illos, ab illis rursus ad alios

transiliens : non secus atque præclarissimus quispiam imperator, quovis die vel, ut rectius loquar, quavis hora tropæa erigens. Cum unica enim tunicula in aciem ingressus, hostium urbes una cum civibus capiebat : arcuumque, hastarum et telorum, ac denique omnium rerum instar erat Pauli lingua. Loquebatur enim illo tantum, et protinus ipsius verba igne vehementius in hostes labebantur; ac dæmones quidem abigebat, homines autem ab ipsis detentos ad se reducebat. Etenim cum malum illum dæmonem ejecit, præstigiatorum hominum quinquaginta millia confluxerunt, librisque magicis exustis, ad veritatem sese transtulerunt. Et quemadmodum in bello collapsa turri aut prostrato tyranno, omnes, qui eum ipso stabant, abjectis armis ad hostium imperatorem accurrunt : ad eumdem modum tunc quoque accidit : pulso enim dæmone, omnes ii qui obsessi tenebantur, abjectis vel potius deletis libris suis, ad Pauli pedes confugerunt. At ille adversus orbem, quasi adversus exercitum unum, aciem instruens, nusquam consistebat, verum, perinde ac pennis quibusdam præditus, omnia faciebat : ac nunc claudum erigebat, nunc mortuum ad vitam revocabat, nunc alterum, hoc est, magum illum oculorum caligine mulctabat; ac ne in carcere quidem quiescebat, verum illic quoque carceris custodem ad suas partes pertrahebat, præclarum hoc captivitatis genus efficiens.

4. *Paulus imitandus; Marcionis et Manichæi hæresis.* — Hunc igitur nos quoque pro viribus imitemur. Quid autem dico, pro viribus? Licet enim cuivis ad eum propius accedere, ejusque dimicandi præstantiam intueri, ac fortitudinem imitari. Adhuc enim etiam hoc facit, consilia destruens, atque omnem altitudinem sese extollentem adversus scientiam Dei. Et quidem eum plerique hæretici conscindere aggressi sunt; at ipse etiam in membra distractus, ingentis roboris specimen edit. Siquidem et Marcion et Manichæus eo usi sunt, verum concise ac truncatim : at sic tamen etiam a membris confutantur. Nam et manus sola fortissimi hujus viri, cum apud ipsos est, perfacile eos fundit ac fugat; et pes solus, cum apud alios est, eos insectatur ac dejicit, ut ex eo tibi potentiæ ipsius magnitudinem intelligere liceat, quippe qui etiam carne undique concisus, cunctos tamen hostes expugnare possit. Atqui perversitatis hoc argumentum est, inquies, si omnes eo utantur, qui inter se confligunt. Perversitatis quidem hoc sane, non tamen Pauli, absit, sed eorum qui eo abutuntur. Neque enim varius erat, sed simplex et perspicuus; at isti verba ipsius ad suam sententiam detorserunt. Sed cur ita loquutus est, inquies, ut ansam volentibus daret? Non dedit ipse, sed eorum amentia, qui ipsius verbis non ut par erat usi sunt. Quandoquidem et totus hic mundus ingens quidem et præclarus est, divinæque sapientiæ argumentum, et *Cæli gloriam Dei enarrant, et dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam* (*Psal.* 18. 2. 3) : et tamen plerisque ad hunc offendere contigit, atque illi inter se pugnant. Alii enim ita plus quam par erat ipsum admirati sunt, ut deum esse putarent (*a*); alii ita ejus pulchritudinem ignorarunt, ut Dei creatione indignum haberent ac perniciosæ cuidam materiæ magnam ejus partem assignarent. Atqui Deus utrumque communiverat, pulchrum et magnum faciens, ne ab ipsius sapientia alienus esse censeretur, et rursus aliena ope indigentem nec sibi sufficientem, ne eum quisquam Deum esse suspicaretur. Et tamen ipsi a rationibus suis cæcati, in contrarias opiniones inciderunt, seque mutuo confutantes et accusantes, divinamque sapientiam per eas ipsas rationes, quibus in errorem inducti sunt, ab omni reprehensione vindicantes. Quid autem solem, quid cætum commemoro? Judæi tot miracula præ oculis patrari conspexerant; et statim vitulum adorarunt. Rursus Christum dæmones pellentem videbant; et dæmoniacum eum vocabant. Atqui non, qui dæmones depellebat, sed ii, qui mentis oculis capti erant, in crimen vocandi. Proinde ne tu quoque Paulum, ob eorum sententiam qui ipsius verbis abusi sunt reprehende; quin potius da operam, ut ipsius thesaurum probe intelligas opesque explices. Ita fiet, ut ipsius armis munitus adversus omnes strenue dimices; ita fiet, ut et gentilibus et Judæis ora obstruere queas. Quomodo, inquies, cum fidem ipsi non habeant? Per ea, quæ ipsius opera contigerunt; per eam correctionem, quam toti terrarum orbi adhibuit. Neque enim humanæ facultatis erat, tot tantaque perficere; verum Crucifixi vis eum afflans talem effecit, atque oratoribus, philosophis, tyrannis, regibus et quibusvis aliis valentiorem reddidit. Ille enim non modo arma induere, et adversarios ferire poterat, sed alios quoque tales efficere. Ut ergo et nobisipsis et aliis usui esse possimus, ipsum in manibus semper habeamus, atque in ipsius scriptis, tamquam in amœno prato atque horto, summa cum animi voluptate versemur. Sic enim et a vitio nos abstrahere, et virtutem amplecti, et promissa bona consequi poterimus : quæ utinam consequamur, per gratiam ac benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Multi dicebant mundum esse Deum. Qua de re Balbus apud Ciceronem lib. 2 de Natura Deorum, ostendit mundum esse intelligentem, sapientem, deum denique si dîis placeat. Cicero autem ibidem ait : *Quocirca sapientem esse mundum necesse est, naturamque eam, quæ res omnes complexa teneat, perfectione rationis excellere, eoque deum esse mundum omnemque vim mundi divina natura contineri.* Hæc vero fusissime persequitur Dunæus in Notis Savilianis.

HOMILIA XXII.

CAP. 10. v. 7. *Quæ secundum faciem sunt, videtis. Si quis sibi confidit Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se, quia sicut ipse Christi est, ita et nos.*

1. Cum multis aliis hoc maxime in Paulo quis miretur, quod cum in maximam necessitatem inciderit seipsum extollendi, utrumque assequitur, nempe ut et hoc faciat, et tamen ex suarum laudum prædicatione nulli sit molestus : id quod etiam in epistola ad Galatas maxime perspicere licet. Etenim illic quoque in ejusmodi argumentum delapsus, utrumque horum curat : id quod perdifficile sane est, magnamque prudentiam requirit : nam et modestiam tenet, et magnum quiddam de se prædicat. Ac velim consideres, quonam pacto hoc quoque loco magnifice id faciat. *Quæ secundum faciem sunt, videtis.* Perspice quanam hic etiam prudentia utatur. Postquam enim in eos, a quibus decepti fuerant, invectus est, non in illis orationem terminavit, verum ab iis ad hos quoque transilit : atque assidue hanc rationem tenet. Neque enim deceptores tantum, sed eos etiam, quibus fucus factus est, insectatur. Nam si eos a reprehensione immunes abire permisisset, non ita facile ex iis, quæ in alios conjecta fuissent, ad meliorem mentem rediissent ; imo admodum sese, tamquam his criminibus non obnoxii, animis extulissent. Ideo hos quoque perstringit. Nec vero hoc tantum nomine sese admirandum Paulus præbet, sed et hoc etiam, quod congruentem utrisque objurgationem adhibet. Audi quippe quid his dicat : *Quæ secundum faciem sunt videtis.* Non leve hoc crimen est, sed maximum. Quare? Quia hominum genus facile decipi potest. Quasi diceret : Ab his, quæ externe patent, homines probatis, a carnalibus, a corporeis. Quid est, Ab iis quæ externe patent? Si quis opibus circumfluit, si quis intumescit, si quis adulatorum gregibus stipatus est, si quis magna de se prædicat, si quis inanis gloriæ studio ducitur, si quis virtutem qua caret ementitur : hoc enim hæc verba significant, *Quæ secundum faciem sunt, videtis. Si quis confidit sibi se Christi esse, hoc cogitet iterum apud se, quod sicut ipse Christi est, ita et nos sumus.* Neque enim initio vehemens esse vult, verum sensim orationem auget atque amplificat. Ac vide quantum asperitatis in his verbis subsit et ænigmatis. Hæc enim verba, *Apud se*, hæc declarant : Non exspectet dum a nobis id discat, hoc est, ex nostra adversus eum objurgatione ; verum ex seipso id consideret, quod quemadmodum ipse Christi est, ita et nos : non quod ita esset Christi, ut ille, verum, *Sicut ipse Christi est, ita et ego Christi.* Atque hac ratione inter nos est societas : non enim ipse Christi est, ego alterius cujuspiam. Postquam autem hoc, quod æque uterque habebat, posuit, addit id quoque, quo alterum antecellebat. 8. *Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Deus ad ædificationem, et non in destructionem, non erubescam.* Quoniam enim magnum aliquid de se dicere parabat, vide quomodo id præmolliat.

Laus propria quam odiosa. — Neque enim quidquam multos auditores perinde offendit, ut cum quis seipsum laudat. Quocirca, ut invidiæ occurrat, ait : *Etsi amplius aliquid gloriatus fuero.* Nec vero dixit, Si quis confidit sibi se Christi esse, hoc secum reputet quod longo a nobis intervallo distat ; ego enim magnam ab eo auctoritatem habeo, ut quos voluero pœna afficiam : sed quid? *Nam etsi amplius quiddam.* Atqui ineffabile est, quanta potentia polleret ; verum eam verbis contrahit. Nec dixit, Glorior, sed, *Si gloriatus fuero*, si ita voluntas tulerit : sic et modestia utens, et præstantiam suam ostendens. *Si igitur gloriatus fuero*, inquit, *de potestate, quam mihi dedit Dominus.* Rursum totum ipsi adscribit, et commune facit donum. *Ad ædificationem, non ad destructionem.* Vides quo pacto rursus invidiam eam, quam ipsi laudes suæ conflare poterant, mitiget auditoremque sibi conciliet, usum eum commemorans, ob quem hanc potentiam acceperit? Quonam igitur modo ait, *Consilia destruentes?* Quoniam hoc ipsum præsertim ædificationis genus est, impedimenta de medio tollere, et quæ corrupta sunt refutare, ac vera compingere. *Ad ædificationem.* Ergo ad hoc potentiam accepimus, ut ædificemus. Quod si quis obluctetur ac dimicet, atque insanabilis sit, altera quoque facultate utemur, eum diruentes ac prosternentes. Unde etiam ait, *Non erubescam ;* hoc est, non mendax nec arrogans reperiar. 9. *Ut autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas ;* 10. *quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graves sunt et fortes, præsentia autem corporis infirma et sermo contemptibilis :* 11. *hoc cogitet qui talis est, quod quales sumus per epistolas absentes, tales et præsentes in facto.* Quod perinde est ac si diceret : Poteram quidem gloriari, verum ne rursus eadem mihi objiciant, quod per literas me jactem, cum coram despicabilis sim, nihil magnum dicam. Et quidem postea dixit ; verum non de hac potentia, per quam terrori erat, sed de revelationibus, majoreque etiam ex parte de tentationibus. Itaque ne vos dumtaxat metu afficere videar, *Hoc cogitet qui ejusmodi est, quod quales sumus per epistolas absentes, tales et præsentes in facto.* Quoniam enim dicebant, quod magna quidem per literas commemoraret, præsens vero nullius pretii esset, ideo his verbis utitur, iisque rursus parce ac modeste. Non enim dixit, Ut magna scribimus, ita magna quoque præsentes gerimus ; sed demissius loquutus est. Nam cum illos quidem alloqueretur, non sine acrimonia hoc posuit, inquiens, *Rogo autem vos, ne præsens audeam per eam confidentiam qua existimor audere, in quosdam ;* cum autem ad hos verba facit, submissius agit : ob idque ait, *Quales sumus præsentes, tales et absentes ;* hoc est humiles, compositi, nusquam nosipsos jactantes. Idque liquet ex his quæ sequuntur : 12. *Non enim audemus inserere aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant.*

2. Hoc loco illos et arrogantiæ morbo laborare, et magna de seipsis loqui ostendit ; eosque, ut seipsos

commendantes, traducit. At nos, inquit, nihil ejusmodi facimus; verum si quid etiam magni patramus, ad Deum omnia referimus, et nos mutuo comparamus: ideo subjunxit, *Sed ipsi in seipsis sese metientes, et sese sibiipsis comparantes, non intelligunt.* Quod ait, hanc sententiam habet: Non cum illis nosipsos comparamus, sed nosmet inter nos. Nam et ulterius progressus dicebat, *Nihil minus habui a magnis apostolis* (2. *Cor.* 12. 11); et in priore epistola, *Plus illis omnibus laboravi* (1. *Cor.* 15. 10); et rursus, *Signa apostolatus mei facta sunt inter vos in omni patientia* (2. *Cor.* 12. 12). Itaque nosipsos inter nos comparamus, non cum illis, qui nil habent: hujusmodi quippe arrogantia ex amentia oritur. Ergo vel de seipso hoc dicit, vel de illis: quasi dicat, Non audemus nosipsos cum illis conferre, qui inter se contendunt ac magna de se jactant, nec intelligunt, hoc est, non sentiunt quam sint ridiculi, cum ad hunc modum gloriantur, seque ipsos inter se efferunt. 13. *Nos autem non in immensum gloriabimur;* quemadmodum illi. Probabile enim erat, eos jactando eo usque progressos fuisse, ut se orbem terrarum convertisse, atque ad extremos usque terræ fines perrexisse dicerent, multaque alia ejusmodi de se magnifice prædicarent. At nos, inquit, non ita, *Sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos.* Itaque utrimque ipsius modestia elucet, tum quia haud plus quam effecerit dicit, tum quia hoc ipsum Deo acceptum refert. *Secundum* enim *mensuram*, inquit, *regulæ qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos.* Quemadmodum vineam quamdam agricolis dispertiens, ita nobis metas nostras distinxit. Ac proinde non ultra gloriamur, quam quousque nobis pervenire concessum est. 14. *Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos: usque ad vos enim pervenimus in evangelio Christi.* Non simpliciter ad vos accessimus, verum etiam annuntiavimus, concionati sumus, persuasimus, rem probe confecimus. Verisimile enim est illos, cum ad apostolorum discipulos se contulissent, ob simplicem hujusmodi adventum eo arrogantiæ prodiisse, ut omnem rei successum sibi adscriberent. At nos, inquit, non sic nos gessimus; nec quisquam dicere possit, quod ad vos usque proficisci nequiverimus, verbisque solis nostram ad vos usque gloriationem effevamus: nam vobis quoque verbum prædicavimus. 15. *Non immensum gloriantes, sed in alienis laboribus, spem autem habentes crescentis fidei vestræ, in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantiam,* 16. *etiam in illa quæ ultra vos sunt evangelizare, non in aliena regula, in iis quæ præparata sunt gloriari.* Magnam his verbis reprehensionis notam illis inurit, tum quod immodice gloriarentur, tum quod de alienis laboribus. Nam cum sudor omnis apostolorum esset, illi de ipsorum laboribus sese venditabant. At nos, inquit, per opera hæc demonstravimus. Quamobrem non eos imitabimur, verum ea dicemus, quæ rerum ipsarum testimonio nituntur. Quid autem vos dico? Spem enim habeo fore, ut crescente vestra fide: non enim plane affirmat, morem videlicet suum retinens; verum, Spero, inquit, fore ut vobis in fide progressum facientibus regula nostra latius sese extendat, ut ulterius evangelium prædicemus. Longius enim progrediemur, inquit, ut concionemur ac labores suscipiamus, non autem ut de alienis ærumnis nosipsos jactemus. Regulæ autem ac mensuræ vocabulis commode usus est, velut ad orbis terrarum possessionem præstantissimamque hereditatem profectus, ostendens totum opus Dei esse. Ergo hujusmodi res habentes, inquit, ac majores exspectantes, non perinde gloriamur, ut illi qui nihil habent, nec nobisipsis quidquam adscribimus, verum omnia Deo. Unde etiam subdit. 17. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et hoc, inquit, divinitus nobis contingit. 18. *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Non dixit, Nos sumus, sed, *Quem Deus commendat.* Vides quam modeste loquatur? Quod si sermonis progressu altius loquitur, ne mirum tibi videatur: id enim Paulinæ prudentiæ est. Nam si ubique demisse loquutus fuisset, tantam illis plagam minime inflixisset, nec discipulos errore liberasset. Siquidem accidit interdum, ut et intempestiva modestia quispiam utens, detrimentum afferat, et contra, eximium aliquid de se opportune prædicans, prosit: quemadmodum ipse quoque fecit. Neque enim parvum periculum imminebat, ne discipuli de Paulo sinistram aliquam opinionem imbiberent: non quod Paulus humanam gloriam captaret. Nam si eam appetiisset, non magna illa et admiranda, quæ ante quatuordecim annos ipsi contigerant, tanto tempore silentio compressisset; nec profecto, qui urgente etiam necessitate ita dicere cunctabatur, ea tum dixisset, nisi magna necessitate constrictus fuisset.

Paulus male audiebat apud quosdam. — Quocirca non humanæ gloriæ studio hæc dicebat, sed ut discipulis consuleret. Quia enim eum, ut vanum hominem ac verbis quidem sese venditantem, et re ipsa nihil præstare valentem, traducebant; idcirco necesse jam habebat ad revelationes illas venire. Quamquam per res ipsas fidem illis facere poterat, cum hæc diceret, sed tamen verborum minis adhuc utendum censuit; siquidem ab inanis gloriæ cupiditate maxime purus erat: id quod universa ipsius vita, tam ante quam post acta, declarat. Ideo etiam subito ad Christi fidem migravit, statimque ut migravit, Judæos perturbavit, omnemque illum quo apud eos florebat honorem abjecit, etsi caput eorum atque antistes erat. Verum inventa veritate nihil horum animo versavit, sed ea cum probris et ignominiis commutavit. Multorum quippe salutem sibi ob oculos proponebat, in hoc omnia posita existimans. Et sane qui fieri potuisset, ut qui nec gehennam nec regnum nec innumerabiles mundos præ Christi amore quidquam esse duceret, is vulgi gloriam venaretur? Minime profecto: imo contra perquam humilis erat, cum liceret, priorem-que vitam proscindebat, cum blasphemum se ac persequutorem et contumeliosum appellaret. Atque ipsius

etiam discipulus Lucas de eo multa commemorat, quæ nimirum ex ipso didicerat, cum priorem vitam suam ei non minus quam sequentem exponeret.

3. Hæc autem dico, ut non tantum audiamus, sed etiam discamus. Nam cum ille peccata, quæ ante baptismum admiserat, etsi prorsus exstincta, in memoria tamen haberet : quam nos veniam consequi possimus, qui ea etiam, quæ post baptismum perpetravimus, oblivione delemus? Quid ais, homo? Deum offendisti, et obliviscetis? Altera jam est hæc offensio, altera inimicitia. A quibusnam ergo peccatis solvi petis? an ab iis, quæ ne tibi quidem nota sunt? Ita sane. Non enim laboras, anxioque animo es, quo pacto eorum rationem redditurus sis, qui ne memoria quidem ea tenere cures, sed ludas in minime ludicris. Verum aderit illud tempus, cum non jam ultra nobis ludus hic procedet. Prorsus etenim mori necesse est (eo quippe plerique stupore sunt, ut de perspicuis quoque rebus loqui necesse sit), prorsus resurgere, prorsus judicium subire, ac pœna affici : quamquam ne hoc quoque, si quidem velimus. Nam illa quidem, hoc est, mors nostra et reditus ad vitam et judicium, nostri arbitrii non sunt, verum Domini nostri ; at vero pœnas vel subire vel non subire, in arbitrio nostro situm est : hoc enim ex eorum genere est, quibus provideri potest. Quamquam si voluntas nostra ita tulerit, hoc ex eorum classe faciemus, quæ nullo modo fieri possint, ut Paulus et Petrus atque omnes sancti : illi enim supplicio affici nullo modo possunt. Proinde si voluerimus, eodem modo impossibile erit, ut aliquid mali perpetiamur. Nam etiamsi innumeris nosipsos sceleribus obstrinxerimus, salutem tamen recuperare possumus, quamdiu hic sumus. Quocirca demus operam, ut nosipsos recuperemus : atque is quidem, qui senili ætate est, cogitet se propediem hinc excessurum esse, ac satis diu ætatem in voluptate duxisse : quamquam, quæ hæc voluptas est, in vitiis vitam exigere? verum ad ipsius opinionem orationem interim accommodo ; animadvertat postea, licere ipsi omnes maculas exiguo tempore abstergere. Juvenis rursum secum reputet quam incertus vitæ finis sit, quodque sæpe contigit, ut multis senibus diutius hic manentibus, juvenes ante ipsos morte abrepti sint. Ideo enim noster e vita discessus in incerto jacet, ne eum negotiemur (*a*). Unde etiam Sapiens quidam his verbis nos admonet : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem* (*Eccli.* 5. 8) ; *nescis enim quid paritura sit superventura dies* (*Prov.* 27. 1). Ex dilatione quippe periculum ac metus nascitur : sin vero quis moram omnem fugiat, perspicua ei et certa salus. Proinde virtutem complectere. Sic enim, sive juvenis hinc abscedas, tuto abscedes ; sive ad senilem ætatem pervenias, cum amplissimis opibus excedes, duplicemque lætitiam ac festivitatem per omnem vitam habebis, nimirum et a vitio abstinens, et virtutem amplexans.

(*a*) Quid sibi velit Chrysostomus non statim percipitur, verum in sequentibus non obscure loquitur ; sed ex incerto mortis tempore, ad non differendam conversionem et pœnitentiam concitat.

Cave dixeris, Erit tempus cum ad meliorem frugem revertendum erit : hæc enim verba Deum majorem in modum ad iracundiam concitant. Quid tandem? Quod cum ille infinita tibi sæcula pollicitus sit, tu contra in præsenti hac vita, quæ brevis ac fluxa est, nullum laborem suscipere velis ; verum ita dissolutus et ignavus sis, ut etiam hac ipsa breviorem requiras. Annon eædem comessationes quotidie? annon eædem mensæ? annon eadem scorta? annon eadem theatra? annon eædem pecuniæ? Quousque ista tamquam vera et solida amabis? quousque inexplebili vitii cupiditate teneberis? Memento quod quoties scortatus es, toties teipsum condemnasti. Hujusmodi quippe est peccatum : protinus ut perpetratum est, sententiam fert judex. Mero te obruisti, cibis te ingurgitasti, rapuisti? Consiste jam, teque in contrariam viam refer : Deo gratias age, quod te inter media peccata non abripuit : ne alterum quoque tibi tempus ad flagitiose vivendum præfiniri postules. Multi, dum avaritiæ studerent, hinc abrepti sunt, atque ad perspicuas certasque pœnas abscesserunt. Ne idem tibi inexcusabili accidat, time. At, inquis, multis Deus in extrema quoque senectute peccata sua confitendi spatium concessit? Quid tum? an tibi quoque concedet? Fortasse, inquis. Quid ais, fortasse, et interdum, et sæpe? in mentem tibi veniat, te de anima tua consilium inire : contrarium pone, tecumque ita reputa ac dic, Quid autem, si non concesserit? Tu contra, quid si concesserit, inquis? Concessit quidem ipse ; verumtamen hoc illo tutius et utilius. Etenim si jam probe vivere incipias, sive certum vitæ spatium acceperis sive non, omnia lucratus eris : si autem moras quotidie nectas, ideo persæpe non accipies. Enimvero, cum ad bellum proficisceris, non dicis, Non necesse est testamentum condere ; fortasse revertar : nec, cum de ineundo matrimonio consultas, dicis, Uxorem egentem accipiam ; multi enim præter opinionem ad opes ita pervenerunt : nec, cum domum exstruere paras, Infirma fundamenta jaciam ; permultæ enim ædes sic etiam constiterunt : at cum de anima consilium inis, imbecillioribus niteris, nimirum illo, fortasse, sæpe, interdum, incertisque eventibus teipsum committis. Non incertis, inquis, eventibus, sed Dei benignitati : benignus enim est Deus. Id ipse quoque compertum habeo ; sed tamen benignus hic illos etiam, quos dixi, de medio sustulit. Quid vero, si accepto longiori vitæ spatio, idem ipse tuique similis maneas? nam qui ejusmodi est, in senectute quoque ignavus erit. Non, inquies. Sed is qui hæc cogitat, etiam post octoginta annos, nonaginta requirit, et post nonaginta, centum, et exactis centum annis segnior adhuc erit ; atque ita tota vita incassum absumetur, tibique etiam id accidet, quod de Judæis dictum est, *Defecerunt in vanitate dies eorum* (*Psal.* 77. 33). Atque utinam in vanitate dumtaxat, ac non etiam in perniciem. Cum enim illuc abierimus, gravem peccatorum sarcinam gestantes (hoc quippe est in perniciem), alimentum igni, ingentemque vermi mensam deferemus. Quamobrem rogo atque obsecro,

ut tandem aliquando fortiter stemus, nosque a vitio removeamus, ut promissa bona consequamur : quæ utinam nobis omnibus consequi detur, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIII.

Cap. 11. v. 1. *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, imo vero sustinetis me.*

1. Ingressurus in suas laudes, magna præmunitione utitur, idque non semel dumtaxat atque iterum facit : quamquam alioqui argumenti necessitas ad eum purgandum sufficiebat, et ea quæ persæpe ab ipso dicta fuerant. Nam qui peccata ea, quæ Deus e memoria ejecerat, in memoria habebat, ob idque apostoli quoque nomine indignum se esse aiebat, perspicuum utique est vel admodum stupidis ac vecordibus, quod non gloriæ studio ea dicit, quæ nunc dicturus est. Etenim, ut mirum aliquid dicam, hoc ei ad gloriam plurimum incommodi afferebat, quod suas ipse laudes prædicaret : id enim plerosque offendit. Et tamen ne hoc quidem facere supersedebat, verum unum spectabat, ut auditorum saluti consuleret. Cæterum ne hoc nomine stultorum animos læderet, quod magnificis de se sermonibus uteretur, ex abundanti multas hasce præmunitiones adhibuit, aitque, *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ ; imo vero sustinetis.* Vides prudentiam? Nam dum, *Utinam*, dicit, hoc eorum arbitrii esse statuit ; dum autem affirmat, planum reddit, se eorum benevolentiæ majorem in modum confidere, atque et eos amare et vicissim ab ipsis amari. Vel potius, non tam a simplici ac vulgari benevolentia, quam a ferventi quodam et insano amore oportere ait eos se etiam insipienter gerentem perferre. Unde etiam subjunxit, 2. *Æmulor enim vos Dei æmulatione.* Non dixit, Amo enim vos ; sed quod multo vehementius erat, ponit. Zelotypia enim laborant eorum animi, qui erga eos quos amant ardentius affecti sunt. Neque enim aliunde oriri queat zelotypia, quam ab acri ac vehementi amicitia. Deinde ne putent ab eo vel honoris, vel pecuniarum, vel alius cujusquam rei causa amorem suum expeti, adjecit, *Dei æmulatione.* Deus etenim zelo affici dicitur, non ut perturbationem aliquam suspiceris ; Deus enim ab omni perturbatione remotus est ; verum ut omnes intelligant, eum non aliam ob causam, quam ob eos ipsos, quos zelotypia prosequitur, omnia facere : non ut ipse quæstum aliquem hinc faciat, sed ut eis salutem afferat. Nam in hominibus non ita zelus efficitur, verum ob privatam quietem : non quod contumelia afficiantur qui amantur, verum quod non perinde tangantur ii qui amant, sed superentur minoresque partes ferant apud eos quos amant. Hic autem non ita se res habet. Non enim, inquit, id mihi curæ est, ne inferiore apud vos conditione sim, sed ne vos corruptos videam. Hujusmodi enim Dei zelus est, talis quoque meus, vehemens simul ac purus. Sequitur autem causa necessaria : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Ergo non mea causa, sed illius, cui vos despondi, zelo ardeo. Sponsalium enim præsens hoc tempus, alterum nuptiarum, tum videlicet, cum dicetur, Surrexit sponsus. O rem novam! in mundo virgines ante matrimonium manent, post matrimonium non item. Hic autem non sic ; verum etiamsi virgines ante hoc matrimonium non sint, post initum matrimonium virgines efficiuntur. Sic tota Ecclesia virgo est. Etenim ad omnes et conjugatos et conjugatas Paulus loquitur. Videamus autem quid secum ferens nos desponderit, quam dotem. Non aurum, non argentum, sed cælorum regnum : unde etiam dicebat, *Pro Christo legatione fungimur* (2. *Cor.* 5. 20) ; atque obsecrat, cum sponsam accepturus erat. Hujus rei figuram gerebant ea, quæ tempore Abrahæ contigerunt. Etenim ille fidelem servum misit, qui puellam ethnicam desponderet : hic quoque Deus servos suos misit, qui filio suo Ecclesiam desponderent, ac prophetas, olim his verbis utentes : *Audi, filia, et vide, et obliviscere populum tuum et domum patris tui* (*Psal.* 44. 11. 12). *Et concupiscet rex decorem tuum.* Vidisti etiam prophetam despondentem? vidisti etiam apostolum cum magna fiducia hoc verbum proferentem ac dicentem, *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo?* Vidisti rursus prudentiam? Postquam enim dixit, Æquum est ut me sustineatis, non dixit, Magister enim vester sum, nec, Mea causa hæc dico ; sed quod potissimum illis dignitatem afferebat, hoc ponit, nimirum se pronubæ, illos autem sponsæ loco constituens. Ac postea subjungit, 3. *Timeo autem, ne forte ut serpens Evam decepit per astutiam suam, sic corrumpantur sensus vestri a simplicitate quæ est in Christo Jesu.* Nam etsi exitium vestrum est ; at mœror tamen mihi vobiscum communis est. Ac vide qua prudentia utatur : neque enim hoc perspicue indicat, tametsi ipsi corrupti erant ; idque his verbis ostendebat, *Cum impleta fuerit obedientia vestra,* et, *Lugeam multos qui peccaverunt* (2. *Cor.* 10. 6. *et* 12. 21). Sed tamen non sinit eos pudorem mittere ; ideoque ait, *Ne forte.* Neque enim condemnat, nec rursus silet : neutrum quippe tutum erat, nempe vel aperte dicere, vel perpetuo occultum tenere. Quocirca id quod medium erat ponit, dicens, *Ne forte.* Hoc enim nec admodum condemnantis erat, nec rursus magnopere fidentis, sed inter hæc duo stantis. Ita eos consolatus est : atque per historiæ commemorationem incredibilem quemdam metum ipsis incussit, omnemque veniam ademit. Quamvis enim et serpens versutus esset, et illa stulta ; neutrum tamen horum mulierem supplicio exemit.

2. Videte itaque, ait, ne hoc vobis accidat, nec quidquam vobis præsidio sit. Nam ille quoque majora pollicitus, hac ratione ipsam in fraudem induxit. Unde liquet istos quoque sese jactantes atque inflantes, ipsos decepisse. Atque hoc non modo hinc

conjicere licet, verum etiam ex iis, quæ postea ait : 4. *Si is qui venit, alium Jesum prædicat quem non prædicavimus, aut alium spiritum accipitis quem non accepistis, aut aliud evangelium quod non recepistis, recte pateremini.* Nec vero ait, Ne forte sicut Adam deceptus est; sed ostendit eos feminas esse, qui hæc patiuntur : feminarum enim est decipi. Nec etiam dixit, Sic vos decipiamini; sed perstans in metaphora ait, *Ne forte corrumpantur sensus vestri a simplicitate quæ est in Christo Jesu.* A simplicitate, inquam, non a versutia : non, inquam, ex versutia, neque ex eo quod fides vobis desit; sed ex simplicitate. Et tamen ne hoc quidem nomine veniam promerentur qui decipiuntur : id quod Eva indicavit. Quod si hoc veniam minime meretur, multo minus cum quis ob inanem gloriam in hanc fraudem incidit. *Si enim is qui venit, alium Jesum prædicat quem non prædicavimus;* hinc videlicet ostendens, non ex se Corinthios esse corruptos, sed aliunde irrepere, qui eos in fraudem impellunt : ideoque ait, *Qui venit. Si alium spiritum accipitis, si aliud evangelium, quod non recepistis, recte pateremini.* Quid ais? qui Galatis dicebas, *Si quis evangelizaverit vobis præterquam quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* 1. 9), nunc dicis, *Recte pateremini?* Atqui hoc nomine minime par erat sustinere, verum pedem removere : sin autem eadem dicunt, tum demum sustinere opus est. Qui fit igitur ut dicas, Quoniam eadem dicunt, non opus est sustinere? si alia dicerent, æquumne esset sustinere? Advertamus itaque : magnum enim periculum imminet altumque præcipitium, si leviter hoc prætereamus; aditumque omnibus hæresibus præbet id quod dictum est. Quænam ergo horum verborum sententia est? Sic se jactabant illi, tamquam apostoli non perfecte docerent, atque ipsi plus aliquid quam illi afferrent. Verisimile enim est, quod illi multa blaterantes, stultam quamdam colluviem in hujusmodi dogmata invehebant. Unde etiam et serpentis et Evæ, quæ sic amplitudinis majoris exspectatione decepta fuerat, mentionem facit. Hoc quippe etiam in priore epistola subindicans, dicebat, *Jam divites facti estis, sine nobis regnatis;* ac rursus, *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo* (1. *Cor.* 4. 8. 10). Quoniam igitur illi, ut verisimile est, externa sapientia utentes, multa nugabantur, hoc inquit : Si quid præterea dicerent, atque alium Christum prædicarent, quem prædicari non oporteret, nos autem prætermisissemus, recte sustineretis; ideo enim adjicit, *Quem non prædicavimus :* si autem eadem fidei capita, quid amplius? quidquid enim dixerint, nihil amplius dicturi sunt, quam quæ diximus. Ac vide quam exacte hoc ponat : non enim dixit, Si is qui venit amplius aliquid dicit : nam illi amplius aliquid dicebant, ut qui cum majore auctoritate concionarentur, atque ingentem verborum elegantiam adhiberent : eaque de causa non hoc dixit, sed quid? *Si is qui venit, alium Jesum prædicat;* quod quidem verborum probationem minime requirebat : *Aut spiritum alium accepistis;* neque enim hic sermonibus opus erat; hoc est, locupletiores vos, quantum ad gratiam attinet, efficit : *Aut evangelium aliud quam quod recepistis;* ne hoc quidem rursus verborum elegantiam desiderabat; *Recte sustineretis.* Ac velim consideres, quomodo ubique distinctione usus sit, qua indicet nihil amplius atque copiosius ab ipsis allatum fuisse. Postquam enim dixit, *Si is qui venit alium Jesum prædicat,* subjunxit, *Quem non prædicavimus : et alium spiritum accepistis,* adjecit, *Quem non accepistis : aut evangelium aliud,* addidit, *Quod non recepistis.* Per quæ omnia indicavit, non simpliciter an illi quid amplius dixerint, attendendum esse, sed an aliquid amplius dixerint quod dici oporteret, et a nobis omissum sit. Quod si non oportebat, inquit, ideoque nec a nobis dictum sit; quid causæ afferri potest, cur eos admiremini?

3. At, dicet quispiam, si eadem dicunt, quid est cur eos prohibeas? Quoniam per simulationem alia dogmata inducunt. Verum id nondum ait, sed postea illud ponit, cum dicit, Transfigurant se in apostolos Christi : interim autem ab iis, quæ minus molesta erant, discipulos ab eorum auctoritate abducit, non quod invideret illis, sed quod his prospectum vellet. Alioqui enim cur Apollo non impedit, virum præsertim eloquentem ac Scripturarum cognitione præstantem; etiamque se eum missurum pollicetur? Quod ille una cum eruditione dogmatum integritatem conservaret; isti autem contra. Ob eamque causam eos bello lacessit, et discipulos insectatur quod in illos inhiarent, dicens : Nam si quid quod in rem esset, a nobis prætermissum, ipsi implevissent, non impediremus; sin autem omnia cumulate a nobis præstita sunt, nihilque omissum est, unde vos illi ceperunt? Ideo subdit, 5. *Existimo enim me nihil minus habere a magnis apostolis;* non jam scilicet cum illis, sed cum Petro reliquisque hujusmodi comparationem faciens. Itaque si isti scientia me superant, sane et illos. Ac vide quo pacto hic quoque sermonem temperet. Non enim dixit, Nihil amplius quam ego apostoli dixerunt; sed quomodo? *Existimo;* hoc est, arbitror me nihilo posteriorem fuisse excellentibus apostolis. Nam quoniam eo nomine inferiore conditione esse videbatur, quod illi, ut qui eum antecessissent, in majore fama essent ac major illorum celebritas esset, atque isti sese introducere parabant; idcirco sese illis modo sibi conveniente comparat. Unde etiam cum encomiis mentionem eorum facit. Neque enim simpliciter apostolos dixit, sed magnos et eximios, Petrum videlicet et Jacobum et Joannem indicans. 6. *Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia.* Quia enim in hoc superiores illi erant, qui Corinthios corrumpebant, quod non rudes et indocti essent, id quoque ponit, quo ostendat se propterea non modo pudore minime affici, sed etiam gloriari. Nec dixit, Si ego imperitus verbo, et illi quoque; hoc enim visum fuisset esse hominis et illos traducentis et istos attollentis; verum rem ipsam, hoc est, externam sapientiam dejicit. Atque in priore quidem epistola vehementer in hoc incumbit, ut ostendat hoc ad prædicationem non modo nihil utilitatis afferre, sed etiam crucis

gloriam obscurare : *Veni* enim, inquit, *non in sublimitate sermonis aut sapientiæ ad vos, ut non evacuetur crux Christi* (1. *Cor.* 2. 1. *et* 1. 17) : ac multa alia ejusmodi ; quod scientia imperiti essent : quæ quidem summa est imperitia.

Paulus cur varie de se loqueretur. — Ergo cum in magnis comparatio facienda erat, seipsum apostolis confert ; cum autem ostendendum id quod imbecillitatis speciem habeat ; non item : quin potius cum re ipsa congreditur, ostenditque hoc lucro cessisse. Ac cum nulla necessitas urgebat, minimum etiam apostolorum se dicebat, ac ne apostoli quidem nomine dignum ; hic rursus, cum tempus id postulabat, nihilo inferiorem se esse præstantissimis apostolis. Norat enim hinc magnam ad discipulos utilitatem redituram esse : ideoque subjunxit, *Sed in omnibus manifestati sumus vobis.* Etenim hic quoque falsos apostolos perstringit, ut in versutia ambulantes. Hæc vero de se ante prædicabat, quod non secundum personam viveret, nec fraudulento animo atque ad quæstum prædicaret. Illi autem alii erant, alii apparebant, non item ipse. Quo fit, ut ubique magnifice de se hoc nomine sentiat, quod nihil humanæ gloriæ causa faceret, nec res suas occultaret. Id quod etiam ante dicebat, *In manifestatione veritatis commendantes nosipsos ad omnem conscientiam hominum* (1. *Cor.* 4. 2) : nunc item, *In omnibus manifestati sumus vobis.* Quid autem hoc sibi vult ? Imperiti sumus, nec id celamus ; a nonnullis accipimus, nec tacemus. A vobis igitur accipimus, nec dissimulamus nos accipere, sicut isti cum accipiunt, verum omnia perspicua vobis facimus. Id quod hominis erat magnopere illis confidentis, atque omnia cum veritate referentis. Unde etiam testes eos citat ; et nunc cum ait, *Vobis*, et prius cum dicebat, *Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legitis, aut etiam agnoscitis* (2. *Cor.* 1. 13). Deinde postquam se purgavit, durius postea subjungit, 7. *An peccatum feci me humilians, ut vos exaltemini ?* Idque exponens ait, 8. *Alias Ecclesias exspoliavi, stipendium accipiens ad vestrum ministerium ;* id est, In summis rerum angustiis versatus sum : hoc enim his verbis significatur, *Humilians meipsum.* Hoccine igitur est, quod mihi vitio vertitis ? atque ideo adversum me animos effertis, quod meipsum depressi, mendicans, in arctum redactus ac fame laborans, ut vos exaltemini ? Et quonam pacto evehebantur illi, ipso in angustia versante ? Amplius ædificabantur, minimeque offendebantur. Quod quidem maximum ipsorum probrum erat, et imbecillitatis argumentum : nempe quod aliter eos subvehere non posset, nisi ipse prius sese depressisset. Illudne mihi crimini vertitis quod humilis factus sum ? At vos ob eam causam evecti estis. Quoniam enim superius dicebat, quod eum hoc nomine criminabantur, quia præsens quidem humilis, absens autem fiducia plenus erat, se purgat, ut rursus eos feriat, dicens : Vestra causa hoc a me factum est. *Alias Ecclesias exspoliavi.* Hic jam exprobrandi modo loquitur. verum, quæ præcesserunt, non sinunt hæc molesta videri. Dixit enim, Sufferte me paulum in insipientia : atque ante alia sua recte facta in hoc primo gloriatur. Hoc enim in primis quærunt mundani ; atque in hoc adversarii quoque illi animos attollebant. Quocirca non ante in periculorum ac miraculorum sermonem ingreditur : sed de pecuniarum contemptu prius verba facit, quandoquidem hoc nomine sese efferebant : simul etiam tacite indicat, eos opibus præditos fuisse.

4. Quod autem in eo admirationem habet, istud est, quod cum dicere posset se manuum labore sibi victum parasse, non tamen hoc dixit ; verum illud demum, quod pudorem illis incutiebat, nec ad ipsius laudem pertinebat : nempe, Ab aliis accepi. Nec dixit, Accepi., sed, *Exspoliavi :* hoc est, diripui, pauperesque eos reddidi. Quodque majus est, non ad profusos sumptus, sed ad necessarios usus : stipendii enim vocabulo necessarium cibum intelligit. Quodque etiam gravius, *Ad ministerium vestrum.* Vobis prædicamus, inquit, et cum a vobis ali deberem, ab aliis id percipiebam. Duplex culpa, imo triplex : quod cum apud eos esset, atque ipsis ministraret, necessariumque alimentum quæreret, alios tamen habebat qui ipsi suppeditarent. Ac sane isti illos longe superabant : illi enim in socordia erant ; hi in studio : illi ne præsentem quidem alebant ; isti ad eum, etiam longe remotum, mittebant. Postea autem, ubi illos vehementer perstrinxit, sensim rursus objurgationis acerbitatem lenit, dicens : 9. *Et cum præsens essem apud vos et egerem, neminem gravavi.* Non enim dixit, *Non mihi dedistis*, sed, *Ego non accepi.* Adhuc enim mitius cum illis agit ; sed tamen in orationis summissione tacite rursus eos percellit : hoc enim vocabulum, *Præsens*, admodum emphaticum est, et illud, *Cum egerem.* Ne enim illi dicerent, Quid igitur, si habebas ? subjunxit, *Et cum egerem, non gravavi vos.* Hic rursus leviter eos ferit, quod segniter, tamquam gravati, hujusmodi collationis munere fungerentur. Sequitur deinde causa, accusationis plena ac zelotypia referta. Unde etiam eam non ut præcipuam posuit, sed velut docens, unde et a quibus nutritus sit : ut eos citra omnem suspicionem ad eleemosynæ opus excitaret. *Nam quod mihi deerat*, inquit, *suppleverunt fratres qui venerunt e Macedonia.* Vides quomodo ipsos rursus perstringat, dum eos, quorum ope sublevatus est, in medium adducit ? Nam cum prius in cupiditatem ipsos injecisset sciendi quinam hi essent, cum diceret, *Alias Ecclesias exspoliavi*, tum demum illos nominatim profert : quod quidem hos ad eleemosynam incitabat. Nam ipsis suadet, ut cum in hoc nomine inferiores exstitissent, quod apostolum non aluissent, saltem non committerent ut in sublevanda pauperum inopia vincerentur. Hoc autem ad Macedones scribens dicebat, *Ad usus meos mihi misistis semel et iterum, et in principio evangelii* (*Philipp.* 4. 16. 15) : quod maximæ ipsis laudi erat, quod ab ipso statim initio eorum virtus effulsisset. Ac vide quo pacto ubique necessitatem dumtaxat ponat, nusquam autem pro-

fusam copiam. Et quidem cum dixit, *præsens*, et, *Cum egerem*, illud indicavit, debuisse se a Corinthiis ali : cum autem dixit, *Quod deerat mihi suppleverunt*, ostendit se ne hoc quidem postulasse. Ac causam affert, quæ non erat. Quam tandem hanc? Quod nempe ab aliis accepisset : *Quod enim mihi deerat*, inquit, *suppleverunt qui venerunt*. Ideo ait, *Non vos gravavi*, non quod vobis non confiderem. Atqui ob hoc ipsum istud facit, idque demonstrat per ea quæ sequuntur : tamen hoc non aperte dicit, sed subindicat, audientium conscientiæ id relinquens. Idque tacite ostendit per ea quæ sequuntur, dicens, *Et in omnibus sine onere me vobis servavi, ac servabo*. Neque enim velim existimetis hæc eo a me dici, ut accipiam. Illud autem, *Servabo*, acerbius erat; si necdum ipsis confidebat, sed se aliquid ab eis accepturum omnino desperabat. Ostendit autem quod hoc illi grave ac molestum esse censerent : unde dicebat, *Sine onere me vobis servavi, ac servabo*. Sicque etiam in superiori epistola dicebat, *Non scripsi, ut ita fiat in me : melius enim mihi es mori, quam ut gloriam meam quis evacuet* (1. *Cor.* 9 15). Atque hic rursus, *Sine onere me vobis servavi, atque etiam adhuc servabo*. Postea, ne hoc idcirco dicere videatur, ut eorum gratiam sibi magis conciliet, ait : 10. *Est veritas Christi in me*. Ne putetis, inquit, me ideo hæc dixisse, ut accipiam, vosque magis ad me pertraham : *Est enim*, inquit, *veritas Christi in me, quod gloriatio hæc mea non infringetur in regionibus Achaiæ*. Nam ne quis rursus existimaret eum hoc nomine discruciari, aut infenso et irato animo hæc commemorare, gloriationem quoque hanc rem appellat. Atque in priore quoque epistola idem adstruebat. Nam etiam illic, ne eos percelleret, ait : *Quæ ergo mihi merces est? Ut evangelizans sine sumptu ponam evangelium Christi* (*Ib.* v. 18)? Atque ut illic mercedem, ita hoc loco gloriationem vocat, ne ob hæc verba pudore suffundantur, ut petenti minime porrigentes. Quid enim, si dctis, inquit? at ego non accipio. Atque illud, *Non infringetur*, metaphora est, ductum a fluminibus ; fama ipsius ubique fluebat, quia nihil acciperet. Non, inquit, largitione libertatem meam obstruetis. Sed non dixit, Non obstruetis, quod amarulentius erat ; verum, *Non obstruetur in regionibus Achaiæ*. Quod quidem rursus gravem plagam infligebat, abundeque sufficiebat ad eos dejiciendos ac mœrore afficiendos, utpote quos solos repudiaret. Nam si gloriabatur, ubique gloriari oportebat : si autem apud vos solos, propter imbecillitatem fortasse vestram hoc facit. Quamobrem, ne hæc secum reputantes mœstitia afficerentur, vide quomodo istud mitiget : 11. *Quare? quia non diligo vos? Deus scit*. Propere solutionem adjecit, facilius eos liberaturus : quamquam ne sic quidem culpa eos liberavit. Neque enim dixit, Non estis imbecilles ; neque, Non estis firmi ac robusti ; sed, Quia diligo vos : quod accusationem vehementer augebat. Ab ingenti enim ipsius erga eos amore illud proficiscebatur, quod ab iis nihil accipiebat, quandoquidem acriter perstringebantur.

5. Itaque res contrarias ex amore faciebat, nempe ut acciperet, et non acciperet : contrarietas porro hæc ex eorum qui dabant affectu nascebatur. Ac non dixit, Propterea non accipio, quia vehementer vos amo, quoniam imbecillitatem eorum accusaverat, atque in anxietatem ipsos conjecerat ; verum ad aliam causam sermonem convertit. Quam tamdem? 12. *Ut amputem occasionem eorum qui quærunt occasionem, ut in quo gloriantur inveniantur, sicut et nos*. Quia enim operam dabant, ut ansam aliquam invenirent, hanc quoque amputare oportebat. Hoc enim solum erat, in quo gloriabantur. Ut itaque nulla re superiores essent, hoc quoque correctum oportuit : siquidem in aliis inferiores erant. Nihil enim, ut a me dictum est, mundanos perinde ædificat, ut nihil accipere. Quocirca diabolus pro sua perversitate hanc potissimum illecebram injecerat, studens eos in aliis lædere. Mihi autem hoc quoque ab hypocrisi manasse videtur. Quamobrem nec dixit, In quo recte se gesserunt ; sed quid? *In quo gloriantur*. Quibus verbis eorum arrogantiam cavillis incessebat : jactabant enim id quoque quod non erant. Atqui præstantem virum non modo de iis quæ ipsi desunt, gloriari non convenit, sed ne de iis quidem quæ habet : sicut beatus hic vir faciebat : ac patriarcha Abraham dicebat, *Ego autem sum terra et cinis* (*Gen.* 18. 27). Nam quia nulla peccata habebat, quæ commemorare posset, verum virtutibus splendebat ; ideireo, cum nec gravem ullam adversum se reprehensionis ansam reperisset, ad naturam confugit : et quoniam terræ nomen quodammodo honestum est, ideo cineris vocabulum adjunxit. Unde etiam alius dicebat, *Quid superbit terra et cinis* (*Eccli.* 10. 9)? Neque enim mihi oris florem commemora, nec erectam cervicem, nec egregiam vestem et equum atque asseclas ; sed ubi hæc omnia desinant considera, idque adjunge. Quod si ea quæ oculis cernuntur dixeris, ego quæ in picturis sunt, longeque hæc splendore superant, proferam. At sicut illa ob aspectum minime admiramur, quod ejusmodi eorum substantiam esse perspiciamus, ut nihil præter lutum sint : sic ne hæc quoque. Nam et ista lutum sunt, prius etiam, quam intereant atque in pulverem dilabantur. Ostende mihi hunc elata cervice hominem febri laborantem, atque extremum spiritum edentem ; ac tum te alloquar et percontabor, quo ingens ille ornatus reciderit, quo ingens illa assentatio, ac servorum obsequium abierit, opumque ac prædiorum copia ; quis ventus obortus omnia flatu suo excusserit. At, inquies, in lectulo jacens, opum ac fastus signa circumfert, imposita ipsi veste luculenta, pauperibus juxta ac divitibus funus prosequentibus, populis fausta illi precantibus. Maxime quidem hæc merus risus sunt : verum utcumque sit, hæc tamen protinus instar floris diffluunt. Nam simulatque ex urbis portis excessérimus, traditoque vermibus cadavere redierimus, rursus ex te quæram, quonam ingens illa turba se conferat, quo clamor ille ac tumultus evaserit, quo lampades, quo feminarum cœtus? annon insomnium ista sunt? quo clamores abscesserunt? quo multa illa

ora vociferantia, atque ad fiduciam adhortantia, quia nulla mors est? Atqui non nunc hæc accinere oportebat non audienti, sed cum rapiebat, cum avaritiæ studebat, tunc verbis nonnihil immutatis dicere oportebat : Non est quod fidenti animo sis, nemo immortalis est; amentiam istam comprime, cupiditatem exstingue, nec læso confidas. Etenim huic nunc talia dicere non nisi ad delirantes et irridentes pertinet; non enim illum jam fidere oportet, sed metuere ac tremere. Verum etsi illi, ut qui e stadio excesserit, nihil hæc jam utilitatis afferunt, at saltem divites illi qui eodem morbo laborant, atque eum ad sepulcrum prosequuntur, audiant. Quia enim hoc illis opum ebrietas prius afferebat, ut nihil ejusmodi cogitarent; at eo certe tempore, cum ipse jacentis aspectus fidem verbis adstruit, castigentur et erudiantur, illud secum reputantes, paulo post fore ut illi veniant, a quibus ipsi quoque ad horrenda illa loca abducantur, ubi referendæ rationes erunt, pœnæque subeundæ ob ea quæ rapuerunt atque usurparunt. Et quid hæc ad pauperes, inquies? Sane quidem multis hoc quoque voluptati est, excruciatum eum cernere, a quo injuriam acceperint. At nobis hoc jucundum non est, inquies, verum illud, si nihil ipsi mali perpetiamur. Equidem hoc nomine vehementer vos laudo atque amplector, quod alienis calamitatibus non gaudeatis, verum propriam dumtaxat securitatem quæratis. Age igitur, hæc quoque vobis spondebo. Etenim cum detrimento aliquo ab hominibus mulctamur, non parvam debiti partem succidimus, si ea quæ nobis inferuntur generoso animo perferamus. Ex quo fit, ut nulla injuria afficiamur : Deus enim vexationem nobis pro debito imputat, non secundum juris, sed secundum benignitatis rationem. Idcirco non ab initio eum, qui injuria affectus est, ulciscitur. Unde hoc perspicuum est, inquies? Judæi quondam a Babyloniis vexabantur, nec Deus prohibuit, verum et pueri et mulieres in servitutem abducebantur : at postea hæc captivitas pro peccatorum ratione in consolationem ipsis cessit. Ob eam causam Isaiæ dicebat, *Consolamini, consolamini populum meum sacerdotes : loquimini ad cor Jerusalem, quia suscepit de manu Domini duplicia peccata sua* (*Isai.* 40. 1. 2); ac rursus, *Da nobis pacem : omnia enim reddidisti nobis* (*Isai.* 26. 12). Et David ait, *Vide inimicos meos quia multiplicati sunt, et dimitte omnia peccata mea* (*Psal.* 24. 19. 18). Et cum Semei dira omnia ipsi imprecantem ferret, aiebat, *Dimitte eum, ut videat Dominus humilitatem meam, et reddat mihi pro hac die* (2. *Reg.* 16. 11. 12). Nam cum ille nobis injuria affectis opem non fert, tum maximam utilitatem accipimus : nobis enim hoc pro recte factis adscribit, cum acceptam injuriam ferimus, ut ipsi gratias agamus.

6. Quocirca cum pauperem a divite diripi videris, missum faciens eum cui injuria fit, ereptorem lacrymis prosequere. Ille enim sordes excutit, hic vero sordibus se inficit. Sic etiam Eliæi puero in Naaman contigit. Nam etsi non rapuit, tamen hoc ipsum injustitiæ rationem habebat, quod cum fraude accepit. Quid ergo evenit? Ex injustitia lepram consecutus est; is, cui illata injuria fuerat, juvabatur; qui autem inferebat, lædebatur. Hoc nunc quoque in anima usu venit. Atque hoc tantam vim habet, ut etiam solum sæpe Deum placarit : etiamsi alioqui is, qui male mulctabatur, subsidio indignus esset, cum supra modum vexatur, vel hinc solum Deum ad dandam sibi veniam allicit, ulciscendumque eum qui injuriam infert. Unde etiam Deus barbaris antiquitus dicebat, *Ego quidem eos ad pauca tradidi; ipsi autem adjecerunt ad mala* (*Zach.* 1. 15) : ideoque atrocissimis suppliciis mulctabuntur. Non enim, non, inquam, est quidquam quod Deum ad iracundiam perinde incitet, ut rapere et vim afferre aliosque circumvenire. Quid ita? Quia perfacile est ab hoc flagitio abstinere. Neque enim naturalis quædam cupiditas hæc est, negotium facessens, sed ab animi segnitie ortum trahit.

Avaritia cur omnium malorum radix appelletur. Salomon non resipuit.— Quonam igitur modo, inquies, apostolus eam malorum radicem vocat? Ego certe idem dico : verum nostro vitio, non rei ipsius natura, radix ipsa est. Atque si ita lubet, comparationem inducamus, ac videamus utra violentior sit, pecuniarumne an corporum cupiditas : hoc enim demum gravius judicandum est, quod magnos viros prostravisse reperietur. Videamus itaque quem magnum virum opum cupiditas invaserit. Neminem profecto, sed miseros admodum et abjectos, Giezi videlicet, Achab, Judam, Judaicos sacerdotes. At vero corporum cupiditas magnum illum prophetam Davidem superavit. Nec vero hæc eo dico, ut iis, qui hujusmodi cupiditate correpti tenentur, veniam concedam, sed potius ut vigilantes sint. Nam cum magnum esse malum demonstro, tunc maxime eos omni venia orbatos esse ostendo. Etenim si feram hanc ignorares, ad hoc ipsum tibi confugere liceret : nunc autem cum noris, et tamen in eam incidas, nulla tibi excusatio superest. Post hunc, ejus filium magis adhuc superavit. Atqui nemo umquam ei sapientiæ laude præstitit, virtutibusque aliis omnibus ornatus fuit; sed tamen hoc vitio usque adeo captus est, ut letale etiam vulnus acceperit. Ac pater quidem surrexit, acceptumque damnum sarcivit, ac rursum coronam adeptus est; hic autem nihil tale ostendit. Quocirca Paulus etiam dicebat : *Melius est nubere, quam uri* (1. *Cor.* 7. 9); et Christus, *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* 19. 12). De opibus autem non ita, sed, Qui reliquerit bona sua, centuplum accipiet (*Ib. v.* 29). Quonam ergo modo, inquies, de iis, qui opibus abundant, hoc asseruit, eos ægre cælorum regnum obtenturos (*Ib. v.* 23)? Iis rursum verbis ipsorum ignaviam subindicat, nec opum tyrannidem, sed vehementem eorum servitutem. Idque etiam ex iis, quæ Paulus consulendi causa dicebat, liquet. Ab illa enim cupiditate abducit, dicens, *Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem* (1. *Tim.* 6. 9) : ab hac autem non item, sed postquam ad tempus dumtaxat disjunxit, idque ex consensu, rursus ut conveniant admonet. Fluctus libidinis timebat, ne forte ea grave naufragium efficeret. Hic affectus etiam ira

acrior ac vehementior est. Neque enim irasci quisquam potest, si nemo sit qui ad iram exstimulet : at concupiscentia oritur, etiamsi vultus qui ad hoc incitat, minime cernatur. Itaque eam non prorsus amputavit, sed, *Sine causa*, addidit; nec rursum libidinem omnem sustulit, sed iniquam tantum : *Propter concupiscentias enim*, inquit, *unusquisque uxorem suam habeat* (1. *Cor.* 7. 2). Atqui vero pecunias aggerere, nec ob causam, nec sine causa concessit. Siquidem illi affectus ob necessitatem nobis insiti sunt, nimirum libido procreandorum liberorum causa; ira autem, ut iis qui læduntur auxilium afferamus; pecuniarum autem cupiditas, minime : neque enim naturalis est affectus. Ac proinde, si ea te capi ac vinci sinas, tanto utique fœdiora patieris. Ideo Paulus, cum secundas nuptias permittat, in pecuniis tamen ac divitiis accurationem requirit, dicens : *Quare non potius injuriam patimini? quare non potius damnum accipitis* (*Id.* 6. 7)? Ac de virginitate quidem disserens, ait, *Præceptum Domini non habeo;* et, *Ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam* (*Id.* 7. 35) : at cum de divitiis ei sermo est, *Habentes*, inquit, *vestes et alimenta, his contenti simus* (1. *Tim.* 6. 8). Quid igitur causæ est, inquies, cur plerique hoc affectu capiantur? Quia adversus eum non ita præparati sunt, ut adversus impudicitiam ac fornicationem : nam si æque grave hoc malum ipsis visum fuisset, haud cito capti fuissent. Sic miseræ quoque illæ virgines e thalamo ejectæ sunt, quoniam, majore hoste prostrato, ab imbecilliore ac nullo robore prædito dejectæ sunt. Huc accedit, quod si quis libidinem superans, a pecuniis superetur, sæpe ne libidinem quidem vincit; verum a natura hoc nactus est, ut ab hoc affectu non admodum negotii ei exhibeatur : neque enim omnes in eum æque proni sunt. Hæc itaque perspecta habentes, ac virginum exemplum perpetuo cum animis nostris versantes, perniciosam hanc belluam fugiamus. Nam si virginitas illis nihil profuit, verum post infinitos labores ac sudores ob pecuniæ studium in exitium abierunt, quis tandem nos supplicio eripiet, si in hunc affectum inciderimus? Quocirca rogo, omnia agamus, ut nec capiamur nec capi sustineamus, sed gravia quoque hæc vincula perfringamus. Sic enim ad cælum pervenire poterimus, atque innumerabilia illa bona consequi : quæ utinam nobis omnibus consequi detur, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIV.

Cap. 11. v. 13. *Nam ejusmodi pseudapostoli sunt operarii dolosi, transfigurantes se in apostolos Christi.*

1. Quid ais? Qui Christum prædicant, qui pecunias non accipiunt, qui evangelium aliud non inducunt, pseudapostoli sunt? Maxime, inquit; atque hoc præsertim nomine, quod hæc omnia ficto animo faciunt, ut fallant. *Operarii dolosi.* Operantur enim, sed quæ plantata sunt evellunt. Quoniam enim exploratum habent, se non aliter gratos acceptosque fore, veritatis larva assumpta, ita demum fraudis fabulam agunt. Et vero, inquit, pecunias non accipiunt. Ut plura accipiant, ut animas perdant. Quin potius id quoque falsum; nam et accipiebant, sed furtim : idque in iis, quæ sequuntur, ostendit. Atque id quidem jam tacite indicavit, cum dixit, *Ut in quo gloriantur inveniantur sicut et nos :* cæterum idem dilucidius postea his verbis significavit, *Si quis vos devorat, si quis accipit, si quis extollitur, hunc sustinetis* (*v.* 20). Nunc autem aliunde hos insectatur, dicens, *Transfigurantes.* Larva tantum ipsos, ac pellis ovis obtegit. 14. *Et non mirum. Si enim ipse satanas transfigurat se in angelum lucis*, 15. *quid magnum est, si ministri ejus transformantur velut ministri justitiæ?* Itaque, si quid admirari oportet, hoc est, non autem quod isti agunt. Nam cum eorum magister nihil non audeat ac moliatur, nihil mirum discipulos quoque ipsius exemplum sequi. Quid autem est, *Angelum lucis?* Eum, qui loquendi libertatem habet, eum qui Deo adstat. Sunt enim etiam angeli tenebrarum, hi qui diaboli sunt, ac caliginosi et feroces. Ac multos diabolus ad hunc modum fefellit, dum se in angelum lucis transfiguravit, non autem talis effectus est. Eodem igitur modo isti larvam quidem apostoli circumferunt, non autem vim ac facultatem : neque enim possunt.

Ad ostentationem aliquid facere diabolicum est. — Nihil porro tam diabolicum est, quam ad ostentationem aliquid efficere. Quid autem est, *Ministri justitiæ?* Id videlicet, quod nos sumus, evangelium quod justitiam habet, vobis prædicantes. Aut enim hoc est quod ait, aut certe, quod justorum virorum famam sibi pepererunt. Quanam ergo ratione eos agnoscemus? Ab ipsorum operibus, ut a Christo dictum est. Ob idque et sua recte facta, et illorum vitia inter se conferre cogitur, ut ex comparatione falsi atque adulterini appareant. Ac rursus in suas laudes ingressurus, primum illos accusat, ut ostendat sibi necesse esse in hoc argumento versari, ne quis alioqui ipsum, ut de suis laudibus verba facientem, reprehendat : atque dicit, 16. *Iterum dico.* Etenim multa jam præmonitione usus est; Sed tamen his quæ dixi, non sum contentus, inquit, sed rursus dico, ne quis me insipientem esse existimet. Hoc enim eorum negotium erat, cum nulla causa suppeteret, gloriari. Ac velim consideres, quomodo quoties in suas laudes ingredi parat, id præparet. Stulta enim res est, inquit, gloriari; ego vero hoc, non ut stolidus facio, sed ut coactus. Quod si vobis id non persuaderi sinitis, verum, quamvis id me necessario facere videatis, tamen me condemnatis; ne sic quidem hoc facere detrectabo. Videsne quo pacto magnam sibi loquendi necessitatem esse ostendat? Nam qui ne hanc quidem suspicionem reformidabat, quantam vim ad loquendum sustineret, quamque hujusmodi sermonem velut parturiret ac profundere cogeretur, velim consideres. At sic quoque tamen moderationem in hac re adhibuit. Non enim dixit, Ut

glorier. Cumque paulum gloriaturus esset, rursus etiam altera prænonitione usus est, dicens, 17. *Quod loquor, non secundum Dominum loquor, sed ut in insipientia, in hac substantia gloriæ.* Vides quomodo gloriari, secundum Dominum non sit? *Cum enim omnia feceritis*, inquit, *dicite, Servi inutiles sumus* (*Luc.* 17. 10). Verum hoc per se quidem secundum Dominum non est, sed ab animo ac voluntate tale efficitur. Ideo dixit, *Quod loquor;* non causam, sed verba reprehendens. Etenim scopus adeo eximius erat, ut et verbis ornamentum afferret. Quemadmodum enim homicida, tametsi facinus hujusmodi valde interdictum sit, tamen ab animo et voluntate sæpe laudem est assequutus; et circumcidi, licet secundum Dominum non sit, tamen ab animi instituto tale efficitur: sic etiam gloriari. Cur autem non tam accurata sermonis diligentia usus est? Quia alio properat, atque ex abundanti iis, qui eum carpere gestiebant, solum obsequitur, ut quæ profutura sunt dicat: etenim quæ dicta erant, ad tollendam omnem suspicionem sufficiebant. *Sed ut in insipientia.* Prius ait, *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ;* nunc autem, *Ut in insipientia.* Quo enim altius progreditur, eo magis sermonem repurgat. Deinde, ne eum ubique stultitiam adhibere arbitreris, adjecit, *In hac substantia gloriæ.* Hoc est, quod ad hanc dumtaxat partem attinet: quemadmodum et alio loco dicebat, *Ut ne confundamur;* et adjecit, *In hac substantia gloriæ.* Et rursus alio loco, cum dixisset, *An quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me Est, est, Non, non* (2. *Cor.* 1. 17)? atque ostendisset se idcirco non posse ubique, quæ p llicetur, explere, quoniam non secundum carnem consilium init; ne hanc suspicionem etiam ad doctrinam nonnulli pertraherent, ait: *Fidelis autem Deus, quod sermo noster ad vos non fuit Est et Non* (*Ib. v.* 18).

2. Ac vide quam multa prius loquutus, alias adhuc purgationes afferat, proponens ad hunc modum ac dicens, 18. *Quoniam multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor.* Quid est autem, *Secundum carnem?* Hoc est, ab externis rebus, a nobilitate, ab opibus, ab eruditione, a circumcisione, ab Hebræis avis, ab ea, qua apud plerosque floret, existimatione. Ac vide sagacitatem: illa ponit, quæ nihil esse ostendit, ac tum denique insipientiam. Etenim, si ob ea, quæ vere bona sunt, gloriari stultitiæ est, multo certe magis ob ea, quæ nullius pretii sunt. Atque id est quod, *Non secundum Dominum*, vocat. Neque enim quidquam prodest Hebræum esse, aliaque id genus. Non ergo existimetis me hæc virtutis loco ponere; sed quoniam illi gloriantur, hinc ego comparationem ducere cogor: quod etiam alibi facit dicens, *Si quis videtur confidere in carne, ego amplius* (*Philipp.* 3. 4). Atque illic quidem hoc facit ob eos, qui in hoc confidebant. Quemadmodum si quis claro genere natus, ac philosophicum vitæ genus amplexus, alios ob nobilitatem magnifice de se sentientes videat, atque eorum fastum deprimere cupiens, generis sui splendorem commemorare cogatur, non ut se efferat, sed ut eos humiles reddat. Idem Paulus quoque facit. Ac tum missis illis totam causam in Corinthios effundit, dicens: 19. *Libenter suffertis insipientes.* Itaque vos harum rerum causa potius estis, quam illi. Nam nisi vos eos sufferretis, atque, quantum in illis est, detrimentum accepissetis, nullum verbum fecissem: verum curæ mihi est vestra salus, meque ad vos indulgenter demitto. Ac vide quomodo objurgationi laudem adjungat. Postquam enim dixit, *Libenter suffertis insipientes*, addidit, *Cum sitis ipsi sapientes.* Insipientis enim hominis est, de talibus gloriari. Et quidem objurgare oportebat, ac dicere, Nolite sufferre insipientes; verum hoc cum majore abundantia facit. Nam illo modo idcirco eos objurgare visus fuisset, quod his rebus careret: nunc vero, cum se in his quoque superiorem esse ostendat, et tamen nihil ea esse ducat, magis eos corrigit. Cæterum priusquam in laudes suas atque comparationem ingrediatur, ingentem servilis animi dejectionem Corinthiis probro vertit, quod majorem in modum ipsis sese subjecissent. Ac vide quo pacto eos traducat. 20. *Sustinetis enim*, inquit, *si quis vos devorat.* Quonam ergo modo dicebas, *Ut in quo gloriantur inveniantur sicut et nos?* Videsne quo pacto eos accipere ostendat; ac non simpliciter accipere, sed etiam supra modum? hoc enim vocabulo, *Devorat*, hoc indicatur. *Si quis in servitutem redigit.* Et pecunias vestras, inquit, et corpora, et libertatem dedistis. Hoc enim majus est quam accipere, quod ipsi non modo pecunias, sed vos etiam ipsos in potestate habeant. Quod etiam superius his verbis demonstrabat, *Si alii potestatis vestræ participes sunt, annon multo magis nos* (1. *Cor.* 9. 12)? Postea quod gravius est adjungit, dicens, *Si quis extollitur.* Neque enim mediocris quædam est vobis servitus, nec mansueti domini, sed graves ac molesti. *Si quis vos in faciem cædit.* Vides rursus tyrannidis argumentum? Hoc porro dicebat, non quod eorum ora verberarent, sed quod eos despuerent, atque dedecore afficerent: unde etiam adjecit, 21. *Secundum ignominiam dico.* Nec enim mitius vobiscum agitur, quam cum iis qui in faciem cæduntur. Quidnam igitur hoc vehementius esse queat, aut quænam dominatio hac acerbior, cum et pecuniis vestris et libertate atque honore ademptis, ne sic quidem lenes se præbent, ac ne in servorum quidem gradu manere vos sinunt, verum mancipio quovis pecunia empto contumeliosius vos tractant? *Quasi nos infirmi fuerimus.* Obscurum est quod ait. Nam quoniam molestum erat, idcirco hoc ita collocavit, ut acerbitatem obscuritate falleret. quod enim ait, hanc sententiam habet: Annon ipsi quoque hæc facere possumus? At non facimus. Quam ob causam eos suffertis, ac si nos hæc efficere nequeamus? Atqui illud quoque reprehensionem meretur, quod et stulte se gerentes suffertis: quod autem etiam vos ita aspernantes, diripientes, sese extollentes, vos cædentes, id nullam excusationem, nullam rationem habere queat. Novum enim est hoc fallaciæ genus. Nam cum alii, qui fallunt, largiri atque assentari soleant, isti contra fallunt et accipiunt, contumeliamque inferunt. Itaque ne umbra quidem ulla

veniæ vobis esse possit, quippe qui eos, qui vestra causa, ut vos subvehamini, sese deprimunt, respuitis, ac contra eos, qui, ut vos deprimamini, sese efferunt, suspicitis. An nos quoque idem facere non poteramus? At nolumus, ut qui utilitatem vestram nobis propositam habeamus. Nam illi qui vestra sunt rapientes, quæ sua sunt quærunt. Vides quomodo ubique per quæ ad eos libere loquitur, per eadem terreat? Etenim si ob eam causam, inquit, eos honore afficitis, quia vos cædunt atque contumeliose vexant; nos quoque hæc facere possumus, servitute vos opprimere, verberare, atque adversum vos extolli.

3. Vides quo pacto causam omnem tum illorum arrogantiæ, tum suæ, ut videbatur, insipientiæ, in hos confert? Etenim non ut splendidiorem meipsum ostendam, sed ut vos ab hac acerba servitute eripiam, nonnihil gloriari cogor. Operæ pretium est autem non simpliciter hæc verba expendere, sed causam etiam adjungere. Nam et Samuel ingentem laudem de seipso contexuit, cum Saülem ungebat, dicens: *Cujus vestrum bovem, aut asinum, aut calceamentum tuli? quem oppressi* (1. *Reg.* 12. 3)? Et tamen nemo eum accusabat. Id autem ea de causa dicebat, non ut plausum et gloriam captaret; sed quia regem creaturus erat, sub purgationis specie eum erudire vult, ut lenem se ac placidum præbeat. Atque prophetæ prudentiam, vel potius Dei benignitatem animadvertas velim. Nam quia eos deterrere cupiebat, de futuro rege gravia multa collegit; nimirum quod pistrices uxores eorum facturus esset, viros pastores, et mulorum curatores (siquidem diligenter regni cultum et obsequium enumerabat): postquam autem eos ita affectos esse videbat, ut nullo prohiberentur, verum incurabili morbo laborarent: sicque indulgenter cum ipsis agit, et regem ad lenitatem componit. Ob id etiam testem eum profert. Neque enim quispiam tunc cum in jus vocabat nec accusabat, ut ipse sese purgaret; sed, ut eum meliorem faceret, his verbis utebatur. Unde etiam ut ipsius fastum comprimeret, subjunxit, *Si audieritis vos et rex vester* (*Ibid. v.* 14), hæc et hæc bona vobis contingent: sin autem non audieritis, contraria omnia habituri estis. Atque etiam Amos dicebat, *Non eram propheta, nec filius prophetæ, sed armentarius, vellicans sycomoros. Et tulit me Deus* (*Amos* 7. 14. 15). Hæc porro non eo dicebat, ut seipsum efferret, sed ut eos, qui ipsum non ut prophetam existimabant, reprimeret, atque ut ostenderet etiam se minime fallere, neque ex se ea dicere quæ dicebat. Atque alius rursum hoc idem indicans dicebat: *Verumtamen ego repletus sum fortitudine Domini in spiritu et potentia* (*Mich.* 3. 8). Quin David quoque, cum de urso ac leone verba faceret (1. *Reg.* 17), non eo hæc commemorabat, ut plausus aucuparetur, sed ut magni aliquid et admirandi procuraret. Nam quoniam nemo credebat ipsum barbaro superiorem futurum, ut qui nudus esset, nec arma gestare posset, fortitudinis suæ argumentum præbere necesse habuit. Et cum Saüli oram chlamydis abstulit (1. *Reg.* 24), non ostentationis causa dicebat ea quæ dicebat, sed ut pravam suspicionem a se depelleret, quam adversus eum sparserant, dicentes eum in animo habere regem obtruncare. Quamobrem ubique causa investiganda est. Nam qui auditorum utilitatem spectat, etiamsi seipsum laudibus efferat, non modo nullam reprehensionem, sed coronam quoque meretur: imo si tum tacuerit, reprehensione dignus est. Nam et David, si cum ineundum erat cum Goliath certamen, conticuisset, non eum ad dimicationem exire permisissent, nec splendidum illud tropæum erexisset. Quocirca necessitate compulsus hoc dicit, et quidem non fratribus suis, sed regi: nam fratres non ipsi credidissent: invidia enim ipsis aures obturabat. Quare, iis missis, eum alloquitur qui nondum invidia laborabat.

4. *Invidiæ damna.* — Noxia enim res est invidia, noxia, inquam, ac propriam salutem aspernari persuadet. Sic Cain quoque sibiipsi exitium attulit, atque ante eum rursus diabolus, qui ipsius patrem interemerat. Sic Saül pravum dæmonem adversus animam suam accersiverat: cumque accersivisset, medico rursus invidebat (1. *Reg.* 18). Ea enim invidiæ natura est: norat se ab eo servatum, malebatque perire, quam eum, a quo salutem accepisset, florentem conspicere. Quid hoc affectu gravius esse queat? Non aberrarit, qui diaboli fœtum eam dixerit: atque in ea quidem inanis gloriæ fructus, imo etiam radix est: hæc enim duo vitia sese mutuo struere solent. Sic nempe tunc quoque livore afficiebatur Saül, quod dixissent, *Percussit David decem millia* (*Ibid. v.* 7). Quo quid stultius fingi possit? Quid enim, quæso, invidia te afficit? an quod quispiam laudibus aliquem ornarit? Atqui gaudere oportebat: alioqui nescis an vera hæc laus sit. An ob id luges, quod cum nihil in eo sit admiratione dignum laudem tamen consequutus sit? Atqui misereri potius convenit. Etenim si bonus sit, nemo laudato invidet, verum ad aliorum laudem suam quoque adjungit: sin autem talis non est, quid discruciaris? quid in teipsum gladium impellis? An quod apud homines eximius quidam vir habeatur? At apud homines, qui hodie sunt, et cras esse desinunt. An quia gloriam obtineat? Quamnam tandem? de qua propheta ait, quod flos fœni sit (*Isai.* 40. 6)? Hoccine ergo nomine invides, quod sarcinam non gestas, nec hujusmodi fœni onera circumfers? Quod si tibi ille hoc nomine beatus videtur, cur non etiam lignatores, qui quotidie onera gestant, et in urbem ingrediuntur? Neque enim hæc sarcina melior illa est, imo etiam deterior. Illa enim corpus solum premit; hæc vero animam quoque ipsam plerumque damno afficit, plusque anxietatis quam voluptatis affert. Nam etiamsi dicendi laude celebretur, majorem tamen metum, quam laudem habet: imo hanc brevem habet, illum perpetuum. At apud principes in gloria splendet? Verum illic rursus livor et periculum. Ut enim tu erga illos affectus es, ita etiam alii complures. At perpetuo laudatur? Hoc vero acerbam servitutem efficit. Neque enim libere quidquam ex animi sententia facere audebit, ne in eorum, a qui-

bus celebratur, offensionem incurrat : grave enim ipsi vinculum est nominis claritas. Quocirca quo pluribus notus est, eo etiam plures dominos habet, ejusque servitus crescit : ut qui dominos suos, quoquo se vertat, inspectet. Ac servus quidem, cum ab heri sui vultu remotus est, respirat ac summa libertate fruitur ; hic autem ubique dominos obvios habet : omnium enim, quos in foro videt, est servus. Quod si necessitas aliqua urgeat, forum ingredi non audet, nisi famuli quoque assectentur, atque equus et omnis alia pompa parata et adornata sit, ne alioqui a dominis improbetur. Quod si sincerum aliquem amicum videat, familiares cum eo tamquam æquali sermones habere non audet : dominos enim metuit, ne ab ipsis de gloriæ suæ gradu dejiciatur. Ex quo efficitur, ut quo clarior est, eo graviore servitute opprimatur. Quod si quid molesti patiatur, eo acerbior est hæc contumelia, quo plures illius testes habet, ac præter dignitatem res ea esse videtur. Nec contumelia dumtaxat istud est, sed etiam calamitas. Nam permultos habet, qui una simul lætentur : ut contra cum bono aliquo fruitur, complures qui ipsi invideant ac livore afficiantur, eumque dejicere studeant. Hocne igitur, dic quæso, bonum est? hocne gloria? Minime vero, sed ignominia, et servitus et vincula, et quidquid grave dici possit. Quod si tibi tam expetenda ea gloria esse videtur, quæ ab hominibus proficiscitur, teque plausus ille, quo quispiam a plurimis excipitur, majorem in modum conturbat; cum eum hujusmodi plausu frui videris, cogitatione ad futurum ævum gloriamque illam transeas : et sicut irruentem feram effugere festinans, in cubiculum ingressus, fores occludis; sic tu nunc quoque ad futuram vitam arcanamque illam gloriam confuge. Sic enim et hanc calcabis, et illam facile assequeris, et vera libertate æternisque bonis frueris : quæ utinam nobis omnibus consequi detur, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXV.

Cap. 11. v. 21. *In quo quis audet, in insipientia dico, audeo et ego.*

1. Vide rursus quomodo refugiat, ac deprecatione et præmunitione utatur : etiamsi permulta quoque jam hujusmodi dixerit, nempe, *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ;* et rursus, *Ne quis me existimet insipientem esse : sin minus, ut et insipientem accipite;* et, *Quod dico, non secundum Deum dico, sed ut in insipientia;* et, *Quoniam multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor.* Atque hic rursus, *In quo quis audet, in insipientia dico, audeo et ego.* Audaciam videlicet et insipientiam appellat, magni aliquid de se prædicare, idque etiam urgente necessitate : quo nimirum nos doceat rem hujusmodi summopere fugere. Nam cum, omnibus etiam muneribus perfuncti, inutiles tamen nos vocare debeamus (*Luc.* 17. 10) ; qua tandem is venia dignus esse queat, qui nulla necessaria causa impulsus, seipsum attollit ac jactat? Ideo Pharisæus quoque ea passus est quæ passus est, atque in portu naufragium subiit, quod ad hunc scopulum ratem suam allisisset. Ob eam causam Paulus, etsi summa necessitate constrictum se conspiciens, tamen refugit, atque identidem admonet, hujusmodi rem insipientiæ nota non carere. Ac tum denique necessitatis excusationem obtendens, audet et ait, 22. *Hebræi sunt? et ego. Israelitæ sunt? et ego.* Non enim Hæbræi omnes Israelitæ erant : quandoquidem et Ammonitæ et Moabitæ Hebræi erant. Eaque de causa, ut generis nobilitatem repurgaret, subjunxit, *Semen Abrahæ sunt? et ego.* 23. *Ministri Christi sunt? ut minus sapiens dico, plus ego.* Non satis esse duxit præmunitionem antehac adhibuisse, nisi hic quoque rursus ea uteretur : *Ut minus sapiens dico, plus ego.* Ego his melior sum ac præstantior. Et quidem perspicua præstantiæ suæ argumenta habebat; nihilominus tamen insipientiæ vocabulo hanc rem appellat. Atqui, inquies, si falsi apostoli erant, præcellentia ista per comparationem induci minime debebat, sed prorsus hoc adimi, quod ipsi ministri essent. Istud vero ipsum, inquam, sustulit, cum dixit, *Pseudapostoli, operarii dolosi, transfigurantes se in apostolos Christi :* at nunc haud ita hoc facit : ad examen quippe sermo processurus erat. Nemo porro re non examinata simpliciter sententiam pronuntiat; verum cum prius sublationem eam, quæ per res ipsas efficitur, comparationis modo collocarit, tum demum rem eam ostendit, quæ multo plus firmitatis habeat. Alioquin sententiam ipsorum, non judicium suum ponit, dicens, *Ministri Christi sunt.* Et addens *Plus ego*, comparationem provehit, atque ostendit se non pronuntiantem, sed demonstrationem eam, quæ ex rebus ipsis exsistit, inducentem, peculiarem apostolici muneris notam retinere. Atque omissis omnibus miraculis, a tentationibus exorditur, sic loquens : *In laboribus abundantius, in plagis supra modum.* Hoc enim illo majus est : nempe cædi ac verberibus affici. *In carceribus abundantius.* Hic quoque rursus incrementum est. *In mortibus frequenter. Quotidie* enim, inquit, *morior* (1. *Cor.* 15. 52). Hic autem etiam reipsa : persæpe siquidem in mortifera pericula conjectus sum. *A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi.* Quare, *Una minus?* Prisca lege sancitum erat, ut si quis plus quam quadraginta verberum ictus accepisset, infamis apud ipsos esset. Itaque ne verberantis impetus hunc numerum in infligenda pœna excedens, ignominiæ notam reo inureret, præscriptum est ab illis, ut ei qui vapularet unde quadraginta tantum plagæ inciderentur : ut quamlibet is, qui verberaret, in cædendo acer esset, tamen quadragenarium non excederet, sed infra numerum lege constitutum subsistens, ei qui vapularet non hoc dedecus inferret. 25. *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci.* Et quid hoc ad evangelium? Quia longas vias, et marinas obivit. *Die ac nocte in profundo maris fui.* Quidam in medio mari fuisse, quidam natavisse dicunt, quod quidem

ad similitudinem veri magis accedit. Nam illud ne admiratione quidem dignum est: neque ita positum fuisset, tamquam naufragio majus. 26. *Periculis fluminum.* Etenim flumina quoque trajicere cogebatur. *Periculis latronum, periculis in civitate, periculis in solitudine.* Ubique mihi certamina proponebantur, in locis, in regionibus, in civitatibus, in solitudinibus. *Periculis ex gentibus, periculis ex falsis fratribus.* Vide alterum belli genus. Non enim ab hostibus solum, sed etiam ab illis, qui fraternæ benevolentiæ speciem præ se ferebant, petebatur, magnaque animi contentione ac prudentia opus habebat. 27. *In labore et ærumna.* Pericula labores, ac rursum labores pericula frequentia excipiebant, nec vel tantillum eum respirare sinebant. *In vigiliis multis, in fame et siti et nuditate,* 28. *præter illa quæ extrinsecus sunt.*

2. Plura prætermissa, quam enumerata sunt : imo ne ea quidem, quæ enumerando recensuit, quanta sint, verbis explicari potest. Neque enim ea speciatim posuit, verum illa commemoravit, quorum exiguus facilisque numerus erat, ter et ter dicens, et semel : alia autem non item, quod videlicet ea sæpe pertulisset. Nec vero, quis harum rerum fructus exstiterit, refert, hoc est, quantam hominum multitudinem ad Christum converterit, sed tantum ea, quæ prædicationis causa perpessus sit; simul modestiam retinens, et illud ostendens, quod etiamsi nihil effectum fuisset, non tamen ipsi labores fructu caruissent : sic namque merces plena et cumulata est. *Instantia mea quotidiana.* Tumultus, commotiones, populorum oppugnationes, urbium impetus. Judæi etenim supra omnes eum bello lacessebant, quia præ cæteris omnibus eos confundebat, maximumque furoris eorum argumentum hinc præbebat, quod tam subito ab iis ad Christum sese transtulisset. Atque ingens adversus eum bellum, tum a suis, tum ab alienis, tum ab hypocritis excitabatur; fluctusque ubique et præcipitia erant, in orbe, in desertis locis, in terra, in mari, intus, foris. Ac ne necessarius quidem cibus ipsi suppetebat, nec vel tenue indumentum; verum ille orbis terrarum pugil nudus dimicabat, ac fame oppressus decertabat : tantum aberat, ut opibus cogendis studeret. Nec ideo angebatur, sed pro his rebus certaminis præsidi gratias agebat. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Istud omnium caput est, quod animus quoque ipsius distorquebatur, atque cogitatio distrahebatur. Nam etiamsi nulla res ipsum externe impetivisset, satis tamen superque intestinum bellum erat, aliis alii superjecti fluctus, curarum agmina, cogitationum conflictus. Nam si quispiam unius tantum domus curam gerens, servosque et procuratores atque administratores habens, plerumque præ curarum mole ne respirare quidem potest, etiamsi nemo sit qui negotium ipsi facessat : cogita quidnam hic pertulerit, qui non unius domus, sed urbium et populorum et nationum atque adeo totius orbis curam gerebat, et pro tantis rebus, cum tot essent a quibus vexabatur, ipseque solus esset tantaque pateretur, eaque sollicitudine afficeretur, ut nullus pater pro filio in pari cura versetur. Ne etenim dicas, Quid enim si sollicitus quidem erat, sed utcumque ac leviter? subjunxit quam vehemens ea cura esset, dicens, 29. *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* Non dixit, Non mœstitiæ sum particeps; sed perinde ac si eodem ipso affectu ac morbo laborem, ita perturbor ac tumultuor. *Quis scandalizatur, et ego non uror?* Vide rursus incredibilem quamdam doloris magnitudinem, quæ quidem in hoc inflammationis vocabulo inest. Incendor, inquit, atque ardeo : quod quidem majus omnibus erat. Illa enim, quamquam aspera, tamen confestim præteribant, voluptatemque non marcescentem afferebant; hoc autem erat quod eum premebat atque in arctum redigebat, mentemque ipsius sauciabat, quod pro unoquoque infirmo, quicumque tandem is esset, tanta perpeteretur. Non enim de majoribus quidem hæc dicebat, minores autem contemnebat, verum abjectissimum etiam quemque inter necessarios reponebat. Unde etiam dicebat, *Quis infirmatur?* et, ac si ipse universa orbis Ecclesia esset, sic in unoquoque membro discruciabatur. 30. *Si gloriari oportet, in his quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.* Videsne quomodo nusquam ob miracula, sed ob persequutiones et tentationes glorietur? Hoc enim, inquit, imbecillitatis est. Et multiplex bellum esse indicat. Nam et Judæi bellum ipsi inferebant, et gentiles adversus eum stabant, et falsi fratres cum eo luctabantur, et fratres infirmitate laborantes ac scandalum patientes mœrore ipsum afficiebant : undique ipsi tumultus ac perturbatio erat, a suis, ab alienis. Hæc peculiaris apostolici muneris nota est : per hæc texitur evangelium. 31. *Deus et Pater Domini Jesu scit quia non mentior.* 32. *Præpositus gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, volens me comprehendere.* Cur hoc loco affirmatione atque asseveratione utitur, cum nulla in re ante istud fecerit? Fortasse quia antiquius hoc erat et ignotius; illa autem ipsis quoque nota, nimirum sollicitudo Ecclesiarum, aliaque omnia. Perspice itaque quanta belli vis esset, quippe cum ideo civitatem præsidio cinctam teneret. Porro cum bellum dico, Pauli zelum dico : nam nisi acer ac vehemens exstitisset, non utique tanto furore præfectum incendisset. Hæc sunt animi apostolici, tot adversa perpeti, nec tamen usquam subverti, sed forti ac generoso animo ea quæ accidunt perferre, non autem periculis obviam ire, nec in ea insilire. Vide quippe quomodo hic obsidionem effugere sustinuerit, 33. *Per murum demissus in sporta.* Quamquam enim ex hac vita discedere cupiebat, at hominum tamen salutem expetebat. Unde etiam sæpe eadem moliebatur, ut se prædicationi servaret; ac ne humanis quidem artibus, cum tempus ita postularet, uti recusabat : usque adeo prudens ac vigilans erat. Nam cum ejusmodi mala erant, quæ vitari nullo modo possent, tum gratia sola opus habebat : cum autem quædam mediocris tentatio erat, multa quoque suopte ingenio excogitabat; atque hic quoque rursus Deo totum adscribens. Ac si scintilla quædam ignis, qui exstingui nequeat, in mare prolapsa, incur-

santibus multis fluctibus, demergatur rursusque splendida emergat : ita quoque beatus Paulus nunc quidem periculis obruebatur, nunc vero ex ipsis emersus splendidior ascendebat, eo ipso, quod vexabatur, victoriam referens.

3. *Pauli egregia facinora.* — Hæc enim luculenta victoria est, hoc Ecclesiæ tropæum : sic diabolus profligatur, dum nos male mulctamur. Nobis enim perpetientibus, capitur ille, ac male mulctatur, dum nos malis afficere studet. Id quod in Paulo quoque usu veniebat : quo enim majora pericula illi diabolus creabat, eo magis vincebatur. Neque unum tentationis genus, sed varia ac multiplicia comparabat. Alia enim laborem, alia mœrorem, alia metum, alia dolorem, alia curam, alia infamiam, alia hæc cuncta simul afferebant : et tamen in omnibus superabat. Ac quemadmodum si miles unus, ab universo terrarum orbe bello impetitus, inter medios hostium cuneos versetur, nec quidquam adversi patiatur : sic etiam Paulus solus inter barbaros, inter Græcos, ubique terrarum atque in omnibus maris partibus apparens, invictus manebat. Atque ut scintilla aliqua in stipulam ac fœnum incidens, in naturam suam vertit ea quæ uruntur : ita hic quoque invadens, omnes ad veritatem traducebat, torrentis instar omnia peragrans, atque obstacula subruens. Ac velut unus et idem athleta luctans, currens et pugnis certans, aut ut miles muros oppugnans, pedestrem vel navalem pugnam iniens : sic omne certaminis genus obibat, ignemque spirabat, atque ita se comparabat, ut nemo ad eum accedere posset : uno corpore terram universam comprehendebat, una lingua omnes fugabat. Non ita multæ illæ tubæ in Jerichuntinæ urbis muros incidebant (*Jos.* 6. 20), eosque solo æquabant, ut vox ejus resonans diabolica præsidia prosternebat, atque hostes ad suas partes traducebat. At postquam ingentem captivorum copiam collegisset, armisque eos induisset, exercitum suum rursus efficiebat, ac per eum eximias palmas obtinebat. David uno tantum lapidis jactu Goliath dejecit (1. *Reg.* 17) : at si egregia Pauli facinora expendas, pueri facinus illud invenietur ; quantumque inter pastorem et belli ducem interest, tantum inter utrumque discriminis esse conspicies. Hic enim non lapidis jactu Goliath prosternebat, verum sola voce totam diaboli phalangem opprimebat ; atque ut leo rugiens, ignemque e lingua emittens, sic ipse a nemine sustineri poterat, assidueque quoquo gentium transiliebat, ad hos currebat, ad illos se conferebat ; ad hos migrabat, ad alios transibat, vento celerius procurrens, atque, instar unius domus aut navis, universum terrarum orbem gubernans, eos qui demergebantur retrahens, vertigine laborantes fulciens, nautas exhortans, ad puppim sedens, proram circumspectans, funes tendens, remum tractans, velum trahens, in cælum oculos conjiciens, omnia ipse munera obiens, nautæ, gubernatoris, proretæ, veli, navis : quidlibet patiens, ut aliorum mala solveret. Sic autem consideres velim : naufragium subiit, ut orbis terrarum naufragium sedaret : noctem et diem in imis maris gurgitibus egit, ut homines ex erroris profundo extraheret : in labore versatus est, ut laborantes recrearet : plagas sustinuit, ut iis, quibus diabolus vulnera intulerat, mederetur : in carcere commoratus est, ut eos, qui in vinculis ac tenebris sedebant, in lucem educeret : in mortibus frequenter, ut acerbis mortibus liberaret : quinquies quadragenas una minus accepit, ut eos, qui hæc perpetrabant, a diaboli verberibus eximeret : virgis cæsus est, ut sub Christi virgam et baculum adduceret : lapidibus impetitus est, ut a lapidibus sensus expertibus removeret : in solitudine fuit, ut a solitudine extraheret : in itineribus, ut errantes reprimeret, viamque in cælum ferentem aperiret : in urbibus periclitatus est, ut supernam civitatem ostenderet : in fame et siti, ut a graviore fame vindicaret : in nuditate, ut indecore se gerentes Christi stola convestiret : in vulgi incursione, ut a dæmonum impetu ac molestia abduceret : ustus est, ut ignita diaboli tela exstingueret : per fenestram e muro demissus est, ut humi stratos e terra in altum transmitteret. Adhucne igitur loquemur, cum ne ea quidem sciamus, quæ Paulus perpessus sit ? adhucne pecuniarum, adhuc uxoris et civitatis et libertatis mentionem faciemus, cum illum etiam vitam ipsam millies aspernari videamus ? Martyr semel moritur ; at beatus ille vir in uno corpore atque una anima tot pericula tamque gravia sustinuit, ut vel adamantinum pectus turbare possent : ac, quæ sancti omnes in tot corporibus pertulerunt, ea hic universa in uno tulit : atque in universum orbem, tamquam in stadium ingressus, et contra omnes concertans, ita fortiter stabat. Norat enim dæmones, qui adversus eum decertabant. Unde etiam ab ipsis statim initiis virtus ejus enituit ; atque ab ipsis carceribus ad metam usque idem semper suique similis permansit : imo etiam, cum a palma jam non longe abesset, persequutionem augebat. Quodque mirabile est, tot tantaque, tum patiens tum faciens, summam modestiam retinere norat. Nam cum in eam necessitatem incidisset, ut, quæ recte et cum virtute gesserat, narranda ipsi essent, celeriter omnia percurrit. Atqui sexcenta volumina implevisset, si singula quæ dixit amplificare voluisset, si Ecclesias, quarum sollicitudinem gerebat, enumerasset, si carceres, et ea quæ in ipsis præstitit ; si aliarum rerum ærumnas, si aliorum in se impetus exposuisset ; sed noluit. Hæc igitur cum nobis explorata sint, modestiam colere discamus, nec umquam in opibus aut in aliis sæcularibus gloriari ; verum in contumeliis, quas Christi causa acceperimus, in iisque tum denique, cum necessitas id postulaverit. Quod si nihil sit quod urgeat, ne harum quidem rerum mentionem faciamus, ne animis efferamur, verum peccatorum dumtaxat. Sic enim his facile liberabimur, Deumque propitium habebimus, ac vitam æternam consequemur : quam utinam nobis omnibus nancisci detur, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVI.

CAP. 12. v. 1. *Gloriari quidem non expedit mihi. Veniam autem ad visiones et revelationes Domini.*

1. Quidnam hoc sibi vult? qui tot ac tanta dixit, his verbis utitur, *Gloriari non expedit mihi*, ac si nihil dixisset? Non hoc ait, quasi nihil dixisset, sed quia ad alterum gloriationis genus migraturus est; quod etsi non tantam mercedem habet, tamen illustriorem eum plerisque ostendere videtur, non autem iis, qui rem diligenter perpendant. Idcirco ait, *Gloriari quidem non expedit mihi.* Magnæ enim jactationes erant illæ, quas ante enumeravit, quæ ex tentationibus proficiscebantur. Habet autem nunc alia quæ dicat, revelationes atque arcana mysteria. Cur autem dicit, *Non expedit mihi?* Ne me, inquit, hujusmodi commemoratio in arrogantiam extollat. Quid ais? an ea nescis, etiamsi non dixeris? At non æque animus noster attollitur, cum nos ea scimus, et cum ad alios efferimus. Neque enim recte factorum natura arrogantiam afferre consuevit, sed vulgi testimonium atque cognitio. Ideo ait, *Non expedit mihi :* ac ne majorem auditorum animis de me cogitationem immittam. Etenim pseudapostoli ea, quibus carebant, de seipsis prædicabant; hic contra ea etiam, quæ ipsi insunt, occultat : idque cum tanta ipsi necessitas incumbat : aitque, *Non expedit mihi :* ut omnes doceat hanc rem omnino fugere. Neque enim istud fructum ullum, sed potius detrimentum habet, nisi utilis quædam ac necessaria occasio sit, quæ ad id impellat. Postquam itaque pericula, tentationes, insidias, mœrores ac naufragia commemoravit, ad alterum gloriationis genus se confert, dicens : 2. *Scio hominem ante quatuordecim annos (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio : Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum.* 3. 4. *Et scio quoniam raptus est in paradisum (sive in corpore, sive extra corpus, nescio), et audivit arcana verba quæ non licet homini loqui.* 5. *Pro hujusmodi ergo gloriabor : pro me autem non gloriabor.* Magna certe hæc revelatio est : nec tamen hæc sola fuit, sed aliæ complures; verum ipse unam ex multis ponit. Nam quod multæ essent, audi quid dicat : *Ne magnitudo revelationum extollat me.* Atqui, dixerit aliquis, si eas occultare cupiebat, omnino nec significationem ullam obscuram dare, nec quidquam ejusmodi dicere debebat; sin autem dicere volebat, aperte proferendæ erant. Cur ergo nec perspicue eas exposuit, nec omnino reticuit? Ut hinc quoque ostendat, invitum se ac repugnantem ad id accedere. Ideo etiam quatuordecim annorum tempus posuit. Neque enim frustra hujus temporis mentionem fecit, sed ut demonstret, quod qui tot annos tacitum id tenuerat, non id nunc enuntiasset, nisi summa eum necessitas impulisset, verum æque tacuisset, nisi fratres pereuntes vidisset. Quod si ab ipsis primordiis talis erat Paulus, ut ejusmodi revelatione dignus haberetur, cum nondum tot ac tantis præclare gestis ornatus esset : cogita, quæso, quantus vir in quatuordecim annis evaserit. Ac vide quomodo hic quoque modeste se gerat, cum quædam narrat, quædam autem se ignorare confitetur. Se raptum fuisse dicit; si in corpore, si extra corpus, se nescire profitetur. Et quidem sufficiebat, cum raptum dixisset, tacere : at nunc pro sua modestia hoc quoque adjungit. Quid igitur? itane mens et anima rapta est, ut corpus mortuum manserit? an corpus quoque raptum est? Id vero dicere non licet. Nam cum Paulus ipse, qui raptus est, et cui tot ac tantis arcanis frui contigit, id ignoraverit, multo sane magis hoc nobis ignotum est. Nam id quidem sciebat, quod in paradiso esset et quod in tertio cælo, at modum haud perspicue norat. Atque etiam aliunde, quam a fastu alienus esset, considera. Etenim cum de Damascenorum civitate verba faceret, fidem sermoni suo adstruit; hic autem non perinde : nec enim hoc admodum confirmare volebat, sed tantum dicere ac tacite significare. Ac proinde hæc verba subjicit, *Pro hujusmodi gloriabor.* Quibus verbis non indicabat, alium fuisse qui raptus fuerat, verum ut licebat et quantum fas erat, diceret, et de se aperte loqui vitaret, sic orationem conformavit. Num etiam alioqui consentaneum fuisset, cum de se verba faceret, alium in medium proferre? Cur ergo sic rem composuit? Non idem erat dicere, Raptus sum, et, Scio hominem raptum; nec, Glorior pro me ipso, et, Pro hujusmodi gloriabor. Quod si quis dixerit, Quomodo fieri poterat, ut sine corpore raperetur? vicissim ex eo quæram, Quo pacto fieri poterat, ut cum corpore raperetur? etenim hoc si ratiociniis expendas, nec fidei concedas, difficilius quam illud explicari potest. Cur autem raptus est? Mea quidem sententia, ne reliquis apostolis inferior videretur. Nam quia illi cum Christo consuetudinem habuerant, ille vero minime; idcirco eum, ut gloriam ipsi conciliaret, in paradisum rapuit. Siquidem ingens hujus loci nomen erat, atque ubique celebrabatur.

2. Quocirca etiam Christus dicebat : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* 23. 43). *Pro hujusmodi gloriabor.* Quid ita? si enim alius raptus est, quid tu gloriaris? Ex quo illud intelligi datur, eum de seipso hæc prædicasse. Quod si subjunxit, *Pro me ipso autem non gloriabor*, nihil aliud his verbis significat, quam quod nulla urgente necessitate nihil hujusmodi leviter dicturus sit : aut certe, ut rursus quod dixerat, quantum fieri poterat, adumbraret. Nam quod de seipso tota esset oratio, ex iis quæ sequuntur liquet : subjunxit enim, 6. *Si autem etiam voluero gloriari, non ero insipiens : veritatem enim dicam.* Cur ergo prius dicebas, *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ;* et, *Quod dico non secundum Dominum dico, sed ut in insipientia* (2. *Cor.* 11. 1. 17); hic autem, *Si autem etiam voluero gloriari, non ero insipiens?* Hoc non gloriationis ratione dicit, sed mendacii : nam si gloriari insipien-

tiæ est, multo certe magis mentiri. Hac igitur ratione ait, *Non ero insipiens.* Unde etiam subjunxit, *Veritatem enim dicam. Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt, aut audit ex me.* Hæc indubitata causa est : nam etiam ob miraculorum magnitudinem dii ipsi habiti sunt (*Act.* 14. 10). Quemadmodum ergo Deus in elementis utrumque fecit, nempe ut et imbecilla ea et præclara crearet, tum ut ipsius potentiam prædicarent, tum ut hominum errorem prohiberent : sic etiam hic quoque simul et admirabiles et imbecilles erant, ut ex operibus ipsis infideles erudirentur. Nam si admirabiles solum manentes, nec ullum imbecillitatis argumentum circumferentes, sermone suo vulgus prohibere studuissent, ne majora, quam veritas pateretur, de ipsis existimarent; non modo nihil perfecissent, sed etiam contrarium plane effecissent. Etenim illæ laudum recusationes, ab humilitate potius ac modestia proficisci visæ fuissent, majoremque ipsis admirationem peperissent. Ideo ergo factum est, ut opere ipso ac rebus ipsis eorum imbecillitas detegeretur. Quod ipsum in iis hominibus, qui tempore Veteris Testamenti fuerunt, conspicere possis. Nam Elias etiam eximius vir erat; at timiditatis tamen quandoque notatus est : et Moses item magnus ; at hic quoque ob eumdem affectum fugam fecit. Hæc porro idcirco ipsis accidebant, quod Deus abscederet, atque humanæ naturæ imbecillitatem declarari sineret. Nam si, cum Israelitas ex Ægypto eduxisset, dixerint illi, Ubi est Moses? si eos etiam in Palæstinam induxisset, quid non dicturi fuissent? Ideo ipse quoque ait, *Parco, ne quis me existimet.* Non ait, Dicat, sed, Ne quid majus quam pro dignitate mea existimet. Itaque hinc etiam liquet, eum de seipso hanc omnem orationem habere. Eaque de causa initio quoque dicebat, *Gloriari quidem non expedit mihi :* quibus quidem verbis, si de alio quopiam ea dicturus fuisset quæ dixit, non usus esset : cur enim de altero gloriari non conducit? Verum ipse erat qui his dignatus fuerat. Unde etiam hæc verba subnectit, 7. *Et ne magnitudo revelationum me extollat, datus est mihi stimulus carnis, angelus satanæ, qui me colaphizet.* Quid audio? isne, qui præ Christi amore nec cælorum regnum, nec gehennam quidquam esse ducebat, vulgi honores alicujus pretii esse censebat, ut etiam attolleretur, ac perpetuo freno opus haberet? non enim dixit, Qui colaphizaturus sit, sed, *Qui colaphizet.* Quis autem id dixerit? Quænam ergo verborum sententia est? Postquam, quisnam tandem iste stimulus, et quis angelus satanæ sit, aperuerimus, tum hoc etiam exponemus. Nonnulli ergo eum dolorem quemdam capitis, quem diabolus ipsi conflavisset, intelligere censuerunt. Absit autem ut ita sit. Neque enim Pauli corpus diaboli manibus addictum fuit : quippe cum diabolus ipse vel Pauli jussis cederet, eique Paulus et leges et certos terminos præscriberet, cum fornicatorem illum in carnis interitum ipsi traderet (1. *Cor.* 5. 5). nec eos ille transire ausus fuerit. Quid igitur his verbis sibi vult? Satan Hebræorum lingua adversarium sonat; ac Scriptura tertio Regum libro adversarios hoc nomine appellavit. Nam de Salomone verba faciens, ait, *Non erat satan in diebus ipsius* (3. *Reg.* 5. 4). hoc est, adversarius, qui bellum ipsi inferret, aut molestiam exhiberet. Quod ergo ait, hanc habet sententiam : Deus prædicationem feliciter progredi non permisit, quo animos nostros demitteret, verum adversarios in nos impetum facere passus est. Hoc enim ad deprimendum fastum vim habebat, illud autem minime. Quocirca per angelum satanæ Alexandrum ærarium, Hymenæum, Philetum, ac denique omnes, qui fidei doctrinæ adversabantur, atque cum ipso contendebant ac bellum gerebant, eumque in carcerem conjiciebant, cædebant ac raptabant, intelligit : quod ea, quæ satanæ erant, perpetrarent. Quemadmodum enim Judæos diaboli filios vocat, quod illius opera imitarentur : sic etiam satanæ angelum omnes eos nuncupat, qui sibi obsisterent. Hoc itaque ait, *Datus est mihi stimulus qui me colaphizet :* non quod Deus hujusmodi homines amaret, absit, sed quod eos minime coerceret, ac suppliciis afficeret, verum ad quoddam tempus eos grassari permitteret. 8. *Propter quod ter Dominum rogavi.* Hoc est, sæpenumero.

3. Idque summæ humilitatis est, non celare quod ferendis insidiis impar esset, quod laboraret, atque, ut liberaretur, precibus opus haberet. 9. *Et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea : virtus enim mea in infirmitate perficitur.* Hoc est, Sufficit tibi quod mortuos in vitam revocas, quod cæcis mederis, quod leprosos purgas, quod alia miracula edis : ne insuper id poscas, ut a periculis immunis sis, tranquille degas, ac sine molestiis munus prædicationis obeas. At doles et mœrore afficeris? Ne mihi hoc imbecillitati adscribatur, quod multi sint qui tibi insidias adstruant, teque cædant et exagitent ac flagris conscindant : nam hoc potius meam potentiam indicat : *Virtus enim mea,* inquit, *in infirmitate perficitur :* cum videlicet vos persequutionem patientes, eos qui vos persequuntur superatis, cum vexati, de iis qui vos vexant palmam refertis, cum vinculis adstricti, eos qui vos vinciunt convertitis. Quocirca supervacanea ne poscas. Vides quomodo ipse aliam causam afferat, aliam Deus? Ipse enim ait, *Ne extollar, datus est mihi stimulus carnis :* Deum vero dixisse ait, se istud idcirco permittere, ut potentiam suam ostendat. Non igitur supervacaneam dumtaxat rem postulas, sed etiam quæ potentiæ meæ gloriæ tenebras offundat. His enim verbis, *Sufficit tibi,* hoc indicatur : nihil aliud adjungi debere, verum omnia perfecta ac numeris omnibus absoluta esse. Itaque hinc etiam liquet, eum non de capitis dolore loqui. Neque enim ægrotantes prædicabant; non enim morbo detenti prædicare potuissent; sed exagitati ac vexati, omnia superabant. Posteaquam igitur hæc audivi, inquit, libentissime in infirmitatibus meis gloriabor. Ne enim animis concideremt, cum scilicet pseudapostoli illi ob contraria gloriarentur seseque jactarent, hi autem in persequutionibus versarentur, ostendit se propterea illustriorem fieri, Deique potentiam hac ratione ma-

gis elucere, eaque, quæ ipsis contingebant, gloria digna esse. Ideo ait, *Libentissime igitur gloriabor.* Non mœsto animo hæc dixi, quæ supra enumeravi, aut etiam hoc, quod nunc dixi, nempe datum mihi stimulum esse, sed velut eo nomine glorians, majoremque hinc vim contrahens. Unde etiam subjungit, *Ut inhabitet in me virtus Christi.* Hoc loco aliud quiddam tacite significat, quod quanto magis tentationes augebantur, tanto etiam magis gratia crescebat, ac permanebat. 10. *Quamobrem mihi placeo in infirmitatibus multis.* Quibus quæso? *In contumeliis, in persequutionibus, in necessitatibus, in angustiis.* Videsne quo pacto hoc nunc apertissime declaravit? Infirmitatis enim genus commemorans, febres non dixit, aut hujusmodi aliquem circuitum, aut alium corporis morbum, sed contumelias, persequutiones, angustias. Perspicisne animi æquitatem ac probitatem? Molestiis liberari cupiebat : cum autem a Deo audivit hoc fieri non oportere, non modo tristitia affectus non est, quod voti sui compos non exstitisset, sed etiam voluptatem cepit. Ideo dicebat, *Placeo mihi :* Lætitia afficior, inquit, ac pro Christo contumeliis affici, vexari, opprimi cupio. Hæc porro dicebat, tum ut illorum arrogantiam comprimeret, tum ut horum animos erigeret, ne Pauli calamitates ipsis pudori essent. Hæc enim res, inquit, nos omnibus mortalibus clariores reddere potest. Ac deinde aliam quoque causam ponit : *Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Quid miraris, si Dei potentia tunc ostendatur? ipse quoque tunc potens sum, siquidem tunc maxime gratia accedebat.

Ærumnæ pro Christo, consolationem habent. — Quemadmodum enim abundant ipsius passiones, ita etiam abundat consolatio nostra. Ubi afflictio, illic etiam consolatio : ubi consolatio, illic et gratia. Cum ergo in vincula conjectus fuisset, tunc demum mirifica illa patrabat : cum naufragium fecisset, atque in barbarorum regionem delatus fuisset, tunc potissimum effulsit ac celebratus est : cum tribunal vinctus ingressus est, tum judicem ipsum superavit. Sic in Veteri quoque Testamento contingebat : in tentationibus enim justi florebant : sic tres pueri, sic Daniel et Moses et Joseph : omnes hinc splendorem ac magnas coronas consequuti sunt. Nam tunc etiam anima purgatur, cum propter Deum premitur : tunc majori auxilio fruitur, atque ampliori gratia digna exsistit, cum majore subsidio opus habet. Qui ante illud quoque præmium, quod a Deo propositum est, ingentia bona percipit, cum philosophice se gerit. Nam afflictio et fastum amputat, et segnitiem omnem exscindit, atque ad patientiam instruit, ac velut inungit; rerum humanarum utilitatem detegit, atque ingentem philosophiam inducit. Omnes enim turbulenti animorum motus ipsi cedunt, invidia, æmulatio, libido, potentia, divitiarum et corporum amor, arrogantia, fastus, ira ac reliquum hujusmodi morborum agmen. Quod si in rebus ipsis et privatim virum aliquem et populum universum cernere libet, in promptu erit mihi ostendere, et qui in calamitate, et qui in quiete atque oblectatione versati sint, ac docere, quantum illinc fructus, quantum illinc socordiæ promanarit.

4. Etenim Hebræi, cum exagitarentur atque incommodis et calamitatibus afficerentur, ingemiscebant ac Deum obsecrabant, plurimumque auxilii e cælo pertrahebant : cum autem incrassati sunt, recalcitrarunt. Ninivitæ rursus, cum tranquille viverent, Deum usque adeo ad iracundiam incitarunt, ut se urbem funditus deleturum minaretur : at postquam Jonæ prædicatione humiles redditi sunt, nullum non philosophiæ argumentum præbuerunt. Quod si hominem unum privatim intueri libet, Salomonem tibi animo propone. Nam cum hic in cura et perturbatione versaretur, de gentis videlicet illius imperio atque gubernatione consilia agitans, illa visione dignatus est : cum autem deliciis se dedidit, in ipsam vitii voraginem devolutus est. Quid ipsius pater? quonam tempore eximium atque admirandum virum se præbebat? annon cum in tentationibus versaretur? Absalon vero annon modeste se gerebat, dum fugeret; postquam autem reversus est, et tyrannidem invasit et parricida factus est? Quid Job? Hic enim clarus erat cum prospere ageret; clarior autem visus est post calamitatem. Quid autem prisca et vetera commemorare attinet? nam si quis præsentem rerum statum expendat, quantum fructus ex afflictione nascatur, perspiciet. Nunc enim, cum pace fruimur, elanguimus et defluximus, ac sexcentis Ecclesiam malis implevimus : cum autem exagitabamur, et moderatiores et meliores et studiosiores et ad hosce conventus promptiores eramus. Quod enim auro ignis, hoc animis est afflictio; spurcitiem abstergens, puros efficiens, luculentos et illustres reddens. Hæc ad regnum inducit, illa ad gehennam. Quocirca hæc quidem angusta; illa autem lata. Unde etiam Christus dicebat, *In mundo pressuram habebitis* (*Joan.* 16. 33) : tamquam ingens bonum ad nos emittens. Itaque si inter discipulos censeris, arctum et angustum iter capesse, nec indignare atque animum desponde. Nam nisi ad hunc modum premaris, omnino te infructuosa alia de causa premi necesse erit. Nam et invidus et pecuniarum avidus, et qui meretricis amore flagrat, et inanis gloriæ cupidus, et quilibet eorum qui prava consectantur, multos mœrores multasque calamitates subit, nec minus, quam ii qui lugent, angitur. Quod si non collacrymat ac mœret, pudore scilicet ac stupore prohibetur : si animum ipsius cognitum habeas, infinitis eum fluctibus refertum conspicies. Cum itaque et eum qui hanc, et eum qui illam vitam sequitur, premi necesse sit, cur non hoc potius vitæ genus amplectimur, quod innumeras cum afflictione coronas affert? Etenim Deus sic sanctos omnes per afflictionem et anxietatem duxit; simul et ipsos juvans, et aliis consulens, ne majorem quam par esset, de se opinionem conciperent.

Alexander tertius decimus deus constitutus. — Sic enim idolorum cultus primo imperium obtinuit, cum homines ampliori, quam æquum esset, admirationi

haberentur : sic Romanorum senatus Alexandrum decimum tertium deum esse censuit (*a*). Is enim hanc potestatem habebat, ut deos crearet atque conscriberet. Cum res omnes a Christo gestæ nuntiatæ sunt, Romam misit is qui Judæorum nationi præerat, sciscitans ex ipsis num eum quoque deum creare placeret. Id vero illi facere recusarunt, quod iniquo atque infenso animo ferrent, ante decretum suum atque sententiam Crucifixi potentiam effulgentem, universum orbem ad sui cultum attraxisse. Hoc porro vel invitis ipsis ita divinitus procurabatur, ut ne humanis suffragiis Christi divinitas promulgaretur, neque unus e multis illis ipse esse censeretur, qui ab ipsis designati fuerant. Nam et pugiles pro diis habuerunt, atque cinædum illum, quem Adrianus in deliciis habebat : unde etiam urbs Antinoi appellatur (*b*). Quia enim mors adversum humanam naturam testimonium dicit, diabolus alteram viam excogitavit, nimirum animæ immortalitatem : cui immodicam adulationem admiscens, quamplurimos in impietatem abduxit. Illius vafritiem perspice. Nam cum nos eam utiliter in medium afferimus, sermonem ille evertit : cum autem in perniciem eam adstruere cupit, magno studio eam constituit. Ac si quispiam dixerit, Qui fieri potest, ut Alexander deus sit? annon mortuus est, et quidem misere? At immortalis est animus, inquit. Nunc immortalitatem asseris ac philosopharis, ut a præpotente Deo nos abducas : at cum nos summum Dei beneficium eam dicimus, humiles et humi abjectos, nihiloque melius quam bruta animalia affectos, ut deceptos in tuam sententiam abducis. Quod si Crucifixum vivere dixerimus, risus statim consequitur : quamvis etiam orbis universus et olim et nunc quoque id clamet, tunc per miracula, nunc autem per eos, qui ad eum sese converterunt : neque enim mortui est ista præstare. Sin autem quispiam Alexandrum vivere asserat, huic fidem adhibes, cum tamen nullum miraculum proferre queas. Imo vero, inquis : multa enim et magna, cum viveret, gessit : nam et gentes et urbes imperio suo subjecit, et in multis bellis ac prœliis victoriam obtinuit, tropæaque erexit.

5. Quid si ostendero id, quod nec ille dum viveret, nec alius quispiam ex his qui umquam exstiterunt, cogitavit; quod tandem aliud resurrectionis argumentum quæris? Nam quod quispiam vivens bella feliciter confecerit victoriasque adeptus sit, rex cum esset exercitusque haberet, nec mirum nec novum atque insolens videri debet : at vero post crucem ac tumulum, tot ac tanta in tota terra et mari efficere, hoc ingenti stupore plenum est, ac divinam et arcanam potentiam promulgat. Ac quidem Alexander imperium suum, post ipsius e vita discessum lacerātum ac penitus deletum, non instauravit : qui enim id potuisset homo mortuus? at Christus tunc ipsum maximé excitavit, postquam ex hac vita migravit. Quid autem Christum commemoro, cum ipse discipulis quoque suis, ut post mortem clari essent concesserit? Ubi enim, quæso, Alexandri tumulus est? ostende mihi, et dic quo die mortuus sit. At Christi servorum vel sepulcra splendida sunt, ut quæ urbem præstantissimam ac regiam occuparint, et dies noti atque clari, qui festi a toto orbe celebrentur. Atque illius quidem tumulum sui quoque ignorant; hujus autem barbari quoque exploratum habent.

Sepulcra Martyrum regias aulas superant. — Ac sepulcra eorum, qui Crucifixo serviere, regias aulas splendore vincunt, non solum magnitudine aut pulchritudine ædificiorum; nam hac quoque parte illa superant; sed, quod multo majus est, coeuntium studio. Nam et ille qui purpuram gestat, ad sepulcra illa se confert, ut ea exosculetur; abjectoque fastu supplex stat sanctosque obsecrat, ut ipsi apud Deum sibi præsidio sint; atque, ut et tentoriorum opificem et piscatorem, et quidem fato functos, patronos habeat, precibus is contendit qui diademate cinctus est. Ergone, dic quæso, horum dominum mortuum dicere audebis, cujus servi, etiam defuncti, eorum qui universo orbi imperant, patroni sunt? Atque id non Romæ solum fieri quispiam viderit, sed etiam Constantinopoli. Nam et hic quoque Constantinum Magnum filius ita demum ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in piscatoris vestibulo conderet : quodque Imperatoribus sunt in aulis janitores, hoc in sepulcro piscatoribus sunt Imperatores. Atque illi quidem, velut domini, interiores loci partes obtinent : hi autem velut accolæ ac vicini, præclare secum agi putarunt, si vestibuli janua ipsis assignetur; ab iis, quæ hic fiunt, etiam infidelibus ostendentes, quod piscatores in resurrectione præstantiorem gradum obtinebunt. Nam cum hic in sepulcris tanto superiores sint, multo certe magis in resurrectione : atque mutatis rerum vicibus, Imperatores famulorum ac ministrorum, subditi autem Imperatorum dignitatem tenent, imo splendidiorem. Quodque hoc non ab adulationis studio proficiscatur, veritas ipsa ostendit : ab illis enim hi quoque majorem splendorem sunt consequuti. Hæc quippe sepulcra aliis Imperatorum sepulcris multo splendidiora et venerabiliora facta sunt : in illis enim mira solitudo, in his ingens frequentia. Quod si cum imperatoriis aulis hæc sepulcra conferre libeat, penes hæc rursus victoria futura est. Illic enim multi sunt, qui turbam submoveant; hic contra multi qui invitent, atque et divites et pauperes, et viros et feminas, et servos ac liberos attrahant : illic ingens terror; hic lætitia, quæ nullis verbis explicari queat. At dulce spectaculum est Imperatorem auro amictum et corona redimitum videre, adstantesque bellicos duces, præfectos, tribunos, centuriones, prætores? Verum hæc adeo

(*a*) Alexandrum Magnum templum habuisse sibi dicatum significat Lampridius paulo post initium vitæ Alexandri Severi, cap. 5. Quod autem a Senatu Romano tertius decimus deus declaratus sit, ut ait Chrysostomus, certe non constare videtur. Tertius autem decimus hic deus censetur, quia duodecim dii præcipui Romæ habebantur : *Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

(*b*) Antinoum Hadriani cinædum inter deos relatum, et Antinoopolin ejus nomine dictam fuisse, ignorat nemo. Vide Spartianum in vita Hadriani, cap. 14.

(*Dix-neuf.*)

illis augustiora magisque tremenda sunt, ut præ istis illa scena quædam ac merus ludus censeri possint. Simul enim atque limina transilieris, locus ipse mentem ad cælum, ad superum Regem, ad angelorum exercitum, ad sublime illud solium, ad inaccessam gloriam transmittit. Atque hic quidem Imperator subditos suos præfecto ita subjecit, ut ei liberum sit alios solvere, alios vinculis astringere : at sanctorum ossa non talem hanc abjectamque potestatem habent ; verum illa multo majorem. Dæmones enim sistunt et excruciant, acerbissimisque illis vinculis eos, qui adstricti sunt, solvunt. Quid hoc tribunali terribilius fingi potest? Cum nemo cernatur, nemo dæmonis lateri incumbat, voces et dilacerationes, verbera et cruciatus, linguæ conflagrantes audiuntur, dæmone admirabilem potentiam minime ferente. Atque isti, qui corpora gestarunt, virtutes corpore vacantes superant ; pulvisque, ossa et cinis naturas illas invisibiles dilacerant. Ideo nemo est qui peregrinationem umquam inire sustineat, ut Imperatorum aulas videat : contra multi plerumque Imperatores peregre profecti sunt, ut hoc spectaculo fruerentur. Siquidem sanctorum martyrum templa futuri judicii vestigia et signa exhibent, dum dæmones flagris cæduntur, hominesque castigantur ac liberantur. Viden' quæ sanctorum, etiam vita functorum, vis sit? vides quæ peccatorum, etiam viventium, imbecillitas? Proinde vitium fuge, ut eos qui tales sunt superes, ac virtutem omni studio consectare. Nam si præsentia ejusmodi sunt, cogites velim qualia futura sint. Atque hoc amore perpetuo correptus, sempiternam vitam arripe : quam utinam nobis omnibus consequi detur, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVII

Cap. 12. v. 11. *Factus sum insipiens gloriando ; vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari.*

1. Absoluta de suis laudibus oratione, hic minime gradum fixit, verum se rursus excusat, ac de iis quæ dixit veniam petit, necessitate nempe adductum se fuisse dicens, non voluntate. Et tamen, quamvis eo necessitate pertractus fuerit, insipientem se vocat. Atque, cum hunc sermonem ordiretur, dicebat, *Ut insipientem accipite me ;* et, *Tamquam in insipientia :* nunc vero sublata hac particula, *ut*, insipientem seipsum vocat. Posteaquam enim, per ea quæ dixit, id quod volebat effecit, libere jam atque audacter vitium hujusmodi notat, quo videlicet omnes erudiat, ne, nisi summa necessitas urgeat, quisquam suas laudes prædicet : quippe cum Paulus, necessaria etiam causa oblata, insipientem tamen se appellarit. Deinde eorum, quæ loquutus est, causam omnem, non ad pseudoapostolos, sed ad discipulos suos convertit : *Vos* enim, inquit, *me coegistis.* Nam si ipsi ita se jactarent, ut id sine vestra fraude facerent, nec vos in exitium impellerent, non eo progressus essem, ut in ejusmodi sermones meipsum demitterem : quoniam autem universam Ecclesiam labefactabant, utilitatis vestræ causa insipientiæ vitio laborare coactus sum. Nec vero dixit, Metui, ne si primas apud vos tulissent, dogmata sua sererent ; verum hoc quidem superius posuit, cum dixit, *Timeo autem ne, sicut serpens Evam seduxit, ita corrumpantur sensus vestri :* nunc autem non eodem modo, verum majori cum auctoritate ac potestate, ut qui ex iis, quæ ante dixerat, liberius loquendi facultatem nactus esset : *Ego enim a vobis debui commendari.* Postea causam affert : rursusque haud revelationes ac miracula tantum commemorat, sed etiam tentationes. *Nihil enim minus habui iis, qui sunt supra modum apostoli.* Vide quomodo hic quoque liberius ac majori quadam cum auctoritate loquatur. Prius siquidem aiebat, *Existimo me nihil minus habuisse :* hic autem absolute pronuntiando ita, uti dixi, post allatas probationes libere deinceps loquitur : quamquam ne sic quidem a modestia suisque moribus abscedit. Perinde enim ac si quid magni dixisset, suæque dignitatis modum excessisset, quod in apostolorum numerum sese aggregasset, sic rursus orationem temperat aitque : *Tametsi nihil sum, 12. signa tamen apostoli facta sunt in vobis.* Ne, inquit, hoc inspicias, an vilis et exigui pretii ego sim ; verum an non iis, quæ ab apostolo exspectanda erant, tibi frui contigerit. Nec dixit, Vilis, sed, quod hoc vocabulo adhuc inferius erat, *Nihil.* Quid enim refert magnum esse, si nemini prosis? quemadmodum nil prodest medicum artis suæ peritum esse, si nulli ægrotantium medeatur. Ne ergo, inquit, hoc expendas, quod nihil sim, sed illud spectes quod in iis, in quibus vos beneficio affici conveniebat, nullæ meæ partes desideratæ sunt, verum apostolatus mei experimentum præbui. Non ergo oportebat ut me ipse prædicarem. Hoc porro non eo dicebat, quod commendatione opus haberet : quomodo enim, cum ipsum cælum præ Christi amore parvi faceret? sed quod salutis ipsorum cupiditate teneretur. Postea, ne ipsi dicerent, Quid nostra interest, si eximiis apostolis nulla in re inferior fueris? ideo subjunxit, *In vobis facta sunt signa apostoli, in omni patientia et signis et prodigiis.* Papæ, quantum recte, factorum pelagus paucis verbis præteriit! Ac vide quid primum collocet, nimirum patientiam. Hoc enim apostoli specimen est, nempe omnia forti animo ferre. Istud porro breviter tenui vocabulo complexus est : contra miracula, ut quæ non ipsius virtute ederentur, pluribus verbis expressit. Cogita enim quot carceres, quot plagas, quot discrimina, quot insidias, quot tentationum agmina hic tacite significarit, quot intestina bella, quot externa, quot dolores, quot impetus, unico patientiæ vocabulo indicavit. Per signa rursus quot homines a morte ad vitam revocati, quot

cæci curati, quot leprosi mundati, quot dæmones ejecti significantur. Ex his verbis illud discamus, ut si necessitas quædam nos in hujusmodi narrationes adegerit, ea, quæ a nobis recte gesta sunt, brevissime perstringamus, quemadmodum a Paulo quoque factum est.

2. Mox, ne aliqui dicerent, Etsi magnus es, ac multa gessisti, at non tot tamen ac tanta, quot et quanta apostoli in reliquis Ecclesiis gesserint, idcirco subdidit : 13. *Quid est enim quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis?* Non minorem quam cæteri gratiam accepistis. At, dixerit fortasse quispiam, cur relicta dimicatione cum pseudoapostolis, sermonem ad apostolos convertit? Ut eorum animos amplius erigat, ostendatque se non modo illis præstantiorem, sed ne magnis quidem apostolis inferiorem esse. Ideo quippe cum de illis verba facit, ait, *Plus ego :* quando autem cum apostolis se confert, satis habet, si ipsis inferior minime sit, tametsi etiam plus illis laborasset. Atque hinc illud quoque indicat, quod et in illos contumeliosi sint, cum eum, qui ipsis par sit, istiusmodi hominibus posthabeant. *Nisi quod ego ipse non gravavi vos.* Rursus cum magna acerbitate objurgationem posuit. Idque, quod sequitur, asperius adhuc est, *Donate mihi hanc injuriam.* Et tamen hæc asperitas benevolentiæ verba et eorum laudem continet : siquidem injuriæ hoc ducebant, quod apostolus a se id impetrari minime passus esset, ut quidquam ab ipsis sumeret, nec tantum fiduciæ concepisset, ut ab his ali sustineret. Si hoc, inquit, mihi crimini vertitis (non dixit, Male me accusatis ; sed non sine magna suavitate), a vobis peto ut mihi hujus peccati gratiam faciatis. Et vide prudentiam : quoniam enim hoc assidue usurpatum probrum ipsis afferebat, idcirco etiam assidue illud mitigat. Superius enim cum dixisset, *Est veritas Christi in me, quod gloriatio hæc non infringetur*, dixit rursus, *Quia non diligo vos? Deus scit ; sed ut amputem occasionem eorum, qui quærunt occasionem, et ut, in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos* (2. *Cor.* 11. 10-12). Et in priore epistola, *Quæ igitur mihi merces est? Ut evangelium prædicans sine sumptu ponam evangelium.* (1. *Cor.* 9. 18). Hic rursus, *Donate mihi hanc injuriam.* Ubique enim cavet, ne ostendat eorum imbecillitatem in causa esse, cur nihil ab ipsis accipiat : ideoque hic quoque sic loquitur : Si hoc peccatum esse ducitis, veniam peto. Hæc autem idcirco dicebat, ut simul et eos percelleret et leniret. Nec enim mihi hoc dixeris, Si ferire cupis, quid excusatione uteris? si curare, quid feris? Hoc enim solertis animi est, nimirum invidere et vulnus obligare. Postea ne, uti prius dicebam, ideo hoc assidue versare videretur, quod aliquid ab ipsis acciperet, huic suspicioni medetur ipse etiam in epistola superiori, dicens, *Non autem scripsi, ut ita fiat in me : melius enim est mihi mori, quam ut gloriam meam quis evacuet* (*Ibid.* v. 15). Hic vero suavius blandiusque id facit. Quonam tandem modo? 14. *Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos, et non ero gravis vobis : non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Quod autem dicit, hanc sententiam habet : Non quia nihil accipio, idcirco ad vos non accedo, verum et iterum accessi, et tertio ad vos proficisci paro, nec vobis oneri ero. Ac causam sane gravem affert : neque enim dixit, Quia præparci estis, quia offendimini, quia imbecillitate laboratis ; sed quid? *Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos.* Majora quædam posco, nempe animas loco pecuniarum, salutem auri loco. Deinde, quoniam res nondum suspicione carebat, tamquam videlicet ipse dolore quodam adversus eos commoveretur, ideo rationem quoque ponit. Quid enim verisimile erat eos dicere, Annon licet nobis, quæ nostra sunt, habere? non sine magna suavitate defensionem ipsorum in hæc verba subjungit : *Non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis :* magistrorum videlicet ac discipulorum vice parentes ac filios collocans, ac demonstrans se debito quodam munere perfungi, cum tamen id debitum non esset. Non enim ita imperavit Christus, sed pro sua erga eos indulgentia his verbis utitur : ideoque quiddam etiam majus adjungit. Non solum enim dixit, Nec enim debent filii parentibus thesaurizare ; sed hoc quoque adjecit, quod parentum sunt partes, ut filiis thesaurizent. Quandoquidem itaque dare opus est, 15. *ego libentissime impendam, et superimpendar pro animabus vestris.* Etenim lex quidem naturalis hoc sanxit, ut parentes filiis thesaurizent ; ego vero, ea re non contentus, me ipsum quoque insuper vobis trado. Atque in hoc incredibilis ipsius liberalitas est, quod non solum non accipit, verum etiam insuper donat : neque id vulgariter, sed cum magna munificentia, atque ex eo quod ipsi deest : hoc enim vocabulo, *Superimpendar*, istud subindicatur. Nam etiamsi carnem ipsam expendere oporteat, nullam ipsius rationem habeo ob salutem vestram. Atque id quod subjungitur, conjunctam cum amore accusationem habet : *Licet plus vos diligens, minus diligar.* Atque hoc, inquit, facio, pro iis quos amo, licet illi perinde non redament. Jam ergo considera quot gradus ista res habeat. Accipere oportebat, ipse autem non accipiebat : hæc prima laus est. Et cum inopia premeretur : hæc secunda est. Et cum ipsis prædicaret : tertiam habes. Et insuper largitur : hæc quarta est. Nec vulgariter largitur, sed copiose : quinta hæc est. Nec pecunias dumtaxat, sed etiam seipsum : sexta. Et pro iis a quibus haud magnopere amabatur : septima. Ac denique pro iis quos majorem quemdam in modum amabat : octava hæc est.

3. Hunc itaque nos etiam imitemur. Magnum enim peccatum est invidere et non amare : majus tamen efficitur, cum quispiam amatus non redamat. Nam si is, qui amantem redamat, publicanis nihilo præstantior est ; is qui ne hoc quidem habet, ipsis feris inferior erit. Quid ais homo? amantem non redamas? cur ergo hujusce lucis usura frueris? qua tandem in re jam usui eris? quibusnam in rebus? forensibus, an privatis? Haud sane : nihil eo homine inutilius, qui amare nescit. Hanc legem latrones etiam per-

sæpe ac sicarii et sepulcrorum effossores amplexi sunt; cumque vel salem dumtaxat communem inter se habuissent, alio versi, ob mensæ commercium mores suos mutaverunt : tu vero non salem dumtaxat, sed verba etiam et negotia, et ingressus et egressus, cum aliquo communes habens, non eum amas? At ii, qui turpibus amoribus dediti sunt, universas quoque facultates suas in fornicarias expendunt : tu vero, honesto amore captus, ita frigidus et imbecillis atque ignavus es, ut ne citra sumptum quidem ullum amare sustineas? Sed quisnam est, inquis, usque adeo miser, quis tam belluinis moribus, ut amantem aversetur atque oderit? Tu quidem recte facis, qui ob rei absurditatem fidem mihi detrahis : verum, si multos ejusmodi demonstraro, quo tandem pacto ignominiam hanc feremus? Nam cum amanti obtrectas, aut obtrectante altero non ei opem fers, cum florenti invides, quænam hæc dilectio est? Quamquam ne hoc quidem ad probandam amicitiam sufficit, quod quispiam ab invidia liber sit; ut nec illud etiam, quod quis amantem odio non insectetur : nisi eum quoque tueatur, ipsiusque commoda amplificet. Cum autem nihil non facit ac loquitur, quo proximum dejiciat, quid hac anima miserius esse possit? Heri ac nudius tertius amicus illi eras, sermonesque ac mensam impertiebas : postea autem, simul atque membrum tuum florens vidisti, abjecta amicitiæ larva, inimicitiæ, vel furoris potius personam induisti. Perspicuus etenim furor est, prosperis aliorum rebus angi : hoc enim furentium canum est, rabieque laborantium. Eorum enim more hi quoque, livoris œstro perciti, in omnium ora prosiliunt. Præstat serpentem in visceribus provolutum habere, quam invidiam interne repentem. Etenim ille et medicamentorum auxilio sæpe evomi, et alimenti ope mitigari potest : at invidia non in visceribus sese volutat, sed in animæ sinu versatur, ac morbus ægre exstingui potest. Serpensque intus positus corpora humana non attigerit, si ipsi alimentum apponatur : at invidia, etiamsi sexcentas ei mensas apposueris, animam ipsam arrodit, undecumque mordens, vellicans, trahens; neque ullum solatii genus reperire est, cujus ope furorem compescat, uno dumtaxat excepto, nempe ut ei, qui prospere agit, calamitas aliqua accidat : sic morbus remittitur; imo ne sic quidem. Nam etiamsi ille incommodo aliquo afficiatur, alterius tamen res lætas ac secundas cernens, in iisdem doloribus hæret; atque ubique vulnera, ubique plagæ. Neque enim fieri potest, ut qui in terra degit, neminem videat qui præclare ac feliciter agat. Tantaque est hujus morbi magnitudo, ut etiamsi sese domi incluserit, priscis etiam hominibus vita functis invideat. Atque iis quidem, qui in hominum frequentia vivunt, id evenire, quamvis grave ac molestum sit, non tamen æque grave habendum est : at quod ii quoque, qui a tumultibus in medio sitis liberati sunt, hoc morbo teneantur, id vero omnium acerbissimum est. Ac vellem istud silentio præterire : at si silentium ipsam etiam rerum infamiam adimeret, operæ pretium esset tacere, cum autem, me etiam tacente, res ipsæ vehementius, quam lingua mea facere posset, clamaturæ sint, nullum certe detrimentum a verbis meis afferetur, tamquam vitia nobis traducentibus, sed etiam fortasse fructus aliquis atque utilitas consequetur. Hic enim morbus Ecclesiam etiam attigit, omniaque sursum ac deorsum vertit, corporisque compagem discidit : nosque adversus nos ipsos mutuo stamus, livore nimirum arma nobis porrigente. Ob eamque causam ingens rerum depravatio est. Nam cum, omnibus ædificantibus, præclare se res habeat, si ii qui eruduntur stare queant; cum omnes id agimus ut diruamus, quis tandem finis erit?

4. Quid agis, homo? Utile esse existimas, proximi commoda dejicere : at ante illum tua evertis. Non plantarum cultores, non agricolas cernis, quomodo omnes concordibus animis in unum currant? hic effodit, ille serit, alius radicem contegit, alius quod satum est rigat, alius obsepit ac muro cingit, alius bestias arcet; omnesque in unum spectant, ut plantam incolumem servent. Hic autem non ita se res habet; verum planto quidem ipse, alter autem subagitat et succutit. Sine saltem eam recte figi ut robur contrahat, quod hostili impetu frangi nequeat. Non opus meum deles, sed tuum evertis : ego plantavi, rigare te oportebat. Si itaque succutias, radicem funditus evelles, nec habebis ubi rigationem tuam ostendas. At vides eum qui plantat omnium sermonibus celebrari? Bono animo esto : nec ego aliquid sum, nec tu : *Nec* enim *qui plantat, nec qui rigat, est aliquid* (1. *Cor.* 3. 7) : unius enim Dei opus est. Ex quo efficitur, ut adversus ipsum bellum ineas ac dimices, dum ea quæ plantata sunt exstirpas. Ergo aliquando tamen resipiscamus, atque expergiscamur. Non tam externum bellum, quam intestinam pugnam extimesco. Quandoquidem etiam radix, cum terræ recte affixa fuerit, nihil a ventis detrimenti patietur : sin autem ea, verme eam interne depascente, vacillet, nemine molestiam exhibente collabetur. Quousque tandem Ecclesiæ radicem vermium more exedimus? Nam et a terra hujusmodi cogitationes nascuntur; imo ne a terra quidem, sed a stercore, utpote quarum parens putredo sit : neque etiam ab exsecrando eo obsequio, quod a mulieribus exhibetur, absistunt. Tandem igitur aliquando fortes viros nos præbeamus; philosophiæ pugiles efficiamur, ingentem malorum proventum abigamus. Etenim Ecclesiæ multitudinem, tamquam exanime corpus, humi prostratum nunc cerno. Et sicut in corpore recens vita functo, oculos quidem et manus et pedes et collum et caput intueri licet, sic tamen ut nullum membrum munere suo fungatur : eodem modo hic quoque omnes, qui adsunt, fide quidem prædili sunt, at fides actuosa non est : fervorem enim exstinximus, Christique corpus mortuum reddidimus. Quod si hoc dictu horrendum est, multo utique horribilius est, cum in rebus ipsis cernitur. Siquidem fratrum nomina habemus, res autem hostium; cumque membra omnes

vocemur, ferarum tamen ritu inter nos dissidemus. Hæc non rerum nostrarum traducendarum studio a me dicta sunt, sed ut pudorem vobis incutiam, atque hinc vos avertam. Quidam in domum aliquam se contulit, honorificeque exceptus est. Deo gratiæ agendæ erant, quia membrum tuum honore afficitur ac Deus celebratur; tu contra omnino facis. Apud eum enim, a quo honore affectus est, ipsi obtrectas: ita ut ambos simul subvertas, tibique ignominiæ notam inuras. Quid causæ est, o miser et ærumnose, cur, cum fratrem vel apud viros, vel apud mulieres laudatum audieris, mœstitiam inde contrahas? Laudes ipse addas, ut tibi quoque laudem concilies. Quod si laudes depresseris, prius de teipso male loquutus eris, utqui pravam opinionem tibi collegeris, atque insuper illum altius adhuc evexeris. Cum eum ab alio laudari audis, fac eorum, quæ dicuntur, sis particeps, si non vita et virtute, at hoc certe nomine, quod ipsius virtutibus gaudeas. Laudavit eum quispiam? admirare tu quoque: sic te ille ut probum ac benignum laudibus efferet. Non est quod metuas, ne per alienarum virtutum prædicationem tuas dejicias: hoc enim in obtrectationibus locum habet. Pervicax enim suapte natura hominum genus est; et qui te de eo, quem laudat, male loqui videt, laudibus sui cumulum addet, ut hac ratione te pungat, atque accusatores et secum, ipse et apud alios criminetur. Vides quantam turpitudinem nobis ipsi accersimus; quo pacto gregem perdimus ac discerpimus? Tandem aliquando membra efficiamur, tandem aliquando unum corpus. Atque is quidem, in quem laudes conferuntur, laudes eas propulset, et in fratrem encomia transferat: qui autem alterius laudes audit, ipsi gratuletur. Quod si nos ad hunc modum inter nos conjungamur, caput quoque ipsum nobis conciliabimus: sin autem inter nos disjuncti simus, Dei quoque opem a nobis avertemus: hac porro remota, ingentem perniciem corpus contrahet, ut quod superne minime constringatur. Hoc ergo ne nobis accidat, submoto livore atque invidia, vulgique opinione contempta, dilectionem atque concordiam amplectamur. Ita fiet, ut præsentia et futura bona consequamur: quæ utinam omnes adipiscamur, per gratiam ac benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

Cap. 12. v. 16. *Sed esto, ego vos non gravavi, sed cum essem astutus, dolo vos cepi.* 17. *Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumveni vos?* 18. *Rogavi Titum, et misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis?*

1. Obscure admodum hæc verba a Paulo dicta sunt, non tamen frustra nec temere. Nam quoniam de pecuniis purgationeque ob eas sermo ipsi institutus erat, non abs re verba sua obscuritate quadam involvit. Quidnam ergo sibi vult id quod hic ait? Dixerat, Nihil cepi, sed paratus etiam sum insuper dare atque impendere; ac multa in eam sententiam tum in priore, tum in hac quoque epistola disseruit. Nunc vero aliud quidem ait, velutque objectioni occurrit eamque ante dissolvit. Quod autem ait, est ejusmodi: Equidem ipse per avaritiam vos minime circumscripsi; verum quispiam hoc fortasse dicere queat, quod quamquam nihil ipse sumpserim, tamen cum vafer ac subdolus essem, id curavi ut ii, qui a me missi erant, suo nomine aliquid a vobis postularent, sicque per eos sumpserim, atque ita me compararim, ut aliorum manu accipiens, acceptæ pecuniæ opinionem a me removerem. At ne hoc quidem dicere quisquam possit; vosque ipsi testes estis. Unde etiam interrogandi modo sermonem producit dicens, *Rogavi Titum, et misi cum eo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit?* nonne eodem quo ego, pacto ambulavit? Hoc est, nihil ipse accepit. Vides quantum accuratæ sinceritatis incrementum sit: quod non modo se purum ab accipiendo servaverit, sed eos quoque quos miserat, ita regat atque componat, ut ne tantillam quidem occasionem iis præbeat qui eum carpere gestiebant? Hoc enim longe majus est eo, quod patriarcha fecit. Nam ille, cum post victoriam reversus esset, ac rex ipsi spolia offerret, negavit se quidquam acceptarum, præter ea quæ socii ipsius comedissent (*Gen.* 14): hic autem ne necessarium quidem alimentum capere voluit, nec socios quoque participes ipsius esse passus est: sic nimirum impudentium ora quam maxime comprimens. Ideoque nec ipse pronuntiat nec dicit eos non accepisse, sed quod majus est, ipsos Corinthios testes adducit, nihil eos accepisse; ut ne a persona ipse sua, sed ab illorum calculo testimonium petere videatur: id quod in rebus exploratis et de quibus non dubitamus, facere solemus. Dicite enim, inquit, num quis ex iis quos misi vos per avaritiam circumvenit? Non dixit, Num quis a vobis aliquid accepit? verum πλεονεξίαν, hoc est, fraudationem, id vocat, illos perstringens ingentique pudore afficiens, atque ostendens fraudationem esse ab invitis quidpiam accipere. Nec dixit, Num Titus, sed, *Num quis?* Neque enim hoc dicere queatis, inquit, hunc non accepisse, illum autem accepisse: neque enim quisquam ex iis, qui ad vos se contulerunt, aliquid accepit. *Rogavi Titum.* Id quoque acriter dictum est: neque enim dixit, Titum misi, sed, *Rogavi*; hinc ostendens quod etiamsi aliquid accepisset, jure suo accepisset; et tamen sic quoque purum ab accipiendo se præstitit. Quocirca eos rursus his verbis interrogat, *Numquid vos Titus circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus?* Quid sibi vult, *Eodem spiritu?* Divinæ gratiæ totum adscribit, ostenditque universam hanc laudem non nostris laboribus comparari, sed Spiritus beneficio et gratia præstari. Etenim amplissima Dei gratia hoc fiebat, ut quamvis

inopia et egestate premerentur ac fame laborarent, tamen ob eorum quos erudiendos susceperant utilitatem nil acciperent. *Nonne iisdem vestigiis?* Hoc est, sinceritatem hanc ne tantillum quidem immutarunt, sed eamdem normam retinuerunt. 19. *Rursus putatis quod nos excusemus apud vos?* Vides quomodo ubique metuat, ne adulationis opinionem contrahat? vides prudentiam apostolicam, quam assidue id inculcet? Nam et prius dicebat, *Non rursus nos ipsos commendamus, sed occasionem damus vobis gloriandi* (2. *Cor.* 5. 12); et in epistolæ initio, *Num indigemus commendatitiis epistolis? Omnia autem propter ædificationem vestram* (2. *Cor.* 3. 1). Rursus eos demulcet: at ne hic quidem aperte ait, Ob imbecillitatem vestram non accipimus; sed, Ut vos ædificemus; dilucidius aliquanto quam ante loquens, detegensque id quod animo parturiebat, non tamen amarulenter. Non enim dixit, Ob imbecillitatem vestram, sed, Ut ædificemini. 20. *Timeo enim ne forte, cum venero, non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis, qualem non vultis.* Magnum aliquid ac molestum dicturus est, ac proinde excusationem ponit, tum per id quod dixit, *Omnia autem propter ædificationem vestram*, tum quia adjecit, *Timeo:* ut eorum quæ dicturus est asperitatem mitiget. Hoc quippe non jam arrogantiæ cujusdam erat, nec auctoritatis ejus, quam magistri adhibere solent, sed paternæ sollicitudinis; quod graviori etiam, quam illi ipsi qui peccarunt, metu commoveatur, cum eos castigare parabat. Quin ne sic quidem eos exagitat, nec certo pronuntiat, sed dubitando loquitur, *Ne forte, cum venero, non quales volo.* Non dixit, probos ac virtutis studiosos, sed, *Non quales volo;* ubique amoris vocabula usurpans. Hoc autem verbum, *Inveniam*, id quod præter exspectationem contingit indicat, ut et illud, *Inveniar a vobis.* Neque enim res ea voluntatis est, sed necessitatis causam a vobis accipientis: idcoque ait, *Inveniar qualem non vultis.* Hic non dixit, Qualem nolo, sed ad feriendum accommodatius, *Qualem non vultis.* Jam enim deinceps voluntas ejus erat, non quidem primarie, sed voluntas tamen. Poterat siquidem rursus dicere, Qualem nolo, atque ita amorem indicare; at remissum auditorem reddere nolebat. Quin potius sic oratio plus asperitatis habuisset; nunc autem et vehementius ferit, et mitiorem se ostendit. Hoc enim ipsius sapientiæ proprium est, ut, cum profundius secat, blandius perentiat. Postea, quia obscurius loquutus erat, his verbis istud detegit, *Ne forte contentio, æmulationes, animositates, detractiones, susurrationes, inflationes.* Et quod prius ponere debebat, hoc posterius collocat: etenim adversus eum arrogantia efferebantur. Verum ne prius quod suum erat quærere videretur, propterea id quod commune erat, priore loco ponit.

2. Hæc enim omnia ex invidia oriebantur, calumniæ, accusationes, dissidia. Siquidem invidia, velut perniciosa quædam radix, iracundiam, accusationem, arrogantiam, atque alia omnia pariebat, ab iisque amplius augebatur. 21. *Ne iterum, cum venero, humiliet me Deus apud vos.* Hoc quoque, *Iterum*, percutientis erat. Sufficiunt enim priora, inquit: velut etiam initio dicebat, *Parcens vobis non veni Corinthum* (2. *Cor.* 1. 23). Vides quo pacto simul et indignationem et benevolentiam præ se ferat? Quid autem est, *Humiliet?* Atqui gloria hæc est, nempe accusare, pœna afficere, rationes exposcere, judicis loco et gradu sedere: at humiliationem tamen id vocat. Tantum scilicet aberat, ut hujusmodi humiliationis eum puderet, quandoquidem præsentia corporis infirma erat, et sermo contemptibilis (2. *Cor.* 10. 10); ut etiam perpetuo in eo statu versari cuperet, contrariumque deprecaretur. Atque hoc postea apertius dicit, humiliationemque id maxime ducit, nimirum in inferendæ pœnæ atque supplicii necessitatem incidere. Cur autem non dixit, Ne, cum venero, humilier, verum, *Ne, cum venero, humiliet me Deus?* Quoniam nisi propter ipsum nulla me ea res sollicitudine affecisset. Neque enim, ut potestatem habens atque arroganter me gerens, pœnas exigo, sed quia ipse ita edixit. Ac superius quidem istud posuit, dicens, *Inveniar, qualem non vultis;* hic autem demissius ac lenius blandiusque loquitur, dicens, *Et lugeam multos ex his qui ante peccarunt*, non simpliciter, *qui peccaverunt*, sed, *qui non egerunt pœnitentiam.* Non dixit, Omnes, sed, *Multos;* ac ne eos quidem declarat, hinc quoque facilem ipsis ad pœnitentiam reditum dans; perspicuumque faciens, pœnitentiam errata corrigere posse, seque eos demum lugere, qui pœnitentia minime ducebantur, qui incurabili morbo laborabant, qui suo in vulnere manebant. Animadverte itaque apostolicam virtutem, quod nullius mali sibi conscius, pro alienis malis ingemiscat, ac pro iis, quæ alii perperam admiserunt, deprimatur. Hoc enim præsertim magistri munus est, discipulorum calamitatibus ad hunc modum affici, atque ob eorum quibus præest vulnera lugere. Postea peccati genus exponit: *Super fornicatione et immunditia quam egerunt.* Hic quoque fornicationem innuit: si vero quis tamen accurate rem expendat, omne peccati genus hoc nomine appellari potest. Nam quamvis fornicator præcipue atque adulter immundi dicantur: tamen cætera etiam peccata immunditiam animæ afferunt. Ideoque Christus quoque Judæos immundos appellat, non modo fornicationem, sed reliqua etiam improbitatis genera ipsis objiciens. Unde etiam ait, eos externa tantum mundasse; et, *Non quæ intrant in os, coinquinant hominem, sed quæ exeunt* (*Matth.* 23. 25. *et* 15. 11). Et alio loco dictum est, *Immundus est apud Dominum omnis qui elato est corde* (*Prov.* 16. 6). Et jure quidem. Ut enim virtute nihil purius, sic improbitate nihil obscœnius est: illa enim sole splendidior est, hæc cœno fœtidior. Atque hoc suo testimonio comprobare illi queant, qui in cœno volutantur, atque in tenebris versantur, si modo quispiam effecerit, ut vel tantillum videre queant. Quamdiu enim secum ipsi sunt atque hoc affectu inebriantur, velut in tenebris degentes, fœde atque indecore et

cum summa turpitudine jacent, sentientes illi quidem tum quoque quo in statu sint, sed non perfecte : at cum ab aliquo eorum, qui in virtute vivunt, sese coargui viderint, vel etiam eum conspexerint, tum demum miseriam suam apertius agnoscunt, ac velut immisso quodam radio fœditatem suam contegunt, atque ante consciorum ora erubescunt, etiamsi hic servus sit, ille liber, hic subditus, ille rex. Sic Achab ad Eliæ conspectum pudore suffusus est, tametsi nullum ille verbum adhuc emiserat, solo videlicet ipsius prospectu convictus : ac silente accusatore, sententiam, qua facinus ipsius damnabatur, ferebat, eorum qui convicti sunt verba proferens, ac dicens, *Invenisti me, hostis meus* (3. *Reg.* 21. 20). Tanta videlicet animi libertate ac fiducia Elias tyrannum illum tunc alloquebatur. Sic Herodes, cum reprehensionum pudorem ferre non posset (siquidem propheticæ vocis ingens ac præclarus splendor erat), Joannem in carcerem conjecit, tamquam qui nudus esset, ac lucernam exstinguere conaretur, ut rursus in tenebris degeret. Quin potius ipse quidem eam exstinguere non ausus est, sed in domo, velut sub modio, collocavit : infelix autem ac misera illa hoc ut fieret, ab eo extorsit. At ne sic quidem criminis reprehensionem obtegere potuerunt, verum eam magis accenderunt. Nam et qui sciscitabantur quam ob causam Joannes in vinculis teneretur, eam discebant et qui postea vel tum terram aut mare incolebant, vel nunc sunt, aut posthac futuri sunt, sceleratam hanc tragœdiam, hoc est tam libidinem, quam nefariam ab ipsis perpetratam cædem, apertius intellexerunt atque intellecturi sunt; nec ulla umquam vetustas harum rerum memoriam delere poterit.

3. Tam præclara res est virtus, tamque immortalis est ipsius memoria : ita vel sermone solo eos, qui ipsi adversarii sunt, metu concutit! Cur enim eum in carcerem conjecit? cur non eum contempsit? num Joannes eum in judicium tracturus erat? num adulterii pœnas ab eo expetiit? nonne reprehensio dumtaxat erant ea quæ dicebantur? Quid ergo metuit ac tremit? annon verba erant, ac simplex sermo? Sed hujusmodi verba magis, quam res ipsæ pungebant. Non eum ad judicium, sed ad aliud conscientiæ tribunal pertrahebat; omnesque eos, qui libera cogitatione suffragium tunc ferebant, judices ipsi constituebat. Quocirca tremebat tyrannus, virtutis splendorem haud ferens. Vides quanta philosophiæ vis sit? cum qui catenis vinctus erat, tyranno splendidiorem reddidit, effecitque ut hic illum formidaret ac tremeret. Verum ipse quidem in vincula dumtaxat eum conjecit; at nefaria illa in cædem impulit. Quamquam alioqui in hunc potius crimen conferebatur. Neque enim, cum obviam illi factus fuisset, dixerat, Cur cum tyranno consuetudinem habes? non quod illa crimine vacaret (qui enim id fieri potuisset?) verum hac ratione totum emendare volebat. Quamobrem illum reprehendit, nec admodum vehementer. Neque enim dixit, O sceleste, imo scelestissime, o flagitiose ac profane, Dei legem protrivisti, imperia illius contempsisti, potentiam tuam pro lege habuisti. Nihil horum loquutus est, sed etiam in criminis insectatione multa ab eo moderatio ac lenitas adhibita est : *Non licet*, inquit, *tibi habere uxorem Philippi fratris tui* (*Marc.* 6. 18). Quæ quidem verba docentis potius sunt quam coarguentis, erudientis potius quam vindicantis, instituentis potius quam traducentis, corrigentis potius quam insultantis. Verum, ut dixi, inimica furi lux est : vir justus vel solo aspectu peccatoribus molestus est : *Gravis est* enim *nobis*, inquit, *etiam ad videndum* (*Sap.* 2. 14). Neque enim ipsius radios ferre queunt : quemadmodum nec solares radios, qui ægris oculis sunt. Multis quoque pravis hominibus non aspectu tantum, sed etiam auditu gravis est. Ac proinde scelerata illa, atque adeo sceleratissima filiæ lena, vel carnifex potius, quamvis ne ipsum quidem vidisset, nec ipsius vocem audiisset, tamen ad ejus cædem animum adjecit; operamque dedit, ut ea, quam impudice alebat, in cædem quoque prorumperet : usque adeo eum metuebat! Et quid ait? *Da mihi in disco hic caput Joannis Baptistæ* (*Matth.* 14. 8). Quo præceps ferris misera et calamitosa? num adest accusator? num cernitur ac molestiam exhibet? Alii dicebant, *Gravis est nobis etiam ad videndum*; huic autem, uti dixi, auditu etiam gravis est : ob idque ait, *Da mihi in disco hic caput Joannis*. Atqui tua causa carcerem incolit ac vinculis adstrictus tenetur, tibique licet amoris ergo tete jactare, atque his verbis uti : Regem superavi, quandoquidem ne publice quidem reprehensus, remissior fuit, nec ab amore se abduxit, nec adulterium meum divulsit : quin potius eum ipsum, a quo propterea reprehensus fuerat, in vincula conjecit. Quid furis ac rabie percelleris, cum etiam post peccati reprehensionem sponso fruaris? quid furiarum mensam requiris, atque carnificum dæmonum convivium efficis? Vides quam nihil prorsus, quam meticulosum atque ignavum sit vitium? quonam modo, cum maxime vincit, tum imbecillius fiat? Etenim ea non ita tumultuabatur, antequam Joannem in carcerem contrusisset, quam vincto postea eo perturbabatur, atque urgebat, dicens, *Da mihi hic in disco caput Joannis*. Et quare hic? Timeo, inquit, ne cædes ceu umbra obturbetur : ne aliqui eum e periculo eripiant. Et quare non integrum cadaver, sed caput dumtaxat poscis? Linguam illam, inquit, silentem cernere gestio, quæ me molestia affecit. At, o infelix ac misera, contrarium omnino eveniet : secta enim clarius postea clamabit. Tunc enim in Judæa tantum clamabat; nunc autem ad extremos usque orbis fines se conferet : et in quamcumque Ecclesiam ingressus fueris, sive apud Mauros, sive apud Persas, sive apud ipsas Britannicas insulas, clamantem Joannem audis, *Non licet tibi habere uxorem Philippi fratris tui*. Verum illa sapientiæ omnis expers et ignara stolidum tyrannum ad cædem urget, et premit atque impellit; metuens scilicet, ne sententiam mutet. Ac tu hinc quoque virtutis robur

intellige : ne carcere quidem inclusum ac vinculis adstrictum, et silentem justum virum ferre potest. Vides quam imbecilla, quam impura res sit vitium ? Etenim humanum corpus edulium loco in disco infert. Quid puella illa scelestius, quid libidinosius, quid impudentius ? quam in diaboli theatro, ac dæmonum convivio vocem emisit ? Vides linguam, et linguam : alteram salutaria medicamenta ferentem, alteram autem venenum habentem, ac diabolicarum epularum exstructricem ? Sed cur non intus in ipso convivio, ubi major ei voluptas erat, eum obtruncari jussit ? Metuebat scilicet ne, si eo accessisset seque contuendum præbuisset, ipso aspectu ac loquendi libertate omnium animos immutaret. Ideo caput quærebat, illustre stupri tropæum erigere cupiens ; et matri suæ dedit.

4. Vides saltationis præmia ? vides diabolicarum insidiarum spolia ? non Joannis caput dico, sed ipsum maritum. Nam si quis accurate rem expenderit, adversus regem tropæum erit ; et quæ vicerat, vincebatur, et qui capite truncatus fuerat, coronam obtinebat ac victor pronuntiabatur, ut qui etiam post mortem animos eorum, qui scelere se constrinxerant, vehementius concuteret. Quodque hæc, quæ a me dicta sunt, non inanis quidam verborum fumus sint, Herodem ipsum interroga. Nam ille, postquam Christi miracula ad ejus aures pervenerunt, dicebat : *Hic est Joannes : ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo* (*Matth.* 14. 2). Usque-adeo vigentem in se metum ac perpetuam trepidationem habebat ; nec quisquam erat, qui conscientiæ terrorem ei eximere posset, verum incorruptus ille judex continenter eum præfocabat, singulisque diebus perpetratæ cædis pœnas ab eo repetebat. Hæc cum perspecta habeamus, ne malo ab aliis affici, sed malum aliis inferre metuamus : illud enim victoria est, hoc clades. Eaque de causa Paulus etiam dicebat : *Quare non potius injuriam accipitis ? Sed vos injuriam facitis, et fraudatis : et quidem fratres* (1 *Cor.* 6. 7. 8). Etenim in perferendis malis coronæ bravia et præconia acquiruntur. Idque in omnibus sanctis perspicere est. Quia igitur omnes hac ratione corona donati, ac victores pronuntiati sunt, nos proinde eamdem viam ingrediamur ; atque illud quidem oremus, ut in tentationem minime intremus ; cæterum si accesserit, adversus ipsam fortissime stemus, eamque, quam par est, animi promptitudinem exhibeamus : ut futura bona nanciscamur, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIX.

CAP. 13. v. 1. *Ecce tertio hoc venio ad vos ; In ore duorum ac trium testium stabit omne verbum.*

1. Cum aliunde etiam multis ex rebus, tum vel hinc maxime Pauli philosophiam, paternumque affectum perspicere licet : nimirum quam in denuntiandis rebus vehemens, in inferendis autem pœnis tardus sit. Neque enim de iis qui peccabant pœnas statim sumpsit, sed semel atque iterum admonuit ; ac ne sic quidem in contumaces animadvertit, sed rursus admonet ac denuntiat dicens, *Tertio hoc venio ad vos*, ac priusquam adsim, rursus scribo. Postea, ne cunctatio segnitiem illis pariat, vide quo pacto hinc quoque eos corrigat, assidue nempe interminans ac plagas intentans, atque hisce verbis utens, *Si venero iterum, non parcam ;* et, *Ne, cum venero, lugeam multos.* Hæc porro idcirco facit ac loquitur, ut hac quoque parte omnium Dominum imitetur. Nam et Deus assidue quidem comminatur, ac sæpe præcipit, sed non sæpe punit et cruciatum infert. Hoc itaque ipse quoque facit : ideoque etiam ante dicebat, *Parcens vobis non ultra veni Corinthum.* Quid est, *Parcens vobis* (2. *Cor.* 1. 23) ? Hoc est, ne vos sceleribus devinctos inveniens, ac sine ulla emendatione in his perstantes, pœna et cruciatu vos afficiam. Et hoc loco, *Tertio hoc venio ad vos : In ore duorum ac trium testium stabit omne verbum.* Non scriptum cum scripto connectit : id quod alio quoque loco facit, cum ait, *Qui adhæret meretrici, unum corpus est : erunt enim, inquit, duo in carne una* (1. *Cor.* 6. 16). Et quidem de legitimo matrimonio hoc dictum est ; verum eo loco commode ad hoc abusus est, ut vehementiorem terrorem incuteret. Ita ergo hic quoque facit, nempe testimoniorum loco adventus suos ac pœnæ denuntiationes ponens. Quod autem ait, hanc sententiam habet : Semel dixi atque iterum, cum ad vos accessi, et nunc item per literas dico. Ac si quidem me audieritis, quod cupiebam contigit ; sin autem verba mea contempseritis, deinceps necesse erit, ut præstem quæ dixi, ac pœnam inferam. Idcirco ait : 2. *Prædixi, et prædico ut præsens bis, nunc etiam absens scribo iis qui peccaverunt, et reliquis omnibus, quod si iterum venero, non parcam.* Nam si in ore duorum ac trium testium stat omne verbum, bis adfui et dixi, ac nunc quoque per epistolam dico ; jam itaque deinceps necesse est verba mea vera inveniri. Non enim est quod existimetis literas meas inferioris auctoritatis esse, quam præsentiam, ut enim præsens dicebam, sic nunc quoque absens scribo. Vides paternam curam ac sollicitudinem ? vides magistro congruentem providentiam ? Nec tacuit, nec rursus pœnam intulit, verum sæpius quoque prædicit, atque in interminatione constanter permanet ac pœnam differt. Quod si in peccatis obstinati maneant, tum demum re ipsa pœnam se inflicturum minatur. Quid autem præsens prædixisti, ac nunc absens scribis ? *Quod si venero iterum, non parcam.* Postquam superius se hoc, nisi necessitate coactum, facere non posse ostendit, ac luctum et

humilitationem eam rem appellavit; *Ne, cum venero*, inquit, *humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam;* ac sese ipsis excusans, semel et iterum ac tertio prædivisse asseruit, quodque nihil non agat ac moliatur quo sumendas pœnas propulset, eosque verborum terrore meliores efficiat: tunc grave illud et horrendum affert dicens, *Si venero iterum, non parcam.* Non dixit, Puniam ac vindicabo, pœnasque expetam; sed rursus paternis verbis supplicium ponit, hinc viscera sua animumque ipsis condolentem ostendens, quod pro sua erga eos indulgentia semper pœnam infligere differret. Postea autem, ne nunc quoque ita existimarent, eum rursum dilatione ac verborum tantum minis uti; ideo prius quoque dixit: *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum;* et, *Si venero, non parcam.* Quod autem ait, est ejusmodi: Non jam diutius cunctabor, si vos, quod Deus avertat, emendationis expertes invenero, sed pœnas haud dubie inferam, ac quod dixi præstabo. Mox cum ingenti animi permotione ac vehementi indignatione in eos invehens, qui ipsum tanquam imbecillem traducebant, præsentiamque ipsius suggillabant dicebantque, *Præsentia infirma, et sermo contemptibilis* (2. *Cor.* 10. 10), adversus istos ait: 3. *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christi?* His enim verbis simul et hos ferit, et illos perstringit. Quod autem dixit, hunc sensum habet: Quandoquidem periculum facere vultis, an Christus in me habitet, rationesque a me exposcitis, eaque de causa me ut vilem ac contemnendum traducitis, tamquam potentia illa destitutum; hac me minime carere scietis, si, quod nolim, occasionem mihi præbueritis. Quid ergo, quæso? ideo castigas, quod experimentum quærant? Minime, inquit: nam si hoc quærerem, mox ut primum peccassent, in eos animadvertissem, nec cunctatione ulla usus fuissem. Quod autem id minime quærat, dilucidius postea indicavit his verbis: *Opto autem vos nullo malo afficere, non ut nos probati appareamus, sed ut vos, quod bonum est, faciatis, nos autem ut reprobi simus.*

2. Non ergo per causæ modum istud ponit, sed potius ut stomachans, eosque quibus contemptui erat necessens. Equidem ipse, inquit, hujusmodi experimentum vobis præbere nolo: quod si ipsi causam præbueritis, meque concitare in animum induxeritis, ex ipsis rebus intelligetis. Ac vide quomodo orationem exasperet. Neque enim dixit, Quoniam experimentum mei quæritis, sed, *Ejus qui in me loquitur Christi.* Quibus verbis ostendit eos in illum peccavisse. Nec simpliciter dixit, Ejus qui in me habitat, sed, *Ejus qui in me loquitur;* hinc videlicet indicans, verba sua a Spiritu proficisci. Quod si vim suam ille non ostendit, nec pœnas irrogat; jam enim a se orationem illuc traducit, quo plus terroris minæ habeant; non imbecillitate prohibetur; id enim potest; sed animi lenitate. Quocirca ne ipsius tolerantiam imbecillitati quispiam adscribat. Cur miraris enim, si pro sua tolerantia patientiaque in peccatores non animadvertit nec pœnas ab iis expetit, cum ipse quoque in crucem agi sustinuerit, atque hujusmodi cruciatus perpetiens, pœnam minime irrogarit? Unde etiam subjunxit, *Qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis.* 4. *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Plurimum hæc verba obscuritatis habent, atque imbecillioribus perturbationem injiciunt. Quapropter apertius ea explicare necesse est, atque hujus dictionis, in qua obscuritas sita est, significationem afferre: ut ne quis etiam ex simplicioribus offendatur.

Infirmitatis modi varii.—Quidnam igitur sit id quod dixit, quid per infirmitatis vocabulum designet, et qua significatione hoc loco usurpatum sit, operæ pretium est discere. Etenim una quidem est dictio, verum per eam multa indicantur: siquidem infirmitas dicitur corporis morbus; eaque ratione in Evangelio dictum est de Lazaro, *Ecce quem amas infirmatur* (*Joan.* 11. 3. 4); et ipse dicebat *Hæc infirmitas non est ad mortem* (*Philipp.* 2. 27); ac Paulus de Epaphrodito verba faciens, *Nam et infirmatus est usque ad mortem, sed Deus misertus est ejus* (1. *Tim.* 5. 23); et de Timotheo, *Vino modico utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates.* Hæc enim omnia corporeum morbum significant. Rursus infirmitas dicitur, cum quis in fide non satis firmus est, nec perfectus ac numeris omnibus absolutus. Idque his verbis Paulus indicabat: *Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum;* ac rursum, *Alius quidem credit se comedere omnia: qui autem infirmus est, solus manducat* (*Rom.* 14. 1. 2); infirmum in fide significans. Habes jam duos infirmitatis significatus. Est et tertia alia infirmitatis significatio. Quænam hæc? Persequutiones, insidiæ, molestiæ, tentationes, calamitates. Quod etiam Paulus his verbis declarabat, *Pro hoc ter Dominum rogavi: et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea; virtus enim mea in infirmitate perficitur* (2. *Cor.* 12. 8. 9). Quid est, *In infirmitate?* In persequutionibus, in periculis, in tentationibus, in insidiis, in mortibus: id quod indicabat, cum diceret, *Quamobrem mihi placeo in infirmitate* (*Ibid. v.* 10). Ac postea exponens de qua infirmitate loqueretur, non febrem dixit aut dubitationem quamdam in fide, sed quid? *In contumeliis, in persequutionibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus: ut inhabitet in me virtus Christi. Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Hoc est, Cum vexor, cum exagitor, cum insidiis appetor, tunc robore polleo, tunc victoriam magis obtineo, atque eos qui mihi insidias parant supero, copiosiore gratia in me insidente. Secundum hoc tertium significationis genus, infirmitatis vocabulum hoc loco Paulus usurpavit; quodque ait, est ejusmodi: adversus id, quod jam ante dixi, rursum contendit, nempe quod vilis ipsis et contemnendus esse videbatur. Non enim sese jactare volebat, qualis revera erat, nec vim eam, quam ad puniendum et pœnas sumendas habebat, ostentare: unde etiam vilis et abjectus habebatur. Quoniam itaque ob eam opinionem in magna socor-

dia ac stupore versabantur, nec a peccatis resiliebant; commodam occasionem nactus, de his rebus acriter disserit, illud demonstrans, imbecillitatem non in causa esse cur nihil faciat, sed animi lenitatem. Ac postea, ut jam dixi, sermonem a se ad Christum traducens, metum auget ac minas amplificat. Quod autem ait, tale est : Num, si quid etiam faciam, ac de iis qui peccaverunt pœnas sumam, ego sum qui punio et pœnas sumo? imo vero Christus ipse est, qui in me habitat. Quod si hoc non creditis, sed experimentum capere vultis, per ejus qui in me habitat opera id mox perspectum habebitis : non enim in vobis infirmus est, sed potens. Cur autem adjecit, *In vobis*, cum ipse ubique viribus polleat? nam sive infideles, sive dæmones, sive quidquid tandem illud esse queat, supplicio afficere voluerit, id potest (*a*). Quid ergo sibi vult illud additamentum? Hoc dicens, pudore suffundit illos ab iis quæ jam experti sunt; vel hoc significat : Interim in vobis virtutem suam ostendit, qui emendari debetis. Quod etiam alibi dicebat : *Quid enim mihi de iis, quis foris sunt, judicare* (1. *Cor.* 5. 12)?

3. Nam ab externis illis, inquit, tunc pœnas repetet in die judicii; a vobis autem etiam nunc, ut ab illo vos supplicio eximat. Attamen hanc curam et sollicitudinem ab amore partam, vide quanto cum timore et quanta cum indignatione adhibeat, dicens : *Qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Quid significat illud, *Si crucifixus est ex infirmitate?* Etiamsi, inquit, voluerit rem sustinere, quæ infirmitatis suspicionem præ se ferat; certe nihil hoc vim potestatemque ejus minuit : potestas quippe illa inexpugnabilis manet, et quod infirmitatis videtur esse, nihil illam lædit; imo potius hoc maxime ejus robur et vim ostendit, quod talem rem perpessus sit, nec tamen ejus virtus ac potentia imminuta fuerit. Ne ergo infirmitatis vocabulum te conturbet; etenim alibi quoque dicit : *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (1. *Cor.* 1. 25); quamquam nihil stultum nihilque infirmum Deus habet; sed crucem sic vocavit, incredulorum de ipso opinionem exponens. Audi enim illum, se ipsum interpretantem : *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est; iis vero qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est* (*Ib. v.* 18); et rursum, *Nos autem prædicamus Deum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam* (*Ib. v.* 23. 24); ac rursus, *Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus : stultitia enim est illi* (1. *Cor.* 2. 14). Vide quomodo ubique incredulorum suspicionem tollat et interpretetur, qui crucem stultitiam et infirmitatem esse putabant. Ita autem hoc quoque loco, non eam quæ vere sit infirmitatem memorat, sed eam quam increduli esse suspicabantur. Non igitur hoc dicit quod, infirmus cum esset, crucifixus fuerit, absit. Quod enim potuerit non crucifigi per omnia probavit : nunc supinos projiciens, nunc radios solis avertens, ficum arefaciens, accedentium ad se oculos excæcans, et innumera alia patrans. Quid sibi vult ergo quod dicit, *Ex infirmitate?* Quod etiamsi crucifixus sit, periculum passus et insidias (ostendimus enim infirmitatem periculum et insidias vocari), attamen nihil læsus fuit. Hæc autem dicebat, ad se trahens exemplum. Quia enim videbant illos persequutionem patientes, pulsos, despectos, nec propulsantes vel sese ulciscentes; ut doceret illos, quod ipsi talia paterentur non ex imbecillitate nec quod eos propulsare non valerent, sermonem ad Dominum reducit : quandoquidem ipse quoque, inquit, crucifigebatur, vinculis constringebatur, innumera patiebatur; nec invadentes se propulsabat, sed manebat, ea sustinens quæ infirmitatem præ se ferre viderentur, et sic virtutem suam ostendens, quod nempe nec propulsans illos nec sese ulciscens, in nullo prorsus læderetur. Vitam enim crux non abscidit, nec resurrectionem impedivit; sed resurrexit ille, et vivit. Cum autem audieris crucem et vitam, de œconomia, seu de Christi incarnatione sermonem excipe; de illa enim omnis hæc oratio instituitur. Quod si dicat, *Ex virtute Dei*, ex virtute ipsius Christi intelligit. Quod enim ipse eam excitaverit et imperet, audi dicentem : *Solvite templum hoc, et ego in tribus diebus excitabo illud* (*Joan.* 2. 19). Si autem id quod suum est Patris esse dicat, ne turberis : *Omnia enim, quæ Patris mei sunt, mea sunt* (*Joan.* 16), inquit, et rursum : *Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt* (*Ib.* 15. *et* 17. 10). Sicut ergo ille, qui crucifixus est, nihil læsus est, inquit; sic neque nos dum persequutionem patimur et impugnamur : ideoque subjungit, *Nam et nos infirmi sumus in illo, sed vivemus in illo ex virtute Dei.* Quid sibi vult illud, *Infirmi sumus in illo?* Persequutionem sustinemus, pellimur, extrema patimur. Sed quid significat, *In illo?* Per prædicationem, inquit, et per fidem in illum. Si autem tristia et molesta propter illum sustineamus, palam est et fausta quoque : ideoque subjunxit, *Sed salvamur in illo ex virtute Dei.* 5. *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, vos ipsos probate. Annon cognoscitis vosmetipsos, quia Christus in vobis est? nisi forte reprobi estis,* 6. *Spero autem quod cognoscitis, quia nos non sumus reprobi.* Quia enim ex dictis ostenderat, quod etiamsi non illos plecteret, non ita se gereret eo quod Christum in se non haberet, sed ut illius lenitatem imitaretur, qui cum cruce afficeretur, non se ulciscebatur : rursus alio modo idem efficit. Atque majus argumentum ducens a discipulis ita rem probat. Quid enim de me magistro loquor, qui in tanta cura versor, ac totum terrarum orbem fidei meæ commissum habeo, totque ac tanta miracula edidi? Nam si vos, qui in discipulorum numero estis, vos ipsos examinare volueritis, Christum in vobis quoque habitare conspicietis : quod si in

(*a*) Quæ sequuntur postea in Editione Morelli Parisiensi, ex Commentario Epistolæ ad Galatas advecta sunt, et per paginas duas integras seriem omnino interturbant, idque ex typographorum vel imperitia vel nequitia. Nos omnia restituimus

vobis, multo certe magis in magistro. Nam si fidem habetis, Christus etiam in vobis est. De credentibus enim dicitur quod miracula patrarent; nam vere patrabant : ob idque subjecit, *Vosmetipsos tentate, ipsi vos probate, si estis in fide. An non cognoscitis vos, quod Christus in vobis est? nisi forte reprobi estis.* Quod si in vobis, multo magis in magistro. Mihi porro hæc de fide intelligere videtur, quæ in miraculis sita est. Nam si fide illa præditi estis, inquit, Christus in vobis est, *Nisi forte reprobi estis.*

4. Videsne quomodo rursus eos terreat, Christumque amplius apud se esse demonstret? Hic enim, ut puto, vitam quoque subindicat. Quandoquidem enim ad vim atque operationem spiritualem attrahendam fides minime sufficit, dixerat autem, Si in fide estis, Christum in vobis habetis; contingebatque, multos qui fidem habebant, hujusmodi vi ac facultate carere, idcirco dubitationem solvens, ait, *Nisi forte reprobi estis;* hoc est, nisi vitam corruptam habetis. *Spero autem quod cognoscetis, quod nos reprobi non sumus.* Sequebatur ut diceret, Si autem vos reprobi facti estis; at nos haudquaquam : verum hoc ita non exprimit, ne feriat, sed obscure hoc innuit, nec pronuntians ac dicens, Reprobi estis, nec rursus per interrogationem id proponens ac dicens, Si autem vos reprobi; verum hoc prætermisso, obscure istud indicat, cum subjungit, *Spero autem quod vos cognoscetis, quod nos non sumus reprobi.* Hic rursus magna comminatio, magnus terror est. Quoniam enim hinc, inquit, hoc est per meam in vos animadversionem, experimentum capere vultis, non deerit nobis probatio vobis afferenda. Cæterum id non dicit, verum majore cum gravitate ac comminatione : *Spero autem quod cognoscetis, quia nos reprobi non sumus.* Vos enim, inquit, hoc etiam remoto, res nostras compertas habere oportebat, quodque Christum in nobis loquentem et operantem habeamus; at quoniam per ipsa opera experimentum sumere cupitis, nos minime reprobos esse comperietis. Deinde, postquam minas intentavit, ac pœnam jam velut pro foribus collocavit, eosque summo terrore perterritos eo adduxit ut supplicium exspectarent; vide quo pacto rursus orationem suavitate quadam perfundat, metumque mitiget ostendatque quam ab omni ambitione remotus sit, quantam discipulorum curam gerat, quam philosophico, quam excelso animo atque ab inani gloria alieno sit. Hæc enim omnia ostendit per ea quæ subjungit, dicens, 7. *Oro autem Deum, ut nihil mali faciatis, ut non nos probi appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis, nos autem ut reprobi simus.* 8. *Non enim possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate.* 9. *Gaudemus autem quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc enim etiam oramus, vestram perfectionem.*

Pauli laudes. — Quid huic animæ par esse queat? Contemnebatur, conspuebatur, traducebatur, sannis incessebatur, ut vilis, ut despicabilis, ut arrogans, ut sese per verba quidem ostentans, in ipsis autem rebus ne tantillum quidem vim suam demonstrare valens; et tamen non modo in eos animadvertere differt ac refugit, sed etiam vota facit, ut ne in hujusmodi rem incidat : *Oro*, inquit, *ut nihil mali faciatis, non ut nos probi appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis, nos autem ut reprobi simus.* Quidnam est quod ait? Deum oro, inquit, obsecro, ut neminem qui corrigi nequeat offendam : quin potius ne hoc quidem solum est quod rogo, sed ut ne penitus quidem peccetis; *Ne malum* enim *faciatis*, inquit : quod si etiam peccasse vobis contigerit, ut ad meliorem frugem vos conferatis, atque ante corrigamini omnemque iram propulsetis. Neque enim id agimus, ut probati ipsi simus, sed contra omnino, ut nos probati non appareamus. Nam si in peccatis ita perstetis, ut pœnitentia non ducamini, nobis necesse erit pœnas adhibere corporaque vestra plectere, ut in Sapphira et Mago contigit, potentiæque nostræ documentum præbere. Verum id minime optamus; imo contra, ut ne ipsi sic probi appareamus, hoc est, ut ne sic potentiæ illius, qua præditi sumus, specimen edamus, nimirum eos, qui peccant atque incurabili morbo detinentur, pœna afficiendo; verum quid? *Optamus, ut vos quod bonum est faciatis;* hoc est, Ut vos semper in virtute ac vitæ integritate sitis, nos autem velut reprobi simus, nimirum vindicem nostram potentiam non exhibentes. Nec vero dixit, *Reprobi;* nec enim reprobus futurus erat, etiamsi pœnam non adhibuisset, quin potius hoc ipso nomine probus; verum, Etsi nonnulli sunt, inquit, qui nos suspectos habeant, et quod potentiæ nostræ specimen non exhibeamus nos contemnendos et abjectos putent, nihil tamen hoc curo. Satius enim est, ut in hac apud illos existimatione simus, quam ut in plagis inferendis, atque in animis emendationem respuentibus potentiam nobis divinitus concessam ostendamus. *Non enim possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate.* Ne enim videretur in eorum gratiam id facere : id enim animi est ab inani gloria alieni; sed quia ipsa rei natura istud postulabat, hæc verba subjunxit : *Non enim possumus aliquid contra veritatem.* Si enim vos virtutibus florentes invenerimus, inquit, atque peccata per pœnitentiam deponentes, fiduciamque apud Deum habentes; jam nobis, ne si velimus quidem, supplicio vos afficere licebit, verum, etiamsi id facere moliamur, adjutorem Deum non habebimus. In hoc enim potentia nobis ab ipso concessa est, ut veram et æquam, non autem veritati repugnantem sententiam feramus. Videsne quomodo undique sermonem non molestum reddat, ac minarum asperitatem leniat? At quemadmodum hoc illi studio fuit, sic quoque ostendere vult, se animo ipsis conjunctissimum esse : ideoque subjunxit, *Gaudemus enim cum nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc autem et oramus, vestram perfectionem.* Maxime quidem, inquit, nec adversus veritatem quidquam possumus; hoc est, vos Deo placentes supplicio afficere. Cæterum quod id nequimus, ne volumus quidem, imo contrarium cupimus.

Quin hoc ipso potissimum gaudemus, cum vos nullam nobis vindicis nostræ potentiæ demonstrandæ occasionem præbere invenerimus. Etiamsi enim hujusmodi res efficiendo, clari, probati ac fortes appareamus; at nos tamen quod contrarium est volumus, nimirum vos probatos esse atque ab omni reprehensione alienos, nosque numquam inde gloriam adipisci. Quocirca ait, *Gaudemus enim cum nos infirmi sumus.* Quid est, *Cum infirmi sumus?* Cum infirmi existimamur, non cum infirmi sumus, sed cum tales habemur; nam hoc esse apud hostes censebantur, cum ultricem vim suam non jam exercerent. Sed tamen gaudemus, inquit, cum ita conversamini, ut nullam nobis in vos animadvertendi ansam porrigatis: nobisque id voluptati est, cum sic infirmi existimamur, modo in vos nulla reprehensio cadat: ideoque subdit, *Vos autem potentes estis;* hoc est, probi ac virtute præstantes. Ac non modo hæc volumus, sed et precamur ut omnis reprehensionis expertes sitis atque perfecti, nullam nobis ansam præbentes.

5. Hoc vere paterni affectus est, discipulorum salutem gloriæ suæ anteferre; hoc animi ab inanis gloriæ studio remoti; hoc potissimum hominem e corporis vinculis eximit, atque a terra in cælum attollit, nempe ab inani gloria purum; quemadmodum contrarium in multa peccata conjicit. Neque enim fieri potest, ut quisquam magnus et excelsus ac strenuus sit, qui non ab inani gloria sit immunis; verum humi serpat ac multa labefactet necesse est, dum scelestæ dominæ, ac quovis barbaro crudeliori ancillatur. Ecquid enim ea immanius esse queat, quæ tum maxime sævit, cum maxime colitur? Atqui hoc ne feræ quidem habent, sed multo obsequio deliniuntur. At contra prorsus inanis gloria: contempta enim mitescit; honore affecta exasperatur, atque adversus eum a quo honore afficitur arma sumit. Hanc honorantes Judæi asperrimis pœnis cruciati sunt; hac contempta discipuli coronam obtinuerunt. Quid autem pœnam ac coronas dico? nam gloriam aspernari, plurimum ad hoc conducit, ut clari appareamus. Ac videbis etiam hic eos, qui hanc colunt, detrimento affici; eos contra, quibus ipsa contemptui est, utilitatem capere: siquidem discipuli, qui eam pro nihilo duxerunt (nihil enim prohibet quin idem rursus exemplum usurpemus), Deique gloriam pluris fecerunt, solem ipsum splendore superant, immortalemque etiam post mortem famam consequuti sunt: Judæi autem, qui se ei subjecerunt, sine urbe, sine lare, infames, exsules, sedibus suis exturbati, viles et contempti exstiterunt.

Gloria quomodo acquiratur. — Quamobrem tu quoque, si gloriam adipisci studes, gloriam repelle: quod si eam aucuperis, ea excides. Ac, si lubet, hunc sermonem ad res sæculares transferamus. Ecquos enim dicteriis incessimus? annon eos, qui ipsam expetunt? Itaque ipsi maxime sunt, qui ea carent, ut qui innumeros accusatores habeant, atque ab omnibus contemnantur. Ecquos rursus, dic quæso, suspicimus ac prædicamus? annon eos, qui hanc spernunt? Ergo hi sunt qui gloria afficiuntur. Sicut enim ille dives est, non qui multis rebus, sed qui nulla re indiget: sic clarus ille, non qui gloriæ cupiditate æstuat, sed qui eam contemnit: umbra enim gloriæ est hæc gloria. Nemo enim picto pane conspecto, etiamsi millies fame teneatur, picturam attinget. Ne tu quoque umbras consecteris: gloriæ enim umbra hoc est, non gloria. Atque ut hoc ita se habere intelligas, illud tecum reputa, quod res ista apud homines crimini vertitur, quod fugienda omnibus videtur, iisque ipsis qui eam concupiscunt; quod denique is, qui eam habet aut habere expetit, hinc appellatus, pudore suffunditur. Unde igitur hæc cupiditas, inquies? et quo pacto exsistit hic affectus? Ab animi imbecillitate; neque enim dumtaxat accusare opus est, sed etiam corrigere; ab imperfecta mente, a puerili sententia. Quocirca pueritiam deponamus, ac viros nos præbeamus, atque ubique, hoc est, in opibus, in voluptate, in deliciis, in gloria, in potentia, veritatem, ac non umbras sequamur. Ita fiet, ut et hic morbus et plurimi alii comprimantur. Umbras enim sequi hominis est insania laborantis. Ideo Paulus dicebat, *Evigilate juste, et nolite peccare* (1. *Cor.* 15. 34). Est enim et alterum insaniæ genus, eo gravius quod a dæmonibus aut a phrenitide accersitur. Illa enim insania veniam habet; hæc defensione caret, cum anima ipsa corrupta est rectumque judicium amissum: ac phrenitidis quidem organum corporea affectio est; hæc autem insania ab artifice mente promanat. Quemadmodum igitur inter febres illæ acerbiores et incurabiles sunt, quæ solida corpora attingunt, atque intus in nervis ipsis grassantur et in venis delitescunt: ita hæc quoque insania, quandoquidem intus in ipso animo flagrat, eumque pervertit ac labefactat. Quomodo enim non perspicua et certa insania sit morbusque omni insania gravior, res eas quæ perpetuo manent aspernari, fluxis autem ac perituris summo studio inhærere? Dic enim, quæso, si quis ventum persequeretur aut arripere tentaret, annon eum insanire diceremus? si quis neglecta veritate umbram teneret, et uxorem quidem suam odio haberet, umbram autem ipsius complecteretur; aut a filio quidem suo aversum animum haberet, ipsius autem umbram amaret, aliudne ad probandam insaniam signum clarius quæreres? Tales hi quoque sunt, qui ad res præsentes inhiant. Omnia quippe umbra sunt, sive gloriam, sive potentiam, sive nominis splendorem, sive divitas, sive voluptates, sive quidlibet aliud hujus vitæ dixeris. Ideo etiam propheta dicebat, *Verumtamen in imagine pertransit homo; sed et frustra conturbatur;* ac rursus, *Dies nostri sicut umbra declinaverunt.* Atque alio loco humana fumum, ac fœni florem appellat (*Psal.* 38. 7; *ibid.* 101. 12, *et* 4. *et* 102. 15). Nec vero læta solum umbra sunt, sed etiam tristia, sive mortem, sive egestatem, sive morbum, sive aliud quidvis dixeris. Quænam igitur firma ac stabilia sunt, tam læta quam tristia? Re-

gnum sempiternum, ac gehenna perpetua. Neque enim vermis morietur, nec ignis exstinguetur : ac resurgent hi in vitam æternam, illi autem in pœnam sempiternam. Quæ cum ita sint, ut hanc fugiamus, illa fruamur, omissis umbris res veras serio ac summo studio complectamur : sic enim cælorum regnum assequemur : quod utinam nobis omnibus consequi contingat, per gratiam et benignitatem, etc.

HOMILIA XXX.

Cap. 13. v. 10. *Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem.*

1. Senserat se asperiori sermone usum fuisse, ac præsertim ad calcem epistolæ. Etenim prius dicebat : *Ipse autem ego Paulus rogo vos per mansuetudinem et lenitatem Christi, qui in faciem quidem humilis sum in vobis, absens autem fiducia utor in vos. Quæso autem ne præsens audeam, per eam confidentiam qua existimor audere, in quosdam, qui arbitrantur nos tamquam secundum carnem ambulemus* (*Supra.* 10. 1. 2); et, *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit obedientia vestra* (*Ib. v.* 6) ; ac rursus, *Timeo, ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis qualem non vultis ;* et rursum, *Ne, cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super fornicatione et immunditia quam gesserunt* (*Ibid.* 12. 20. 21) ; et postea, *Prædixi et prædico ut præsens bis, et absens nunc scribo, quod si iterum venero, non parcam. An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christi* (*Cap.* 13. *v.* 2. 3)? Quoniam itaque hæc et alia complura dixerat terrorem injiciens, pudorem incutiens, objurgans, perstringens ; idcirco, ut de omnibus se excuset, ait, *Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam.* Cupio enim asperitatem meam in literis solis sitam esse, et non in rebus : cupio acres epistolas esse, ut minæ maneant, ac non in opus exeant. Rursus in hac quoque excusatione majorem terrorem incutit, ostendens non se esse, qui pœnam irrogaturus sit, sed Deum; subjunxit enim, *Secundum eam potestatem, quam dedit mihi Dominus ;* ac rursus indicans se minime cupere potentia sua ad eorum pœnam uti ; adjecit enim, *Ad ædificationem, non ad destructionem.* Ac quidem istud, uti jam dixi, nunc subindicavit, verum reputandum ipsis reliquit, quod si obstinatis animis in peccatis hæreant, illud etiam ædificationis rationem habeat, nempe eos qui ita affecti sunt supplicio afficere. Etenim ita se res habet, atque ipse hoc novit, et operibus ipsis demonstravit. 11. *De cætero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete ; et Deus dilectionis et pacis erit vobiscum.* Quid sibi hæc verba volunt, *De cætero, fratres, gaudete?* mœrore nos affecisti, metum nobis intulisti, anxietatem injecisti, tremorem incussisti ; et quo pacto nos gaudere jubes? Imo hoc ipso nomine vos gaudere jubeo. Nam si ea quæ vestrarum sunt partium, iis quæ mei officii sunt respondeant, nihil erit quod gaudio vestro impedimentum afferat. Nam quidquid a me exspectandum erat, præstiti : patientiam adhibui, cunctatus sum, non excidi, hortatus sum, admonui, terrui, comminatus sum, ut undecumque vos ad pœnitentiæ fructum colligerem. Partes jam vestræ accedant oportet ; atque ita ejusmodi vobis gaudium erit, quod marcescere nequeat. *Perfecti estote.* Quid est, *Perfecti estote?* Perfecti efficiamini, ac quæ desunt expleatis. *Exhortamini.* Quoniam enim multæ tentationes atque ingentia pericula erant, Solatium, inquit, capite tum alii ab aliis, tum a nobis, tum ab ipsa in melius mutatione. Nam si a conscientia lætitia oriatur, vosque perfecti fueritis, nihil ad animi tranquillitatem et solatium vobis deest. Neque enim ad consolandos animos quidquam tantum confert, quantum pura conscientia, etiamsi alioqui sexcentæ tentationes ingruant. *Idem sapite, pacem habete.* Quod etiam in prioris epistolæ initio postulavit. Siquidem fieri potest ut nonnulli, quamvis idem sentiant, non pacem inter se habeant : nimirum cum in fidei quidem doctrina consentiunt, et in mutuis negotiis dissident. At utrumque exigit Paulus. *Et Deus dilectionis et pacis erit vobiscum.* Non enim solum monet atque hortatur, sed etiam optat ac precatur. Aut quippe id optat ac precatur ; aut quod futurum est prædicit ; vel potius utrumque simul facit. Si enim hæc feceritis, inquit ; hoc est, si idem sentiatis, ac pacem colatis, Deus quoque vobiscum erit : Deus siquidem caritatis et pacis est, atque his rebus gaudet et oblectatur. Hinc vobis quoque pax futura est, nimirum ab ipsius caritate ; hinc mala omnia procul a vobis pellentur. Hæc terrarum orbi salutem attulit, hæc diuturnum bellum sustulit, hæc terram cum cælo commiscuit, hæc homines angelos reddidit. Hanc proinde nos quoque amemus : infinitorum enim bonorum parens est caritas. Per hanc salutem accipimus, per hanc nobis arcana omnia bona comparantur. Deinde ipsos ad eam impellens ait : 12. *Salutate invicem in osculo sancto.* Quid est, *Sancto?* Non ficto, non subdolo, quemadmodum Judas Christum osculatus est. Ob id enim datum est osculum, ut caritatis fomes sit, ut affectum inflammet, ut hac ratione nosipsos mutuo amemus, velut fratres invicem se amant, patresque vicissim filios ; imo etiam multo majus : illa enim naturæ sunt, hæc gratiæ. Sic animæ inter se devinciuntur. Ideo etiam ex peregrinatione aliqua reversi, mutuo nos osculamur, animis ad mutuum congressum accedentibus. Hoc enim potissimum membrum est, quod animi affectum nobis prædicat.

2. Quin de hoc sancto osculo aliud quoque afferri potest. Quid tandem? Templum Christi sumus (2. *Cor.* 6. 16) : itaque templi vestibula et aditum osculamur, cum alii alios osculamur. Annon cernitis

quotnam homines etiam hujusce templi vestibula osculentur (*a*), partim inclinato capite, partim manu tenentes atque ori manum admoventes? Ac per has portas et januas ingressus est Christus et ad nos ingreditur, cum communicamus. Nostis enim vos, qui mysteriorum participes estis, quid dicam. Neque enim vulgari quodam honore os nostrum afficitur, cum corpus Dominicum accipit. Ea præsertim de causa tum osculamur. Audiant qui obscœna loquuntur, qui convicia proferunt, ac cohorrescant, cogitantes quale os dedecorent : audiant qui obscœne osculantur : audi quæ oracula Christus per os tuum ediderit, atque illud ab omni macula purum conserva. De futura vita disseruit, de resurrectione, de immortalitate, quod mors minime mors sit, ac sexcenta alia arcana. Etenim is, qui initiandus est, ad sacerdotis os tamquam ad oraculum accedit. Audiamus quænam horrore digna sint. Siquidem vitam suam jam inde a progenitorum tempore perdidit, atque ad eam exquirendam accedit, teque interrogandum quo pacto eam invenire ac recuperare queat. Tum Deus ipsi velut per oraculum indicat qua ratione ipsa inveniri possit; atque os istud vel ipso propitiatorio augustius atque horribilius exsistit. Nam propitiatorium illud nusquam ejusmodi vocem emittebat, verum de rebus inferioris momenti disserebat, de bellis ac terrena pace; hæc autem omnia de cælo sunt et futura vita, rebusque novis ac mentis captum excedentibus. Postquam dixit, *Salutate invicem in osculo sancto*, subjunxit : *Salutant vos omnes sancti* : ut hinc quoque spem lætam ipsis afferat. Hoc autem osculi loco posuit, per salutationis vocabulum ipsos inter se copulans : siquidem ab eodem ore quo osculum manat, sermones etiam fluunt. Vides quomodo omnes, tam corporibus longe dissitos, quam vicinos inter se conciliet, hos per osculum, illos per literas? 13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei et Patris, et communicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis. Amen.* Postquam eos, tum per salutationes, tum per oscula inter se copulavit, rursus precatione orationem concludit, ac perquam sedulo et accurate ipsos cum Deo quoque connectit.

Spiritum sanctum ejusdem atque Pater et Filius essentiæ esse probatur. — Ubi nunc sunt ii, qui Spiritum sanctum, quia in epistolarum initiis collocatus non est, ejusdem essentiæ non esse contendunt? Ecce enim nunc cum Patre et Filio ipsum recensuit. Ac præterea istud quoque afferri potest, quod cum in Epistola ad Colossenses dixisset, *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro* (*Coloss.* 1. 1. 3); Filium tacuit, nec ut in omnibus epistolis adjecit, Et Domino nostro Jesu Christo. An ergo propterea ne Filius quidem ejusdem essentiæ erit? Verum extremæ dementiæ fuerit hoc dicere Nam hoc ipsum quoque vel maxime ostendit eum ejusdem essentiæ esse, quod Paulus varie hoc usus sit. Ac quod non conjectura sit quod dixi, audi quo pacto Filii et Spiritus mentionem fecerit, Patrem interim silentio præteriens. Ad Corinthios enim scribens, his verbis utitur : *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri* (1. *Cor.* 6. 11). Quid ergo, heus tu, annon isti in Patris nomine baptizati sunt? Ergo nec abluti nec sanctificati sunt. Atqui baptismo vere tincti fuerant. Cur ergo non dixit, Abluti estis in nomine Patris? Quia perinde illi erat, modo illius, modo alterius personæ neminisse : idque ipsi in plerisquè epistolarum locis in usu fuisse reperies. Etenim in Epistola ad Romanos ait, *Obsecro igitur vos per miserationes Dei* (*Rom.* 12. 1), atqui Filii quoque miserationes sunt : et, *Obsecro autem per caritatem Spiritus* (*Rom.* 15, 30); cum tamen Patris quoque sit caritas. Cur ergo nec Filii, cum de miserationibus loquitur, nec Patris, cum de caritate, mentionem fecit? Quod hæc perspicua atque indubitata essent. Has quoque gratias inverso modo rursus posuisse invenietur. Postquam enim dixit, *Gratia Christi, et Caritas Dei et Patris, et communicatio Spiritus sancti* : alio loco communicationem Filii et caritatem Spiritus ait. *Obsecro* enim *vos*, inquit, *per caritatem Spiritus*; et in epistola ad Corinthios, *Fidelis Deus, per quem vocati estis ad societatem Filii ipsius* (1. *Cor.* 1. 9). Sic ea, quæ ad Trinitatem pertinent, divisionem omnem respuunt : et ubi Spiritus communicatio est, Filii quoque inventa est, et gratia, tum Filii est, tum Patris, tum Spiritus sancti : *Gratia enim vobis*, inquit, *a Deo Patre*. Et alio loco, cum multa ipsius genera enumerasset, subjunxit : *Hæc autem omnia operatur unus et idem Spiritus, dividens unicuique prout vult* (1. *Cor.* 12. 11). Hæc autem dico, non ut personas confundam, absit; sed quod tum harum distinctas proprietates, tum naturæ unitatem agnoscam.

3. Quocirca sic maneamus, ut dogmatum horum sinceritatem teneamus, ac Dei amorem attrahamus. Etenim prius quidem nos se odientes amavit, et cum hostes ejus essemus, in gratiam recepit; postea autem amantes jam amare vult. Quocirca constanter amemus, ut ab eo etiam amemur. Nam si, cum ab iis amamur qui plurimum possunt, timori omnibus sumus, multo magis, si a Deo amemur. Quod si hujus amoris causa opes etiam ac corpora et vitam quoque ipsam dare opus sit, ne id efficere dubitemus. Neque enim verbis nostrum erga eum amorem testari satis est, sed id re quoque demonstrandum est : neque enim ipse verbis dumtaxat, sed etiam rebus suum erga nos amorem demonstravit. Tu ergo quoque per opera id ostende, atque ea quæ ipsi grata sunt effice : sic enim ipse lucrum rursus referes. Etenim ille nulla re nostra indiget : id quod etiam sinceri amoris indicium est, quod, cum nulla ipse re indigeat nec in ullius rei penuria versetur, tamen nihil non faciat, ut a nobis ametur. Ideoque Moses dicebat : *Quid* enim *Dominus Deus a vobis quærit, nisi ut ipsum ametis, ac prompto animo post ipsum incedatis* (*Deut.* 10. 12)? Itaque cum præcipit ut ipsum ames, tunc maxime ostendit quod te amet. Nihil enim

(*a*) Vestibula ecclesiæ Christiani osculabantur.

ita salutem nobis conciliat, ut cum ipsum amamus. Vide ergo, quod omnia ipsius præcepta ad requiem nostram ac salutem et gloriam referantur. Etenim cum ait, *Beati misericordes, beati mundo corde, beati mites, beati pauperes spiritu, beati pacifici* (*Matth.* 5. 3-9), nihil quidem ipse hinc percipit; verum hoc præcipit ut nos ornet et instituat : et cum ait, *Esurivi*, non eo id ait, quod ministerio nostro opus habeat, sed ut te ad misericordiam excitet. Nam alioqui etiam absque tua ope pauperem alere poterat; verum, ut amplissimum tibi thesaurum largiretur, hæc edixit. Nam cum sol iste, qui in rerum conditarum numero est, oculis nostris non indigeat (manet enim in splendore, etiamsi nemo eum cernat); verum nos ipsi sumus, qui utilitatem capimus, cum ipsius radiis fruimur : quanto magis in Deo id usu venit? Atque, ut hoc etiam aliunde noscas, audi. Quantum inter Deum ac nos interesse vis? an quantum inter nos et culices? an multo plus? Liquet profecto quod plus atque adeo infinities amplius. Si nos ergo, qui inanis gloriæ studiosi, nec culicum ministerio nec gloria indigemus; quanto magis Deus, qui a turbulentis animi motibus et egestate plurimum abest? Hactenus igitur tantum utilitatem ex nobis capit, quatenus beneficiis nos afficit, quantum salute nostra oblectatur. Quo fit, ut etiam plerumque sua missa faciens, tua quærat. *Si quis* enim, inquit, *uxorem habet infidelem, et ipsa consentit habitare cum eo, non dimittat illam* (1. *Cor.* 7. 11). *Qui autem dimittit uxorem, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari* (*Matth.* 5. 32). Videsne bonitatem omni sermone majorem? Si adultera sit uxor, inquit, non te cogo ut cum ea habites; si autem infidelis, non prohibeo. Rursus, Si adversus aliquem infenso animo es, præcipio ut is, qui te molestia afficit, oblationem meam relinquat atque ad te currat : *Si* enim *offers munus tuum*, inquit, *atque illic recordaris quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, et vade, et prius reconciliare fratri tuo, et tum veniens offer munus tuum* (*Matth.* 5. *v.* 23. 24). Quid decoctoris illius parabola? annon hoc indicat? Nam cum decem millia talentorum abligurivisset, ipsius misertus est eumque missum fecit : ac cum idem centum denarios a conservo suo exegisset, tum nequam atque improbum eum vocavit, tum supplicio tradidit (*Matth.* 18. 24. *et sqq.*): tanta ipsi tuæ quietis cura est! In viri justi uxorem barbarus flagitium mox admissurus erat; ac dixit Dominus, *Peperci tibi, ut ne peccares in me* (*Gen.* 20. 6). Paulus apostolos persequebatur; et ait ad eum, *Quid me persequeris* (*Act.* 9. 4)? Alii fame laborabant : et ipse esurire se dicit, ac nudum et peregrinum oberrare (*Matth.* 25. 35), ut te pudore affectum ad eleemosynæ studium excitet. Cogitantes ergo quantam erga nos caritatem exhibuerit et exhibeat, quodque dignatus se nobis notum facere; quod quidem præcipuum bonorum omnium caput est, atque animi lumen, ac virtutis doctrina; quodque vitam ipsi gratam lege statuerit, et omnia in nostri gratiam fecerit, et Filium suum dederit, et regnum pollicitus sit, et ad arcana bona nos vocaverit, et beatissimam vitam nobis præparaverit; omnia faciamus ac dicamus, ut et ipsius amore ac benevolentia digni videamur, et futura bona consequamur : quæ utinam nobis omnibus adipisci contingat, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD COMMENTARIUM IN EPISTOLAM AD GALATAS.

Huic commentario non solitam operam posuit Chrysostomus. In aliis quippe in Novum Testamentum ab ipso editis explanationibus omnia in conciones seu homilias divisa distributaque sunt; ita ut concio quælibet ethica adhortatione claudatur, et moralia istæc posteriora præcepta maximam sæpe homiliæ partem complectantur. In hoc autem commentario omnia secus adornata sunt. Nam continenter Chrysostomus ad finem usque Epistolæ versus omnes explanat : moralia nonnumquam præcepta, sicubi occasio offertur, admiscet, sed non ut pro more solito concionem claudat. Populum autem non raro alloquitur. Quapropter crediderim illum hæc ita concinnavisse, vel ut præsenti populo sic legeret aut recitaret; vel ut diviso multis in partibus commentario, singulis postea partibus ethicum epilogum adjiceret, ut pro consueto more in homilias distributum opus populo pronuntiaret. Utro autem modo egerit nonnisi divinando assequi possumus.

Jam quædam nobis quærenda occurrunt, scilicet Antiochiæne an Constantinopoli hunc in Epistolam ad Galatas emiserit Commentarium : item quo anno quave occasione illum ediderit. Tum quædam addenda supererunt de commentarii ratione, deque aliis quibusdam.

Antiochiæ autem se hunc emisisse Commentarium clare innuit, quando in primo Epistolæ ad Galatas capite, quærens cur Paulus non initio prædicationis, nec cum cæteris apostolis vocatus fuerit, talia fatur col. 627 : *Quamquam et nos super hac re alias sumus loquuti, cum de mutato Pauli nomine apud vos dissereremus, causamque redderemus, ob quam Deus prius dictum Saulum Paulum appellarit. Quæ si vobis e memoria exciderunt, ex eo libro omnia cognoscetis.* Jam quæritur quis sit ille liber, ubi Chrysostomus hasce quæstiones movet, nempe cur Paulus non statim ab initio vocatus sit, et cur nomen ejus mutatum fuerit. Estque haud dubie liber Homiliarum de Mu-

tatione nominum, quas quatuor numero edidimus, Antiochiæ emissas. In prima vero, Tom. 3. col. 120 et 121, optime probat Chrysostomus e re fuisse ut Paulus post Christi resurrectionem, et postquam discipulos ejus acerrimo bello impetierat, ad fidem vocaretur, ut ejus de Christi resurrectione testimonium omnibus esset acceptius. In secunda vero et seqq., col. 126, quærit cur Paulus nomen mutaverit, et rationes affert cur qui Saulus antea vocabatur, Pauli nomen acceperit, et cur aliorum quoque nomina mutata fuerint. In tribus autem homiliis se de hoc solo nomine disseruisse testificatur Homilia quarta de Mutatione nominum col. 148 : *Nam si recordamini*, inquit, *tres integros dies de solo hoc nomine disseruisse me scitis ; dum causas afferrem ob quas, cum Saulus antea vocaretur, Paulus deinde vocatus est.* Cum ergo hæ homiliæ Antiochiæ habitæ fuerint, ex Chrysostomi testimonio supra allato probatur hunc etiam commentarium eadem in urbe factum fuisse.

Non perinde internoscere possumus quo anno Commentarium illum in Epistolam ad Galatas emiserit. Certum quidem est illum adornatum fuisse postquam conciones illas de mutatione nominum habuerat. Verum numquam certo expiscari potuimus, quo anno homiliæ istæ habitæ fuerint, ut videas in Monito ad Homilias in Principium Actorum, Tom. 3, col. 63, et in Præfatione ad Homilias in Genesim Tom. 5. Nam hæ omnes homiliæ eodem anno habitæ fuerunt.

In hoc certe Commentario Chrysostomus longe accuratius apostoli dicta explorat et explicat, quam in multis aliis homiliis et commentariis. Anomœos non semel egregie refellit, necnon Marcionistas et Manichæos. Contra Antiochenos multos declamat qui Judaicos ritus sectabantur. Alios etiam exagitat qui sibi virilia amputabant, quem morem innuere videtur a Manichæis invectum fuisse.

Veterem interpretationem Latinam plurimis in locis emendatam retinuimus.

SANCTI PATRIS NOSTRI
JOANNIS CHRYSOSTOMI
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,
IN EPISTOLAM AD GALATAS COMMENTARIUS (a).

CAPUT PRIMUM

1. *Paulus apostolus, non ab hominibus, neque per homines, sed per Jesum Christum et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis,* 2. *et omnes qui mecum sunt fratres, Ecclesiis Galatiæ :* 3. *gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.*

1. Proœmium multa vehementia, magnoque spiritu plenum est ; nec proœmium modo, verum etiam tota, ut ita dicam, epistola. Etenim placide leniterque semper loqui discipulis, etiamsi opus sit acrimonia, non doctoris, sed corruptoris potius fuerit et hostis. Hanc ob causam et Dominus, cum multa placide mansueteque loquutus sit discipulis, nonnumquam tamen et austeriorem adhibuit orationem, nunc quidem illos beatos prædicans et collaudans, nunc rursus increpans et objurgans. Itaque cum Petro dixisset, *Beatus es, Simon Bar Jona* (*Matth.* 16. 17), promisissetque futurum, ut Ecclesiæ fundamenta super illius confessionem jaceret, haud multo post dicit eidem, *Vade post me, satana, scandalum es mihi* (*Ibid. v.* 23) ; et alibi rursus, *Adhuc et vos sine intellectu estis* (*Id.* 15. 16)? Tantumque terroris illis injecit, ut Joannes dicat, quod videntes eum cum muliere Samaritana colloquentem, de cibo quidem commonuerint, *Cæterum nemo ausus est dicere : Quid quæris aut quid loqueris cum ista* (*Joan.* 4. 27)? Hæc edoctus Paulus, ac præceptoris sui vestigiis inhærens, varie sermonem ad discipulorum utilitatem attemperat, nunc quidem urens ac secans, nunc rursum mitiora admovens remedia. Et Corinthiis quidem dicebat, *Quid vultis? ut in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu lenitatis* (1. *Cor.* 4. 21)? Galatis vero, *O stulti Galatæ* (*Gal.* 3. 1) : neque semel dumtaxat, sed bis usus est hac objurgatione. Quin et sub finem epistolæ, taxans illos dixit : *Nemo mihi molestus sit* (*Gal.* 6. 16). Rursus autem acerbitatem mitigat, cum ait : *Filioli mei, quos iterum parturio* (*Gal.* 4. 19) ; aliisque multis consimilibus verbis. Cæterum hanc epistolam esse plenam vehementiæ, cuivis perspicuum est vel ex ipso statim lectionis ingressu.

Quid Paulum moverit ad hanc epistolam scribendam. — Sed aperiendum est, quid apostolum provocarit in discipulos : neque enim id pusillum fuit, neque parvi momenti ; alioqui nec ipse tam acerbe fuisset in eos invectus : siquidem quibuslibet de causis irritari, hominis est pusillanimi, morosi miserique : quemadmodum ex adverso in gravibus causis supinum ac negligentem esse, viri est inertis ac somniculosi. At hujusmodi nequaquam erat Pau-

(a) Tres servantur in Bibliotheca Regia hujus commentarii manuscripti Codices, scilicet, duo Colbertini et Regius 675.

lus. Quod igitur erat peccatum, quo sic commotus erat? Profecto magnum erat, et supra modum grave, quodque illos omnes abalienabat a Christo, quemadmodum ipse in progressu sermonis declarat dicens : *Ecce ego Paulus dico vobis, quod si circumcidamini, Christus nihil vobis profuturus est;* ac rursum, *Quicumque in lege justificamini, a gratia excidistis* (*Gal.* 5. 2. 4). Quid igitur tandem hoc erat? nam apertius explanandum est. Qui ex Judæis crediderant, occupati persuasione Judaismi, inanis gloriæ siti temulenti, dum sibi doctorum cupiunt parare dignitatem auctoritatemque, profecti ad Galatas docuerunt opus illis esse circumcisione, servanda sabbata et noviluuia, nec tolerandum esse Paulum qui harum rerum tolleret observationes. Nam Petrus, Jacobus ac Joannes hæc, ut aiebant, non prohibebant, cum essent inter apostolos primæ dignitatis, et cum Christo fuissent versati. Ac revera non prohibebant ; sed id faciebant, non quod ita faciendum esse decernerent, sed ut eorum qui ex Judæis crediderant, imbecillitati morem gererent. At Paulus qui gentibus prædicandi munus susceperat, nihil opus habebat hac attemperatione. Nam cum versaretur in Judæa, ad eumdem modum et ipse morem gessit Judæis. Verum impostores quidam non explicantes causas, ob quas tum hic, tum illi Judæis morem gerebant, arte fallebant simpliciores, hujusmodi sermonibus : Non est ferendus Paulus : nam hic heri ac nudiustertius exortus est ; at Petrus et qui cum illo sunt, primi sunt apostolorum : hic quidem discipulus fuit apostolorum, illi vero Christi. Præterea hic solus est, illi multi et Ecclesiæ columnæ. Denique et simulationis calumniam Paulo intendebant dicentes : Hic ipse qui tollit circumcisionem, alibi visus est iis uti quæ damnat, aliter vobis, aliter aliis prædicans. Proinde cum cerneret totam Galatarum gentem inflammatam, ac periculosum incendium adversus illorum Ecclesiam excitatum esse, jamque domum succussam periclitari ne corrueret; partim ira justa commotus, partim immenso animi dolore correptus (nam et hoc declaravit dicens, *Cupiebam nunc esse apud vos, et mutare vocem meam* (*Gal.* 4. 20), scribit epistolam, ad istæc omnia respondens, et ad hoc ab ipsis protinus exordiis tendit, videlicet quod ii qui occultis cuniculis ipsius existimationem apud Galatas subvertere conabantur, dicebant, alios esse discipulos ipsius Christi, hunc apostolorum dumtaxat fuisse discipulum. Et hanc ob causam sic orsus est : *Paulus apostolus, non ab hominibus, neque per homines.* Prædicabant enim, quemadmodum jam cœperam dicere, deceptores illi, quod Paulus apostolorum omnium postremus esset, quodque ab illis esset edoctus. Petrum enim, Jacobum et Joannem, ut primi fuerant vocati, ita inter discipulos tenere primas, qui sua dogmata ab ipso Christo acceperant : proinde magis credendum illis quam huic : at illos non vetare circumcisionem, neque legis observationem.

2. Hæc et his similia dictitantes, hinc Pauli deprimentes auctoritatem, illinc aliorum apostolorum gloriam attollentes, non ut illos laudibus ornarent, sed ut Galatas seducerent, persuaserant ut legi adhærerent, cum jam legis tempus præteriisset. Proinde congruenter ad hunc exorsus est modum. Quoniam enim ipsius doctrinam despiciebant, dicentes illam ab hominibus profectam, cum Petri doctrina esset a Jesu Christo, in ipso statim ingressu refellit hoc, dicens se apostolum esse non ab hominibus neque per homines. Nam baptizarat quidem illum Ananias (*Act.* 9. 17), at non ille liberavit eum ab errore, nec ad fidem adduxit, sed ipse cælitus Christus, emissa ad eum admiranda illa voce, per quam hunc quoque piscatus est. Nam Petrum quidem ac fratrem ejus et Joannem cum fratre suo, ambulans juxta mare vocarat (*Matth.* 4) ; Paulum vero vocavit cum jam ascendisset in cælum. Et quemadmodum illi non habebant opus iterata vocatione, sed protinus relictis retibus, cæterisque omnibus sequuti sunt eum : ita et hic a prima statim vocatione ad summum ascendit fastigium, simul ac baptizatus est, bello cum Judæis irreconciliabili suscepto. Atque hoc nomine potissimum cæteris apostolis antecellebat : *Abundantius* enim, inquit, *illis laboravi* (1. *Cor.* 15. 10). Verum nondum hoc aggreditur, sed sat habet cæteris æquiparari. Neque enim hoc illi studio fuit, ut ostenderet se cæteris eminentiorem, sed ut erroris materiam dissolveret.

Paulus ab ipso Christo vocatus. Filii et Spiritus sancti eadem potestas.—Itaque quod dicit, *Non ab hominibus*, omnium erat commune, siquidem evangelii prædicatio originem ac radicem ducebat e cælis ; sed quod addit, *Neque per homines*, apostolorum proprium erat: neque enim per homines vocarat eos, sed per se ipsum. Sed cur non meminit vocationis, dicens : Paulus vocatus, non ab hominibus ; sed apostolici muneris facit mentionem ? Quoniam in hoc totius sermonis cardo vertebatur. Dicebant enim ipsum ab apostolis, hominibus, suscepisse illam docendi provinciam, ideoque par esse, ut illos sequeretur. Verum quod non ab hominibus eam suscepisset, declarat Lucas qui dicit : *Ministrantibus autem illis ac jejunantibus Domino, dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Paulum et Barnabam* (*Act.* 13. 2). Unde liquet eamdem esse potestatem Filii et Spiritus. Cum enim a Spiritu missus esset, a Christo se missum ait. Idem et alibi declarat, ea quæ Dei sunt, adscribens Spiritui : siquidem senioribus Milesiis verba faciens, *Attendite*, inquit, *vobis ipsis et universo gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus pastores et episcopos* (*Act.* 20. 28) : et tamen in alia quadam epistola dicit, *Quos quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo loco prophetas, deinde pastores ac doctores* (1. *Cor.* 12. 28). Adeo promiscue citraque discrimen loquitur, quæ Spiritus sunt Deo tribuens, ac rursum quæ Dei sunt, Spiritui. Quin et aliter hæreticorum obturat ora, cum ait : *Per Jesum Christum et Deum Patrem.* Etenim quoniam aiunt hanc vocem, velut inferioris dignitatis adjectam Filio, vide quid facit. Eam Patris vocabulo præponit, nos interim docens, ne naturæ ineffabili leges statuamus, neque deitatis modum præfiniamus

inter Filium et Patrem. Nam ubi dixisset, *Per Jesum Christum*, adjecit, *Et Deum Patrem*. Etenim si sola Patris mentione facta dixisset per quem; fortassis commento reperto dixissent hanc particulam, *per quem*, congruere Patri, eo quod Filii opera ad illum referantur : at nunc simul et Filii et Patris facta mentione, communiterque de utroque loquutus, isti commento locum non reliquit. Neque enim id facit, quod ea quæ Filii sunt propria, referat ad Patrem ; sed ut declaret, quod hæc oratio nullum naturæ discrimen inducat. Quid porro hic dicturi sint isti, qui ex baptismo gradum aliquem inferiorem commenti sunt, eo quod baptizemur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ? Nam si ideo inferior est Filius, quod post Patrem ponitur, cum hic apostolus a Christo orsus ad Patrem veniat, quid dicturi sunt ? Verum nihil blasphemum dicemus. Non enim committendum est, ut cum illis decertantes a veritate excidamus, quin potius etiam si decies millies insaniant illi, nos tamen intra veritatis limites contineamur oportet. Quemadmodum igitur nos non dixerimus Filium Patre majorem, eo quod Paulus hunc priore loco commemoravit : nam id quidem summæ dementiæ et impietatis extremæ fuerit : ita nec illic quia Patri postponitur Filius, arbitrari debemus Filium Patre minorem. *Qui excitavit eum a mortuis.* Quid agis Paule ? cum cupias judaizantes ad fidem perducere, nihil ex illis magnis ac præclaris adducis in medium ? quale est illud quod ad Philippenses scripsisti, dicens : *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (*Philipp.* 2. 6) ; item quod Hebræis scribens clara voce protulisti, *Splendor est gloriæ, et figura substantiæ illius* (*Hebr.* 2 3) : rursum quod in evangelii sui initio ille tonitrui filius insonuit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum* (*Joan.* 1. 1) ; præterea quod ad Judæos crebro pronuntiavit Jesus, dicens, quod eamdem potentiam habeat, quam Pater, eamdemque operandi facultatem (*Joan.* 5. 17. *sqq.*). Horum nihil dicis, verum hominibus omissis, de carnis dispensatione facis mentionem, crucem ac mortificationem in medium afferens. Etiam, inquies. Si illi sermo fuisset apud homines qui nihil magni de Christo concepissent animis, æquum erat illa magnifica proferre; verum quoniam illi nobis movent seditionem, qui sibi videbantur pœnas daturi si descivissent a lege : ideo mentionem facit ejus rei, per quam excludit totam legis necessitatem, nimirum commemorans Dei munificentiam ex cruce et resurrectione collatam universis. Etenim si dixisset : In principio erat Verbum, et quod in forma Dei esset, et fecisset seipsum æqualem Patri, aliaque his similia ; declarasset quidem Verbi divinitatem, verum nihil ad id, quod hic agebatur, illa contulissent. Nunc vero quod ait, *Qui excitavit eum a mortuis*, commonefacit eos summi beneficii, quod in nos contulit Christus : quæ res haud mediocriter ad rem propositam ipsi conducebat, quia homines plerique non perinde solent attentis auribus audire eos sermones qui Dei majestatem commendant, atque eos qui ejusdem in homines beneficentiam declarant. Hanc ob causam omissa illorum mentione, de collato nobis beneficio verba facit.

3. *Anomœorum objectio solvitur.* — Verum hic insultant hæretici, dicentes : Ecce Pater suscitat Filium. Nam postquam semel eos corripuit insaniæ morbus, ad sublimia illa dogmata sponte surdi sunt : si qua vero humiliora vel ob carnem assumptam ita dicta sunt, vel ob Patri debitum honorem, vel ob aliam quampiam dispensationem, hæc seligunt, et hæc sola expendentes, ipsi sibi (nolim enim dicere, Scripturæ) noxam afferunt. Quos equidem lubens perconter cur ista dicant ? num ideo, quod studeant Filium ostendere imbecillem, nec satis idoneum ad unius corporis suscitationem ? Atqui fides erga illum effecit, ut et umbræ eorum qui in ipsum credebant, excitarent mortuos (*Act.* 5. 15). Itane qui credebant in eum, homines mortales, ex umbra sola lutcorum corporum quæ gerebant, exque vestibus horum corporibus admotis, excitabant mortuos : et ipse seipsum excitare non potuit ? annon hæc evidens est insania, vehemensque delirium ? Non audis illum dicentem : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (*Joan.* 2. 19) ? ac rursum, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (*Joan.* 10. 18) ? Quam igitur ob causam Pater illum excitasse, dicitur ? sic illum excitare, quemadmodum et alia facere dicitur, quæ facit Filius. Siquidem hoc partim honoris gratia, qui Patri debetur, dictum est, partim ob auditorum imbecillitatem. *Et qui mecum sunt omnes fratres.* Quam ob causam hoc non addit in cæteris epistolis ? In illis enim aut suum nomen solum ponit, aut duorum dumtaxat trium ve addit nomina ; hic autem totam multitudinem posuit, ideoque neminem nominatim commemorat. Cur ergo hoc facit ? Traduxerant Paulum hoc nomine, quod solus hæc prædicaret, novamque dogmatum rationem inveheret. Cum igitur illorum suspicionem tollere vellet, simulque declarare quod multos haberet ejusdem sententiæ consortes, adjungit sibi fratres, significans se ex illorum sententia scribere ea quæ scribit. *Ecclesiis Galatiæ.* Neque enim unam civitatem, neque duas neque tres, sed totam Galatarum gentem hujus erroris incendium pervaserat. Contemplare vero mihi et hic vehementem indignationem apostoli. Non enim dixit, Dilectis, neque, Sanctificatis, sed, *Ecclesiis Galatiæ.* Nam hoc erat ægre affecti animi suumque dolorem aperientis, quod eos non a caritate, neque propriis nominibus honorifice appellavit, sed a sola congregatione : quodque non addidit, Ecclesiis Dei, sed simpliciter dixit, *Ecclesiis Galatiæ.* Quamquam et alioqui in ipsa statim præfatione festinat illorum dissidium redigere in concordiam ; ideoque Ecclesiæ vocabulum posuit, pudorem illis incutiens, et cogens in unum. Etenim qui dissecti sunt in varias partes, nequaquam possunt hoc appellari cognomine; siquidem Ecclesiæ nomen consensus concordiæque nomen est. *Gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino Jesu Christo.* Ubique necessario ponit hanc particulam, maxime vero nunc Galatis scribens. Cum enim periclitarentur, ne a gratia excciderent, optat illis

hujus instaurationem : et quoniam seipsos hostes reddiderant Deo, obsecrat Deum ut eos ad eamdem pacem reducat. *Deo Patre.*

Aliud argumentum contra Anomœos. — Et hoc ex loco rursum facile capiuntur hæretici. Nam qui Joannem in initio sui Evangelii, cum ait, *Et Deus erat Verbum* (*Joan.* 1. 1), dicunt ideo Θεὸν, id est Deum, absque articulo posuisse, ut Filii deitatem induceret paterna minorem (*a*); itemque Paulum, cum ait Filium in forma Θεοῦ, id est Dei, fuisse, non de Patre fuisse loquutum, eo quod ibi quoque Dei nomen careat articulo : quid hic dicturi sunt, cum ipse Paulus sic loquatur, non ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, id est a Deo, præfixo articulo ; sed ἀπὸ Θεοῦ Πατρός, id est a Deo Patre, sine articulo ? Patrem vero hic Deum appellat, non quidem illis assentans ac blandiens, sed acriter arguens, causamque commemorans cur facti sint filii. Non enim per legem, sed per lavacrum regenerationis hoc honoris adepti sunt : ideoque passim in ipsis etiam exordiis spargit beneficentiæ divinæ vestigia, tantum non dicens : Cum servi sitis, cum sitis hostes et alienati, qua fronte vocatis Patrem Deum ? num lex vobis largita est istam cognationem ? cur igitur deserto eo, qui vos in hanc propinquitatem induxit, rursum transcurritis ad pædagogum ? Neque vero Patris nomen tantum, verum Filii cognomina sufficiebant ad declarandam illis Dei erga ipsos munificentiam. Etenim Domini Jesu Christi nomen si diligenter expendatur, totam illius beneficentiam declarat. Jesus enim, inquit, ob hoc vocabitur, *Quoniam ipse salvum faciet populum suum a peccatis ipsorum* (*Matth.* 1. 21) : Christi vero cognomen Spiritus unctionem revocat in memoriam (*b*). 4. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.*

4. Vides quod non servile sustinuerit ministerium, nec a quoquam sit traditus, sed ipse seipsum tradiderit. Itaque cum audis Joannem dicentem, quod Pater Filium suum unigenitum dedit pro nobis (*Joan.* 3. 16), ne ob id diminuas Unigeniti dignitatem, neve quid humanum de illo suspiceris. Quamquam enim Pater dicitur tradidisse, non hoc dicitur, ut imagineris quod Filius Patri servili more inserviat, sed ut intelligas hoc Patri quoque fuisse placitum. Quod et hic Paulus declarat, dicens : *Juxta voluntatem Dei et Patris nostri.* Non dixit, secundum præceptum, sed, *Secundum voluntatem.* Etenim cum eadem sit voluntas Patris ac Filii, hæc voluit et Pater. *Pro peccatis nostris.* Innumeris, inquit, malis nosipsos involveramus, eramusque extremo supplicio obnoxii. Ac lex quidem adeo non liberabat, ut condemnarit etiam, sic prodito peccato et in apertum prolato, ut nec liberos reddere, nec iram Dei sedare valeret, sed Dei Filius et hoc quod erat imposibile, reddidit possibile, dum et peccata dissolvit, et inimicos constituit in amicorum ordinem, et alia innumera bona largitus est. Post hæc ait : *Ut eriperet nos ex præsenti sæculo malo.* Rursus hoc dictum alii arripiunt hæretici, damnantes hanc præsentem vitam, et in hoc Pauli testimonium allegantes. Ecce, inquiunt, præsens sæculum appellat malum. Sed age dic mihi, quid est sæculum ? Tempus diebus et horis distinctum. Quid igitur ? an spatium dierum malum est ? an malus est solis cursus ? At nemo istud umquam dicturus est ; etiamsi ad extremam venerit amentiam. Verum, inquies, non tempus dixit malum, sed præsentem vitam appellavit malam. Atqui non istud sonant verba Pauli ; verum non sistis in verbis, ex quibus nectis hujus vitæ accusationem, sed ipse tibi aperis interpretandi viam. Proinde nobis quoque concedas, ut quæ dicta sunt interpretemur, idque eo magis, quod quæ non afferimus et pia sunt et rationi consentanea. Quid igitur dicturi sumus ? Quod nullum malum esse queat umquam causa boni ; hæc vero vita innumerabiles coronas tantaque præmia pariat. Unde et ipse Paulus supra modum laudat eam, loquens hunc in modum : *Quod si vivere in carne hic mihi fructus est operis, et quid eligam ignoro* (*Philipp.* 1. 22). Hic vero cum sibi proponat optionem, utrum hic mallet vivere, an dissolvi et esse cum Christo, potius ducit hic commorari. Quod si mala esset vita, nequaquam hoc ille de seipso dixisset, nec alius quisquam potuisset ea ad virtutem abuti, quantumvis adhibuisset studii. Nullus enim umquam malitia possit in bonum uti, non scortatione ad pudicitiam, non invidia ad benevolentiam. Nam cum Paulus de prudentia carnis loquens scribit, eam non esse subjectam legi Dei ; neque enim posse (*Rom.* 8. 7) ; hoc sentit, malitiam donec manet malitia, non posse esse virtutem. Proinde cum audis malum sæculum, intellige pravas actiones, propositum animi corruptum. Neque enim ob id venit Christus, ut nos occideret exigeretque ex hac vita, sed ut nos in mundo relictos, dignos efficeret, qui in cœlis versemur. Deoque Patri loquens, sic ait : *Et hi in mundo sunt, et ego ad te venio* (*Joan.* 17. 11) ; ac rursum, *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo;* hoc est, a malitia. Quod si non pateris hanc interpretationem (*a*), sed adhuc prædicas hanc vitam esse malam, ne crimineris eos qui sibi ipsis consciscunt necem. Ut enim qui se subducit a malis, non criminationem meretur, sed coronam : ita qui violenta morte, seu laqueo seu aliis modis, vitam abrumpit, hunc haudquaquam æquum fuerit in crimen vocari secundum vestram sententiam. Nunc vero et Deus illos acrius punit quam homicidas, et nos omnes eos detestamur ; atque id jure merito. Nam si alios occidere fas non est, multo magis nefas est seipsum occidere

(*a*) Eusebius Cæsariensis, qui putabat Filium nec consubstantialem Patri, nec deitate ipsi parem, hoc etiam affert argumentum libro contra Marcellum, capite 16 et 17. Allato hoc Joannis Evangelistæ versiculo, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος ; arguit ille τὸν Θεόν, Deum Patrem cum articulo τόν, Filium vero sine articulo esse, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, quia nempe Filius alterius minorisque substantiæ esset, quam Pater. Hoc autem Arianorum Anomœorumque argumentum frequenter opponebatur, quod ex aliis Scripturæ locis confutat Chrysostomus.

(*b*) Χριστὸς enim *unctum*, χρῖσις *unctionem* significat : res est trita.

(*a*) Manichæos notat.

re. Quod si hæc vita res esset mala, coronandi forent homicidæ, qui nos a malitia liberarent. Ad hæc autem, qui hæc dicunt, secum ipsi pugnant. Etenim cum solem prædicent esse Deum, post hunc et lunam deam, hosque adorent veluti multorum bonorum auctores, secum pugnantia loquuntur. Nam horum ut et reliquorum astrorum non alius est usus, nisi quod ad præsentem vitam nobis conferant; hanc, inquam, ut isti loquuntur, malam; dum et alunt corpora, et splendore prælucent, et terræ fructus alunt et augent. Qui fit igitur, ut ad hujus malæ vitæ constitutionem adeo subveniant isti vestro judicio dii? Sed neque astra dii sunt, absit; sed opera sunt Dei, in nostram utilitatem condita: neque mundus malus est. Quod si mihi memores homicidas, adulteros et monumentorum suffossores; hæc nihil ad præsentem vitam attinent: neque enim hæc peccata sunt vitæ quam agimus in carne, sed corruptæ voluntatis. Etenim si ista sic essent vitæ præsentis, ut sorte quadam illi essent affixa; nullus ab his malis liber esset neque purus. Proinde considera neminem effugere posse quæ propria sunt hujus vitæ. Quæ porro sunt hæc? Edere, bibere, dormire, crescere, esurire, sitire, nasci, mori, cunctaque his similia. Hæc nullus umquam vicerit, non peccator, non justus, non rex, non plebeius, sed omnes subjacemus naturæ necessitati. Itidem et scelera perpetrare, si pertineret ad sortem conditionemque naturæ, nullus hæc effugere posset, quemadmodum nec illa. Nec enim mihi dixeris, raros esse qui recte vitam gerunt. Nullum omnino reperies qui naturalibus necessitatibus umquam fuerit superior. Itaque donec vel unus invenietur, qui virtutem præstiterit, constabit undique illæsa nostra ratio. Quid ais, miser et infelix? num hæc vita mala, in qua Deum agnovimus, in qua de futuris philosophamur, in qua ex hominibus facti sumus angeli, cumque cælestibus Virtutibus simul choros ducimus? Et quod tandem aliud quæramus malæ perversæque vestræ mentis argumentum?

5. Cur igitur, inquis, Paulus sæculum præsens dixit malum? Nimirum communi hominum more sic loquutus est, quandoquidem et nos sic loqui solemus, Malum habui diem, non ipsum tempus, sed actionem et ærumnam incusantes. Eadem ratione Paulus damnans pravas hominum voluntates, hac loquendi consuetudine est usus, ostendens quod Christus nos liberaverit a prioribus peccatis, et in posterum adversus hæc tutos reddiderit. Prius enim illud declarat, cum ait, *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris:* cum autem addit, *Ut eriperet nos ex præsenti sæculo malo*, tutamen et custodiam in posterum aperit. Nam lex quidem etiam ad unum horum erat infirma, gratia vero ad utrumque valuit. Ideo subjunxit: *Secundum voluntatem Dei et Patris nostri.* Cum enim illi putarent se Deo non obsequi, utpote qui legem servandam dederat, metuerentque ne perirent, si deserta veteri lege in novam progrederentur; et hanc illorum opinionem corrigit dicens, hæc Patri quoque placita esse. Nec simpliciter dixit, Patris, sed, *Patris nostri*; idque frequenter repetit, pudorem illis incutiens, cum ostendit, quod suum Patrem Christus nostrum Patrem effecerit. 5. *Cui gloria in sæcula. Amen.* Et hoc novum est et inusitatum. Nam hanc vocem, *Amen*, nusquam alibi reperimus in epistolarum initio positam, sed multis præcedentibus solet addi. At hic ostendens ea, quæ dicta sunt, satis evidentem habere Galatarum accusationem, et sermonem esse perfectum et absolutum, hoc usus est exordio: quandoquidem manifesta crimina non egent multo probationis apparatu. Posteaquam enim illis in memoriam redegisset crucem et resurrectionem, redemptionem e peccatis, in posterum datam tutelam, paternam voluntatem, Filii consilium, gratiam, pacem, denique totum illius donum, glorificando Deum sermonem clausit. Verum non hac de causa solum hoc fecit, sed etiam quod supra modum doni magnitudinem admiraretur ac stupere, gratiæque immensitatem, simulque secum reputaret, cum tales essemus, quales nos reddidisset Deus, idque subito in puncto momentoque temporis: tamquam qui hæc oratione consequi non posset, glorificatione finit sermonem, non eam quæ Deo digna sit, sed quam ipse poterat laudem pro toto terrarum orbe depromens. Atque ideo deinceps concitatiore usus est oratione, velut inflammatus vehementer ex consideratis Dei erga nos beneficiis. Cum enim dixisset, *Cui gloria in sæcula, amen;* ab acriori objurgatione orditur, dicens: 6. *Miror quod tam cito transferimini ab eo, qui vocavit vos in gratia Christi, in aliud evangelium.* Quoniam per legis observationem arbitrabantur se placere Patri, quemadmodum existimabant Judæi Christum persequentes; hoc primum demonstrat, illos dum hæc faciunt, non modo Christum, sed et Patrem offendere. Non enim, inquit, a Christo, sed etiam a Patre deficitis ista faciendo. Nam ut Vetus Testamentum non Patris tantum est, verum et Filii: ita gratia non Filii solum est, sed et Patris, et communia omnia: *Omnia*, inquit, *quæ Patris mei sunt, mea sunt* (*Joan.* 16. 15). Ergo cum dicit eos etiam a Patre descivisse, duplicem impingit culpam, quod defecerint, et quod celerrime defecerint. Atqui contrarium etiam erat reprehensione dignum, videlicet si post multum temporis descivissent; verum hic agitur de circumventione. Est quidem et ille dignus reprehensione, qui post longum temporis spatium deficit: qui vero ad primam irruptionem et in ipso sagittarum e longinquo volantium jactu concidit, extremæ imbecillitatis de se specimen præbuit. Hoc nomine et hos incusat, dicens: Quid hoc rei est, quod ii qui vos decipiunt, nec spatio temporis ad id opus habent, sed primus accessus sufficit eis ad subvertendum vos et capiendum? quam tandem impetrare possitis veniam? Etenim si hoc crimen in amicos commissum esset, ac si is, qui priores utiles ac necessarios amicos reliquisset, dignus esset condemnatione: qui Deo vocante resilit, cogita quanto supplicio sit obnoxius. Cæterum cum ait, *Miror*, non solum verecundiam illis ingerit hoc dicto, quod post tantam munificentiam, post tan-

tam peccatorum condonationem, post immensam exhibitam humanitatem, ultro currant ad jugum servitutis : verum simul et illud ostendit qualem habeat de illis opinionem, nimirum ingentem quamdam et egregiam. Neque enim si judicasset eos de numero vulgarium esse, et eorum quibus facile imponitur, nequaquam admiraretur quod acciderat : verum Quoniam vos, inquit, estis de numero sincerorum, et eorum qui multum laboris sustinuerunt, ideo miror. Id igitur satis erat ad eos restituendos et ad priora revocandos, quod ipsum in hujus epistolæ medio declarat, dicens : *Tam multa passi estis frustra, si tamen frustra. Transferimini.* Non dixit, Translati estis, sed, *Transferimini*, hoc est, Nondum credo, nondum arbitror perfectam circumventionem. Quod ipsum rursus est revocare studentis. Hoc igitur cum dixisset, addit : *Ego confido de vobis, quod nihil aliud sapietis* (*Gal.* 5. 10). *Ab eo qui vocavit vos in gratia Christi.* Ipsa quidem vocatio Patris est, vocationis autem causa Filii est : nam ipse est qui nos reconciliavit, qui donum dedit : neque enim ex operibus justitiæ salvi facti sumus. Quin potius et hæc illius sunt, et illa hujus : nam *Mea*, inquit, *tua sunt, et tua mea* (*Joan.* 17. 10). Nec dixit, Ab evangelio transferimini ; sed, *A Deo, qui vos vocavit.* Quod erat dictu horribilius, et accommodatius ad terrorem illis incutiendum, id posuit. Siquidem qui studebant illos seducere, non id repente faciebant, sed paulatim eos ab ipsis rebus transferentes, a nominibus non transferebant. Nam hujusmodi diaboli fraus est, haudquaquam nudos proponere laqueos, quibus venatur homines. Etenim si dixissent, Desciscite a Christo, Galatæ vitassent eos velut impostores et corruptores : nunc vero sinentes eos adhuc in fide manere, et interim fraudi prætexentes evangelii nomen, facillime ædificium perfodiebant, videlicet iis quæ dixi, velut obtentis velamentis per hæc nomina celantibus parietum perfossores.

6. Quoniam igitur illi suam fraudem appellabant evangelium, ipse etiam adversus nomen repugnat, libereque agit, dicens : *In aliud evangelium*, 7. *quod non est aliud.* Pulchre : neque enim est aliud. Attamen quod accidit ægrotantibus, dum salubribus cibis offenduntur, hoc idem usu venit hic Marcionistis : arripuerant enim quæ dicta sunt hic, ac dicebant : Ecce Paulus etiam ipse dixit, non esse aliud evangelium. Neque enim hi recipiunt omnes evangelistas, sed unum dumtaxat : quem ipsum tamen suo arbitratu mutilarunt commiscueruntque. Quid igitur sibi vult cum ait, *Juxta evangelium meum et prædicationem Jesu Christi* (*Rom.* 16. 25) ? Sunt quidem vehementer ridicula, quæ isti afferunt ; verumtamen quamquam sunt deridenda, operæ pretium tamen est ea refellere propter eos qui facile decipiuntur. Quid igitur dicemus ? Quod etiam si decies mille sint evangelistæ qui scribunt evangelia, modo scribant eadem, multa illa unicum esse evangelium, neque quidquam obstare scribentium multitudinem, quominus unum sit evangelium : quemadmodum ex adverso, si unus scribens contraria diceret, non essent unum evangelium quæ scribuntur. Ut enim unum sit evangelium aut non unum, non æstimatur ex numero scribentium, sed hinc, eademne sint an diversa quæ scribuntur. Unde dilucidum est, quatuor Evangelia unum esse evangelium. Cum enim quatuor eadem loquantur, non est aliud atque aliud ob personarum differentiam, sed unum ob eorum qui loquuntur consonantiam. Neque enim Paulus nunc de numero loquitur, sed de dissonantia eorum quæ dicuntur. Proinde si secundum vim scriptorum et dogmatum accurationem aliud est evangelium Matthæi, aliud Lucæ ; recte Pauli sermonem hunc arripiunt : sin unum et idem est, desinant ineptire, simulantes hæc ignorare se, quæ vel admodum pueris nota perpicuaque sunt. *Nisi quod quidam sunt, qui conturbant vos, et volunt subvertere evangelium Christi.* Hoc est, donec fueritis sanæ mentis, non agnoscetis aliud evangelium, donec recto nec distorto fueritis intuitu, ita ut imaginemini ea quæ non sunt. Quemadmodum enim oculus turbatus aliud pro alio cernit : ita mens pravarum cogitationum confusione perturbata, idem pati consuevit. Ideo enim qui laborant insania, alia pro aliis imaginantur. Verum hæc insania periculosior est quam illa, quæ noxam affert non in rebus sensilibus, sed in rebus intelligibilibus ; non in pupilla corporalium oculorum, sed in oculis animi subversionem gignens. *Et volunt subvertere evangelium Christi.* Atqui unum aut alterum dumtaxat præceptum induxerant, circumcisionem et dierum observationem innovantes : verum ut ostenderet quod pusillum quiddam perperam admixtum, totum corrumpit, dixit subverti evangelium. Quemadmodum enim in moneta regia, qui paulum aliquid amputarit de impressa imagine, totum numisma reddidit adulterinum : ita quisquis sanæ fidei vel minimam particulam subverterit, in totum corrumpitur, ab hoc initio semper ad deteriora procedens.

Contra Anomœos et Arianos. — Ubi sunt igitur qui nos ut contensiosos damnant, eo quod cum hæreticis habemus dissidium ? ubi sunt qui dictitant nullum esse discrimen inter nos et illos, sed ex principatus ambitu proficisci discordiam ? Audiant quid dicit Paulus, nimirum illos subvertisse evangelium, qui paululum quiddam rerum novarum invexerant. Isti vero non pusillum quiddam innovant ; nam quomodo pusillum, cum Filium Dei prædicent esse creaturam ? Annon audisti, quod is qui in Veteri quoque Testamento, sabbato ligna collegerat, unicum mandatum nec id maximum transgressus, extremo affectus sit supplicio ? quodque Oza, quoniam arcam alioqui subvertendam fulsit, e vestigio mortuus est (2. *Reg.* 6. 7), eo quod ministerium ipsi non congruens usurparit ? Ergone sabbatum violatum et solus arcæ ruituræ contactus ad tantam indignationem Deum provocavit, ut qui hæc ausi fuerant, ne minimum quidem veniæ sint consequuti : hic vero qui adoranda et ineffabilia dogmata corrumpit, excusationem habiturus est et veniam consequetur ? Non potest hoc fieri, non potest, inquam. Hoc ipsum igitur est omnium

malorum causa, quod ob pusilla non indignemur. Ob id enim majora scelera subierunt, quod minoribus debita correctio non adhibeatur. Et quemadmodum in corporibus, qui vulnera neglexerunt, febres gignunt et putrefactiones ac mortem denique : itidem et in animis qui pusilla spernunt, majora inducunt. Ille, inquiunt, labitur in jejunio, neque quidquam est magni : alter vero valet quidem recta fide, cæterum temporis gratia simulans, profitendi libertatem prodidit; neque id quidem est aliquid magni mali. Alius irritatus, minatus est se defecturum a recta fide; neque id supplicio dignum, inquies, eo quod ira animique commotione peccavit. Quin et innumera reperiet aliquis hujus generis quotidie peccata invehi in Ecclesias. Hanc ob causam ridiculi facti sumus et Judæis et gentibus, dum Ecclesia in mille partes discinditur. Etenim si iis, qui a divinis præscriptis resilire conabantur et paulum quiddam secus quam oporteret tentabant, mox ab initio fuisset adhibita conveniens increpatio : nequaquam nata fuisset hæc pestis, non tanta tempestas Ecclesias occupasset. Vide igitur quomodo Paulus circumcisionem appellat evangelii subversionem.

7. *Contra Christianos judaizantes et superstitiosos.* — Nunc autem multi sunt apud nos, qui eodem die jejunant quo Judæi, qui similiter observant sabbata; et generose ferimus, imo potius miserabiliter (*a*). Et quid loquor de rebus Judæorum? multa gentium more apud nostros aliquot servantur, sortilegia, auguria, omina, ac dierum observationes, superstitiosa super genesim cura, et omnis impietatis plenæ literæ, quas puerorum, protinus ut nati sunt, magno malo capitibus imponunt, ab ipso protinus exordio docentes illos virtutis adipiscendæ studium abjicere, et ad fallacem fati tyrannidem, quod quidem in ipsis est, illos adducentes. Quod si iis qui circumciduntur Christus nihil prodest, istis qui tanta invehunt mala, cur adeo deinceps profutura est fides ad salutem? Quamquam a Deo erat data circumcisio; verum quoniam corruptelam inferebat evangelio, non suo tempore servata, nihil non fecit Paulus, ut eam amputaret. Et post hæc cum Paulus ad excludendas consuetudines Judaicas tantum adhibuerit studium, eo quod intempestive servarentur : nos ne paganam quidem consuetudinem amputabimus? et quam obsecro sumus habituri excusationem? Has ob causas in tumultu ac turbatione sunt res nostræ, et qui discipuli esse debuerant, multa repleti mentis elatione, subverterunt ordinem, et omnia sus deque versa sunt. Quod si quis illos vel leviter accuset, conspuunt in eos, quorum imperio subsunt, quia nempe nos eos perperam a puero instituimus. Atqui etiam si qui præsunt, improbi essent innumerisque scaterent malis, ne sic quidem fas esset discipulo dictis non audientem esse. Etenim si de Judæorum doctoribus dictum est, quoniam super cathedram Mosis sedebant (*Matth.* 23. 2), eos a discipulis esse audiendos, quamquam operibus erant onusti tam malis, ut Dominus discipulis præceperit ne illa imitarentur : qua venia digni erunt, qui Ecclesiæ præsides per gratiam Dei modeste viventes, conspuunt et conculcant? Quod si nefas est ut alius alium judicet, quanto magis fas non est judicare doctores? 8. *Sed etiamsi ego aut angelus de cælo evangelizaverit vobis præter id quod accepistis, anathema sit.* Vide prudentiam apostolicam. Ne quis diceret, illum sua ipsius ostentare dogmata, etiam seipsum devovit. Cæterum quoniam ad auctoritatem confugiebant, et ubique celebrabant Jacobum et Joannem, hac de causa et angelorum meminit : Ne mihi, inquit, Jacobum narres et Joannem : etiamsi quis primorum angelorum e cælis descenderit, corrumpens evangelii prædicationem, anathema sit. Non temere dixit, De cœlo; sed, quoniam sacerdotes quoque dicti sunt angeli (*Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem exquirent ex ore ejus, quoniam angelus Domini omnipotentis est* (*Malach.* 2. 7) : ne quis existimaret de his angelis nunc verba fieri, addita particula, *de cælo*, supernas Virtutes indicavit. Neque dixit, Si contraria annuntiaverint, aut totum evangelium subverterint; verum, Si vel paulum evangelizaverint præter evangelium quod accepistis, etiamsi quidvis labefactarint, anathema sint. 9. *Sicut ante dixi, et rursum nunc dico.* Ne putares ea verba ab ira profecta esse, aut per hyperbolen magnificentius quam pro re dicta, aut impetu cursuque sermonis raptim excidisse, repetit eadem. Etenim qui animi commotione occupatus dixit aliquid, hunc mox dicti pœnitere solet : qui autem denuo repetit eadem, declarat sese cum judicio loquutum, ac prius animi consilio fuisse decretum et comprobatum, atque ita demum voce proditum. Abraham igitur cum rogaretur, ut mitteret Lazarum, respondit, *Habent Moysen et prophetas : si illis non crediderint, neque mortuos resuscitatos audituri sunt* (*Luc.* 16. 29. 31). Hæc autem Christus ipse inducit loquentem Abraham, declarans se velle plus fidei habendum esse Scripturis, quam si mortui reviviscant. Paulus vero (cum Paulum dico, rursum ipsum Christum dico; hic enim erat, qui mentem illius regebat) etiam angelis e cælo descendentibus præponit Scripturas; idemque valde congruenter. Nam angeli quamlibet magni, tamen servi sunt ac ministri; sed Scripturæ omnes non a servis, sed ab universorum Domino Deo scriptæ, ad nos missæ sunt. Hanc ob causam dicit : Si quis vobis evangelizaverit præter id quod evangelizavimus vobis. Non dixit, Si ille aut ille, idque prudenter admodum citra odium et invidiam. Quorsum enim opus erat jam edere nomina, posteaquam tam sublimi fuerat usus sermone, ut universos, et qui in cælis sunt et qui in terris, complecteretur? Per hoc enim quod in evangelistas et angelos pronuntiat anathema, omnem dignitatem comprehendit; per hoc vero quod seipsum quoque pronuntiat anathema, omnem familiaritatem

(*a*) Antiochenorum quosdam objurgat Chrysostomus, quod Judaismi morbo laborent, quodque Judaica observent, in Orationibus contra Judæos, Tom. 1, col. 844, et 849. Quodque etiam Christiani quidam gentilium superstitiones multas observarent, passim apud Chrysostomum reperies.

et affinitatem complexus est. Ne mihi dixeris, inquit, collegæ tui et socii apostoli hæc dicunt : nec mihi ipsi parco, si diversa prædicem. Non hæc dicit, quod damnaret apostolos tamquam evangelicæ prædicationis prævaricatores, absit; ait enim, Sive nos sive illi sic prædicamus; sed ut ostenderet personarum dignitatem non recipi, quoties expenditur veritas. 10. *Nunc enim hominibus suadeo, an Deo? aut quæro hominibus placere? Si enim adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Quamvis enim, inquit, vos fallerem hæc dicens; num et Deo valeam imponere, qui perspicit arcana mentis, et cui ut placerem, semper omne mihi studium fuit? Vides spiritum apostolicum, vides sublimitatem evangelicam. Hæc eadem autem in Epistola ad Corinthios dixit : *Non vobis excusamus nos, sed occasionem damus vobis gloriandi* (2. *Cor.* 5. 12); atque iterum, *Mihi vero pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die* (1. *Cor.* 4. 3). Cum enim doctor cogeretur se discipulis excusare, sustinet quidem illud, sed tamen indigne fert, haud quidem ob arrogantiam; absit hoc; sed partim ob id quod ii qui seducebantur, tam mobili essent animo tamque instabili sententia; partim quod ipsius verbis apud illos parum certa fides haberetur. Et ideo his propemodum usus est verbis : An mihi apud vos est habenda oratio? an homines mihi jus dicturi sunt? apud Deum dicturi sumus; atque ut apud illud tribunal bonam habeamus causam, omnia facimus, ac non eo devenimus infelicitatis, ut cum rationem reddituri simus omnium Domino super iis quæ prædicamus, corrumpamus evangelii dogmata.

8. Itaque partim sese excusans, partim illos exstimulans, hæc verba posuit. Non enim convenichat discipulis jus dicere præceptoribus, sed credere et obtemperare. Verum quoniam, inquit, inversus est ordo et judices nunc sedetis; scitote mihi non esse magnopere curæ, quomodo me purgem apud vos, sed omnia facimus propter Deum, utque illi de hisce dogmatibus reddamus rationem. Etenim qui studet hominibus suadere, multa facit subdola pravaque, et fraudibus utitur et mendacio, quo persuadeat mentemque capiat auditorum : contra, qui Deo suadet, illique placere studet, huic simplici puraque mente est opus; Deus enim falli non potest. Unde perspicuum est, inquit, nos quoque nec principatum ambientes, nec discipulos colligendi studio, neque gloriam ac laudem a vobis captantes hæc scribere : neque enim nobis studio est placere hominibus, sed Deo. Nam si voluissem hominibus placere, adhuc cum Judæis essem, adhuc persequerer Ecclesiam Dei. Cæterum qui totam Judæorum gentem, qui familiares, amicos et cognatos, qui tantam contempsi gloriam, proque his commutavi persequutiones, inimicitias, bella ac mortes quotidianas, satis declaravi me hæc quoque, quæ nunc loquor, non humanæ laudis studio loqui. Hoc autem ideo præfatus est, quoniam commemoraturus est prioris vitæ suæ historiam, et quomodo repente fuerit immutatus, et argumentis evidentibus demonstraturus se pro veritate stare, ne putarent illum hæc eo facere, quo ipsis redderet rationem, atque hinc efferrentur. Ideo prius dixit : *Nunc an hominibus suadeo?* Noverat enim, prout postulabat opportunitas, etiam sublime quippiam ac magnificum loqui, ad eorum quos instituebat correctionem. Atqui poterat aliunde probare, se cum veritate ac sinceritate prædicare evangelium, nimirum e prodigiis, e miraculis, e periculis, e carceribus, et quotidianis mortibus, et fame, siti et nuditate, ex aliis horum similibus : verum quoniam illi nunc dirigitur oratio non ad pseudapostolos, sed ad apostolos qui horum periculorum erant consortes, alia via aggreditur causæ tractationem. Alioqui cum pseudapostolos sermonem intenderet, hunc in modum induxit comparationem, tolerantiam in periculis adducens in medium, dicensque : *Ministri Christi sunt? (desipiens loquor :) plus ego; in laboribus abundantius, in plagis supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter* (2. *Cor.* 11. 23). Nunc vero superioris vitæ conversationem memorat, dicens : 11. *Notum vobis facio, fratres, evangelium quod prædicatum est a me, non esse secundum hominem :* 12. *neque ego enim ab homine accepi illud neque edoctus sum, sed per revelationem Jesu Christi.* Vide ut undequaque confirmat se fuisse Christi discipulum, nullo hominis interventu, sed ipso Christo per seipsum omnem ipsi cognitionem dignante patefacere. Et quomodo, inquiunt, probari possit incredulis, quod Deus per se nullo hominis interventu tibi patefecerit illa arcana mysteria? Probat hoc, inquit, illa prior mea conversatio : nisi enim Deus fuisset, qui revelabat, non adeo repente fuissem immutatus. Nam qui docentur ab hominibus, etiamsi sint acri ardentique ingenio, tamen si ad contraria transferantur, tempore illis est opus multoque studio ut persuadeantur : qui autem cum vehementissime laboraret insania, ita repente rediit ad sanam mentem, declarat sibi divinam visionem ac doctrinam adfuisse, perque hanc subito ad puram rediisse sanitatem. Ideo cogitur priorem suam vitam commemorare, atque ipsos testes citat eorum quæ gesta sunt. Vos quidem, inquit, nescitis, quod unigenitus Dei Filius me e cælis per se vocare dignatus est : nam qui possitis id scire, cum non adfueritis? verum illud omnino nostis, quod fuerim persequutor. Nam usque ad vos quoque vehementia mea penetravit, cum ingens sit intervallum inter Palæstinam et Galatiam; ita ut non fuerit rumor in tam longinquum dimanaturus, nisi quæ fiebant a nobis, modum excessissent fuissentque intolerabilia. Unde et dicit : 13. *Audistis meam conversationem in Judaismo, quod supra modum persequebar Ecclesiam Dei et expugnabam illam.* Vides ut singula cum exaggeratione commemorat, nec pudet sua mala confiteri. Non enim tantum est persequutus, sed omni cum vehementia; nec persequutus est modo, verumetiam expugnavit, hoc est, conatus est Ecclesiam exstinguere, subvertere, demoliri, abolere : nam id est expugnatoris opus. 14. *Et proficiebam in Judaismo ultra multos*

æquales meos in genere meo, cum essem abundantius æmulator paternarum mearum traditionum.

9. Ne putares iræ fuisse quod gerebat, ostendit se quidquid fecit zelo quodam fecisse, tametsi non secundum scientiam; non autem inanis gloriæ siti, aut vindicandi quos oderat cupidine, sed quod studio teneretur traditionum quas a majoribus acceperat. Hujus autem sermonis hic est sensus : Si quæ feci adversus Ecclesiam, non humano feci affectu, sed zelo divino, errante quidem, sed zelo tamen : quomodo nunc, dum pro Ecclesia curro, agnita veritate, inanis gloriæ causa hæc facerem? Etenim si in errore talis affectus mihi non est dominatus, sed Dei zelus eo me compulit; multo magis, posteaquam agnovi veritatem, oportet me ab omni istiusmodi suspicione liberum esse. Nam simul atque conversus sum ad ecclesiastica dogmata, protinus quidquid Judaicarum opinionum occuparat animum meum, totum exui, multoque majorem zelum hic præstiti : quæ res arguit me vere fuisse transmutatum, divinoque zelo teneri. Quod nisi ita esset, quid, quæso, aliud mihi suadere poterat ut tantam sustinerem immutationem, ac pro honore contumeliam, pro requie pericula, pro securitate afflictiones susciperem? Nulla causa erat alia, nisi tantum veritatis amor. 15. *Cum autem placuisset Deo, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam.* 16. *ut revelaret Filium suum in me, et prædicem illum in gentibus; protinus non communicavi cum carne et sanguine.* Vide quid hic studeat ostendere, quod per id etiam temporis quo relictus est in errore, propter occultam aliquam divinæ providentiæ rationem relictus sit. Etenim si ab utero matris segregatus erat ut fieret apostolus, et ad hoc ministerium vocaretur; vocatus est autem tunc, et simul vocatus, obsequutus est : perspicuum est Deum ob causam aliquam arcanam eo usque distulisse. Quæ igitur est hæc dispensatio? Fortassis inhiantes avetis hoc ab initio audire, cur tandem non eum cum duodecim apostolis vocaverit : verum ne ego digressus ab eo quod magis urget, prolixiorem faciam sermonem, oro caritatem vestram, ne omnia ex me velitis discere, sed ex vobis etiam ipsis inquiratis, Deum obsecrantes ut vobis patefaciat. Quamquam et nos super hac re alias sumus loquuti, cum de mutato Pauli nomine apud vos dissereremus, causamque redderemus ob quam Deus prius dictum Saulum Paulum appellarit. Quæ si vobis e memoria exciderunt, ex eo libro hæc omnia cognoscetis (*a*). Nunc a serie sermonis non recedamus, consideremusque quomodo rursus ostendit nihil humano more in ipso factum esse, sed Deum omnia suo arbitratu multa providenti dispensasse : ostendit autem his verbis : *Et vocavit per gratiam suam.* Hinc declarat quod Deus ipsum ob virtutem vocaverit : ait enim ad Ananiam, *Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus ac regibus* (*Act.* 9. 15). Hoc est, Idoneus est ministerio præclaroque facinori sustinendo. Atque hanc vocationis causam hic ponit : idem tamen ubique totum gratiæ et ineffabili numinis humanitati tribuit, ita loquens : *Sed misericordiam consequutus sum, non quod sufficiens essem, neque quod idoneus, sed ut in me declaret omnem lenitatem, in exemplum eorum qui crediturі erant illi in vitam æternam* (1. *Tim.* 1. 16). Viden' humilitatem eximiam? Ideo, inquit, ego misericordiam consequutus sum, ne quis de seipso desperet, posteaquam omnium mortalium pessimus Dei benignitatem assequutus sum. Id enim declarat dicens : *Ut in me demonstraret omnem lenitatem, in exemplum eorum qui crediturі essent in illo. Ut revelaret Filium suum in me.* Alibi vero dicit ipse Christus : *Nemo novit Filium nisi Pater, nec ullus novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Luc.* 10. 22). Vides quod et Pater Filium, et Filius Patrem revelat? Idem fit in gloria; Filius glorificat Patrem, et Pater Filium : *Glorifica me, ut et ego glorificem te* (*Joan.* 17. 1. 4); et rursum, *Quemadmodum ego te glorificavi.* Sed quam ob causam non dixit, Ut revelaret Filium suum mihi, sed *In me?* Ideo ita loquutus est, ut ostenderet quod non modo verbis edoctus esset de fide, verum etiam copioso Spiritus dono repletus : revelatione siquidem illustrante illius animum, simul et Christum habebat in ipso loquentem. *Ut evangelizem illum in gentibus.* A Deo namque factum est, non solum ut crederet, verum etiam ut ad apostolicum munus deligeretur. Sic enim, inquit, mihi seipsum revelavit, non tantum ut ipsum cognoscerem, verumetiam ut ejus notitiam ad alios proferrem. Nec tamen simpliciter dixit, Apud alios, sed *Ut evangelizarem eum in gentibus;* jam hinc incipiens attingere non minimum suæ defensionis caput, ex ipsa discipulorum persona. Nec enim erat illi par necessitas prædicandi Judæis et gentibus. *Protinus non me contuli cum carne et sanguine.* Apostolos hic subindicat, naturæ cognomento eos designans. Quod si hoc dicit de cunctis hominibus, nos non contradicemus. 17. *Neque ascendi Jerosolymam ad antecessores meos apostolos.* Hæc verba si quis per se expendat, videntur spirare non vulgarem magniloquentiam, plurimumque abesse ab apostolico spiritu. Etenim quod ipse sibi suffragium ferat, neque cum quoquam sententiam communicet, videtur esse fastus. *Videbam,* inquit, *hominem, qui sibi videbatur esse sapiens, sed majorem illo spem habet insipiens* (*Prov.* 26. 12); et, *Væ iis qui prudentes sunt apud semetipsos, et in oculis suis intelligentes* (*Isai.* 5. 21); ac ipse Paulus rursum, *Ne sitis prudentes apud vosmetipsos* (*Rom.* 12. 16).

10. Itaque qui tam multa hujusmodi præcepta

(*a*) Hic quærit Chrysostomus et auditori vult explanare, primo cur Christus Pauli vocationem tamdiu distulerit, neque illum cum cæteris Apostolis vocaverit, et cur illum, qui Saulus antea vocabatur, Paulum appellari voluerit. Quia vero jam antea rem pluribus explanaverat, auditores mittit ad librum quemdam suum, ubi hæc fuse explicabantur. Liber autem ille complectebatur Homilias in principium Actorum, et Homilias de Mutatione nominum, quæ prioribus hærebant. In prima autem de Mutatione nominum pluribus accurate probat e re fuisse, ut Paulus prius Christum et suos persequeretur, quam vocaretur ab illo : in secunda edisserit cur is qui antea Saulus appellabatur, postea Paulus vocatus fuerit. Verum hæc pluribus expenduntur in Monito præcedenti.

ab aliis audierat, quique eadem aliis præceperat, non ipse in hæc incidisset, non dicam Paulus, sed vel homo quivis. Verum, ut dixi, hic sermo si per se nudus expendatur, offendere movereque potest auditorem : verum si causam adjecerimus ob quam hæc dicebat apostolus, et applaudent et admirabuntur omnes ita loquutum. Hoc igitur faciamus. Non enim oportet verba nuda expendere, alioqui multa consequentur mala ; neque convenit sermonem per se nudum examinare, sed observare mentem scribentis. In nostris enim sermonibus nisi hac ratione fuerimus usi, expendentes quid senserit is qui loquitur, multas inducemus simultates, omniaque subvertentur. Et quid attinet loqui de verbis, quando et in factis, nisi regulam hanc servaverimus, omnia sursum deorsum miscebuntur? Nam et medici secant nonnumquam et ossa frangunt : quæ frequenter eadem faciunt et latrones. Annon igitur fuerit extremæ infelicitatis, si nequeamus latronem a medico discernere? Rursum homicidæ pariter ut martyres torquentur; at non quia patiuntur eadem tormenta, utrique eodem habentur loco, sed plurimum interest inter hos et illos. Quod ni regulam hanc servaverimus, nulla de re recte judicare poterimus ; sed ipsum etiam Heliam homicidam censebimus, cumque hoc Samuelem et Phinees : quin et Abraham filii interfectorem dicemus, si res nudas expendimus, non addentes quo animo id fecit. Exquiramus igitur et Pauli mentem qua hæc scripsit, consideremus quo spectarit, quem scopum sibi proposuerit, et quis semper fuerit erga apostolos : tum intelligemus, quo animo hæc scribat. Neque enim ut vel illos despiceret, vel seipsum prædicaret, loquutus est vel hæc, vel illa superiora : quomodo enim id fecisset, qui in seipsum pronuntiarit anathema (*Rom.* 9. 3)? sed ut ubique servaret evangelii sinceritatem. Cum enim ii qui oppugnabant Ecclesiam, dicerent iis apostolis adhærendum esse, qui ista minime prohiberent, non Paulo qui prohiberet; atque hinc sensim irrepsisset Judaicus error ac deceptio, cogitur hic fortiter et aperte resistere, non quidem volens apostolis maledicere, sed hoc agens ac moliens, ut eorum insolentiam, qui seipsos non recte laudabant, comprimeret : ideo dicit, *Non contuli cum carne et sanguine.* Fuisset enim extremæ absurditatis, eum qui a Deo fuerat edoctus, postea cum hominibus communicare. Nam qui discit ab hominibus, is jure denuo recipit homines in consortium ; verum quem Deus sua beata voce dignatus est, quique ab eo doctus est, qui habet sapientiæ thesaurum, cur postea cum hominibus conferret? Par enim fuerit, ut talis doceat potius homines, quam ut discat ab hominibus. Non igitur arrogantiæ causa hæc dicebat apostolus, sed ut suæ prædicationis auctoritatem declararet. *Neque ascendi*, inquit, *ad eos qui ante me fuerunt apostoli.* Quoniam illi nusquam non dicebant cæteros apostolos esse Paulo priores, et ante hunc fuisse vocatos, ideo dicit, Non ascendi ad eos. Quod si fuisset cum illis communicandum de evangelio, is qui per revelationem injunxerat ei prædicandi munus, utique et hoc præcepisset. Quid igitur? non ascendit illuc? Sane ascendit, sed ut disceret aliquid ab illis. Quando? Cum in civitate Antiochia, quæ ab initio singulare studium erga Ecclesiam exhibuerat, quæstio nata est de hac ipsa re quæ nunc tractatur.

Quæstio an circumcidendi Christiani essent. — Quærebat autem, an essent circumcidendi qui ex gentibus credidissent, an non compellendi potius, ut tale quidpiam paterentur. Id temporis ascendit Paulus et cum eo Silas. Quomodo igitur dicit, Non ascendi, neque contuli? Primum quidem quoniam ipse sponte non ascenderat, sed missus erat ab aliis : deinde quoniam non accessit eo ut aliquid disceret, sed potius ut aliis persuaderet. Nam ipse statim ab initio fuerat ejus sententiæ, quam apostoli postea comprobarunt, videlicet, non oportere circumcidi : Cætorum quoniam ad eum usque diem non visus est illis sat idoneus cui fides haberetur, sed magis auscultabant iis qui versabantur Jerosolymis ; ascendit non ipse percepturus quod ante nescierat, sed ut contradicentibus persuaderet, quia qui Jerosolymis erant his adhærerent. Itaque ab initio quid esset agendum perspexerat, nec opus habebat ullo doctore ; sed quæ post multam discussionem erant apostoli decreturi, hæc ipsa citra discussionem cælitus habebat apud sese certa et indubitata. Idque Lucas declarans dicit, Paulum prolixam et copiosam orationem habuisse super hisce rebus apud illos etiam priusquam iret Jerosolymam (*Act.* 15. 2). Verum quoniam ita visum erat fratribus, ut ab illis quoque disceret, ascendit, non sua ipsius causa, sed illorum. Etsi vero dicit, *Non ascendi*, illud sic explicare possumus, quod nec initio prædicationis ascenderit, nec cum ascendit, ascenderit discendi gratia : quandoquidem horum utrumque significat, dicens, *Protinus non contuli cum carne et sanguine.* Non simpliciter dixit, Non contuli, sed, *Protinus non contuli.* Quod si postea ascendit, non tamen ut quidpiam acciperet. *Sed abii*, inquit, *in Arabiam.* Contemplare ferventem animum : studebat occupare regiones antehac a nemine cultas, sed quæ etiamnum feroces erant. Etenim si mansisset apud apostolos, cum nihil esset quod ab illis posset discere, prædicationis officium fuisset impeditum : oportebat enim illos ubique disseminare verbum. Ideo hic beatus spiritu fervens, protinus aggressus est docere homines barbaros et agrestes, vitæ genus suscipiens multis laboribus ac periculis obnoxium.

11. Jam mihi considera illius humilitatem. Cum dixisset, *Abii in Arabiam*, subjunxit, *Et iterum reversus sum Damascum.* Non commemorat sua præclara facta, neque quos edocuerit, neque quam multos : quamquam simul ut baptizatus est, tantum exhibuit zelum, ut non solum confunderet Judæos, sed ad tantam iracundiam provocaret tum illos tum gentes, ut ipsi struxerint insidias, conatique sint e medio tollere : quod non accidisset, nisi credentibus magnam adjunxisset accessionem. Cum enim doctrina superarentur, restabat ut ad cædem sese verterent :

quod quidem evidens erat argumentum Paulinæ victoriæ. At non passus est Christus illum interimi, servans eum prædicando evangelio. Attamen nihil loquitur de recte factis hisce : sic omnia quæ dicit, non ambitionis gratia dicit, neque quo cæteris apostolis præstantior habeatur, neque ægre ferens quod despiceretur, sed quod melueret, ne quid hinc detrimenti, accideret prædicationi. Nam et abortivum seipsum appellat, et omnium peccatorum primum, ac postremum apostolorum, et hujus honore nominis indignum (1. *Cor.* 15. 8. 9. 1. *Tim.* 1. 15) : atque hæc dicebat, cum plus omnibus laborasset : quod quidem præcipuum est humilitatis signum. Etenim cum qui sibi nullius bonæ rei conscius est, submisse de seipso loquitur; probus est, non humilis : at qui post tot coronas talia loquitur, ille novit quid sit modestia. *Et iterum reversus sum*, inquit, *Damascum* (1. *Cor.* 12. 32). Atque quanta verisimile est eum illic egisse? De hac civitate refert quod eam præfectus, cui rex Areta gentis ejus curam delegaret, custodiret, cupiens beatum illum comprehendere. Quod quidem maximum argumentum erat, illum acriter magnaque vi vexare Judæos. Verum horum nihil hic commemorat; ac ne illic quidem ea commemoraturus erat, sed reticuisset, nisi tum perspexisset tempus illud cam historiam postulare. Si igitur et hic dicens se isse ac rediisse, præterea nihil addit eorum quæ illic gesta fuerant. 18. *Deinde post tres annos ascendi Jerosolymam, ut viderem Petrum.* Quid hoc animo possit esse modestius? Post tanta tamque præclara gesta, cum nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce, sed honore par esset illi (nihil enim hic dicam amplius); tamen ascendit velut ad majorem ac seniorem, solusque Petri conspectus commovit illum, ut eo proficisceretur. Vides quomodo illis tribuit congruentem honorem, neque solum non ducit seipsum illis meliorem, verum ne parem quidem esse putat? id quod ex ipsa profectione liquet. Sicut enim nunc multi fratrum nostrorum ad viros sanctos proficiscuntur, eodem affectu tunc Paulus ad Petrum profectus est; quin potius erat hoc multo humilius, quod fecit Paulus. Nam isti nunc utilitatis suæ gratia peregrinationem suscipiunt; at tum beatus ille non ut disceret aliquid ab illo, neque ut correctionem aliquam acciperet, profectus est, sed tantum ut videret eum, suaque præsentia honoraret. *Ut viderem*, inquit, *Petrum ascendi.* Non dixit ἰδεῖν, id est, ut cernerem Petrum, sed ἱστορῆσαι, id est, ut viderem et cognoscerem : quomodo loqui solent, qui magnas ac splendidas urbes invisunt cognoscendi gratia : adeo judicabat operæ pretium esse tantummodo videre virum. Idem autem ex ipsis factis perspicuum est : proficiscens enim Jerosolymam, cum multas jam nationes convertisset, tantasque res gessisset quantas cæterorum nemo gesserat, Pamphyliam, Lycaoniam, Ciliciam gentem, omnes qui illam orbis partem habitant, ad rectam vitam instituisset et ad Christum adduxisset, primum quidem ingreditur ad Jacobum, plurima cum modestia velut ad majorem et honoratiorem. Deinde consulentem sustinet, et consulentem contraria iis, quæ nunc tractat. *Videsne*, inquit, *frater, quot millia sunt Judæorum qui crediderunt? Itaque rade caput, et purifica teipsum* (*Act.* 21. 20. 24). Rasit caput, omnesque ritus Judaicos peregit. Ubi enim non lædebatur evangelium, omnium humillimus erat : ubi vero videbat nonnullos ex hac humilitate lædi, non amplius utebatur hac immodica modestia. Jam enim hoc fuisset non præstare modestiam, sed lædere atque corrumpere discipulos. *Et mansi apud illum diebus quindecim.* Itaque quod propter illum profectus sit, multum honorem declarat; quod autem ibi tot dies commoratus sit, amicitiam ac vehementissimam arguit caritatem. 19. *Alium verum apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* Vide ut majorem benevolentiam habuit erga Petrum : hujus enim causa peregrinationem susceperat, et apud eumdem commoratus est. Hæc et dico frequenter, et vos memoria tenere volo, ut si qua audieritis quæ adversus Petrum dixisse videatur, ne quis suspectum habeat Paulum apostolum. Siquidem hanc ob causam et ipse hæc loquitur, præveniens ut talem corrigat suspicionem, ut cum dicit, *Restiti Petro* (*Gal.* 1. 11); ne quis hæc verba putet esse simultatis aut contentionis : nam et honorat virum et diligit plus omnibus. Nec enim ob ullum aliorum apostolorum narrat se ascendisse Jerosolymam, sed propter hunc solum : *Cæterorum autem*, inquit, *apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum. Vidi*, inquit, non doctus sum ab eo quidquam. Sed vide quanto cum honore et hunc nominavit. Non enim simpliciter dixit Jacobum, sed magnificum illud elogium addidit, *Fratrem Domini;* usque adeo liber erat ab omni livore. Etenim si tantum indicare voluisset eum de quo loqueretur, poterat alia nota declarare, et dicere, Jacobum Cleopæ, quod cognomen posuit evangelista (*Joann.* 19. 25). Verum non ita loquutus est, sed quoniam existimat honoris titulos apostolorum sibi esse proprios, veluti seipsum honestans, ita et illum veneratur. Non enim sic appellavit eum, ut dicebam, sed quomodo? *Fratrem Domini.* Atqui nec frater erat Domini secundum carnem, sed esse putabatur : attamen ne id quidem avertit Paulum, quominus adderet viro dignitatis titulum. Quin et aliunde multifariam ostendit Paulus se tam sincere erga apostolos affectum fuisse, quam illo dignum erat. 20. *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quod non mentior.* Vides in omnibus similiter elucentem hujus sancti animi humilitatem? Ac si enim in judicio concertaret, ac pœnas daturus esset, ita studuit excusare sese. 21. *Deinde veni in regiones Syriæ et Ciliciæ*; postquam Petrum viderat. Rursus incipit narrare de certamine, quod propositum est, Judæam quidem non attingens, tum quod ad gentes missus esset, tum quod noluerit super alienum fundamentum ædificare. Cujus rei gratia ne simplici quidem congressu viderat illos : idque perspicuum est ex iis quæ sequuntur : 22. *Eram enim*, inquit, *de facie ignotus Ecclesiis Judææ :* 23. *tantum audierant quod is qui aliquando persequebatur nos, nunc annun-*

tiat fidem, quam pridem expugnabat. Quid hoc animo possit esse modestius? Nam cum exponeret ea, quæ pertinebant ad ipsius accusationem, ut quod persequutus esset ecclesiam Dei, quodque devastaret eam, hæc multa cum exaggeratione protulit, traducens suam ipsius vitam prius actam; illa vero, quæ ipsum splendidum demonstratura erant, prætercurrit; cum potuisset omnia sua præclara gesta commemorare, nihil horum refert, sed unico verbo pelagus immensum prætervectus dicit: *Veni in regiones Syriæ et Ciliciæ;* et, *Audierant quod is qui persequebatur nos aliquando, nunc prædicat fidem quam pridem expugnabat;* nec præterea quidquam addidit. Quid autem sibi vult, cum ait: *Ignotus eram Ecclesiis Judææ?* Ut scires, adeo Paulum non prædicasse Judæis circumcisionem, ut ipse ne de facie quidem fuerit illis notus. 24. *Et glorificabant in me Deum.* Hic perpende regulam Paulinæ modestiæ, quantoque studio eam observet. Non enim dixit, Admirabantur me, laudabant me, stupebant; sed declaravit totum hoc esse gratiæ, dicens: *Deum glorificabant in me.*

CAPUT II.

1. *Deinde post annos quatuordecim ascendi Jerosolymam una cum Barnaba assumpto simul et Tito.*
2. *Ascendi autem secundum revelationem.*

1. Prioris itineris causam Petrum ait fuisse, utque illum videret: ut autem iterum ascenderet, in causa fuisse revelationem Spiritus. *Et contuli cum eis evangelium, quod prædico in gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur esse alicujus existimationis, ne forte in vanum currerem aut cucurrissem.* Quid ais, Paule? qui initio nolebas conferre, neque per annos tres, peractis quatuordecim annis tum confers, ne forte in vanum curreres? At quanto melius fuerat illud protinus in initio fecisse, quam post tot annos? Cur autem currebas, si non persuasum habebas, te non in vanum currere? et quis tam excors est, ut tot annos prædicet, ignarus an recte prædicet? Jam illud hoc etiam multo perplexius est, quod ait se secundum revelationem ascendisse. Hoc est difficilius, ut dicebam, priore; sed tamen idoneum ut nobis et illius porrigat solutionem. Nam si sua sponte ascendisset, ne id quidem ullo pacto consentaneum esset rationi: non enim erat illius beatæ animæ in tantam delabi amentiam; siquidem ipse est qui dicit, *Sic curro, ut non in incertum: sic pugno, non ut aerem verberans* (2. *Cor.* 9. 26). Quod si curris non in incertum, quomodo dicis, *Ne forte in vanum currerem, aut cucurrissem?* Unde perspicuum est, quod si ascendisset absque revelatione, accidisset illi quod insipientibus solet accidere; attamen casus non fuisset perinde absurdus: cum autem illum Spiritus gratia ducit, quis deinceps ausit aliquid tale suspicari? Nam hanc ob causam et ipse addidit illud, *Secundum revelationem,* ne quis ante quæstionis solutionem condemnaret illum inscitiæ, nimirum sciens non esse humanum quod geritur, sed divinæ dispensationis multa providentis et de præsentibus et de futuris. Quæ tandem igitur hujus peregrinationis causa? Quemadmodum cum prius ascenderet Antiochia Jerosolymam, non sua sponte ascendit (nam ipse planissime noverat, simpliciter ac mere Christi decretis hærendum esse); sed cupiens eos qui dissidebant, redigere in concordiam: similiter et nunc non ipsi fuit opus discere, an in vanum cucurrisset, sed ut iis, qui ipsum accusabant, id omnino persuaderetur. Cum enim magnificentiorem de Petro et Joanne opinionem haberent, putarentque apostolos inter se dissidere, eo quod hic prædicaret evangelium absque circumcisione, illi contra permitterent eam; atque hinc existimabant Paulum adversum legem agere, et in vanum currere: *Ascendi,* inquit, *et contuli cum illis evangelium;* non ut ipse quidquam discerem; quod ipsum post apertius dicit; sed ut docerem eos, qui hæc suspicantur, me non in cassum currere. Spiritus enim qui præviderat hanc contentionem orituram, procurarat ut Paulus illuc ascenderet et conferret. Ideo dixit, *secundum revelationem ascendi,* eademque de causa Barnabam ac Titum sibi adjunxit, testes futuros prædicationis. *Et contuli,* inquit, *cum illis evangelium, quod prædico in gentibus;* hoc est, sine circumcisione: *seorsum autem iis qui videbantur alicujus existimationis?* Quid significare voluit dicendo, *Seorsum?* nam qui communia dogmata studet corrigere, non seorsum, sed in publicum ea proponit. Paulus autem non ita: non enim cupiebat aliquid discere, corrigereve suorum dogmatum, sed occasionem adimere cupientibus alios decipere. Cum enim Jerosolymis offenderentur omnes, si quis transgrederetur legem, si quis prohiberet circumcisionem; unde et Jacobus dicebat: *Vides, frater, quot millia sunt qui crediderunt? et hi omnes audierunt de te, quod defectionem doces a lege* (*Act.* 21. 20. 21): cum igitur offenderentur, palam quidem accedere suamque prædicationem aperire non sustinebat, sed seorsum contulit cum iis qui erant alicujus opinionis, præsentibus Barnaba ac Tito, ut hi apud eos, qui ipsum criminabantur, forent idonei testes, ne apostolis quidem visum, Pauli prædicationem in gentibus contrariam esse suæ, imo se illam confirmare. Cum autem ait, *Qui videbantur alicujus existimationis,* non ideo dicit, ut detrahat eis suam magnitudinem: quandoquidem de seipso quoque dicit, *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam* (1 *Cor.* 7. 40). Quod utique est modeste loquentis, non negantis se habere. Hoc pacto et hic dixit, *Qui videbantur,* suum judicium cum publico omnium judicio conjungens. 3. *Sed ne Titus quidem, qui mecum erat, cum Græcus esset, coactus est circumcidi.* Quid est, *Cum Græcus esset?* E Græcorum, inquit, hoc est, e gentium erat genere, præputium gerens. Non enim ego solum ita prædicavi, verum etiam Titus ita fecit, quem, cum esset præputiatus,

non compulerunt circumcidi. Quod quidem certissimum erat argumentum, illos non damnare quæ a Paulo dicebantur ac gerebantur. Et quod hoc multo majus est, cum urgerent adversarii, eaque scirent, ne sic quidem apostoli per eos huc adacti sunt, ut juberent eum circumcidi : id quod ipse declarat dicens : 4. *Sed propter subintroductos falsos fratres.* Qui sunt isti falsi fratres? siquidem hinc non mediocris oritur quæstio. Nam si apostoli istic permittebant circumcisionem, quare nunc falsos fratres appellas eos, qui et ipsi secundum apostolorum sententiam jubebant hoc fieri? Primum, quia non est idem jubere ut fiat, et quod fit permittere. Etenim qui præcipit, is studiose ceu rem necessariam ac præcipuam agit : qui autem, cum ipse non præcipiat, tamen non prohibet volentem, is non concedit ut rem factu necessariam, sed dispensationem quamdam implet : quale quiddam Corinthiis Paulus scripsit, de congressu virorum cum uxoribus præcipiens.

2. Deinde ne putares eum hoc illis pro lege scribere, subjunxit : *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium* (1. *Cor.* 7. 6) : eo quod hoc non esset judicium ex auctoritate latum, sed indulgentia erga illorum incontinentiam : ideo dicit : *Propter incontinentiam vestram* (*Ibid.v.*5). Nam si Pauli sententiam cupis cognoscere, audi quid dicat : *Volo omnes homines esse, ut ipse sum* (*Ibid. v.* 7), in continentia. Itidem et hic accidit, apostoli non ut legis defensores hoc concedebant, sed obsecundantes infirmitati Judaicæ : alioqui si legem tueri voluissent, non alio modo prædicassent Judæis, alio gentibus. Etenim si res ejusmodi fuisset, ut ab infidelibus necessario fuerit observanda : perspicuum est etiam ab omnibus fidelibus observandam fuisse. Contra si decretum est, ne quis gentibus harum rerum gratia molestus esset, satis declararunt se hoc Judæis morem gerendo permisisse.

Apostoli falsi in quo differant a veris.—At falsi fratres non eodem modo, sed hoc agebant ut eos excluderent a gratia ac denuo in servitutis jugum pertraherent. Hoc igitur est primum discrimen inter apostolos et falsos fratres, longo intervallo illos dirimens. Alterum erat, quod apostoli id faciebant in Judæa, ubi lex vigebat; et falsi fratres hoc ubique faciebant: nam et Galatas omnes attigerant. Unde dilucidum est, hoc non factum ædificationis gratia, sed ad subvertendum totum negotium. Aliter ab apostolis concedebatur legis observatio; aliter a falsis fratribus studiose curabatur. *Qui subintroierunt, ut explorarent libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu.* Vides ut exploratorum appellatione expressit bellum eorum? Exploratores enim ob nihil aliud ingrediuntur, nisi ut cognitis rebus adversariorum, ipsi sibi facillimum aditum parent ad expugnandum capiendumque; ut et illi tum faciebant, studentes eos in reterem retrahere servitutem. Unde vel hinc liquet, non idem fuisse propositum apostolis et istis, imo magnopere diversum. Illi siquidem concedebant, ut eos paulatim eximerent e servitute; isti contra hoc moliebantur, ut eos in graviorem pertraherent servitutem. Ideoque observabant, attente circumspicientes et curiose disquirentes quinam haberent præputium, quod et Paulus declarans ait : *Subintroierunt, ut explorarent libertatem nostram.* Non tantum exploratorum vocabulo, verum etiam ex eo quod clam ingressi essent seque furtim intromisissent, eorum insidias demonstravit. 5. *Quibus nec ad horam cessimus subjectione.* Vide sermonis nobilitatem et vim. Non dixit, Cessimus verbo, sed *Subjectione.* Non enim id faciebant, ut aliquid frugiferum docerent, sed ut eos subigerent et in servitutem pertraherent. Idcirco apostolis quidem cessimus, istis vero non item. *Ut evangelii veritas maneret apud vos.* Ut, inquit, quod prius verbis prædicaveramus, factis confirmaremus, nimirum quod *Vetera transierunt, et nova facta sunt omnia* (2. *Cor.* 5. 17) : et quod *Si quis est in Christo, nova est creatura* : et quod *Iis qui circumciduntur, Christus nihil proderit* (*Gal.* 6. 15. *et* 3. 2). Hanc veritatem confirmantes, nec ad horam cessimus. At mox quoniam protinus obstabant illa quæ faciebant apostoli, eratque verisimile futuros aliquos qui dicerent : Qui fit igitur, ut hæc illi præcipiant? vide quam sapienter solvit objectionem. Non enim explicat veram causam, videlicet quod id facerent apostoli ut sese attemperarent et morem gererent Judæis : alioquin enim offensi fuissent audientes. Oportet enim dispensationis ignorare causam eos, ad quos sit aliquis ex ea fructurus rediturus : nam si pateat causa eorum quæ fiunt, tota perierit utilitas. Quapropter ipsum quidem, qui dispensationem adhibet, scire causam oportet eorum quæ geruntur : at eos quibus est profutura dispensatio, hanc oportet ignorare. Atque ut magis fiat dilucidum quod dico, ex hoc ipso argumento sumemus exemplum. Hic ipse beatus Paulus, qui circumcisionem tollit, cum Timotheum esset missurus ad docendum Judæos, prius illum circumcidit (*Act.* 16), atque ita misit.

Cur Paulus Timotheum circumcidit. — Id autem faciebat, quo doctor esset acceptior apud auditores, et ingressus est cum circumcisione, ut abrogaret circumcisionem. Atque hujus facti causam ipse quidem cum Timotheo noverat, discipulis autem non aperuit. Etenim si novissent quod illum hoc animo circumcidisset ut circumcisionem abrogaret, nec audissent omnino Timotheum concionantem, totumque lucrum et utilitas perisset : nunc vero hæc ignorantia maximam illis attulit utilitatem. Dum enim arbitrantur illum servandæ legis studio hoc facere, benevolis animis tum ipsum doctorem, tum ejus doctrinam excipiunt. Qua recepta, ac paulatim eruditi, recesserunt a prioribus quod haud quaquam evenisset, si initio causam novissent. Etenim si novissent, aversati fuissent illum; aversantes autem, nequaquam auscultassent; si non auscultassent, perseverassent in errore pristino. Id vero ne fieret, non aperuit causam. Proinde ne hic aperuit dispensationis causam, sed alia via rem aggreditur, ita loquens : 6. *Ab iis vero qui videbantur esse aliquid; quales aliquando fuerint, nihil mea*

refert : personam hominis Deus non accipit. Hic non solum non excusat apostolos, verum etiam vehementer gravat sanctos, ut prosit infirmis. Hoc autem vult significare : Etsi illi permittunt circumcisionem, ipsi Deo reddituri sunt rationem : non enim quia magni sunt ac dignitate præstantes, Deus personam illorum accipiet. Neque tamen sic aperte loquutus est, sed moderatius. Non enim dixit, Quod si turbant prædicationem, præter ea quæ mandata sunt prædicantes, luent extrema supplicia. Nihil, inquam, horum dixit, sed reverentius videtur illos attingere, loquens hunc in modum : *Ab iis autem qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint.* Non dixit, Quales jam sunt, sed, *Quales fuerint :* nimirum declarans, quod et illi jam desiissent hoc modo prædicare, utpote jam ubique coruscante prædicatione. Cæterum quod ait, *Quales aliquando fuerint*, hoc declarat : Si sic, inquit, prædicaverunt, ipsi reddent rationem. Non enim hominibus, sed Deo sunt rationem reddituri.

3. Hæc autem dicebat, non velut ambigens aut ignorans quo animo id facerent illi, sed, ut dixi, quod expedire judicaret, ut hac via rem aggrederetur. Deinde ne velut diversæ factionis videretur illos accusare, et hinc oriretur contentionis ac dissidii suspicio, mox correctionem adjunxit,dicens : *Mihi enim qui habebantur in pretio, nihil contulerunt.* Quid autem hoc est? quæ vos dicitis, inquit, nescio : illud vero certo scio, quod mihi non modo non sunt adversati, verum etiam conspirarunt mecum, concordiaque sociati sunt. Id enim declarat, cum ait : *Dextras dederunt.* Verum nondum hoc dicit, sed illud tantum dicit, quod non docuissent, non correxissent, neque quidquam addidissent iis quæ prius sciverat. *Mihi enim*, inquit, *qui erant in pretio, nihil præterea contulerunt.* Hoc est, postquam cognoverant quæ prædicarem, nihil adjecerunt, nihil inde correxerunt : idque cum scirent me ea gratia venisse Jerosolymam, ut cum ipsis communicarem. Nam secundum revelationem Spiritus accesseram, ut cum illis communicarem, ac Titum incircumcisum habebam mecum. Nec illi mihi quidquam dixerunt ultra ea quæ prius sciveram, nec illum circumcidi. 7. *Sed contra.* Quid est, *Contra?* Quidam hoc sentire Paulum dicunt, quod non solum ipsum nihil docuerint, verum etiam ab ipso docti sint : ego vero nequaquam hoc dixerim. Quid enim ab illo præterea erant docendi? quandoquidem unusquisque illorum perfectus erat. Non igitur hoc sentit cum ait, *Contra;* sed illud potius vult dicere, quod non solum nihil reprehenderunt, verum tantum abfuerunt ab incusando, ut comprobarint etiam : nam comprobatio contraria est incusationi. Mox quoniam conjectandum erat dicturos aliquos : Si comprobarunt, quare non sustulerunt circumsionem? nam si comprobarunt, tollenda erat : dicere quidem, Sustulerunt, judicabat nimis inverecundum fore, atque hinc orituram pugnam manifestam adversus ea quæ confessus fuerat : rursus, si confiteretur concedendam esse circumcisionem videbat necessario fore, ut in aliam incideret objectionem. Si enim, inquit, comprobarunt tuam prædicationem, cum contra permiserint circumcisionem, ipsi secum pugnant. Quo pacto igitur hic solvitur nodus? Dicere poterat, quod ista fecissent morem gerentes infirmitati Judaicæ : verum hoc dicendo totum dispensationis fundamentum convulsisset. Ideo non dicit hoc, sed reliquit in dubio atque ancipiti, dicens : *Ab iis autem qui videbantur esse aliquid, nihil mea refert :* ac si diceret : Non accuso, neque suggillo sanctos illos : sciunt ipsi quid fecerint : Deo siquidem reddituri sunt rationem. Quod autem hic demonstrare studeo, hoc est, quod a me gesta non rescinderunt neque correxerunt, neque quidpiam addiderunt, quasi quidam illis deesset, verum etiam comprobarunt et assensi sunt ; atque hujusce rei testes habeo Titum ac Barnabam. Unde subjicit dicens : *Cum vidissent mihi commissum evangelium præputii, quemadmodum Petro circumcisionis;* circumcisionem et præputium dicens non res ipsas, sed gentes hac nota distinctas. Subjunxit igitur : 8. *Qui enim operatus est in Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et in me inter gentes.* Quemadmodum igitur præputii nomine designat gentes, ita et circumcisionis nomine Judæos. Jamque se cæteris honore parem ostendit, nec se reliquis illis, sed ipsi coryphæo comparat, declarans quod horum unusquisque parem sortitus sit dignitatem. Posteaquam enim argumentis declaravit apostolorum inter se concordiam, deinde sumpta fiducia libere prosequitur : neque jam solum pervenit usque ad apostolos, sed ad Christum ipsum deducit sermonem, atque gratiam sibi ab illa donatam : quarum rerum testes citat apostolos, dicens, 9. *Ubi cognovissent gratiam Dei quæ data est mihi, Jacobus, Cephas et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis.* Non dixit, Postquam audissent, sed, *Cum cognovissent*, hoc est, ex ipsis didicissent factis, *dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis*, Vides ut paulatim demonstrarit hoc et Christo visum et apostolis? Neque enim data fuisset, neque in illo fuisset operata gratia, ni prædicationem eam comprobasset. Ac Petri quidem solius meminit, ubi cogitur se cum illis conferre : ubi autem citandum est testimonium, trium pariter facit mentionem, idque non sine laude ; *Cephas*, inquit, *Jacobus et Joannes, qui videbantur esse columnæ.* Nec rursus ideo dicit, *Videbantur*, quod tolleret rei veritatem, sed aliorum quoque assumit sententiam, dicens : Qui magni sunt et eximii, quosque omnes ubique celebrant, hi testes sunt eorum quæ dico, quod eadem placeant et Christo, quodque hæc ipsis rebus cognoverint, ipsaque rerum experientia commoti sint, ut crederent. Ideoque et dextras mihi dedere, non mihi tantum, sed et Barnabæ, *Ut nos quidem ad gentes, ipsi vero in circumcisionem.*

Pauli prudentia. — O prudentiam eximiam ! o concordiæ demonstrationem irrefutabilem ! ostendit enim illorum doctrinam suam esse, et suam illorum esse. Eadem enim utrisque placebant : videlicet ut et illi

sic prædicarent Judæis, et hic gentibus : ideoque subjecit ita loquens, *Ut nos quidem in gentes, ipsi vero in circumcisionem.* Vides quod hic quoque circumcisionem appellat non rem ipsam, sed Judæos? Quoties enim rem ipsam dicit, et contrarium opponit, ipsum nominat præputium, ut cum ait ; *Circumcisio quidem prodest, si legem observes : quod si transgressor legis fueris, circumcisio tua præputium facta est* (*Rom.* 2. 25); ac rursum, *Neque circumcisio quidquam valet neque præputium* (*Gal.* 5. 6). Ubi vero sic appellat Judæos, nec rem intelligi vult, sed populum ; non opponit præputium, sed gentes. Etenim discernuntur, Judæi quidem a gentibus, a circumcisione vero præputium : quemadmodum cum superius diceret, *Qui operatus est et in Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est in me inter gentes;* et hic rursus, *Nos in gentes, ipsi vero in circumcisionem;* non rem ipsam, sed Judæorum populum sic appellat, distinguens eum a gentibus. 10. *Tantum ut pauperum memores essemus, quod ipsum etiam studui facere.*

4. Quid tandem est hoc quod dicit? In prædicandi, inquit, munere partiti sumus inter nos orbem terrarum ; atque ego quidem eos qui ex gentibus sunt, illi vero Judæos acceperunt secundum Dei placitum : ad curam vero pauperum, qui apud Judæos erant, ego quæ facultatis meæ erant cum illis contuli. Quod si bellum fuisset et contentio, nequaquam hoc illi recepissent. Qui sunt autem isti pauperes? Plerique Judæi qui crediderant in Palæstina, facultatibus omnibus exuti fuerant, ac per omnes regiones disjecti exsulabant. Quod quidem et in Epistola ad Hebræos scripsit, dicens : *Nam bonorum vestrorum rapinam cum gaudio suscepistis* (*Hebr.* 10. 34). Declarat idem et Thessalonicensibus scribens, ac fortitudinem illorum prædicans : *Vos* enim, inquit, *imitatores facti estis Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa : quoniam et vos eadem passi estis a propriis contribulibus, quemadmodum et illi a Judæis* (1. *Thess.* 2. 14). Omnibusque modis ostendit quod ii qui ex gentibus crediderant, non perinde oppugnabantur a Græcis, atque ii qui ex Judæis crediderant, a suæ gentis hominibus vexabantur : hæc quippe gens cæteris omnibus erat atrocior. Ideo summa sollicitudine curam illorum gerunt, atque ea de re et Romanis scribit et Corinthiis. Neque solum colligit pecunias, verum etiam ipse illas defert et distribuit (1. *Cor.* 16), aitque : *Nunc autem vado in Jerusalem ministrans sanctis* (*Rom.* 15. 25). Nam et ad victum necessariis egebant. Quod igitur hic significat, illud est : Hac in re mihi visum est illis opitulari : quod et recepi, et non cessavi. At postquam his ostendit suam cum apostolis concordiam consensumque, cogitur deinceps et disceptationis cum Petro Antiochiæ habitæ mentionem facere, dicens : 11. *Cum autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem illi restiti, quoniam reprehensibilis erat.* 12. *Priusquam enim venissent quidam a Jacobo, simul cum gentibus edebat : at postquam venissent, subduxit ac separavit semetipsum metuens eos qui erant ex circumcisione.*

De Pauli cum Petro disceptatione (*a*). — Multi qui parum attente legunt hunc epistolæ locum, existimant Petrum a Paulo accusari de simulatione : verum non ita se res habet; absit : multam enim hic comperimus tum Petri tum Pauli prudentiam tecte adhibitam, ut prodessent audientibus. Sed prius dicendum est de Petri fiducia, et quomodo semper ante cæteros discipulos prosiliret : nam hinc etiam cognomen sortitus est ob immutabilem et immobilem fidem. Cum enim omnes essent interrogati, hic ante cæteros prosiliens : *Tu es*, inquit, *Christus, Filius Dei vivi* (*Matth.* 16. 16); quo tempore illi et claves regni cælorum concreditæ sunt. Præterea in monte solus exstitit qui loqueretur. Ad hæc cum de cruce fieret sermo, cæteris tacentibus ipse dixit : *Propitius esto tibi* (*Ibid. v.* 22). Quamquam autem hæc verba non erant circumspectæ mentis, erant tamen fervidæ caritatis. Quin et in cæteris omnibus videbimus illum aliis fervidiorem, et ad pericula præsilientem. Ita cum Dominus visus esset in littore, cæteris navim trahentibus, ipse non sustinuit navigio accedere. Ac post resurrectionem Judæis cædem spirantibus insanientibusque, ac discipulos discerpere quærentibus, primus accedens ausus est in vocem erumpere ac dicere, quod ille crucifixus assumptus jam in cælis esset. Aliud est autem, ostium clausum aperire, ac negotio dare principium : aliud post deinceps confidenter agere. Itaque qui suam ipsius animam tam numeroso populo exposuerat, quomodo simulasset umquam? qui flagellatus, qui vinctus, nihil de sua fiducia voluerat remittere, idque in ipso statim prædicationis initio, in media metropoli, ubi tantum erat discriminis : quomodo post tantum temporis Antiochiæ, ubi nullum erat periculum, cum jam ex ipsis factis comprobatus ac spectatus esset, eos qui ex Judæis crediderant, formidasset? qui Judæos ipsos non metuerat et in principio et in metropoli : quomodo post tantum temporis, cum esset in aliena civitate, eos qui ab illis defecerant metuerit? Non igitur hæc dicens Paulus adversus Petrum loquitur, sed eodem consilio quo dixerat illud, *Ab iis autem qui videbantur esse aliquid ; qualescumque fuerint, nihil mea refert :* ab eodem et hæc loquitur. Verum ne diutius his de rebus dubitemus, eorum quæ dicta sunt, causam oportet explicare. Apostoli enim, ut dixi, Jerosolymis quidem permittebant circumcisionem : non enim poterant subito a lege removere : ubi vero venissent Antiochiam, jam nihil istarum rerum observabant, sed cum iis qui ex gentibus crediderant, indifferenter vivebant : quod sane et Petrus tum faciebat. Ubi vero venissent ex urbe Jerosolymorum, qui viderant eum ibi sic prædicantem, non ulterius id faciebat, metuens ne illos offenderet, sed secessit, hic duo per dispensationem agens : alterum ne offenderet eos qui erant ex Judæis; alterum, ut Paulo justam præberet occasionem increpandi. Etenim si

(*a*) Hac de re Chrysostomus peculiarem habuit homiliam, quam edidimus Tom. 3, col. 371-372, cum prævio Monito. Ubi ille hanc eamdem, quam hic profert, sententiam propugnat iisdem argumentis, ibi videsis.

ipse qui Jerosolymis prædicaret cum circumcisionis permissu, Antiochiæ secessisset : visus fuisset iis qui ex Judæis crediderant, Pauli metu id facere, ac Petri nimiam facilitatem reprehendissent discipuli : quæ res non mediocre peperisset offendiculum : quamquam Paulo, quem nihil latebat suo discessu nullam hujusmodi præbuisset suspicionem ; noverat enim quo animo hæc fierent. Unde et Paulus objurgat, et Petrus sustinet : ut dum magister objurgatus obticescit, facillime discipuli mutarent sententiam. Nam si Paulus, cum tale nihil accidisset, admonuisset, nihil magni fecisset : nunc vero, quoniam nactus occasionem acrius increpavit, majorem Petri discipulis timorem injecit. Quod si Petrus hæc audiens contradixisset, merito quis eum culpare potuisset, quod dispensationem subvertisset. Nunc vero, dum alter objurgat, alter obticet, multus timor incutitur iis qui ex Judæis crediderant : ideoque vehementius objurgat Petrum.

5. Vide autem quanta accuratione sermonem temperat, prudentibus subindicans, ea quæ loquitur non esse dissidii, sed dispensationis. *Cum enim*, inquit, *Petrus venisset Antiochiam, in faciem illi restiti, quoniam reprehensibilis erat.* Non dixit, Reprehensus, a me, sed, Ab aliis. Quod si ipse reprehendisset illum, non veritus fuisset hoc dicere. Quod autem dixit, *In faciem*, figura est, quasi dixisset, In speciem. Etenim si vere fuisset inter ipsos contentio, nequaquam præsentibus discipulis se invicem increpassent ; gravi enim illis fuissent offendiculo : nunc autem utilis erat palam in speciem adhibita dissensio. Et sicut Paulus Jerosolymæ cessit illis, ita iisdem Paulo cesserunt Antiochiæ Quænam igitur erat reprehensio ? *Priusquam enim venissent quidam a Jacobo* (ipse namque erat doctor Jerosolymis), *simul cum gentibus edebat ; postquam autem venissent, subtraxit ac subduxit sese, metuens eos qui erant ex circumcisione ;* non hoc metuens, ne veniret in discrimen : nam qui initio non metuerat, multo minus tum metuisset : verum illud metuebat, ne deficerent : nam et ipse Paulus Galatis dicit, *Timeo de vobis, ne frustra laboraverim* (*Gal.* 4. 11) ac rursum, *Timeo ne sicut serpens decepit Evam, ita corrumpantur sensus vestri* (2. *Cor.* 11. 3). Apud illos igitur mortis metus nihil erat, verum metus, ne perderent suos discipulos, vehementer concutiebat illorum animos. 13. *Ita ut et Barnabas simul abductus fuerit in illorum simulationem.* Ne mireris si factum hoc appellat hypocrisim, hoc est, simulationem : non enim vult, ut prius dixi, patefacere consilium, ut illi corrigerentur. Quoniam enim vehementer hærebant legi, ideo Petri factum appellat simulationem, et severius increpat, ut persuasionem illis radicitus infixam evelleret. Et hæc audiens Petrus, jungit cum Paulo simulationem, quasi deliquisset, ut per ipsius objurgationem corrigerentur. Etenim si Paulus objurgasset eos qui erant ex Judæis, indigne tulissent ac respuissent illius objurgationem ; nec enim admodum magnifice de illo sentiebant : nunc autem cum conspiciunt doctorem suum objurgatum obticere, neque contemnere neque contradicere Pauli verbis poterant. 14. *Sed cum viderem, quod non recte incederent ad veritatem evangelii.* Ne hæc quidem dictio vos conturbet : non enim hæc dicit reprehendens Petrum, sed ita figuratam facit orationem, ut audita prodessent iis qui ob Petrum objurgatum meliores erant futuri. *Dixi Petro coram omnibus.* Vides quomodo hinc corrigit alios ? nam ideo dixit *Coram*, ut qui audirent timerent. Age dic quid dixeris. *Si tu, Judæus cum sis, gentiliter vivis, et non judaice : cur cogis gentes judaizare ?* Atqui gentes non simul cum illo fuerant in simulationem illam abductæ, sed Judæi : cur igitur incusas quod factum non est ? cur non vertis sermonem ad eos qui simulabant, qui quidem erant ex Judæis, sed ad gentes ? cur autem Petrum solum incusas, si cæteri quoque cum illo simulaverunt ? Videamus porro et quid sit in quo accusat : *Si tu, Judæus cum sis, gentiliter vivis, et non judaice : cur gentes cogis judaizare ?* Atqui solus hic se subduxerat : quid igitur est, quod vult efficere ? Ut objurgatio careat suspicione. Nam si dixisset : Male facis, qui legem observas : increpassent illum Judæi tamquam confidentius agentem adversus præceptorem ipsorum : nunc vero dum illum objurgat pro suis discipulis, nimirum pro iis qui erant ex gentibus, acceptiorem reddit sermonem : et non hoc modo tantum, verum etiam, quod abstinens ab omnium reprehensione, totam increpationem confert in apostolum : *Si enim tu ;* inquit, *Judæus cum sis, gentiliter vivis, non judaice ;* propemodum aperte clamans : Imitamini doctorem ; ecce et ipse Judæus cum sit, gentium more vivit. Verum id non dicit ; non enim accepissent admonitionem ; sed prætextu reprehensionis pro gentibus patefacit Petri sententiam. Rursum si dixisset, Cur eos qui sunt ex Judæis, cogis gentium more vivere ? acerbior fuisset oratio. Nunc vero sic moderans sermonem, non quasi defendat discipulos Judæos, sed eos qui erant ex gentibus, hoc pacto corrigit illos. Increpationes enim si non fuerint acerbæ, facillime possunt recipi. Nullus enim eorum qui erant ex gentibus, incusare Paulum poterat, si pro Judæis verba fecisset. Hoc totum suo silentio correxit Petrus, recepta in se simulationis opinione, ut vera simulatione Judæos liberaret. Primum igitur in Petri personam vertit sermonem, *Si tu, Judæus cum sis ;* sed in progressu communiter ad omnes vertit orationem, seipsum etiam complectens cum cæteris, atque ita dicens : 15. *Nos natura Judæi, ac non ex gentibus peccatores.* Ac sermo quidem admonitionem habet, sed addita est species objurgationis, propter eos qui erant ex Judæis.

6. Hoc alibi quoque facit, ut aliud videatur dicere, aliud agens : veluti cum Romanis scribens ait : *Nunc autem vado Jerosolymam ministrans sanctis* (*Rom.* 15. 25). Non enim volebat dicere, nec hoc eos simpliciter docere, cujus rei gratia proficisceretur Jerosolymam, sed illud agebat, ut eos provocaret ad æmulationem eleemosynæ. Nam si causam modo voluisset explicare, satis erat dicere, Vado ministrans sanctis : nunc vero considera quam multa connectat : *Complacuit enim Macedoniæ et Achaiæ communicationem ali-*

quam facere in sanctos pauperes qui sunt Jerosolymis. Complacitum est enim, debitores illorum sunt (*Rom.* 15. *v.* 26. 27). Ac rursum, *Etenim si in spiritualibus gentes fuerunt illorum consortes, debent illis et in carnalibus subministrare* (*Ibid.*). Vide igitur quomodo Judæorum spiritus premit, aliud per aliud agens, utque cum auctoritate loquitur, *Nos*, inquiens, *natura Judæi, et non ex gentibus peccatores.* Quid est, *Natura Judæi?* Nimirum non proselyti, sed a teneris annis educati in lege, relicto vitæ genere in quo fueramus nutriti, confugimus ad fidem quæ est in Christum. 16. *Scientes quod non justificabitur homo ex operibus legis, sed tantum per fidem in Jesum Christum; et nos in Christum credidimus.* Vide et hic ut omnia firmiter loquitur. Non enim ait, Reliquimus eam ut malam, sed ut infirmam. Proinde si lex non confert justitiam, superflua est circumcisio. Sed nunc quidem ad hunc modum loquitur; at in progressu declarat, non solum otiosam esse, verumetiam periculosam : quod quidem vel maxime observandum, quod cum initio dixerit, *Non justificabitur homo ex operibus legis*, progressus, vehementius loquitur. 17. *Quod si quærentes in Christo justificari, reperti sumus et ipsi peccatores : ergo Christus peccati minister est.* Nam si non valet, inquit, fides in eum justificare, sed opus est rursum amplecti legem; et si posteaquam legem reliquimus ob Christum, neque justificamur ex legis omissione, sed condemnamur : comperiemus illum esse causam condemnationis, cujus gratia legem relinquentes, ipsi sponte nos addiximus. Vides in quantam absurditatis necessitatem coegerit orationem, quamque valide pugnet? Nam si, inquit, non oportuit legem relinquere, nos autem reliquimus propter Christum : quomodo sumus judicandi? Quid igitur Petro dicis, quid admones eum, qui hæc plus quam omnes plenissime novit? annon Deus illi ostendit, non esse judicandum hominem qui præputium habet in circumcisione? nonne cum Judæis hisce de rebus disserens, libere illis ex hac visione restitit? nonne decreta publica super his denuo misit ex Jerosolymis?

Contra Christianos legalia observantes. — Hæc igitur non ut Petrum corrigat loquitur, sed sermo in illum erat intendendus, cum discipulos redargueret. Nec ista proprie pertinent ad Galatas, sed in omnes quadrant, qui eodem cum illis errore tenebantur. Etiamsi enim nunc multi non circumciduntur quidem, sed jejunant servantque sabbata, eadem cum illis faciunt, excutientes semetipsos a gratia. Nam si iis qui tantum circumcidebantur, Christus nihil prodest : ubi jejunium ac sabbatum accesserit, et pro uno præcepto duo servantur, vide quantum sit periculum, quod ab ipso etiam tempore sit formidabilius. Siquidem illi initio hæc faciebant, cum adhuc exstaret civitas, cum templum, eum cætera omnia : hi vero cum et conspiciant quas pœnas Judæi dederint, et urbem funditus deletam videant, ac plura tamen observant : quam habere poterunt excusationem, eo tempore servantes legem, quo ipsi Judæi quamvis vehementer cupientes non possunt hæc servare? Induisti Christum, membrum factus es Domini, in supernam civitatem adscriptus es, et adhuc circa legem serpis? et quomodo potes regnum illud consequi? Audi Paulum dicentem, Evangelium subverti per legis observationem. Quod si vis etiam, rei modum discito, simul horrescito, fugitoque barathrum. Cur enim observas sabbatum, ac jejunas cum illis (*a*)? Videlicet veritus legem ac ritus illos omittere? at non timeres legem dimittere, nisi fidem contemneres, ut quæ sit imbecillis, nec per se valeat conferre salutem. Quod si metuis non servare sabbatum, conspicuum est te adhuc metuere legem, velut etiamnum auctoritate pollentem. Quod si quis rursum usus est legis, profecto non est opus parte aut unico præcepto, sed tota lege est opus : si vero tota est opus, excussa est paulatim, quæ per fidem datur justitia. Nam si observas sabbata, cur non et circumcideris? quod si circumcideris, cur non et pecudes immolas? Etenim si servanda lex est, tota servanda est : quod si pro parte formidas ne condemneris, pro tota metuas oportet; quod si tota non violata punit, palam est nec partem id facere : quod si portio legis violata punit, multo magis id faciet tota : si tota servanda est, non oportet auscultare Christo : aut si Christo auscultamus, legis transgressores efficiamur oportet. Etenim si oportet eam servare, qui non servant, transgressores sunt : hujus autem transgressionis Christus nobis auctor esse deprehendetur : nam ipse legem solvit, eam quæ talia præcipit, et aliis ut solverent præcepit.

7. Vides quid moliantur isti judaizantes? Christum qui nobis est auctor salutis, hunc etiam peccati faciunt auctorem, quemadmodum et Paulus ait, *Numquid Christus minister est peccati?* Post hæc cum sermonem eo deduxisset, ut videretur absurdus, non jam opus erat probationum apparatu ad confutationem, sed satis erat negasse ac dicere : *Absit.* Siquidem adversus vehementer absurda et inverecunda nihil opus est oratoriis rationibus, sed sufficit abnegare solum. 18. *Nam si quæ destruxi, hæc iterum ædifico, transgressorem meipsum constituo.* Vide Pauli prudentiam : illi studebant ostendere, qui non servaret legem, eum transgressorem esse : hic in diversum torquet sermonem, ostendens eum esse transgressorem qui servat legem, transgressorem, inquam, non modo fidei, sed et ipsius legis. *Quæ* enim *destruxi, hæc rursus ædifico*, nimirum legem. Quod vero dicit, tale est : Cessavit lex, et hoc professi sumus, ideoque ea relicta confugimus ad salutem quæ est ex fide Itaque si contendamus eam statuere, hoc ipso reddimur transgressores, qui contendamus servare quæ Deus antiquavit. Deinceps quomodo soluta sit, ostendit : 19. *Ego enim per legem legi mortuus sum.* Duplicem habet hic sermo considerationem : aut enim de lege gratiæ loquitur : solet enim Paulus et hanc appellare legem, veluti cum ait : *Lex autem Spiritus vitæ liberavit me* (*Rom.* 8. 2); aut hic de lege veteri

(*a*) Vide quæ paulo ante diximus de Antiochenis judaizantibus.

loquitur, significans se per legem ipsam legi mortuum esse : hoc est, Ipsa lex me huc perduxit, ne posthac ipsi auscultarem. Itaque si nunc illi sum auscultaturus, ipsam etiam legem transgredior. Quinam, et quomodo? Moses ait : *Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus ex fratribus vestris tamquam me; eum audietis* (*Deut.* 18. 15) : de Christo loquens. Itaque qui huic non obtemperant, legem transgrediuntur. Rursus alio modo nobis intelligendum est quod ait : *Per legem legi mortuus sum.* Lex enim jubet omnia fieri quæ in ipsa scripta sunt, ac non facientem punit. Omnes igitur illi mortui sumus, eo quod nullus eam impleverit. Ac vide quam hic quoque moderate pugnet adversus legem : non enim dixit, Lex mihi mortua est, sed, *Ego legi mortuus sum.* Hujus dicti sensus est : Quemadmodum exanimis ac mortuus non potest auscultare præceptis legis, ita nec ego, qui ex illius maledictione mortuus sum : siquidem iis quæ loquitur illa, mortuus sum. Ne igitur præcipiat mortuo, quem ipsa etiam occidit, idque non solum morte corporali, verum etiam animæ, per quam mortem corporis invexit. Hoc enim sentire se declarat in iis quæ sequuntur, dum subnectit : *Ut Deo vivam*, inquit, *cum Christo crucifixus sum.* Nam quoniam dixerat, *Mortuus sum*, ne quis diceret, quomodo igitur vivis? subjecit et vitæ causam, declarans quod lex quidem viventem occidit, Christus autem mortuum assumptum per mortem vivificavit : declaratque duplex miraculum, alterum quod mortuum revocavit ad vitam, alterum quod per mortem largitus est vitam. Siquidem hoc loco mortis nomine vitam designat. Hoc enim est quod ait, *Ut Deo vivam*, *simul cum Christo crucifixus sum.* Quomodo, dixerit quispiam, vivens ac spirans simul crucifixus est? Nam Christum quidem fuisse crucifixum, clarum est : tu vero quomodo crucifixus es, ac vivis? Vide quomodo et hoc interpretatur, dicens : 20. *Vivo autem non jam ego, vivit vero in me Christus.* Nam dicendo, *Simul cum Christo crucifixus sum*, baptismum subindicat : cum vero dicit, *Vivo autem jam non ego*, significat sequentem vitæ rationem, per quam mortificantur membra nostra. Quid autem est, *Vivit vero in me Christus?* Nihil, inquit, geritur a me, quod nolit Christus. Sicut enim mortem appellat non istam communem, sed mortem a peccatis : sic et vitam appellat liberationem a peccatis : Deo siquidem nemo potest aliter vivere, nisi mortuus fuerit peccato. Quemadmodum igitur Christus corporalem sustinuit mortem, ita et ego mortem a peccatis sustinui. *Mortificate*, inquit, *membra vestra quæ sunt super terram, quæ sunt fornicatio, adulterium, immunditia* (*Col.* 3. 5); ac rursum, *Vetus noster homo crucifixus est* (*Rom.* 6. 6); id quod in lavacro factum est. Post hæc si manseris mortuus peccato, vivis Deo : sin denuo peccatum suscitaris, corrupisti talem vitam. At non talis erat Paulus, qui perseverarit perpetuo mortuus. Proinde si vivo, inquit, Deo, alia vita, quam in lege, vixeram, ac legi factus sum mortuus : nullam legis partem servare possum.

8. Vide exactam vitæ rationem, ac beatam illam animam summopere admirare. Non dixit, Vivo ego, sed, *Vivit in me Christus.* Quis ausit in hanc vocem erumpere? Quoniam enim seipsum Christo Domino morigerum præbuerat, cunctaque rejecerat temporalia, et ad illius voluntatem faciebat omnia, non dixit, Vivo Christo, sed quod longe majus erat dixit : *Vivit autem in me Christus.* Quemadmodum enim peccatum si vicerit, ipsum est quod vivit, animum ad quæ vult pertrahens : ita si illo mortuo, quæ Christo sunt placita fiant, nec humana deinceps est ejusmodi vita, videlicet ipso Christo vivente in nobis, hoc est, agente ac dominante. Porro quoniam dixit, *Simul crucifixus sum*, et, *Non jam vivo*, sed mortuus sum, videbaturque multis absurda dicere, subjunxit : *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.* Quæ hactenus, inquit, dixi, de vita intellectuali dicta sunt. Quod si quis expendat et hanc vitam sensibilem, et ea mihi per fidem in Christum contingit. Quantum enim ad veteris vitæ rationem ac legem attinet, dignus eram extremo supplicio, ac jampridem perieram. *Omnes enim*, inquit, *peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* 3. 23); et cum essemus obnoxii sententiæ damnationis, Christus liberavit : omnes enim eramus mortui, si minus experientia, certe judicio, jamjamque plagam exspectantes liberavit. Cum igitur et lex accusasset, et Deus condemnasset : Christus veniens, ac semet exponens morti, nos omnes eripuit a morte. Itaque *Quod nunc vivo in carne, in fide vivo.* Nam si id fuisset, nihil obstabat quominus interirent universi, quod et accidit in diluvio; sed Christi adventus inhibens iram Dei, fecit ut per fidem viveremus. Ut autem scias hoc illum sentire, audi quæ sequuntur : cum enim dixisset, *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo*, subjecit : *Filii Dei, qui dilexit me, deditque seipsum pro me.* Quid facis, o Paule, dum communia proprie tibi vindicas, quæque pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? Non enim dixit, Qui dilexit nos, sed, *Qui dilexit me.* Atqui Evangelista dicit, *Sic dilexit Deus mundum* (*Joan.* 3. 16) : quin et tu ipse dicis, *Qui proprio Filio non pepercit, sed tradidit eum* (*Rom.* 8. 32), non pro te, sed pro omnibus; ac rursum, *Ut acquireret sibi populum peculiarem* (*Tit.* 2. 14). Quid est igitur quod hic dicit? Cum consideraret desperatam humanam naturam et ineffabilem Christi sollicitudinem, tum quibus ipsum malis liberasset, quæ bona largitus esset, inflammatus illius desiderio, hunc in modum loquitur. Quandoquidem et prophetæ non raro Deum communem, sibi proprium faciunt, hoc modo loquentes : *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo* (*Psal.* 62. 1). Præterea vero declarat hoc quoque par esse, ut quisque nostrum non minus agat gratias Christo, quam si propter ipsum solum advenisset. Neque enim recusaturus erat vel ob unum tantam exhibere dispensationem : adeo unumquemque hominem pari caritatis modo diligit, quo diligit orbem universum. Itaque victima quidem pro tota oblata est natura, ac sufficiebat omnibus servandis; sed soli illi qui crediderunt, sunt quibus usui fuit beneficium. Attamen non absterruit eum ab

ejusmodi dispensatione, quod non omnes accederent: sed ut in Evangelio convivium omnibus quidem paratum erat, verum quoniam qui vocati fuerant venire noluerunt, non sustulit quæ fuerant parata, sed alios vocavit (*Luc.* 14. 16. *sqq.*) : itidem et hic fecit. Nam et ovis quæ fuerat a nonaginta novem distracta (*Matth.* 18. 12), unica erat, nec hanc tamen contempsit. Hoc idem et de Judæis disserens Paulus, in hunc modum subindicavit dicens : *Quid enim, si quidam non crediderunt? Num incredulitas eorum fidem Dei faciet irritam? Absit. Sit autem Deus verax, omnis autem homo mendax* (*Rom.* 3. 3. 4). Ergone cum ille sic te dilexerit, ut semetipsum etiam tradiderit, omnique salutis spei destitutum ad tantam talemque vitam adduxerit : tu post tot accepta bona, denuo recurris ad vetera? Posteaquam igitur diligenter interjecit quæ rationibus erant tractanda, vehementer demum pronuntiat, dicens : 21. *Non rejicio gratiam Dei.* Audiant hoc isti, qui hisce quoque temporibus judaizant, legique attendunt; ad eos siquidem hæc dicuntur. *Etenim si per legem est justitia, nimirum frustra Christus mortuus est.* Quid hoc peccato gravius? quid his verbis ad inculendum pudorem efficacius? Etenim si mortuus est Christus, ideo certe, quod lex non posset justificare nos. Quod si lex justificat, supervacanea est Christi mors. Et qui possit hoc videri rationi congruens, rem tantam, tam tremendam, omnemque superantem hominum cogitationem, tam ineffabile mysterium, quod patriarchæ quidem parturiebant, prophetæ vero prædixerunt, angeli videntes obstupuerunt, quod caput esse divinæ erga nos sollicitudinis apud omnes constat, hoc frustra et incassum factum dicere? Ergo cum consideraret insignem absurditatem, si tantam talemque rem dicerent superflue fuisse factam (hoc enim colligebat ex iis quæ faciebant), etiam conviciis objurgat illos, dicens :

CAPUT III.

1. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit? quibus ante oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus.*

1. Hic jam ad aliud transit caput. In superioribus quidem ostendit se non esse apostolum hominum, neque per homines, nec eguisse apostolorum doctrina : hic vero posteaquam se jam doctorem dignum cui fides haberetur declaravit, majore cum auctoritate disserit, fidei legisque faciens comparationem. Sic igitur in principio dicit. *Admiror quod tam cito transferimini* (*Gal.* 1. 6) : hic vero, *O insensati Galatæ.* Tunc enim parturiebat indignationem, quam ubi jam pro se respondit, in medium erumpens protulit, re comprobata. Quod si stultos vocat, ne mireris : non enim transgrediens Christi legem, quæ vetat ne quis fratrem suum appellet fatuum (*Matth.* 5. 22), hoc facit, sed admodum illam observans. Non enim simpliciter dictum est : Qui vocarit fratrem suum fatuum, sed, Qui temere vocarit. Horum vero nonnulli digni erant hac appellatione, qui post tanta taliaque, perinde atque nihil esset actum, prioribus hærebant circumventi. Quod si hanc ob causam Paulum appellas contumeliosum, simul et propter Sapphiram et Ananiam (*Act.* 5) Petrum dices homicidam. Quod si dementiæ sit illud dicere, multo magis dementiæ fuerit hæc dicere. At tu mihi perpende, ut non statim in initio usus est hac vehementia, sed post tot redargutiones totque probationes, cum jam non ab illo, sed ab ipsis argumentis accipiebant objurgationem. Cum enim demonstrasset quod fidem repellerent, quod Christi mortem supervacaneam redderent, tum adjungit objurgationem, ac ne id quidem ut merebantur; digni quippe erant qui severioribus etiam verbis exciperentur. Cæterum illud mihi considera, quomodo protinus etiam vulnere inflicto temperat dolorem. Non enim dixit : Quis vos seduxit? quis vobis abusus est? quis vos circumvenit? sed, *Quis vos fascinavit?* sic moderans increpationem, ut non careat laude. Hæc enim verba sunt indicantis, quod prius invidia digna fecerint, quodque id quod accidit, dæmonis insultu factum sit, qui secundis illorum successibus vehementer obstiterit. Porro cum audis invidiam hic, et in Evangelio audis oculum malum (*Matth.* 6. 23) idem declarantem : ne sic existimes, quod oculorum ictus intuentes lædere soleat. Oculus siquidem, hoc est, ipsum membrum nequaquam possit esse malum; verum hic eo modo Christus notat invidiam. Nam oculorum est, simpliciter videre tantum; et videre perperam, animi est intus depravati. Quoniam enim per hunc sensum in animum nostrum influit eorum quæ videntur consideratio, et plerumque divitiis innascitur invidia; divitiæ vero cernuntur oculis quemadmodum et principatus et satellitia : propterea vocavit malum oculum, qui non simpliciter cerneret, sed qui cum livore animique malitia. Cum vero dicit, *Quis vos fascinavit?* declarat eos, quod non veluti curam habentes, nec ut id quod deerat supplentes; verumetiam id quod erat mutilantes id facerent. Siquidem livoris est, non addere quod deest, sed de pleno etiam aliquid detrahere, totumque corrumpere. Hæc autem dicit, non quasi livor per se vim habeat, sed ut ostendat eos qui ista docebant, per invidiam ad hoc venisse. *Quibus Christus ante oculos prius depictus erat, in vobis crucifixus.* Atqui non apud Galatas, sed Jerosolymis crucifixus fuit. Quomodo igitur dicit, *In vobis?* Ut fidei vim ostenderet, quæ possit et procul dissita cernere. Nec dixit, Crucifixus est, sed, *Præscriptus est crucifixus*; indicans quod oculis fidei quidam exactius perspicerent, quam nonnulli qui præsentes adfuerant, eaque quæ gerebantur conspexerant. Illorum enim qui spectarant complures nullum inde fructum retulerunt; hi vero qui oculis ipsis non viderant, tamen per fidem evidentius viderant. Hoc autem loquitur, simul et perstringens eos et laudans; laudans quidem, quod tanta cum fiducia recepissent id quod

acciderat; perstringens vero, quod quem viderant pro ipsis nudari, colaphis cædi, affigi clavis, conspui, probris incessi, aceto potari, accusari a latronibus, lancea vulnerari (nam hæc omnia significavit dicendo, *Præscriptus est in vobis crucifixus*); eo deserto ad legem currebant, nihil reveriti cruciatus illos. Tu vero et illud considera, quomodo ubique prætermisso cælo, terra, mari, cæterisque rebus omnibus, Christi potentiam prædicarit, crucem ubique celebrans. Hoc enim erat præcipuum caput divinæ pro nobis sollicitudinis. 2. *Hoc solum volo discere a vobis: ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Quoniam, inquit, non præbetis perpetuam attentionem prolixis sermonibus, nec vultis magnitudinem hujus dispensationis intueri, compendioso sermone brevissimaque demonstratione volo persuadere vobis, extrema ingrati animi signa videns. Prius quidem in iis quæ superius dicta sunt, ex iis quæ loquutus est Petro, persuaserat; sed hic jam ipsos aggreditur, non ex iis quæ alibi contigerunt, sed ex iis quæ inter eos gesta sunt, omnia demonstrans: nec tantum ex iis donis quæ cæteris communia erant, verum etiam ex iis quæ ipsis peculiariter donata fuerant, fidem facit, simul et probationem instruit: ideoque dicit: *Hoc solum volo discere a vobis: ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Accepistis, inquit, Spiritum sanctum, edidistis multa miracula, perfecistis prodigia mortuos excitando, leprosos mundando, prophetando, linguis loquendo: hanccine tam insignem potestatem vobis dedit lex? Atqui prius nihil tale faciebatis, sed id vobis dedit fides?

2. Annon igitur extremæ dementiæ est, cum tantum beneficiorum in vos contulerit fides, hanc relinquere, et ad legem, quæ tale nihil vobis præstitit, ultro recurrere? 3. *Adeo stulti estis, qui in spiritu cœpistis, nunc carne consummamini.* Rursum opportune convicium addidit. Cum, inquit, oportuerit vos temporis progressu prioribus bonis accessionem adjungere, non solum non profecistis, verum denuo ad priora reversi estis. Etenim qui ab exiguis initium faciunt, procedentes ad majora conscendunt: vos contra a magnis orsi, ad contraria retrocessistis. Si enim a carnalibus cœpissetis, oportebat ad spiritualia proficere: nunc vero cum a spiritualibus cœperitis, ad carnalia divertistis: nam edere miracula, spirituale est; circumcidi vero, carnale. Vos autem post signa devenistis ad circumcisionem, post apprehensam veritatem ad typos recidistis, post conspectum solem lucernam quæritis, post solidum cibum ad lac recurritis. Et non dixit, Carne consummamini, sed, *Deinde carne consummamini;* illud indicans, quod pseudapostoli correptos eos pecudum ritu conciderent, dum semet illis præbent ad patiendum quidquid illis collibuisset: perinde ac si quis e ducibus ac fortibus viris, post innumera tropæa victoriasque seipsum in desertorum infamiam tradat, corpus suum exhibeat volentibus imprimere notas. 4. *Tam multa passi estis frustra? si tamen et frustra.* Hoc multo acrius vulnerat quam illud prius. Non enim signorum memoria æque poterat illorum animos mordere, ut ostensa certaminum malorumque tolerantia, quæ propter Christum fuerant perpessi. Omnium, inquit, illorum quæ sustinuistis, isti jacturam vos facere volunt, et coronam vobis student intervertere. Mox, ne concuteret illorum animos, nervosque dissolveret, non perstitit usque ad sententiam ferendam, sed subtexuit, *Si tamen frustra.* Si volueritis, inquit, exspergisci, ac revocare vosipsos, non frustra passi fueritis. Ubi nunc sunt qui tollunt pœnitentiam? Ecce hi Spiritum acceperant, signa fecerant, confessores fuerant, innumerabilia pericula, varias persequutiones Christi causa perpessi fuerant, et post tam multa recte facta a gratia exciderant. Et tamen, inquit, si volueritis, potestis vos ipsos revocare. 5. *Qui igitur subministrat vobis Spiritum, quique in vobis operatur miracula, ex operibus legis, an ex auditu fidei?* Tantum, inquit, donum adepti estis, ut et tot miracula ederetis: utrum quia legem servastis, an propter fidem? Non dubium est, quin propter fidem. Quoniam enim sursum ac deorsum hoc vertebant illi, et undique jactabant, dicentes fidem non valere nisi adjuncta lege; Paulus contra demonstrat, additis præceptis fidem jam nihil profuturam. Tum enim valet fides, cum nihil accesserit ex lege. *Quicumque* enim, inquit, *in lege justificamini, a gratia excidistis* (*Gal.* 5. 4). Verum id quidem in progressu declarat, cum etiam liberius loquitur, ex iis quæ jam probata sunt sumens occasionem; interim vero ex præteritis parat occasionem. Cum, inquit, non attendebatis legi, sed fidei, tunc Spiritum accepistis, tunc signa fecistis. Deinceps, quoniam de lege dicendum erat, alium movebat locum qui plurimum habet contentionis: Abraham in medium adducit, idque valde opportune, multaque cum auctoritate, ita loquens: 6. *Sicut Abraham credidit Deo, et imputatum est illi ad justitiam.* Declarant quidem, inquit, fidei vim et a vobis edita miracula: si vero vultis, etiam ex vetustis historiis conabor vobis facere fidem. Itaque, quoniam celebris magnæque existimationis apud illos erat patriarcha Abraham, et hunc profert in medium, declarans hunc quoque sic fuisse justificatum. Quod si is ante gratiam ex fide justificatus est, idque cum et operibus bonis floreret, multo magis vos. Quid igitur illi detrimenti attulit, quod non esset sub lege? Nihil; sed sufficiebat ei fides ad justitiam. Non enim tunc lex erat, inquit. Neque nunc est lex, sicuti nec tunc. Ob id enim sublaturus legis necessitatem, eum qui tum ante legem justificatus fuit inducit, ne hoc posset objici. Nam quemadmodum tunc data nondum erat, ita nunc quæ data fuit, antiquata est. Ad hæc quoniam efferebantur animis quod ab Abraham ducerent genus (*Joan.* 8. 33), metuentes ne, si legem relinquerent, ab illius cognatione fierent alieni: id quoque rursus in contrarium vertit, metumque solvit, declarans quod fides potissimum conciliat cum illo propinquitatem: quod quidem manifestius in Epi-

sola ad Romanos probavit (*Rom.* 4. 3), non minus tamen idem hic agit ita dicens : 7. *Scitote ergo, quod qui ex fide sunt, hi filii sunt Abrahæ.* Deinde hoc ipsum veteris Scripturæ testimonio probat. 8. *Prævidens enim Scriptura, quod ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ, dicens : In te benedicentur omnes gentes* (*Gen.* 12. 3). Itaque si non ii, qui cum illo naturalem cognationem habent, sed qui nullam cum illo habent, fidem vero illius imitantur, filii sunt : perspicuum est quod in hunc inseruntur gentes quæ crediderunt : id enim significat cum ait : *In te benedicentur omnes gentes.*

3. Per hæc autem et aliud quiddam magnum declaratur. Nam quoniam illud eos turbaverat, quod lex antiquior esset, fides autem post legem : et hanc illis eximit suspicionem, ostendens fidem esse lege antiquiorem, idque liquere ex Abrahamo : priusquam enim exsisteret lex, ille justificatus est. Ostendit autem ea quoque quæ nunc fiunt, secundum prophetiam evenisse : *Prævidens*, inquit, *Scriptura, quod ex fide justificat Deus gentes, non ex lege, prænuntiavit Abrahæ.* Quid tandem hoc est? Qui, inquit, legem dedit, idem et priusquam legem daret, hoc definierat, ut gentes per fidem justificarentur. Non dixit, Revelavit ; sed, Lætam rem nuntiavit, ut intelligas patriarcham tali justificationis modo gavisum fuisse, ac vehementer ut hoc contingeret desiderasse. Cæterum quoniam illos et alter quidam habebat metus (scriptum erat enim, *Maledictus omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis hujus, ut faciat ea* [*Deut.* 27. 26]) : et hunc eximit metum, sapienter ac prudenter rursus hoc vertens in contrarium, et ostendens quod non solum non sint exsecrationi obnoxii qui legem relinquerent, sed et benedictionis participes : contra qui legem obtinerent, adeo non benedicti, ut etiam exsecrabiles. Siquidem illi dicebant : Qui non servaverit legem, maledictus est : hic vero declarat, eum qui servat, exsecrabilem esse ; qui non servat, benedictum. Rursum illi dicebant, Qui sola fide nititur, exsecrabilis est : hic contra demonstrat eum, qui sola fide nititur, benedictum esse. Quomodo ergo hæc omnia declarat? non enim rem vulgarem polliciti sumus ; ideo oportet sequentibus diligenter attendere. Ostenderat quidem hoc antea, cum narraret Scripturam dixisse patriarchæ, *In te benedicentur omnes gentes.* Tum vero lex non erat, sed fides ; ideoque ratiocinans subjunxit : 9. *Itaque qui sunt ex fide, benedicuntur cum fideli Abraham.* Porro ne hinc ansam arriperent contradicendi, dicerentque : Merito ex fide justificatus ; nondum enim erat lex ; at tu mihi demonstra post traditam legem, fidem justificare. Ad id venit, ac plus demonstrat quam illi quærunt, nimirum non modo justificare fidem, verum etiam legem ipsa utentes obnoxios exsecrationi reddere. Hæc ut intelligas, audi ipsius apostoli verba : 10. *Quotquot enim ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt.* Verum hæc est sententia, nondum habens probationem Quæ igitur probatio? Ex ipsa lege : *Maledictus enim*, inquit, *omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis hujus, ut faciat ea.* 11. *In lege autem neminem justificari, cuivis perspicuum est.* Omnes enim peccaverunt, et sub maledicto sunt. Verum hoc modo non loquitur, ne videatur ipse ex se pronuntiare, sed iterum idem probat testimonio breviter utrumque complectente, alterum quod nullus legem implesset ; unde et exsecrabiles erant : alterum quod fides justificet. Quod igitur testimonium? Ex propheta Habacuc ita loquente : *Justus autem ex fide vivet* (*Habac.* 2. 4). Hoc enim non solum ostendit ex fide justificationem esse, verum etiam fieri non posse ut per legem contingat salus. Posteaquam, inquit, legem nemo servavit, sed omnes ob transgressionem erant obnoxii maledicto, excogitata est facilior quædam via per fidem : quod ipsum maximum est argumentum, ex lege neminem posse justitiam adipisci. Non enim dixit propheta, Justus ex lege vivet : sed, *Ex fide.* 12. *Lex autem non est ex fide ; sed qui fecerit hæc, vivit in eis.* Hoc est, non tantum fidem requirit lex, sed opera quoque ; gratia vero ex fide servat ac justificat. Vides quomodo demonstraverit eos qui legi hærent, eo quod impleri non possit, exsecrationi fuisse obnoxios. Sed quomodo fides habet hanc vim, ut justificet? Nam hæc ante promisit, eaque magna vi comprobavit. Cum enim lex esset infirmior, quam ut posset hominem ad justitiam perducere, repertum est non leve remedium, nempe fides, quæ quod legi erat impossibile faceret. Ergo si et Scriptura dicit justum ex fide victurum, rejiciens justitiam quæ est per legem ; et si Abraham ex fide justificatus est, manifestum est magnam esse vim fidei. Sed eum qui non perseveraverit in lege, maledictum esse, et eum qui fidei innititur, justum esse, manifestum est. Sed unde, inquiet aliquis, poteris nobis probare, quod illa maledictio non amplius subsistat? Nam Abraham quidem ante legem fuit ; nos autem qui semel sub jugo fuimus servitutis, nos ipsos reddidimus obnoxios exsecrationi. Quis igitur est qui solvit illam exsecrationem? Vide quam celeriter huic etiam objectioni occurrit : quamquam et ea quæ dicta sunt, sufficiant. Etenim qui semel justificatus est, mortuusque legi, ac vitam novam amplexus est, qui possit esse obnoxius exsecrationi? At his contentus non est, verum et aliis modis rem aggreditur, scribens : 13. *Christus nos redemit de maledictione legis, factus pro nobis maledictum : scriptum est enim : Maledictus omnis qui pendet in ligno* (*Deut.* 21. 23). Verum alii populus maledicto fuit obnoxius, ut dicitur : *Maledictus omnis qui non permanserit in iis quæ scripta sunt in libro legis hujus* (*Ib.* 27. 26). Et quid hoc? Nam populus quidem obnoxius erat ; non enim permanserat in lege, neque quisquam erat qui legem totam implevérat ; at Christus hanc maledictionem altera permutavit, quæ dicit : *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Quoniam igitur et qui pendet, maledictus est ; et qui legem transgreditur etiam maledictus : non oportuit illum qui maledictum illud

erat sublaturus, obnoxium eidem fieri maledicto; verum pro illo aliud erat suscipiendum maledictum quod et suscepit, per quod illud aliud sustulit; perinde faciens, ac si morti adjudicatum quempiam, alius insons, illius damnati vice sponte mori volens, eripiat: sic et Christus fecit. Cum enim Christus non esset obnoxius maledicto transgressionis, hoc in se recepit pro omnibus, ut omnes ab illo liberaret: *Peccatum* enim, inquit, *non fecit, nec inventus est in ore illius dolus* (*Isai.* 53. 9).

4. Itaque sicut mortuus eos quibus erat moriendum, exemit a morte, ita et, maledicto in se recepto, a maledicto liberavit. 14. *Ut in gentes veniret benedictio Abrahæ.* Quomodo in gentes? *In semine*, inquit, *tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* 22. 18): hoc est, in Christo. Quod si hoc de Judæis dictum esset, quomodo rationi consentaneum erat, ut qui ob transgressionem maledicto erant obnoxii, cæteris essent auctores benedictionis? nullus enim maledictus alii dat benedictionem, cujus ipse est expers. Unde liquet totum hoc de Christo dictum esse: ipse enim erat semen Abrahæ, et per illum gentes benedicuntur, atque ita advenit Spiritus promissio; quod ipsum significans dicebat: *Ut promissionem Spiritus accipiant per fidem.* Etenim cum non posset gratia Spiritus in eum, qui ingratus erat et offenderat, venire, primum benedicuntur sublata maledictione; deinde per fidem justificati, attrahunt Spiritus gratiam. Proinde crux sustulit maledictum, fides invexit justitiam, justitia vero gratiam Spiritus allexit. 15. *Fratres, secundum hominem loquor; tamen hominis confirmatum testamentum nullus irritum facit, aut superordinat.* Quid est, *Secundum hominem loquor?* Humanis utor exemplis. Posteaquam enim et ex Scripturis, et ex miraculis apud illos editis, et ex iis quæ Christus passus est, denique ab ipso patriarcha sermonem confirmavit, jam ad communem digreditur consuetudinem. Solet enim Paulus hoc semper facere, ut sermonem leniorem reddat, quo et facilius recipiatur, et crassioribus fiat intelligibilior. Sic et Corinthiis disserens ait, *Quis pascit gregem, et ex lacte ejus non vescitur? quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit* (1. *Cor.* 9. 7)? ac rursus Judæis, *Testamentum enim in mortuis ratum, est quoniam nondum valet, dum vivit qui testatus est* (*Hebr.* 9. 17). Quin et aliis compluribus locis aliquis comperiet illum talibus libenter immorantem rationibus, quandoquidem et Deus in Veteri Testamento idem hoc assidue facit, hunc in modum loquens: *Nam mulier obliviscetur filii sui?* ac rursum, *Num dicet figmentum figulo, Quid facis* (*Isai.* 49. 15. *et* 29. 16)? Item in Osee maritum imitatur ab uxore despectum (*Osee.* 1. 2). Insuper et in figuris multum humanorum exemplorum cernere quispiam poterit: veluti cum cingulum accipit propheta, et in domunculam figuli (*Jer.* 18. 2) subit. Quid igitur sibi vult exemplum? Quod fides fuit antiquior, lex vero tum recentior tum temporaria, et in hoc data, ut præcedens viam aperiret fidei: ideoque dicit: *Fratres, secundum hominem loquor.* Cum superius illos appellarit stultos, hic fratres vocat; simul et perstringens eos et consolans. *Tamen hominis confirmatum testamentum.* Si homo, inquit, condit testamentum, num quis audet superveniens invertere aut adjicere quidpiam? nam hoc est quod ait, *Aut superordinat.* Multo magis igitur hoc non est faciendum in Deo. Et cui Deus condidit testamentum? 16. *Abrahæ*, inquit, *dictæ sunt promissiones: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Non dicit, In seminibus, tamquam in multis; sed tamquam in uno, Et semine tuo, quod est Christus.* 17. *Hoc autem dico, Testamentum prius confirmatum a Deo in Christum, lex quæ post quadringentos ac triginta annos facta est, non irritum facit, ut inanem reddat promissionem.* 18. *Nam si ex lege hereditas, non jam ex promissione: Abrahæ vero per repromissionem donavit Deus.* Ergo igitur et Deus fecit testamentum Abrahæ, dicens, per semen ejus venturas benedictiones in gentes: quomodo igitur lex eas potest subvertere? Quia enim exemplum totum non potuit deducere ad materiam propositam, ideo præmisit, *Secundum hominem loquor.* Nihil de exemplo ad Dei magnificentiam deducas. Perpende autem exemplum a principio. Promiserat Abrahæ Deus fore, ut per semen ipsius benedicerentur gentes: semen autem ejus secundum carnem est Christus. Venit post quadringentos et triginta annos lex. Itaque si lex confert benedictiones, vitam, et justitiam, repromissio illa antiquata est. Itane fit igitur, ut cum hominis testamentum nullus irritum faciat, Dei testamentum post quadringentos triginta annos irritum sit? Etenim si quod illud testamentum promisit, non præstat ipsum, sed alius pro illo præstat, certe illud rejectum est. Et quomodo possent hæc congruere rationi? 19. *Cur ergo*, inquies, *dedit legem? Propter transgressiones.* Nec enim hæc est superflua. Vides ut omnia perspicit, ut innumeris utitur oculis? Quoniam extulerat fidem, declarans eam fuisse antiquiorem lege; ne quis existimaret legem esse supervacaneam, hanc quoque partem corrigit, demonstrans eam non frustra, sed admodum utiliter fuisse datam: *Ob transgressiones*, inquit, *data fuit:* hoc est, ne liceret Judæis secure vivere, atque in extremam prolabi malitiam, sed ut lex illis freni vice foret imposita, erudiens, componens, prohibensque transgredi, si minus omnia, certe aliquot præcepta. Itaque non mediocris erat ex lege fructus. Sed quousque? *Donec veniret semen, cui promissio facta fuerat.* De Christo loquitur. Proinde si usque ad Christi adventum data est, quid eam longius et ultra tempus prorogas? *Disposita per angelos in manu mediatoris.* Aut sacerdotes vocat angelos, aut dicit angelos subministrasse ferendæ legi. Mediatorem autem hic appellat Christum, declarans quod is ante legem fuerit, ipseque legem dederit. 20. *Mediator autem unius non est, sed Deus unus est.*

5. *Contra Anomœos.* — Quid hic dicturi sunt hæretici? Etenim si, quod solus Pater dicitur verus Deus (*Joan.* 17. 3), obstat quominus Filius sit verus Deus,

profecto nec Deus, erit, quod de solo Patre dicatur, *Deus unus est* (*Deut.* 6. 4). Quod si dum unus Deus dicitur Pater (1. *Cor.* 8. 6), Deus est et Filius : perspicuum est, quod cum solus Pater dicitur verus Deus, verus Deus sit et Filius. Mediator autem, inquit, duorum quorumpiam mediator est. Cujus igitur mediator fuit Christus ? Clarum est quod inter Deum et homines intercesserit. Viden' quomodo declarat quod ipse etiam legem dederit? quod si ille legem dedit, habet etiam auctoritatem abrogandi. 21. *Lex igitur adversus promissa Dei ?* nam si in semine Abrahæ repromissiones datæ sunt, lex autem inducit maledictionem, est utique adversus promissa Dei. Quomodo igitur solvit objectionem? Primum quidem negat, dicens, *Absit :* deinde etiam probat, ita loquens : *Nam si fuisset data lex, ut posset vivificare, vere ex lege fuisset justitia.* Quod autem dicit, hoc est : Si in lege, inquit, vitæ spem habuissemus, et hæc potestatem habuisset nostræ salutis, fortassis ista recte diceres : si vero per fidem servat, etiam si lex maledictos reddat, nihil detrimenti capiebas, postquam venit fides, omnia dissolvens. Nam si per legem fuisset repromissio, jure metuisses ne exclusus a lege simul et a justitia excluderetur : at si ideo data est lex, ut omnes concluderet, hoc est, coargueret, ostenderetque eis ipsorum peccata; non solum non obstat quominus consequaris repromissiones, verum etiam confert ad eas adipiscendas. Hoc itaque significans dicebat : 22. *Sed conclusit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio per fidem Jesu Christi daretur credentibus.* Nam quoniam Judæi ne sentiebant quidem sua peccata, non sentientes autem nec desiderabant remissionem, dedit legem quæ proderet vulnera, quo medicum requirerent. Quod enim dixit, *Conclusit*, perinde valet ac si dixisset, Coarguit, et coargutos continuit in metu. Vides quod non solum adversus Dei promissa data non fuit, verum etiam pro promissis ? Etenim si lex sibi negotium hoc vindicasset et auctoritatem habuisset, recte ista dicerentur : sin alteri currit, ac propter illum omnia facit, quomodo est adversus promissa Dei ? Nam si lex data non fuisset, omnes in malitiam fuissent devoluti, neque quisquam Judæorum Christum auditurus fuisset : nunc vero data lex, hæc duo præstitit bona; alterum, quod virtutem mediocrem docuit eos qui ipsi attendebant; alterum, quod ipsis suaserit ut agnoscerent sua peccata, quæ res illos maxime reddidit promptos ad quærendum Filium. Itaque qui non crediderunt legi, eo quod non condemnarent sua peccata, non crediderunt Christo. Idque significans ait : *Ignorantes enim Dei justitiam, et propriam justitiam statuere quærentes, justitiæ Dei non fuerunt subjecti* (*Rom.* 10. 3). 23 *Priusquam autem veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in futuram fidem, quæ erat revelanda in nos.* Vides ut dilucide quæ diximus declarat? Nam quod dixit, *Custodiebamur*, et, *Conclusi*, nihil aliud significat, quam tutelam ex legis præceptis adhibitam. Lex enim timore veluti muro quodam continens illos, per ipsam secundum legem vitam reservabat illos fidei. 24. *Itaque lex pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide justificaremur.* Pædagogus autem non adversatur præceptori, sed adjuvat, arcens adolescentem ab omni vitio, reddens illum idoneum omni studio percipiendis iis quæ tradit præceptor : verum cum jam habitum collegerit, discedit pædagogus. Ideo dicit : 25. *At ubi venit fides, quæ in virum perfectum educit, non amplius sub pædagogo sumus.* 26. *Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu.* Itaque si lex est pædagogus, et sub hoc custodiebamur conclusi, non adversatur gratiæ, sed adjuvat : quod si postquam advenit gratia, perseverat constringere, tum est adversaria. Etenim si quos oportebat exire ad illam, apud sese concludat, tum nostram corrumpit salutem. Quemadmodum si lucerna, quæ noctu præluxit, jam orto die vetaret nos obtueri solem, non præstaret officium, verum etiam læderet : itidem et lex si obstaret ad meliora pergentibus. Qui ergo nunc eam servant, ii maxime traducunt illam : siquidem et pædagogus tunc ridiculum reddit adolescentem, cum tempore postulante ut ab eo discedat, apud se detinet. Et ideo Paulus sic ait : *Posteaquam venit fides, non amplius sub pædagogo estis.* Itaque non amplius sub pædagogo sumus. *Omnes enim filii Dei estis.* Papæ, quanta fidei vis, et quomodo eam progressu sermonis aperit! Prius enim ostendit, quod fides redderet filios patriarchæ, *Scitote*, inquiens, *qui ex fide sunt, hos esse filios Abrahæ :* nunc vero demonstrat eosdem esse filios Dei : *Omnes enim*, inquit, *estis filii Dei per fidem quæ est in Christo Jesu :* per fidem, non per legem. Post hæc quoniam res est magna et admirabilis, explicat et modum quo fiunt filii Dei. 27. *Quicumque enim in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Et cur non dixit, Quicumque in Christum baptizati estis, ex Deo nati estis? hoc enim congruebat ad demonstrandum quod essent filii. Sed rem ille modo tremendo magis exponit. Etenim si Christus est Filius Dei, tu vero illum induisti; cum habes Filium in te, et in illum per similitudinem transformatus es, in eamdem cognationem unamque speciem perductus es. 28. *Non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est mas aut femina : omnes enim vos unus estis in Christo.* Vides animam insatiabilem ? Cum enim dixisset : *Omnes facti sumus filii Dei per fidem*, non hic gradum sistit, sed quærit etiam amplius aliquid invenire, quod evidentius approbare queat propiorem erga Christum conjunctionem. Cumque dixisset, *Christum induistis*, ne hoc quidem dicto contentus est, sed explanans illud, ultra talem conjunctionem progreditur, et *Omnes unus estis in Christo Jesu ;* hoc est, Eamdem formam, eumdem typum habetis omnes, videlicet Christi. Quid his verbis esse possit magis stupendum aut reverendum ? Qui prius erat ethnicus aut Judæus aut servus, nunc obambulat formam gestans non angeli, neque archangeli, sed universorum Domini, in sese Christum repræsentans. 29. *Quod si*

vos estis Christi, ergo Abrahæ semen estis, ac secundum repromissionem heredes. Vides ut quod antea dixerat, nunc demonstrat, videlicet de semine, quod Abrahæ et semini ejus benedictiones sint datæ?

CAPUT IV.

1. *Dico autem, quanto tempore heres parvulus est, nil differt a servo, cum sit dominus omnium;* 2. *sed sub tutoribus et procuratoribus est usque ad tempus præfinitum a patre.* 3. *Sic et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes.*

1. Parvulum hic non ætate dicit, sed animo, significans quod Deus initio voluerit ista largiri: verum ubi vidit nos adhuc puerili esse affectu, passus est nos sub elementis mundi agere, hoc est, sub neomeniis et sabbatis: nam hi dies nobis a lunæ solisque cursu redeunt. Proinde si nunc quoque vos sub legem redigunt, nihilo secius faciunt, quam si vos tempore ætatis adultæ rursus ad relictum pueritiæ tempus traherent. Vides quanta res sit observatio dierum? eum qui dominus est ac paterfamilias, et omnem potestatem habet, in famuli locum redigit. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege,* 5. *ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Duas hic causas refert ac beneficia assumptæ carnis, videlicet liberationem a malis, et bonorum subministrationem, quæ quidem nullus præstare poterat, nisi ipse solus. At quæ tandem erant illa? Liberari a maledicto legis, et adoptari in jus filiorum. Ait enim: *Ut eos qui sub lege erant redimeret, et ut adoptionem filiorum reciperemus.* Pulchre dixit, *Reciperemus*, indicans esse debitum. Jam olim id repromisit Abrahæ, quemadmodum et ipse multis verbis declaravit his de rebus factas repromissiones. Et unde constat, inquies, nos factos esse filios Dei? Dixit modum unum, quia Christum induimus, qui est Filius: dicit et alterum, quia spiritum adoptionis accepimus. 6. *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba Pater.* 7. *Itaque jam non es servus, sed filius, quod si filius, ergo et heres Dei per Christum.* Non enim potuissemus illum appellare patrem, nisi prius facti fuissemus filii. Si igitur pro servis liberos, pro parvulis adultos, pro alienis heredes ac filios fecit gratia; annon absurdum et admodum ingrati animi sit, hac omissa, redire ad ea quæ relicta sunt a tergo? 8. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, serviebatis iis qui natura non sunt dii:* 9. *nunc autem cum cognoveritis Deum, imo potius cogniti sitis a Deo, quomodo denuo convertimini ad infirma et egena elementa, quibus denuo vultis servire.* Hic ad eos, qui ex gentibus crediderant, orationem dirigens ait, quod res hujusmodi sit idololatria, qualis est dierum observandorum custodia, quodque nunc his gravius debetur supplicium. Ideo elementa vocavit, non natura deos, hæc ipsa persuadere cupiens, eosque in majorem impellere perturbationem. Hoc autem vult significare: Tunc quidem obtenebrati et in errore versantes, humi trahebamini: nunc vero posteaquam novistis Deum, vel cogniti potius estis ab illo, qui fieri potest ut non vobis majus et acerbius supplicium accersatis, post tantam vobis impensam curam, in eumdem relapsis morbum? Neque enim vos labore vestro Deum invenistis, sed vos quidem in errore versabamini; ille vero vos ad se traxit. Porro elementa infirma vocat et egena, quod nullam vim habeant ad bona proposita. 10 *Dies observatis et menses et tempora et annos.* Ex his clarum est, quod non solum circumcisionem eis prædicaverant illi, verum etiam dies festos et neomenias. 11. *Timeo de vobis, ne forte frustra laboraverim erga vos.* Vides viscera apostolica? illi jactantur fluctibus, et hic tremit ac metuit. Ideo vehementer illis inculiens pudorem, hoc ait, *Laboravi erga vos:* perinde quasi dixisset, Ne tantos meos sudores reddatis inanes. Cum autem dicit, *Metuo*, et addit, *Ne forte*: simul et metum illis injecit, et in bonam spem erexit. Non enim dixit, Frustra laboravi, sed, *Ne forte.* Nondum, inquit, accidit naufragium, sed adhuc tempestatem hoc parturientem cerno. Propterea metuo, non despero: vobis enim in manu est totum hoc corrigere, et ad pristinam redire tranquillitatem. Deinde ea tempestate jactatis manum porrigens, seipsum in medium profert, dicens: 12. *Estote sicut ego, quoniam ego sicut vos.* Hæc ad eos qui crediderant ex Judæis: ideoque semet in medium adfert, hinc illis persuadere cupiens ut vetera relinquant. Nam etiamsi nullum alium haberetis pro exemplo, sufficiebat me tantum intueri, ut talem faciatis mutationem, facileque sumatis fiduciam. Ergo me intuemini: nam et ego simili modo quondam fueram affectus, et quidem vehementer, et ardebam studio legis; attamen postea non veritus sum legem relinquere, nec ab illo vitæ instituto desciscere. Et hæc vos probe nostis, quomodo supra modum certarim pro retinendo Judaismo, et quomodo postea majore studio eum reliquerim. Ac recte quidem illud posteriore posuit loco. Siquidem multi homines, etiamsi innumeras inveniant rationes easque justas, tamen ab eo quod est cognatum, magis attrahuntur; cumque viderint alium hæc agentem, facilius hærent iisdem. *Fratres, rogo vos, nihil me læsistis.* Vide ut rursus honorifico nomine compellat illos: hoc ipsum autem gratiam commemorat. Postquam enim illos acriter perstrinxerat undique facta comparans, ostenderatque eos legem transgredi, atque omni ex parte in eos jacula torserat, rursus medicatur ac mitigat, lenioribus utens dictis. Quemadmodum qui perpetuo mitigat in medicando, remissum hominem facit: ita semper asperis uti sermonibus, magis exacerbat hominem: ideo bonum est ubique moderatis uti. Vide igitur quomodo se purgat super iis quæ dixit, declarans se non sine causa infensum illis visum esse, sed curam illorum gerentem talia dixisse. Etenim

postquam altiorem fecerat sectionem, deinceps hanc consolationem velut oleum infundit; ac declarans non ab odio nec a simultate profecta esse quæ dicta sunt, commonefacit illos caritatis, quam illis exhibuerat, miscetque laudem excusationi.

2. Ideo dicit : *Rogo vos, nihil me læsistis.* 13. *Sed scitis, quod ob infirmitatem carnis meæ evangelizaverim vobis prius;* 14. *ac meam tentationem, quæ erat in carne mea, non sprevistis.* Verum illud nihil adhuc magni est, in nullo læsisse : neque vulgaris sane homo eum qui non fecit injuriam lædere vellet, frustraque et sine causa molestus esse. Vos autem non solum non læsistis, verum etiam multam et inenarrabilem exhibuistis benevolentiam : ac fieri nequaquam possit, ut quibus tantæ curæ fuisset, hæc iis ex malevolentia loqueretur. Non igitur ob inimicitiam hæc loquor, sed ex affectu ac sollicitudine. *Rogo vos, nihil me læsistis. Nostis autem, quod ob infirmitatem carnis meæ evangelizaverim vobis.*

Paulus quam mansuetus esset. — Nihil illa beata anima mansuetius, nihil dulcius, nihil amantius. Proinde nec illa superiora ab impotente iracundia animique commotione fuerant profecta, sed ex abundantia sollicitudinis. Et quid dico, Non læsistis me? multam etiam ac sinceram sollicitudinem erga me exhibuistis. *Nostis* enim, inquit, *quod ob infirmitatem carnis evangelizaverim vobis; et tentationem quæ erat in carne mea, non sprevistis neque respuistis.* Quid tandem est quod dicit? Ejiciebar, inquit, flagellabar, innumeras mortes sustinebam prædicans vobis, ac ne sic quidem sprevistis me : nam hoc innuit dicens : *Tentationem quæ erat in carne mea, non sprevistis neque respuistis.* Vides prudentiam spiritualem? In ipsa enim purgatione pudorem illis ingerit, ostendens quam multa pro illis passus fuerit. Attamen horum, inquit, nihil vobis fuit offendiculo, nec ob afflictiones et persequutiones meas aversati me fuistis : hoc enim vocat infirmitatem ac tentationem. *Sed velut angelum Dei excepistis me.* Annon igitur absurdum sit, persequutionibus agitatum, exsilio propulsum, velut angelum Dei excipere, admonentem et hortantem ad utilia non recipere? 15. *Quæ est igitur beatitudo vestra? Nam præbeo vobis testimonium, quod si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, mihique dedissetis.* 16. *Itaque inimicus factus sum vobis, vera loquendo vobis?* Hic dubitat ac vehementer admiratur, cupitque ab ipsis mutationis causam discere. Quis enim, inquit, vos seduxit, ac persuasit, ut aliter sitis erga nos affecti? Nonne vos estis qui mihi inserviebatis, qui mei curam gerebatis, qui me oculis carissimum habebatis? Quid igitur accidit? unde inimicitia? unde suspicio? an quia vera loquutus sum vobis? Atqui hac de causa par erat, ut me magis in honore haberetis, majoreque studio prosequeremini : nunc autem inimicus factus sum, vera loquens vobis : Ego enim, inquit, aliam causam non novi, quam quod vera dixerim vobis. Et vide quanta humilitate sese excusat. Neque enim ex officiis quæ ipse in eos contulerat, sed ex iis quæ illi in ipsum præstiterant, ratiocinatur fieri non posse, ut hæc ex malevolentia dicantur. Non enim sic loquutus est : Et qui fieri potest, ut qui vestri causa flagellabatur, ejiciebatur, innumera patiebatur mala, nunc vobis insidietur? sed de quibus gloriari poterant illi, ab iis argumenta colligit, dicens : Quomodo potest, qui a vobis sic honoratus est, qui ut angelus exceptus est, contraria rependere? 17. *Æmulantur vos non vere, sed excludere vos volunt, ut ipsos æmulemini.* Est enim bona æmulatio cum quis sic æmulatur, ut virtutem imitetur : est et mala æmulatio, cum quis ea facit, ut recte agentem depellat a virtute : quod sane et isti nunc conantur, studentes vos a perfecta cognitione detrudere, et ad mutilatam ac spuriam deducere, non aliam ob causam, nisi ut ipsi quidem in loco magistrorum sedeant, vos autem qui nunc estis illis sublimiores, in classe discipulorum collocent. Hoc enim declaravit dicens, *Ut ipsos æmulemini.* Ego vero, inquit, contrarium opto, ut illos antecedatis, et perfectioribus exemplum efficiamini. Quod sane factum est cum apud vos essem : ideoque subjunxit : 18. *Bonum est æmulari in bono semper, et non solum cum adsum apud vos.* Hic subnotat ipsius absentiam hujus mali fuisse causam, idque beatum esse, si discipuli non solum præsente magistro mentem quam oportet obtineant, verum etiam absente. Cæterum quoniam illi nondum ad hoc perfectionis pervenerant, omnia facit, ut in hoc illos instruat. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Vide commotum, vide turbatum! Fratres mei, rogo vos : *Filioli mei, quos iterum parturio.* Matrem refert de liberis trepidantem. *Donec formetur Christus in vobis.* Vides paterna viscera? vides anxietatem apostolo dignam? vides qualem emittit ejulatum, multo tristiorem, quam solet esse parturientium? Corrupistis, inquit, imaginem, perdidistis cognationem, formam immutastis : opus est ut renascamini, utque refingamini; et tamen filios voco fœtus abortivos. Verum hunc in modum non loquitur, sed aliter : parcit enim illis, nec vult ferire, nec vulnera vulneribus addere : at quemadmodum eruditi medici eos, qui in longum incidunt morbum, non protinus ac semel, sed ex intervallo curant, ne despondentes animum, pereant : sic et hic beatus. Nam et hi parturientis dolores hinc corporis sunt acriores, quo major erat affectus caritatis, et peccatum erat non vulgare.

3 Hoc enim semper dixi, nec dicere desinam, quod pusilla quæpiam transgressio rerum faciem et formam vitiavit. 20. *Vellem esse præsens apud vos nunc, et mutarem vocem meam.* Considera mihi sibi non temperantem, considera ferventem, considera non potentem talia ferre. Talis nimirum res est caritas : non contentus est verbis, sed insuper quærit præsentiam. *Ut,* inquit, *immutem vocem meam.* Hoc est, Ut vertam eam in ploratum, ut moveam lacrymas, quo simul omnia ad lamenta pertraham. Per epistolam enim non licebat ostendere lacrymas, neque gemitum : et hinc ardet præsentiam desiderans. *Quoniam confundor in vobis.* Non enim, inquit, habeo

quid dicam, quid cogitem. Unde hoc, ut qui prius cælorum culmen ascenderatis partim ob pericula fidei causâ tolerata, partim ob signa quæ per fidem edidistis, nunc adeo repente ad tantam vilitatem deducti sitis, ut ad circumcisionem et sabbata pertrahamini, et judaizantibus adhæreatis? Ob id etiam initio dixerat, *Miror quod tam cito transferimini* (*Gal.* 1. 6); et hic dixit, *Confundor in vobis:* perinde quasi dixisset: Quid dicam? quid loquar? quid cogitabo? perplexus sum: unde et plorem necesse est: quod quidem in rebus perplexis faciunt etiam prophetæ. Est autem hæc non levis curandi ratio, si non solum consulas, verum etiam lamenteris. Nam hoc et Milesiis loquens dicebat, *Triennium cum lacrymis admonere vos non cessavi* (*Act.* 20. 31). Idem hic dicit, *Ut immutem vocem meam.* Siquidem quoties rebus perplexis ac desperatis præter spem obortis victi sumus, deinceps ad lacrymas vertimur. Posteaquam igitur objurgarat acriter, et pudorem incusserat, ac rursus hæc mitigaverat, deinde ad lacrymas vertitur. Comploratio autem non solum habet increpationem, verum etiam blandiloquium. Neque enim exasperat sicut castigatio; neque remissum facit, quemadmodum mitigatio, sed remedium est utrimque mixtum, multamque vim habet ad exhortandum. Posteaquam igitur deploravit, et eorum mentem emollivit ac vehementius sibi conciliavit, denuo redit ad contentionem, majus proponens caput, et ostendens quod ipsa lex nolit se servari. Tum quidem ab Abraham sumptum exemplum adduxerat, nunc vero legem ipsam inducit admonentem ne servetur, sed ut ab ipsa jam secedant: quod erat vehementius. Itaque si legi parere vultis, inquit, discedite ab illa: nam hoc vult ipsa. Verum hoc pacto non loquitur, sed alia ratione idem agit, admiscens etiam historiam. 21. *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non auditis?* Recte dixit, *Qui vultis:* neque enim hoc gerebatur, neque rerum series hoc postulabat, sed illorum intempestiva contentio. Legem autem hic vocat librum conditi mundi, quod alias crebro facit, Vetus omne Testamentum sic appellans. 22. *Scriptum est enim, quod Abraham duos filios habuit, unum ex ancilla, et alterum ex libera.* Rursus ad Abraham revertitur, non eadem iterans, sed quoniam apud Judæos patriarchæ nomen admodum erat celebre, declaratque, quod illinc figuræ ceperint initium, quodque ea quæ nunc fiunt, prius in illo fuerint depicta. Cumque prius demonstrasset Galatas esse filios Abrahæ, quoniam non ejusdem dignitatis erant patriarchæ filii, quorum alter ex ancilla, alter ex libera susceptus erat, jam deinceps declarat eos non solum esse filios, sed eo modo filios, quo fuit ille liber ac nobilis. Tanta est fidei vis. 23. *Sed is quidem qui ex ancilla, secundum carnem natus est: qui vero ex libera, secundum repromissionem.* Quid est, *Secundum carnem?* Quoniam dixerat quod fides nos jungit Abrahæ, idque videbatur audientibus esse incredibile, si qui ex illo nati non fuissent, eos vocaret filios illius; ostendit hoc quod videbatur incredibile, divinitus esse factum. Nam Isaac non secundum naturæ ordinem, neque secundum conjugiorum legem, neque secundum carnis vires natus, et filius et germanus filius fuit, ex aridis corporibus satus, et a vulva illa progressus. Præterea neque caro conceptum, neque semen partum dedit: siquidem vulva bis erat emortua, et propter ætatem et propter sterilitatem, sed Dei sermo illum efformavit. In servo autem non itidem factum est, sed ille naturæ legibus et conjugiorum more natus est. Attamen qui non erat secundum carnem natus, prælatus est ei qui secundum carnem natus fuerat. Itaque ne vos conturbet, quod secundum carnem nati non estis. Nam ob hoc ipsum maxime estis illius cognati vos, quod secundum carnem non estis: quandoquidem secundum carnem esse natum, non solum non reddit honoratiores, verum etiam efficit minus honorabiles. Mirabilior enim magisque spiritualis est partus qui non est secundum carnem; idque patet ex iis qui cælitus nati sunt. Natus est enim secundum carnem Ismael, sed servus erat, nec id solum, verum etiam ejectus est e patriis ædibus; Isaac vero per repromissionem natus, tamquam verus, ut erat, filius et ingenuus, omnium dominus fuit. 24. *Quæ sunt per allegoriam dicta.* Præter usum autem figuram dixit allegoriam. Hoc autem vult significare: Hæc historia non hoc solum declarat quod apparet, verum et alia quædam prædicat, unde et allegoria dicta est. Quid autem prædicavit? Nihil aliud quam hæc omnia quæ nunc fiunt. *Hæc enim sunt duo testamenta, unum quidem a monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar. Hæc sunt:* quænam? Matres puerorum illorum Sara et Agar. Duo vero testamenta quid sunt? Duæ leges. Quoniam nomina feminarum erant in historia, perseveravit apostolus in appellatione generis, et ex ipsis nominibus multam ostendit consequentiam. Quomodo ex ipsis nominibus? 25. *Agar enim mons Sina est in Arabia.* Agar dicta est ancilla; mons autem Sina ita sonat illius gentis lingua.

4. Itaque omnes qui ex veteri Testamento nati sunt, oportet servos esse. Nam mons ille, ubi vetus Testamentum datum est, commune nomen habens cum ancilla, complectitur etiam Jerosolymam: nam hoc est quod ait: *Qui conjunctus est ei quæ nunc est Jerusalem.* Hoc est, vicinus est, contiguus est. *Servit autem cum filiis suis.* Quid igitur ex hoc docet? Quod non solum illa fuit ancilla, ac servos genuit, verum etiam hæc, videlicet Testamentum, cujus figura fuit ancilla: siquidem Jerosolyma finitima est monti cognomini ancillæ; in hoc autem monte etiam Testamentum est datum. Ubi ergo est figura Saræ? 26. *Quæ autem sursum est Jerosolyma, libera est.* Non igitur qui ex ea nascuntur, servi sunt. Inferioris igitur Jerosolymæ figura erat Agar, quod palam est ex monte ejus nominis; supernæ vero typus est Ecclesia. Attamen non est contentus figuris, verum et Isaiam adhibet testem iis quæ dicta sunt. Cum enim dixisset, supernam illam Jerusalem esse matrem nostram, et hanc vocasset Ecclesiam, citat prophetam ipsi suo calculo suffragantem: 27. *Exsulta* inquit,

sterilis, quæ non paris, erumpe, et clama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum. (*Isai.* 54. 1). Quæ igitur antehac sterilis, et quæ deserta? annon perspicuum est, hanc esse Ecclesiam ex gentibus, quæ antehac Dei cognitione fuit privata? Quæ vero est illa quæ habet virum? Nonne liquet hanc esse synagogam? Attamen hanc multitudine liberorum superavit sterilis, siquidem hæc unam dumtaxat habebat gentem; sed Ecclesiæ filii Græciam, Barbariam, terram, mare, denique orbem universum implent. Vides ut factis quidem Sara, verbis autem propheta nobis futura subnotarint? Sed et illud considera: sterilem appellavit Isaias, et hanc ostendit factam complurium liberorum matrem. Idem sub figura accidit in Sara: nam et hæc cum esset sterilis, numerosæ sobolis mater est facta. Cæterum ne hæc quidem Paulo sufficiebant, verum etiam quomodo sterilis mater sit facta disquirit, ut hinc etiam ad veritatem accommodet figuram; ideoque subdit, dicens: 28. *Nos autem, fratres, secundum Isaac repromissionis filii sumus.* Non enim sterilis tantum erat Ecclesia, quemadmodum Sara, neque solum multorum liberorum mater facta est ut illa, sed et ita genuit ut illa. Ut enim illam non natura, sed Dei repromissio fecit matrem (nam qui dixit: *Secundum tempus hoc veniam, et erit Saræ filius* [*Gen.* 18. 10], idem ingressus in uterum, infantem formavit): sic et nostra regeneratio natura quidem nulla est; at verba Dei, quæ norunt fideles, in aquæ lavacro per sacerdotem pronuntiata, tamquam in utero quodam formant ac regenerant eum qui baptizatur. Proinde si sterilis filii, et liberi sumus. Et quænam est ista libertas, dixerit aliquis, cum Judæi quidem constringerent ac flagellarent eos qui crediderant: illi vero qui putabantur esse liberi, persequutionibus affligerentur? hæc enim accidebant cum arderet fidelium persequutio. Verum ne hoc vos perturbet, inquit, quandoquidem hoc quoque præcessit in figura: nam et Isaac cum esset liber, a servo Ismaele persequutionem sustinuit: ideoque subjungit, dicens: 29. *Sed quemadmodum tunc qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui natus erat secundum spiritum: ita et nunc.* 30. *Sed quid dicit Scriptura? Ejice filium ancillæ: non enim erit heres filius ancillæ cum filio liberæ.* Quid igitur? hæccine consolatio est, demonstrasse liberos a servis persequutionem perpeti? Nequaquam, inquit: neque enim hic subsisto, sed audi quæ sequuntur, et tunc accipies consolationem, quæ sufficiat leniendis pusillanimorum persequutionibus. Quænam igitur sunt quæ sequuntur? *Ejice filium ancillæ: non enim erit heres cum filio liberæ.* Vidistin' signa temporariæ tyrannidis, et intempestivæ arrogantiæ? Ejectus est e paternis facultatibus puer, fitque et exul et erro simul cum matre. Jam mihi considera quam sapienter ista dicta sint. Non enim solum dixit, Persequebatur, et ideo ejectus est, sed, Ne fieret heres. Neque enim ob temporariam persequutionem hanc de illo pœnam sumpsit: nam id quidem leve erat, ac nihil ad eam rem: sed non permisit illum consortem fieri bonorum filio paratorum, significans quod etiam sublata persequutione, hoc illi ab initio prius signatum esset: quæ res non repetit initium a persequutione, sed a voluntate Dei. Nec dixit, Non erit heres filius Abrahæ; sed, *Filius ancillæ*, a viliore genere illi cognomen addens. At Sara sterilis erat: nam et Ecclesia ex gentibus congregata talis erat. Vides in omnibus servari figuram? Sicut enim illa cum per omnes pristinos ætatis annos non peperisset, in extrema senectute fit mater: ita et hæc, ubi venit plenitudo temporis, parit. Hoc autem et prophetæ prædixerant dicentes: *Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe, et clama, quæ non parturis: quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum* (*Isai.* 54. 1); Ecclesiam sic vocantes. Non enim noverat Deum; tamen ubi cognovit, vicit numerosæ sobolis synagogam. 31. *Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ.* Hæc omnia movet versatque, ostendere studens id quod factum est, non esse nuperum neque recens, sed jam inde ab initio et ante multa sæcula præfiguratum. Annon igitur absurdum, ante tantum sæculorum selectos ac libertatis consortes, ultro semetipsos in servitutis jugum tradere? Post hæc aliam addit causam, quæ persuadeat eis ut in dogmatibus perseverent.

CAPUT V.

1. *Libertate igitur, qua Christus vos liberavit, state.*

1. Num vos ipsos liberastis, quandoquidem rursum ad priorem recurritis dominatum? sed ipse est qui vos liberavit; alius est qui pretium dedit pro vobis? Vides quot modis illos abducat ab errore Judaico? Primum ostendens extremæ dementiæ esse, eos qui pro servis facti fuerant liberi, pro liberis velle fieri servos: deinde quod erga beneficum immemores et ingratos sese declaraturi sint, contemnentes eum qui liberavit, et amantes eum qui in servitutem pertraxit: tertio loco, quod hoc esset impossibile: lex enim jam non habebat dominium, cum alter nos omnes semel ab illius dominatu redemerit. Cum vero dicit, *State*, fluctuationem subindicat. *Ac ne rursum jugo servitutis implicemini.* Nomine jugi negotii molestiam illis significat: et cum ait, *Rursum*, ingentem illorum indicat stupiditatem. Nam si non fuistis hanc experti molestiam, non eratis perinde graviter incusandi: verum si cum experimento cognitum habeatis quam grave sit hujus jugi pondus post hæc denuo vos ipsos eidem submittitis, quam veniam mereri poteritis? 2. *Ecce ego Paulus dico vobis, quod si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* Vide quam atroces minæ. Merito ergo et angelos anathemati devovit. Quomodo autem Christus ipsis nihil proderit? Nam ipse hoc non probavit, sed pronuntiavit, quod deinceps personæ auctoritas satis esset pro quavis probatione (et ideo occupavit dicere, *Ecce ego Paulus dico vobis*: quæ vox erat confidentis iis quibus loquebatur): nos pro nostra virili ex nobis

ipsis hoc addemus, demonstrabimusque quomodo circumciso nihil profuturus sit Christus. Qui circumciditur, tamquam qui legem metuens circumciditur; eam qui metuit, diffidit viribus gratiæ; porro qui diffidit, nihil fructus capit ab ea cui diffidit. Rursus alio modo : Qui circumciditur, legem facit dominam; qui vero putat illam esse dominam, eamque ex majore parte transgreditur, ex minore servans, semetipsum subjicit maledicto; qui vero seipsum submittit maledicto, libertatem quæ est in fide repellens, quomodo potest esse salvus? Nam si dicere fas est quiddam incredibile, hic neque Christo neque legi fidit, sed in medio consistit, et hinc et illinc volens lucrum facere : ideoque nec hinc nec illinc lucrum accipiet. Deinde posteaquam dixisset, quod nihil esset illis profuturus Christus, ænigmatice ac paucis probationem adfert, ita loquens : 3. *Testificor autem omni homini qui circumciditur, quod debitor est totius legis implendæ.* Etenim ne putares hæc inimico animo dici : Non vobis, inquit, solum dico, sed cuivis homini, quisquis circumciditur, quod debitor est totius legis implendæ : legis enim præcepta inter se cohærent. Et ut qui ex libero descriptus est in servitutem, non amplius facit quæ vult, sed omnibus servitutis legibus obstrictus est : ita accidit in lege : ubi pusillam aliquam legis partem receperis, teque ipsum jugo submiseris, totum illius dominatum tibi accersisti. Idem fit in hereditate mundana : qui nihil attigit, ab omnibus liberatus est negotiis quæ sequuntur defuncti hereditatem. Quod si paulum aliquid attigerit, etiamsi non acceperit omnia, omnibus tamen sese obstrinxit qui partem attigit. Idem accidit in lege, non ob hunc tantum quem dixi modum, verum etiam ob alium quemdam : legis enim partes invicem cohærent. Circumcisio, ut exempli causa dicam, immolationem pecudum habet annexam, ac dierum observationem : immolatio rursus tum diei tum loci observationem habet annexam : locus innumerabiles purgationum ritus : purificationes examen quoddam observationum secum adferunt variarum. Non enim fas est impurum sacrificare, non sacra ingredi adyta, denique non aliud quidquam ejusmodi rerum agere. Quapropter per unicum præceptum multa lex attrahit. Itaque si circumcidaris, nisi circumcidaris octavo die; aut cum octavo quidem, sed non offertur sacrificium; aut cum sacrificium quidem offertur, sed non in loco præfinito; aut si in loco præfinito, non secundum legis præscripta; aut si secundum legis præscripta, sed non purus; aut si purus, non conveniente ritu purificatus, cuncta illa pereunt. Proinde dicit : *Debitor est totius legis implendæ.* Quod si lex habet auctoritatem, noli partem implere, sed totam : si non habet auctoritatem, ne partem quidem servare velis. 4. *Evacuati estis a Christo, quicumque in lege justificamini : a gratia excidistis.* Posteaquam argumentis rem probavit, deinceps pronuntiat, de extremo supplicio periculum esse. Cum enim is qui recurrit ad legem, nec hinc possit salutem consequi, et a gratia excidit, quid ei reliquum nisi supplicium indeprecabile, dum illa caret vigore, hæc vero non admittit hominem?

2. Posteaquam igitur illis hoc pacto metum auxit, ac mentem illorum perturbavit, postquam ostendit totum naufragium quod perpessuri sunt, e propinquo patefacit illis gratiæ portum : id quod ubique facit, facillimam simul et tutissimam demonstrans illinc esse salutem. Ideo subdit dicens : 5. *Nos enim per fidem in spiritu justitiæ spem accepimus.* Nihil, inquit, opus habemus illis legalibus : sufficit enim fides ad hoc, ut donet nobis spiritum, et per hunc justitiam, multaque insuper et magna bona. 6. *In Christo enim Jesu neque circumcisio quidquam valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Vides ut eos jam majore cum libertate aggreditur? Qui enim Christum induit, ne, inquit, talium sit curiosus. Atqui dixerat, noxiam esse circumcisionem; quomodo igitur eam facit indifferentem? Facit in iis, qui jam ante fidem eam habuerant, non in iis qui post fidem circumcidebantur. Vide vero quo illam dejecerit, collocans eam cum præputio. Quod enim eorum facit discrimen, fides est. Quemadmodum igitur si qui athletas deligit, sive naso aduncо sive simo, sive nigros sive candidos eligat, nihil refert ad probationem, sed illud unum spectandum est, ut validi doctique sint : ita qui adscribendus est in novum testamentum, huic nihil nocent hæc omnia corporalia, si absint, quemadmodum neque juvant si adsint. Quid autem est, *Quæ per dilectionem operatur?* Hic illis ingentem inflixit plagam, significans hanc subreptionem inde natam, quod caritas erga Christum in eis non egerit radices : non enim credere solum est quod quæritur, verum etiam in caritate perseverandum est. Ac si dixisset : Si dilexissetis Christum, sicut oportuit, nequaquam confugissetis ad servitutem; nequaquam eum qui vos redemit, deseruissetis; non reliquissetis, nec contumelia affecissetis eum qui vos in libertatem asseruit. Subindicat autem et illos qui Galatis insidiabantur, significans quod si illi quoque caritatem habuissent erga Galatas, non ista facere sustinuissent. Vult autem hoc verbo vitam illorum corrigere. 7. *Currebatis bene : quis vos impedivit?* Non hoc interrogantis est, sed deplorantis et anxii. Quomodo tantus cursus interruptus est? quis est qui tantum potuit? Qui omnibus quidem superiores, et in magistrorum eratis ordine, ne in discipulorum quidem classe mansistis. Quid accidit? quis tantum valuit? Hæc sunt exclamantis ac lamentantis, sicut et antea dicebat, *Quis vos fascinavit?* 8. *Persuasio non est ex eo qui vocat vos* (*Gal.* 3. 1). Non in hæc vos vocavit, ut ad istum vacillaretis modum : non hanc legem vobis præscripsit, ut judaizaretis. Deinde ne quis diceret, Quid rem verbis attollis, et oratione reddis atrocem? unicum tantum legis præceptum servavimus, et tantos cies tumultus? Audi quomodo terrorem illis incutit, non ex præsentibus, sed ex futuris, loquens hunc in modum : 9. *Exiguum fermentum totam massam corrumpit.* Sic et vos, inquit, hoc exi-

guum malum si non corrigatur, poterit in perfectum Judaismum pertrahere, sicut fermentum massam. 10. *Ego confido de vobis in Christo, quod nihil aliud sentietis.* Non dixit, Non sentitis, sed, *Non sentietis*, hoc est, corrigemini. Unde hoc nosti? Non dixit, Scio, sed, *Confido.* Confido, inquit, Deo, et illius opem invoco ad vestri correctionem confidens. Nec simpliciter dixit, *Confido de vobis*, sed adjecit, *In Christo.* Ubique enim laudi miscet accusationem : quasi dixisset, Novi meos discipulos, novi quam sitis correctu faciles : confido partim ob Christum, qui non patitur quidlibet etiam perire, partim propter vos, qui cito potestis revocare vos ipsos. Simul autem et adhortatur, ut ipsi etiam studium adhibeant, tamquam non possint a Deo consequi, nisi pariter quod in ipsis situm erat, adhibeant. *Qui autem conturbat vos, portabit judicium suum, quisquis fuerit.* Utrimque excitat illos, tum ex eo quod illis addidit fiduciam, tum ex eo quod pseudoapostolos exsecratur, aut de illis prophetiam emittit. Tu vero jam illud mihi considera, ut nusquam nomen edidit insidiantium, ne fierent impudentiores. Quod autem dicit, illud est : Non quia vos nihil aliud sentietis, ideo seductionis auctores liberati sunt a supplicio, sed dabunt pœnas : non enim par est, ut aliorum probitas aliorum malitiam sublevet. Hoc autem facit, ne et alios rursus invadant. Nec simpliciter dixit, Qui conturbat, sed exaggeravit sermonem, dicens, *Quisquis fuerit.* 11. *Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid etiamnum persequutionem patior?* Quoniam traducebatur apostolus hoc nomine, quod ubique judaizaret, ficteque prædicaret : vide quam pure semet explicet a suspicione, ipsos appellans testes. Nam vos quoque scitis, inquit, istam fuisse persequutionum mearum causam, quod a lege jubeam desciscere : si vero circumcisionem prædico, cur persequutionem patior? Neque enim aliud crimen mihi possunt intendere qui ex Judæis sunt, præterquam hoc solum. Nam si concessissem ut servatis majorum ritibus crederent, mihi non fuissent insidiati, nec ii qui crediderunt, nec ii qui non crediderunt, cum nihil ex ipsorum institutis labefactaretur. Quid igitur? annon prædicavit circumcisionem? annon circumcidit Timotheum (*Act.* 16)? Circumcidit quidem.

3. Quomodo ergo dicit, *Non prædico?* Et hic ejus disce accurationem. Non enim dixit, Non facio circumcisionem, sed, *Non prædico :* hoc est, Non ita jubeo credere. Etenim ne hinc caperes dogmatum confirmationem, circumcidi quidem, sed non prædicavi circumcisionem. *Ergo evacuatum est scandalum crucis.* Hoc est, obstaculum impedimentumque sublatum est, si verum est quod dicitis. Neque enim perinde crux erat offendiculo Judæis, ut quod non pareremus patriis legibus. Etenim cum Stephanum perduxissent in consilium, non dixerunt, Hic est qui crucifixum adorat, sed, *Loquitur*, inquiunt, *contra legem et locum sanctum* (*Ibid.* 6. 13). Idem crimen Christo impegerant, quod legem solveret (*Joan.* 5. 16). Propterea Paulus ait : Si concessa est circumcisio, soluta est quam habent adversum nos contentio; nulla jam inimicitia manet adversus crucem et prædicationem : quod si quotidie cædem exercent contra nos, quomodo hoc intendunt nobis crimen? Me quidem propter hoc adorti sunt, quod incircumcisum induxissem in templum. An igitur adeo stultus sum, inquit, ut cum permiserim circumcisionem, frustra et incassum tantum in me receperim mali, ut tantum offendiculum ponerem cruci? Videtis enim, quod nullam ob causam æque nobis sunt hostes, atque ob circumcisionem. Num igitur adeo vecors eram, ut pro re nihili et ipse affligerer, et aliis essem offendiculo? Porro crucis offendiculum vocavit, eo quod etiam sermo crucis hoc imperabat, idque potissimum erat quod offendebat Judæos, et vetabat ne crucem reciperent, videlicet quod juberentur a majorum institutis discedere. 12. *Utinam et concidantur qui vos conturbant.* Vide quam hic est amarulentus in eos qui Galatas seduxerant. In initio torquebat accusationem in seductos, semel atque iterum eos appellans stultos; verum ubi illos recte castigavit correxitque, deinceps in seductores fertur. Oportet autem nos et hanc apostoli sapientiam perspicere, quomodo hos tamquam proprios filios, et tamquam correctionis capaces admonet, et ad mentem revocat : eos vero qui seduxerant, velut alienos et insanabili morbo laborantes resecat, partim cum ita dicit, *Portabit judicium suum quisquis fuerit :* partim cum imprecans ait, *Utinam et abscindantur qui vos conturbant.* Ac recte dixit ἀναστατοῦντες, hoc est, depellentes. Compulerant enim eos, ut propria patria, ut libertate, ut cælesti cognatione relicta, alienam ac peregrinam requirerent, ut jam ab illa superna liberaque Jerosolyma exsules, cogantur velut captivi, solumque vertere jussi, incertis vagari sedibus. Quapropter illis imprecatur. Quod autem dicit, hoc est : Nulla est mihi cura de illis : *Hæreticum* enim, inquit, *hominem post unam et alteram admonitionem devita* (*Tit.* 3. 10). Si volunt, non solum circumcidantur, verum etiam exsecentur.

Contra eos qui virilia amputabant. — Ubi nunc sunt, qui seipsos audent evirare, simul et apostolicam imprecationem sibi accersentes, et Dei opificium accusantes, et cum Manichæis stantes? Nam illi quidem aiunt, corpus insidiosum esse malæque materiæ; hi vero factis suis, crudelibus illis opinionibus præbent ansam, dum membrum amputant velut insidians et inimicum. Itaque multo magis oportebat excæcare oculos; per oculos enim in animam descendit concupiscentia. Verum nec oculus, nec ullum aliud membrum est in culpa, sed sola prava animi affectio. Quod si non sustines, cur non et linguam ob blasphemias, cur non et manus ob rapinas, cur non et pedes ad malitiam currentes, denique cur non totum resecas corpus? Nam et aures delinitæ tibia, frequenter effeminarunt animam; et nares accepto suavi odore imposuerunt menti, et ad voluptatem lympharunt. Itaque circumcidamus omnia, et aures et manus et nares. Verum hæc extremæ sunt impietatis ac satanici furoris. Tantum oportet corrigere inconditum mentis impetum : isti vero sua resecant membra. Ita

malus dæmon perinde quasi erraverit Opifex, persuasit ut instrumenta perderent, semper gaudens cædibus. Qui fit igitur, dicet aliquis, ut saginato corpore effervescat concupiscentia? Ecce rursus est animi delictum; nam saginare carnem, non est carnis, sed animi: nam si vellet extenuare, habet idem omnem potestatem. At tu perinde facis, quasi si quis videns aliquem accendentem ignem, ac lignis impositis domum incendere, omisso eo qui fecit incendium, flammam accuset, quæ correptis multis lignis in altum se sustulerit. Atqui culpa non est ignis, sed ejus qui ignem accendit. Hic enim ad parandos cibos, ad præbendam lucem, adque alia id genus ministeria datus est, non ad conflagrationem ædium. Quemadmodum et concupiscentia ad liberorum procreationem vitæque conservationem data est, non ad adulterium, scortationes ac lascivias; ut pater fieres, non ut adulter; ut legitime verseris cum uxore, non ut contra fas eam corrumpas; ut relinquas tuum semen, non ut alienum vities. Nam adulterium non est naturalis appetitus, sed contumeliæ præter naturam: siquidem appetitus ille tantum desiderat mixturam, non talem mixturam.

4. Hæc autem mihi non temere dicta nunc sunt, sed præludimus ad disputationes quasdam, ac ceu velitamur in eos qui dicunt Dei opificium esse malum, omissa animæ socordia adversus corpus insanientes, carnemque nostram calumniantes, de quibus et Paulus deinceps disserit, non carnem incusans, sed diabolicas cogitationes. 13. *Vos autem, fratres, in libertate vocati estis: tantum ne libertatem in occasionem carni.* Hic jam videtur exspatiari in sermonem moralem. Accidit autem illi quiddam novum, quodque in nulla cæterarum epistolarum accidit. Cum enim omnes in duas partes solitus sit partiri, sic ut primum de dogmatibus, in fine de moribus disserat: hic posteaquam incidit in sermonem de moribus, rursum admiscet disputationem de dogmatibus: nam hic sermo vicissim hæret illi in pugna adversus Manichæos. Sed quid est, *Tantum ne libertatem in occasionem carni?* Liberavit, inquit, nos Christus a jugo servitutis, liberum nobis esse voluit facere quidquid volumus, non ut hac potestate ad malitiam abutamur, sed ut majoris præmii sumamus occasionem, ad altiorem philosophiam progressi. Posteaquam enim passim legem appellat jugum servitutis, et gratiam liberationem a maledicto: ne quis suspicaretur ipsum ideo revocare homines a lege, quod liceret exlegem agere vitam, corrigit eam suspicionem, dicens: Non ut illegitima fiat vitæ ratio, sed ut legem transcendat philosophia: soluta sunt enim legis vincula. Atque hæc ego dico, non ut dejiciamur, sed ut erigamur ad altiora. Etenim tam is qui scortatur, quam is qui in virginitate perseverat, legis terminos excessit, verum non eodem modo, sed hic quidem in deteriora prolapsus, ille vero ad meliora provectus; sic ut alter prætergressus sit legem, alter supergressus. Hoc itaque dicit Paulus: Christus jugum vobis relaxavit, non ut exiliatis, aut calcitretis, sed ut absque jugo composite incedatis. Post hæc ostendit modum, quo hæc facile queant corrigi. Quis igitur modus? *Per caritatem*, inquit *invicem vobis servite.* Rursus hic subindicat ambitionem, seditionem, dominandi studium et insolentiam, hujus erroris illis fuisse causam: quippe hæreseon mater est principatus cupiditas. Etenim cum dicit, *Servite vobis invicem*, ostendit hoc mali ex arrogantia fastuque cepisse exordium; ideoque malo congruens admovet remedium. Quoniam, inquit, dum alius alii vultis dominari, dissecti fuistis, *Servite vobis invicem*. sic enim denuo in unum redigemini. At peccatum quidem non explicat aperte, sed aperte refert emendationis modum, ut hinc etiam illud cognoscerent; perinde ac si quis lascivienti non dicat quidem quod lasciviat, tamen frequenter hortetur ad pudicitiam. Nam qui proximum sicut oportet diligit, non gravatur illi servire submissius quam quisquam servus. Quemadmodum enim ignis admotus ceræ, facile mollit eam: sic et amoris calor omnem fastum et arrogantiam vehementius quam ignis solvit. Ideo non simpliciter dixit, Diligite invicem, sed, *Servite*, intensam ac vehementem declarans amicitiam. Etenim cum legis jugum detraxisset; ne subsilirent, aliud illis imponit jugum, nimirum caritatis, illo quidem validius, sed multo levius ac jucundius. Deinde quid boni præstet caritas, ostendit dicens: 14. *Tota enim lex in uno verbo impletur, videlicet in hoc, Diliges proximum tuum ut teipsum* (*Matth.* 22. 39; *Levit.* 19. 18). Quoniam legem susque deque versabant, Si vis, inquit, illam implere, ne circumcidaris: non enim circumcisione, sed dilectione impletur. Vide ut doloris sui non obliviscitur, sed id quod dolet, identidem attingit, etiam egressus in moralem sermonem. 15. *Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne a vobis invicem consumamini.* Non pronuntiat, ne gravet illos, noverat tamen id fieri; verum hoc ambigue profert. Non enim dixit, Quoniam vos invicem mordetis: et quod sequitur, consimili modo: nec enim illic rursum pronuntiat, Ne a vobis invicem consumamini: qui sermo est metuentis et consulentis ut caveant, non condemnantis. Ac dictionibus per emphasim est usus. Non enim tantum dixit, *Mordetis*, quod sane est commoti; sed addidit, *Et comeditis*, quod est in malitia perseverantis. Nam qui mordet quod appetebat, iram explevit; qui vero devorat, extremæ feritatis et immanitatis specimen dedit. Morsus autem ac devorationes non corporales dicit, sed eas quæ sunt his multo crudeliores. Non enim qui carnem gustavit humanam, tantum mali dedit, quantum is qui morsum fixit in animam: siquidem quanto corpore præstantior est anima, tanto gravius est hanc læsisse. *Videte*, inquit, *ne a vobis invicem consumamini.* Quoniam qui lædunt et insidiantur velut alios consumpturi, hoc animo veniunt: ideo dicit, Videte ne res in vos revolvatur. Nam seditio et contentio corruptionem et consumptionem adfert tum iis qui recipiunt ea, tum iis qui invehunt, ac magis exedit omnia quam tinea. 16. *Dico autem, Spiritu ambulate, et concupiscentiam carnis non perficietis.*

5. *Via facilis ad virtutem.* — Ecce alteram indicat

viam, quæ virtutem reddit facilem, ac præstat ea quæ dicta sunt, viam quæ gignit caritatem, quæque stricta redditur a caritate. Nihil enim, nihil inquam, sic caritatem inserit nobis, ut si simus spirituales, nec alia res æque persuadet spiritui ut apud nos maneat, atque vis caritatis. Ideoque dicit : *Spiritu ambulate, et carnis concupiscentiam non perficietis.* Quoniam expresserat quæ res gigneret morbum, et remedium aperit quod adfert sanitatem. Quod autem est illud, et quæ vis est tam recte dictorum, quam vivere spiritu? Ideo dicit, *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis : 17. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem : hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque volueritis, ea faciatis.* Hic quidam adoriuntur nos, dicentes, quod apostolus hominem in duo dissecuerit, inducens eum velut ex contrariis naturis compositum, dum ostendit pugnam esse corpori adversus animam. Verum hæc non ita se habent, non ita se habent, inquam. Neque enim hic carnem appellat corpus : alioqui si hoc sentiret, quomodo consentaneum sit quod mox dicitur, *Concupiscit enim,* inquiens, *adversus spiritum?* Atqui corpus non est de eorum numero quæ movent, sed quæ moventur; non de eorum numero quæ agunt, sed de eorum quæ aguntur. Quomodo igitur concupiscit, quandoquidem concupiscentia non carnis est, sed animi? Siquidem alibi dicit, *Concupiscit anima mea* (*Psal.* 83. 2) : et, *Quid desiderat anima tua? et faciem tibi* (1. *Reg.* 20. 4); et, *Ne ambules secundum desiderium animæ tuæ* (*Eccli.* 18. 30) ; ac rursus, *Sic desiderat anima mea* (*Psal.* 41. 2). Quomodo igitur Paulus dicit, *Caro concupiscit adversus spiritum?* Solet appellare carnem, non corporis naturam solum, sed et pravam voluntatem : veluti cum dicit, *Vos non estis in carne, sed in spiritu* (*Rom.* 8. 9. 8) ; et rursum, *Qui vero in carne sunt, Deo placere non possunt.* Quid igitur? tollenda est caro? ipse vero qui hæc dicebat, annon carne circumdatus erat? Non carnis sunt ista, sed diaboli documenta : *Ille enim homicida erat ab initio* (*Joan.* 8. 44). Quid igitur dicit? Carnem hic appellat cogitationem terrestrem, socordem et ignavam. Hæc enim non corporis est accusatio, sed animæ negligentis crimen; siquidem hujus instrumentum est caro; instrumentum autem nullus aversatur oditve, sed eum potius qui organum male tractat. Neque enim ferrum, sed homicidam et odimus et punimus. Atqui dixerit aliquis, Hoc ipsum est accusare corpus, animi peccata carnis appellare vocabulo. Ego vero fateor quidem anima inferiorem esse carnem, sed et hanc quoque pulchram esse. Quod enim pulchro inferius est, ipsum quoque bonum est : malum autem non est minus bono, sed contrarium. At tu si demonstrare potes malitiam e corpore proficisci, accusa carnem : si vero ex appellatione conaris struere calumniam, tempus tibi est ut simul accuses et animam : quandoquidem et animalis homo dicitur (1. *Cor.* 2. 14), qui veritate privatus est; et spiritus malitiæ (*Ephes.* 6. 12) dicuntur dæmonum multitudo. Rursus carnis vocabulo Scriptura solet appellare mysteria, totam Ecclesiam dicens Christi esse corpus (*Coloss.* 1. 18). Quod si vis etiam officia cernere quæ per carnem præstantur, imaginare sensus exstinctos esse, et videbis animam omni cognitione destitutam, neque quidquam eorum quæ nunc novit nosse. Etenim si potentia Dei dum ex opificio mundi per res conditas intelligitur, conspiciatur, quomodo videre poterimus absque oculis? et si fides ex auditu est, quomodo sine auribus audiemus? Prædicare vero et circumcursare, linguæ pedumque constat adminiculo : *Quomodo* enim, inquit, *prædicabunt, nisi mittantur* (*Rom.* 10. 15)? et scribendi munus peragitur manibus. Vides ut innumerabilium causa bonorum est carnis ministerium? Cæterum cum dicit, *Caro concupiscit adversus spiritum,* de duplici loquitur cognitione, quarum altera alteri adversatur, videlicet virtutis et malitiæ, non de anima et corpore. Nam si hæc sibi invicem adversarentur, se ipsa tollerent, non aliter quam ignem aqua, tenebræ lucem : sin corporis curam agit anima, multaque sollicitudine illi prospicit, innumeraque patitur ne deserat illud : cumque vi abrupta, obsistit; ac vicissim corpus animæ subservit, multarumque rerum ipsi cognitionem adfert et ad illius operationem compositum est : qui possunt hæc esse contraria, et inter sese pugnantia? Nam ego non solum non contraria, verum etiam magnopere concordantia, seque vicissim tuentia video ex ipsis factis. Non igitur de his loquitur, quod sibi invicem adversentur, sed malarum ac bonarum cogitationum pugnam proponit. Velle enim et non velle animæ est. Ideo dicit : Hæc autem sibi adversantur, ne sineres animam pergere in suis pravis affectibus. Siquidem hæc loquutus est apostolus ceu pædagogus quispiam ac præceptor terrorem incutiens. 18. *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.*

6. Quænam est hæc consequentia? Maxima quidem et evidens. Etenim qui spiritum, ut oportet, habet, per hunc exstinguit omnem pravam concupiscentiam. Porro qui liberatus est ab iis, non eget legis auxilio, sed multo factus est præceptis illis sublimior. Nam qui non irascitur, quid opus habet ut audiat, *Non occides?* qui non intuetur intemperantibus oculis, quid opus habet eo qui doceat non esse mœchandum? Quis enim illi verba facit de fructu malitiæ, qui radicem malitiæ jam evulsit? Radix enim homicidii ira, et adulterii radix, curiosus oculorum obtutus. Eapropter dicit : *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Hic autem mihi videtur magnas etiam et admirandas legis laudes retulisse. Quod si loco spiritus lex erat secundum vires suas, priusquam spiritus adveniret, non tamen ideo oportet in pædagogo manere. Tunc quidem merito sub lege eramus, ut metu castigaremus concupiscentias, cum nondum spiritus advenisset. Nunc vero posteaquam data est gratia, quæ non solum jubet ab illis abstinere, verum et illas marcidas reddens, ad altiora provehit, et ad perfectiorem vitæ rationem adducit; quid opus est lege? Etenim qui ex sese in magnis suo fungitur

officio, huic quid opus pædagogo? neque enim qui philosophus est, opus habet grammatico. Cur igitur vos ipsos redditis viliores, cum prius vos exhibueritis spiritui, nunc assidetis legi? 19. *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, adulterium, immunditiæ, lascivia*, 20. *veneficium, simulacrorum cultus, inimicitiæ, contentio, æmulationes, iræ, concertationes, seditiones, hæreses*, 21. *invidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, et iis similia, quæ prædico vobis, quemadmodum et prædixi, quod qui talia faciunt, non erunt heredes regni Dei.* Hic jam mihi dicito tu qui carnis accusator es, et arbitraris hæc ob simultatem et discordiam esse dicta (sit enim adulterium et scortatio carnis, secundum vestram opinionem), inimicitiæ, contentio, æmulationes, concertationes, hæreses, et veneficia (nam hæc tantummodo sunt corruptæ voluntatis, nimirum ut cætera) : quomodo igitur erunt carnis? Vides igitur, quod hic non loquitur de carne, sed de terrestri cogitatione quæ humi serpit? Ideo terrorem ingerit, dicens, *Qui talia faciunt, regni Dei non erunt heredes.* Quod si hæc essent naturæ malæ, non voluntatis pravæ, superflue dixisset, *Faciunt;* sed, Patiuntur. Cur etiam a regno cælorum excidunt? Neque enim ad ea quæ sunt naturæ, sed ad ea quæ sunt voluntatis, pertinent vel coronæ vel supplicia. Quapropter etiam hæc minatur Paulus. 22. *Fructus autem spiritus, caritas, gaudium, pax.* Non dixit, Opus spiritus, sed, *Fructus.* Igitur anima supervacanea est : nam si de carne et spiritu verba fiunt, ubi anima? num de inanimis loquitur? Siquidem ubi quæ mala sunt, carnis sunt; quæ bona, spiritus : supervacanea est anima. Nequaquam : nam hujus est temperatura affectuum, et ad hanc pertinet. Ipsa in medio sita inter virtutem et vitium, si ad id quod oportet utitur corpore, reddit illud spirituale; sin recedit a spiritu, si seipsam præbet malis cupiditatibus, reddit ipsam magis terrenam. Vides enim non loqui de substantia carnis, sed de mala et non mala voluntate. Cur autem vocat fructum spiritus? Quoniam mala opera ex nobis solis oriuntur, unde et opera vocat; bona vero non tantum egent nostra cura, verum opus habent divina benignitate. Deinde hæc narraturus prius radicem bonorum proponit, ita dicens : *Caritas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas*, 23. *fides, mansuetudo, temperantia. Adversus res hujusmodi non est lex.* Quid enim aliquis præcipiat illi qui omnia in se habeat, etiam perfectam philosophiæ magistram, caritatem? Quemadmodum enim equi freno morigeri, omniaque ex sese facientes, non opus habent scutica : sic et anima quæ impulsu spiritus recta facit, non eget admonitrice lege. Cæterum hic quoque legem valde mirabiliter dejecit, non ut malam, sed ut inferiorem philosophia, quam dat spiritus. 24. *Qui vero sunt Christi, carnem crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Etenim ne dicerent, Et quis est istiusmodi? ex factis ostendit qui sint qui talia præstant, rursus hic carnem appellans malefacta. Non enim sane carnem sustulerant; alioqui quomodo viverent? nam quod crucifixum est, mortuum est et inefficax : sed perfectam indicat philosophiam. Siquidem concupiscentiæ etsi obturbant, incassum furunt. Quoniam igitur tanta vis est spiritus, illi vivamus, illo contenti simus. Et hoc declarans subdit : 25. *Vivamus ergo spiritu, spiritu et ambulemus;* secundum illius leges vitam instituentes : hoc enim significat illud, *Ambulemus;* hoc est, Contenti simus spiritus vi, neque requiramus legis accessionem. Mox ostendens eos qui circumcisionem inducebant, id ambitionis gratia facere, ait : 26. *Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi, quæ est causa omnium malorum, nos invicem provocantes, invicem invidentes.* Siquidem ex inanis gloriæ studio nascitur invidia, rursus ex invidia hæc innumera mala.

CAPUT VI.

1. *Fratres, etiamsi præventus fuerit homo.*

1. Quoniam increpationis obtentu ulciscebantur suas cupiditates, videbanturque id facere propter delicta corrigenda, cum revera studerent suam dominandi cupiditatem stabilire, ait : *Fratres, etiamsi præventus fuerit.* Non dicit, Si fecerit, sed, *Si præventus fuerit*, hoc est, si abreptus fuerit. *Vos qui spirituales estis, instaurate talem.* Non dixit, Punite, aut condemnate, sed, Instaurate, hoc est corrigite. Neque hic constitit, verum ut ostenderet eos admodum mites esse oportere erga eos qui supplantentur, ita subjecit : *In spiritu mansuetudinis.* Non dixit, In mansuetudine : sed, *In spiritu mansuetudinis*, declarans hæc etiam Spiritui placere, quippe cum hoc ipsum, posse cum humanitate corrigere peccantes, doni sit spiritualis. Deinde, ne qui corrigit alterum, efferatur animo, ipsum quoque eidem timori subjecit, ita loquens : *Considerans teipsum, ne et tu tenteris.* Quemadmodum enim divites sportulas mittunt egentibus, quo, si quando et ipsi in egestatem inciderint, eadem ab aliis consequantur : sic et nobis est faciendum. Ideo causam necessariam memorat, ita loquens : *Considerans teipsum, ne et tu tenteris.* Excusatque eum qui peccavit : primum ita dicens, *Etiamsi præventus fuerit :* deinde infirmitatis nomen ponit : postea dicit, *Ne et tu tenteris;* dæmonis incursionem accusans magis quam animi negligentiam. 2. *Alii aliorum onera invicem portate.* Quoniam fieri non potest, ut homo vivat absque defectu, admonet ne rigidi sint expensores alienorum delictorum, sed tolerent etiam proximorum defectus, ut et ipsorum delicta tolerentur ab aliis. Sicut enim in structura domus non omnes lapides eumdem habent locum, sed hic quidem in angulum est accommodus, ad fundamenta non item; ille contra, ad fundamenta commodus est, non item ad angulum : itidem sane est in corpore Ecclesiæ. Quin et in nostra carne licet idem cernere, attamen aliud membrum ab alio toleratur, nec ab omnibus omnia requi-

rimus. Nam ex communi facta collectio et corpus et ædificium constituit, *Et sic adimplete legem Christi.* Non dixit, Implete, sed, *Adimplete*, hoc est, simul omnes implete, vos invicem ferendo. Exempli causa, ille est iracundus, tu somnolentus. Tolera igitur illius acrem impetum, ut vicissim ille tuam ferat segnitiem: ita fiet, ut nec ille peccet, dum abs te toleratur, neque tu, dum in iis, in quibus molestus es, sustineris a fratre tuo. Ad hunc autem modum vobis invicem, ubi lapsus imminet periculum, manum porrigentes, mutuis officiis implete legem, sic ut unusquisque quod proximo deest, sua tolerantia suppleat. Porro nisi sic egeritis, sed quisque proximi vitam velit excutere, numquam inter vos fiet quidquam eorum quæ fieri decet. Ut enim in corpore si quis ab omnibus membris eumdem postulet usum, numquam constiterit corpus: sic et inter fratres grave bellum erit, si ab omnibus omnia requirimus. 3. *Etenim si quis videtur aliquid esse, cum nihil sit, seipsum decipit.* Hic rursus arrogantiam specta. Qui sibi videtur esse aliquid, nihil est, primum suæ vilitatis argumentum edens, talem morum levitatem. 4. *Sed suum opus probet unusquisque.* Hic ostendit quod oporteat nos vitæ nostræ expensores esse, nec leviter, sed exacta cura probare quæ a nobis gesta sunt. Videlicet, Fecisti boni quidpiam? considera ne forte propter inanem gloriam, ne propter necessitatem, ne in odium, ne per simulationem, ne ob aliam aliquam causam humanam. Sicut enim aurum videtur quidem esse splendidum priusquam mittatur in fornacem; verum ubi traditum fuerit igni, tum vero certo dignoscitur, eo quod adulterinum est, ab eo quod est sincerum, separato: sic et nostra opera ubi diligenter examinaverimus, tum evidenter retegentur, videbimusque nos ipsos multis criminibus obnoxios esse. *Et tunc in seipso tantum gloriam habebit, et non in altero.* Hæc dicit non veluti legem præscribens, sed illis se attemperans, perinde ac si dixisset, Absurdum quidem est gloriari: quod si porro gloriari vis, ne glorieris adversus proximum, ut ille Pharisæus. Nam qui hoc didicerit, is et ab illo facile abstinebit. Quapropter etiam illud concessit, ut paulatim totum eximeret. Nam qui consueverit in seipso tantum gloriari, et non adversus alios, statim et hunc defectum corriget. Nam qui non existimat se cæteris meliorem (hoc enim est quod dicit, *Non in altero*), sed semetipsum apud sese examinat, etiamsi glorietur, desinet tamen id facere in posterum. Atque ut intelligas eum hoc velle probare, vide ut illum metu cohibet, superius dicendo, *Probet suum opus;* hic addendo, 5. *Unusquisque enim suum onus portabit.* Videtur quidem proponere rationem quæ vetat gloriari adversus alium, sed corrigit gloriantem, ne tantum sibi placeat, revocans illum ad propriorum delictorum considerationem, dum onus nominat, et sarcinæ gestationis meminit, premens illius conscientiam. 6. *Communicet autem is qui catechizatur sermone, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.*

2. *Doctoris officium.*—Hic jam de doctoribus loquitur: vult enim illos diligenter curari ab iis quos instituunt. Et quare Christus hoc ita præscripsit? Nam in Novo Testamento lex hæc posita est, ut qui evangelium prædicant, ex evangelio vivant (1. *Cor.* 9. 14): et in Veteri similiter multi proventus ferebantur Levitis a subditis (*Num.* 31. *et* 35). Cur ergo hæc constituit? sed prius substrato modestiæ et caritatis fundamento. Quoniam enim doctoris auctoritas frequenter inflat ea præditos, cohibens doctoris spiritum, constituit illum in hac necessitate, ut opus habeat discipulis: et his rursus præbet occasionem, ut faciliores reddantur ad benevolentiam, exercens eos per benevolentiam erga doctores, ut et erga cæteros sint mansuetiores: quæ res non mediocrem caritatem excitabat in utraque parte. Alioqui nisi hoc esset quod dixi, quare Deus, qui ingratos Judæos manna aluit, apostolos in mendicorum dejecisset necessitatem? Annon perspicuum est, quod hinc magna pararet bona, humilitatem et caritatem, et ne puderet discipulos subditos esse iis qui vituperabiles esse videbantur? Probrum enim esse videtur, petere; sed tunc non videbatur, cum idem palam omnique cum libertate facerent doctores. Itaque non mediocrem fructum et hinc reportabant discipuli, dum per hæc docerentur gloriam omnem despicere. Idcirco dicit: *Communicet autem qui catechizatur in sermone, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.* Hoc est, omnem in illum exhibeat liberalitatem: hoc enim innuens dicebat, *In omnibus bonis.* Nihil, inquit, discipuli proprium sit, sed omnia communia, quippe qui majora quam dat accipit, tantoque majora, quanto præstabiliora sunt cælestia terrenis. Quod et alibi significans, ait: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos vestra carnalia metamus* (1. *Cor.* 9. 11)? Ideo negotium hoc appellat communicationem, indicans fieri repensationem. Ex hoc vero caritas quoque redditur ferventior, multoque firmior. Itaque si doctor quærit quod naturæ satis est, quamquam accipiens manet in sua dignitate: quandoquidem et hoc laudi dandum est, doctorem sic assiduum esse ministerio sermonis, ut cæteris egeat, magnaque laboret inopia, contemnens omnia, quæ ad victus pertinent. Quod si modum transgressus fuerit, corrupit suam dignitatem, non eo quod accipit, sed quod præter modum. Post hæc ne doctoris improba vita segniorem ad hæc redderet discipulum, eumque pauperem frequenter prætercurreret ob mores malos, pergens quidem dicit: *Bonum autem facientes non defatigemur;* hic vero ostendit discrimen ambitionis hujusmodi, et ejus quæ incumbit rebus temporariis, ita dicens: 7. *Nε erretis: Deus non irridetur. Quidquid enim seminaverit homo, hoc et metet.* 8. *Nam qui seminat in carne sua, ex carne sua metet corruptionem: qui vero seminat in spiritu, e spiritu metet vitam æternam.* Quemadmodum enim in semente, qui seminat, non potest ex hordeo metere triticum, eo quod oporteat et sementem et messem ejusdem esse generis: sic et in operibus: qui in carne deposuerit delicias, temulentiam, concupiscentiam absurdam, quæ hinc proveniunt, metet. Quæ autem sunt ista? Supplicium, ultio, probrum, risus, corruptio: siquidem mensarum

sumptuosarum et condimentorum nullus alius proventus est quam corruptio : nam simul et ipsa corrumpuntur, et corrumpunt corpus. Quæ vero sunt spiritus, haud sunt ejusmodi, sed his omnibus omnino contraria. Considera vero : seminasti eleemosynam ; manent thesauri cælestes, gloriaque sempiterna : seminasti pudicitiam ; excipiet te honor et bravium, et ab angelis gratulationes, et ab agonotheta coronæ. 9. *Bonum autem facientes ne defatigemur : tempore enim suo metemus non deficientes.* 10. *Ergo dum tempus habemus, operemur quod bonum est in omnes, maxime vero erga domesticos fidei.* Ne quis arbitraretur, doctorum quidem habendam esse curam eosque alendos, cæteros vero negligendos, ad generalitatem profert orationem omnibusque patefacit ostium hujus honoris ambiendi : tantaque cura id facit, ut in Judæos etiam ac gentes, cum gradu tamen competenti eleemosynam conferre jubeat. Quis autem est ordo? Ut circa fideles major habeatur sollicitudo : et quod in cæteris epistolis facere solet, hoc et hic facit, non modo loquens de danda eleemosyna, verum etiam de studiose perpetuoque danda : siquidem hæ voces, seminare, et, non oportere defatigari, hoc innuunt. Ergo quoniam rem magnam exigebat, præmium quoque collocat in foribus, messis faciendo mentionem novæ cujusdam et admirabilis.

3. Nam in agricultura non solum qui seminat, veram etiam qui metit multum sustinet laboris, cum squalore, cum pulvere, cumque multa colluctans miseria : tunc vero nihil, inquit, tale erit. Quod etiam explanans dicit : *Tempore enim suo metemus non deficientes.* Et hinc quidem illos hortatur et allicit ; ex altera vero parte urget etiam et compellit, dicens : *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Quemadmodum enim non semper est in nostra potestate facere sementem, ita nec dare eleemosynam. Cum enim hinc fuerimus abducti, etiam si millies velimus, nihil effecerimus. Testes hujus rei nobis sunt et virgines illæ, quæ quamlibet promptam haberent voluntatem, tamen quoniam abierant non ferentes secum largam eleemosynam, exclusæ sunt a thalamo sponsi (*Matth.* 25). Testis est dives ille, qui Lazarum despexerat, qui quoniam hoc destitutus erat auxilio, et plorans et supplicans vehementer, nec a patriarcha nec ab alio quopiam misericordiam impetravit, sed citra veniam omnem mansit in perpetuo flammæ cruciatu (*Luc.* 16). Propterea dicit, *Dum tempus habemus, operemur bonum* erga omnes. Et hac ratione maxime subducit eos ab humilitate Judaica. Nam illis omnia humanitatis officia erant erga contribules : at gratiæ philosophia terram pariter et mare ad beneficentiæ mensam invitat, quamquam erga domesticos copiosiorem exhibet sollicitudinem. 11. *Videtis qualibus literis scripsi vobis manu mea.* 12. *Quicumque volunt in carne placere, ii cogunt vos circumcidi.* Considera quantus dolor tenuerit illam beatam animam. Quemodmodum enim qui in luctum aliquem inciderunt, aut aliquem ex sinceris amicis amiserunt, aut alioqui malum aliquod subito obortum ferunt, neque noctu quietem agunt neque interdiu, luctu pectus illorum obsidente : sic et beatus Paulus pauca loquutus de moribus, denuo revertitur ad superiora, quæ maxime discruciabant ipsius animum, ita loquens : *Videte qualibus literis scripsi vobis manu mea.*

Paulus epistolas dictabat et alius scribebat. — Hic nihil aliud innuit, nisi quod ipse totam scripserit epistolam : quod affectus mire sinceri erat argumentum. In cæteris enim epistolis dictabat quidem ipse, alius vero scribebat ; idque liquet ex ea quæ est ad Romanos epistola : ibi siquidem ad calcem dicitur, *Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam* (*Rom.* 16. 22). Hic vero totam ipse scripserat. Fecit autem hoc necessario, non ob caritatem modo, verum etiam ad tollendam malam suspicionem. Quoniam enim traducebatur de iis factis, quibus obnoxius non erat, dicebaturque circumcisionem profiteri, dissimulans tamen quasi non profiteretur ; ideo compulsus est epistolam sua manu scriptam mittere, deposito apud illos scripto testimonio. Quod autem dixit, *Qualibus*, mihi videtur non magnitudinem, sed deformitatem literarum significans dicere : ac si ita loqueretur : Cum nescirem optime scribere, tamen ipse scribere compulsus sum, ut calumniatoribus os obturarem. *Quicumque volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut per crucem Christi persequutionem non patiantur.* 13. *Neque enim qui circumciduntur, ipsi legem servant, sed volunt vos circumcidi, ut in vestra carne glorientur.* Hic ostendit illos non sponte, sed coactos id pati, præbens illis occasionem recedendi, ac propemodum illos excusans, hortansque ut citro resiliant. Quid autem est, *Placere in carne?* Probari apud homines. Quoniam enim apud Judæos probro ipsis dabatur, quod a patriis consuetudinibus desciscerent : Ne hoc, inquit, possit ipsis exprobrari, volunt vos corrumpi, per vestram carnem illis satisfacturi. Hoc autem dicebat, ut ostenderet illos nequaquam propter Deum quæ faciebant facere ; ac si diceret : Quod fit, non innititur pietati : propter humanam ambitionem hæc omnia fiunt, ut placeant infidelibus, quod fideles truncentur ; et malunt Deum offendere, ut placeant hominibus. Hoc enim est, *In carne placere.* Postquam aliunde ostendit illos omni venia carere, rursus illos redarguit, non solum quod aliis placere studerent, verum etiam quod vanæ gloriæ causa hæc aliis præciperent. Ideoque subjecit, *Ut in carne vestra glorientur*, tamquam qui discipulos habeant, sintque doctores. Et unde hæc probantur? *Non enim*, inquit, *ipsi legem servant.* Maxime igitur, etiam si servassent, erant accusandi ; nunc vero et scopus illorum corruptus est. 14. *Mihi vero absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Attamen res videtur esse probrosa ; verum in mundo et apud infideles : at in cælis et apud fideles gloria est, et quidem maxima. Nam et paupertas probrosa est, sed nobis gloriosa : item sperni apud vulgus ridiculum est, at nos ideo gloriamur. Ita crux nobis est gloriandi materia. Nec vero dixit, Ego non glorior, aut, Ego nolo gloriari, sed, *Absit ut ego glorier* ; perinde quasi de re portentosa loquens abominatus est, et ad

hoc præstandum divinam opem imploravit. Et quid est, quod de cruce gloriatur? Quod Christus mea causa formam servi acceperit, et mea causa quæ passus est pertulerit : propter me, inquam, qui servus eram, qui inimicus, qui ingratus; sed sic me dilexit, ut seipsum exponeret. Quid huic rei possit æquiparari? Etenim si servi dum tantum laudantur ab heris, hisque ejusdem naturæ, altum sapiunt : annon gloriandum est, cum ille Dominus, qui verus est Deus, non erubescit pro nobis crucem subire?

4. Proinde neque nos illius ineffabilis erga nos sollicitudinis pudeat. Illum non puduit tua causa crucifigi, et te pudet ejus inenarrabilem profiteri dispensationem? Et interim perinde facis, ac si quis vinculis constrictus ante non erubescens de rege, postquam is adstans ipsi in carcere vincula suis manibus detraxisset, ob hoc pudorem conciperet. Verum hæc extremæ fuerint dementiæ : ob hoc ipsum enim maxime gloriandum est. *Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Mundum hic appellat non cælum neque terram, sed res temporarias, laudem ex hominibus, satellitium, gloriam, opes, hæc omnia quæ vulgo videntur esse magnifica. Hæc enim mihi facta sunt mortua. Talem oportet esse Christianum, et hanc vocem semper habere in ore. Neque enim contentus fuit priore mortificationis modo, sed et alterum intulit dicens : *Et ego mundo;* duplicem innuens mortificationem, ac dicens, Et illa mihi mortua sunt, et ego vicissim illis : nec illa me capere possunt, vel captivum ducere, quippe semel mihi mortua; neque ego illorum cupidine teneri, quippe qui mortuus illis. Nihil hac mortificatione felicius; hæc enim est beatæ vitæ fundamentum. 15. *Neque enim circumcisio quidquam valet, neque præputium, sed nova creatura.* 16. *Et quicumque hac regula incedunt, pax super eos et misericordia, et super Israel Dei.*

Crucis potentia quanta. — Vides crucis potentiam, in quantam celsitudinem apostolum subvexerit? Non solum jam omnes mundi res illi mortuas reddidit, verum etiam longe supra veterum institutum sustulit. Quid huic potentiæ par? Siquidem qui prius pro hac circumcisione occidebatur et alios occidebat, huic persuasit crux, ut illa eodem loco relicta quo erat præputium, nova quædam et admiranda ac cælos transcendentia perquireret negotia. Hanc enim appellat novam creaturam, nostrum vivendi institutum, tum ob ea quæ fuerunt, tum ob ea quæ futura sunt : ob ea quæ fuerunt quidem, quod nostra natura, quæ inveteraverat senio peccati, repente baptismi lavacro renovata est, ac si denuo esset condita : quapropter etiam nova ac cælestis a nobis exigitur vitæ forma : ob futura vero, quod et cælum et terra et omnis denique creatura in incorruptibilitatem transferenda sit una cum nostris corporibus. Proinde ne mihi posthac loquaris, inquit, de circumcisione, quæ nullam habet vim : quomodo enim hæc comparebit, cum omnia tantopere sint immutata? quin potius res novas quærite, quæ ad gratiam spectant. Hæc enim qui sectantur, hi et pace et Dei erga nos bonitate fruentur, ac proprie nomine Israelis appellentur : illi vero qui contraria sentiunt, etiam si ex illo prognati sint, ejusque cognomen circumferant, ex iis tamen omnibus exciderunt, et a cognatione, et ab ipso cognominationis honore. Hi vere Israelitæ possunt esse qui regulam hanc servant, qui a veteribus discedunt, et gratiam sectantur. 17. *De cætero, nemo mihi molestus sit.* Hic non quasi lassus, aut injuria affectus hæc loquitur. Etenim qui omnia tum facere tum pati causa discipulorum induxerat animum, quomodo nunc fractus esset concidissetque? qui dicit, *Insta opportune, importune :* qui dicit, *Si forte det illis Deus agnitionem veritatis, et resipiscant a diaboli laqueis* (2. *Tim.* 4. 2. *et* 2. 25. 26). Quam igitur ob causam hæc dicit? Ut illorum socordem animum premat, et in majorem conjiciat terrorem, et leges ab ipso latas confirmet, nec sinat illos semper movere. *Ego enim stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto.* Non dixit, Habeo, sed, *Porto;* tamquam aliquis de tropæis glorians, signisque regalibus. Quamquam hoc ipsum rursus probrosum esse videatur : verum hic sua vulnera jactat, neque secus quam solent milites vexilliferi, hic exsultat, vulnera circumferens. Sed quam ob causam hoc dicit? Quovis sermone, quavis, inquit, voce clarius per hæc me purgo. Hæc namque vocem tuba sublimiorem emittunt adversus eos qui mihi contradicunt, prædicantque me simulare dogma, et ad placendum hominibus aliquid dicere. Etenim si quis militem videret ex acie cruentatum prodiisse, innumeris vulneribus saucium, num posset illum ignaviæ proditionisque damnare, argumenta fortitudinis in ipso corpore gestantem? De me quoque, inquit, similiter judicare oportet. Et si quis velit meam purgationem audire, animumque meum cognoscere, spectet vulnera, quæ certiorem exhibent probationem, quam hæc verba, quam hæc scripta. Exordiens enim epistolam, ex subita sui mutatione sincerum animum suum fucique expertem evidenter ostendit; finiens vero declarat idem ex periculis quæ ipsi adiit. Ne enim quis diceret, recto quidem animo mutatus est, verum non perstitit in eodem proposito; testes allegat, se etiam perstitisse, labores, pericula, plagas. Deinde postquam se dilucide purgavit de omnibus, declaravitque quod nihil eorum quæ dicta sunt dixerit animo commoto aut odii causa, sed immobilem se erga illos servare caritatis affectum, rursus hoc ipsum confirmat, claudens orationem precatione, plena bonis innumeris, et ita loquens : 18. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.* Hoc extremo verbo cunctis quæ prius dicta sunt signaculum addidit. Non enim simpliciter dixit, Vobiscum, quemadmodum de cæteris, sed ait, *Cum spiritu vestro;* avocans illos a carnalibus, et ubique demonstrans Dei beneficentiam, gratiamque commemorans, quam acceperant, per quam poterat illos ab omni errore Judaico revocare. Nam et Spiritum accepisse non erat legalis inopiæ, sed justitiæ quæ est secundum fidem, nec, acceptum tenere, erat ex circumcisione, sed ex gratia. Eapro-

pter admonitionem clausit deprecatione, spiritus simul et gratiæ mentionem refricans, simulque fratres alloquens, et Deum invocans, ut iis perpetuo fruantur, et duplici modo homines communiens : iisdem enim verbis et precatio comprehenditur et doctrina quæ dicta erant summatim complectens, ut quasi duplex murus exhibeatur. Nam et doctrina commonefaciens illos quantum bonorum accepissent, magis continebat illos in Ecclesiæ dogmatibus ; et precatio gratiam invocans, et in iisdem perseverare suadens, non sinebat spiritum ab illis discedere : quo quidem in illis manente, non aliter ac pulvis, dispellebatur omnis ejusmodi dogmatum fallacia ; in Christo Jesu Domino nostro, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SPURIA.

IN SEQUENTIA SUPPOSITITIA OPUSCULA

MONITUM.

Tanta erat Joannis Chrysostomi in Ecclesia Græca existimatio, ut varii ævi scriptores, qui concionibus seu homiliis edendis operam dabant, ut eæ cum omnium plausu exciperentur, ementito Chrysostomi nomine illas publicarent. Bibliopolæ quoque, ut quidem existimo, ut et facilius et majori pretio hujusmodi merces venumdarent, Chrysostomi nomine illas inscribi curabant. Hinc fit ut tam ingens spuriorum opusculorum silva ad nos pervenerit. Horum autem maximam partem, quæ lucem non merebatur, in tenebris latere sivissemus, nisi jam a Savilio et a Morello edita fuissent.

Ea quæ asteriscis signavimus loca in græco aut vitiata sunt aut mutila, aut intellectu difficiliora, ideoque interpretata quasi per divinationem.

CARITATEM SECUNDUM DEUM REM ESSE DEO DIGNAM.

Caritatem, scalam cælestem, nemo digne celebrare potest. Caritas in throno Patris sedet, terrena cum cælestibus copulat : quam nec lingua enarrare, nec mentis inventio digne glorificare potest ; res autem ipsa docet caritatem esse ducem optimæ vitæ. Nam creationi Dei illa perfectum decorem addit : hæc est multorum pædagogus ad unitatem, quæ ad unius similitudinem *** hominum cœtum ad imaginem angelorum et hominum conformat. Nam cum sit una forma, omnem rationabilem naturam ad Dei similitudinem concinnat : neque in iis qui ab illo abalienati sunt, sed in iis qui subsunt et ipsi commixti sunt requiescit. Multi licet sint, omnes in unum coeunt concentum, et pulcherrimam jucundamque harmoniam in se exhibent. Sic multæ ac diversæ sancti Spiritus operationes, in unum optimumque consensum redactæ, divinissimam Deoque dignissimam pulchritudinem exhibent, quæ Deo pretiosissima est et sancto gaudio digna apud Creatorem. Propter caritatem erga homines descendit Deus in terram, et cum hominibus conversatus est, non in abscondita et remota, ut antea, sanctificatione adoratus, sed contubernalis hominibus, ad similitudinem et conversationem nostram descendit, ut in unius Spiritus proprietatem omnes aggregans, quasi unum corpus et unum spiritum concinnaret. Divina caritas cum ministra sit Domini et Spiritus sancti, dissita congregat, et abalienata propria efficit. O Christi mirabile opus caritas ! o salutis mundi mysterium ! Propter caritatem mittit Pater et Deus in mundum Filium suum unigenitum : nam *Christus*, inquit, *dilexit Ecclesiam, et semetipsum pro illa tradidit* (*Ephes.* 5. 25) : caritas pro proximo labores fert libenter : propter caritatem jubemur invicem servi esse : *Per caritatem servite invicem* (*Gal.* 5. 13) : caritas cujusque possessiones omnibus communes efficit : caritas proximum tibi ut temetipsum ostendit, peccata aliorum fert ut sua. Parum iratus eris, multum tolerabis. Propter caritatem augetur grex Christi : caritas sanguinarios animos sedat, hostium arma hebetat, oblivionem adversariorum omnium inducit, vitam Christi pacificam in mundum immittit. *Non assumet gens contra gentem gladium, et non discent ultra bellum facere* (*Isai.* 2. 4). Ideo ait : *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec auferatur luna* (*Psal.* 71. 7). Splendida autem est etiam figura pacificæ vitæ. O beatæ pacis ducem caritatem, quæ inimicum et hostem hominum pellit dæmonem, per quam ingemiscit diabolus ob pacificos homines, lætantur angeli, pacis suæ imaginem apud homines videntes ; nos jucundi mutuo sumus, et fratri conspectus fratris lætitia omnium maxima est. Nam se in ærumnis consolationem habuisse dicit Paulus in adventu Titi (2. *Cor.* 7. 6) ; cum autem non adest, non habet Spiritus requiem. Amor Dei et fratrum amor duo sunt inseparabilia. Et hoc, inquit Joannes, præceptum a Deo habemus, ut qui amat Deum, amet et fratrem suum. Hoc enim etiam Petro dicit : *Si amas me, pasce oves meas* (*Joan.* 21. 15) ; id est, ostende amorem erga pastorem, oves sollicite curans. Quam firmus est ille murus, recto graidium lapidum ordine munitus, et hostium impetus avertens. Qualis cœtus caritatis vinculis coaptatus ad tentationes diaboli depellendas ? quis decor talis plantarum ordine positarum ; aut exercitus ordo concinnus, qui in acie decenti procedit ? Hæc quippe voluptatem afferunt : sed omnium jucundissimum et dulcissimum est spectaculum, eorum qui caritate juncti sunt naturalis ille concentus et decor : qui vel in oculis Domini honorabilis et pretiosus appareat. Audi Davidem, imo potius gratiam Spiritus sancti : *Ecce quam bonum, et quam jucundum*, nihil aliud eorum quæ sunt super terram, sed, *habitare fratres in unum* (*Psal.* 132. 1) : sicut unguentum effusum in caput. Angeli nostros choros circumeunt, et de nobis lætantur, quia illorum morem imitamur. Si enim de uno peccatore pœnitentiam agente gaudium est in cælo (*Luc.* 15. 7), secundum Domini dictum, multo magis de tanto numero eorum qui salutem obtinent. Nam futuri sæculi lætitia hinc apparet, in diaboli luctum et dæmonum ventilationem, quando choros invicem ordinamus,

uno animo, una sententia ad hymnos Deo canendos, ac modulatam et magnificam Cherubinorum melodiam imitamur. Ut enim illi sibi uno alium excipiente succedunt, ut ter sanctum hymnum canant : sic et nos ad illorum formam duos choros constituentes, et nobis mutuo respondentes, spiritualem canimus melodiam. Res mira est iis qui foris sunt, desiderabilis videntibus, amoremque ingenerat in audientibus, ac divinus efficaxque sensus in nobis reperitur, quo sentimus omnes corruptorum morum et dissensionum causas a nobis avulsas esse. Propter nos universi glorificabunt Deum, vitam in terra cælestem videntes. Ideo Paulus docuit nos omnes idipsum sentire et idipsum dicere (*Philipp.* 2. 2) : ideo Christus binos mittit apostolos : etiam mulieres instituit ad concordiam, ut ne ipsum quidem virginum cœtum hac angelica imitatione expertem constitueret. Ideo dicit, *Evodiam rogo et Syntychen id ipsum sapere in Domino* (*Philipp.* 4. 2). Alios sibi superiores putare jussit, ne per ambitionem, imo per vanam gloriam, separentur ; sed honorem proximo deferentes, ipsis conjungi et consociari. Honorabilia certe sunt nostra, et vere supra mundana ea, quæ ad sacram et divinam caritatem pertinent. Videamus quoque legis doctrinam. Non superbies, inquit, in egenum, sed largieris afflicto ; fructibus tuis fruetur pauper ; ac reliquias messis et vindemiæ ad alimentum pauper habebit : septimo anno servus in libertatem dimittetur ; quinquagesimo autem anno omne debitum solvetur ; et qui possessiones suas vendiderint, illas recipient, non dantes pretium. Fœnus non exige, non oppignerabis molam neque molam superiorem, neque vestem pauperis in pignus accipies, neque violenter invades ad accipiendum pignus. Non relinques subjugale proximi tui, etiamsi tibi inimicus fuerit ; sed reduces illi etiam animal errans, minister illi effectus, quasi amico, et inimicitias dissolvens, oblata occasione. Hæc porro omnia præcepta ob nihil aliud, quam ob sacram et desiderabilem Dei caritatem data sunt : nam in hoc evangelica quoque præcepta concurrunt. Postquam enim multa dixit ad legem implendam spectantia, addidit : *Benefacite iis qui oderunt vos, et orate pro persequentibus vos* (*Matth.* 5. 44) ; in omnibus inimicitiam dissolvens et caritatem inserens. Debitum sit in vobis, vos invicem amare, quod numquam terminatur : ait enim Paulus, *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis* (*Rom.* 13. 8). Sicut enim cibos quotidie quærimus, neque præcedens saturitas nos impedit quominus quotidie alimenta quæramus ; sed illud, natura exigente, quasi debitum nostrum est : sic et in caritate eamdem sequamur formam. *Non saturabitur*, inquit, *oculus visu, neque auris auditu* (*Eccles.* 1. 8). Dulcis est oculis lux, et nemo videns illam oculis fatigatur, neque auribus audiens : sic et desiderabile caritatis officium impigre implendum, neque umquam satiari oportet. Nam aqua multa non poterit exstinguere caritatem : *Manent* enim, inquit, *tria hæc, fides, spes, caritas* (1. *Cor.* 13. 13). Sicut enim ab initio fuit, sic manebit in sæcula : quam nos sequentes, utinam æterna bona consequamur, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

IN ILLUD, SI FILIUS DEI ES, MITTE TE DEORSUM. (*Matth.* 4. 6. 8.) ET ASSUMIT EUM DIABOLUS IN MONTEM EXCELSUM VALDE, ETC.

Nugacis Græculi opusculum. — Sol quidem supra terram cursum agens, et ab oriente ad nos equitans, noctem aufert et dormientes excitat, operibusque tradit : lux autem divinæ cognitionis animam expergefacit, cogitationes illuminat, atque ad virtutes excitat. Hæc vero magis quam solis lux nobis optanda est. Nam sine sole vivitur ; cæcus enim vivit, qui nonnisi ex auditu solem novit : animæ vero sole cognitionis Dei expertes, mortuæ sunt, etiamsi vivere putentur : de quibus Dominus ait : *Sinite mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* 8. 22). Sed qui mortis parenti colluctatus est, ab utraque morte vitam hominum liberavit. Duplex enim mors apud nos est : illa nempe quæ ex natura provenit ; et alia quæ ex ignorantia contingit : ignorantia quippe Dei mortali insensibilitati similis est. Utramque vero mortem operatus est diabolus : quo perfracto Christus ab utraque morte naturam liberavit, ubi animam vivificis dogmatibus restauravit, resurrectione vero quod mortale erat redintegravit. Nam cadente illo qui impellebat, qui impellebatur stabit. Illiusque certaminis tabula generi hominum relicta est, ut illam respiciens humana natura roboraretur. Ubinam est illa tabula ? Desertum respice : illic enim ipsum gratia suscitavit per imaginem, qua tyrannus occiditur, quæque per deserta tyrannum fugat. Locum certaminis videmus desertum, manum vero diabolum, quæ Domino famem indit ; et tria certamina, tres responsiones : lex enim pugnæ est, ut certamen triplicetur. Triplex certamen enumera : *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Confligit hic cum Domino diabolus. Christus autem ait illi : *Non in solo pane vivet homo.* Nocumentum vitavit Dominus. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Hæc secunda sunt dæmonis certamina. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Hoc dictum solvit conatum. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Hoc est principium tertiæ luctæ, quo Servator ceu athleta quispiam adversarium contentiosum diabolum extra stadium projecit. *Vade retro me, Satana : scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Dum vides pugnam, pugnare disce : ex spectatore pugil efficiaris. Prima Domini contra diabolum lucta luctam te docet contra voluptates : initium enim certaminum fames erat ; fames, tyrannica concupiscentia ; fames, voluptatum caput. Nam concupiscentia cibi est effrene desiderium : videt enim venter voluptatem indeprecabilem, quam multi fovere non valentes eo proruperunt, ut providentiam negarent, quasi Deus famelicos nihil curaret. Ad eam rem Christum quoque diabolus impellit, sperans se illum ut hominem fame pressum decussurum esse : nesciebat enim divinitatem ipsi esse conjunctam : siquidem divinitatem non adortus esset ut esurientem. Qui suam naturam numquam esurire sciebat, si Deum adesse scivisset, de cibo non loquutus fuisset. Sed ut hominem videns, ut hominem alloquitur : *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Filiationis scrutator non requisitus, cibum curat fame perniciosiorem. Primo supposuerat divinitatem ex ligno oriri ; nunc occasione appetitus, ostendit desertum nihil aliud habere, quam lapides, ut ex famis loco desperationem augens, animum incredulitate concuteret, et quæstionem an Filius esset solveret. Sed ad tentatorem respiciamus, et verborum laqueos exploremus. *Si Filius Dei es*, inquit, *dic ut lapides isti panes fiant.* Filius, inquit, nuper vocabaris cum baptizareris, et vocem hanc audivimus : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* 3. 17). Ridebam autem appellationem, ironiam, ridiculam laudem, honorem re vacuum : tibi vero forte dictum illud voluptati erat, et credis ut vere dilectus, et confidis ut in cælo constitutus, et gaudebas utpote Deo carus. Quis pater de esuriente filio non sollicitus est ? quis patronus non alit eum, qui ad se transfugit ? tu vero quadraginta diebus jejunus maceraris, et te esurientem pater non curat, diuturnamque famem despicit ? quis prolis amans pater esurienti filio panem non largi-

tur? bonusne filius, esuriens a patre non nutritus? Ostendat dilectionem suppeditando panem : nutriat Filium in deserto esurientem. Potest lapides in panes convertere : id pete dum esuris : si gratiam præbeat, ut Filius gloriare; sed antequam accipias, ne ridiculam appellationem admittas. O inhumanam humanitatem! o commiserationem exitiosam! o curam perniciosam! o dulce veneficium! In incredulitatem concitat, et ad cibum petendum evocat, non ut esurientem nutriat, sed ut inescatum ad petitionem, ipsum ut incredulum erga Deum respuat. Respice Deum mentientem : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quid ergo Dominus Christus? Absconditum Deum non revelat, ne quod venabatur eliminaret, sed ut homo simplex respondet : *Scriptum* enim *est : Non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Non me deterret, inquit, ciborum inopia, non turbat fames in deserto : non peto ut ex lapidibus panes fiant : multi enim apud divinam providentiam sunt juvandi modi. Dedit quidem hominibus cibos qui alerent, et alimentum carni; sed Scriptura divina me docuit Deum naturæ terminos exsuperare. Memini divinam vocem hominibus clamare : non timendam esse famem, cum Deus prospicit. Ne ergo esurientem cures, nec et desertum ad desperandum ostendas : curet Deus, etsi panes non adsint. Potest enim Deus etiam sine cibo vitam fovere, vivetque caro absque alimento, si sic illam vivere Deus jubeat. Ita scriptum est, inquit, et dictis divinis credo, nec ex solo cibo vitam exspecto. Per quæ Adam offendit, Christus reconciliat. Quia enim Adam ex incredulitate et ex cibo lapsus est (nam quod Deo non credens comedisset dejectus est), veniens Christus restauransque naturam, a temperantia et fide incipit. Itaque aperto jam marte congreditur diabolus. Ante partum, inquit, per adulterii suspicionem proli insidiabar : spe lapsus, per Herodem nato parans necem, excidi : jam victus per meipsum, certabo. O contentiosum cæcum! ab infante victus est, et cum eodem jam viro congreditur? Accede, o diabole, et virum proba : experire ejus fortitudinem iterum. Jam esurientem aggressus fractus est (cladis modum audistis); instaurandæ rei spe ausum iterat. Ut enim a primo artificio excidit, nec aggressus esurientem decepit, alteram malam adhibet technam. Inutilis, inquit, mihi fuit prisca illa machina; mitto illam artem, qua Adamum decussi, cibi tentationem depono : hic quippe videtur voluptatibus imperare. Qui enim voluptatis esca non emollitur, non quærit panem etiam in diuturnitate : quando fame non flectitur, carnis certamen non adeundum est. Aliam pugnandi artem adhibere decrevi : suavior adest hamus, dulcis gloriæ amor. Suavis est vanæ gloriæ laqueus; nec modo dulcis, sed etiam duplex : per vanam enim gloriam arrogantiæ advenit morbus. Nam qui gloriam amat, ad fastum pronus est : huic vero adest ad hunc morbum occasio. Fortassis altum sapit, quia multis diebus jejunavit. Ad fastum alliciam : adiens illum ut justum, ex psalmorum verbis inflabo quasi illius gratia dictis : dolosa interrogatione inescabo. Sit mihi interrogandi locus præcipitium : ad pinnaculum trahatur, et in sublimi posito hæc proferam : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum, Scriptum est enim : quoniam angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Certe vel admittet dictum, vel refugiet. Si admittat, quasi justus sese præcipitandi consilium suscipiet : ex sublimi corpus objiciet : ego vero, si lapsus moriatur, deridebo mortuum; sin vivat, illum vanæ gloriæ morbo confixi, dum suasi, ut sese ostentandi causa projiceret. Si vero recusare videam, Deo invisum reddere tentabo, ut olim Jobum, Filii dignitatem calumnians hoc pacto : Dictum ipsi a te scriptum legi, promissionem salutis abs te datam dixi, et se deorsum mittere non ausus est : palam est ipsum non fidere promissis tuis : quomodo igitur tam incredulum vocasti filium? Non latuit autem Dominum hoc consilium, seque ipsum raptandum dedit, ac si quis homo hominem sequeretur. Ille vero in sublimi posito consilium suum aperit : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Diabolo hæc proponenti respondebimus, Si putas id esse viri Patrem habentis Deum, quod in talibus malis illæsus manet, habes eorum quæ proponis demonstrationem. Illud enim ipsum, o diabole, Filium esse demonstrat, quod tibi adstantem ad præcipitium, non dejicias, quem a multo tempore dejicere curas. Illud certe constat, vel ex hortandi modo : Invitus non cades, inquit, sponte dejice teipsum : *Mitte te deorsum. Scriptum est enim : quoniam angelis suis mandavit de te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Nam hoc ipsum esse Deum demonstrasset. Si enim ipsum adversarius esse Deum scivisset, non ei proposuisset ut se ex alto dejiceret : siquidem sciebat Deum neque ab altitudine lædi, neque a latitudine superari posse, sed alta altitudine, lata latitudine cœquare : sciebat ab omni offensione Deum esse liberum : humanorum enim pedum, non Dei est, offendi. Quod igitur non ut Deum alloqueretur, ipsa diaboli verba testificantur. Audiamus verborum sensum. Paulo ante dicebas, inquit, *Scriptum est : Non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei;* et tuam erga Deum approbavi fidem : sed quia aliud Dei dictum est, *Angelis suis mandabit de te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum;* ostende te Dei verbo credere, ac te dejiciens sine læsione, utere hoc præcipitio, quod te Filium esse probet : utere lapsu ut divinæ providentiæ argumento. Si enim lapsus, illæsus resurgas, vera est illa Filii appellatio : hoc enim tibi ante pollicebatur Deus : *Angelis suis mandabit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Ex fœtente vasculo unguentum profers, diabole, historiam veterem repetens : Leo quidam a Samsone occisus est, qui favum mellis in ore habens, fœtens projectus erat. Tu quoque leoninum illud mel per os stillas, et jacens deprehenderis, Domini responsione prostratus. *Scriptum est* enim, inquit, *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Neque se projicere recusavit, neque annuit. Si enim se projicere recusasset, ansam diabolo dedisset putandi, ipsum non Deo fidere : si se projiciendi consilio adhæsisset, jactabundus et ad ostentationem pronus visus esset.** Responsionem affert, quæ nec consensum nec recusationem afferat, *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Hoc diabolo dicit, Me Dominum tuum non tentabis. Neque enim si hoc didicisset, ipsum postea adiisset, ut hæc polliceretur : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Psalmorum voces ut veras accipio. Deo credo patrocinium promittenti : scio illum angelis mandare pro hominibus; sed non quando in præcipitia se conjiciunt, non quando se sponte occidunt, non quando tentant absque necessitate. Itaque bis lapsus diabolus, ad tertiam insurgit tentationem. Verum tertiæ sermo adhuc debitor est, vobisque omnibus ad est debiti chirographum; dulce certe chirographum, unique diabolo amarum : nam ex ipsius lapsibus solvitur. Duas jam puto chirographi solutiones factas; circa reliqua debitum mihi superest longe cæteris onerosius. Reliquum debitum est tertia diaboli vafrities; tertia ordine, magnitudine prima; errorum numero postrema, versutiæ arte prima. In primis enim nequitia tolerabilis erat : nam apostasiam a Deo non aperte petebat, sed divina abutens commemoratione, *Si Filius Dei es* dicens, sub pia specie artificium inimici Dei tegebat. In tertia vero tentatione nuda malitiæ rabies, apertum flagitium erat : adorationem enim petebat ab eo qui adoratur, ex iis quæ audierat adorationem se petere posse imaginans. Quia enim viderat Dominum semper cum fide loqui, et Deum non esse tentandum dicere : putavit Dominum facile induci posse ad credendum, nec ea de re curiosius inquisiturum esse. Atque ut terrorem incuteret cum glorioso cultu illum adit : nam dicitur : *Assumit eum diabolus in montem excelsum*

valde, et ostendit illi omnia regna mundi, et gloriam eorum. Adumbrata enim aeria imagine, per fictas aerias formas et inconditam cosmographiam, delineati regni pulchritudinem ostentans, sperabat ex commentitio splendore se Dominum ad pie credendum facilem, superaturum esse. Nunc vero non intelligit se contra seipsum contendere, et ad lapsum properare. Ne a scopo aberraret, mundum se daturum pollicebatur : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Qui Paulo non credit dicenti avarum esse idololatram ; audiat idolorum patrem eadem quæ Paulus confitentem : Adoranti me, inquit, aliena dabo. Ergo ad diabolum transfugit, qui aliena possidet. Ipse enim alienorum donum promittit, gratiam cum aliorum damno præbens, et furando largiens. Hac mente ille Dominum invadit, ut eum donorum pollicitatione ad lapsum deduceret. Hic, aiebat, cibis non potest allici, non vana gloria deliniri. Hæc duo validissima tela confregit : aliud mihi validum telum quærendum : dominatus amor, quem omnes appetunt, lucri cupido, quam nulli respuunt : avaritia omnes, ut ita dicam, vulnerati sunt ; hanc ex pharetra mea eductam emittam. Sed quo jaculatus comprehendam ? quis mihi locus opportunus erit? Utinam mecum in excelsum montem veniat : commodus est locus editus ad spectandum : ex loco sublimi fertiles regiones ostenderem, ob oculos ponerem thesauros regum, spectandum præberem gloriosum vitæ splendorem ; alia ut vere se habent exhibens, alia arte et imaginarie amplificans. Hominis natura facile capitur opinione : si terræ jucunda viderit, ad possessionem accurret : exhibitas rapiet divitias, tantas possessiones diliget, umbram esse veritatem suspicabitur, statim credet exhibitis ; ubique enim fidem ostendit. Dixi, Panem pete ; et hoc ille rejecit, Deo credens vel sine pane alenti : dixi, Mitte corpus tuum deorsum ; et hoc dictum repulit dicens, non oportere Deum tentare. Cum gloriosa igitur specie ipsum adibo. A me deceptus credet, utpote qui in Deum incidere solitus sit, neque sit curiosus : ipso autem credente, ego deridendo abscedam. Has cum nosset cogitationes Christus, in locum excelsum cum illo ivit. Diabolus vero artem suam exhibere cœpit, varium fastusque plenum spectaculum ob oculos ponens. Dominus porro artem illam non confutavit, sed quasi dolum non nosset spectabat. Ille autem suspicabatur ipsum artis specie captum esse, et spectaculorum pulchritudine seductum : et quasi gloriæ auctor sublimia et imperatoria verborum monstra profert : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Non vides, inquit, homo, mundi magnitudinem? non vides amplas ejus possessiones? non stupes sexcenta cernens in illo regna ? horum ego dominus : hæc dona hominibus per judicium meum conferuntur. Mihi tu omnibus anteferendus, solusque in terra regno dignus es : a me accipe imperium totius mundi, et in horum vicem adorationem mihi exhibe. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Quasi ex media parte prophetam agis invitus, o diabole ; trades quippe mundum, quem male in servitutem redegisti ; verum non adorationem, sed flagellationem obtinebis. An putas te Adamum alloqui ? etenim Adamum inescavit, suasitque ipsi quod Deus futurus esset, et persuasum præcipitavit. Nunc quoque Christo promittit imperium universi, sperans ipsum ob tam altam spem esse lapsurum. Sed dignam audivit responsionem : *Vade retro a me, satana : scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Vade, satana.* E re hic nomen Satanæ adjicit, quemadmodum herus quispiam servum se occultantem ex nomine vocat, ostendens non se latere. *Vade.* Comminatorium puto, mansuetum licet, verbum, quasi frendente in ipsum Domino : Conatus es simulationem obtegere, et ipsam detexisti : de victoria desperas, et me donis adularis: jam mihi venditionem paras, jam mihi accidunt iis similia, quæ per proditorem venient. Intempestivam, o diabole, machinatus es venditionem : exspecta tecum consensurum Judam. Vade nunc, crucem exspecto : vade nunc, non me emes ; nunc vade, dona proditori serva : nunc hoc tibi dico : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Ne partiaris homines cum Deo : ipsi namque soli sunt debitores. *Tunc,* inquit, *reliquit eum diabolus.* Magna in ultimum errorem victoria. Sicut enim athleta quispiam strenuus, erecto sursum adversario, ipsum e sublimi decussum frangit : sic Dominus Christus, in montem adversarium tollens et aeria spe replens, ab illa spe dejecit et attrivit, et victoriæ miraculum, quod angelos perculit, ipsos ad victoris satellitium et ministerium collegit : nam ait, *Ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.* Nos quoque angelis similes Christo servitutem exhibeamus, cælis placeamus, ministerium in terra exhibentes angelicum, in ulnis invictis animas deponamus, lapsæ naturæ emendatorem diligamus, cum qui communem inimicum enervavit amplectamur, glorificati victoriam in memoria circumferamus, diabolo lapso insultemus, et caput impudens raptantes sic ore vociferemur : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum.

IN PRODITIONEM JUDÆ, ET IN PASSIONEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. IN SANCTA QUINTA (a).

Mœstam video Ecclesiam, dolorem præ se ferentem ob factam a proprio filio proditionem. Grave namque facinus, cædem nempe, machinatus est : et qui hæc patitur, Judex cælestis est vivorum et mortuorum. Quod autem omnium atrocissimum est, derepente inimicus et insidiator effectus est is, qui paulo ante discipulus et obsequens erat ; derepente ovis in feram mutata est, a luce descivit apostolus, vendidit Dominum servus proteax, post undecim discipulos duodecimus numeratus. Et cur nomen non proferam, ut ne omnibus apostolis contumeliam inferam, dum sceleris auctorem taceo ? *Abiens,* inquit, *unus ex duodecim* (*Matth.* 26. 14). Quisnam ? *qui vocabatur Judas.* Aliud additur, ne innoxius noxium tegat ; alium enim ejusdem nominis apostolum invenimus ; *Judas Iscariotes,* inquit, *unus de duodecim profectus.* Non ultra certe unus solum erat ; habebat enim secum adjutorem diabolum. Hic profectus ad principes sacerdotum dixit : *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam* (*Matth.* 26. 15)? Dic mihi nunc, Juda, qui mundi Dominum Magistrumque tuum vendendum proponis, discipuli dignitatem quo in pretio relinquis? quid te cogit, ut contendas ad Regem tuum prodendum? in quo vidisti cæteros condiscipulos tibi antepositos, ut hoc impium facinus meditareris? qui scis et tibi et cæteris undecim apostolis clamasse Dominum, *Si quis vult in vobis esse primus, sit omnium ultimus et omnium minister* (*Marc.* 9. 34). Annon hæc ante dixit, ut consilium tuum reprimeret? teque concitavit ut primis ministrares, ut ne tu, quasi ultimus, injusto mœrore affectus, dolum parares? Si pecuniarum cupidus non fuisses, cum te Judæis proditorem obtulisti, suspicatus quis fuisset, te injuria affectum, ad lædentis ultionem procedere : cum vero palam dicis, *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam* (*Matth.* 26. 16), doli tui causam prodis. *Illo vero constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, ut traderet eum.* Quid facis, o Juda, cum triginta argenteorum statuto pretio, inæstimabilem margaritam vendis? Enumera prius

(a) Collata cum Codice Romano.

stellas, quas solo verbo creavit, et tunc de tradendo per verba tua illo Verbo meditaberis. *Quærebat opportunitatem ut traderet eum.* Ipse tempora et sæcula fecit, et contra illum quærebat tempus proditioni opportunum. *Vespere autem facto, recumbebat cum duodecim discipulis : et manducantibus illis dixit : Amen, amen dico vobis, unus ex vobis me traditurus est* (*Matth.* 26. 20. 22) : qui contra me et vos ingressus est, et didicit ea quæ servare non potuit. *Et contristati valde, cœperunt ipsi dicere singuli, Numquid ego sum, Domine?* Dictum illud omnes excitabat ad conscientiam accuratius examinandam, eos quorum intima cordis pura erant. Respondit Jesus, Cur vobis omnes proditoris facinus adscribitis? *qui intingit mecum manum in catino, hic me tradet* (*Ibid. v.* 23). Invitus seipsum subindicat, seipsumque prodit; nomen ejus tamen a me interim tacetur, donec ipse vobis præsentibus dixerit ea quæ adversum me machinatur. *Respondens autem,* inquit, *Judas, qui tradidit ipsum, dixit : Numquid ego sum, Rabbi? Dicit ei, Tu dixisti* (*Ibid. v.* 25). Undecim alios liberasti, cum eos tuo scelere immunes declarasti. Accipe et aliam damnationem facinorum, quæ ob pecuniæ amorem admissurus es. *Cœnantibus autem illis,* inquit, *accepit Jesus panem, et gratias agens fregit deditque discipulis, et dixit : Accipite, manducate : hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit, dicens : Accipite, bibite ex eo omnes : hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Accipite ex eo omnes* (*Matth.* 26. 26. 28). Et tu, inquit, proditor, æternæ vitæ particeps esto : et si quidem in illa manseris, venia tibi datur de pactis tuis cum Judæis; sin propositum tuum non evertas, scito quam benignum vendas Dominum. Ille vero Domini misericordiam non ferens, ad Judæos accurrit, ut meditatum opus perficeret. *Et ecce,* inquit, *Judas unus de duodecim venit, et cum ipso turba multa cum gladiis et fustibus a principibus sacerdotum et senioribus populi. Qui autem tradebat eum dederat illis signum dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum* (*Ibid. v.* 47. 48). Meis attendite labiis, alio enim modo non potest sermo proferri. *Et statim accedens ad Jesum dixit ei : Ave Rabbi, et osculatus est eum* (*Ibid. v.* 49). O pacem orbis auferens osculum! imo ut verius dicatur, mundanum bellum de medio tollens; etiamsi Judas non ea mente proditionem aggredi ausus sit. *Jesus autem dixit illi : Amice, ad quid venisti* (*Ibid. v.* 50)? Mihi osculum dedisti; pacta tua cum adstantibus perfice. *Tunc accedentes injecerunt manus in Jesum, et tenuerunt eum.* Abiit proditor ab apostolis alienus, et vitæ princeps Judæis ad necem oblatus est. Apparata crux fuit, et sepulcrum ad vitam structum est : mortui reviviscunt, et Judas in infernum abit : crucifigitur cum latronibus Servator, et omnes vocat in paradisum. Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum.

IN ILLUD, MEMOR FUI DEI, ET DELECTATUS SUM (*Psal.* 76. 4).

1. *Memor fui Dei, et delectatus sum;* id cantor David testificatus est. Non ex se, sed ex Spiritu sancto Dei modulatus est, neque modo memor fuit David, sed et sapienter supplicavit; non labiis solum memor fuit, sed cor etiam illum docuit; non nocte vel die oblitus, sed hæc singulis horis precans memorabat. Et ut scias nos vera, non autem falsa scribere, ab ipsa Scripturæ historia melodias Spiritus sancti decerpamus. *Memor fui Dei, et delectatus sum,* inquit David. Et ut vere scias Davidem et nocte et die Dei recordatum, et ejus memorem delectatum esse, attento animo sequentia audi : *Memor fui nocte nominis tui, Domine* (*Psal.* 118. 55); et, *Memor ero nominis tui in omni generatione et generatione* (*Psal.* 44. 18) : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi, Domine* (*Psal.* 118. 62) : *In matutinis meditabar in te* (*Psal.* 62. 7) : *Vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo* (*Psal.* 54. 18) : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo* (*Psal.* 62. 1). Et rursum, *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem* (*Psal.* 91. 3). Viden' nullam fuisse otiosam horam, in qua obliviscereturr? non matutinam, non vespertinam. Si discere velis Davidem non simpliciter Dei memorem fuisse, sed etiam cum attentione cordis, audi, *De profundis clamavi ad te, Domine : Domine, confitebor tibi in recto corde* (*Psal.* 129. 1. *et* 118. 7). Et ut omnium horarum terminum induceret David, deinde ait : *Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est* (*Psal.* 118. 97). Ecce quomodo tota die meditando eloquia Domini et assidue memor Dei, qualis gratiæ dignitatem accepit? num in terra mercede donatus est? Puto illum conspicuum et in terra regnantem, hic inimicos subegisse, et illic angelis imperasse : hic terrenum regnum et purpuram gessisse, et illic cælestis regni gloria fulsisse : hic modulatione et Spiritus sancti vocibus claruisse, et illic omni virtute præditæ sapientiæ radiis coruscasse. Hæc partim tantum describimus. In his autem omnibus quod optimum erat sortitus est. Ut enim vidit Spiritus sanctus Deum frequenter a Davide hymnis in terra celebrari, demum in cælos abiit postulansque dicit : Domine, quotidie David tui memor est, atque hac memoria delectatur, et tu ejus memor esto, Domine Deus noster, aitque : *Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis ejus* (*Psal.* 131. 1). Hinc respondet benignissimus Deus : Quia frequenter prudenterque David memor est mei, ego quoque omnibus prædicabo meum erga illum affectum et dilectionem : plus quam sanctos et angelos et Virtutes celebrabo illum in terra. Quid dicendo? *Inveni David servum meum, virum secundum cor meum* (*Psal.* 88. 21; et 1. *Reg.* 13. 14); et, *Primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ;* et, *Thronum ejus sicut dies cæli* (*Psal.* 88. 28. 30). Hoc porro dicens David, seipsum conspicuum reddit. Vides magnum esse homini lucrum memoriam Dei? Dixit David, *Memor fui Dei, et delectatum est cor meum.* Nam aliæ quidem delectationes per os ingrediuntur, et per pudicem exeunt : Dei vero delectatio quasi fons, mellita nempe verba mea cor lætificant; ita ut dicat homo sic affectus : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo* (*Psal.* 118. 103)! Etenim qui Dei memor est, omnia lætitiæ bona habet in corde recondita : illic fons bona scaturiens; illic mel et favum, et lucerna accensa; illic thesaurus absconditus sanctæ Trinitatis. Denum Pater et Filius et Spiritus sanctus veniunt, et mansionem apud eum faciunt : atque deinceps ille non est ultra homo initiatus, sed angelus a Deo fultus. Quia igitur tali gratia dignatus est homo, et quia tali delectatione fruens lætabatur David; nos quoque Dei delectatione fruentes, frequenter Dei memores simus, ut iisdem fruamur bonis. Age ergo virtutes adventus Servatoris ceu thesaurum perscrutemur, et terrenum ejus adventum ceu columnam omni virtute refertam celebremus; quoniam multa audivi a scelestis illis Judæis prolata blasphemiæ argumenta; et quia non credunt illi Scripturis, quas indigne legunt, nec mysterium agnoscunt. Nam quod ex virgine natus sit Dominus, hoc illis miseris et scelestissimis offendiculo esse dicitur. O stultitiam! o iniquos homines plus quam natura ferat! Quæ scriptura, quis propheta hanc Domini gratiam non celebrat? Primus Salomon, magnus sapientiæ auriga, Virginem beatam prædicavit dicens : *Beata sterilis intemerata, quæ non novit torum in delicto* (*Sap.* 3. 1). Sterilem illam vocat antequam in illam superveniret Spiritus sanctus, et antequam sol oriretur. Non novit

torum in delicto, quia cum viro non congressa est. Cum porro de intemerata sterili audivit venerandus Isaias, statim sapientis dictum collegit, ac cum ipso modulatus est : Tu, inquit, dixisti sterilem intemeratam, et ego dico : *Lætare sterilis quæ non paris* (*Isai.* 54. 1). Hactenus non peperisti : jam lætare, quia eum quem cæli non capiunt, tu ut susciperes digna fuisti. Ut vero duo illi testes hæc prædicarunt, alium perquisierunt, quem in mysterium inducerent, ut quod quærebatur ex tribus testibus certum esset. Hæc illis cogitantibus, ambo Davidem invenerunt modulationis rhetorem, et ipsi futuram œconomiam in mentem revocarunt. Ut autem mysterium audivit, quasi cum clangore tubæ respondit : Ecce ambo de sterili loquuti estis : cur de glorioso partu nihil dixistis? Rem prudenter dictam advertens Isaias, statim reponit : *Ecce virgo in utero habebit et pariet filium* (*Isai.* 7. 14). Addidit Salomon : *Habebit fructum in visitatione animarum* (*Sap.* 3. 13). His auditis David dixit illis : Ecce dixistis quod pariet : quo in loco? in urbe, an in deserto, vel in agro? Reponunt ei : Tu de loco et de civitate dicito : ampliori quippe gratia dignatus es. Tunc David Spiritus operatione suggerente, magno clamore mysterium celebravit : Vos in occulto, inquit, loquimini : ego alta voce partum proferam : *Ecce audivimus eam in Ephratha, invenimus eam in campis silvæ* (*Psal.* 131. 6). Ac cum intelligeret hanc doctrinam esse profundum ænigma, hæc descripsit : *Ecce audivimus eam in Ephratha, invenimus eam in campis silvæ :* hoc est in Bethlehem : nam Ephratha vocatur. *Audivimus eam in Ephratha*, nempe prægnantem esse : illic enim fama exiit, Virginem esse prægnantem. Tunc invenimus eam in campis silvæ, in spelunca, ubi lux apparuit. Hic audivimus eam prægnantem, hic de viro notitiam accepimus : illic matrem Domini invenimus. Ecce ex tuis tres tibi testes protulimus, gloriam Virginis prædicantes : non quod hos tantum invenerimus; omnes quippe prophetæ se ipsum vidisse confidunt; sed quod ex tribus testibus jus statuatur. Ego vero non ex tribus rem tracto; sed da mihi unum fide dignum testem, qui dicat falsum esse mysterium, aut Virginem ex viri operatione peperisse; aut hoc declara, et conversus quasi Deiparam adora. Aut ostende Servatorem in sepulcro ac tumulo detentum, aut ego tibi ostendam in dextera Patris sedentem. Non enim ex alienigenis, sed ex genere tuo testem profero dicentem : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* 109. 1) De Judæis loquitur; neque enim alius est inimicus, quam is qui crucem negat.

2. Sed ego relicta Dei hoste synagoga, Ecclesiæ a Deo inspiratæ loquar. Si tibi dixerit Judæus, Dic quomodo virgo genuit sine viro; dic et tu, Quomodo Adam Evam genuit sine muliere? Quomodo virgo genuit sine semine? quomodo floruit terra sine semine? Quomodo genuit virgo? quomodo aquam emisit prærupta petra? Quomodo genuit virgo? dic quomodo Aaronis virga germinavit. Quomodo genuit virgo? dic, quomodo manna de cælo decidit? quomodo hydria impleta est? quomodo ex radice Jesse flos germinavit? quomodo Elisæi oleum supereffluxit in testam? Quomodo genuit virgo? dic, quomodo vellus Gedeonis rorem emisit? dic, quomodo Samsoni ex osse aqua manavit? dic, quomodo fornax tres pueros servavit? dic, quomodo sub Manoe petra accensa est sine ligno? dic, quomodo rubus inflammaretur, nec combureretur? dic, quomodo non combustus fuerit Elias in curru igneo? dic, quomodo Moyses ingressus sit in caliginem, et inde egressus? Quomodo genuit virgo? quomodo Isaias Dominum vidit sedentem super solium excelsum et elevatum? dic, quomodo Daniel occultum somnium Nabuchodonosori declaraverit? quomodo Ezechiel invisibilem in curru Cherubinorum sedentem viderit? Quomodo genuit virgo? quomodo Jeremias propheta ex vulva sanctificatus est? dic, quomodo mortua prophetæ ossa mortuum suscitaverint, dic, quomodo mare Rubrum virga in petram versum sit? dic quomodo Jordanis fluxum retro duxerit, dic quomodo arbores fructus parturiant, dic quomodo vitis uvam ferat, dic quomodo nox diem genuerit. Quomodo genuit virgo? Dic quomodo luminare solis mundum calefaciat; dic quomodo cælum stellas exhibeat. In his quoque sunt mysteria ineffabilia, in cælis occulta et incomprehensibilia. Si hæc mihi explicaveris, Judæorum patrone, jam sciam te partum Virginis intelligere. Verum tu alienus es et ab illis et ab his mysteriis : nos vero et hæc amplectimur, et illa credimus. Interpretare prophetas, et vide adventus oratores. Coronetur prædicatio. Quæ ille fecit et passus est, jam illi a tot generationibus depinxerunt. Primus supplicat David, *Domine, inclina cælos et descende* (*Psal.* 143. 1). Et postulata consequutus, prædicat et dicit, *Inclinavit cælos, et descendit* (*Psal.* 17. 10). Et quia ut puer appariturus erat, ait Isaias, *Puer natus est nobis* (*Isai* 9. 6). Quia vero mater ejus illum sublatura erat ut fugeret in Ægyptum, *Ecce Dominus sedet super nubem levem, et veniet in Ægyptum, et concutientur manufacta Ægypti* (*Ibid.* 19. 1). Virginem nubem levem jure vocavit, quia virilis seminis onus non suscepit. Quod vero in Jordane baptizandus esset, dicit Jeremias. *Quomodo feceris in fremitu Jordanis* (*Jerem.* 12. 5)? Et cur per species enumeramus? Age omnes simul prophetias in unam lucem proferamus. De interpretatione ait Gabriel, *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te* (*Malach.* 3. 1). De Christi et Baptistæ occursu ait David, *Misericordia et veritas obviaverunt sibi :* deque salutatione Elisabetæ ad sanctam et castam Deiparam, *Justitia et pax osculatæ sunt* (*Psal.* 84. 11. *et seqq.*). Rursum de Joanne et de Domino dicit, *Veritas de terra orta est, et justitia de cælo prospexit* (*Psal.* 81. 6). De apostolis dicit, *Ego dixi, Dii estis.* Et de superno testimonio ait David, *Filius meus es tu : ego hodie genui te* (*Psal.* 2. 7). De ægrotis ait, *Misit verbum suum, et sanavit eos* (*Psal.* 106. 20); de peccatoribus, *Ipse peccata nostra fert;* de suscitatis mortuis, *Resurgent mortui;* de animabus detentis, *Qui in tenebris sedetis, lux orta est vobis* (*Isai.* 53. 4. *et* 26. 16. *et* 9. 2). De Caipha et Herode dicit, *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham* (*Psal.* 46. 10); de Juda, *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem* (*Psal.* 40. 10); de synagoga Judæorum et principum sacerdotum, *Veniet Dominus in judicium cum senioribus populi* (*Isai.* 3. 14), de cruce, *Venite et mittamus lignum in panem ejus* (*Jerem.* 11. 19); et de latrone qui a dextris erat, *Dextera Domini fecit virtutem* (*Psal.* 117. 16); de sepulcro, *Posuerunt me in lacu inferiori* (*Psal.* 87. 7); et de corona spinea, *Vinea mea pro uvis spinas germinavit;* et quod tentatus fuerit a maligno, *Inimicus improperavit Domino;* et quod vocatus sit Filius hominis, *Et super Filium hominis quem confirmasti tibi* (*Psal.* 73. 18. *et* 79. 18). De sepultura ejus, *Et dabo improbos pro sepultura ejus* (*Isai.* 53. 9); de resurrectione Domini, *Exsurge, quare obdormis, Domine* (*Psal.* 43. 23)? de assumptione ejus, *Ascendit Deus in jubilatione* (*Psal.* 46. 6); de sessione superna, *Sede a dextris meis* (*Psal.* 109. 1)? Ecquid plura dicam? Ne rhetores quidem universas, quæ de Christi gratia proferuntur, prophetias recensent. Vis scire quam certa sit vetus illa historia, et quod Novum Testamentum a Veteri depingatur, quodque ea, quæ hic dispensata fuere, illic adumbrata fuerint? Vide mihi illum ibi in tabernaculo Abrahæ cum duobus angelis adventantem, et hic cum duodecim discipulis in domum Zacchæi ingredientem : vide mihi illum ibi duos fratres ad sacerdotium vocantem, et hic duos fratres ad apostolatum eligentem : Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus; Petrus et Andreas in apostolis ejus. Vide mihi illum ibi filium viduæ per Eliam suscitantem, et hic filium unicum viduæ per se excitantem : illic per Elisæum Nee-

manum purgatum, hic per se leprosum mundatum : illic Mariam sororem sanctorum prophetarum inducentem, hic sororem sanctorum apostolorum eodem nomine vocantem : illic ex prophetis quaternos exaltantem, hic quatuor evangelistarum numerum honorantem. Illic duodecim alios prophetas efformavit, hic duodecim numero apostolos vocavit : illic magnis prophetis alios subministrantes assignavit, hic apostolis septuaginta alios adjecit. Thaddæus porro fuit is qui Abgarum curavit (*a*). Illic Jesus filius Nave reges Palæstinæ corripuit, hic Jesus verus Deus reges orbis gloria affecit : illic duodecim fontes in Edem scaturiunt, hic duodecim discipuli ex Sole justitiæ baptisma effundunt : illic septuaginta palmarum arbores ostensæ sunt, hic septuaginta apostolorum discipuli germinarunt : illic amaram aquam lignum dulcem reddidit, hic summam peccatorum amaritudinem in dulcem charismatum fontem crucis lignum mutavit : illic tabernaculum testimonii sanctificatum est, hic tabernaculum Pastophorii glorificatum est : illic David hymnos modulatus est, et hic Paulus dulcisona voce doctrinam protulit : illic Elias inter prophetas virgo exhibitus est, hic similiter Joannes inter apostolos virgo : illic Elias in curru igneo sedit, hic Joannes supra pectus Domini recubuit : *Deus enim noster ignis consumens est* (*Hebr.* 12. 29). Illic tres exhibiti sunt magni, qui Servatoris nomen habent, qui gloriosæ Trinitatis characterem significant : tres sancti potentes ; non enim e vulgo nec inglorii erant ; Jesus filius Josedec, magnus in sacerdotibus. Deinde tres illi fide digni testes, qui sanctæ Trinitatis gloriam subindicant.

3. Vere animus mihi abripitur ut ad alia transiliam, ad salutarem fidem. Non enim a propheta abscedo dicente : *Memor fui Dei, et delectatus sum :* quem omni virtute prædita Sapientia in canticis prædicat, *Surge aquilo, et veni auster : perfla hortum meum, et fluant aromata* (*Cant.* 4. 16). Quis ergo est aquilo? quis auster? quis hortus? quæ in horto plantæ? quæ aromata fluentia? Ego illa puto esse, quæ interpretatur Scriptura; aquilonemque esse sanctam Virginem, austrum Servatorem mundi, plantas sanctos martyres et apostolos, fontem irrigantem hortum baptisma Servatoris, custodem horti signaculum crucis, aromata curationes et charismata Servatoris. Hoc ergo sibi vult illud, *Surge aquilo ;* id est, Virgo ex Galilæa ; *et veni auster ;* veni, Christe, de cælo a meridie, et perfla sanctam Virginem, perfla in mundum, et excita sanctos martyres et apostolos et fluant aromata in infirmos et errantes. Hæc aromata in diversas condensantur gratias, et sunt infirmis sanitatis indicium, errantibus argumentum conversionis, peccatoribus pœnitentiæ advocati, justis valetudinis auxilium. Quo pacto igitur digne celebrabimus peccatorum curationes, vivificam spem, terrenam vitam, cælestem salutem? Quomodo impinguata est terra, cum talia fluxerunt aromata? quomodo terra thymiamata sua attulit? illaque Domino cum timore offerens dixit : Tu, Domine, præbes cælestia aromata, et ego divinitati tuæ terrena thymiamata offero ; tu unguentis dorsum meum illinis sanctis et intemeratis vestigiis tuis, et ego exsultans unguenta tibi offero. Deinde his ambobus gaudens terra ad omnem creaturam conservam suam clamat : Venite, congregamini omnes qui ex me orti estis, et videte in terra illum, qui in cælis glorificatur : venite, videte in ulnis mulieris gestatum eum, qui sedet super Cherubim : venite, videte lactantem eum, qui lac subministrat feminis : venite, videte in utero Virginis inclusum eum, quem cæli non capiunt : venite, videte a matre escam accipientem, eum qui terminos pascit : venite, videte magistris traditum eum, qui magistros instituit : venite, videte ab hominibus tentatum eum, qui ab angelis celebratur : venite, videte in domum Zacchæi intrantem eum, qui supra cælos sedet : venite, videte cum Chananæa loquentem eum, qui a Cherubico ministerio hymnis celebratur : venite, videte mulierem peccatricem adeuntem eum, qui in dextera Patris sedet : venite, videte eum cujus fimbriæ a muliere infirmante tanguntur, et qui ab incorporea Virtutum natura adoratur : venite, videte natum ut hominem eum, qui sæculorum conditor est : venite, videte infantem eum, qui ante constitutionem mundi fuit : venite, videte a principibus sacerdotum tentatum eum, qui ab angelis stipatur : venite universæ creaturæ Creatorem videntes ; et ut ille est vita in terra, omnes vivite ; venite, omnes Deo repleamini : venite par vicum magnis congregati, pauperes cum divitibus, servi cum heris, peccatores cum justis, reptilia et quadrupedes cum volucribus, et videte eum qui vitam largitur. Tempora hiemis et autumni mutemini, et præter naturam fructum ferte, proventumque vestrum afferte ei qui vobis fructum indidit : omnia facite, fragrantia odoris divinitatem afficite : aut vestra thymiamata inducite, aut ab illo aromata decerpite. Quia vero in his omnibus terra neglecta fuit a succedente hominum genere, ecce omnia, ut dixit, percurri ; deserta loca germinarunt, multamque fragrantiam exhibuerunt ; ut prophetiam Isaiæ implerent, ita accinentem : *Exsultet desertum, et floreat quasi lilium, ac propagines bonumque odorem emittent deserta Jordanis* (*Isai.* 35. 1). Ilis ita pulchre gestis, demum ipsum mare odore frui desideravit, cœpitque sese palam efferre, ac cum terra contendens dixit : Jam mihi Dominum concede : non tuus tantum est Dominus, ut totam divinitatis gratiam accipias : roga illum ut ad me veniat, ne ego ad illum veniens, totam faciem tuam operiam et obruam. Nisi enim illum novissem, nisi timuissem eum qui me obsignavit, et insolubilibus vinculis ligavit, jamdiu terminos tuos inundassem. Annon nosti me prius et antiquius esse te? Antequam tu appareres, ego in abyssis choreas agebam. Redde Dominum mihi proprium, ut ait propheta : *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud :* et tunc subdidit, *Et aridam formaverunt manus ejus* (*Psal.* 94. 5). Tu ergo posterior efformata es. Sicca, mater pulveris, insatiabilis, sepulcrum mortuorum, sanguinum, doli et peccatorum domus. Cur tyrannidem exerces in id quod te antiquius est? cur sola Dominum retines? Jam redde illum mihi, ut impleatur illud, *In mari viæ tuæ* (*Psal.* 76. 20) : redde mihi Opificem meum, ut sinus meos gratia impleat. Sic ejus nutu retenta a mari terra, cum fastu et pompa vicissim loquuta est : Num te minor sum? tu fluis, evacuaris, sibilas, illidis, herbas vehis, vitæ inutile es cum salsuginosis tuis fluentis, trajectu difficile, vix transmeabile, tempestatum consors, turbinibus exasperatum : si præcellentius, ut dicis, esses, in te primum Dominus habitasset ; nunc vero mea hinc dignitas fulget, ac te superior sum, quia in me primum divinitatis radios emisit. Tanto te præstantior sum, quod ego mater sim hominum, tu reptilium. Ego sanctæ Virginis mater sum, quæ Dominum peperit ; tu vero mater draconis, qui illudit animalibus tuis : ego mater prophetarum, apostolorum et sanctorum ; tu mater immanium et malignorum reptilium, infeliciter navigantium pernicies : ego hortus fructuosus, emittens flores et aromata ; tu ventos, tempestates et procellas. Si possem retinere Dominum, non sinerem ut te adiret. Ubi vero elementis ita concertantibus, qui omnia implet et dispensat Dominus ipsum mare adiit, ut sacris vestigiis aquas ceu continentem honoraret ; demum mare sinus suos expandens, Dominum cum gaudio multo excepit dicens : Venite omnia animalia pusilla cum magnis, convenite quæ in profundo estis, natate ad eum, qui vos a principio quasi in throno constituit, et vitam vobis largitus est : omnes contrarii, procellosi venti refrenamini, ad præsentis divinitatem contremiscite : omnes procellæ et turbines quiescite ob vim potentiæ : venti omnes et tempestates comprimamini, fluctus sedate, tranquilli estote, et Dominum vitæ et

(*a*) De Abgaro vide Eusebii historiam.

mortis cum gaudio excipite. Quis annuntiabit mihi hodie me Dominum habere supra pelagum gradientem? Ab hac die honore afficiar, quia Cherubica sedes fui, et Seraphicas lecticas excepi : quoniam eum, qui ibi sedet, hic ambulantem habeo : eum qui super pennas ventorum volat, in insulas advectum teneo : eum, qui supra tot sublimia firmamenta exaltatur, in speciosa mea regione incedentem habeo. Jam non ultra mare vocabor, sed cælestis piscina : nunc sum lucerna cælestis admodum fulgens, nunc fons medelam abunde ferens, nunc sol sum radiis splendens, nunc cælum scintillas, non quæ a natura sunt, emittens, sed fluentis gratiæ manans.

4. Ut vero omnis creatura exsultabat, simul terra et quæ sub cælo sunt de gratia lætabantur. Nam errantes convertebantur, peccatores pœnitentiam agebant, impii pie sentiebant, ægri sanitatem recipiebant, mortui ad vitam revocabantur, viventes ad divinitatis faciem sistebantur. Ut vero dæmones pellebantur, ægritudo marcescebat, mors confundebatur, demum qui in inferno ab hoste detinebantur, ejus audita fama, ejus gloriam videre curabant, et ut a vinculis solverentur supplicabant. Ut autem vidit perniciei dux et princeps tenebrarum, illum ibi rem optime gerere, et paratum esse ad diripiendam inferni regiam, ad dæmonas illic custodes positos se contulit dicens : Sub terram venit is, qui sub cælo sapienter se gessit : fines nostros vastaturus venit, et occulta penuaria nostra capturus. Respondent arrogantes illi : Ecquis est te fortior? annon dicebas, Non est me potentior qui mihi adversatur? Nunc times, ne ab illo supereris? Interim experire bellum contra illum : confide, et illum in omnibus a te prostratum reperies. Tum ille, Tentavi, inquit, et probavi, et undique vires meas fregit : in deserto ipsum oppugnavi, et ille me undique desertum ostendit. Neque adversus discipulos ejus quidquam potui : eadem quippe gloria illos affecit. Tum illi reponunt : Interim ingredere, et portas æreas claude, vectesque ferreos firmabimus, telaque nostra parabimus. Hæc et similia improbis illis clamantibus, ecce Dominus cum ignem ferentibus exercitibus advenit. *Attollite* mihi *portas principes* dæmonum : *introibit enim Rex gloriæ* (*Psal.* 23. 7. 8). Qui intus erant audacter respondent : *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis et potens in prælio.* Dux autem dæmonum intus dicebat illis : Annon dicebam vobis ipsum esse fortem et potentem in prælio ac viribus valentem? Angeli vero strenue agentes aiunt : Attollite portas, antequam illas confringamus, et vectes conteramus : cum pace aperite, ne irati intremus. Attollite portas, principes inferni, et introibit rex gloriæ. Illi vero metu correpti, ut verbis disceptabant, *Quis est iste Rex gloriæ?* angeli responderunt, *Dominus virtutum est*, supernorum et infernorum Dominator. Ut vero illi rixabantur, nec aperiebant metu correpti, nutu divinitatis statim portæ confractæ sunt, et vectes contriti, impletaque fuit prophetiæ prædictio, tot ante generationes clare enuntiata; nempe, *Quia contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit* (*Psal.* 106. 16). Deinde consternati contumeliæ auctores, dixerunt impii, Tela et gladios habemus, impetum faciamus in eum. Ille vero qui portas confregerat, hos etiam contrivit : implevitque prophetias duas sic prædicantes : *Dominus conterens bella*, *Dominus nomen illi. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium et bellum* (*Psal.* 75. 4. 5. 6). Ubi autem viderunt ii qui inclusi erant lumen æternæ vitæ, clamaverunt : *Illuminas tu mirabiliter a montibus æternis.* Montes vocabant inferni firmamenta : *Turbati sunt omnes insipientes corde* : id est, consternati sunt diabolici principes : *Dormierunt somnum suum : et nihil invenerunt.* Interempti namque sunt a Domino, et quæ præ manibus habebant perdiderunt, et nihil invenerunt. *Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt qui ascenderunt equos* (*Ibid. v.* 7). Equos vocat detentorum animas, et ascensores malignos dæmonas; dæmonas qui immisericorditer cruciabant hominum animas. Dormitaverunt et interempti sunt. Tunc ut animarum salutem et perniciem suam viderunt; illarum libertatem, suamque servitutem; illas solutas, seque insolubilibus vinculis detentos : magno clamore vociferati sunt, *Tu terribilis es, et quis resistet tibi in faciem* (*Psal.* 75. *v.* 8)? Nos, qui animas cruciabamus, de cælo confodisti justo judicio : non enim juste judicabamus : ideo judicamur, ideo veniam non consequimur. *Sine misericordia* enim *judicium est ei qui non fecit misericordiam* (*Jac.* 2. 13). Inclusit eos in penetralibus inferni, draconum odore castigatos, insolubilibus vinculis ligatos. Animas autem omnes assumptas congregavit Dominus, et Jeremiæ prophetiam implevit : *Congregavit perdix quæ non peperit* (*Jer.* 17. 11). Quas enim in infernum coegerat inimicus, illas Dominus congregavit : quas illic peperit diabolus, imo quas dispersit, has Christus congregavit. Surgite, ait Dominus, et ascendamus in cælum. Hoc autem totum factum est ut impleretur ænigma prophetiæ : *Surgite, et ascendamus in montem* (*Psal.* 6. 5); hoc est in Jerusalem cælestem. Infernæ portæ apertæ, imo contritæ sunt : necesse jam est ut aperiantur supernæ portæ cælorum : nam superni ostiarii ignorantes id impediebant. Cum enim descendit, id illi ignorabant : ideo illum ascendentem non noverunt, et præpedire tentabant (secum enim habebat Dominus animas quas redemerat, etiam latronem, imo vero discipulum), dicebantque : Quis est hic qui cum tanta acie venit? Qui vero præibant angeli, divinitatis dignitatem significabant. Illi vero ignorantia præpediti non accurrebant : si Dominus est qui ascendit, quomodo cum descendit, id ignoravimus? Annon alias quoque descendit? Arcam a Noe fieri jussit, ad Abrahami tabernaculum venit, ad Jacobum in scala, Jobo per turbinem et nubem loquutus est, Moysem in Sina adiit, Jesum item in Jericho, et Eliam in spelunca. Nulla fuit generatio in qua non descenderet, et nos non ignoravimus. At nunc si, ut dicitur, Dominus est qui ascendit, quomodo nescivimus ipsum descendisse? Responderunt ii qui præibant : Ipse est qui tunc descendit : ut notus non esset cum ascenderet, servilem formam gestavit, ne Dominicam magnificentiam agnosceretis. Discite Dominicum mysterium, artemque Dominicam, ac ne impediatis benignitatis propositum. Si enim novissetis eum in humilitate multa descendentem in gratiam opificii sui, ejus descensum impedivissetis, et hominem a salute privassetis, et a superno regno exclusissetis. Nunc aperite, genu flectite. Respondent illi, Nisi divinam ejus vocem audiamus, portas non aperiemus : nemo enim huc ascendit impurus. *Hæc* enim, inquit, *porta Domini : justi intrabunt in eam* (*Psal.* 117. 20). Tunc Dominus voce veneranda loquutus est : Ego sum is quem quæritis : *Aperite mihi portas justitiæ : ingressus in eas confitebor Domino* (*Ibid. v.* 19) : nempe, quæ fecerim, quæ passus sim, quanta fecerim bona, et receperim mala. Annuntiabo justorum indicia, curationum charismata, et recte facta. *Aperite mihi portas justitiæ : ingressus in eas confitebor Domino.* Tunc ostiarii intemeratam Domini vocem agnoscentes, cum timore adoratum egressi sunt : Ignoravimus te, Domine, descendentem, adoramus ascendentem. Deinde cum ipse et sequaces ejus sine obice pertransissent, eos qui postea ingredi volebant, depellebant illi dicentes : Hæ portæ Domini; justi intrabunt in eas : num etiam injusti, adulteri, publicani, raptores? Cur ita agitur præter sanctam voluntatem tuam? Has tu statuisti portas, nos ostiarios constituisti : tu legem nobis dedisti : *Hæ portæ Domini; justi intrabunt in eas.* Annon de te dictum est, *Præceptum posuit, et non præteribit* (*Psal.* 148. 6)? Dixisti, Soli justi intrabunt : num etiam injusti? huc accedunt adulteri, publicani; huc magi, latrones, raptores ingrediuntur? Saltem primo justos induc, et postea peccatores

adduces. Fiat quidem, ut hos omnes introducas, quia nempe pœnitentiam egerunt ; hunc vero latronem cur ante omnes intromittis in regiam supernam? ubi resipuit, ubi pœnitentiam egit? Ne uno quidem die in vita sua bene se gessit, neque quidpiam bonum fecit umquam ; sed ne per unam quidem horam ad pœnitentiam versus est. Ecce peccata ejus descripta habemus, quæ numquam per pœnitentiam ablui t ; et illum in paradisum ante omnes justos inducis? Tum Servator : Ejus peccatum exquiritis, quod ego ante omnia delevi? Nullum erit ejus peccatorum chirographum, quia fides ejus illud delevit. Solvatur iniquitatum ejus syngrapha per pulchram confessionem. Non egit pœnitentiam ante tempus ; sed intellexit in tempore : ante mortem sine fide nudus erat, in morte fides ejus maris fluctus devicit : in tempore quietis non novit, in tempore necessitatis novit justitiam. Cum discipuli mei a me fugerunt, hic ad me confugit : Cum Petrus dicebat, *Non novi hominem*, hic Regem cælorum confessus est : cum sacerdotes me occidebant, hic me vitæ dominum vocavit. Mihi pœnitentiæ opus perfectum est, dum ejus propositum et studium video : mihi patientiæ justificatio peracta est, cum ille cor suum ad bonum inclinavit. Per costam Adamus paradisum clausit ; hic per confessionem aperit ostium, quod framea ignea custodiebatur. Ne quæratis ejus peccatum, quod non invenietis. Ideo David ante tot generationes prophetavit : *Quæretur peccatum illius, et non invenietur* (*Psal.* 10. 15).

5. Demum Servator ascendit, devicta omni potestate et virtute : et omnes exercitus angelorum ipsi occurrerunt, et quasi Dominum adoraverunt : omnis Cherubicus ordo, omne Seraphicum ministerium ipsum et Patrem, qui eum genuerat, adoravit. Et a Patre susceptus, ad dexteram ejus sedit, qui numquam paternos sinus evacuaverat. Licet enim ex benignitate sua in terram descenderit, thronum numquam reliquit ; licet per œconomiam homo perfectus factus sit, numquam excessit ex naturali propria sua divinitate. Non enim ex humano profectu Christus factus est Deus, absit ; sed Deus cum esset, factus est homo, ut hominem salvum faceret. Ideo non hominem factum Deum prædicamus, sed Deum hominem factum confitemur, ut divinus Paulus dixit : *Ideo omnis principatus et potestas subjectæ sunt ei, utpote qui sit ante omnem creaturam ;* imo factor creaturæ, et qui una dominetur et regnet cum immaculato Patre suo, et cum vivifico Spiritu in sæcula, amen. Ipse enim est qui judicaturus est orbem et mundum universum, et redditurus unicuique secundum opera sua. Quis ergo benignitatis ejus misericordiam, et potentiæ magnitudinem enarraverit? quis bonitatis ejus prudentiam, vel virtutis magnificentiam dixerit? quis viscerum commiserationem prædicaverit aut excellentiæ dignitatem investigaverit? quod supernis illis non relictis, propter nos in terram descenderit : quod insciis principatibus et potestatibus in uterum immaculatæ Virginis sit ingressus : angelorum et archangelorum choris ignorantibus formam servi inducit, ut ad imaginem sui factum hominem a corruptione et morte salvum faceret : et carne mortuus est, ut nos immortalis naturæ suæ participes efficeret. Et quid retribuemus ei pro omnibus quæ retribuit nobis? quas gratiarum actiones? quas supplicationes? Neque si omnia membra nostra vocem assumerent, et capilli etiam nostri loquerentur ; si totum organum nostrum modulatione repleretur, possemus digne celebrare ejus erga nos indulgentiæ commiserationem et munificentiam. Sed quantum valemus hymnis celebramus eum qui solus sanctissimus est, propheticam implentes prædictionem, *Memor fui Dei et delectatus sum.* Per hunc enim circuitum transivi magna et stupenda miracula, ut horum quotidie memor, delecter ; siquidem ut par est, hæc digne memoria retineamus. Sed sive per occasionem, sive per veritatem Deus annuntietur**. Quare cum propheta dicamus, *Memor fui Dei et delectatus sum.* Deus autem virtutum, qui benignitatem bonitatemque suam multam ostendit, infirmitatem nostram et precationes gratia sua suscipiat, et ad meliorem providentiam ducens, verbo ipse suo, animam immaculatam, corpus sine sorde, spiritum sine labe, vitam sine damno custodiat ; itemque fidem inviolabilem, amorem fraternum sine contumelia, virginitatem incorruptam, amicitiam sine rumore, caritatem sine simulatione, virtutem non fluctuantem, justitiam sine obice, fidem fructuosam. Portas nobis paradisi aperiat, gladium flammantem exstinguat : januam regni aperiat, immortalem fruitionem paret, ad dexteram statuat, et per benignitatem suam dextera sua nos coronet : quoniam ipsi debetur gloria, Patri et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

IN RACHELEM ET IN INFANTES.

Quemadmodum ii, qui dulcissimos arborum fructus decerpunt, simul et ramos et arbores laudibus efferunt : ad eumdem modum nos, carissimi, fructu sermonis a præcedenti doctore accepto, et illi simul et patribus præconii munus deferimus. Sicut enim ex arborum pinguedine fructibus pinguedo suavitasque immittitur, sic et prædicto viro ex spirituali gratia sermonis suavitas refertur. Decerpamus ergo sermonum suavissimos fructus, quemadmodum palmulas suaves ex dulci patrum radice dulcedinem obtinentes, et sermonis suavitatem in mentem nostram transmittamus, gratiarumque actionis jucunditatem in patres nostros conferamus. Patrum enim decus ex filiorum ornatu constat ; imo potius filiorum coronæ ex patrum gloria decorantur. Quia vero ut lectione gemituum Rachelis, ceu stimulo punctus, ad illam me converto : Dic mihi, Rachel, die laborem in gemitu tuo latentem : ita enim navicula animi tui dolore onusta, allevabitur ; prolatis autem verbis ex corde tuo laborem significantibus, una cum verbis etiam doloris onus emittetur. Dic mihi itaque, Rachel, Quid ploras? video enim lacrymas tuas in geni fluviorum more manantes, et halitum acerbe circa cor convolutum, et incondite per nares emissum. Quid solvis comas, illasque profers, quas te abscondere par esset? cur honorabilium mulierum venerandum arcanum prodis, a nimia insania devicta? Væ mihi, væ mihi Rachel! loquar demum amaritudine animæ detenta : et quid dicam? Volo ex corde proferre sermonem, et rursus me contineo, causam malorum in maxima calamitate non reperiens. O regem Herodem, qui docuit me non esse occidendum, et opere legem suam abrogavit! quem putabam esse regem ad bonum ordinem, nunc eversi ordinis ducem respicio, perverse et inique operantem. O maximam insaniam! qui cædem unam perpetravit, obnoxius est morti, et Herodes tot perpetratis cædibus rex nominatur. Et agricolæ quidem ex propriis horreis semen proferentes, in sulcis terræ purum semen irrigant ; cum autem spicæ accreverunt et tempus messis conspicue indicant, tunc extensis manibus acuta falce segetes secant : Herodes vero uteri mei fructus, nondum per ætatem florentes, nondum verna gratiarum lanugine in genis pullulante, viscerum nempe meorum herbam acuto gladio prostravit. Væ mihi, væ mihi! ventre doleo, et sensus cordis mei flagrant : anima

mea et cor meum discerpuntur : non tacebo. Propter innuptam Virginem Mariam hæc patior, propter Verbum in præsepio latens. Boţros meos sensu pullulantes, necdum maturescentes, exstinctas video. Væ mihi, væ mihi ! quos post menses novem suo tempore natura cum labore genuit, hos immaturos una gladii plaga jugulatos video. Væ mihi, o Virgo Maria, simul et mater, quæ virum non novisti, et filium peperisti, tu matrum dolorem non nosti : si enim nosses, utique fleres. Sine dolore gestasti, sine labore peperisti, sine dolore cæleste Verbum in domo uteri tui hospitem excepisti, sine labore cælestem florem orbi emisisti. Sed accede tandem, nec ultra plores, sed lugendi finem facito, Rachel. Herodes infantes tuos in terra occidit, sed hos Deus in cælo nutrit : Herodes filios tuos temporanea luce privavit, sed hos ille in cælo propria luce replebit. Non vides eos in terra salientes ; sed tunc videbis et gaudebis, videns eos quasi agnos exsilientes in paradiso. Nunc doles non videns eos in mensa manus extendentes ; sed tunc videbis et lætaberis videns eos cum angelis cælestem panem edentes : nunc doles, non videns eos cantillantes ; sed tunc gaudens videbis hunc infantium chorum vernarum hirundinum instar in paradiso Christum celebrantem. Quia enim propheta dicebat, *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Psal.* 8. 3) ; præoccupavit infantium chorus, hymnos triumphales Christo præparans, prophetæ verbum illud implens, *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem*. Verum hæc, dilecti, ad laudis oblectationem diximus ; demum ad evangelii viam deflectamus. *Audiens*, inquit, *Herodes turbatus est* (*Matth.* 2. 3). Quid audiens ? Regem Judæorum esse natum. Vide mihi, dilecte, diabolum in Herode turbatum, et quidem admodum. Videt pastorem natum lupus, ipsumque in præsepe absconditum, firmumque Spiritus baculum præ manibus habentem, et hoc videns admodum turbatur : videt draco escam corporis et infantem ceu vermem repentem ; *Ego enim sum vermis, et non homo* (*Psal.* 21. 7) ; hiantique ore irruit ; videtque intus cæleste Verbum in carne, quasi hamum absconditum, et hoc viso admodum turbatur. Videt granum sinapis in terram veniens, et ramos spei emittens, quod genus hominum sub foliis salutis obtegeret ; et hoc videns boni osor diabolus, valde perturbatur : videt Sapientiam in terram venisse, accepisseque modicum fermentum corporis, miscuisseque in farinæ tribus partibus, in anima, in corpore et spiritu, foreque ut per illud totum humanum genus in una fidei salute fermentetur ; et hac re conspecta turbatur admodum. Videt legionem dæmonis ab humano genere expulsam, et in abyssum amandatam, et hoc viso turbatur valde : videt claustra inferni confracta, et Adamum in paradisum reductum, et admodum conturbatur : videt rursus Evam per Mariam servatam, et serpentem in quo maxime confidebat occisum ; et hæc videns, admodum turbatur : videt lignum vitæ plantatum, et hoc videns turbatur valde. Tempus me deficiet, dilecti, enarranti perturbationem diaboli. Demum cum nihil adversus Dominum posset diabolus, in infantes et tenellos pueros decurrit. Et quosnam interficit ? A bimatu et infra ; eos autem qui ad tres annos pervenerant non occidit. Infantes enim sunt qui dyadem, seu duas personas confitentur, et Trinitati non credunt. Quamobrem hæc Rachel, Ecclesia nempe ex gentibus, hoc luget, ita ut vox ejus audiatur in Rama, id est, excelso : sic enim interpretantur Rama, excelsa, superna Jerusalem apud altissimum Deum : quem decet omnis gloria, honor, imperium cum sanctissimo et vivifico Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

IN HERODEM ET INFANTES

Vellem quidem semper et ubique spiritualem habere sermonem, Paulo obsequens dicenti, *Spiritualibus spiritualia comparantes* (1. *Cor.* 2. 13) ; maxime vero cum debitor sim ex priori Dominica nomen Domini ferente. Nescio quomodo semper mihi contingit ut mea paupertas numquam debita solvat, dum vos in spiritualibus insatiabiles, debitum semper cum usura exigitis. Attamen non doleo, o amici, sed magis exsulto ; divitis namque Heri bene sperans servus sum. Ideo veniam non postulo, sed inducias. Adest quippe Deus qui sermonem suppeditat et dicit : *Dilata os tuum, et implebo illud* (*Psal.* 80. 11) ; non ob loquentis dignitatem, sed ob pium auditorum desiderium. Audisti itaque Matthæum evangelistam dicentem : *Videns autem Herodes rex quod illusus esset a magis, iratus est valde ; et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus ejus, a bimatu, et infra, secundum tempus, quod exquisierat a magis* (*Matth.* 2. 16). Hæc in natalibus Christi secundum carnem. Audi vero a quam multis temporibus hoc prædictum fuerat. *Ut impleretur*, inquit, *sermo qui dictus fuerat a Jeremia propheta dicente : Clamor in Rama auditus est, Rachel plorans filios suos* (*Ibid. v.* 17. 18). Viden' quot ante generationes prænuntiata fuerit Herodis in novissimis temporibus insania ? *Mittens*, inquit, *occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus ejus.* O Herodis insaniam, imo diaboli nequitiam ! ipsius enim hoc opus erat, ipse Herodem contra pueros armavit. Sed contra seipsum gladium, quo pueros occidit, excitavit : multa namque molitus Herodes, non occidit Jesum, ut optabat : irritus autem Herodis conatus, diaboli pernicies fuit. *Videns*, inquit, *quod illusus esset a magis, iratus est valde ; et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus.* O Herodes, cur temere irasceris ? cur arma sumis contra pueros ? A magis illusus es, et pueros trucidas ? num pueri magos duxerunt ? stella ipsis Dominum natum indicavit. Cum ergo contra stellam non possis jaculari, pueros trucidas ? an ideo regnum suscepisti, ut contra lactentes fortitudinem exhiberes ? cum infantibus pugnas, Herodes ? matres orbas facis ? ubera exsiccas ? ulnas denudas ? viscera confodis ? mulieribus parturientibus planctus multiplicas ? a bimatu et infra pueros occides ? Habes quo gladium infigas. Hoc non est interficere, sed immature confodere. Ostende infantibus gladium : si metuant, occide, jugula ; si læti gladium adeant, cur admoves gladium iis qui gladium irridenť ? Putas, Herodes, te ad Servatorem perventurum ipsumque occisurum esse ? Quia vero id omnino decrevisti, emitte decretum, magos accerse, stellam cohibe, Gabrielem observa, prophetas dijudica, matrem Virginem quære : si hæc assequaris, tunc poteris Christum reperire. Non gloria afficis, sed quæris eum qui sine fluxu natus est ? cum Deo pugnas, o rex ? vere Regem curiose perquiris ? tenere vis eum, qui te tenet ? perire vis eum, qui salutem tuam optat ? dolose comprehendere vis eum qui tibi adest, et ob nequitiam tuam non vult a te conspici ? Hic est, o Herodes, qui a multo jam tempore clamat : *Quærent me improbi, et non invenient.* Ut infantem illum despicis ? Longe antiquior est Abrahamo secundum divinitatem ; nec modo Abrahamo antiquior, sed etiam Adami est conditor. Non timore circumdatur, sed œconomiam adit. Cur ergo, Herodes, temere irasceris ? Intempestivæ iræ lucrum pernicies est. Cur similia Pharao aggressus est ? Ille in Ægypto masculos Hebræorum in fluvium conjici jussit, et tu in Bethlehem masculos Judæorum infantes occidi imperas. O parem animum ! o similem immanitatem ! o æqualem nequitiam ! imo,

ut verius loquamur, Herodes Pharaone longe ferocior est; similiterque spiculatores Herodis longe sunt satellitibus Pharaonis crudeliores. Pharao licet in Ægypto masculos Judæorum infantes occidi jusserit; certe ut alienigena id aggrediebatur, timens ne Israelitarum genus prævaleret, et Ægyptios devastaret. Ut servet Ægyptios, Israelitarum pueros jugulat: præ timore decertat, non ex invidia interficit. Ita enim Pharao Herode humanior erat, ut etiam legem quam dederat solveret, et decretum suum abrogaret. Solum enim reperit Moysem in arcula fluitantem; per filiam suam illum suscepit, nec modo non occidit, sed etiam quasi filium educavit, et infanti parcens legem solvit. Quid dicis, o Herodes? Pharao Moysem servat, et tu Dominum Christum invadere statuisti? ille eum qui Ægyptum castigaturus erat servat, et tu Servatorem mundi vis occidere? Ita rursum spiculatoribus Herodis Pharaonis satellites sunt moderatiores. Nam obstetrices, quæ jussæ erant in ipso partu infantes Hebræorum masculos strangulare, religiosæ cum essent, id non præstiterunt, licet genere Ægyptiæ essent; viscera namque earum intus commiseratione movebantur, quod scirent quanta patiantur matres, cum masculis infantibus violenta morte privantur. Ideo malebant temporaneo regi obsistere, quam majori Regi et Deo. Herodes vero non in alienam gentem nequitiam suam exhibuit, sed congeneres suos furiose aggressus est. Et Pharao quidem in Ægypto solum talem furorem exhibuit; Herodes vero non in Bethlehem tantum, sed etiam in omnibus finibus ejus florem infantium succidi jussit. O injustum decretum ejus, qui per urbes, vicos, agros et pagos confertim sævire decrevit! Nullus erat locus, ubi possent matres occultare filios: non ferebant enim illi extra maternas ulnas manere. Si quando autem vellet mater abscondere filium, sese ille fletu prodebat, et mammæ desiderio mortem sibi attrahebat. Sicut enim piscis extra aquam vivere nequit: sic infans maternis mammis privatus, brevi in interitum vergit. O universalem illam lamentationem! non subit in mentem quo pacto describam maternorum gemituum modos. Si barbarorum incursus fuisset, lenius dolorem matres tulissent: calamitas enim in multos divisa, moderatius patientem pungit. Non erat barbarorum incursus, sed civile bellum: violentia erat supplicationem nullam admittens, iniquitas erat, quæ quasi æquam legem obtenderet. Matres clamabant, et audiebat nemo; infantes plorabant, et nemo miserabatur; mammæ lac fundebant in terram, et Herodes magis obdurabatur ut lapis. Crudeliores erant regis spiculatores: alius alium puerum invadebat; alios in muros, alios in parietes conjectos, alios in petras obterebant, alios suffocatos procul relinquebant. Turbabat enim illos talis facinoris auctor diabolus. In his ergo et similibus matres infirmabantur, et dolore ebriæ decorem non curabant: vestes discindebant, cincinnos capitis in aerem conjiciebant, mammas, quas occultare par erat, ostendebant, pectus lapidibus tundebant, genas carnificum instar lacerabant, cælum quasi silentem judicem contestabantur, supplicationem emittebant ad universorum Dominum et Judicem dicentes: Quæ hæc tanta regis crudelitas, Domine? In tua ille opificia sævit: tu creasti, ille jugulare non cessat; tu gratiam dedisti, ille perniciem infert. Cur masculos peperimus, si tam acerba masculorum mors futura erat? Si jussum tuum est, nos quoque una mori jube; si vero iniqui regis facinus et mandatum est, cur non cito illum invadis? Sed verisimile quidem est matres ex dolore sic exclamasse, quod nescirent quid pullis suis utile esset. Quid autem beatius est illis, qui propter Dominum Christum insidiis sunt impetiti? quid beatius his pueris, qui non propter se tantum jugulabantur, sed ut ipse Christus interficiebatur? Vere opportune matribus dicatur illud a Domino prolatum: Nolite flere (*Luc.* 8. 52), matres, nolite flere: ad breve tempus sinus vestros evacuarunt, sed illi Abrahamicum sinum possident: nolite flere, matres, nolite flere, et nolite impedire quominus infantes vestri ad me veniant: *Talium est enim regnum cælorum* (*Matth.* 19. 14): in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum.

IN MARTHAM, MARIAM ET LAZARUM; ET IN ELIAM PROPHETAM.

Quotquot Dominicæ resurrectionis amore tenemini, modo lecti testimonii unguentum Christo gratum libenter suscipite. Jam enim Maria ungit, et Ecclesia bono afficitur odore; jam alabastrum evacuatur, et altare fragrantia repletur: Maria unguentum effundit, Martha ministrat, et qui a mortuis suscitatus est, cum Domino recumbit. Honorabile quippe est virorum genus, quia vir ad imaginem Dei factus est; mulier vero ex imagine viri, virum glorificans, Christi characterem non gestans. Et quis horum testis est, ne in reprehensionem incurramus? Audi Paulum clamantem: *Vir quidem non debet velare caput suum; imago enim et gloria Dei est: mulier vero gloria viri est* (1. *Cor.* 11. 7). Mulier est gloria viri sui: non enim ex alienis est: non propter vetus vanum consilium, sed propter genuinam postremam filiorum procreationem. Hæc enim genuina filiorum procreatio mulierem a maledictione liberavit. Et quis horum testis est? Idem ipse apostolus qui clamat: *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit. Salvabitur autem rursus per filiorum procreationem* (1. *Tim.* 2. 14. 15). Viden' per filiorum procreationem servari mulierem? non quia Eva Cainum emisit, sed quia gloriosa Virgo Jesum parturivit. Maria ergo ungit, Martha ministrat: Lazarus vero cum Domino recumbit, ut modo audisti. Maria Ecclesiam repræsentat; unguentum enim Ecclesiæ non deficit: Martha synagogam subindicat; illa enim modicæ fidei, et terrenorum amatrix erat: Lazarus sceptrum resurrectionis gestat, ut jam audisti, evangelista clamante: *Venit Jesus in Bethaniam, ubi erat Lazarus, quem suscitaverat a mortuis. Fecerunt autem ei cœnam ibi: et Martha ministrabat; Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis: domus vero tota repleta est ex odore unguenti* (*Joan.* 12. 1-3). Vidistin' mulieris opus, et quomodo Ecclesiam præsignificavit? Maria mulieres multas a malis operibus suis deterruit, et docuit libram unguenti ferre, non caput Baptistæ amputare; Dominum ungere, non illum cum Juda abripere; capillos exsolvere, non peccata colligare; sororem Lazari vocari, non filiam diaboli appellari. Hæc mihi propter synagogam Judæorum dicta sunt, quæ Dominum non unxit, sed acetum et fel in potum dedit; quæ sanguinem amat, quæ semper contra Dominum Christum operatur, quæ conata est Lazarum occidere, quem ille suscitaverat a mortuis. Quis ergo fide dignior? Dominus qui suscitat, an illi qui occidunt? modo evangelistam audisti dicentem: *Cognovit turba multa ex Judæis quia Jesus illic est: et venerunt, non propter Jesum tantum, sed etiam ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis* (*Ibid. v.* 9). Quia multi Judæorum propter illum accedebant, et credebant in Jesum. Vidistin' Judæorum synagogam, quomodo hominum et prophetarum interfectrix esset; ita ut ad Dominum ipsum occidendum properaret? cui ipsi Dominus ut homicidæ et latrocinanti diceret: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt*

(*Matth.* 23. 37) : quousque occides, nec converteris ? Ebria es, non a vino, sanguinum amatrix. Et ut discas hæc non hyperbolice dicta esse, audi Dominum per prophetam dicentem : *Audite hæc omnes principes domus Jacob, et reliqui ex Israel, qui abominamini judicium, et omnia recta pervertitis ; qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in injustitiis* (*Mich.* 3. 9) ; et rursum, *Si extenderitis manus vestras ad me, avertam faciem meam a vobis ; et si multiplicaveritis supplicationem, non exaudiam : manus enim vestræ plenæ sunt sanguine* (*Isai.* 1. 15). Quid ergo evangelista ? *Ante sex dies Paschæ venit Jesus in Bethaniam.* Qui in Bethaniam venit Dominus, hic quoque adest. Hæc quippe domus proprie Bethania vocatur : Bethania quippe domus pacis dicitur ; domus autem pacis est præsens Domini domus, in qua nos omnes habitantes, quotidie ad Dominum domus clamamus : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, in hominibus beneplacitum* (*Luc.* 2. 14). Qui in Bethaniam venit, huc quoque se confert : venit autem, non quasi jam non præsens esset, sed quasi et præsens et veniens. Hunc Domini adventum prævidens propheta dicebat : *Ecce Dominus cum fortitudine veniet, et brachium ejus cum dominatione* (*Isai.* 40. 10). *Ecce Dominus cum fortitudine veniet.* Verus est ille sermo, *Dominus cum fortitudine veniet.* Quomodo cum fortitudine ? Utpote qui infernum spoliarit, utpote qui Lazarum resurrectionem experiri curaverit, ac mille beneficiis mundum repleverit. *Ecce Dominus cum fortitudine veniet.* Quis enim fortior eo qui dixit, *Lazare, veni foras? Ecce Dominus cum fortitudine venit.* Venit qui absens non erat. Audisti enim : Egrediamur in occursum præsentis et venientis, non terram pedibus emetientes, sed animas morum emendatione purgantes. Egrediamur in occursum præsentis, gratias agentes ; faciamus id quod fecit soror Moysis ; efficacioribus quam illa vocibus utamur, quia gravior Pharaone est qui in stagnum aquæ demersus est diabolus. Assumamus ergo victoriæ symbola, non tympana quæ manu teneantur, sed ramos palmarum ; clamemus cum fidelibus fratribus, quod modo audivimus : *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel* (*Matth.* 21. 9). Hunc, ut dixi, regium Domini adventum Isaias propheta prævidens dicebat : *Ecce Dominus cum fortitudine veniet*, utpote qui mortuos suscitaverit, nec modo mortuos, sed etiam fœtentes putredine, sanie confectos, depilatos : quatriduanum Lazarum de sepulcro suscitavit, ut audisti evangelistam dicentem : *Ante sex dies Paschæ, venit Jesus in Bethaniam, ubi erat Lazarus, quem suscitaverat a mortuis.* Quid tale fecit Moyses, quale Dominus noster Christus? Moyses occidit, non ad vitam revocavit. Pudore tandem afficiantur Judæi, qui Moysem celebrant, et Domino Christo conviciantur. Sed statim insilit Judæus dicens : Annon etiam apud nos mortuus resurrexit? annon Elias propheta Sareptanæ viduæ filium suscitavit? Atqui homo erat Elias : cur ergo de Magistro vestro altum sapitis, divinamque illi virtutem tribuitis, quia suscitavit Lazarum? Quid dicis, o Judæe? comparas Eliam cum Domino Christo? Aliud est institutio servilis, aliud potestas divina : nisi prius scias modum suscitandi mortuos, non intelliges rationem divinæ potentiæ. Prudenter audi : mortuus ille ab Elia suscitatus, filius Sareptanæ viduæ, etsi morti sit traditus, at non deficiente natura, sed ad institutionem et tribulationem Eliæ, ut flecteretur ex duritie cordis in commiserationem. Iratus namque Elias, ut probe scitis, in domum Achabi et in populum Israeliticum, ob Jezabelis iniquitatem, cum juramento declaravit : *Vivit Dominus Deus, si erit hisce annis ros vel pluvia super terram, nisi per os meum* (3. *Reg.* 17. 1). Per hanc siccitatis sententiam Elias Deo universorum non omnino placuit ; implevit tamen servi sui sententiam : volebat enim eum qui nubes ligaverat, ne copiosum imbrem emitteret, siccitatis cito calamitatem solvere. Elias vero liberationi non annuebat. Alio enim modo Deus miseratur, alio homo obduratur. Dominus ergo servi duritiem mitigare volebat, ut verbo pluviam terræ erogaret. Non est autem Deo proprium, hominem rogare ; ideo Deus aliam aggressus rem est. Quam? Attente audi : imbre diutius cessante (nam per tres annos et menses sex nubes pluviam non parturivit), cœpit Elias ex siti tædio affici, sed tamen hanc patienter ferebat inopiam, ex contentione motus : malebat enim se atteri, quam cum domo Achabi reconciliari. Quid ergo Dominus ? Servum sagaciter aggreditur, non rogans, sed dicens : *Surge hinc, et vade in torrentem Chorrath, qui est ad faciem Jordanis, et bibe aquam ex torrente, et corvis præcipiam ut te nutriant ibi* (3 *Reg.* 17. 3. 4). Hæc porro dixit Dominus, non ut nutriret Eliam, sed ut contumelia afficeret ; non ut honoraret, sed ut per contumeliosum cibum ad commiserationem deduceret. Non congruens enim res erat prophetam a corvis ali, atque illi carnium mensam apponi, qui ab initio asceticos labores adierat. Poterat enim Dominus aut per columbas justum alere, aut ipsi manna dare, ut filiis Israel, aut ipsi ut Danieli per Habacuc lentes mittere : poterat Dominus Eliam honorifice alere, quandoquidem in alio descensu ipsum honeste nutrierat. Alias enim cum Elias a facie Jezabelis fugiens, desertum petiit, et in solitudine dormiebat fame et siti vexatus, quia viam multam fugiendo emensus erat ; ponit ergo Deus ad caput ejus panem et aquam ; statimque pungit latus ejus, non aliud membrum. Quare? Attente audi : latus sive costam pungit, quia costæ minas fugiebat. Tum ait illi Dominus : *Elias, surge, comede et bibe, quia grandis tibi restat via. Surgens vero Elias, comedens et bibens, ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus* (*Id.* 19. 7. 8), non ut esuriens, sed ut satiatus : talis enim erat a Deo suppeditatus cibus. Qui ergo illum ibi probe nutrierat, poterat hic quoque cælitus ipsum alere ; sed illi apponit mensam non congruentem, ut per contumeliosum cibum ad commiserationem flecteretur. Ille vero non flexus manebat. Cum oportuisset Eliam hæc a Domino audientem, *Bibe de torrente, et corvis præcipiam ut te nutriant ibi*, procumbere, supplicare et dicere : *Nequaquam, Domine, numquam ingressum est in os meum quidpiam commune et inquinatum* (*Act.* 10. 14) : corvos mihi admoves Noæ insidiatores, carnium mensam paras quasi gentili et alienigenæ, mihi qui asceticis moribus ab initio instructus fui? oportuisset Eliam rogantis more hæc proferre verba, sed nihil horum dixit : sciebat enim, si de incongruenti mensa conquestus fuisset, dicturum fuisse Dominum : Quid ais, Elia? non sustines aquam sordidam bibere, qui non sivisti pluviam descendere? adussisti terram Israel ; ne stilla quidem aquæ reperitur in puteo, vel in fonte : quod tu ipse fecisti, jam tolera. Carnium cibum a corvis allatum non admittis? Non reperitur panis, non spica, non olus viride, quando nec imber nec ros decidit in terram, ore tuo omnia claudente : nihil nisi carnes invenire est, nihil nisi morticina, postquam animalia defectu cibi mortua sunt. Cur ergo non admittis mensam labore tuo partam? Ut itaque nihil simile audiret Elias, incongruentem mensam admisit. Maluit enim diuturnam imbris inopiam ferre, quam verbum proferre quod pluviam suppeditaret. Quid ergo sapientissimus Dominus? Ut vidit illum in duritie perseverantem, alio validiore utitur agendi modo. Quonam? Fluvium exsiccat, corvos retinet, vocem ad illum emittit : *Vade in Sarepta Sidoniæ : ecce præcipiam viduæ ut te nutriat ibi* (3. *Reg.* 17. 9). Viden' quam studeret Dominus illum ad misericordiam flectere? Non misit illum ad domum principis aut regis, aut ad mulierem opulentam, sed ad inopem quamdam mulierem, ad egenam viduam, ut vel sic flecteretur ad misericordiam. At ille neque ita flexus est. Cum enim oportuisset illum, ubi audivit Dominum dicentem, *Vade in Sarepta Sidoniæ : ecce præcipiam mulieri viduæ ut te nutriat ibi*, procumbere, clamare, supplicare, et

dicere : Ne dejicias me, Domine, in tantam humiliationem : ad Sidonios me mittis, mulieri viduæ molestum esse jubes, cujus panis lacrymis plenus est, mensa gemitibus repleta, lectus maledictionis cervical habet? at nihil horum Elias dixit. Sciebat enim, si viduæ mensam recusaret, dicturum esse Dominum : Quid ais, Elia? viduæ mensam recusas, qui totam terram Israel sterilem reddidisti, qui viduam ipsam fecisti sterilem, filiis et fructu orbam : et tu respuis viduæ mensam? Ut ergo nihil hujusmodi audiret Elias, statim ad Sidonios perrexit, lætitia potius quam dolore affectus. Hæc insuper audi : hospitio exceptus a vidua Elias, invenit mensam sine sumptu, sibi congruentem, asceticam; aquam, oleum et farinam, duoque lignorum frusta. Quid igitur? an duo lignorum frusta tantum habuit vidua? Sic est. Quomodo? Audi et dicam tibi. Hæc memorata vidua imaginem Ecclesiæ tulit : ideo ad illam mittitur propheta. Ingressus ergo propheta in domum viduæ, invenit verum Ecclesiæ nostræ depositum : invenit aquam, oleum, farinam, et duo ligna. Aqua est baptisma; oleum, chrisma; farina, panis; duo ligna, crucis præclarum opus. Clamavit autem ad viduam Elias : *Lecythus olei non minuetur, et hydria farinæ non deficiet* (3. *Reg.* 17. 14). Indeficiens namque est gratia orthodoxæ fidei. Inventa itaque Elias viduæ mensa minime sumptuosa, lætatus est, exsultavit, intra se dicens : Hic deinceps degam, hic morabor, hic totum tempus meum transigam : congruentem enim inveni mensam. Nihil curo domum Achab, populum Israel, furorem Jezabelis : habeant pro hereditate siccitatem : ego autem hinc non discedam. Hæc dicens Elias, et læto animo secum reputans, ignorabat ut homo, se in hac lætitia dolorem esse reperturum. Scitis enim omnes, viduam duos filios habentem ex eodem utero natos, cum mane surrexisset e lecto, alterum reperisse mortuum. Ut soleat vidua affici circa filium masculum defunctum nemo vestrum ignorat; filii namque vitam omnibus mundi divitiis pretiosiorem habet. Neque tamen mulier pro solito more sese defuncto applicuit, non curavit, non cadaver educere studuit, sed illo relicto, Eliam adiit, arripuit, circumegit, tumultuans, palam clamans : *Quid mihi et tibi, homo Dei? venisti ad me ut rememorarentur peccata mea, et interficeretur filius meus* (*Ibid. v.* 18). Id est, Tu ipsum occidisti. Viden' quomodo Eliæ lætitia in dolorem versa sit? Ut homicida detinebatur : sic enim dicebat vidua : *Quid mihi et tibi, homo Dei? ingressus es ad me ut rememorarentur peccata mea, et occideretur filius meus.* Tu illum occidisti, ingressus tuus hoc effecit. Num invenisti filium meum ægrum? num infirmatus est vel uno die? ingressus tuus mortem intulit filio. Quid mihi farinam largiris, cum non adsit qui comedat? redde mihi filium meum : tu illum occidisti, ut domus meæ hæres esses. Sume tibi farinam, et redde filium meum. Me alis, et filium meum occidis? cum meis esuriam potius, quam cum extraneis ditescam. *Quid mihi et tibi, o homo Dei? ingressus es ad me ut rememorarentur peccata mea, et occideretur filius meus.* Tu illum occidisti : durus mihi es : non est rectus ingressus tuus. Quid fecisti? id nuntia mihi. Num fugis a facie Dei tui? num eadem quæ Jonas fecisti? Truculenter mecum agis. Ignem spiras, cædem admoves, sterilitatem affers, quinquagenarios comburis : nota sunt mihi gesta tua. Non sat tibi est, quod contribules suffocaveris, sed huc etiam venisti similia facturus? Multis illusisti, mihi non illudes, redde mihi filium meum. Quid ergo Elias? Statim flexus est : novit enim Domini machinationem. Quare graviter ingemiscens utpote victus; clamavit dicens : *Hei mihi, Domine, testis viduæ, cujus ego hospes sum : tu malum intulisti, ut occideres filium ejus* (3. *Reg.* 17. 20) : tuum est opus illud; id novit illa, Domine. Ecce vim mihi infert vidua. Semper ad acerbissimas mulieres me mittis : A Jezabele fugi, et in hanc incidi. Tentationes multas sustinui, hujus linguam ferre nequeo. Tu es qui dixisti mihi, Domine : *Vade in Sarepta Sidoniæ : ecce præcipiam mulieri viduæ ut te alat ibi.* Et ecce subvertit me, non alit. Ut homicida detineor, et jure detineor : vegetus enim erat puer in ingressu meo : quomodo morti traditus sit ignoro. Erue me, Domine, ab hac perturbatione : theatrum mihi circumposuit, pudorem intulit, cruciatum magnum induxit. Redde mihi animam, et do pluviam : viduæ desiderium imple, et agros irrigabo : concede ut puer reviviscat, et lingua utar ad concedendum imbrem. Hæc dicta sunt ob prius memoratam Lazari resurrectionem et Judæorum contradictionem : quia alio modo et cum auctoritate Dominus, alio modo servus suscitat a mortuis. Elias suscitavit mortuum, sed non cum auctoritate : multum enim doluit, cruciatus est, et in angustiam redactus. Ideo clamavit in oratione dicens, *Væ mihi* : Ubi autem est illud, *Væ mihi*, ibi dolor animi. Sic enim etiam alibi invenies prophetam lugentem et dicentem : *Væ mihi, quia relictus sum sicut qui congregat calamum in messe, et racemationem in vindemia* (*Mich.* 7. 1); rursusque alius propheta, *Væ mihi, væ mihi in diem, quia prope est dies Domini, et ipsa ut miseria* (*Joel.* 1. 15); iterumque alius, *Væ mihi quia periit de terra.* Ubique illud, *væ mihi*, dolorem significat. Sic et hoc loco Elias : *Væ mihi, Domine, testis viduæ, tu malum intulisti, ut occideres filium ejus. Et insufflavit ter in puerum* (3. *Reg.* 17. 21). Vide hoc loco, quomodo in lege mysterium gratiæ repræsentatur. Illud enim, *Insufflavit ter*, indivisibilis Trinitatis ingressum declarat. *Et invocavit Deum, et dixit : Revertatur, Domine, anima pueri in ipsum. Et factum est ita* (*Ibid.*). Quid dicis, o Judæe? num talem rem fecit Dominus, qualem Elias? num talem rem fecit Elias, qualem Dominus? num genua flexit Dominus? num orationem extendit? Ipsi namque omnis oratio emittitur : vocem tantum emisit, *Lazare, veni foras* : quasi dominus servum vocans. Quid ergo? exiitne ut servus domino obsequens? Exiit, nec tardavit, non moras traxit infernus, non repugnavit mors, non distulerunt infernæ virtutes; imo potius conterritæ sunt. Nam infernus cum jam Lazarum in sinu suo a diebus quatuor teneret undique solutum, quasi incompactam scaphâm, sine sollicitudine erat : infernæ potestates ne cogitabant quidem Lazarum ab inferis abstractum iri. Ubi vero derepente Dominica vox in sepulcrum descendens cum luce multa, cœpit statim capillos in capite Lazari inserere, et medullam in vacuitate ossium inducere, venarumque plenitudinem vivifico sanguine dirigere : infernæ potestates consternatæ sunt, mutuo clamantes, Quis est hic qui vocat? quis est hic qui cum auctoritate imperat? quis est hic qui dissolutum pulverem reformat? quis mortuum ex somno expergefacit? quis adamantinas portas perfringit? quis clamat, *Lazare, veni foras?* Vox quidem humana est, virtus vero divina. Quis clamat? Non est homo : habitus quidem hominis est, vox vero Dei. Præmittamus Lazarum, cito illum referamus, ut ne descendat huc is qui vocat illum, ut ne illa tardante, huc descendat is qui vocat. Jam cœperunt mortui excitari seseque movere; unius jacturam faciamus, ne omnes perdamus. Sic Lazarus exsiliit ex sinu inferni, laudans, benedicens et glorificans Dominum nostrum Jesum Christum. Hic sermonem obsignemus; ramos palmarum colligentes, in occursum Domini egrediamur clamantes et dicentes, *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* Ipsi gloria et imperium in sæcula.

IN ILLUD, EXEUNTES PHARISÆI CONSILIUM INIERUNT (*Matth.* 12. 14).

Quotquot Eliæ discipuli estis, qui pauperem viduæ mensam non despexit, apud nos diversamini : alis quippe et apud nos mediocris verborum mensa parata est, quæ panem habet unum, non mola contusum,

non manibus subactum, non igne coctum, sed quem virgo terra sine aratro et semine protulit, crux maturam reddidit, Pater perfecit, duodecim cophini apostolorum messuerunt. Hunc panem Maria genuit, Ecclesia excepit, ac quotidie a nobis comeditur, nec consumitur. Hoc vobis pane in moderata mensa mea proposito, volebam silentio linguam meam coercere: sed insidiæ a Judæis Dei hostibus contra Servatorem nostrum paratæ, vel ipsos lapides ad loquendum cogerent. Quid enim audiebamus, cum modo legeretur? *Et exeuntes*, inquit, *Pharisæi, consilium inierunt adversus Jesum, ut illum perderent.* Et qua de causa consultant ut Dominum perdant? Quia in die sabbatorum hominem curaverat; et quia otiosam et aridam manum in die otii ad opus extenderat. O Judæorum stupiditatem, non cogitantium, oportuisse dexteram Adæ manum, quæ in paradiso lignum tetigerat, aridam ex transgressione factam, a figulo suo iterum reformari; oportuisse item dexteram a diabolo fœdatam per effusionem sanguinis ad cultum idolorum factam, a Creatore suo rursum splendidam ad cælum extendi! Verum illi ægre ferunt beneficium homini præstitum et animæ salutem: otium sabbati docent, et Jesu miraculosam operationem ignorant. Cur o Pharisæi, non ægre tulistis, nec talia curastis contra Manassen, quando Isaiam serra secuit, quando filios et filias vestras dæmoniis immolavit, et domos Dei in idolorum templa mutavit? cur tale consilium non iniistis contra Herodem, quando infantes injuste jugulavit, et matres orbas reddidit? quando videre erat infantes ceu spicas immaturas una ferri sectione jacentes, cum nondum cordis granum firmum haberent, neque puberem emittere inciperent, sed in tenerrimo lactis alimento versarentur, quasi violento grandinis furore ab Herode interfectos? quando ejulatus et planctus virorum et mulierum in plateis et vicis urbis audiebantur, patribus animo resolutis, matribus passis capillis graviter lugentibus injustam immaturorum infantium cædem? quando infantium sanguine Bethlehem ruborem contraxit, et præcocium uvarum mustum immaturum cum fervidis parentum lacrymis commixtum est? quando patrum facies ululatu distorquebatur, et matrum viscera dolore convolvebantur, ac fontes lactis in mammis ante tempus exsiccabantur? quando in matrum pectoribus spiritus anguste motus, per nares incondite emittebatur? quando patrum et matrum oculi fontes aquarum imitabantur, et argenteas stillas lacrymarum scaturientium per genas in solum demittebant? quando mulieres capillos suos unguibus insane dilacerabant, et quos cincinnos tegere oportuisset, hos dolore ebriæ ostendebant? Sed cum contrarium sentiatis, contrarium facitis; homicidas et sanguinarios dimittitis, innocentes et justos plectitis, etsi lex dicat: *Insontem et justum non occides* (*Exod.* 23. 7). O inordinatus ordo, et lex illegitima, a diabolo missa, a dæmonibus scripta, a Judæis hactenus servata. Quænam illa lex, homicidas servare; hunc vero, qui occisis vitam restituit, perdere? Nam Barabbam in seditione et cæde deprehensum rogarunt Pilatum, ut solveret; Jesum vero, qui eos qui a diabolo cæsi fuerant suscitavit, crucifigi postularunt. *Et exeuntes*, inquit, *Pharisæi, consilium inierunt ut illum perderent.* O sententiam sine sensu, et consilium inconsultum! Fons bonorum ipsis beneficia fluminis instar effudit; illi vero qui gratiam hauriebant, sanguinaria consilia ex cordibus eructabant. Ii qui vulneribus confossi erant, curabantur; illi vero, qui in corpore quidem non vulnerati erant, ab invidia confossi dolebant. Illorum contribules, qui in deserto esuriebant, usque ad satietatem alebantur; et illi in abundantia fidei et infidelitate peribant. Aqua in vinum mutabatur; et illi de vino non gustantes, invidia ebrii circumferebantur. Videbant hæmorrhoissæ fluxum sanguinis cohibitum; et livore tabescentes diffluebant. Dæmoniaci eorum, a dæmonibus liberati, sapiebant; et illi invidia moti plus quam dæmones furebant: cæci eorum, oculorum usu privati, illuminabantur; et illi oculos habentes obtenebrabantur: surdorum, ut modo audiebamus, aurium meatus aperiebatur; et cor illorum caliginosum cædis consilia agitabat. Mare fluctus suos reprimens, ad Domini incessum sustinendum se apparabat; et cor illorum ratiociniorum fluctus mortiferos ore ut spumam emittebat. Gravissimi venti violentam fluctuum procellam in lenem auram et tranquillitatem verterunt; et illi invidiæ fluctibus moti, crucis tempestatem excitarunt. O invidia radix mortis, perplexa cordis ægritudo, clave acutissime! quis enim clavus vel acutissimus ita penetrat, ut invidia cor ipsa affectum vulnerat? quis morbus sic vultus decorem aufert, ut invidia fragrantem animæ florem, caritatem, marcidum reddit? Aqua ignem exstinguit, invidiam nec mille doctorum fontes sedant: eos una ferri rubiginem abstergit, et quinque Davidis lapides Saulis invidiam auxerunt. Lacerta dicitur esse pallida, sed non est invidis pallidior. Sicut enim vermis cor ligni paulatim corrodens, exsiccat illud; ita et invidia cor invidi paulatim rodens, exsiccat. Et quidquid, dilecte, de invidia dixerimus, ne initium quidem ejus nequitiam describendi fecerimus: sive lingua rhetorum, sive philosophorum verba, sive doctorum effata adhibeantur, id enarrare non poterunt. Plenitudo igitur legis est dilectio verbi, plenitudo cædis est nequitia invidiæ. O invidia, navicula pice obducta, tartarea, naufragium adducens! nauclerus tuus est diabolus, gubernator serpens, proram regens Cain. Nam tibi malorum depositum diabolus tradidit: serpens autem gubernator Adamum in naufragium mortis deduxit: Cain vero proram ducit, quia propter te, o invidia, primus cædem patravit. Malus autem tuus ab initio in paradiso est inobedientia circa lignum; rudentes sunt peccatorum catenæ; vectores, invidi; nautæ, dæmones; remi, doli; proræ sedes edita, simulatio; adstantes, invidi. O scapha mille inferens mala! Si quæras simulationem, illic invenitur; si dolum, illic gignitur. Invidia illic versatur, inimicitiæ, pugnæ, fallacia, convicium, maledictio, blasphemia, et quidquid aliud dicamus, vel præteramus; hæc omnia tartarea illa invidiæ navicula gestat. Hanc invidiæ naviculam diluvium non potuit submergere; Jesus autem virtute Spiritus in baptismate illam demersit. Habuit hæc navicula ancoras ferreas, sed in clavos Christi illæ coaluerunt: habuit et malum, sed diabolus illum in crucis lignum dolavit: habuit rudentes, sed his acceptis Judas sese strangulavit. In hanc naviculam ascendentes Judæi, in petram impingentes, circa fidem naufragium passi sunt. Ideo Judæi hactenus in profundo ignorantiæ innatant. Attamen quotquot ex illis possunt Christiferam naviculam tenere, servantur: cæteri vero in salsuginoso incredulitatis interitu pereunt. Utinam autem in profundo versantes ad Jonam et ad cetum confugerent! fortassis enim ab illo docti piam erga Christum religionem, viventes cum Jona a cete in Niniven conjicerentur. Nunc vero oculos cordis claudentes, non ad illum confugiunt, videntes eum in medio orbis cum pia religione fulgentem et fidem splendide exhibentem: neque ad pœnitentiæ præconem Joannem se recipiunt ut vivant. *Et exeuntes*, inquit, *Pharisæi consilium inierunt, quomodo illum perderent. Exeuntes Pharisæi*: unde? Non ex invidia, sed ex lege. Nisi enim exivissent ex lege, Legislatorem non contumelia affecissent. *Et exeuntes Pharisæi*: unde? Ex lege quæ ait: *Insontem et justum non occides* (*Exod.* 23. 7). *Et exeuntes Pharisæi*: unde? Ex præcepto Dei illuminante oculos cordis. Nam *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos* (*Psal.* 18 9). *Et exeuntes Pharisæi consilium ceperunt quomodo illum perderent. Et exeuntes Pharisæi*: unde? Ex præcepto, ex lege, ex vita. Nam qui alteri mortem machinantur, ipsi primi a vitæ lumine abscedunt. *Et exeuntes Pharisæi consilium inierunt.* A quonam exeuntes non dicit scriptor, ut mentem nostram ad rem perquirendam

incitat. *Et exeuntes Pharisæi consilium inierunt.* A quonam ? Ab eo certe, qui ab initio homicida fuit, diabolo. *Et exeuntes Pharisæi consilium inierunt quomodo illum perderent.* Illud, *quomodo*, quem indicat modum ? an lapide, an gladio, an igne, an aqua ? Consiliator eorum diabolus animo revolvens lignum, quo ab initio Adamum occiderat, ad illud rursum confugit, et auctor est ut in ligno crucifigant Jesum. Ignorabat autem futurum esse ut hoc lignum veterem ligni prævaricationem solveret, et ut hinc vita hominibus oriretur. *Et exeuntes Pharisæi consilium inierunt, quomodo illum perderent.* O consilium pessimum ex invidia ortum et per invidiam confutatum ! o vanum consilium ! ignorant enim Deum numquam perire posse. Nam fictilem quidem lucernam corporis dissolvent, inexstinguibilem vero divinitatis lucernam exstinguere nequeunt. *Exeuntes autem Pharisæi consilium inierunt, quomodo illum perderent.* O rem mirabilem, et mysterium novum ! Venit Jesus quærere et salvum facere quod perierat ; et hi eum, qui perditos invenit, perdere quærunt. Qua de causa, dicite o Judæi, contra illum hæc deliberatis ? sed illos quidem pudet hoc dicere : nos illorum turpitudinem undique traducamus. Cur, inquiunt, mortuos suscitat ? cur infirmos sanat ? cur pulchra loquitur, cur bona operatur ? cur bona docet ? Ob hæc omnia crimina consilium ineunt quomodo illum perdant. Quando exeunt pueri ramos palmarum accipientes, per illos ramos victoriam ejus proclamantes, et illi benedicentes, *Hosanna in excelsis* (*Matth.* 21. 9) ; illi hastis invidiæ jugulati confodiuntur, laudes enim eorum quibus invidetur, tela sunt in invidos missa. Et accedunt ad Jesum, et dicunt ei : *Non audis quid hi dicant* (*Ib. v.* 16) ? Nec noverant tunc impleri illud quod prophetice dictum fuerat, *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Psal.* 8. 3). Cum Jezabel contra Nabuthe fictitias scripsit literas, id libenter tulistis ; quando Pilatus in titulo bona verba scribit, indignamini, et ne scribat impedire conamini. Quid enim dicunt ? *Noli scribere, Rex Judæorum* (*Joan.* 19. 21). *Noli scribere*, scilicet veritatem ; nemo hinc utilitatem accipiat, nemo perfectus sit circa piam religionem. Certe non ita indignabantur contra eos qui saltatorum dramata scribunt ; neque etiam nunc multi, cum dæmonum cantica audiunt. De illis quidem non dolent ; de divinis dogmatibus, si scribantur, dolent. Annon omnium malorum deterrimum esset Philistionis mimica stulta describi (*a*), Christi vero gloriosa gesta non describi, quibus ad cælum ducimur ? Quod si quis doctorum esset idiota quidem, sed quæ Dei sunt prædicans, annon melius esset ejus dicta scribi, quam dæmonicas Græcorum fabulas ? Utilius namque esset junioribus in theologorum doctorum dictis versari, etiamsi illa simpliciora essent, in illisque institui, quæ inculpatam doctrinam continent, quam dæmonum doctrina imbutos in lascivia furere. *Noli scribere.* Quare, *Noli scribere ?* in quo id vobis nocet ? quibus vos pecuniis privat veritatis scriptura ? Alius ex scribendi alacritate non dolebat manu, et illi pectora tundebant. Verum etiamsi hæc Pharisæi Pilato dicerent, ipsumque impedire conarentur ne veritatem scriberet ; ille licet gentilis esset dicebat eis : *Quod scripsi, scripsi* (*Joan.* 19. 22). Nobis quoque competit hæc doctrina ; ut cum hæretici consilium nobis dederint ut ab hac sententia discedamus, respondeamus illis, Quod scripsimus, scripsimus. *Et exeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut illum perderent. Jesus autem sciens recessit inde* (*Matth.* 12. 14. 15). *Sciens ;* non quod ab alio didicisset, sed quod a seipso nosset : nam cordium cognitor erat et est, ut ait Joannes evangelista : *Non enim opus erat ei, ut quis diceret ei de homine* (*Joan.* 2. 25). *Sciens autem Jesus, recessit inde :* non mortem timens, sed tempus crucis exspectans. Oportebat enim illum prius mortuos suscitare, infirmos sanare, esurientes multos satiare, plurimos in fide confirmare, et tunc venire ad celebratam mortem, imo potius ad thalamum : oportebat illum prius lignum mysterii crucis erigere, et tunc ferventi Spiritu ad eos qui in inferno jacebant accurrere. *Sciens autem Jesus, recessit inde.* Illo fugit, ubi dolus non apparet : ubi cædes illi machinantur, inde recedit : ubi caritas nectitur, ibi et Pater et Filius et Spiritus sanctus versatur. Nectamus ergo, dilecti, triplicem caritatem, non linguis fallacibus, sed palmis operantibus ; ut nobiscum sit Emmanuel, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) De Philistionis mimi scriptis, vide Martial. 2. 41.

IN MERETRICEM ET IN PHARISÆUM.

Hodie Pharisæus Dominum ad prandium vocavit, contumeliæ honorem admiscens : meretrix autem illum per fidem ad convivium excepit. Nam cum esset in domo Simonis, ecce mulier meretrix (*Marc.* 14. 3). Insanum spectaculum, mulier meretrix in urbe, civile et muris inclusum bellum, telum non ferreum, juvenum laqueus, cos concupiscentiæ, affectuum incitamentum, cauponaria corporis, inutile commercium, damnosa negotiatio quæ et vendenti et ementi mortem parit, rete juventutis, laqueus non tectus : oculus enim meretricis laqueus est peccatorum. Lasciviæ depositum meretrix, quæ seipsam vendit et emptores in servitutem redigit ; lœna multis instructa capitibus, fœtor urbis, lues quæ per omnes sensus repit, oculorum hamus, mors quæ circumfertur, forum damni, cupiditas perniciei, odor mortis, gangræna admodum putrida. Ecce mulier in urbe, pestis civium, tyrannis nuptiarum, subversio honestatis, androgynorum pugna, mensa male sumptus profundens, crumenarum evacuatio, pecuniarum effusio, laborum jactura, heredum torcular, ubi qui nuditatem suam calcant tripudiant. *Ecce mulier in civitate, quæ erat peccatrix* (*Luc.* 7. 37). Sed peccatrix illa ad justitiam accurrit, et peccata delet ut spinæ in igne absumuntur. Saltus in paradisum versus est, lœna in agnam, fœtor in unguentum, pernicies in thesaurum, cornix in columbam, meretrix in virginem mutata est, in sororem Christi, in sponsam Verbi. Nam stans pone Jesum hæmorrhoissæ discipula, lacrymis pedes rigavit et capillis abstersit, labiisque vestigia osculata est, atque unguento pretioso unxit, universa peccati arma Regi obtulit, pacem petens, ac totam malorum armaturam ad pedes Domini adduxit. Et quia olim vi expressis lacrymis multos in affectum pravum resolverat, nunc veris lacrymis Domino supplicans, seipsam solvit : et quæ capillos mala arte plexuerat, et comam immodeste in modum turris evexerat, jam illa quasi linteo Christi pedes abstersit, non ut Dominum nitidum reddat, sed ut seipsam sanctificet : confitebatur enim quot homines per capillorum hamum ad mortem piscata fuerat. *Et unguento pretioso unxit.* Quare ? Quia olim unguentorum odore multos sordidaverat : similiterque aromatibus male usa, in canes naribus vestigantes amatores suos mutaverat. Nunc autem unguento bene utens, illudque ad bonum unguentum adducens, satanicas unctiones abluit. Deinde ut Dominus illam hæc agentem admisit, Simon obmurmuravit, dominicæ bonitatis censor effectus. Dicit illi Dominus : Simon, qui ad honorem me vocasti, et inhonorasti me, quod non exspectabam : *Duo debitores erant cuidam fœneratori* (*Ibid. v.* 40. *sqq.*) tu et hæc : mihi debitores, nec simpliciter, sed admodum debitores, duplici obstricti debito, qui naturæ fœnus et legis sortem accepistis,

et circa utrumque in beneficum incidistis. *Unus debebat denarios quingentos;* tu nempe Pharisæus, qui et graviora et plura animæ peccata habes : *Quia publicani et meretrices vos præcedunt in regnum cælorum* (*Matth.* 21. 31). *Alius vero quinquaginta :* his notantur noxii meretricis mores, *Non habentibus autem illis unde redderent* per bona opera ; accepta fide ambobus remisit, et discisso chirographo. *Dic, quis ipsum magis diliget?* Tum Pharisæus : *Existimo quia is cui plus donavit.* Et is qui culpæ obnoxius erat sui judex fuit, et a Domino laudatus est dicente : *Recte judicasti.* Audi jam : *Vides hanc mulierem,* quæ minus debebat quam tu, et plura munera donaque attulit? vides hanc mulierem, quæ multis pernicies fuit? animatum sepulcrum? mortem quæ circumquaque fertur? *Ingressus sum in domum tuam :* aquam comparatu facilem, omnibus obviam, in pedes meos non intulisti; hæc vero fontes lacrymarum ex oculis defluentes in pedes meos immisit. *Osculum mihi non dedisti,* hæc vero labia sua pedibus meis applicuit. *Oleo caput meum,* ut misericordiam a me consequutus, *non unxisti;* hæc vero unguento corpus, fide divinitatem meam unxit, *Ideo dico tibi, Remittuntur ei peccata multa;* ut impleatur quod in Psalmis dictum est, *Remisisti iniquitates plebis tuæ* (*Psal.* 84. 3); et illud a Joanne prædicatum, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* 1. 29). Ipsi gloria in sæcula. Amen.

IN ASSUMPTIONEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Peccati artificium contra peccatum versum est. Ars enim peccati crux est, ut impeccabile corpus morti tradatur : crux vero crucifixæ carni machina fuit, quæ ad cælum ascenderet : ac dictum illud de peccato mutatum fuit. Prius enim, ut Paulus prædicavit, *Occasione accepta peccatum per mandatum* (*Rom.* 7. 8) decepit me, et per ipsum me occidit; nunc vero dictum hujusmodi justitiæ artificio competit : nam justitia occasione accepta per peccatum, decepit illud et occidit. Ea re stupefactus Paulus, in illam vocem prorupit : *Magnum est pietatis sacramentum* (1. *Tim.* 3. 16). Resurrectio enim in cruce abscondita est, et generatio ad immortalem vitam; immortalitatem Rex ab inferno emergens hominibus peperit. Vere maximum sacramentum. Quomodo igitur notum fuit hoc sacramentum? *Manifestatum est,* inquit, *in carne.* Ecqua fuit manifestatio? *Justificatum est in spiritu.* Quodnam justitiæ argumentum? *Apparuit angelis* (*Ibid.*) Noverunt angeli, inquit, ejus qui apparebat dignitatem : accesserunt, et ministrabant ei. Fide digni certe sunt, Paule, justitiæ præcones, et Christi virtutem celebrant : verum hominibus quoque fortitudinis illius signum ostende. *Prædicatum est gentibus.* Peragravit verbum quo ejus divinitas prædicabatur, etiamsi ab omnibus impediretur; cohibita prædicatio dilatata est. Quid ergo, si ad aures tantum pervenit, et gentibus quæ audiebant pro nugis verbum habitum est? *Prædicatum est,* inquit, *et creditum est in mundo.* Deinde postquam creditum est, omni superato obice, *Assumptum est,* inquit, *in gloria.* Prædicata fuit Ecclesiæ fortitudo : imo potius totius orbis instantia. Nam humanitas hodie assumpta commune est humanæ naturæ auxilium : postea enim supplicia moderatiora erant. Et consideres velim illa olim a Deo hominibus inflicta supplicia, et assumptionis utilitatem deprehendes. Ex uno peccato lapsus Adam dejectus est; ad diuturnum corporis tremorem damnatus est Cain; ignis imbrem demisit cælum ut Sodomam terræ putredinem combureret; in columnam mutata est mulier, quæ fugiendi legem violaverat. In populis autem qualis differentia? Audi Scripturam hæc quasi lamentando narrantem : *Tentaverunt,* inquit, *Deum, et a serpentibus perierunt. Murmuraverunt,* inquit, *et perierunt ab exterminatore* (1. *Cor.* 10. 9 *et* 10). *Fornicati sunt,* ait, *et ceciderunt in una die viginti tria millia. Dedit,* inquit, *Dominus mortem in Israel a mane usque ad horam prandii, et mortui sunt septuaginta mille viri* (*Num.* 25. *et* 2. *Reg.* 24. 1). Quid tibi narrem Dei ad regem tunc datam optionem? *Hæc dicit Dominus,* inquit : *Pete tibi tres annos fames super terram, aut tres menses ubi inimici tui te persequentur, aut tres dies mortis in terra tua* (*Ibid. v.* 13). Deplorant etiam Græcorum scriptores veterum temporum calamitates, diluviorum exuberantiam, incendiorum magnitudinem, annorum plurium famem, terræ motuum latam perniciem, sanguinis in civilibus bellis effusiones, frequentium bellorum tempestates. Nulla tunc erat bellorum malorumque tum e cælo, tum ex terra immissorum cessatio, nulla pax sive Græcis, sive barbaris, sive Judæis. Exspectabat enim terra mediatorem, qui supernis et infernis pacem afferret. De quo Paulus ait : *Ipse est pax nostra, qui impedivit inimicitiam in carne sua* (*Ephes.* 2. 14). Quot nunc sunt Sodomitis lasciviores? neque tamen ut olim ignis in illos effunditur. Suscepit enim terra pacis mediatorem, qui in genus humanum benignior evasit. Quot nunc sunt sceleratiores iis qui ævo Noæ vivebant? quos tamen cælum diluvio non submergit. Quot ferociores Caino? quos Caini supplicio Deus non plectit. Cum enim a nobis irritatur, ad throni sui consortes primitias respiciens, reconciliatur : quando hominibus scelerate agentibus indignatur, intemeratam humanitatem a dextris suis videns, placatur : cum ad iram illum concitat flagitiosum genus, iram superne mitigat congener noster illi assidens. Hoc tibi explicans Paulus ait : *Christus est in dextera Dei, et supplicat pro nobis* (*Rom.* 8. 34); non quod egeat supplicis vocibus : in regnum enim ascendit Christus; non quod supplicatio sibi sit propria : sed ipsam primitiarum assumptionem in supplicationem quæ nos reconciliaret configuravit Paulus. O horrendum hodie dæmonibus spectaculum! horrendum certe illis erat, videre hominis ut apparebat naturam, aerem pervadentem, excelsius quam illi ascendentem, cælis superiorem factam. Verum illi quidem gemebant : angeli vero læti hominibus adstantes clamabant : *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum* (*Act.* 1. 11). Certius fit assumptionis mysterium. Discipuli enim stabant hianti ore in cælum respicientes et attente intuentes : cum vero paulatim caro altius pervasit, quam ut possent oculi attingere, in dubitandi cogitationem vergebant : Nusquam, inquiunt, corpus apparet : num species et phantasia solum fuit assumptio? forte oculis erravimus; aut non erravimus quidem, sed forte corpus in aerem dissolutum est, et jam naturam non habet terrenis visibilem. Cum sic dubitantes respicerent in cælum, angelos statim audierunt : *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum* (*Ibid.*)? Quid sibi vult, inquiunt, aspectus ille curiosus? quid oculi in cælum intenti? in cælis quæritis illum? Jesum aufert nubes. Num quis jam illum in corpore videbit? Utrique rei ut certæ confidite. Etsi nunc in cælum sit assumptus, at rursum veniet, *Quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Sed ne diutius lingua tendatur, fatiscentes citharas deponamus, aliisque citharis demus locum. Assumptioni plaudant multorum ora; canat hodie communi voce totum hominum genus. *Magnum est pietatis mysterium; visus est angelis, creditus est in mundo, assumptus est in gloria* (1. *Tim.* 3. 10). Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN TRANSFIGURATIONEM SERVATORIS.

Venite, dilecti, hodie evangelicos thesauros impigre attingamus, ut inde pro more divitias ubertim dividamus, quæ numquam ab sumi possunt. Venite ad sapientissimum rectumque ducem : rursus sequamur Lucam, ut videamus Christum in montem excelsum ascendentem, qui Petrum, Jacobum et Joannem divinæ transfigurationis testes assumpsit. *Assumpto*, inquit, *Petro et sociis, in montem excelsum ascendit* (*Luc.* 9. 28. *Matth.* 17. 1) Dominus. Mons excelsus, in quo Moyses et Elias cum Christo loquebantur : mons excelsus, in quo lex et prophetæ cum gratia loquebantur : mons excelsus, in quo erat Moyses, qui agnum paschalem immolavit, et Hebræorum limina sanguine aspersit : mons excelsus, in quo Elias erat, qui apud illos bovem in partes dissecuit, et per aquam victimas igne absumpsit : mons excelsus, in quo Moyses erat, qui mare Rubrum aperuit et clausit : mons excelsus, ut discant Petrus, Jacobus et Joannes, ipsum esse cui omne genu flectitur cælestium, terrestrium et infernorum (*Philipp.* 2. 10). Tres solum assumpsit : non omnes assumens, nec omnes relinquens : non aliis gloriam invidens, non viliores judicans ; justus enim cum sit, juste omnia administrat : omnes mente revolvens, et ex mutua caritate non avulsos, una copulavit. Sed quia divina illa et tremenda visione indignus erat Judas, qui traditor futurus erat, ideo cæteros relinquit : ne ille, utpote solus relictus, se hac defensione obtegeret ; utque tres assumeret transfigurationis testes, qui secundum legem satis erant, qui etiam reliquos mente secum afferebant. Ipse namque ait : Serva eos, Pater juste, ut et ipsi unum sint, sicut et nos unum sumus (*Joan.* 17. 21). Videns enim Judas extra montem Andream, Thomam, Philippum et cæteros secum versantes, nec murmurantes vel conviciantes, sed gaudentes, atque supernam gratiam et sibi mutuo et absentibus optantes, inexcusabilis omnino erat, qui in nullo patrato miraculo retro relictus fuerat. Sed et marsupium habuit, et ungenti mulieri sine causa invidit, et Magistrum audacter inimicis tradidit. Et quid dicit ? *Et transfiguratus est ante eos. Et apparuerunt Moyses et Elias loquentes cum eo* (*Matth.* 17. 2. 3). Verum Petrus, ut semper in omnibus fervens, oculis mentis eos quos non noverat cernens cum eo loquentes, non ita accurate miraculum et stupendæ divinæque illuminationis fulgorem considerans, desertum illum locum pulchrum vocabat : ex piscatore in tabernaculorum opificem provectus, Servatori clamat : *Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Eliæ unum, et Moysi unum, nesciens quid diceret* (*Luc.* 9. 33). Sed, o discipulorum coryphæe et princeps, Petre ! cur cum humilibus cogitationibus petulanter te ingeris, et humanis ratiociniis divina afficis contumelia, dum tria in eremo erigenda dicis ? parem servis Dominum statuis ? et unum Christo tabernaculum, et duobus aliis similiter vis excitare ? num ex Spiritu sancto, ut hic, conceptus fuit Moyses ? num virgo peperit Eliam ut hunc sanctissima Virgo Maria ? num infans ex utero novit Moysem, ut hunc Præcursor ? an cælum Eliæ natales significavit ? aut magi Moysis incunabula adorarunt ? num Moyses et Elias tot miracula patrarunt ? an in humana spelunca spiritus expulerunt ? Moyses enim aliquando iratus est, et virga percussum pelagus trajecit : Magister vero tuus Jesus in mari ambulans cum Petro, calcabile profundum reddidit. Elias precans viduæ farinam multiplicavit, et ejus filium ex mortuis suscitavit : qui vero te ex piscatore discipulum accepit, paucis panibus millia hominum satiavit, et infernum exspoliavit, abripuitque eos qui a sæculo dormiebant. Ne ergo dicas, Petre, *Faciamus hic tria tabernacula* ; nec, *Bonum est nos hic esse* (*Luc.* 9. 33). Nihil dicas humanum, humile, terrenum, humi repens : superna sapias, superna quæras, ut indicavit Paulus, non quæ super terram. Quomodo enim bonum est nos hic esse, ubi serpens primum parentem contumelia affecit et læsit, et paradisum clausit ? ubi ipsum in sudore vultus panem comedisse audivimus ? ubi gemuisse et tremuisse propter inobsequentiam didicimus ? ubi omnia umbra ? ubi omnia in momento transibunt ? Quomodo ergo bonum est nos hic esse ? Si nos Christus hic relinqueret, cur communicasset carni et sanguini ? si nos Christus hic relinqueret, cur lapso subvenit et jacentem erexit ? si bonum sit esse super terram, frustra vocatus es cælorum clavicularius. Ad quid enim utiles erant claves cælorum ? Quando hunc montem desideras, cælis jam abrenuntia : si tabernacula vis excitare, fundamentum Ecclesiæ esse recusa. Transfiguratus enim est Christus non frustra, sed ut futuram nobis ostenderet naturæ transfigurationem, et futurum in nubibus in voce archangelorum secundum salutarem adventum. Ipse enim est amictus lumine sicut vestimento, judex vivorum et mortuorum. Quare Moysem et Eliam in medium adduxit, ut antiquorum oculis signacula sisteret. Et quid dicit magnus ille scriptor ? *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de cælis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui : ipsum audite* (*Matth.* 17. 5). Adhuc, inquit, Petro loquente, contradixit Pater. Cur, Petre, bonum esse dicis, qui nescis quid dicas ? Nondum institutus es, nondum firmam Filii cognitionem accepisti, qui dicis : *Tu es Christus, Filius Dei vivi* (*Id.* 16. 16). Tot signa vidisti, Bar Jona, et adhuc Simon es ? cælorum te clavicularium constituit, et nondum nauticæ artis vestimentum deposuisti ? Ecce jam tertio Servatoris voluntati resistis nesciens quid dicas. Dixit tibi, *Oportet me pati* ; et ais, *Non erit hoc tibi* : dixit rursum, *Omnes scandalizabimini* ; et dicis, *Si omnes, ego certe non scandalizabor* (*Id. v.* 16. 21. 22 *et* 26. 33). Ecce nunc quoque Christo vis tabernaculum excitare, qui mecum fundavit terram, qui mecum mare constituit et firmamentum fixit, qui ætherem igneum fecit, et omnia mecum ante sæcula creavit : tabernaculum illi, qui ex me est ; tabernaculum illi, qui in me et vobiscum est ; tabernaculum Adamo, qui est sine patre ; tabernaculum Deo, qui est sine matre : tabernaculum ei, qui accepit tabernaculum quod elegerat, uterum virginalem. Itaque, quia tu tria tabernacula vis excitare, nesciens quid dicas, ego nube lucida usus, tabernaculum et adstantes custodiens, ex altissimis clamo : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Non Moyses vel Elias, sed hic ; non alius vel alius, sed hic, unus et ipse in quo mihi complacui : ipsum audite. Moysen justificavi, sed in hoc mihi complacui : Eliam accepi, sed hunc misi ex Virgine in ipsum cælum : *Nemo enim*, inquit, *ascendit in cælum, nisi is qui de cælo descendit* (*Joan.* 3. 13). Illuc ergo descendit, in terram : illic seipsum exinanivit, formam servi accipiens. Nisi ille, manens quod erat, factus esset id quod nos sumus, nisi crucem apud nos et propter nos sustinuisset, et proprio sanguine mundum redemisset, cessaret œconomia, et prophetarum vetera dicta irrita manerent. Sed quiesce, Petre, et ne sapias ea quæ hominum, sed quæ Dei sunt. *Hic est* enim *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui : ipsum audite.* Duplici enim voce circa illum usus sum, vobis in hoc monte, et Joanni in Jordane fluvio. Hanc olim propheta vere significavit, clamans, *Thabor et Hermoniel in nomine tuo exsultabunt* (*Psal.* 88. 13). In quo

nomine? *Hic est Filius meus dilectus.* Dedit enim illi nomen quod est super omne nomen. Sed dices utique, dilecte : Quid est, *Thabor et Hermoniel in nomine tuo exsultabunt?* Id prudenter disce. Thabor mons est hic, in quo lubens Christus transfiguratus est, et Filius a Patre declaratus est, ut modo audistis : Hermoniel mons est parvus ex terra Jordanis, unde assumptus est Elias, et prope quem in fluentis Jordanis voluus Christus baptizatus est, et Filius a Patre declaratus. In his duobus montibus intemeratus Pater filiationem firmans, et tunc et nunc secundo clamat : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui : ipsum audite.* Qui enim ipsum audit, et me audit; et qui de ipso et ejus verbis erubuerit, ego quoque de illo erubescam in gloria mea et sanctorum angelorum. Ipsum audite absque simulatione et nequitia, incircumscripte, fide quærentes, non lingua metientes; fide accipientes, non Verbum verbis ponderantes. Jam enim Paulus orator, curiosum refrenans, et omnia sine dubitatione docens, clamat : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* 11. 33). Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN RAMOS PALMARUM.

Jam præfulgent spiritualis celebritatis charismata; jam præcurrunt celebratissimi festi signacula; jam immaterialis sponsi præcurrunt indicia; jam pignus universalis resurrectionis nactus Lazarus cum Domino recumbit; jam unguenti donum eos, qui ad baptismum accurrunt, bono replet odore; jam fideles regis custodes hanc magnam urbem occuparunt; jam fidelis populus in occursum Domini veniens, clamat dicens, *Hosanna in excelsis*, ut modo audistis : *Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel* (*Matth.* 21. 9). Benedictus qui venit, qui semper venit, qui nobiscum est, et extra fideles nunquam. Vere turba illa regiam virtutem et ingressum noverat. Sicut enim in præsenti, terreno rege contra tyrannum bellum gerente, et post victoriam revertente, cives omnes extra civitatem obviam ipsi veniunt, flores gestant, laudes nectunt, encomiis victoriam celebrant, non gloriæ amore moti, sed victoriæ celebrandæ de iderio : eodem modo Dominum Christum, ut regem triumphantem, omnis turba et verbis et palmarum ramis declarabat esse victorem adventantem; imo potius Deum sibi notum. Deo namque soli competunt verba tunc prolata, quæ prudentibus divina mysteria detegunt, *Hosanna in excelsis;* id est, Serva, quæso, in excelsis; sic enim explicatur illud Hebraicum, *Hosanna in excelsis;* ut superne sit salus, et inferne benignitas. O turbæ cognitionem divinam angelici ministerii consortem! Terram illi calcabant, et in cælo incedebant, corpore amicti, et incorporea tractantes : Judæi nomine, et Christiani re; mundani vitæ forma, et apostolici confessione : hi, ut et Petrus, supernam revelationem acceperant. Sicut enim apostolorum coryphæus, non ex propria meditatione, sed ex divina revelatione Domino dicebat : *Tu es Filius Dei vivi* (*Matth.* 16. 16); et Dominus ostendens ipsum non ex propria cogitatione, sed ex Patris revelatione id accepisse, beatum illum prædicabat, *Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est* (*Ib. v.* 17) : ad eumdem modum turba, accepta superne revelatione, clamabat ad Dominum dicens : *Hosanna in excelsis : benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.* Id certe omnino verisimile est. Undenam vero probatur Judaicam hanc turbam superne revelationem accepisse. Undenam igitur id probabo? Ex ipsis Domini verbis. Nam *Videntes*, inquit, *summi sacerdotes et scribæ pueros clamantes in templo, et dicentes, Hosanna Filio David, indignati sunt et dicebant ad Jesum : Audis quid hi dicunt? Jesus autem dicit eis : Etiam : numquam legistis : Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Matth.* 21. 15. 16)? Nec ex Domini verbis tantum, sed etiam ex stupendo turbarum moto et occursu et ex gestis earum asseritur : non modo enim clamabant, sed etiam ramos olivarum et palmarum secabant manibusque gestabant, ac vestimenta sua substernebant, atque servatorem et regem Dominum appellabant : unde palam cuivis est, ipsos superne revelationem accepisse. Nisi enim de cælo accepissent, unde novisset turba Dominum esse regem? Regis hujus mundi diadema non gestabat, non vestiebatur purpura, non comitabatur eum exercitus, non præcurrebant equites, non currus, non clypei auro obducti, non vehebatur curru purpura strato, sed pullo insidebat alieno, duodecim tantum ducens discipulos. Unde ergo noverat turba ipsum esse regem, nisi ex superna revelatione? Ideoque in Domino non quærebant vulgare diadema; noverant enim ipsum sine principio regnare : non quærebant purpuram; videbant enim illum amictum lumine sicut vestimento : non circumspiciebant militum turmam, obtemperantes prophetæ dicenti : *Decem milties dena millia ministrabant ei, et millia millium archangelorum assistebant ei* (*Dan.* 7. 10). Non quærebant equites et currus; sciebant enim ipsum esse qui Eliam in curru igneo assumpsit : quia noverant evangelistas equorum instar illum sequi, credentes prophetæ, nempe Zachariæ dicenti : Post illum equi albi, rutili, varii et floridi (*Zach.* 6. 2 3). Albus equus est Matthæus, qui ea quæ spectant ad incarnationem Domini clarius descripsit : floridus equus Marcus, qui floridius evangelium scripsit : varius equus Lucas, utpote qui elegantiori et vario sermone Christi gesta narravit : rutilus equus Joannes, qui Christi divinitatem, quasi fulgur igneum inter apostolos resplendens declaravit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum* (*Joan.* 1. 1). Equos autem veloces in omnem terram evangelium ferentes Habacuc propheta apostolos vocavit, dicens : *Et induxisti in mare equos tuos* (*Hab.* 3. 15) : mare totum mundum tropice vocans. Non quærebant penes Dominum currum gemmis coagmentatum, purpura stratum, regiis armis instructum; sciebant enim Cherubim et Seraphim, sex alarum lucernas, currum ornare, quod crederent ei qui dixerat : *Qui sedes super Cherubim, manifestare* (*Psal.* 79. 2). Fidelis ergo turba illa Jerosolymitana a Deo revelationem nacta, non offensa a vili pullo, sed a Domini adventu corroborata est. Quapropter ubi viderunt Dominum pullo insidentem, statim propheticis impulsi prædictionibus, acceptis palmarum ramis, ad invicem dixerunt : Quid exspectamus, cur non obviam imus spirituali palmæ, ramis palmarum instructi? Fructus ejus immortalitate plenus est; folia ejus sunt orbi medela; truncus ejus, id est lignum crucis, mundi totius salus est, et tropæum de victoria contra diabolum reportata. Audivimus Ecclesiam nostram in Canticis canticorum clamantem : *Ascendam in palmam, apprehendam ramos ejus* (*Cant.* 7. 8). Præveniamus Ecclesiam ex gentibus, illumque ut palmam spiritualem et ut regem fortem salutemus. Hæc dicentibus turbis, hæc agentibus, Dominumque celebrantibus, principes sacerdotum et Pharisæi admodum exasperati, increpabant turbas dicentes, Quid facitis? quid vana profertis, petulantissimi? ad fabri filium quasi ad Dei Filium accedit is ramos palmarum tenentes? Dominum vocatis eum, qui non habet ubi caput suum reclinet? regias voces profertis in eum, qui pullo asinæ insidet?

nonne pater et mater ejus apud nos sunt? Cessate, o petulantissimi, alioquin plectemini. Ideo namque missi sumus, ut petulantiores vestrum notemus, qui pœnas audaciæ luant. Hæc audientes turbæ a principibus sacerdotum dicta, non se removent ab officio, sed gratia operante respondent illis : Nos reprehenditis, Pharisæi, et minas nobis intentatis ac si blasphemias protulerimus? quinam supplicio digni sunt? vosne qui Scripturas legitis, nec intelligitis; an nos qui audimus et servamus? num erramus, dum ramos palmarum Domino offerimus? nonne ipse est justitiæ palma? annon de illo clamavit propheta, *Justus ut palma florebit* (*Psal.* 91. 13)? annon ipse floruit, cum cæcis visum restituit? annon claudis dedit ut sine obice currerent? annon id effecit ut paralyticus lectum qui se gestaverat, ipse gestaret? annon quatriduanum Lazarum a morte suscitavit? annon ideo vultis Lazarum denuo occidere? nonne vos lapidem removistis, et incredulitate quasi lapis obduruistis? nonne vobis permisit ut fascias solveretis, ut ne, sicut in cæco nato contigit, alium ex alio sepulcro insiliisse mentiremini? Vos semper bonis invidetis, o Pharisæi, et credenti multitudini adversamini. Ideo Lazarum denuo morti tradere deliberastis, ut turbæ fidem exscindatis. Sed quid, si Lazarum interficiatis? annon poterit illum denuo suscitare? Videamus quis fatigatus cedet, an vos occidendo, an ille suscitando? Vos opere et labore occiditis, ille verbo suscitat. Quis magis fatigatur? annon verbum facilius est, quam opus? Fallimurne, o Pharisæi, quia ad Dominum quasi ad regem accedimus? Pullum videntes magis corroborati sumus. Idcirco et regem potentem agnoscimus, et præsto Scripturas habemus; ut discatis, si sapitis, non nos falli, sed vos errare. Habetis Zachariam prophetam : hujus sermones evolvite : timete ejus falcem ulciscentem : a multis enim temporibus Judææ prædicans clamavit : *Gaude multum, filia Sion : ecce rex tuus venit tibi mansuetus et quietus, sedens super pullum asinæ, filium subjugalis* (*Zach.* 9. 9). Num fallimur Scripturas legentes, regem agnoscentes, nobis bona conciliantes, et eos qui dubitant reducentes? Prophetam tenetis, et prædictum a propheta intelligere non vultis? Absistite ergo, o Pharisæi. Quanto magis instatis, tanto magis studium zelumque nostrum excitatis. Ideo non erramus clamantes, *Hosanna in excelsis : benedictus qui venit in nomine Domini.* Nomen scimus, o Pharisæi : hoc nomen ab Ægypto nos liberavit, et mare nobis permeabile reddidit, desertum civilem habitationem reddidit, nosque in terra lacte et melle manante stabilivit, curavitque ut propheta clamaret : *Cognoscant quia nomen tibi Dominus : tu solus altissimus super omnem terram* (*Psal.* 82. 19). Quod autem turba obsequens, et principes sacerdotum rebelles sint, audi evangelistam : *Et consultaverunt principes sacerdotum, ut et Lazarum interficerent, quia multi propter ipsum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum* (*Joan.* 12. 10). Vidistin' illorum insaniam? Ut multitudinis fidem exscinderent, Lazarum interficere quærebant, dicentes apud semetipsos : Si Jesum solum interficiamus, et Lazarum vivum relinquamus, nihil proficiemus : nam dum hunc vident, in illum credunt. Ne itaque etiam post mortem offendiculo nobis sit, occidamus Lazarum, ut memoriam ejus omnino deleamus. Hæc et alia dicebant summi sacerdotes, ut homines vani et insipientes, non intelligentes Dominum, qui voluntariam mortem pro mundi immortalitate subiturus erat, non Lazarum solum ejusque resurrectionem tantum in memoriam relicturum esse in mundo, sed etiam inexpugnabilem crucem : quam nec abripere neque occultare neque vanam reddere poterunt, quæ per totum mundum ejus operationis vim ostendat. Quænam domus est quæ non signum erueis habeat, tropæum contra dæmonas, animarum custodiam? quæ navis quæ cruce gubernaculo non utatur? quæ civitas quæ crucem non habeat in præsidium? quis rex qui non cruce rediniatur? quæ virgo quæ non crucem baculum habeat? quæ Ecclesia quæ non cruce muniatur? Crux in nocte illuminat, in die lucet : hiemem calamitatum, ver et æstatem appellare novit : conjugium stringit, amicitiam auget, omnibus bonis imperat. Quid ergo evangelista? e re namque fuerit, totam periodum a capite resumere. Audisti modo dicentem evangelistam : *Ante sex dies Paschæ venit Jesus in Bethaniam, ubi erat Lazarus, quem suscitavit a mortuis* (*Joan.* 12. 1). Quænam est hæc dies ante sex dies? Quænam? Præsens dies, quæ Joannem Præcursorem exprimit. Sicut enim Joannes Domino præcucurrit, sic et hæc dies resurrectioni : et sicut Joannes digito Dominum monstrans dicebat, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (*Id.* 1. 29) : sic et hæc dies ceu digito monstrans sequentem Dominicam, clamavit dicens : Ecce mater eorum qui regenerandi sunt. *Ante sex dies Paschæ.* Audite diem : non enim abs re positum est illud, *Ante sex dies Paschæ*, sed ut discas teipsum purgare ab omni inquinamento carnis et spiritus. Nam prævia purificatio est hæc dies, ut teipsum purges ab omni sorde, ut solvas inimicitiam, sedes iram, exstinguas calumniam, stringas caritatem, extendas pauperum amorem : ut ne tu solus festum agas, sed etiam inops tecum festum celebret. Nisi enim largiaris egenti, et si ille ingemiscat, dum tu festum celebras, cave ne tibi accidat divitis illius retributio, qui cum epularetur quotidie splendide, ne micas quidem Lazaro dabat. Largire igitur egeno de mensa tua, et inopibus benefacito, ut et tu semper festum celebres, et pauper dapibus fruatur tuis. Nisi enim tu largiaris pauperi paria sentienti, et consolatione opus habenti; et ille ex necessitate, abs te nihil referens, ad hæreticum accedat, qui illum consoletur : hæreticus te humanior videbitur. Omnis enim hæreticus contra pastorem latrat. Quid ergo evangelista? *Ante sex dies Paschæ venit Jesus in Bethaniam, ubi erat Lazarus, quem suscitavit a mortuis.* O Domini sapientiam! suscitavit Lazarum, ut irritaret diabolum. Paucis audi. Ut vidit diabolus Dominum clamantem, *Lazare, veni foras*, et omnia infernalia soluta, infernasque potestates imperare non valentes, et quod quasi regio jussu, imo potius divina voluntate operante, capilli Lazari radicem mittebant, nervi soluti constringebantur, carnes imminutæ replebantur, ossa separata suo ordine jungebantur, sanies fluenta coercebantur, spiritusque vitalis ingrediebatur, anima autem domina priscam sedem repetebat : ut illa et similia vidit, turbatus et anceps præcepit Potestatibus suis, dicens : Resistite, confortamini, regnum meum ne prodatis. O quid patior! mortis imperium dissolvitur, quod propter peccatum possidebam : eum quem a quatriduo tenebam, nunc per vim magnam reddere cogor : in calamitatem incidi, quos absorbueram evomere cœpi. Non propter Lazarum tantum fleo, sed timeo ne alios etiam, quos ab Adamo ad hoc usque tempus detineo, perdam. Cura mihi opus est et multa fortitudine : nisi prævertam eum, qui solo verbo me diripit, omnibus me facultatibus vacuum exhibebit. Quid mihi faciendum sit excogitavi et novi : Judæos habeo comites, mercede conducam Judam, qui mihi semper recte ministrat. Nam cum sit amans pecuniæ, accedentis mulieris unguentum trecentis denariis æstimavit, ipsique molestiam intulit : et qui unguentum trecentis denariis æstimavit, Dominum unguenti triginta denariis vendidit. Multo igitur mihi studio est opus, ut crucem apparem. Ille mihi Lazarum abripuit; ego vero illum hinc pertraham, et cum mortuis annumerabo, ut discat non sibi contra majorem esse pugnandum. Infernæ vero Potestates respondent illi : Jesum totum huc vis deducere ut quiescat? cave ne contra teipsum labores : jam ejus experientiam cepisti : pugnasti cum illo in deserto : annon illum ter adortus es, et ter excidisti? Si vero descendat, quid facturus es? Hæc et similia cum agitasset in consilio diabolus, Judæos ad majorem invidiam excitavit et investigavit, ut occi-

derent Lazarum qui a mortuis resurrexerat, et crucem Domino pararent; ut maledictio fieret benedictio, et lignum crucis omnibus salus. Nam per Lazari resurrectionem diabolus turbatus est, Pharisæi pudefacti sunt, Martha certior facta est, Maria glorificata, resurrectio prius exhibita, discipuli fortiores evaserunt, et multi Judæorum, qui in Dominum Jesum Christum crediderunt, obviam venerunt ei cum ramis palmarum clamantes et dicentes : *Hosanna in excelsis : benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel :* ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

IN LAUDEM SANCTI JOANNIS THEOLOGI (*a*).

Convocavit nos in unum, dilecti, sanctissimus Joannes Theologus, amicus Christi ; non quod fragrantium rosarum flores, sed quod spiritualium patrum virtutes nobis exhibuerit : quorum odor est pia confessio, et animarum nostrarum salus. Quæ rosa, quæso, sic foliis ornatur, ut sanctissimus Joannes divina sanctorum corona gloriæ decoratur? Rosa quidem ut aurum splendet et bono intus fulget odore ; sanctissimus vero Joannes sapientissimi pastoris et doctoris nostri bono fragrans odore, ab ipso throni culmine magnopere illustrat. O Joannes qui quotannis a peregrinis celebraris, et quotidie cum Ephesiis versaris ! o Joannes, qui ut princeps excelsus in hoc sacro monte fulges, non pecunias civibus tuis, sed medelam petentibus largiens ! o Joannes, qui Dianam, perduellem draconem, tropæo crucis prostravisti, et uni Christo nuptam Ecclesiam virtute crucis fortiter erexisti ! o Joannes, qui patrem tuum Zebedæum in navicula reliquisti, et Dominum tuum Nazarenum, supra pectus ejus recumbens, dilexisti ! Duas mammas quasi duos montes respiciebas, et in medio dulciter recumbens, eum qui in medio duorum animalium noscebatur Deum prædicasti : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* 1. 1). Et mihi stupendam apostoli vim considera. Terram effundit is qui non est sepultus in terra, et quod effunditur est manna medelam afferens, et hoc ipsum quod effunditur numquam evacuatur. Quæ causa, quæ operatio illa sit, nemo dicere possit : immutabilia namque sunt Servatoris nostri Christi charismata, et indeficientes sanctorum operationes. O Joannes, armatura piorum, vere pia confessio, iis omnibus refugium, qui ad Deum confugiunt ! Nam quod est portus iis qui tempestate agitantur, idipsum est Deus iis qui labore premuntur. Hodie nos sanctissimus Joannes virtutis suæ decore illustrat : modo enim ille nobis lectus fuit, exque libro suo veteri quasi ex regia imagine, sua pietate fulget. Joannes pulchrum fidei principium, radix florida, fons indeficiens, qui apud omnes gentes non uno tantum tempore lex est ; sed semper, si credatur, honorabile pietatis institutum : primus fidei vertex, qui omnibus pietatis vestigia exhibet, qui nos docuit studere optimis caritatis charismatibus. Videmus enim thalamum virginitatis, et amplectimur fontem curationum. De lumine vero sermonem explicemus. Lux Pater, lux Filius, lux Spiritus sanctus. Lux Pater, quia Deus verus ; lux Filius, quia ex Patre effulsit ; lux Spiritus sanctus, quia ex Patre procedit : et ideo Deus est verus. Apostolus mihi testificabitur, *Deus lux est* (1. *Joan.* 1. 5) ; et, Venit Joannes, *Ut testimonium perhiberet de lumine. Et erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* 1. 8. 9) ; id est, venientem ad veritatem. Et Filius, *Ego sum lux vera ;* et, *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* 8. 12. *et* 10. 38). Quod autem Filius lux sit et sol justitiæ, clamat et propheta : *Illuminare, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est* (*Isai.* 60. 1). Et de Spiritu sancto in Psalmis canitur, *Quoniam apud te est fons vitæ ; in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* 35. 10) ; id est, in Filio videbimus Spiritum sanctum : lumen quo illuminati sumus, et usque ad hanc diem illuminamur cordibus nostris. Lux Pater, quia Deus est verus ; lux Filius, quia lucis illius splendor est ; lux Spiritus sanctus, qui ex Patre procedit : *Nemo enim novit quæ Dei sunt, nisi Spiritus qui in ipso est* (1. *Cor.* 2. 11). Lux ergo vera est Spiritus sanctus, qui in vera luce conspicitur et intelligitur. Maneat ergo nobis, fratres, fides infracta, Trinitas inseparabilis. Nam dicit beatus Salomon, *Funiculus triplex non rumpetur* (*Eccli.* 4. 12). Deus enim sanctificat, illuminat, vivificat, liberat et cætera. Filius similiter : omnia enim quæ Pater, et ipse facit. Et Spiritus sanctus similiter sanctificat, illuminat, vivificat, liberat : nam liberati, sanctificati et illuminati sumus, ac reviximus, baptizati in Patrem et Filium et Spiritum sanctum : cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Inepta concio Ephesi habita.

IN SANCTUM JOANNEM APOSTOLUM ET EVANGELISTAM THEOLOGUM (*a*)

Rursus Joannes noster, o Ephesii, imo potius totius orbis doctor, spiritualem sagenam expandit, et nos omnes ex diversis locis congregavit, non ut illum coronis roseis honoremus, sed ut illum bonis et justis operibus decoremus. Rursus spirituales fontes suos attraxit, non ut sitientes agros riget, sed ut laborantes populos fulciat : rursus in templum ascendit secundus post Petrum, non ut claudum unum sanatum saltare curet, sed ut nos omnes in pietate firmatos instituat, ut in cælis conversationem habeamus. Non ultra supra pectus Domini recumbit, sed in singulos nostrum reclinans, nos omnes in pari honore suscipiens, lucrum proprium Deo offert, et ita clamat dicens : *Ecce ego et pueri, quos dedit mihi, Dominus.* Pueri? quinam? Quos gratia peperit, et regni cælorum heredes ostendit. Multos enim abripuit Diana ; his longe plures congregat apostolus. Illa canes alens et venans, errorem dispersit ; Joannes pauperes fovens et populos congregans, Dei cognitionem disseminavit : illa idolorum pompis aerem obscuravit ; Joannes sanctorum monumentis Asiam illustravit : Ægyptus memorat Moysis miracula ; Ephesus annuntiat Joannis beneficia : Moyses decem plagis Ægyptum flagellavit ; Joannes a Deo inspirato evangelio Ephesum ornavit ; imo potius omnes miseratus est : Moyses virga mare scidit ; Joannes cruce Dianam prostravit : discisso mari Pharao et currus ejus submersi sunt ; Diana dejecta, ejus sacerdos et abominabiles ritus contriti sunt. Narrat David dicens, *Mare vidit, et fugit* (*Psal.* 113. 3) ; hodie Ecclesia eodem modo clamat et dicit : Diana vidit, et cecidit. Vidit Theologum et divinum præconem, vidit Deiferum, et cecidit peccatrix superflue culta, in solum prostrata : vidit eum, quem diligebat Jesus, et manere non potuit. Quid est tibi, Diana, quod cecidisti? Vidi filium tonitrui, et templum meum medium fractum est : vidi Dei amicum, et dissoluta sum : vidi supra divinum pectus reclinatum, et dejecta sum in sinum meum idolicum : Mirabilis Elias, dilecti, quia Baalem prostravit ; mirabilior Joannes, quia Dianam eliminavit. Elias quadrin-

(*a*) Hæc etiam concio Ephesi habita est.

gentos quinquaginta occidit ; Joannes sacerdotem sub columna occisum suscitans, in Christo ad vitam reduxit. O miraculum ! columna lapidea sacerdotem lapidi parem occidit, quem per gratiam suscitavit Joannes. Nam assumpto, inquit, ejus corpore, gestantesque illud, posuerunt ante januam Joannis ; et quem noluit vivens conspicere, hunc mortuus quærebat, vitam et fidem postulans. Sic olim scelestissimi Judæi fecerunt : viventem Christum negarunt, et mortuum Filium Dei confessi sunt : negarunt illum, quando cæco nato dicebant : *Nos Moysis discipuli sumus ; hunc autem nescimus unde sit* (*Joan.* 9. 28. 29). Lumen recepit cæcus, et obtenebratus est insanus populus. Filium Dei confessi sunt, cum in cruce inclinato capite emisit spiritum, et lancea illud celebre latus perforarunt et exivit copia sanguinis et aquæ. Clamaverunt autem magna voce Judæi, et dicebant : *Vere Filius Dei erat hic*. Joannes dum viveret, præco cognitionis Dei, qui Spiritus sancti gratiam acceperat, orator Ecclesiæ, luminare piæ religionis, oculus Asiæ, Dianam dæmonem evertit, Deumque Verbum per totum mundum magna voce prædicavit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* 1. 1). Interrogemus piscium captorem, et sanctorum Evangeliorum scriptorem, quis hoc illum docuit ? quis pater hæc ipsi auctor dicendi fuit ? in quo libro invenit hæc quæ pronuntiavit ? Verum nemo illum docuit, nec in libro quopiam invenit hæc quæ protulit ; sed in sinu Domini Servatoris recubuit, et in sapientiæ et scientiæ profundo, mente illuminatus clamavit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Quid amplius possum dicere, quam quæ scripta sunt ? Audisti, *In principio erat* : hoc est, in Patre et cum Patre, et Deus erat ex Deo et Patre, ineffabili et impassibili modo genitus ante sæcula. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN TRANSFIGURATIONEM.

Sol oriens radios suos in totum mundum infundit : et Domini Christi natalis secundum carnem ortus discipulos suos ceu quosdam radios per totum orbem emisit. Ideoque hodie Petrus, Jacobus et Joannes luminarium instar hunc sacrum cœtum illustrant, qui infideles sagena capiunt, et piscatores eos qui prius errabant ad Dei cognitionem reducunt : qui pro calamo cruce utuntur, et pro retibus triplici confessione rationabiles pisces ex profundo nequitiæ extrahunt : ineffabilium mysteriorum cum magistro suo consortes, et inenarrabilium invisibiliumque rerum oculati testes et auditores. Petrus qui propter fidem petra vocatus est, et in se Ecclesiæ ædificationem retinet. *Tu es Petrus*, inquit, *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* 16. 18). Sed videamus, si placet, cur et qua de causa coryphæus hoc munus sortitus sit. Interrogabat aliquando discipulos Servator, quam de se haberent opinionem. Aliis porro interim tacentibus, hic strenuus prosiliens dixit, non, Tu factus es, non, Tu creatus es ; sed, *Tu es*, secundum prophetam dicentem : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* 101. 28) ; et propter hanc confessionem cælorum claves accepit. *Quæcumque enim, inquit, ligaveritis super terram, erunt ligata in cœlis, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta in cœlis* (*Matth.* 16. 19). O stupendam dignitatem, quæ naturam exsuperat ! In terra gradiens leges supernis virtutibus mittebat, quas illæ servabant ; et infra positis quæ sibi videbantur dictabat, Deusque sursum dictorum sententiam firmabat. Beatus prædicabatur ille olim Joseph, cui horrea Pharaonis concredita erant : quomodo non felix et ter beatus Petrus, cui thesauri cælorum concrediti sunt ? Sed non tam illum beatum prædico et miror quod ligandi potestatem acceperit, nec quod umbræ vestimentorum ejus morbos eliminarent, nec quod Tabitham a mortuis suscitaverit ; hæc quippe sunt, ut plurimum, operantis Spiritus charismata ; sed Petrum illum beatum prædico ob veram confessionem, ad quam primus omnium ipse pervenit : *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Quod apparebat confessus est, *Tu es Christus.* [Illud vero, *Filius Dei vivi*,] significat illum cum Patre exsistere. Videamus etiam, si placet, beatissimi Joannis proprias prærogativas ; non a divina paupertate, cujus cum Petro consors erat, præsensque cum ille diceret, *Argentum et aurum non est mihi* (*Act.* 3. 6) ; ubi ex silentio consensum indicavit ; sed quia supra pectus Domini recumbens, inde fabricatus est sacram illam et alte sonantem tubam, per quam ea quæ nec cæli dixerunt, nec angeli cogitarunt, nec aliorum evangelistarum ullus accepit, solus audaci et fideli lingua declaravit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* 1. 1). Cur ergo et qua de causa, cum primus sit evangelistarum, ultimus scripsit Evangelium ? Hoc etiam quærendum est. Matthæus Hebraica lingua evangelica miracula conscripsit ; Marcus, Petri discipulus, quæ per Dominum Christum contigerunt scripto tradidit, nempe natales sine coitu, inculpatum vivendi institutum, stupenda signa, Judaicam invidiam, salutarem passionem et vivificam nobis mortem, resurrectionem ad incorruptam vitam, assumptionem ad paternum sinum. Similiterque Lucas, Pauli discipulus, eamdem quam priores viam tenuit. Joannes igitur solus, quasi piscator in specula sedens, aliorum piscatorum spectator factus, ut vidit scientiæ capit sibi relictum esse, assumit piscatorium evangelii calamum, atque in eo quæsitum piscem capit, ac sine pretio fidelibus vendit clamans, *In principio erat Verbum.* Non ex quo Maria, inquit, ejus mater reputata est, principium habuit Christus ; non ex quo Joseph pater ejus vocatus est, exsistentiam habet, non ex quo Moyses, non ex quo Abraham omnium ante legem pater ; sed, *In principio erat Verbum.* Principio autem nihil antiquius, nihil vetustius : omne opus incipitur, et est sub principio ; omnium vero principium est Filius, omnium est, ut factor, principium. Quodcumque a principio assumitur, est recentius : solum vero principium æternitatis privilegium habet. Sed videamus justum Jacobum : etiamsi enim alius Jacobus justi cognomen præcipuum sortitus sit, Justusque sit appellatus, at non invidebit coapostolo suo hanc prærogativam. Multis igitur filius ille Zebedæi evangelicis ditatus est operibus ; sufficit autem in præsenti ad ipsius laudem, quod ex Domini amore capite sit truncatus : hunc enim Herodes, ut Lucas narrat in Actibus, occidit (*Act.* 12. 2). Hi sunt pietatis athletæ, hi evangelicæ prædicationis ministri. Unum quidem ex Olympicis revertentem coronatum ut videant, populi et urbes accurrunt ad lauri foliis redimitum : nos vero non unum, sed tres certatores, qui pro Trinitate concertarunt et coronati sunt, concursu facto spectavimus. Et quamquam immensa aggrediatur quævis lingua, vel unius eorum laudes prosequi tentans, et mens caligine laboret, dum mare virtutum uno vasculo metiri conatur ; attamen id ausi sumus, boni affectus fructum patribus offerentes. Ante biduum omnium Regis Christi natales celebrati sunt : jure ergo hæc splendida certamina in honorem natalium Domini ab athletis quinquertii peracta sunt. Id quod etiam apud exteros contingere solet : regios quippe natales in urbibus principes celebrant. Sed illic quidem victor umbram et temporanei gaudii vo-

luptatem decerpit; hic vero immortalia sunt coronatorum bravia, æternæ coronæ, gaudium cum angelis, splendor cum sanctis in resurrectione. Hæc ipsis reposita sunt certaminum præmia : quorum precibus et nos servemur, et hic pastor bonus in multas annorum decadas nobis custodiatur in Christo, cui gloria in sæcula. Amen.

DE SICCITATE.

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum (*Jer.* 9. 1)? Exordium mihi largiter subministret prophetarum omnium maxime misericors. At ille unius urbis Jerosolymæ vastitatem deplorabat; ego vero cernens ingruentem toti circum regioni calamitatem, in lacrymas et fletus prorumpo. Clausum quippe est cælum ob peccata nostra; et solari ardore nubes *Sicut cremium aruerunt* (*Psal.* 101. 4). Aquarum scaturigines exsiccatæ sunt, et perennium fluminum alvei defecerunt; terra vero æstu fervens solitos proferre fructus abnuit. Heu mala nostra! Ipsa etiam bruta animalia periclitantur ob peccata nostra. Exsiccata est terra et fœnum ejus; imo vero non germinavit, et hac peste corrumpitur. Bos miserabiliter mugit, et quasi letali voce; ovilia balatum lugubrem emittunt, dum aquarum potum quasi ardentem craterem conspiciunt, et pascua ante tempus exsiccata; ita ut Joelis prophetia apud nos jam impleatur : *Fleverunt bovilia boum, quia non erant pascua ipsis, et caulæ ovium deletæ sunt, quia exsiccati sunt exitus rivorum* (*Joel.* 1. 18). Tantum scelera nostra propitiam Dei naturam in justum furorem moverunt. Et quia quotidie non cessamus ignem peccatorum succendere, jure siccitate et æstu plectimur. Et fortasse nobis clamat propheta : *Ambulate in lumine ignis vestri, et in flamma, quam succendistis* (*Isai.* 50. 11). Certe Israelitis per prophetam promiserat Deus, si ejus præcepta servarent : *Emittam super vos pluviam matutinam et serotinam; et implebuntur areæ vestræ frumento, et torcularia vino* (*Joel.* 2. 23. 24). Promissio autem nobis in contrarium versa est; imo vero nos Jeremiæ maledictio invasit : *Sit tibi*, inquit, *super caput cælum æneum* (*Deut.* 28. 23) : propheta per hanc comminationem, omnimodam siccitatem et aquæ penuriam indicante. Annon id jam in nobis impletur? Terra æstu prærupta, et quasi in petram versa, agricolarum laborem irritum reddit, ac neque aratrum, neque ligonem admittit : segetes uti paululum pullularunt bonamque spem dederunt, antequam spicam concipiant exsiccantur et abeunt; solaque relinquitur vinearum et arborum germinatio, quæ fortasse brevi marcescet. Talis est peccatorum fructus, talia nequitiæ orgia, quia non ambulavimus in viis Dei; sed malis operibus subditi fuimus, aliis invidentes, contra minores alios nos extollentes, alienis satiari bonis cupientes, de vicini calamitate gaudentes, nos mutuo sycophantiis devorantes, absurdis concupiscentiis subditi, *Equi emissarii effecti* (*Jer.* 5. 8), ut ait Scriptura, et lupi rapaces; memoriam injuriarum retinentes ut cameli, pauperes non miserantes, lapsis non compatientes, Ecclesiæ collectas negligentes, sanctos despicientes, memorias ipsorum non venerantes, confessionem fugientes, quasi phrenitide acti in famulos. Sacerdotes malo exemplo sunt populis, contumeliam inferentes, memoriam injuriarum retinentes, inimicitiis et insidiis dediti, in faciem respicientes, lapsos non arguentes nec emendantes, sed ex silentio injuriæ participes, ut ille antiquus Heli. Laici sua relinquentes, sacerdotum negotia singuli curiose scrutantur, et indeprecabiles sunt judices. Annon vera dico? annon caritas nostra his plena est malis? annon quotidie hæc testificor? annon laboravi clamans ut juramentis abstineatur? annon prædixi : Non despiciet Deus, videns sacrum evangelium ita neglectum, et avaris manibus sic irreverenter tractatum? Affer igitur fructus ex agro, quos ex avaritia usurpasti, qui ager ne jacta quidem semina proferet. Sed ne veniam quidem vindemiabis, quam avare rapuisti. Quæ enim olim Deus Judæis per Michæam comminatus est, hæc nunc in nobis implevit : *Tu seminas, et non metes; tu premis olivam, et non oleo ungeris : et vinum non bibes* (*Mich.* 6. 15). Quid ergo? dixerit forte quispiam : atqui non omnes sunt avari, non omnes perjuri. Quomodo ergo paucis peccantibus, omnibus miscetur iræ Dei absinthium? oportet enim improbis tantum inferri supplicium. Verum sicut in uno corpore, si in una parte humor exuberet, totum corpus eget purgatione : sic et in nobis, quia unum corpus sumus, et omnes membra Christi, una ægrotante parte, omnes doloris sumus participes. Sic olim filio Saülis peccante, totus exercitus plexus est, et Davide præter Dei placitum populum numerante, commune exitium invectum est. Hoc in externa quaque disciplina fertur, totam nempe civitatem unius viri flagitio plexam fuisse. Ideo iræ Dei calix nobis mixtus est et purus. Nam ait : *Calix in manu Domini plenus mixto vini meri* (*Psal.* 74. 9). Viden' quomodo hujus calicis natura inversa sit? nam si merus et purus est, quomodo plenus mixto? nam quod mixtum est, non est merum. Hic autem utrumque dicitur : et merum quidem est poculum, utpote quod non sit mixtum divina miseratione erga eos qui lapsi non emendantur, idque secundum justitiam; mixtum vero diversis suppliciis et emendationibus, quibus punire solet Deus eos qui in malis non desperaverunt. Sicut enim ii qui corporeos morbos curant, et curandi peritiam sunt consequuti, difficiliora vulnera aquis fervidis et acribus remediis purgare solent, et saniem ægritudinemque artis ope leniunt : sic qui omnia novit Deus, tractat eos qui plagas non sentiunt, quibus melius fuisset ultionem prævertere antequam immitteretur. Quid ergo jam dicamus? Justum est Dei judicium : imo etiam benignus Dominus juste iratus, ultionem longe minorem quam pro scelerum ratione intulit; non quantam merebamur, sed quantum satis erat ut in peccatorum sensum veniremus. Perpende namque Dei patientiam : nos peccavimus, et elementa puniuntur; lapsi sumus, et terra plectitur; malam vitam nos ducimus, et inanimata flagellantur; turpibus gestis Creatorem contumelia afficimus, et plagam accipiunt ea quæ nihil peccaverunt : quemadmodum si quis filio peccante, servum castigaret. Talem habemus, tamque bonum Dominum : sic ille nos monet ad emendationem deducens; et arcum tendit minarum, sed sagittam iræ retinent. Non enim vult animæ mortem, sed conversionem expectat et pœnitentiam. Simus ergo, fratres, sensu ut par est affecti : Deum miseratorem placemus, ne videamur deteriores Ninivitis. Isti, gentiles cum essent et infideles, quia per prophetam futuram urbis subversionem didicerant, tantam exhibuere pœnitentiam, ut etiam infantes et jumenta jejunare cogerent, et cinere saccoque circumdarent, et sic a justa ira Dei erepti sunt. Nos ergo etiam ploremus, confiteamur singuli peccata nostra, sanctos apud Deum intercessores adhibeamus; tum maxime sanctissimam Dominam, promptum illud et inexpugnabile patrocinium : procumbamus illi cum lacrymis precantes : Domina, quæ Deum Verbum in utero habuisti, quæ naturam nostram tuo partu divinam præstitisti, quæ inter Deum et homines partu tuo mediatrix fuisti; miserare populum tuum et hereditatem tuam, miserere hujus civitatis tuæ, quæ in nomine tuo gloriatur; intercede pro nobis indignis famulis tuis, deprecare unigenitum Filium tuum, ut peccata nostra propitius ferat, et hanc iram contra nos immissam

solvat, nubibusque mandet ut consuetam pluviam subministrent, siccitatem tollant, ac terræ æstum rore perfundant. Etiam, Domina, Domina, mundi præsidium, miserere; lac confer infantibus, senibus fatiscentibus, pauperibus arescentibus : ne sinas nos ob peccata nostra perire. Peccavimus, inique egimus, puram baptismatis tunicam inquinavimus, Dominica mandata transgressi sumus : at etiamsi lapsi sumus, non extendimus manus nostras ad Deum alienum, sed ad unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto adoratur et conglorificatur, nunc et semper, et in sæcula.

IN JORDANEM FLUVIUM.

Cur missis omnibus terræ fluviis Christus in Jordane mysterium baptismatis consummat? Fluminis naturam explorare par est, ut hinc mysterii seriem ediscas. Jordanis inter omnes fluvios duas habet scaturigines : neque enim ex uno fonte manat. Unum fontem habet in Paneade, et alterum prope Paneadem : fons alter vocatur Jor, alter vero Dan : et per paulum spatii separatim manantes fontes, in uno loco simul confluunt, et unum fluvium efficiunt. Veteres autem a scaturiginibus nomen illi dederunt Jordanis, a separatis fontibus Jor et Dan, qui postea junguntur. Secus autem quam omnes alii fluvii, hic in nullum vivum mare influit, et aqua viva maris illum non excipit, sed excipit Mare mortuum. Hic solus fluvius mortuis et inutilibus aquis jungitur. Est porro Jordanis mortalis nostri generis figura, et quomodo, audi. Ab initio genus nostrum duas habet radices, Adamum ex terra formatum, et Evam quæ ex costa prodiit : neque unus est sive locus sive modus formationis. Ille namque ex terra formatus, fontem habet terram; hæc ex costa facta, radicem habet costam : aliud illius, aliud hujus initium. Et erant interim sic separati secundum modum formationis : conjuncti vero sunt congressu nuptiali; ex ambobus unum factum est corpus; et qui deinceps prodierunt, non ex costa, non ex terra, sed ex congressu nascebantur. *Erunt* enim, inquit, *duo in carnem unam* (*Matth.* 19. 6). Hoc igitur nostrum figmentum, naturæ ordine procedens, finem habuit mortem. Cœpit figmentum nostrum a terra, et desiit in mortem, illudque excepit mare mortuum, profundum, infernale, abyssus mortuorum. Quod enim est mare mortuum vivis aquis, idipsum est infernus morientibus. Ideo dicit Paulus : *Ne dixeris in corde tuo, Quis descendet in infernum? id est, Christum ex mortuis reducere* (*Rom.* 10. 7). Circa hunc ergo Jordanem, qui ex vivis fontibus prodit et in Mortuum mare desinit, totum Dei opus mirabile consummabatur, ut non ultra aqua viva curreret ad mortem. Ter vero Jordanem divisit Deus, ut non ultra fluxum haberet ad mare mortuum, sed ut recurreret ad veteres viventes radices. Divisus est sub Jesu Filio Nave; divisus est sub Elia, quando melote sua illum divisit; divisus est ab Elisæo, quando revertens divisit eum. Prior Jesus filius Nave divisit Jordanem : et quomodo diviserit audi. Non retinuit fontium fluxum, sed aquam retro convertit, ut testificatur psalmista dicens : *Quid est tibi, mare, quod fugisti? et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum* (*Psal.* 113. 5)? Retrorsum erant fontes. Rejiciens ergo Servator genus nostrum, quod currebat ad mortem, id efficit ut non ultra currat ad mortem, sed ad veteres viventes radices revertatur, nec in Mortuum mare desinat. Restituitur ergo mortalis natura in priscam formam. Et nullus Jordanem dividens conspicitur sine aliquo symbolo. Jesus filius Nave arcam habens divisit, Elias meloten; Elisæus item habens meloten magistri divisit eum. Quia enim mortalis natura per se sola non poterat fluentum retinere, ingreditur prior Jesus, Domino cognominis, symbolum Dominici corporis gestans. Et apparet Jordanem neque Jesum reveritum esse, merum hominem, nempe filium Nave, neque Judæos, neque sacerdotes. Ut ostendatur vero ipsum non cessisse populo, sed arcam reveritum fuisse, dicit Jesus : *Ecce arca ejus, qui dominatur omni terræ, pertransit Jordanem. Et erit cum ingressi fuerint pedes sacerdotum gestantium arcam, Jordanis deficiet* (*Jos.* 3. 11. 13); non sacerdotes reveritus, sed arcam. Et unde hoc, audi. Interrogat illum David dicens : *Quid est tibi, mare, quod fugisti? Et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum* (*Psal.* 113. 5)? Ad hæc respondet creatura dicens : *A facie Domini mota est terra* (*Ibid. v.* 7). Facies Domini erat arcæ forma. Quod enim erat arca legi et tabulis et urnæ et virgæ, hoc erat incomprehensibilis divinitatis Dominica caro, quæ quasi in arca divinitatem ferebat. De hac sancta dicebat beatus David : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ* (*Psal.* 131. 8). Et vide quid faciat. Quia exsiccatus erat Jordanis, non quod fluenta perdidisset, sed quod ad veteres scaturigines resiliisset, *Tulit*, inquit, *Jesus ex Jordane duodecim lapides magnos, et statuit illos ultra Jordanem : et pro illis duodecim alios lapides posuit in fluvio* (*Josue.* 4. 8. 9). Quid sibi vult illud, duodecim auferri lapides, et pro illis duodecim alios restitui? Quia, ut dixi, mortalem naturam rejiciebat : imo potius vult ostendere, quod ipse humanitatem de profundis abstrahat, et inducat in cælum. Lapides enim qui numquam viderunt solarem radium neque lucem, in lucem expandit; ex profundo abstracti super terram erant. Cur autem duodecim lapides inde cepit? Quia per duodecim apostolos abstracturus erat humanam naturam a mortali natura. Esto, in fundo positos lapides abstulerit, ut illos in solem et in lucem proferret, et homines deinceps clare cernerent, quomodo Jordanem pertransissent : nam hanc ille causam significavit dicens, *Si interrogaverit te filius tuus dicens, Quid sibi volunt hi lapides? dic illi, quia per aridam transivimus Jordanem, Deo impediente aquam ante faciem nostram* (*Ibid. v.* 6. 7). Sed esto, educti lapides positi sint, ut a posteris viderentur; cur alii in eorum locum positi sunt? Eduxit ex profundo eos qui submersi erant, et rursus profundo dedit salutis pignora. Qui illic positi sunt lapides pignora, qui vero assumpti sunt, tutela erant. Ac multa circa hæc speculatio est, cur positi sint, cur ablati sint lapides. Christus et accipit et dat. Venit in mundum, et assumpsit corpus nostrum, suam dans nobis virtutem. Per apostolos ponit in fluvio duodecim lapides, pignus salutis et arrham futurorum. Nam qui dat alicui pro aliqua re, pignus dat illi in futurum. Quia igitur hoc ipsum nomen erat servaturus, quando baptizandus erat in Jordane a Joanne; prius pignora deposuit adventus sui, et statuit lapides quos inde assumpsit, patriarchas quos tunc erexit; ii vero quos pro ipsis substituit, sunt apostoli quos pro illis dedit : nam *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* (*Psal.* 44. 17). Sic pertransivit Jordanem; et factus est Jordanis Jesu filio Nave principium possessionis terræ. Donec pertransiret Jordanem, non possedit promissam terram : donec Christus pertransivit Jordanem, non cœpit prædicare regnum. Principium possessionis terræ, Jordanis : principium possessionis regni cælorum, Jordanis. Ideo propheta dicit : *Memor ero tui, Domine, de terra Jordanis.* Memoria enim est indelebilis. Jesus sic pertransiens divisit Jordanem, arcam ipsi ostendens : Elias vero melote divisit, pelle mortua, et aquæ vivæ meloti mortuæ obedierunt.

Divisit Elias melote Jordanem, et sic pertransivit, ut ascenderet in cælos. Reversus est beatus Elisæus, accepta magistri melote, postquam rogaverat ipsum dicens : *Spiritus, qui in te est, fiat duplex in me. Dicit ei. Dure petiisti : attamen si videris me assumptum, erit tibi* (*4. Reg.* 2. 9. 10). Id est, Dignaberis habere duplicem Spiritus sancti operationem. Deinde assumptus est. Sublimis erecta est melote, et cecidit ad discipulum : accepit pignus, et ad fluvium pervenit : tentavit dividere Jordanem, et non obedivit aqua. Consternatus Elisæus dicit, *Ubi est Deus Eliæ appho* (*4. Reg.* 2. 14)? et cum hæc dixisset, percussit secundo aquam, et divisus est Jordanis. Cur ergo non obedivit et prima vice aqua? Ne putaret illam obedivisse ob pristinam suam dignitatem, quam habuerat : sed invocavit Deum et dixit : *Ubi est Deus Eliæ appho?* Cur vero dixit, *Ubi est Deus?* nonne sciebat propheta Deum esse in cælo et in terra et ubique? Sed quia dixerat ei Elias, *Si videris me assumptum, erit tibi sic.* ****

IN PHARISÆUM, ET IN MERETRICEM. DICTA FUIT IN SANCTA ET MAGNA FERIA QUARTA.

1. Omne tempus cuique volenti ad pœnitentiam opportunum est : nam cuique licet in verno tempore bonæ vitæ germina emittere, in æstate salutis manipulos colligere, in autumno damna et corruptionem animæ explorare, in hieme iniquitatum hiemem fugere, et in qualibet anni conversione ad meliora conversionem curare; in nocte peccati noctem declinare, et in die ad lucem puræ conscientiæ currere, atque ad Creatorem confugere. Verum præsens tempus, continentia et jejunio munitum, ad pœnitentiam est opportunius, sed non omnibus. Vox enim quædam hæc fere insonat : Si quis accedit ad me, ego adducam eum ad communem Creatorem. Nos ergo fidei et pœnitentiæ alis instruamus, ut ad Factorem nostrum advolemus, et nos ut primogeniti Ecclesiæ filii, et vos, qui quasi fœtus in visceribus Ecclesiæ cubantes, optatis ad beatum et dolore vacuum partum advenire (*a*), et filii esse ejus qui pro nobis concertavit (necessaria est enim fidei gratia et vobis qui eadem bona consequuturi estis) : nos quidem, ut tunicam regiam, quam inquinavimus, lacrymis abluamus; vos autem, ut possitis illam induere, et omni labe puram servare : nam sine fide pura nemo potest Dei benignitatem assequi. Verba mea confirmant tum alia innumera, tum meretrix illa, quæ fidem et pœnitentiam tamquam duas lucernas tenens, et ad cælestem sponsum accurrens, una die sponsa Christi effecta est. At quia beatam illam meretricem memoravi, quam hoc turpi nomine interim voco; ut cognoscamus quænam prius illa erat, et quænam postea fuit, hanc volo in sanctam Ecclesiam inducere; ut per illam nos discamus quomodo debeamus ad Christum accedere; ut a peccatis abluamur. Nam quæ illa fecit, conspicua sunt disciplina eorum quæ nos semper facere debemus : et Salvatoris cum illa colloquium, peccatoribus erit consolatio. Quis enim audiens mulierem sexcentis maculis fœdatam, quia ad illum confugit, et stillas lacrymarum ferventes ad pedes ejus effudit, virginitatis meritum consequutam esse, non eumdem morem exhibeat, ut eumdem fructum decerpat? quis cogitans illius mutationem et mercedem, non idem propositum assumat, ut parem assequatur retributionem? Quid enim aliud est meretrix, quam lues et manifesta naturæ contumelia? quam publicus triumphus de sexu femineo, pernicies corporum et animarum, pestis voluptate usa, sepulcrum dealbatum, inferni os insatiabile, ornatum mortis limen, voluptuosum toxicum, impudentia audax, pudor impudens, formosum exitium, esca lasciviæ machinantis, laqueus juvenum, propriorum membrorum negotiatrix, profundum nequitiei, naufragium optatum, communis calamitas in omni peccato, petulans officina, omnis iniquitatis magistra, inimicitiæ cum Deo conciliatrix, materia gehennæ ignis æterni? Attamen quæ tot tantorumque malorum ministra fuit, quia præter consuetudinem castitatem amavit, in libris Evangeliorum scripta commemoratur. Hos evolventes, ejus historia fruamur, ut ipsa Christum audiens fructum tulit. *Rogavit Jesum quidam Pharisæorum, ut manducaret cum illo. Et ingressus in domum Pharisæi, discubuit* (*Luc.* 7. 36). Quis vidit regem a milite invitatum? quis vidit herum a servo nutritum? quis vidit tantam celsitudinem ad tantam humilitatem descendentem? O maximum stuporem! o divinam indulgentiam! non dixit ad vocantem Pharisæum : Tu me invitas ad prandium, qui omnes homines ad cæleste prandium invito? tu me ad prandium vocas, qui panibus quinque totum populum satiavi? tu me ad prandium vocas, qui do escam omni carni? Nihil horum dixit Servator; sed cum silentio sedens in domo Pharisæi discubuit. Sciebat enim quo prandio reficiendus esset; sciebat futurum esse ut meretrix ad se accurreret, ut salutem consequeretur; et undique circumspiciebat, venatum observans, et recumbentibus fere clamans : Ego cibum comesturus sum, quem brevi postea videbitis; ego cibum comesturus sum, nempe salutem mox adventuræ mulieris. Meus quippe cibus est hominum conversio; meus cibus servorum meorum vita; meum convivium peccatorum pœnitentia; mea voluptas damnatorum solutio; meum convivium captivorum redemptio. Hæc Servatore in lectulo suo loquente tum oculis tum habitu, *Ecce*, inquit, *mulier in civitate, quæ erat peccatrix.* Secundum scopum cælestis Regis venatio offertur : venator paratus recubuerat, et ad illum præda festinabat. *Et ecce mulier in civitate, quæ erat peccatrix :* duæ graves nequitiæ notæ. Dic nobis, evangelista, nomen ejus, scribe mulieris nomen, discamus quomodo appellaretur. Appellationem habuit ipsum peccatum, et nomen ex malo opere. Hæc videns quod Jesus recumberet in domo Pharisæi, in seipsa dixit : Intus est Christus, benignitatis scaturigo, fons miserationis : intus est Christus, qui verbo sanat, et voce curat : intus est Christus, qui ab angelis celebratur, et cum hominibus vitam agit quasi unus eorum : intus est Christus, qui cum Patre sedet, et Pharisæi contubernalis est : intus est Christus, qui divinitate omnes alit, et humanitate alitur : intus est Christus, qui Pharisaicam mensam tolerat, quique omnem mensam replet bonis; et omnino dignatus est in tabernaculum Pharisæi intrare, omnino passus est impeccabilis cum peccatore convivari. Circa mala mea bona spe repleor : nam qui circa Pharisæum talis apparuit, utique erga me mitis et benignus erit.

2. Inveni, ut cupiebam, commune propitiatorium; inveni eum, qui se quærentes invenit; inveni eum, qui se desiderantes quærit; inveni eum qui accurrit accurrentibus, occurrit accedentibus ad se; inveni et tempus et locum mihi opportunum. Ingredior ad purum fontem, quæ voluptate quasi luto sum fœdata; ne sordidata maneam coram tali fonte; gratis meipsam abluam; id enim ipse fons optat. Ingrediar ad æternam lucem, quæ etiam diebus ut noctibus usa sum : videam cæleste lumen in lumine : ingrediar ad solem justitiæ, quæ iniquitatis caliginem induco. Quis enim in luce versans non est lucis particeps? Ingrediar ad Regem cælorum, qui propter me ad me venit, et hanc domum occupat, atque jamdiu, ut videtur, adventum meum exspectat : ingrediar ad cælestem medicum, quæ apud omnes desperata habeor : ingrediar ad cælestem medicum, quæ in sanitate ægroto. Me sic affectam videns, potest morbis meis remedium apponere,

(*a*) Hæc ad Catechumenos spectant.

quod dolorem omnem lenire valeat. Ostendam scienti vulnera, et remedium accipiam. Ingrediar ad solam vitam, quæ per improbam vitam a vita me segregavi : ingrediar ad benignum Judicem, quæ damnata sum. Ante resurrectionem ex mortuis solvam debita ; ante judicium tremendum, judicium effugiam ; antequam ad horrendum tribunal sistar, castigationi me subducam ; antequam videam Christum judicii proferentem, videbo illum humaniter loquentem ; antequam timeam punientem, blandiar præsenti. Non prima sum quæ illum alloqui audeo : jam alia, ut audivi, mulier Samaritana, quæ legem violarat, in fonte fontem illum adiit, et Dei cognitione imbuta discessit : et rursum alia mulier Chananæa genere, maledicti et servilis seminis liber surculus, ubi illum adiit supplicans contra dæmonem qui filiam suam unicam opprimebat, reversa est, accepta contra dæmonem potestate, et mater filiæ medici loco fuit, ac dæmon ille immanis et barbarus non ausus est ultra ad puellam accedere, vocis Christi mandatum metuens. Hanc itaque imitabor, et accedam ad eum qui omnia largitur, omnia potest et libenter agit : consueta impudentia utar ad meam utilitatem : adstabo Servatori convivanti non vocata,** ac si forma apud multos convivantium hanc mihi licentiam inderet : solvam comas, miseriam meam deplorabo : laxabo multiplicia retia, ut capiam eum, qui misericordiam affatim largitur : bene semel flebo, quæ plerumque male risi ; flebo jam apud benignum Judicem, ne in extremis fleam inutiliter : nunc parum lugebo, ne tunc multum lugeam : rigabo lacrymis Christi pedes, ut verbis ille iniquitates meas abluat : abstergam cincinnis lacrymas, ut quædam hinc illis sanctificatio obveniat : osculabor intemerata vestigia, quæ ipsum mare osculata sunt, ut pudicis osculis lubricorum venenum osculorum exspuam ; amplectar divina membra virginea ex virgine nata, ut meis damnatis membris, ex illis sacris membris stillam saltem justitiæ infundam. Hinc flectetur ille misericors ; miserabitur procumbentem, quam peccantem non punivit ; miserabitur genuflectentem, quam immodeste saltantem beneficiis affecit ; miserabitur ejus salutem optans, quam pereuntem inveniens mansuete tulit. Siuceras lacrymas despicere nequit ; non potest erga me is non apparere, qui revera est, nempe misericors : multum potest apud illum gemitus ex animi profundo eductus : magnam apud illum fiduciam habet pœnitentia : dicet haud dubie mihi aliquid mansuetum et mite, quod ejus divinitatem deceat. Hæc sapiens illa meditata est, hæc fidelis illa fecit. Ac femineo vestita cultu, virginis, non meretricis more, sic tegens formam suam, prius omnibus patentem quasi in theatro, et caute undique circumspiciens, ne quis meretricius cultus cum illa intraret, qui apud Dominum illam damnaret, accurrit ad Pharisæi domunculam, et stans secus pedes Domini, quæ meditata fuerat implevit. *Afferens* enim, inquit, *alabastrum unguenti, et stans secus pedes ejus retro, flens cœpit rigare pedes ejus lacrymis : et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat* (*Luc*, 7. 37. 38)? ex silentio loquens et ex taciturnitate clamans ; animo alloquens eum qui dolentes animas solet audire, licet ore non loquantur ; hanc supplicationem, ut credere est, lacrymis describens : Projecta sum sicut ovis quæ periit ; sed novi te Dominum, pastorem meum et Dominum ; volens a feris capta sum, sed ex sensu mota acerbos lupi morsus effugere conor ; sæpe libens naufragium feci, sed naufragio servata sum, præsentiam tuam ut ancoram tenens. Verum fiduciam non habeo ; fiduciæ enim expers est omnis peccator : nullam habeo defensionem ; defensione namque caret omnis peccator et iniquus : vocem non habeo ; sine voce quippe est omnis damnatus : mala conscientia os obstruit, osque meum corrupit corrupta vita mea : linguam strangulant accusatrices divitiæ, semper intra me clamantes, Claude sermonem tuum labiis ; os peccatorum ad intercessionem et lingua damnata ad supplicationem non quadrat, sermoque impurus ad petitionem non opportunus est ; tacens ea quæ ad me spectant, docco eum qui omnia novit, aspectu loquor, forma clamo, oculis iniquitates meas prædico, gemitibus annuntio te, cui soli non possum occultari ; quasi captiva cum omnibus armis meis ante te procumbo, Regem cælorum ; et omnia membra mea, per quæ contra te, imo contra me bellum gessi, tibi offero, o benigne. Miserere hujus capitis, *Quia iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum* (*Psal.* 37. 4)? miserere capillorum quos formasti, miserere oculorum, miserere hujus luti, quod tu forma ornasti, ego autem illa abusa sum ad deformitatem ; miserere imaginis tuæ, cui illusit inimicus ut voluit ; miserere statuæ tuæ, quam ut dominum non habentem traduxit adversarius tuus : suscipe lacrymas quasi in redemptionem, et ut bonus solve crimina : si velis tantum, soluta sum ; si annuas tantum, redempta sum : præcipe, et optatum assequuta sum : nam quod tu vis, efficitur, et verbum tuum est opus.

3. Libertatem accipiam ex intemeratis pedibus tuis, ut medelam ex fimbria tua furata est hæmorrhoissa : te hoc furtum probante, ego quoque posteris causa ero enarrandæ benignitatis tuæ. Dimitte me, et quæ ad me spectant futuris generationibus erunt monumentum miserationum tuarum ; dicant omnes, meretricem iniquam et damnatam aliquando ad Jesum accessisse, et ab illo justificatam fuisse : et qui id vident omnes mecum admittantur, et tua dona rapiant. Judex juste et benigne, qui ex ingenti benignitate cum damnatis conversaris, huc ad te accessi ut judicem, hic mihi veniam pronuntiato : ne triumphes de peccatis meis apud omnem creaturam, ne publices iniquitates meas in futuro tribunali, ne mittas me in ignem æternum, cujus materia combustibilis est negligentium vita. Jesu Christe, fili Virginis Mariæ, et Virginis creator, per Virginem, matrem tuam et postea adhuc Virginem, per illam sanctam me tibi restitue, et improbam probam effice. Ex muliere tu quoque natus es, ut tu solus nosti, scisque omnium infirmitatem. Hæc apud se loquente et precante fideli muliere, cum prope Servator adesset, dedit optanti ut optato frueretur, et pedes concessit illi ut iis insatiabiliter gauderet ; in lectulo sedens et illius fletu gaudens, pœnitentiæ lacrymis ut convivio exceptus, quasi esuriens sitim ejus quæ sitiebat misericordiam. Hinc Pharisæi clanculum murmurabant inter se dicentes : Quodnam hoc spectaculum novum et stupendum ? quis hanc meretricem docuit castitatem ? quis effusæ in turpes voluptates suasit ut talia sentiret ? annon hæc est civitatis nostræ insigne opprobrium ? annon hæc est mulier omnibus qui vellent semper dedititia ? annon hæc est singulis accusatrix peccati, annon hæc est castitatis inimica, et legitimorum deprædatrix connubiorum ? annon hæc est quæ blanditiis viros abripiebat ? Quomodo ergo ex tali talis effecta est ? quomodo illa risus et voluptatis amans, jam lacrymarum et luctus amans apparet ? quomodo illa insipiens et importuna, forma, oculis, habitu, curioso incessu, quæ omnibus membris suis cunctos morti desponsabat, in hunc castum habitum et modum incidit ? O inexspectatam et stupendam mutationem ! Hæc loquebantur famuli : Pharisæus vero, qui Jesum invitaverat, blasphemas pariens cogitationes intra se dicebat : *Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est* (*Luc.* 7. 30). Temere, inquit, et sine causa hic propheta esse dicitur : ego quoque cum aliis deceptus sum, hunc ut occultorum indagatorem inducens in domum meam. Nam si propheta esset, clare futura nosset ; sed cum mulierem omnibus omnino notam ignoret, quomodo scit ea quæ omnibus ignota et arcana sunt ? quomodo meretricias manus tolerat ? quomodo non illam procul repellit, quæ nihil in cor-

pore innoxium habet? quomodo non exsecratur exsecrandam, et omni turpitudine plenam? Male accipit tantam benignitatem Pharisæus, quasi ignorantiam, et indulgentiam inscitiæ nomine donat, cum ipse rei gestæ ignorantia laboraret. *Et respondens Jesus dixit ei: Habeo tibi aliquid dicere* (*Luc.* 7. 40). Novi quid dicas nihil loquens, novi quid proferas tacens, scio quid clames silens, scio quid hæc quoque mihi mente loquatur: scio quoque quot ratiocinia contra me animo fabriceris. Narrabo tibi cogitationum tuarum dicta, declarabo blasphemias tuas, publicabo sensus mentis tuæ, utpote animi tui cogitationibus insidens. Ita loqueris: *Si esset propheta, sciret utique quæ et qualis sit mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Hæc sunt mentis tuæ verba. Quomodo ergo novissem ea, quæ in profundo mentis tuæ moventur et agitantur ratiocinia, nisi Deus essem omnium Creator? Ut jam tu suspicaris ex responsione mea, scito quinam sim, qui nihil loquenti tibi respondeam: verba mentis tuæ revelo. Si essem propheta, scirem quæ et qualis sit mulier? Ecqua necessitas propheticæ illuminationis pro re nota quæ sub aspectum cadit? annon novi eam quæ prostat in foro? annon novi eam quæ omnibus manifesta est? annon novi hanc propter quam ad te veni? Scio certe quæ et qualis sit mulier: nihil quippe latet divinitatis oculum, nullus avarus, nullum facinus: scio quæ et qualis sit mulier, et quod sit peccatrix: idcirco gaudeo dum tenear ab ipsa; ut eam, quæ me pie tenet, salute donem ut Deum decet. Non ejus manibus deturpor; sed ego illam puram reddo. Sol enim a luto non obscuratur, margaritam cœnum non mutat, impeccabilem peccatum non inficit. Annon leprosum nuper tetigi, et morbus abscessit? an ideo leprosus factus sum, quod ad leprosum accesserim? Ita et nunc consueta miracula edens hanc ad sanctitatem converto, nec in ejus qualitatem mutor, dum me illius manu tangi patior. Medicus enim sum; medicus non vulnerum, non putredinis, non saniei, sed qui iis qui in anima morbis laborant salutem affero: creator sum, et creaturæ meæ parco: dominus sum, nec fero damnum ancillæ dominum amantis: pastor sum, et inventa ove mea errante jure gaudeo: portus sum, et omnes, qui ad me appellunt, recipio. *Simon habeo tibi aliquid dicere. Duo debitores erant cuidam fœneratori* (*Luc.* 7. 41). Interim in eodem cum illa ordine positus es: cur contra illam pugnas, quasi solus ascenderis in arcem virtutum? interim mihi debitor es: cur ergo illam condemnas, ac si solus sis insons? Duo debitores estis, tu et illa: fœnerator sum ego: tibi et mulierculæ hanc vitam fœneratus sum. *Unus debebat denarios quingentos, aliud quinquaginta.* Illa quingentos denarios debet, multum enim peccavit: tu quinquaginta debes; modicum enim lapsus es; attamen vitæ rationem reddere debes. *Non habentibus autem illis unde redderent, donavit utrisque* (*Id. v.* 42). Condonavi tibi delicta, huic quoque condono peccata: tu prior adventu meo frueris, hæc quoque indulgentia mea fruatur. An velles me erga te humanum, erga illam inhumanum esse? Sed non te benignitatis meæ administratorem assumam. Si tu ejus loco, illa tuo esset, vellesne illam talia de te loqui, qualia tu de illa sentis? non audisti illud: Quod nolis pati, alteri ne facias: hæc quippe est communis naturæ lex. *Quis*, dic mihi, *plus diliget eum?*

4. Respondens Simon dixit: *Æstimo quia is cui plus donavit. Dixit ei Servator, Recte judicasti* (*Id. v.* 43). Ergo in illis mane, quæ tu ipse primus judicasti. *Et conversus ad mulierem, Simoni dixit: Vides hanc mulierem* (*Ibid. v.* 44)? Ego non ultra illam meretricem voco, quæ et rem et nomen abjecit. Vides hanc mulierem, quæ non vocata ad nos accessit, quæ laudabilem impudentiam exhibuit, quæ amabilem audaciam exercuit, vitæ ad me tendentis et pietatis ducem, pœnitentiæ magistram? quæ ipso opere docet, quæ indesinenter lacrymatur, peccatorum fiduciam, misericordiæ meæ nuntiam, quæ domum tuam in ecclesiam vertit, quæ sola solum precatur, quæ hominem suspiciens, ipsi quasi Deo supplicat, quæ nec satellites, nec tribunal judiciale videns, mihi ut judici genua flectit, recumbentem adorat. Vides hanc mulierem, infatigabilem, bonorum operatricem, quæ per cincinnos et lacrymas suas immortalitatis sibi amictum texit, quæ per omnia membra sua pro se orat, insatiabilem in iis, quæ videre non oportebat, magis insatiabilem in iis, in quibus immoderatio beata prædicatur? Perpende gesta tua, et ejus acta considera, et mecum coronabis eam quæ seipsam coronavit. Si tu pietatem ejus et facta non miraris, misericordiam meam reprehende. *Intravi in domum tuam* ego Christus, qui et supra et infra et ubique et hic sum, ut tu vides, atque adventu meo et te et domum tuam honoravi; *et aquam pedibus meis non dedisti.* Tu quod in promptu et facile et nullius pretii erat pedibus meis non infudisti: *Hæc vero*, quæ a te probro afficitur, *lacrymis rigavit pedes meos*, quos nec maris aquæ et fluctus madefecerunt. Vides novam irrigationem pedibus meis infusam: vides pluviam stupendam, non ex nubibus demissam, sed mulieris oculis partam. Quis fons tot fluentis manat, quot illa lacrymis? quis fons qui tot pariat stillas? Ipsa lacrymis rigavit pedes meos, et capillis capitis sui tersit, et novum linteum cincinnis suis paravit, et stupendum pedum meorum peniculum ex cincinnis suis fecit. *Osculum mihi non dedisti* (*Luc. v.* 45); labia tua labiis meis jungere non dignatus es; *hæc vero, ex quo ingressa est, non cessavit osculari pedes meos.* O æquabilem assiduitatem! o divina oscula! o spiritualia oscula, quæ pristinos complexus purgarunt! *Oleo caput meum non unxisti* (*Id. v.* 46); nobiliorem corporis partem non madefecisti oleo simplici; *hæc vero unguento unxit pedes meos.* Quid ergo tibi videtur? an aversabor eam quæ mihi talia munera attulit? excutiamne dona mihi cara? annon revereär talem et tantum affectum? annon revereär fidem cælo superiorem? an despiciam tot tantaque bona? contemnam miserabiles gemitus? At non sum ita natus. Contemnam lacrymarum fontes? At nequeo. Contemnam lacrymis oppletam formam? Ex sola benignitate formam servi accepi. An negabo me ipsum propter te? odio habebo eam quæ sic me sincere amavit? rejiciamne eam, quæ sic pedes meos complectitur? expellam supplicem quæ sperabat non consequutam? implebo diaboli voluntatem? largiar inimico venatum? mittam rursus columbam meam ad accipitrem? non miserabor eam quæ nihil aliud dicit, quam miserere mei? non miserabor eam quæ sic a diabolo fugit, et ad me confugit? Cur ergo descendi de cælis? cur hoc visibili amicior corpore? cur in domum tuam ingressus sum? si illam quæ adest et vult venatu capi, rejecturus eram, cur locum capturæ petii? Sed, *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* (*Matth.* 9. 13) Ideo dico tibi: *Remittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum. Qui vero minus diligit, minus diligetur* (*Luc.* 7. 47). His Pharisæum alloquutus Christus, mulierem prostratam benigno aspectu et miti affatu dignatus est; atque ad eam quæ sese occultabat et procabatur, paulum se inclinans, optatam illi sententiam protulit, qua ipsi peccata remittebat: *Remittuntur tibi peccata.* Accipe demum, o mulier, supplicem libellum obsignatum, accipe fidei mercedem, accipe obsequentiæ præmia, accipe pietatis munera, accipe pœnitentiæ coronam, accipe amarorum genituum dulcissimum fructum, accipe tristis seminis jucundissimam messem. Seminasti in lacrymis, in exsultatione mete. *Remittuntur peccata tua.* Fracti sunt improbæ vitæ funiculi, solutæ sunt nequitiæ catenæ, liberata es a criminibus et a rationibus reddendis, effugisti inextinguibilem ignis fornacem, paucis lacrymis tantam flammam exstinxisti, calcasti inimici maligni caput, præclare vicisti adversarium.

5. Confide filia: *Deus qui justificat, quis est qui*

condemnet? Ego judex sum remissionis sponsor, quis alius judicium meum subvertet? ego judex solvo, quis alius damnabit? Confide, filia : tecum reputa quam repente exaltata sis : quomodo ut damnata veneris, et a damnatione liberari dignata sis, ac mea Regis cælorum filia facta sis. Venisti ut vulnerata remedium acceptura, et regiam, ut regina, coronam retulisti. Regenerata es sine vulva, reformata es a figulo sine luto, conflata es sine igne, baptizata es sine piscina. Tu tibi ipsi lacrymis piscinam parasti : verbum meum baptisma tuum fuit, verbum meum fuit illuminatio vultus tui. Confide, filia, *Fides tua te salvam fecit* (*Luc. v.* 50). Ut credidisti, hausisti ; ut desiderasti, accepisti, ut voluisti, regnasti ; corpore te inclinasti, et tota luce plena fuisti. *Fides tua te salvam fecit.* Fides enim initium est salutis, fides immortalitatis prœmium, fides Dei cognitionis purus oculus, fides invisibilia videt. *Fides tua te salvam fecit.* Utinam Judæi fidem tuam imitati fuissent ; utinam gentiles sententiam tuam æmulati fuissent ; utinam omnes homines credere discant, ut tu credidisti. *Vade in pace.* Nam si volueris, me semper tecum habebis ; si ita casta maneas, numquam a mente tua discedam ; si hanc puritatem sine macula servaveris, semper tecum manebo ; si sponsa virgo perseveraveris, ero tibi sponsus virgo, sponsus incorruptionis custos ; si nuptialia pignora inter nos hodie admissa non violaveris, habitare tecum non cessabo ; si non fornicata fueris, non ejiciam te a familiaritate mea ; si cogitatione mœchum non induxeris, ut proeus cælestis cælestia tibi dona conferam ; si conscientiam tuam erga me sine vulnere servaveris, mea semper frueris benevolentia. *Vade in pace.* Recordare hujus diei, in qua libertate donata es ; recordare harum, quas bene fudisti, lacrymarum, queis tantam lætitiam adepta es ; recordare hujus pœnitentiæ, per quam filiæ dignitatem invenisti. *Vade in pace.* Reconciliatus tibi sum, qui ante diu infensus tibi fui ob peccata tua. Ne bonam pacem pravis operibus solvas ; ne ultra per membra tua bellum contra me geras ; ne rursum comas nectas ut satanas ; ne dealbes vultum tuum ut parietem ; ne ultra cures ornatum superfluum et perniciosum ; ne offeras quasi in foro vultum tuum negotiatoribus turpium voluptatum : ne immittas quasi venator oculos tuos in eos qui libenter capiuntur : ne utaris labiis ut telis in eos qui sponte vulnerantur : ne os tuum in mortem vertas : ne impuris complexibus manus tuas condemnes : ne turpi cursu pedes damnes : ne cursum bonum malo cursu subvertas : ne dispergas castitatis margaritas, quas sine labore elegisti : ne sis rursum corruptionis officina, ne recurras ad pristinam fraudem, ne priorem scenam resumas : ne male rursum ædifices quæ bene destruxisti : ne admittas consiliarium serpentem, ut ne spolieris ut Eva : ne pro voluptate relinquas fidei fontem, ut ne multiformis draco virus suum in te injiciat : ne dormias voluptuoso somno, ut ne contra te justam iram meam concites : ne post unguentum tantum cœnum tibi infundas : ne rursum efficiaris id quod prius eras. Semel purgata es, semel conflata es : remane castitatis imago nova, ne igne rursum confleris. *Vade in pace :* nuntia occurrentibus quam bonus, quam clemens sim : ignorantibus ostende eum, qui sordes tuas abstersit. Esto demum sagena vitæ. Hactenus juvenes ad perniciem cepisti ; abhinc omnes homines ad salutem piscare : clama ante Paulum, utpote quæ ante Paulum sagena capta fueris : *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus : quod Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum* (1. *Tim.* 1. 15). Hujus pœnitentiam æmulemur omnes, ut parem fiduciam nanciscamur. Solvamus iniquitates, ut illa comam : tales fundamus lacrymas, ut talia pharmaca accipiamus : sic diligamus Dominum, ut sic diligamur ab illo : manibus fidei teneamus illum, qui libenter sic tenetur : et numquam relinquamus eum, donec reipsa dicat etiam nobis : Remittuntur vobis peccata vestra. Confidite, filii, fides vestra vos salvos fecit : ac fidem illius in nostris mentibus inscribamus, gloriam referentes Patri et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

IN TRIDUANAM RESURRECTIONEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Surrexit tertia die Dominus noster Jesus Christus, vitam dans mundo : et ecce quidam ex custodia venientes ad Judæos, dixerunt : Surrexit a mortuis Jesus, qui dicitur Christus. Et dicunt improbi Judæi militibus : Cur non tenuistis eum ? Respondent milites : Vos qui tenuistis eum, quod lucrum tulistis, nisi damnum animarum vestrarum ? Ille enim dixit : Oportet me mori, et tertia die resurgere (*Marc.* 8. 31) : et hæc implevit, cum gloria multa a mortuis resurgens. Dicunt ingrati Judæi : Vos pecunias accepistis a discipulis ejus, et corpus ejus tradidistis. Reponunt milites : Tantæne vos estis incredulitatis, o iniqui ? illi non credidistis dicenti, Oportet me mori, et tertia die resurgere. Væ autem vobis, Judæi, quia nunc venit, et non credidistis ei, qui ideo venit, ut omnis Scriptura de illo impleretur : in secundo autem ejus adventu quid facietis, o iniqui ? Quomodo autem potuimus illum tenere, qui ex timore gloriæ ejus mortui eramus ? Nam cum resurrexit, locus a fundamentis tremuit : ejus divinum monumentum angelorum exercitus circumdabant : et accedens angelorum unus revolvit lapidem ab ostio monumenti : et ecce egressus est Jesus tamquam sponsus de thalamo, et quasi fulgur resplendens. Et audivimus angelum dicentem mulieribus : Nolite timere vos : ite, dicite discipulis ejus, quod surrexit a mortuis, et ecce præcedet vos in Galilæam : ibi eum videbitis. Ecce igitur in Galilæa est. Si potestis, ite et comprehendite eum. Veritatem certe diximus vobis, quam ab angelo accepimus. His auditis Judæi, ex metu et consternatione quasi mortui facti sunt ; et se mutuo respicientes, argenteos multos militibus dederunt, ipsosque his verbis rogarunt : Dicite discipulos ejus noctu venisse, ipsumque furatos esse, vobis dormientibus. Et si hoc præses audierit, id nos illi suadebimus, et vos in tuto eritis. O iniqui Judæi ! toti mundo quis id suadeat ? Væ vobis miseris, quia consilium malum iniistis, quia filii vocati, et canes effecti estis ! væ vobis duris cervice et incircumcisis, quia cum populus Domini electus essetis, lupi facti estis, et dentes acuistis contra agnum Dei, a gloriaque ejus extranei facti estis ! væ vobis ingratis, quia dilexistis infernum et ignem æternum ! Infernus enim postquam egressi sunt ii qui in thesauris ejus positi erant, vos pro illis excipit dicens : Num quiescet Hebræorum quispiam, qui in Dominum manus extenderunt, et me captivum fecerunt ? Nisi enim illi mala contra Dominum machinati fuissent, non talia ego passus essem. Cum excipiam eos, detrudam in infimas partes meas, ubi est pater eorum diabolus inclusus in ignem æternum, et immortali vermi traditus ; ut discant non arma sumere contra Dominum gloriæ, neque loqui contra Deum iniquitatem, neque extollere in altum superbiæ cornu. Væ vobis miseris Judæis, quia relicta luce, tenebras dilexistis. De vobis enim dixit Isaias propheta : *Væ iis qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem ; qui dicunt amarum dulce, et dulce amarum* (*Isai.* 5. 20). Væ vobis miseris Judæis, cum videritis lignum, in quo Dominum crucifixistis, a mundo adoratum, et in die resurrectionis atque in die secundi sui adventus venientem Dominum in nubibus cæli, angelis stipatum, vosque dam-

naturum. Væ vobis miseris Judæis, quia consilium malum iniistis occidendi immortalem. Ipse vero vivit in sæcula, et vos in incredulitate moriemini, nec beato Paulo credidistis dicenti : *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum* (*Gal.* 3. 13). At nos relictis illis male sentientibus et incredulis Judæis, veniamus ad lucem solis justitiæ, et resurrectionem Domini cum gaudio excipiamus. Resurrexit ergo a mortuis Dominus noster Jesus Christus, et occurrerunt ei duæ mulieres, nempe Maria Magdalene et altera Maria, quæ est mater Jesu, et adoraverunt eum. Quid ergo ille? *Nolite timere*, inquit, *sed ite, dicite fratribus meis et Petro, ut eant in Galilæam, et ibi me videbunt* (*Matth.* 28. 10). Hæ igitur mulieres primum *Ave* ab illo acceperunt, et festinarunt ut apostolis ejus resurrectionem prædicarent, et ad propria reverterunt, cum gaudium accepissent a Domino omnis creaturæ. Maria vero Magdalene rursum ad monumentum venit, et cum non invenisset eum, rursus vocem angelicam audivit, eademque dicentem Dominum, quod nempe præcederet eos in Galilæam ; et conversa vidit Dominum loquentem sibi. Existimans autem ipsum esse hortulanum, interrogabat, num sciret ubi Dominus positus esset. Jesus vero dicit ei, Maria, quid ploras? quem quæris? Desine, inquit, lacrymari, assumpto gaudio. Ubi gaudium est, aufugit lacrymarum mœstitia : ubi gaudium est, fugit luctus et tristitia : ubi gaudium, mœror nullus est : ubi gaudium, ibi lætitiæ symbola. Ego sum filius Virginis, ego sum Jesus victor inferni, ego sum qui vici mundum, ego qui spoliavi infernum : ego sum Jesus qui mortuis resurrectionis spem nuntio, ego sum qui sponte crucem pro mundi salute sustinui, ego sum Jesus qui triduanus a mortuis resurrexi, ut prædixeram, et *Ave* vobis dixi. *Cælum et terra transibunt : verba autem mea non transibunt* (*Matth.* 24. 35). Ego sum Jesus, qui baptizatos induo. Propter me Paulus clamavit : *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* 3. 27). Ego sum Jesus illuminatorum pronubus, ego sum Jesus sponsus ecclesiæ, ego sum Jesus largitor pacis, et lætitiæ dator. Desinite lacrymari, et gaudio induimini ; desinite lugere, et apostolis nuntiate. Hæc est dies in qua abstulit lacrymam ab omni vultu ; hæc dies victoriæ de morte reportatæ ; hæc vita est iis qui sunt in inferno ; hæc est dies in qua primogenitus mortuorum surrexit, et gaudium mundo præbuit ; hæc dies in qua Petro et reliquis apostolis per vos meam resurrectionem nuntiabo. *Euntes dicite* fratribus meis et Petro : *Resurrexit a mortuis, et ecce præcedet vos in Galilæam ; ibi eum videbitis* (*Matth.* 28. 7). Viden' commiserationem Domini? Nullum discipulorum nominavit, nisi Petrum. Cur, Domine, hunc solum nominasti? Quare? audi cur illum solum nominaverim. Quia reliqui non dixerunt : Si oportuerit nos mori tecum, te non negabimus : hic vero qui hoc dixerat, ter me negavit, et resipiscens flevit amare. Futurum igitur erat ut metueret in conspectum meum venire, putans non remissum sibi esse peccatum. Ideo dixi, *Et Petro*, ut sine metu cum reliquis discipulis accederet. Et videbitis me. Dicite Petro ne omnino timeat. Non minui te, nec te removi a choro apostolorum. Etsi Joannem diligo, et ipsi, utpote casto, in cruce matrem meam commendavi ; at tibi dedi claves regni cælorum. Ne metuas ergo ad me venire : nam *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis* (*Id.* 16. 19). Ne timeas, Petre, non abstuli tibi primam sedem inter condiscipulos tuos ; quod enim promisi tibi, id implebo. Nam super petram fidei tuæ ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Tu pasces oves meas et agnos meos : tu stabis a dextris meis ut dux exercitus. Ne timeas, etiamsi negaveris me : vidi lacrymas tuas, et dimisi tibi peccatum. Bonum fuisset et Judæ, qui me tradidit, si pœnitentiam egisset, et non se strangulasset : Deus enim sum pœnitentium. Ideo descendi in terram, ut pœnitentiam mundo largirer. Publicanis et meretricibus tot peccata remisi, et tibi unum non remittam? Ego pœnitentes amo. Recordare me lacrymatum esse de Juda, nec voluisse ut periret. Bonum erat ei, cum argenteos projecit in templo, si pœnitentiam egisset, nec se suspendisset : sed quia sine pœnitentia mansit, ideo æternum cruciabitur. Tu vero ne timeas : vidi enim lacrymas tuas, et dimisi tibi peccata. Davidi, qui duo scelera admiserat, adulterium et cædem, veniam concessi, et in pristinum prophetiæ ordinem reduxi, et tibi qui reliquisti omnia quæ habebas, unum peccatum non remittam? Petre, ego sum qui dixi : *Gaudium est in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* 15. 7) : ego sum qui dixi : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis : et ego reficiam vos* (*Matth.* 11. 28). Bonum fuisset Judæ, si ad me conversus fuisset, nec se laqueo strangulasset ac periisset : illius certe peccatum cruci affixissem. Sibi ergo ille in causa fuit. Sed neque maledixi ei ; imo illius, ut aliorum pedes lavi ; panem ipsi et calicem præbui, neque illum incusavi : exspectans num forte veniret ad pœnitentiam ; sed noluit ad peccati sui agnitionem accedere. Tu vero qui pœnitentiam egisti, ne timeas in conspectum meum venire cum condiscipulis tuis : tantum abest ut te minorem fecerim, ut etiam umbra tua sola ægros sanet. Et perpende Dei benignitatem, quomodo per has mulieres apostolis nuntiet, ac sexum per Evæ inobedientiam dehonestatum in honorem et bonam spem reducat. Videtis quanto honore dignatæ sint mulieres ob assiduitatem. Harum imitemur studium et viri et mulieres, et pro virili resurrectionis diem colamus : atque ut illæ pernoctantes manserunt usque ad tempus resurrectionis, et nos permaneamus, non unguenta et aromata sensilia ferentes, sed ex bonis operibus et optima vita bonum odorem emittentes, preces assiduas, confessionem peccatorum. Ut enim illæ patientiæ mercedem acceperunt, cum ante alios omnes ipsum post resurrectionem videre dignatæ sunt, ejusque pedes tenuerunt ipsumque adorarunt : sic cuique nostrum licet, si velimus, non modo pedes tenere, sed etiam ipsum totum accipere ; si modo purgemus ante mentem nostram ab omni sæculari cogitatione, et sordes peccatorum abluamus per lacrymas et per eleemosynam ; et sic cum timore ac tremore in illa maxima hora accedamus ad mensam illam tremendam, omni depulso a mente nostra tumultu, et pacem cum omnibus servantes, sic accedamus ad divina mysteria. Nemo itaque cum accedit, malas intus admittat cogitationes, nec dolos contra proximum : nemo malignus, vel fornicator, vel conviciator, vel fratrum osor : nemo pecuniæ amans, vel adulter, vel ebriosus, vel avarus, vel masculorum concubitor ; nemo invidus, vel rapax, vel insidiosus, ne condemnationem sibi attrahat. Rogo itaque vos omnes, multam dilectionem, pietatem plurimam et magnam compunctionem adhibeatis, ut copiosam referatis mercedem : utque possimus non modo pedes et manus tenere, sed etiam caput ipsum per participationem tremendorum ineffabiliumque mysteriorum ; si modo cum pura conscientia intemerata illa mysteria sumamus. Neque hic tantum pure vitam agemus, sed etiam in illa die poterimus ipsum videre cum gloria illa ineffabili, et cum angelorum cœtu venientem ; si tamen velimus esse mites et fratrum amantes : neque modo videbimus eum, sed etiam templum ejus erimus, ut dixit Dominus : *Inhabitabo in illis et inambulabo, et ero illorum Deus* (*Lev.* 26. 12). Nec tantum ab illo audiemus, *Avete*, ut ille mulieribus dixit ; sed etiam verba regno digna : *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* 25. 34). Quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

IN CHRISTI NATALEM DIEM.

Sol justitiæ ortus est hodie, et eum qui prius ortus erat obtexit : redemptus sum a tenebris, nec fero radios : nata mihi rursus lux est, et obscuritatem metus affert : de partu exsulto, et de moribus perturbor : novum fontem manantem video, et veterem plagam fugientem : infantem vidi natum, et cælum inclinatum ad illum adorandum : matrem parientem, nec vulvam aperientem, puerumque obsignantem ortum suum : genitorem non virum et filium sine patre : servatorem natum qui stellam creat ; infantem pannis involutum et immensam terram gestantem : præsepe efformatum in thronum cæiestem, et animalia pro cherubinis adstantia : luminare apparens quod nuntiet miraculum : angelos prænuntiantes, et pastores prophetantes ; magos theologice loquentes, et sacerdotes cum Deo pugnantes ; Herodem cadentem, et mortem lugentem ; Adamum solutum, et Evam gaudentem, et serpentem lugentem ; captivos solutos, et tyrannos supplicio affectos : puerum lactantem, qui nutrit se nutrientem ; qui manibus gestatur et se gestantem portat : creaturam illum agnoscentem, et naturam tia entem. Quamobrem et ego miraculo percellor, mysteriumque metuo tremens. Cum fiducia Gabrielem adibo, et metum meum fugabo. Ejus ad Mariam verba miracula explicant. Quænam illa? Dicit, *Ave gratia plena* (*Luc.* 1. 28), cælestis spicæ arvum quod non metitur : ave gratia plena, veræ vineæ non fallax mater virgo : ave gratia plena, immutabilis divinitatis sagena quæ non cadit. Ave gratia plena, naturæ, quæ loco capi nequit, locus spatiosus. Ave gratia plena, viduati mundi sponsa, partus incorruptus. Ave gratia plena, quæ creaturæ texuisti coronam non manu factam. Ave gratia plena, ignis sacrum domicilium. Ave gratia plena, fugitivi orbis regressio : ave gratia plena, esurientis creaturæ horreum quod consumi nequit. Ave gratia plena, gratia interminabilis sanctæ virginis. Ave gratia plena, multis virtutibus ornata lucernam gestans, inextinguibilem et sole clariorem lucem : ave gratia plena, spiritualis hami esca : ave gratia plena, spiritualis gloriæ arca : ave gratia plena, urna aurea quæ cæleste manna continet : ave gratia plena, quæ dulci potu perennis fontis sitientes replet : ave gratia plena, spirituale mare, quod cælestem habet margaritam Christum : ave gratia plena, splendidum cælum, quæ illum quia cælis capi nequit in se habet Deum, et qui non angusto loco capitur : ave gratia plena, columna nubis quæ Deum continet. Israelis in deserto ducem. Quid dicam, et quid loquar? quomodo beatam prædicabo illam sic radicatam gloriam? Quod, Deo excepto, omnibus superior es? Illa vero turbata est in sermone, et oculos avertens, corpore stat, crucis spectaculum figurans, dubiis pedibus adstitit angelo, neque fugere neque stare ausa. Videns incorporeum stantem ut hominem, manere metuebat, virginitatem honorans : interrogare non audebat sibi dissimilem : eratque virginis vultus... metu pavidus : dicebatque intra se : Qualis fuerit hæc salutatio? quis salutat me? Fulget magis quam sol, et lutum alloquitur : de cælo descendit, et virginem salutat : non amictus est corpore, et mulieri adstat, alis quasi pedibus ambulat in terra. Quid quærit ab illa quæ de terra est? angelus mihi apparet, et ut homo loquitur : ex incorporeis sanctis vox mihi profertur : luminari lucidiore ornatur vultu : tunica indutus est : juvenem video carne non circumdatum, pavimentum calcantem, et vestigium non imprimentem : qui linguam non habet, et, *Ave*, mihi clamat : labia non movet, et, *Ave*, prophetæ more dicit. Nescio quid cogitem de tam tremenda visione. Si missum non cognosco, quomodo cognoscam mittentem? si nuntius terribilis, qui nuntiatur terribilior : si ita fulgens mentem meam obscuravit, quo corpore tegam justitiæ solem? si creatura me terret, quomodo feram creatorem? si servum formido, quo pacto Dominum pariam? Dixit autem ei angelus, *Ne timeas, Maria.* Non supplantaris ut Eva : ex illa mors, ex te vita immortalis ; ex illa fructus mortem ferens, ex te fructus vivificans ; ex illa seductio, ex te dilectio ; ex illa separatio hominum a Deo, ex te Dei et carnis complexus inenarrabilis ; ex illa tenebrosus somnus inferni, ex te lucerna fulgida mundi ; ex illa maledictio, ex te benedictio ; ex illa damnatio, ex te remissio ; ex illa tribulatio, ex te fides ; ex illa lacrymæ, ex te flumina aquæ viventis ; ex illa sudores, ex te requies ; ex illa vetus plaga, ex te Trinitatis vita ; ex illa odium fratrum, ex te benignitas ; ex illa diluvium, ex te lavacrum immortalitatis ; ex illa homicidæ, ex te regeneratio ; ex illa viventium cædes, ex te a mortuis resurrectio ; ex illa duodecim tribus invisæ, ex te duodecim apostoli caritate conjuncti ; ex illa mors orbem pervadens, ex te mors impingens cadet ; ex illa lapsus, ex te resurrectio. *Ne timeas Maria : invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero* eum, qui in Patre est et in carne ; *et paries filium* Adamo antiquiorem ; paries filium me antiquiorem, paries filium cælo excelsiorem, paries filium Cherubinis superiorem, paries filium sæculorum creatorem, paries filium sine principio cum Patre, paries filium coæternum Spiritui, paries filium cujus sunt omnia, paries filium quem nos non conspicimus, paries filium cujus forma me latet, paries filium cui tremens adsto. Et impleti sunt dies pariendi, et peperit filium suum primogenitum, quem non plantavit vir ; peperit filium suum, quem non gestavit pater, peperit spicam, quam nullum corpus seminavit, peperit Creatorem factum hominem, peperit eum in spelunca, qui in Perside apparuit. Nam *Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ, ecce magi ab oriente venerunt Jerosolymam dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum* (*Matth.* 2. 1. 2)? Ubi est qui non satus natus est, qui ante se suam misit stellam? ubi est is qui per stupendum radium nos trahit ad lucem quam ignorabamus? ubi est qui immensa palma orbem tegit? ubi est qui ubique apparet, et in carne occultatur? ubi est qui solvit nos ab errore, et nos ducit ad gratiam? ubi est qui apparuit sub quercu in trinitate angelorum? ubi est qui nec rubum combussit, nec matrem corrupit? ubi est qui ut est ex Patre non videtur, et a matre tenetur? ubi est qui Rubrum mare exsiccavit, et lacte potatur? ubi est qui percussit Pharaonem, et ab Herode se occultat? ubi est qui draconem demersit, et in cunabulis jacet? ubi est quem non viderunt archangeli, et vident homines? *Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer : et adorantes obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. Et responso accepto ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam* (*Matth.* 2. 9-12). Natum autem Christum Deum nostrum hymnis celebremus et glorificemus, cum Patre suo et sancto Spiritu, nunc et semper, in sæcula. Amen,

IN ILLUD, ASCENDIT DOMINUS IN TEMPLUM MEDIANTE FESTO (*Joan.* 7. 14), ET DE MELCHISEDEC, IN MEDIA PENTECOSTE.

Mala punica, pomum, dactylus et reliqui arborum fructus corporeum guttur suavitate afficiunt; divini vero sermones sanctorum doctorum dilectione temperati, ad auditum doctrinæ missi, animæ guttur delectant. Ac sicut is qui fructus ex arboribus decerpsit, dum illos degustat, arbores ipsas laudat: ita qui divina doctorum eloquia auribus decerpsit, in mentem remisit, sermonisque suavitatem degustavit, doctori laudes e labiis emittens dicit, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo* (*Psal.* 118. 103)! Sapientissimusque Salomon pulchros sermones favo mellis sic comparat: *Favum mellis eloquia pulchra* (*Prov.* 16. 14). Ut enim guttur dum cibos degustat, suaves ab insipidis discernere novit: ita et mens bona verba a malis scit distinguere, ut dicitur in Jobo: *Guttur cibos degustat, mens autem verba discernit* (*Job.* 12. 11). Et nemo putet, dum paterfamilias in horto suo habet diversas arbores, palmas, malos, oleas; Dominum in horto Ecclesiæ non habere diversos patrum frutices, qui singuli secundum propriam suavitatem ex profundo cordis degustandos fructus proferunt. Ex illis enim alius est quasi olea florida, foliis fidei comans, et pietatis operibus fructificans: alius quasi palma ramis suis ob reportatam de diabolo victoriam coronata, et dulcissimum liberalitatis fructum pauperibus erogans: de quo dicit Scriptura, *Justus ut palma florebit* (*Psal.* 91. 13). Alius quasi malus duas hominibus præbet delectationes, odorem nempe et in faucibus suavitatem: quem in Canticis Canticorum laudans sponsa Ecclesia quid dicit? *Sicut malus in lignis silvæ, sic dilectus meus in medio filiorum Israel;* aitque, *In umbra ejus libens sedi, et fructus ejus dulcis gutturi* (*Cant.* 2. 3). Quid vero faciam, dilecti, ego, qui et folia pauca et fructus modicos habeo, qui nec adustos refrigerare, nec esurientes fructibus sermonum alere possum? Optandum enim mihi esset, ut vobiscum sanctorum patrum doctrinam ediscerem. Sed quia timor Dei et desiderium vestrum ad dicendum nos incitat, exceptis ex dulcissimo Evangelio duobus tribusve locis, quasi palmarum fructibus, iisque degustatis vos excitemus: sic enim alacriter et ferventi spiritu ad fructuosas sanctorum patrum arbores festinabitis. Modo audivimus evangelistam dicentem: *Mediante festo ascendit Jesus in templum, et docebat.* Non præterivit Evangelii verbum, quia adest solemnitatis tempus: his quæ nunc aguntur competit evangelii lectio, diei congruens est enarratio: vis enim hujus loci est quasi soror præsentis festi. *Mediante festo ingressus est Jesus in templum.* Post festum autem non ultra ascendit in templum, sed in cælum ascendit. *Mediante autem festo ascendit Jesus in templum.* Festum dicit diem, non talem qualis apud gentiles et Judæos celebratur, ubi ebrietas, comessationes, cantica meretricia, illecebræ vocum, saltationes variæ; sed festum sacrum Christianos decens, ubi non ebrietas et comessationes, sed preces, hymni, supplicationes; ubi non meretricia cantica, quæ corpus resolvunt, sed cantica divina, quæ animas roborant; ubi non saltationes variæ, sed animarum sanctarum cum lætitia exsultationes. Si vis scire qui sint apud nos cantores et saltatores, vide mihi Isaiam canentem et dicentem: *Cantabo dilecto canticum dilecti mei, vineæ meæ* (*Isai.* 5. 1). Vide etiam chorum sanctarum mulierum, Mariam sororem Moysis, quæ cum aliis mulieribus Israelitis triumphales hymnos Deo canunt et dicunt: *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est* (*Exod.* 15. 1). Cujus meminit David dicens: *In medio juvenculatarum tympanistriarum in ecclesiis benedicite Dominum* (*Psal.* 67. 26. 27). Ipseque beatus David non erubescit ante deiferam arcam saltare, ut audire potes dicentem: *Et ludam, et ridebo, et saltabo in conspectu Domini* (2. *Reg.* 6. 22). Infans enim Elisabetæ Joannes, ut vidit deiferam uvam, in vulva viri experte adhuc occultatam, in uteri claustro choreas agens exsultabat. *Mediante autem festo Jesus ascendit in templum.* Templum vero est Dei solius habitaculum. Dicunt enim etiam gentiles, Templum habemus, ignorantes illud non esse templum, sed locum exsecrandum. Ubi enim sanguinis effusio, libamina, nidor idolicus, dæmonum initiationes, ibi non templum, sed dæmonum locus exsecrandus est. *Mediante autem festo ascendit Jesus in templum.* Templum est soli Deo dicatum domicilium, ubi dilectio et pax, ubi fides et castitas habitant. Ideo sacerdotem, qui sacra Deo facit, pacificum esse oportet, tranquillum, non furacem, sine dolo, pecuniæ non amantem; ut primo Deus in ejus anima recte stabiliatur, deindeque populum ad ejus imaginem transformet. Potest templum vocari quælibet fidelis hominis anima purgata: *Habitabo enim in vobis, et inambulabo* (*Levit.* 26. 12): templum autem vere sanctum, victima et sacerdos, ipse Christus est: in quo, secundum divinum apostolum, *Omnis plenitudo divinitatis inhabitat corporaliter* (*Col.* 2. 9): cui dixit Pater: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec* (*Psal.* 109. 4). Nunc ex inexspectato lapsus in maximam quæstionem, quo oculos mentis declinem dubito, quo gubernaculum doctrinæ admoveam ignoro. Nam si apostolus, in Melchisedeci mentionem incidens, de illa re minutatim disserere vix ausus est dicens, *De quo nobis grandis sermo et explicatu difficilis* (*Hebr.* 5. 11): quid dixerim ego qui tantum inferior sum apostolo, quamtum quivis dijudicare potest? Ac sicut viator donec planam et æquam viam emetitur, suaviter incedit; cum autem in locum quempiam asperrimum et salebrosum pervenerit, ubi mons est præaltus, gradum reprimens et ascensus laborem secum reputans, lentiore incedere gradu incipit, ne cito deficiat: ita et nos quamdiu planam et facilem Evangelii seriem tractavimus, suavi sermonis gressu processimus; cum vero pervenimus ad sententiam sublimiorem, lentius per cælestem scalam ascendere explicando incipimus. Quænam est autem illa apud omnes Christianos suborta quæstio? Cur, inquiunt, apostolus Melchisedecum memorans, dixit illum esse sine patre, sine geneologia (*Hebr.* 7. 3), ac neque principium dierum, neque finem vitæ habere? hic non fuerit homo, sed Deus. Multi vero non intelligentes ea quæ de illo dicta sunt, majorem Christo dixerunt, hæresique sibi constituta vocantur Melchisedeciani; ac nobiscum disputantes, ut ostendant majorem Christo esse Melchisedecum, hanc scripturam nobis testem proferunt: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Quomodo, inquiunt, non sit major Melchisedec, secundum cujus imaginem et ordinem sacerdos est Christus? Alii vero errantes dicunt ipsum esse Spiritum sanctum. Nos vero dicimus ipsum esse hominem passionibus nobis similem, nec majorem esse Christo, imo neque Joanne Baptista: verus quippe est sermo Domini: *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista* (*Matth.* 11. 11), contendimusque etiam non esse Spiritum sanctum: sicque probamus non esse majorem Christo. Dicant nobis illi, ex quo loco ipsum esse dicant, an cælestium, an terrestrium, an infernorum? Si dicant ex cælestibus, vel ex aliis quibusvis locis esse Melchisedecum, audiant ipsum Christo genu flectere: dicit enim apostolus: *Ipsi flectetur omne genu, et om-*

nis lingua confitebitur cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philipp.* 2. 10. 11). Si ergo Melchisedec Christo genu flectit, qui adorat Melchisedec Christo qui adoratur minor erit. Cur autem miseri sequentem apostoli versum non audiunt, ut discant ipsum minorem esse Christo? infert enim dicens, *Assimilatus Filio Dei* (*Hebr.* 7. 3); quemadmodum et nos ad imaginem et similitudinem Christi facti sumus. Sed fortassis auditorum quispiam sciscitetur : Cur sine patre, sine matre, sine genealogia dicitur esse Melchisedec? Respondebimus nos, Judæos quidem dixisse, ipsum ex fornicatione natum esse, ideoque ejus genealogiam a Scriptura non recenseri; quos ut male loquentes ita refellimus : alios invenimus ex fornicatione natos, quorum genealogia texitur. Statim sese offert Salomon qui ex Uriæ uxore prodiit, et Abimelech filius Gedeonis qui ex fornicatione natus enarratur. Cur ergo sine genealogia est Melchisedec? Quia typus erat Christi, et imaginem Christi ferebat. Ideo Scriptura ejus patrem et matrem tacuit, et sine genealogia reliquit, ut in illo quasi in imagine eum qui vere sine patre, sine matre, sine genealogia est, specularemur. Sine Patre enim est Christus in terra secundum carnem; sine matre est in cælis secundum Spiritum et secundum divinitatem. Talis est ille, *Qui neque principium dierum, neque finem vitæ habet* (*Heb.* 7. 3). Non enim genealogiam Melchisedeci dedit Scriptura, sed prætermisit ejus et ortum et mortem, ut, quemadmodum diximus, in illo hunc verum Melchisedecum contemplaremur. Melchisedec enim significat regem justitiæ (*Hebr.* 7. 2), qui est Christus, qui nec principium dierum nec finem vitæ habet. Neque enim principium dierum Deus Verbum habuit, neque umquam obiit vel mortuus est : semper enim manet Christus. Sed nobis Melchisedeciani obsistunt dicentes : Quid ergo sibi vult illud quod ipsi Pater dicit, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec?* Reponimus nos, hunc Melchisedecum fuisse virum justum, imaginem Dei vere in se ferentem. Prophetico itaque Spiritu motus, futuram Christi Deo faciendam oblationem intelligens, panem et vinum Deo obtulit, futurum Christum imitans. Quoniam igitur in Judæorum synagoga Aaronis ordo sacrificium offerebat, non panem et vinum, sed vitulos et agnos; ac cruentis sacrificiis Deum glorificabat, Deus ei, qui ex Virgine Maria nasciturus erat, Jesu clamat et dicit, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*, non secundum ordinem Aaron, qui vitulis, agnis et cruentis sacrificiis cultum persolvebat, sed, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*, qui in pane et vino gentium oblationem affers in perpetuum. Sed ne nugari videamur, dilecti, ex longiore oratione, hic finem dicendi facientes, ad fontem doctrinæ Patrum vos mittemus, qui animarum vestrarum sitim sedabunt, et corda vestra Spiritu sancto replentes, lætitiam afferent, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN MEDIAM PENTECOSTEN.

Quocumque Dominus, utpote fons vitæ, corporaliter advenit, multos variosque effundit benignitatis latices. Ascendit in montem cum discipulis, et beatitudinum fluenta auditoribus profert : descendit inde, et variis morbis detentos medelæ alveis sanat : probaticam piscinam adit, et paralyticum curat : intravit in domum Petri, et ejus socrum febri ardentem refrigeravit : in Bethaniam ivit, et vitæ poculum quatriduano Lazaro propinavit : leproso occurrit, et morbi pustulas benignitatis spongia abstersit : ad synagogam accessit, et ei qui manum habebat aridam, illius usum et motum restituit : nuptiis adfuit, et mirabiliter vinum vocatis miscuit : aliaque innumera præstitit, quæ difficile esset recensere Ascendit etiam hodie in templum, et doctrinæ fluvios auditoribus effudit. Audistis enim evangelicam lectionem, quam vobis utiliter evangelista in medio festi stans in tribunali magna voce prædicavit, Levitæ voce quasi tuba usus : *Jam*, inquit, *mediante festo, ascendit Jesus in templum, et docebat* (*Joan.* 7. 14). Quæ scriptura benignitate Domini plena est. Non enim dixit, Instante persequutione, aut, Discipulis mœrore vel tristitia affectis, aut similibus in casibus qui discipulis frequenter acciderunt; sed quid? *Jam mediante festo.* Quid accidit, o Joannes, mediante festo? an Herodes manus immisit? an concilium malignum cogit Judæorum populus? an Judas ad proditionem se apparavit? Non, inquit, sed *Ascendit Jesus in templum, et docebat.* Quæ Christum decebant ipsi adscripsisti, rem ipsi congruentem addidisti. Verbi enim opus est loquela, et doctoris doctrina, atque Christi est, utilia auditoribus proferre. *Ascendit Jesus in templum, et docebat.* O ingentem benignitatem! Ubi pene lapidabatur, ibi lapidantes doctrinæ verbis ditabat. *Ascendit Jesus in templum, et docebat.* Ubi Moysis legalia legebantur, ibi gratiæ dogmata afferebat, non abrogans, sed implens legem. Ipse namque in Evangeliis clamavit : *Non veni solvere legem, sed adimplere* (*Matth.* 5. 17); et Paulus, in cujus ore loquebatur Christus, *Finis legis*, inquit, *Christus ad justitiam* (*Rom.* 10. 4). *Jam autem festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat;* omnes docens orationis locum : ibique institutionis verba proferebat, utpote Verbum, ubi malignantium cœtus congregatus erat. Illuc sacerdos ille secundum ordinem Melchisedec ascendit, in templum scilicet, et docebat, multis audientibus, nemine Judæorum discente. De illis enim propheta prædicebat : *Oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt* (*Psal.* 113. 5. 6). *Ascendit Jesus in templum, et docebat*, Dei inimicorum insaniam traducens. Ascendit in templum, ut cœlestis doctrinæ retia expandens, rationabilem hominum capturam faceret : ascendit in templum Jesus, ascendit; sed Judæi ex fide descenderunt. *Jam autem festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat. Mirabantur ergo Judæi dicentes, Quomodo hic scit literas, cum non didicerit* (*Joan.* 7. 15)? Mirabantur, sed non credebant; stupebant de tanta sapientia, sed non resipiscebant, nequitiæ gravitate onusti; videbant medicum pharmaca proferentem, et ægri licet medelam non admittebant; videbant liberatorem, sed captivitatem amabant : cum in medio pratum bonorum haberent, spinas colligebant; præsente portu, miseri naufragabantur; dum sapientia divinis dogmatibus manabat, illi cædium cruorem abluere nolebant; Christo alas benignitatis suæ expandente, illa genimina viperarum obtegi recusabant : nam ait in Evangelio : *Quoties volui congregare filios vestros, quemadmodum gallina pullos suos, et noluistis* (*Matth.* 23. 37)? Mirabantur ergo Judæi dicentes : *Quomodo hic scit literas, cum non didicerit?* O rerum statum! Legem ignoras, Judæe, et legis instituta nescis? dicis, *Quomodo hic scit literas, cum non didicerit?* Dic mihi, o veritatis inimice! quomodo Adam, qui literas non didicerat, congruentia nomina bestiis imposuit? Servum non interrogas, et a Domino rationem exquiris dicens, *Quomodo hic scit literas? Respondit Jesus, et dixit : Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris.* Et quandonam Deus per loci mutationem mittitur? quandonam is, qui omnia implet, illuc advenit ubi adest? Ad Judæos sermo dirigitur, non ad eos qui pie edocti sunt. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris*, qui mihi te-

stimonium de cælo vobis omnibus præsentibus præbuit, dicens : *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* 3. 17). De me Joannes clamavit, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* 1. 29). Agnus enim vere est Christus, qui hodie ascendit in templum; et veritatis vocem Joannes in illum protulit. Vox enim cum esset, ut par erat, Verbum laudavit; lucerna cum esset, solis lampadas exhibuit; ut præcursor venientem indicavit, ut splendor diluculum prædicavit, ut miles regis nomen publicavit. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Agnus quem agna Virgo sine semine conceptum, sine ulla corruptione genuit; præsepe autem, ut pratum viride, infantem suscepit, Jordanis lavit, Joannes baptizavit; Judas Judæis vendidit, Pilatus mactavit, sepulcrum protulit, nosque convivio vos excepimus, et ille vos omnes, nudos ex transgressione Adami, vellere induit. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN SAMARITANAM. IN DIE MEDIÆ PENTECOSTES.

Age etiam hodie, dilecti, prout divina gratia dederit, evangelicos thesauros aggrediamur : nam rerum hujusmodi discendarum studium animas exornat, ac terrenum affectum ad cælum usque extendit. Etenim discendi cupiditas mirabilem illam Samaritanam ex aquaria fecit deiferam ; invento enim disciplinarum thesauro occurrit ; imo potius non invenit, sed inventa est. Non enim ascendit Christus, ut egentium curis perquireretur, sed ipse ad auxilium singulis ferendum quasi parturiebat : intento animo paralyticos curabat, febricitantibus condolebat, cæcorum calamitatem sibi propriam ducebat, leprosorum sollicitudinem gerebat, ad dæmoniacorum opem currebat, sordidas omnium animas abluens, aquariarum doctor. Tunc enim fatigatus ex itinere, puteo assidebat : *Jesus* enim, inquit, *fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora autem erat quasi sexta* (*Joan.* 4. 6). Benignitatis ingens insatiabilitas ostenditur ; primo quod fatigatus esset Samaritanæ salutem sollicite curans ; secundo quod sederet, exspectans venientis salutem ; tertio quod tempus prandii, huic rei intentus, absumeret. *Hora erat*, inquit, *quasi sexta.* Etsi namque Deus erat, id certe quod apparebat humanis affectibus erat involutum : fatiscebat enim, subditus erat somno, fame vexabatur, quod omnem nobiscum præter peccatum affinitatem haberet. Vincebat tamen in illo corporis lassitudinem studium conferendæ hominibus salutis. Sed magis tardabat ea quæ illo defesso opus habebat ; nec minus hic, qui nullo opus habebat, libens exspectabat. Meridiano ardebat æstu ; et ejus quæ servanda erat adventum observabat. *Sedebat* enim, inquit, *supra fontem ;* nec reclinatus prædam exspectabat, sed salutem conferre cupiens, erat ad Samaritanam excipiendam paratus. Illa vero et domo exibat, lento femininoque gradu ac remisso, hydriam gestans, ut terræ fructus spectaret, sæpe sistens gradum. Speculator impiger, quem illa non ante videbat, doctus ille venator, se beneficum occultans, quasi egenus apparet : nam, *Dicit Jesus*, inquit, *Mulier, da mihi bibere.* Vocem seminat, ut columba granum versans : *Da mihi bibere.* Sitim simulat, qui venerat mixturus ei poculum salutare ; imo potius, si quis vocem subtilius excutiat, vera erat Domini sitis : ejus quippe salutem sitiebat, et jure clamabat ipsi : *Da mihi bibere.* Habes, inquit, in te occultum probitatis fontem ; inde emisso rivo da mihi potum. Sed ænigmata non capiebat mulier, vocique tantum attendebat : *Quomodo tu, Judæus cum sis, a me bibere petis, quæ sum mulier Samaritana ?* Cum itineris lassitudine doctrinalis correctio jam Christo accidit ; sed cum semel nostra suscipere decrevisset, quæ accidebant ferenda erant. Ideo Samaritanæ fert reprehensionem. Libens enim ex dignitate se demiserat, ut peccatricis animam a vili sensu erigeret. Peccatrix quædam vilitas Samaritanam detinebat ; meretricia maculabatur vita, amatorem alium post alium admiserat, nuptiæ ipsi erant amoris tempora, amasiis jugata erat : vidua semper et nova sponsa ; imo nec pure vidua, nec pure sponsa : neque enim a primo per mortem separata fuerat, neque legitimis nuptiis cum sequentibus jugata fuerat. Hujus rei testis ait illi Dominus : *Bene dixisti, Quia non habeo virum : quinque enim viros habuisti ; et nunc quem habes, non est tuus vir* (*Joan.* 4. 17. 18). *Hoc vere dixisti.* Sed erat margarita in luto demersa ; id quod talis negotiator non ignorabat : animæ quippe radios verbis exhibebat. *Quomodo tu*, inquit, *Judæus cum sis, a me bibere petis, quæ sum mulier Samaritana ? Quomodo tu ?* Illud, *Tu*, iratæ est. Quomodo petis a me bibere ? Si quidem, quod eadem quæ ego sentias, petitioni tuæ annuam : sin Judaica cupias, ne quæras ab alienigenis beneficium, ne donum exigas, quod refugis. Putat Samaritana se propter sitis necessitatem Dominum ad Samaritanorum cultum deducturam esse ; nesciebat autem se verbis ejus ceu vinculis esse constrictam : vinciebatur autem a sua ad Dominum facta responsione, imo potius a Domini se alloquentis vocibus : *Si scires donum Dei, et quis est qui tibi dicit, Da mihi bibere ; tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.* Quia, inquit, sitim meam traducis, et vocas me Judæum vobis non contentem ; disce te longe aberrare a mea notitia. Nescis veram meam generationem, nescis quanta sit apud me bona proferendi cupido, nescis quanti fontis rivi a me manent : nam si scires, forsitan petisses ; nunc vero ignorantem non reprehendo, petenti do. Ad sitim non sitientem excitat ; ad bibendi necessitatem potum dantem deducit. Verbis ergo vulnerata est mulier, et aquæ desiderio capta. Procumbens enim ante Dominum dicebat, *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* Quæ prius potum dare rogabatur, nunc rogat sibi potum dari : nam bene nati animi facile instituuntur : qualis erat hujus beatæ Samaritanæ animus ; quales sunt mores a spinis incredulitatis emundati, nec Judaico detenti livore. Hæc quippe quæ Messiam exspectabat, ejus divinam nacta doctrinam, sincere credidit : neque sola donum obtinuit, sed et concivibus suis suasit ut ad illum accurrerent, apostolico more prædicans : *Venite, videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci : numquid ipse est Christus* (*Ibid. v.* 29) ? O sapientem mulierem ! sciebat mulieris testimonium non admittendum fore : ideo viros civitatis suæ testes attrahit, ut multis esset causa salutis. Ait itaque evangelista : *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis : Quia dixit mihi omnia quæcumque feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut apud se maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt propter sermonem ejus : et mulieri dicebant, Quia jam non propter tuam loquelam credimus : ipsi enim audivimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi Christus* (*Ibid. v.* 39-42). Vides, dilecte, Christi sitim, et quomodo cibum et potum haberet salutem in se credentium. Nam, *Meus cibus est*, inquit, *ut faciam voluntatem ejus qui misit me Patris, et perficiam opus ejus* (*Ibid. v.* 34). Ideo ipse sitiens potum dat aquam Samaritanæ : hæc vero hauriens largiter, Domini donum concivibus suis effudit. Per hanc gens Abrahæ inceptior Samaritana ad discendum ostensa est ; Judæos enim ne illa quidem quæ in templo docebantur juvabant : huic vero ad puteum

habita alloquutio profuit. Samaritanæ ergo bona nobis attrahamus, studium illud divinum imitemur, probamque illam discendi cupidinem. In ecclesia saltem de divinis colloquamur : nobis dictum putemus illud Christi Samaritanam alloquentis : Adorantes Deum in Spiritu et veritate oportet adorare (*Joan.* 4. 23). Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

IN MULIEREM PECCATRICEM, QUÆ UNXIT DOMINUM UNGUENTO, ET IN PHARISÆUM (*Luc.* 7. 36. *sqq.*) IN SANCTA ET MAGNA FERIA QUARTA.

Satis vos nuper recreavit Christus apud Zacchæum convivatus. Ubi enim Christus convivatur, ac cum hominibus recumbit, atque ejusdem loci et mensæ nobiscum particeps est, ad lætitiam omnia vertuntur. Quis enim publicanus, quæ meretrix, vel quis ingentia operatus mala, cæli terræque Conditorem videns in publicani domum ingressum, et spicarum datorem humanum panem manibus accipientem, uvarumque largitorem ex potus consortio torcularibus benedicentem, id non festum et celebritatem jure dici censuerit? Hoc vere festus dies est, hoc vere angelici convivii gaudium; quod dominus cum servis, Deus cum hominibus, judex cum reis communis mensæ consors videatur. Ideoque enim in terram venit non deserens cælum ; et factus est homo, non exuens divinitatem, ut in mari ambulans, eos qui in vitæ pelago fluctibus agitabantur, a peccato retraheret; ac vicos et urbes circumiens, angiportus, vias et cursus peragrans, eos qui in triviis errabant quasi oves sine pastore, in proprium suum ovile reduceret. Ipse enim est qui ovem perditam quærit, qui nonaginta novem relinquit ad unius perquisitionem. Unam enim quærebat, non quod alias multas despiceret, nec quod unam gregi anteferret; sed nonaginta novem relinquebat; sciebat enim has tuto in caula versari; et unam circumeundo quærebat, ne esca diaboli fieret. Ovis enim sine pastore, feris paratum prandium est; animaque non obsignata, dæmonum patet insidiis. Quamobrem nuper Zachæum, ut ovem ex ore lupi abripuit, in caulam immisit et signaculo dignatus est. Quemadmodum enim pastor qui errantem quærit ovem, aliud animal tractabile relinquit, ut libere pascens, vagabundam ovem pertrahat : sic et Dei Verbum carnem quam ex Virgine assumpsit, quasi ovem in pascuis, in mensa Zacchæi reliquit, ut ex communi convivio ad consortium alliciens, sensim et quasi clanculum ovili ipsum adjungeret. Sed hoc non intelligentes Pharisæi murmurabant, videntes illum cum publicanis edentem. Verum illi quidem, utpote utres veteres, dirumpantur; non enim possunt novum doctrinæ vinum excipere; nos vero post benignum illum pastorem incedamus. Ille enim, qui Zacchæum publicanum apostolorum gregi adjungit, meretricem quoque, mille malis obnoxiam, ex diaboli faucibus avulsam, intemerato ovili restituit. Ut vero Christi benignitatem, Pharisæorum insaniam ediscatis, necnon peccatricis mulieris palinodiam : ipsas vobis evangelii voces apponam : nam si lectionis seriem audiatis, facile sensum dictorum percipietis. *Rogabat*, inquit, *Jesum quidam Pharisæorum, ut manducaret cum illo, et ingressus domum Pharisæi discubuit* (*Luc.* 7. 36). O gratiam inenarrabilem! o benignitatem ineffabilem! cum Pharisæo convivatur, et publicanum non repellit; meretrices admittit, Samaritanos alloquitur, Chananæam responsione dignatur, et hæmorrhoissæ fimbriam concedit! Etiam : medicus enim est, omnesque curat ægritudines, ut omnibus prosit, malis et bonis, ingratis et gratiam referentibus. Quapropter nunc a Pharisæo invitatus, in domum ingreditur, hactenus malis refertam. Ubi enim Pharisæus erat, ibi nequitiæ officina, peccatorum receptaculum, arrogantiæ diverticulum. At etiamsi domus illius hac conditione esset, non dedignatur accedere Dominus : ac jure quidem. Quemadmodum enim sol non læditur, cum radios suos in lutum immittit; imo etiam ingratam ejus fœditatem abstergit, nihil ex illo mutuans : sic et Christus ut sol justitiæ omnem exsecrandum et turpem locum invadit, ac fœtidum peccatum bonitatis suæ radiis absumit, non contumelia affectus secundum divinitatis rationem, non imminutionem, non fœditatem passus. Quamobrem Pharisæo invitanti facile annuit; idque pacate, nec vitam ejus redarguens : primo ut invitatos sanctificaret, atque invitantem, familiam, et ciborum lautitiam; deinde ut ostenderet incarnationem non esse phantasiam, eo quod discubuerit, comederit, biberit, cibos absumpserit. Alioquin vero quia meretrix adventura erat, ac fervidum illum ardentemque pœnitentiæ modum ostensura, invitanti Pharisæo statim annuit, ut illa coram scribis et Pharisæis sua deplorans mala, doceret eos quomodo oporteat peccatores de peccatis suis gementes Deum placare. *Ecce*, inquit, *mulier in civitate, quæ erat peccatrix* (*Luc.* 7. 37). Mulier peccatrix, primum diaboli rete, inductio ad errorem, transgressionis magistra; auxiliatrix quidem, sed quæ inimica comprobatur; quæ natura quidem pulchra est, proposito autem improba deprehenditur, mortis causa, quæ ligni pulchritudinem ostendit, et totum paradisum perdidit. *Et ecce mulier*, inquit, *in civitate, quæ erat peccatrix* : Evæ pondera gestans, et multis onusta malis. Priorum ejus malorum copiam dicam, ut larga ipsi collata dona noscatis. Deus ex Adami latere os assumens, ipsumque carne vestiens, Evam efformavit, quam mulierem vocatam Adamo adjutricem dedit : sed postquam peccavit et legem transgressus ejectus est ex paradiso, ac mortem in ultionem accepit; ne genus morte absumptum funditus interiret, connubium cum morte pugnat, ut illud seminet, hæc metat : hæc secet, illud germinet. Quod autem postquam morti subjecti fuerant, connubii gratia data sit; hinc palam est, quod Adam postquam egressus est ex paradiso Evæ copulatus sit. Scriptum est enim : Postquam exierat ex paradiso, tunc cognovit Adam uxorem suam (*Gen.* 4. 1). Ante peccatum ergo virginitas erat, quæ naturæ vestem impollutam servabat : post transgressionem vero, post latam sententiam mortis, nuptiæ inductæ sunt, quæ semper pullulando exhaurientem mortem vincerent, et germinando metentem superarent. Quoniam ergo lex nuptiarum ad successionem generis et augmentum naturæ data est : illa viro voluptatem inseruit, feminam vero blandam fecit, non ut amasiorum more ad coitum excitarentur, sed ut legitimo connubio copularentur. Quamobrem legitima connubii mixtio honorabilis est apud Deum; ea vero quæ voluptatis gratia exercetur, morti subjicitur. Nam *Honorabile connubium et torus immaculatus : fornicatores autem et adulteros judicabit Deus* (*Hebr.* 13. 4). Quæ igitur prolis gratia viris legitime copulantur, sine crimine sunt, ut Sara, Rebecca, Rachel, et si quæ aliæ similes : quæ vero voluptatis gratia juvenes ad libidinem provocant, utpote quæ templum Dei violaverint, corruptioni traduntur : *Si quis* enim, inquit, *violaverit templum Dei, disperdet illum Deus* (1. *Cor.* 3. 17). Ex quorum numero erat ea, de qua agimus, peccatrix. Naturam quippe in negotiationem vertens, fuco genas rubricans, et arte formosa videri studens, juvenes ad lasciviam alliciebat, ipsosque in fornicationis barathrum immittebat. Hæc dico, non ut illam traducam pro iis quæ ante fecerat, sed ut laudem de repentina mutatione : dico enim quæ fuerit, ut os-

tendam quæ postea facta sit : narro ejus peccata et flagitia, ut demonstrem pœnitentiæ præclara gesta. Verum hæc quæ sine verecundia corpore antea utebatur, alios per cincinnos capiens, aliis per lacrymas blandiens, alios pigmentis fascinans, omnesque undique in lasciviæ cœnum advocans, turpem et lubricam cupiditatem in divinum et cælestem transfert amorem. Ut enim vidit Jesum modo libere et aperte Samaritanam alloquentem, modo Chananæam admittentem, alias hæmorrhoissam celebrantem ob furtum ; et modo cum publicanis convivantem, modo Pharisæorum domos adeuntem ; secum reputavit : Si meretrices, publicanos et peccatores admittit, usquequo libidine intemperanter ardens, peccati mare exhaurio ? Non juvenis, non pulchra manebo ; omnia quippe transeunt, omnia marcescunt, flores, lilia, vultus forma. Quid ergo pro factis patiar ? jam enim gehennæ ignem cogito ; jam animam meam resipiscentia invadit, quia in perniciem juvenum vi et arte pulchra videri curavi : in vicis civitatis, in foro, in biviis currebam, ut reti pedibus utens, linguam in sagenam adhibens. O quot adolescentes illecebris cepi, impudentes oculos circumferens ? Nam ad exitium spectatorum culta, modo cincinnis multis caput in turrim erigebam, modo calamistratas comas ex vertice in frontem evagari sinebam, modo genas fuco rubricans et oculos depingens, modo lacrymarum stillas fundens, blanditiis animam interimebam. Quid jam de me fiet ? quem medicum infinitis morbis reperiam ? Si hominibus gesta mea enuntiem, inutilis erit mihi hæc confessio. Sed occultabone mala mea ? At latere nequeo ; quem enim latere possim ? quo igitur fugiam, cum ubique judici occurram, qui non apparet quidem, sed ubique mala mea coarguit ? Una mihi spes salutis relicta est ; unum mihi viaticum ad vitam prostat, ut Jesum cognoscam, et ad ipsum accurram. Nam qui publicanos excipit, non repellet meretricem ; qui cum Pharisæis convivatur, peccatricis lacrymas non recusabit. Quia igitur scio ipsum apud Simonem quempiam Pharisæum diversari, virum celebrem et peccatorem, ad illum accurram. Sed quid ab eo petam ? oculorum sanitatem ? Sed temporanea esset gratia. Morbi curationem ? Sed hæc non tanta res est : æterna quippe mors est præsenti gravior. Corporea omnia mittens, medelam animæ requiram. Unam quippe video impendentium malorum solutionem, si Judicem videam, si ultionis tempus prævertam. Imitabor Rahab meretricem ; mulieris virtutem sequar. Nihil enim a nobis requirit Deus, nisi voluntatis mutationem. His pie consideratis, cum animum suum ad fidem incendisset, ad Jesum ingreditur, quo loco ille recumbebat, pristinam impudentiam in fiduciam vertens. Nihilque dicit ; neque enim audebat : nam sciebat cogitationum inspectorem non egere verbis. Quid enim poterat ei dicere, qui omnia sciebat ? se peccavisse, se multa mala operatam esse, se et amantem et amatam publicam voluptatem coluisse ? Hæc Deo nota erant, non modo facta, sed etiam in intimo cogitata animo. Sciens ergo ipsum omnia nosse, nihilque ipsum posse latere, lingua quidem silet, sed lacrymis loquitur. *Stans*, inquit, *secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Sed licet lingua non loqueretur, ineffabilibus gemitibus vociferabatur, cordis contritionem declarans, et de peccatorum multitudine triumphans, absurdas cogitationes, pravas cupiditates, improba facta, iniqua colloquia traducens. Nullum enim erat ex malis quæ fecerat, quod non lacrymis deploraret : sciebat enim se eorum quæ confitebatur remissionem accipere. Nam ait : *Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei* (*Psal.* 31. 5). Nec modo silentio loquebatur, cordis gemitibus Domino supplicans, sed et habitu pulchritudinem pœnitentiæ depingebat. Lacrymabatur, ut quæ multum risisset, pulchris lacrymis malum risum abluens : stillis oculorum genarum sordes abluens, ut in quibus peccaverat, in iis amoveretur a malo ; in quibus inique egerat, in iis legislatorem placaret. Ut enim David qui lectum illegitimo coitu fœdaverat, sic lacrymis abluit : *Lavabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum ; lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* 6. 7) : ita et hæc per quos oculos juvenes multos ad lasciviam allexerat, lacrymis fontes emittens, sordes peccatorum lavatu difficiles abluebat : ipsa sibi parans lavacrum pœnitentiæ, lacrymas. Lacrymæ quasi aquam ministrabant : illa vero invisibiliter a Christo peccatorum remissionem accipiebat. Imo vero Abrahamum non imitans modo, sed et superans, pedes Christi lavabat. Ille namque apposito labro aquis abluebat, et linteo abstergebat ; hæc vero non hausit aquam, sed lacrymarum fontes emittens, Jesu pedes abluebat. Ne vero lacrymis peccatricibus sanctos pedes contumelia afficeret, pulchris capillis ut linteo usa, abstergebat pedes : videreque erat totam mulierem ad famulatum Jesu incumbentem. Oculi namque superne, ut fontes, lacrymarum rivos emittebant ; anima, quasi labrum substrata, stillas ex pedibus defluentes excipiebat ; cincinni vero tergebant, lintei officio fungentes : manus alabastrum unguenti tenentes, divinos pedes ungebant, unguentum unguento colentes : *Unguentum enim effusum nomen tuum* (*Cant.* 1. 2), inquit. Vides quomodo ingratos Judæos superaverit mulier peccatrix, divinarum legum ignara. Illi namque lapidibus ipsum impetebant, hæc vero unguenti odore recreabat. Sed Judæi quidem, ut ingrati, stulti et improbi, benefico mala retribuebant, lapidibusque salutabant angularem illum lapidem : hæc vero ungebat unguento pedes illos, qui sui causa in sacro ligno crucis totam diem mansuri erant. Et quid dico illam ingratum Judæorum populum vicisse, quando totum etiam sanctorum chorum superavit ? Gratiam enim accepit, quam nec reges nec dynastæ consequuti sunt : nam *Reges Tharsis et insulæ munera offerent, et adorabunt eum omnes reges terræ* (*Psal.* 71. 10). Atque secundum prophetam, et dederunt munera et procul adoraverunt ; sed nullus eorum pedes Jesu osculatus est. Quomodo enim venerunt magi, supplicationis consortem habentes stellam ? verum illi procul stipabant ipsum, ordinis sui modum agnoscentes : *Cœlum enim mihi thronus est*, inquit, *terra vero scabellum pedum meorum* (*Isai.* 66. 1). Laudetur ergo mulier, quæ totius orbis honorem sortita est : pedes immaculatos, quorum pulverem gentes et familiæ lingent, pedes, inquam, immaculatos tetigit : cum Joanne corpus Christi partita est. Ille namque recubuit supra pectus ; divinam quippe doctrinam inde oportebat haurire ; hæc vero pedes illos qui pro nobis ambulabant excepit. Verum Christus, qui non de peccato judicat, sed pœnitentiam laudat ; qui non præterita punit, sed futura explorat ; præteritorum ejus malorum non recordatus, mulierem honorat, et laudat pœnitentiam ; justificat lacrymas, et coronat propositum : Pharisæus vero miraculum cernens, mente percellitur, et invidia concitatus, mulieris pœnitentiam non admittit ; sed eam quæ sic Dominum honorabat convicio impetit, dignitatemque ejus qui honorabatur minuit, ignorantiam illi attribuens. *Videns autem*, inquit, *Pharisæus qui vocaverat illum, dixit intra se : Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.* O stulte et insipiens, et omnino Pharisæe ! hæc dicens non mulieris mores, sed propositum tuum accusas, dicens eum ignorare quæ sit illa mulier. Ergo non illum ut Deum omnia cognoscentem invitatione tua honorasti ? ergo, o insignis accusator et sycophanta ! vocas quidem illum ut Deum qui benedicere possit, contra illum vero clamas ut hominem, qui nihil plus quam nos sciat ? *Hic*, inquit, *si esset propheta.* Quam te melior est, o Pharisæe, mulier illa in Sicimis, quæ eum prophetam esse non noverat, et primo conspectu Servatorem confessa est dicens : *Domine, video quia propheta es tu* (*Joan.* 4. 19) ! Quam mirabilior hæc peccatrix, cujus peccatum vides, et pœnitentiam non conspicis, sed damnas illam, quam Judex ab-

solvit ; et conviciaris ei, quam Deus suscipiens coronat : quia videns Deum apud te in hominis forma recumbentem, ipsum agnovit et coluit, et animæ suæ vulnera ostendens, misericordiam petiit et pristinæ vitæ suæ oblivionem ? Tu vero qui invitatione honoravisti illum, convicio inhonoras dicens : *Si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier, quæ tangit eum.* Vecors, quia mala tua non coarguit, ignorantiam illi attribuis ? quia in tuas malis multis onustas ædes intravit, cognitionem illi aufers ? quia dignatus est tecum recumbere, et manum immittere in cibos tuos, e vulgo quempiam esse putas ? Dignusne eras qui Deum hospitio exciperes, aut mensam apponeres ei qui paravit mensam in deserto ? At ille, benignus cum esset, non recusavit a famulis tuis potum et cibum accipere. Cur ergo incusas clementem Dominum, o Pharisæe, qui benignitatem erga omnes suam æqua lance ponderat ? cur culicem mulieris excolans, malorum tuorum camelum devoras ? et Dominum erga te patientem, erga illam trucem esse peroptas ? cur circa aliena crimina judicem concitas, circa tua veniam petis ? cur inter te et Judam convenit ut tentetis Dominum ? Tu enim, quasi mundus a sorde, mulierem ob peccata traducens, de ignorantia Deum accusas ; ille vero quasi pauperum amans indignatur dicens : *Ut quid perditio hujus unguenti ? poterat enim venumdari multo, et dari pauperibus* (*Matth.* 26. 8. 9). O improbum animum ! o ingratos mores ! perditionem vocas, Juda, Christi cultum, et vanam impensam dicis, id quod cedit in honorem Dei ? Quantum dedimus pro iis quæ accepimus ? Cogitemus quanta, ex quo mundus conditus est, ab ejus natura misericordiæ flumina manarint, neque illam copiam detrimento sibi esse putat Deus ? quantos suaves odores germinat terra ? quantam rosarum et liliorum fragrantiam, et styracem et nardum et stacten, aliaque ex quibus optimum unguentum conficitur ? neque illud Deus perditionem reputat. Et tu quod parvum unguenti alabastrum pedibus Christi effusum sit, obmurmuras ? an ideo murmuras, quod in dotem illud acceperit ? Accepit unguentum, et ostendit pœnitentiæ modum : accepit lacrymas, et fontem peccatorum obstruxit. Quænam igitur est hæc perditio, si servata est mulier, per quam paradisus clausus fuerat, per quam Adam simul ejectus fuerat ? Sed illud Judæ dolori fuit ; jure quidem : nam ejus salus diabolum dolore affecit. Videbat enim per illam totum genus ad pœnitentiam deinceps mutandum esse. Hinc mordetur et dolet, quod non deinceps rete habeat, quo venetur hominem : unde etiam te ad murmurandum concitavit. *Ut quid*, ait, *perditio hæc ? poterat enim venumdari multo.* Jamne venditio adest, Juda ? Jamne proditionem meditaris, malorum princeps ? Sed Jesus ejus morbum animi non coarguit, non ejus avaritiam detegit, ne futuram proditionem cohiberet. Christus porro omnibus dicit : *Quid molesti estis huic mulieri* (*Id. v.* 10) ? cur ad præcedentia mala hoc etiam malum ipsi adjicitis ? Sat laboravit feminarum genus : nemo earum saluti obicem ferat : nemo traducat eam quæ unguento linivit pedes illos, qui pro ipsa ambulabant in terra. Pauperes enim habetis vobiscum, me quoque cum pauperibus accipite : propter vos enim pauper factus sum, cum dives essem, ut vos paupertate mea ditesceretis. Occidistis me, nec accuso vos : illa sepulturam curat meam, et murmuratis ? *Mittens enim hæc unguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit* (*Id. v.* 12). Non te pudet, Juda, quod hæc, peccatrix cum sit, unguentis me honoret ; tu vero, apostolus cum sis, venditionis mihi contumeliam inferas ? Mulier parat ea quæ ad sepulturam spectant ; discipulus vero morti tradit. Peccatrix est mulier, ut novi, sed nihil habuit quod mihi offerret nisi fontem lacrymarum : fons fontem placat, indigenti magistro alium placandi modum admovet. Sed tu pretium exploras, o vecors, et unguentum trecentis denariis æstimas ? æstimas vero, non ut usus munificentiam laudes, quod totas male partas divitias unguenti emptione consumpserit ; sed ut murmurando ostendas, te in magnum incidisse malum, tanta mulctatum pecunia. Sed non magnum est, si trecentorum denariorum jacturam ægre feras, quando triginta denariis Dominum vendidisti. *Quid vultis mihi dare*, inquit, *et ego vobis eum tradam* (*Matth.* 26. 15) ? Miser ; servus Dominum vendit ? inversus est ordo. Ego te sanguine meo a peccato redimo ; tu vero me triginta obolis vendis ? Quod si homo Deum vendat (detur autem quod vendat), quis emptor erit ? quanti Deum quis emet ? cur vili pretio emendum proponis ? quis triginta obolis Deum vendet in forma hominis ? an ut servum, an ut barbarum ? Saltem discerne quanti Deum, quanti hominem qui oculis conspicitur. *Quid vultis*, inquit, *mihi dare ?* Tu quid vis accipere ? illi enim nihil dare possunt Deo comparandum. *Et constituerunt ei*, inquit, *triginta argenteos.* An quis medicum gratis curantem triginta obolis vendit ? medicum, qui cæcis visum restituit, claudos ad cursum habiles reddit ? Hæc dico ut tuum instituam animum. *Quid molesti estis huic mulieri ?* an quia eum, qui in mortuis liber est, ante mortem ut mortuum honore affecit ? an quia per unguentum sepulturæ et resurrectionis gratiam præsignificavit ? Sed tu quidem resurrectionis fructum laqueum habebis ; hujus vero memoria, ubicumque prædicatum fuerit evangelium, numquam delebitur. Dixit, et res sic evenit. Nam Aaronis et Eleazari unguentum et cornu desit, hujus vero alabastrum omne sæculum pervadit, ejusque memoriæ bonus odor non evacuatur. Sed Judam sic, Pharisæum vero murmurantem hoc modo Christus alloquitur : *Simon, habeo tibi aliquid dicere* (*Luc.* 7. 40). O gratiam ineffabilem ! o benignitatem inenarrabilem ! Deus et homo colloquuntur, Christus problema proponit, et benignitatis normam, ut Pharisæi solvat nequitiam. *Simon*, inquit, *habeo tibi aliquid dicere* : quod nemini veterum dixi, non patriarchæ, non prophetæ, non legislatori. Tunc enim oculum pro oculo, dentem pro dente secundum jus exigebam : verum quia jus illud ferre non potestis, gratiam pro lege induco, inenarrabile tibi mysterium dicam. Ille vero ait, *Magister dic. Duo debitores erant cuidam viro* (*Id. v.* 41. *et seqq.*). Vide sapientiam Dei : mulierem tacet, ne ille responsionem maligne verteret. *Unus*, inquit, *debebat denarios quingentos, alius quinquaginta.* Terribilis narrandi modus : vita nostra syngrapha est, in qua invisibiliter describuntur cogitationes, opera, oculorum conversiones, animi motus. Sed metum solvit benignus Judex, qui peccati chirographum decreti discindit ; nec modo discindit, sed etiam aquis baptismatis abluit, ut ne vestigium elementi vel syllabæ manens, præteritorum monumentum malorum esset. *Non habentibus illis*, inquit, *unde redderent, donavit utrisque.* Viden' humanum fœneratorem, quomodo fœneretur, nec exigat ? quomodo etiam erga ingratos non torpescat, sed illis etiam manus expandatur. *Non habentibus*, inquit, *illis unde redderent, donavit utrisque.* Dimisit non habentibus, non autem nolentibus : aliud enim est non habere, aliud nolle. Exempli causa ; Deus a nobis nihil requirit nisi pœnitentiam : quare vult nos gaudere semper et ad pœnitentiam accurrere. Si ergo nobis pœnitere volentibus, peccatorum multitudo pœnitentiam nostram infirmam ostendat, non quod nolimus, sed quod non habeamus, debitum non solvimus. Ideo ergo dicit, *Non habentibus illis*, ut ostenderet se, cum videret illos volentes quidem per pœnitentiam debitum reddere, non valentes autem ob multitudinem peccatorum, utpote benignum ipsis dimisisse, nec ex actu, sed ex proposito voluntatis ipsos a debito liberasse. *Non habentibus* igitur *illis unde redderent*, non flagris, non tormentis, non contumeliis adhibitis *donavit utrisque. Quis ergo eorum magis diligere debet ? Respondens Simon dixit, Æstimo quia is, cui plus donavit.* Vide Pharisæi cautelam : ut vidit se verbo ze-

ritatis exclusum, illud, *Æstimo*, protulit, perfectam dare responsionem metuens. Dominus vero non mentem ejus, sed responsionem abripiens, dixit illi : *Recte respondisti. Et conversus ad mulierem Simoni dixit : Vides hanc mulierem* peccatricem, quæ a te repellitur, a me servatur? *Intravi in domum tuam;* tua enim non mea domus est, quæ est convicio plena; *aquam pedibus meis non dedisti*, pedibus propter te pulvere conspersis, qui labores sustinuerunt, ut eos qui laborant et onerati sunt a labore liberem. Dimidiam partem honoris obtulisti, dum superiora miratus, inferiora non excoluisti. Sed tu quidem aquam pedibus meis non dedisti; hæc vero fontes lacrymarum e palpebris emittens, peccati sui sordes abstersit. *Osculum mihi non dedisti;* utinam nec Judas dedisset, qui osculo me prodidit! *hæc autem, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti :* nam *Oleum peccatoris non impinguet caput meum* (*Psal.* 140. 5); quomodo enim caput honorasset, qui pedes neglexerat? *hæc vero pedes* etiam, ut in prophetia ferebatur, *unguento unxit : Unguentum* enim, inquit, *evacuatum nomen tuum* (*Cant.* 1. 2); evacuatum, non effusum. Quia enim vas Judaicæ sententiæ sordidum erat, ideo ex alabastro vestro in pedibus meis evacuatum est unguentum, ut ex me in gentes boni odoris gratia emanaret. *Propter quod dico tibi, Remittuntur ei peccata multa :* quia tu, cum me contubernalem excepisti, non osculo honorasti, non unctione excoluisti; hæc vero quæ multorum oblivionem malorum impetravit, honoravit me et lacrymis et unguentis, quasi duplicem craterem miscens. Beatam ergo prædicemus mulierem, quæ Evæ mala obtexit; peccatricem illam meretricem, quæ bona conciliat; quæ pœnitentiæ modos ostendit, quæ benignitatis legem aperuit, quæ ipsum judicem advocatum habuit, quæ lacrymis judicii lamentum vicit. Quotquot ergo adestis, imitamini ea quæ audistis, ac meretricis non voluptatem, sed fletum æmulamini. Voluptas quippe fletum genuit, fletus solutionem conciliavit. Abluite ergo corpus vestrum, non aquis, sed lacrymis; ungite membra, non unguentis, sed castitate; induite, non texturam ex serico, sed incorruptum continentiæ vestimentum; ut eamdem consequamini gloriam, gratiam emittentes Agno Dei, qui tollit peccatum mundi. Ipsi gloria, honor et adoratio, cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

IN ILLUD, PATER, SI POSSIBILE EST, TRANSEAT A ME CALIX ISTE (*Matth.* 26. 39.) IN MAGNA PARASCEVE.

Non dissimiles sunt Ecclesiæ doctores matri prolis amanti, quæ nullum laborem recusat ut dilectissimos filios nutriat. Quemadmodum enim illa mammam proferens perennem lactis escam dilecto infanti præbet : ita et Ecclesiæ doctor, mentis suæ mammam filiis Ecclesiæ proferens, cum animi desiderio lac sugere hortatur : ac sicut mater postquam infans lac sugere desiit, duriorem panem in micas resolvens, oleraque condita, et igne emollita in cibum afferens vitam tenellis infantibus subministrat : ita et doctor post institutionem divinorum sermonum, quasi misso lacte, panem verbi explicatu difficilis gladio Spiritus dissecans, ac diversas interpretationes speculationesque Scripturarum in unam doctrinæ mixtionem colligens, verbi cibum attemperatum filiis suis impertit. Idcirco nos, dilecti, postquam præteritis diebus vos facili sermone tamquam lacte nutrivimus, ad doctrinæ speculationem vos agamus, Spiritu sancto vobis sermonis cibum condiente. Panis autem verbi in mensa Scripturarum nobis talis apponitur : Cur Dominus noster Jesus Christus, qui pro omnium vita passionem et mortem subiturus venit, cum ad præclaram crucem accederet, dixit : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Plerique enim sapientiæ scopum non intelligentes, nec attendentes thesaurum in hoc dicto absconditum, metum ipsi imputant. Sed agite nos quoque, dilecti, cum ipso sicut infantes colloquamur, ut ejus sensa in nobis quasi infantes transferamus. Dicamus ergo illi non ut perfecti, sed sicut infantes : Quare, Domine, veniens ut pro nobis patereris et crucifigereris, times et sic precaris : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste?* Si teipsum exinanisti formam servi accipiens, nemine cogente, cur nunc altum rogas et dicis, *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste?* Atqui coarctabaris et festinabas ad hunc calicem bibendum dicens : *Baptismo habeo baptizari : et quomodo coarctor, usquedum bibam illum* (*Luc.* 12. 50)? et qui coarctabaris et festinabas ad bibendum illum, jam recusas et dicis, *Pater, si possibile est, transeat hic calix?* num ignorabas te pro nobis mortem esse passurum? Atqui tu dicebas, *Oportet Filium hominis tradi et crucifigi, et tertia die resurgere* (*Matth.* 16. 21). Cur ergo, cum prope crucem advenisti, recusas et dicis, *Si possibile est, transeat hic calix?* Et si hoc volebas, cur Petrum te cohibentem increpasti? dicebas enim : *Oportet Filium hominis crucifigi et sepeliri, et tertia die resurgere.* Dicebat vero Petrus : *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc :* cui indignatus dicebas, *Vade post me, satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum* (*Matth.* 22. 23). Si ergo illum tunc increpabas ut humana loquentem, cur nunc illud quæris quod ille impedire volebat, et dicis : *Pater, si possibile est, transeat hic calix?* Te Creatorem visibilium et invisibilium esse discimus : nam morbos tactu manus curasti, mortuorum resoluta corpora verbo firmasti, fontes sanguinis per fimbrias vestimentorum exsiccasti, ex quinque panibus quinque millia virorum satiasti, ventis et mari imperasti, et omnia tibi cum tremore obedierunt; et tot miraculorum Opifex, qui mortem solvisti, nunc mortem times et dicis : *Pater, si possibile est, transeat hic calix?* Si tu mortem times, in quo tandem vitæ spem habebimus? si mortem times, quomodo dicis, *Ego sum vita et resurrectio* (*Joan.* 11. 25)? Vita enim et resurrectio mortem numquam timebunt. Quid sibi vult illud quod dicis, *Pater, si possibile est, transeat hic calix?* num tu ignoras, qui nosti omnia antequam fiant? ignoras num possibile sit hunc calicem transire? Et quomodo dicebas, *Nemo novit Patrem, nisi Filius* (*Matth.* 11. 27)? et Patrem nosti, quo majus nihil est, an vero calix possit transire nescis? cur Paulus quoque dicit, *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* 4. 13. *et* 12); ac rursus, *Vita enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.* Si ergo nulla est creatura invisibilis in conspectu ejus, sed omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, quomodo tu nunc ut ignorans dicis, *Pater, si possibile est, transeat hic calix a me*, nisi quodpiam occultum mysterium sit in verbo? Non tibi competit, Domine, tale dictum : nam Deus es, Dei Filius, Verbum, sapientia, virtus, lux, sol justitiæ, fons immortalis, vita æterna, nobis qui peccato mortui sumus resurrectio. *Pater, si possibile est, transeat hic calix.* O quam difficile dictum est, quam arduum, quam obscurum! o quam arctum et quam multos exercitat homines! Doce nos, Domine, hoc verbi tui mysterium : nam tui sumus, et tibi credidimus. Ne extollatur in blasphemia sua Euno-

mius ille gigas, neque exprobret castris Domini Israel : ille namque nobis exprobrat, et in te Dominum nostrum reflectitur contumelia. Excita mentem et cor nostrum, ut mitissimum Davidem : da nobis unum verbi lapidem, ut illum funda jacientes, caput impietatis eorum dissolvamus, ut hodie omnes in castris cognoscant, *Quoniam tu solus es Dominus altissimus super omnem terram* (*Psal.* 82. 19). Magnus nobis instat hæreticorum cœtus, quid dicens? Viden' quomodo timeat ac formidet? viden' quomodo Patri supplicet dicens, *Pater, si possibile est, transeat a me calix?* Nunc Eunomius gaudet; nunc Arius lætatur, quasi invenerint blasphema verba quæ contra veritatem sibilent. Verum ne lætemini omnes alienigenæ : contritum enim est jugum percutientis nos : *Nobiscum Deus* (*Num.* 14. 9). Cognoscite gentes, et superemini. Si enim rursum invalueritis, rursum vincemini, et quodcumque consilium inieritis, dissipabit Deus. Os enim Domini hæc loquutum est : *Pater, si possibile est, transeat hic calix.* O calicem vita et immortalitate plenum! quem accipientes Eunomius et Arius, et prava sua fide sordidantes, propinant proximo subversionem insidiosam, qui dulce ejus sensuum temperamentum amarum esse putant : neque illud, *Væ*, formidant, dicente Scriptura : *Væ ei qui propinat proximo suo subversionem insidiosam* (*Habac.* 2. 15). *Væ qui dicitis amarum dulce, et dulce amarum, ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes* (*Isai.* 5. 20 21). Nos autem, dilecti, accipientes calicem Domini nostri, contentam in ipso doctrinam cum desiderio animi hauriamus. *Pater, si possibile est, transeat hic calix.* Non ut tu existimas, Ari, formidat Dominus noster, aut mortem timens hæc loquitur? quomodo timuisset ille, qui potestatem habebat moriendi et non moriendi? dicit enim : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* 10. 18). Si namque coactus a quopiam fuisset, recte dixisses ipsum timuisse; nunc autem dicit ille : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam;* id est, Non cogor a quopiam, quandoquidem dicit, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo sumendi eam.* Sed sicut memetipsum exinanivi, formam servi accipiens, nemine me cogente, mihique corpus ædificavi : nam *Sapientia ædificavit sibi domum* (*Prov.* 9. 1) : eodem modo possum corpus morte solutum per vitam excitare. Ego enim sum qui dixi : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (*Joan.* 2. 19). Itaque non timens, nec formidans mortem illud dico, *Pater, si possibile est, transeat hic calix;* sed occulti mysterii verbum proferens. Hoc dictum esca est diabolo : oportet me ipsum his verbis quasi hamo capere. Videbat diabolus me multa signa fecisse, morbos manu curavisse, legiones dæmonum verbo fugasse, leprosorum pustulas verbo quasi ventilabro obrasisse, paralyticorum genua verbo firmasse, ventos et mare increpasse, omniaque mihi cum tremore obedivisse; ac cum ex ipsis operibus videret me esse Filium Dei, cogitavit, si ego crucifigerer, se periturum esse; si ego descenderem ad inferos, vectes ipsius ferreos me confracturum, et portas æreas contriturum esse. His ille conspectis, refugit et timet ne pretiosum crucis tropæum erigam. Quid ergo facio? Ut sapiens piscator metum et timorem mortis simulo, et dico, *Pater, si possibile est, transeat hic calix;* ut ille ex humilibus his verbis meis putans me hominem esse timidum, qui mortem fugerem, festinaret in medio terræ ligni crucis mysterium erigere, contra me, ut putavit. Oportet igitur me, ut sapientem piscatorem, contra illum arte uti; oportet me omnia sustinere pro omnium vita. Si enim ille ab initio arte usus est ad Adami exitium, multo magis ego arte utar pro omnium salute : verbis dolosis Adamum decepit, verbis divinis decipietur dolosus ille. *Pater, si possibile est, transeat hic calix a me* Nisi piscator, cum hamum demittit in mare, aliquando vermem in hamo poneret aliquando vermem ut fugientem monstraret, pisces non insilirent in eum. Hamo divinitatis meæ vermem corporis circumposui : demisi hamum, occultatum sub verme corporis, in profundum vitæ hujus; nisi vermis ut vermis moveatur, qui hamo capiendus est ad hamum non accedet. Oportet ergo me in vermis figuram transire et loqui : Nam *Ego sum vermis, et non homo* (*Psal.* 21. 7); ut ille accurrat, et hamum aggrediatur atque a me trahatur, impleaturque quod scriptum est in Jobo : *Ages autem draconem in hamo* (*Job* 40. 20). Me gero ut homo timens, et mortem fugiens; dico, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* 26. 38); dico, *Pater, si possibile est, transeat hic calix.* Hæc ille verba audiens gaudet et lætatur; festinat enim ut contra me agat. Cum audit, *Pater, si possibile est, transeat calix iste*, lætatur : et quid dicit in seipso? Hic quoque homo est. Deglutivi Abrahamum, Isaacum et Jacobum, patriarchas et prophetas : hunc quoque deglutiam. Ecce namque ut homo timet : homo est, deglutiam illum. Deglutiat me ut hominem, et in ventre suo inveniet me operantem ut Deum. *Pater, si possibile est, transeat hic calix.* Deglutiat fermentum corporis, et inveniet carbonem inextinguibilem divinitatis, ipsum graviter intus urentem : nam *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* 12. 49). *Pater, si possibile est, transeat hic calix.* Loquar ut agnus, nolo ut videat splendentem gladium divinitatis, ne fugiat lupus ille. Deglutiat me ut agnum, et ab eo qui intus est triplicis aciei gladio confodietur : *Non veni pacem mittere illi, sed gladium* (*Matth.* 10. 34). *Pater, si possibile est, transeat hic calix.* Abscondo pastorem Deum in agno corporis : nolo manifestum reddere pastorem Deum, ut ne lupus fugiat : si pastorem videat, abscedit lupus. Loquar ut agnus : *Pater, si possibile est, transeat hic calix.* Loquar ut agnus, qui pastorem non habet : nam factus sum sicut homo sine adjutorio. Deglutiat me ut agnum, et ab eo, qui intus est, pastore baculo crucis conteretur : mandet granum sinapis, et inveniet acrimoniam divinitatis graviter ipsum cruciantem : mandet me ut hominem, et inveniet firmam petram, quæ dentes ejus vehementer confringet; ut discat non ultra homines mandere, et implebitur id quod scriptum est : *Deus conteret dentes ejus in ore ipsius* (*Psal.* 57. 7). *Pater, si possibile est, transeat hic calix.* Si sciret qualis sit hic calix, quem ego per simulationem deprecor, ipse precaretur ut transiret : illum namque confodit, meis autem est salutaris. Cum me deglutiet, tunc sentiet quem deglutierit : cum viderit per me solem obtenebratum, diem obscuratum, tunc ipse in amaritudine erit; et implebitur id quod scriptum est : *Infernus subter exacerbatus est, occurrens tibi* (*Isai.* 14. 9). *Pater, si possibile est, transeat hic calix.* Ne itaque vobis offendiculo sint hæc verba sapienter dicta : exspectate, et videbitis verborum meorum eventum, et tunc mirabimini sapientiam eorum. Putat stultum esse Dei artificium, ac nescit illud, *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* (1. *Cor.* 1. 25) : ex his verbis infert me infirmissimum esse; ac nescit illud, *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Nescit me quidem bibiturum esse calicem, ipsum vero inebriandum et obtenebrandum esse, meos autem e somno surrecturos et evigilaturos. Nunc gaudet his auditis verbis meis, *Pater, si possibile est, transeat hic calix :* cum vero deglutierit me, cum viderit petras scissas, et monumenta sepulcraque dirupta seque ipsum discissum, et mortuos resilientes, atque in cælum exsilientes, tunc de iis dolebit de quibus nunc gaudet. Nescit se eum quem parat laqueum in seipsum parare, foreque ut in ipsum incidat, secundum hanc scripturam, *Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit* (*Psal.* 7. 16) : nescit crucem illam quam erecturus est, mihi lectum, sibi crucem fore; mihi thalamum, sibi mortem. O calicem, qui diabolum confodit, dæmonas fugat! o scelerum ventilabrum, vitæ officinam, pec-

catorum propitiatorium, immortalitatis poculum! *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Scit infelix omnia quæ dixi, facta fuisse : audivit dicentem, *Gratias tibi ago, Pater, quia exaudisti me : ego autem sciebam quia semper me audis* (*Joan.* 11. 41. 42). Nunc vero quia precatus sum ut calix mortis transiret, ut ne existimans per orationem meam calicem esse transiturum, circa crucis negotium segnior fieret, orationis eventum dubium reddo, et dico, *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Patri meo assigno mortis potentiam ; etsi ego potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Divinam meam dignitatem tegumentis rationabilibus occulto; verbis humanis divinitatis meæ potentiam abscondo; dico, *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Nescit cæcus ille meam et Patris mei voluntatem unam esse : *Omnia enim quæcumque habet Pater, mea sunt* (*Joan.* 16. 15) ; et, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* 10. 30). *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Suspendet granum frumenti, et cum deglutierit me, videbit scipsum a triplici funiculo strangulari. At fortasse dicet auditorum quispiam : Ergo Christus illusit diabolo : an licebat ipsi illudere ei? Cui respondebimus : Lege Scripturas, et invenies ipsum Patrem Moysi dicentem : *Vides quantum illusi Ægyptiis* (*Exod.* 10. 2) ? Itaque Dominus etiam illusit diabolo et dæmonibus. Oportebat enim ipsum derideri ut stultum et magnifice loquentem ac dicentem : *In fortitudine mea faciam, et in prudentia manuum mearum auferam terminos gentium, et orbem totum ut nidum comprehendam, et ut derelicta ova tollam, et nullus erit qui resistat mihi* (*Isai.* 10. 13. 14). Oportebat ergo et illum et dæmonas illudi, ut ostenderet Christus illos qui sese ita jactarent pueris esse insipientiores. Certe nesciebant quid facerent : nam *Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent* (1. *Cor.* 2. 8). Prænuntiabat autem propheta de hoc dracone, fore nempe ut illuderetur, dicens : *Draco iste quem formasti ad illudendum ei* (*Psal.* 103. 26). Sed ne longius orationem extendentes, videamur impedire eos qui secundum nos volunt Scripturæ sensum clarius efferre, hic silentio sermoni finem imponamus. Hoc enim caput tractandum suscepimus, non quasi possemus nihil prætermittere, sed ut secundum facultatem nostram dissereremus, studiosisque occasionem daremus : *Da sapienti occasionem, et sapientior erit* (*Prov.* 9. 9). Vos autem, dilecti, ex Scripturis colligentes ea quæ hæc dicta firmare possunt, quæ captu difficiliora sunt, magis explicate. Neque enim timoris causa Dominus noster, ut diximus, calicem mortis recusat, sed divina dispensatione ; ut ex meis perquam minimis verbis et sententiis, exque vestris laboribus gloria Christo referatur, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

IN PARABOLAM SECUNDUM LUCAM, QUÆ SIC HABET : HOMO QUIDAM DESCENDEBAT, ET INCIDIT IN LATRONES (*Luc.* 10. 30).

Vere secundum divinum apostolum, *Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium* (1. *Cor.* 9. 24). Cucurrit hodie sacerdos, cucurrit Levita, et Samaritanus solus accepit bravium. Illos enim, qui ante se venerant et cucurrerant, sine labore currens transilivit : quæ enim ii, qui legem edocti erant, non fecerant, recte fecit alienigena. Illi namque videntes in alio communem naturam periclitantem, viscera misericordiæ occluserunt, et clausis oculis jacentem illum quasi columnam mortuam præterierunt, sicut ille olim dives projectum foribus suis Lazarum : Samaritanus vero infidelis, imo fidelior sacerdotibus, rerum suarum oblitus, peregrinum consolatus est, et misso urgenti negotio, ad curandum vulneratum festinavit, et quam non noverat legem implevit, ac quæ legis erant omnia perfecit. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ sunt legis faciunt ; hi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia, et inter se invicem cogitationibus accusantibus* (*Rom.* 2. 14. 15). Quid ergo ait evangelista? *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones : qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis, abierunt semivivo relicto. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via : ac viso illo præterivit. Similiter et Levita, cum esset secus locum, ut venit et vidit, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, et videns eum, misericordia motus est : et appropinquans alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum ; et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit. Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait illi : Curam illius habe ; et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi* (*Luc.* 10. 30-35). Discamus ergo quæ sit Jerusalem, quæ Jericho, qui latrones in quos incidit, quod vestimentum quo exuerunt illum, quæ plagæ quas homini imposuerunt, et cur abierunt semivivum relinquentes ; quis sacerdos, quis Levita, quis Samaritanus ; quid oleum, quid vinum, quæ ligamina, quid jumentum, quid stabulum, quis stabularius, qui duo denarii, quæ supererogatio quam reddere promisit, quis reditus Samaritani. Quis ergo est homo qui descendebat ab Jerusalem in Jericho? Jerusalem est paradisus, Jericho hic mundus ; homo qui descendebat ab Jerusalem in Jericho, est primus parens Adam : excidens enim ex paradiso, descendit in Jerichô, hoc est in hunc mundum. *Et* veniens *incidit in latrones ;* id est in malignos dæmonas sanguinarios : qui exuentes illum vestimento immortalitatis, quod ante peccatum gestabat, induerunt eum foliis ficus Cur foliis ficus? Quia ficus aspera est et acerba. Quoniam autem post peccatum asperitas rerum adfuit illi et amaritudo multa, ideo indutus est foliis ficus. *Et plagis impositis,* id est, hujus vitæ doloribus. *In sudore vultus tui comedes panem tuum ;* et, *spinas et tribulos germinabit tibi terra ;* et, *In doloribus paries filios* (*Gen.* 3. 17. 18. 16). Hæ sunt plagæ animæ. *Et abierunt, semivivo relicto.* Neque enim Adam transgressus legem Dei, inter vivos erat, neque omnino mortuus, quod non omnino Deum negasset. *Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via.* Non dixit, κατα συντυχίαν, sed κατὰ συγκυρίαν. Nam κατὰ συντυχίαν est, cum quis insperato et fortuito advenit ; κατὰ συγκυρίαν vero est, cum quis per Dei providentiam aliquid fecerit. Hic vero per Dei providentiam descendit sacerdos illa via, *Ac viso illo præterivit. Similiterque Levita.* Quis ille sacerdos, quis Levita? Sacerdos est lex Mosaica ; Levita propheticus sermo. Hi itaque per Dei providentiam venerunt ad curandum eum qui a latronibus sauciatus fuerat : cum non possent autem illum curare, præterierunt. His igitur jacentem erigere non valentibus, venit Samaritanus, qui est Dominus Christus, custos animarum nostrarum ; Samaritanus enim significat custos. Ideo dicit : *Samaritanus iter faciens venit.* Nec dixit, Venit ad eum, sed, *Venit secus eum ;* id est, carnem gestans sicut ille, corporali passioni subjectus ut ille, sed sine peccato. *Et videns eum, misericordia motus est super eo, et accedens alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum.* Quæ sunt ligamina, quid oleum, quid vinum? Ligamina sunt præcepta Christi ; oleum, sanctum chrisma ; vinum, mysterium fidei. Per hæc tria

animæ nostræ vulnera curat. Hæc sciunt initiati. *Imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum.* Jumentum suum dicit Christus corpus quod pro nobis sumpsit ex intemerata Virgine. Imposuit ergo jumento suo eum, qui sauciatus fuerat a latronibus : quia, secundum prophetam Isaiam, *Ipse infirmitates nostras suscepit, et ægritudines portavit* (*Isai.* 53. 4). Et *Duxit in stabulum* ; id est, in sanctam Ecclesiam ; *et curam ejus egit*, primo per seipsum. *Altera autem die exiens*, id est, post sanctam resurrectionem, *proferens duos denarios dedit stabulario.* Quis est stabularius, qui duo denarii ? Stabularius est Paulus apostolus, cui commissa est Ecclesia ex gentibus : stabularius autem πανδοχεὺς vocatus est, quod omnes excipiat et omnes ad salutem trahat. Proferens Christus duos denarios post resurrectionem, Vetus nempe et Novum Testamentum, dedit stabulario dicens : Curam illius habe : populum ex gentibus trado tibi, vulneratum a latronibus sanguinariis : solum curam illius habe, et quod supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi. Quid ergo plus expendit Paulus, quam illos denarios ? Quatuordecim epistolas, quas gentibus misit. Quid sibi vult illud : *Ego cum rediero reddam tibi ?* In secundo meo adventu, quando veniam judicaturus vivos et mortuos, cum rediero, reddam tibi quæ supererogaveris : ut et ipse Paulus dicit : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus Judex : non solum autem mihi, sed illis omnibus qui diligunt adventum ejus* (2. *Tim.* 4. 7. 8). Talem ergo coronam, fratres, nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

IN NATALE S. JOANNIS PROPHETÆ, PRÆCURSORIS ET BAPTISTÆ.

Opportuna dies solemnitatis et universalis lætitiæ, in qua subit in mentem Gabrielis ministerium et Zachariæ sacerdotium, ac mecum reputo eum qui ob incredulitatem mutus factus est. Audistis enim evangelistam Lucam, qui medicinæ utilem officinam nobis hodie aperuit. Arte quippe medicus erat Lucas evangelista ; sed tum corporum curator erat, nunc res circumquaque gestas recenset : artem cum arte mutavit, et circuitio circuitionem excepit. Quid igitur ait Lucas bonus ille medicus ? Audistis eum modo dicentem : *Secundum consuetudinem sacerdotii sorte exiit ut incensum poneret, et ingressus est in templum Dei Zacharias : et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Et ecce angelus Domini apparuit ei, stans a dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. Dixit autem ei angelus : Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua : et ecce uxor tua Elisabet pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem* (*Luc.* 1. 9-13). O stupendum et arcanum miraculum ! Jure Zacharias contradixit angelo. Aliam consolationem postulabat, aliam accepit : pro populo precabatur, et filii pater vocatus est : veniam peccatorum quærebat, et ex sterili utero promissionem accepit. Malebat Zacharias animas peccatorum sanari, quam Elisabetæ uterum intumescere. Jure Zacharias turbatus est, metu correptus : homo quippe erat mutationi obnoxius, etiamsi sacerdotali dignitate amictus. Dixit autem statim Zacharias, sed mente tantum, ut vidit angelum : Novus certe est viri adventus, nova promissio. Quis est hic, qui fidenter in sacro templo incedit ? quis est hic, qui stat a dextris altaris incensi ? quis est hic tam novæ et tam fulgidæ formæ ? quis est hic ? non vidi hominem alatum umquam, neque avem hominis forma. Quis est hic, qui timore animum meum occupat ? quis est hic lucifer ex ore, qui occlusis labiis magna loquitur ? quis est hic, qui meam sacerdotii vicem observat ? quis est hic, qui intercessionem meam impedit ? Multitudo populi foris exspectat me orans, quasi cælestis Regis scribam ; et hic intus me detinet. Per me supplicationes Regi obtulerunt, veniam peccatorum rogantes. Hæc precor deleri, ut populo quod desiderat referam, ut vicis meæ officium perficiam. Desine ergo, quisquis sis, me perterrefacere. Si angelus a Deo missus esses, opem mihi præstares, erga eos qui foris lacrymantur misericordia ducereris, in partem mœroris venires. Abscede ergo. Quis es, qui mihi timorem incutis ? Filium habere non curo : quid mihi filium promittis ? quod lucrum populo, si filium habeam ? quæ utilitas, si Elisabet puerum lactet ? quod lucrum, si ego heredem relinquam ? Abi ergo quisquis sis, qui me terrefacis : abscede a me. Ætate provecti sumus, tempus serendi transivit, exstincta est nuptialis cupiditas, tempus calorem refrigeravit, sterilitas fructum negavit, natura contra seipsam pugnavit, ambo parte genitali mortui sumus. Cum juventus non floruerit, quomodo senectus germinabit ? Hæc apposite Zacharias. Angelus vero ait illi, ut modo audisti : *Ne timeas, Zacharia*, neque cogitationibus turberis : angelus sum lucis, non tenebrarum : Gabriel sum ego, unus ex principibus cælestis Regis. Mandatum affero, non cum potestate jubeo ; missus sum qui tibi significarem, non qui te invaderem. Specie quadam amictus sum, non nuda substantia tibi appareo : nam tuam curat vitam qui misit me. Ne timeas, Zacharia ; missus sum qui nuntiarem tibi, non qui te percellerem. Senectutem objicis, senium proli ineptum, vulvam non satam. Et quis voluntate sua gignit ? Dei donum est : num hominis est inventio ? non audisti Dominum dicentem, *Ego sum qui facio hominem, et formo in homine spiritum* (*Zach.* 12. 1) ? Non credis, Zacharia ? Quomodo Adam formatus est ? quomodo Eva creata fuit ? quomodo Isaac genitus est ? Obediendo Abraham non frustratus est : et tu sacerdos non credis ? An impossibile est apud Deum omne verbum, o Zacharia ? Propter senectutem repugnas, o senex ? corpus emortuum Deo efficacius esse definis ? Nisi videres Abrahami exemplum, recte dubitares. Naturalem infirmitatem obtendis, et præsenti divinæ promissioni non credis, sed dubitas et contendis ? Parva petis, et magna accipis ; atque ut damnum patiens clamas, Zacharia ? Pro Judaico populo tantum precaris ; ego vero annuntio tibi omnes gentes ad salutem vocari. His auditis Zacharias, paulum averso vultu, angelo sic respondit : Quid dicis, o angele ? uxor mea pariet ? Quid enim ? ideone precor, aut incensum in officii mei vice moveo, ut prolem populo ostendam ? Veniam peccatorum peto ; num sterilitatis solutionem desidero ? synagogam pondere liberari volo ; num etiam Elisabetam uterum gestare cupio ? vulneratas animas sanari peto ; num etiam exsiccata ubera lac fundere postulo ? Quid dicis, o angele ? uxor mea pariet ? Et quid inde lucri iis qui foris precantur ? annon hæc audientes me lapidabunt dicentes, me non pro illis et communis salutis causa, sed pro me tantum esse sacerdotem ? meque non verbum, sed prolem accepisse ? Non curo prolem ; absit ; id nolo. Quod postulabam non accepi, et nunc alia pro aliis mihi indicas. Prolem nihil curo ; sterilitatis morbus adest. Annon tempus cupiditatem demessuit ? annon infirmitas naturæ coitum prohibet ? De suscipienda prole nihil curo. Sine baculo incedere non valemus, et quomodo nunc jubemur suscipiendæ proli operam dare ? Senectus naturam negavit : res fidem omnem

superat. Sepulcrum conspicimus, et nutricem conducemus? De suscipienda prole non cogito. Populi salutem quæro et gentis felicitatem, inimicorum captivitatem, populi prosperitatem, non vagitus, fascias, infantiles escas. Hujusmodi res non curo. Quomodo pater legitimi filii inveniar? Senectus fidem repellit, extra naturam res est, genitales partes solutæ sunt : baculum ut equum tenens incedo, et ad conjugalem me operam excitas, quando totum corpus in sepulcrum versum est? Quomodo id cognoscere possim? dic mihi, o maxime Gabriel (necesse quippe est illud ignorantes docere; Gabriel homo Dei significat) : dic, quomodo hæc cognoscam? Ecce tremunt membra mea : ambo præ senectute terram conspicimus. Si altera pars juvenis esset, altera senectute laboraret, parva saltem hujusmodi spes superesset : at utriusque corpus collapsum est. Nihil aliud exspectamus nisi falcem mortis, ut spicæ ad messem maturæ. Si tandem vera dicis, domine Gabriel, aliud præcedat signum, pignus mihi dato ut mirabili credam promissioni. Quæ mihi notitia dabitur? Aaron non credidisset, nisi virga floruisset : Moyses non certior factus esset, nisi manus ejus candens fuisset : Gedeon non intellecturus erat, nisi ros in vellus decidisset : Ezechias non cogniturus erat, nisi sol retro cessisset. Quomodo id cognoscam? Da signum, et juvenis more choreas agam : da signum, ut ne Elisabet temere rideat ut Sara. Quæ mihi certa rei notitia, archangele nuntie? undenam mihi manifesta erunt dicta tua? Si secundus Abraham videar, eadem, quæ Abrahamo, mihi evenient. Intra in domunculam meam, et abluam pedes tibi, qui viam emensus es; et apponam tibi mensam mysterio plenam, farinæ sata tria Elisabet subiget, Ecclesiam præfigurans. Pete vitulum, ut des prolem. Quomodo id cognoscam, o tu, qui de cælo in terram veniens bona nobis nuntias? cur mihi pueri nomen, angele, prædicis? cur non exsistentis virtutes enumeras? Ostende mihi illud quod est supra naturam, ut credam rei quæ præter naturam est. Si cælum in fornicem vertatur, ego quoque renovabor : si maris mensuræ ducantur, uxor mea Elisabeta obstetricem accerset : si sol comprehendatur, sicca ubera lac emittent : si luna concutiatur, sicca vulva humida fiet. Quomodo id cognoscam? *Ego enim senex sum, et uxor mea processit in diebus suis* (*Luc.* 1. 18). Reponit angelus Zachariæ : Deumne in pignus postulas? infirmitatem firmiorem Dominica promissione definis? de illo qui bona tibi nuntiat judicium ferre non times? Quomodo id cognoscam, dicis, o Zacharia? Num in Ægyptum mitteris, ut timeas Pharaonem? Quomodo id cognoscam, dicis, o Zacharia? Nihilne Deus supra naturam facit? naturæ consequentiam quæris, et non vides divinitatis stupendum opus? Dic mihi, Zacharia, terræ columnæ ubi fixæ sunt? cæli expansio ubi perficitur? nubium formatio ubi reperitur? pluviarum stillæ ubi formantur? nivis globuli ubi conduntur? solis cursum quis dirigit? lunam interdum decrescere quis curat? stellarum multitudinem quis numerabit? mare furens quomodo arenam reveretur? fluvii præcipites quomodo commiscentur? densæ nubis tenebræ quomodo texuntur? homo quomodo in vulva formatur? femina cur masculo delicatior est? Deo similis anima quomodo repente in corpore reperitur? Quomodo id cognoscam, dicis, o Zacharia? An naturæ consequentiam quæris, ubi divinitas operatur? non credis sterilem parere posse? quid ergo, cum audieris virginem mirabiliter peperisse? et erit incredulitas prius exercita ad fidem; jam enim incredulitas circa sterilem punietur, ut de miraculo circa Virginem non dubites. *Eris*, inquit, *tacens, nec loqui poteris* (*Ib. v.* 20). O clementem ultionem, quæ emendationem parit! Illam vocem quæ peccaverat emendat angelus, illam frenat linguam nimis audacem. *Erat*, inquit, *innuens ipsis, et permansit mutus* (*Ibid. v.* 21). Recte evangelista scripsit illud, *Permansit*. Taciturnitas enim vocem quæ pariebatur exspectabat, Zacharias Joannem, senex puerum, sacerdos prophetam. Hinc dicit angelus : Quoniam ut incredulus signum a Deo quæris, in membris tuis signum accipe quo flagelleris. *Eris*, inquit, *tacens, et non poteris loqui, usque in diem quo hæc fiant.* Ubi enim est contradictionis instrumentum, ibi supplicii præceptum; ubi petulantiæ audacia, ibi correctionis frenum; ubi contumelia recalcitravit, ibi ultionis sententia. Volebat quidem Deus, o Zacharia, te præconem hujus miraculi esse. Nunc enim gignitur is qui Regi dux exercitus erit, et remissionis peccatorum in mundo præparator : quia vero infirmitatem corporis firmiorem Domini præcepto fecisti, ideo *Eris tacens, nec poteris loqui, usque in diem, quo hæc fiant : pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.* Vides sine fide nihil, ut oporteret, perfici. Ut audivit hæc verba Zacharias, statim ex templo exiit, mercedem incredulitatis referens taciturnitatem. O miraculum! ingressus fuerat ut alios liberaret, et castigatus exiit : qui incensum ad ministerium ferebat, exsilii titulum retulit. Populus exspectabat aliquid boni audire ab illo; et ipse innuit, Nemo ad me accedat, nemo me interroget, Dominicæ indignationis terrorem gesto. O res stupendas! Zachariæ os obturatur, et Elisabet bene agit; lingua coercetur, et uterus tumet; expedita lingua sterilis est, et sterilis infructuosa mater efficitur; transfertur morbus uteri in linguam; vox frenatur, et semen liberatur : Zacharias tacet, et Joannes exsultat. Ubi solum vidit sterilis Virginem, lucifer solem agnovit, ac multum exsultavit Joannes in utero matris, naturæ tarditatem incusans. Domini, inquit, præco sum, et quomodo, ut conservi mei, constringor vinculis? Tempus parturitionis præveniam : non exspectabo partum, ne perdam cursum, ne Dominus præveniat servum in prægnantis utero involutum; ne naturæ series sit perversio ordinis. Novi præsentem, et tacere non possum : novi eum qui me præmisit ante faciem suam, ut parem viam ejus ante faciem ipsius. Concutio vincula naturæ : nam prædicare festino. O res stupendas et mirabiles! quæ ignorarunt angeli in cælis, novit Joannes in utero gestatus, et dicebat matri suæ : Deum advenire Throni nesciebant, et id non fugiebat in utero gestatum : mysterium œconomiæ Dominationibus occultavit, et ei qui in utero erat revelavit : et quod venerit archangelus Deiparæ bona nuntians, fetus intus inclusus exsiliens prædicavit. Adveniens enim, ut modo audistis, generis nostri Redemptor, statim atque in utero fuit, amicum suum Joannem adiit : videreque erat figulum amplectentem lutum, regem in militis tabernaculo versantem, Dominum in servi domunculam euntem. Quem ex vulva in vulva videns Joannes, naturæ terminos prætercurrere tentavit : Non novi, dicens, eum qui naturæ terminos posuit Dominum; non exspecto tempus partus; non necessarii mihi sunt novem menses ad partum; hoc claustro opus non habeo. Et cur non transilio vincula me colligantia? Exibo : prædicabo stupendarum rerum brevem summam : indicium sum divini adventus, tuba sum incarnationis divini Verbi. Clangam, et paternam linguam ad loquendum expeditam reddam : clangam, et maternum uterum emortuum vivificabo. Vide stupendum mysterium : nondum natus est, et saltibus loquitur; nondum apparet, et comminationes mittit; nondum clamare potest, et per opera auditur; nondum vitam didicit, et Deum prædicare prævertit; nondum vidit lucem, et solem novit; nondum nascitur, et præcurrere festinat. Non fert enim Domino adveniente detineri, non vult exspectare partus terminos, sed uteri carcerem rumpere conatur, et prænuntiare Servatorem venientem; clamans ex utero : Qui vincula solvit advenit, et cur ego vinctus delincor? venit is qui verbo apparavit omnia, et cur ego exspecto naturæ terminos? Egrediar, præcurram, prædicabo, clamabo, præsentibus omnibus : *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* 1. 29). Et hæ quidem sunt Joannis exsultatio-

nes, imo verba. *Elisabet autem impletum est tempus pariendi, et genuit filium. Et audierunt cognati ejus et vicini, et congratulabantur ei* (*Luc.* 1. 57. 58). Cur dictum est, *Peperit, et genuit?* Quia illud quidem naturæ est opus, hoc vero supra naturam; quatenus mulier peperit; quatenus vero Spiritus sancti gratia adfuit, supra naturam genuit : aliud enim naturæ, aliud gratiæ est opus. Miraculum enim erat id quod fiebat a Joanne, et non tantum habebat ex paterno genere quantum ex Dei Verbo. Hujus rei testis est ipse archangelus Gabriel Zachariæ dicens : *Ecce uxor tua gignet tibi filium, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ : et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum : et ipse præibit ante illum in Spiritu et virtute Eliæ* (*Luc.* 1. 13. *seqq.*). O aliam stupendam naturam, pueri nempe partum! certe stupendus est, non naturalis : nam qui gignit, cum voluptate gignit; quæ vero parit, cum doloribus parit. Quia ergo Zacharias non credidit, Elisabet vero non dubitavit, serotinum præter spem accipiens filium, ideo parere et gignere dicitur; illud per naturam, hoc per fidem. Nam qui gignit, ut dixi, cum voluptate gignit; quæ vero parit, in doloribus parit. Quis autem dolor Elisabetæ, ubi Spiritus sancti præsentia erat, non imperitæ obstetricis ministerium? Quando gratiæ erat opus, non naturæ onus. Et quomodo, audi.** Miserabilis et exiguus erat labor cum lætitia comparatus. Non enim post partum Joannes gratiam accepit, sed in ipso materno utero stolam sanctitatis induit. Dux mirabilis factus est, sicut dixit angelus; *Spiritu sancto replebitur ex utero matris suæ : et ipse præcedet ante illum in Spiritu et virtute Eliæ.* Quis quem præcedet? Joannes Dominum Christum. Ideo Præcursor vocatur; ut ipsum Joannem audimus de Servatore dicentem : *Venit post me vir, qui ante me fuit* (*Joan.* 1. 30); post, propter tempus; ante, propter thronum. Cur autem Gabriel dixit Joannem in Spiritu et virtute Eliæ Thesbitæ Regem Christum præcedere? Sapienter audi : Elias Deum significat. Quia igitur Joannes Deum habuit in seipso; nam Spiritu sancto repletus est ex utero matris suæ; Spiritus vero Deus est : de ipso enim dicebat Dominus per prophetam ante multa tempora : *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te* (*Mal.* 3. 1), et multos convertet ab errore ad veritatem : ideo in Spiritu et virtute Eliæ Joannes præcedit Dominum; quoniam multa Eliæ similia habuit Joannes. Infans paritur, et vox patri restituitur. Interrogatus enim, inquit, Zacharias, quem vellet vocari puerum, *Postulavit pugillarem, et scripsit dicens, Joannes est nomen ejus* (*Luc.* 1. 63). Qui verbis angeli non credidit, nunc coactus est visionem scribere, scripto prædicans : qui dicta audiens non admiserat, nunc manu legem dat, quæ facta fuerant describens. Et postquam puero nomen dedit, vocem accepit. *Unde*, inquit, *mirati sunt omnes. Apertum est enim statim os ejus, et solutum est vinculum linguæ illius, et loquebatur benedicens Deum* (*Id. v.* 63. 64). O stupendum et novum miraculum! Scribitur nomen pueri, et os patris mutum aperitur; Joannes vocatur, et vocantis lingua restauratur. Viden' quomodo non aberravit, et nos, dum sine obice quæ congruentia sunt enarramus, non aberremus? Ecce namque ipsum justi nomen os tacens aperit, et linguam impeditam excitat. Sic enim Joannis vox clamans ostenditur; quia ejus nomen ad vocem efficax est. Ego, inquit, *Vox clamantis in deserto; parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (*Matth.* 3. 3). O miraculum! verbum advenit, et vox prius prædicat; Dominus venit, et servus præmittitur; Rex advenit, et miles præparatur. Gaudeamus ergo et lætemur, quia Elisabet genuit, et Zacharias loquutus est; quia sterilis peperit, et senex clamavit; quia pugillaris cereus quæsitus fuit, et lingua sacerdotalis soluta est voxque rediit; quia Præcursor apparuit et mundus totus gavisus est. Sed hic dicendi finis faciendus erat; verum id non permittit Zacharias clamans : *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebi suæ* (*Luc.* 1. 68). O res stupendas! Quid dicit Zacharias? Primam vocem post resurrectionem clamando protulit, *Benedictus Dominus.* Quid igitur? mortuusne est Zacharias, et resurrexit? Non naturaliter mortuus est, sed similia passus est ac si mortuus esset. In se namque quasi sepulcrum habebat silentium, et pannis involutus erat, linguæ vinculis; vitam obiit, cum non ultra spiraret sacerdotium; et luctum sustinuit, populi mœrorem. Sacerdote namque cessante, in luctum incidebant omnes in medio positi. Hanc primam vocem clamando protulit Zacharias post hanc in figura sumptam resurrectionem : *Benedictus Dominus Deus Israel.* O Zacharia! nisi spiritualem spicam vidisses, spiritualem agricolam non novisses; nisi donum accepisses, datori non benedixisses. Sed dignum Deo canticum Zacharias prophetice Deo cecinit. Clamemus et nos : *Benedictus Dominus Deus* Christianorum, *quia visitavit et fecit redemptionem plebi suæ.* Ipsi gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

IN SANCTA THEOPHANIA, ID EST, IN EPIPHANIAM ET BAPTISMA CHRISTI.

Festum et celebritatem agere volo, dilecti : nam sancta luminum dies et sigillum est festi, et janua celebritatis. Obsignat enim spelunca Bethlehemitica, ubi antiquus dierum ut puer lactens in præsepe jacebat : aperit autem fontes Jordanis, ubi hic baptizatur cum peccatoribus, per inviolata membra sua peccatorum remissionem mundo concedens. Sed cum ex utero ipse in terram prodiit, infantibus ut infans, hominibus ut homo, matri ut filius, pastoribus ut bonus pastor apparuit : nam *Ego sum pastor bonus, qui animam pono pro ovibus* (*Joan.* 10. 11), inquit divina Scriptura. Nunc autem Jordanis fontes aditurus est, publicanorum nempe et peccatorum, ut peccatum ipsis abluat. Et quod magnum est in hac celebritate miraculum, Paulus sapientissimus clamat dicens : *Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus* (*Tit.* 2. 11), et omnis lætitia orbem implet. Gaudet cælum, quod emissam vocem primum audivit, sanctificatur aer, volante Spiritu, et aquarum natura animas cum corporibus abstergere didicit. Et omnis quidem creatura unam celebritatis choream agebat; solus vero diabolus lugebat, paratam videns piscinam, quæ ipsum solum suffocaret. Quid enim dicit? *Tunc venit Jesus in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Joannes autem prohibebat eum dicens : Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me* (*Matth.* 3. 13. 14)? quis vidit dominum servo adstantem? quis vidit regem militi caput inclinantem? quis vidit pastorem ab ove obsignatum? quis vidit agonothetam ab athleta præmio donatum? *Ego a te debeo baptizari.* Da mihi tu, Domine, inquit, quod mundo largiturus es baptisma : *Ego a te debeo baptizari*, quia in paterno peccato conclusus, serpentis venenum circumfero : opus est mihi ut antiquæ transgressionis maculam abluam : tu vero, inquit, pro quibus peccatis ad baptismum venisti? habes prophetam de te testificantem, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*Isai.* 53. 9). Quomodo tu, qui propitiaris, redemptionem quæris? Mos est ut qui baptizantur, peccata sua confiteantur : tu vero quid habes quod confitearis, qui omnino impeccabilis es? cur a me quæris id, quod non edoctus sum? Non audeo majora

attingere ; nescio quo pacto abluatur lux; solem justitiæ lavare nescio ; nox diem non illuminat, aurum non servit plumbo, lutum artificem non corrigit, mare non fluentum mutuo accipit a fonte, fluvius non eget stilla ; quod est mundum a sorde, non purgatur ; damnatus judicem non absolvit. *Ego a te debeo baptizari.* Mortalitas vitam non excitat ; medicum morbus non curat. Agnosco naturæ meæ vilitatem : non est enim discipulus super magistrum, neque servus super dominum suum. Ad me non accedunt Cherubim cum tremore ; mihi Seraphini proni non clamant sanctissimum hymnum ; ego thronum non possideo cælum; non me stella magis prædicavit ; ego vocem non habeo omnia creantem. Moyses servus posteriora videre dignatus est, et quomodo ego intemeratum caput tangere audebo ? Cur mihi permittis ea, quæ me superant ? palmam non habeo, quæ Deum baptizare possit. *Ego a te debeo baptizari.* Ex sterili natus sum ; sed te jubente non contradixit natura. Tunc, dum in generationis loco habitarem, nec loqui valerem, matris labia mutuatus sum : nunc vero quomodo te præsentem non Deum prædicabo, quem virginea arca complexa est ? Num, ut Judæi, mente cæcus sum ? Scio te, cum Dominus esses, formam servi accepisse, ut formæ nostræ medicus esses; scio te id apparuisse, quod salvum facis ; scio te petram fidei factum esse, cui misertus es. Sed rebus visibilibus non impedior, quin videam intellectualia : ego enim mortalis, tu Deus immortalis ; ego ex sterili, sed tu ex Virgine. Primus quidem sum, sed te, qui post me venisti, non major ; præcessi prædicans, sed non ut talem baptizem. Novi te esse securim ad radicem positam ; novi cæsorem infructuosæ plantationis Judæorum ; novi falcem contra morbos animi se admoventem ; dixi appropinquare fontem curationum. Quem enim locum inveniam prodigiis tuis expertem ? Leprosos verbo mundasti, sanguinis fontem tactu fimbriæ siccasti, solo jussu paralyticum firmasti, per miraculum tuum micæ Chananææ filiam nutrierunt, luto cæcum oculorum usu donasti ; et cur petis ut tibi manum imponam ? *Ego a te debeo baptizari. Qui respicis terram, et facis eam tremere* (*Psal.* 103. 32) ; qui super aquas ut in pavimento ambulas ; qui meretrici permisisti ut pedes abstergeret tuos, eique remissionem peccatorum concessisti ; quomodo audebo venerandum caput tuum tangere, qui prædicando sæpe clamavi : *Venit fortior me post me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti* (*Marc.* 1. 7). Reprime, o Domine, attemperationis tuæ imbrem ; amplius enim non fero, illoque demergor. Quid illi Christus dicit ? *Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam. Sine modo.* Ut vox verbo ministrato, ut servus domino servi, ut miles regi, ut lutum figulo. Ne mandatum timeas, sed confide : me tu baptiza, ut ego mundum liberem. Morti tradar, ut naturam mortuam vivificem. Tu jussus refugis extendere manum, Judæi vero paulo postea me tradere morti non dubitabunt. *Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Ante sæcula ex benignitate decrevi genus hominum servare : homo propter hominem factus sum. Quid magnum, si filius hominis ad baptismum veniam ? non enim despexi opus manuum mearum ; non me pudet terrenæ naturæ. Quod eram sum, quod non eram factus sum, immutabili manente natura. Sine igitur modo. Generis inimicus de cælis ejectus est, ex terrenis depulsus est, jam in aquarum natura latibula habet. Sed ut illum inde etiam fugarem adveni, propheta clamante : *Tu confregisti caput draconis in aquis* (*Psal.* 73. 14). *Sine modo.* Ad me quasi hominem accessit tentator, idque fero, ut ejus infirmitatem traducam : dicam enim illi : *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Matth.* 4. 7). O novum miraculum ! o ineffabilem gratiam ! Christus certat, et ego bravia fero ; ipse cum diabolo pugnat, et ego contra diabolum victoriam obtineo ; ipse confringit caput draconis in aqua, et ego legitimus athleta coronor ; ipse baptizatur, et ego sordes depono ; Spiritus sanctus venit super illum, et mihi peccatorum remissionem largitur ; ipse declaratur a Patre Filius dilectus, et ego per ipsum filius Dei efficior. Cæli namque ipsi aperti sunt, ut baptizati domicilium appareret, et vox paterna testificatur ipsi dicens : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui : ipsum audite* (*Matth.* 3. 17 ; *Luc.* 9. 35). Ipsum decet gloria et imperium semper, et in omnia sæcula. Amen.

IN NATALE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Cum post gelidam hiemem vernus calor elucet, tunc terra floridam herbam emittit, arbores comatis ramis ornantur, aer sole illustratus lætior est, et omnis avium chorus per æthera volans melodiis personat. Tunc et qui montes incolunt bubulci et pastores, ex tuguriis egressi, jucunditate aeris vultus in meliorem formam mutant, et cum dulcisonarum avium cantibus, variis tibiarum sonis concertantes, oviumque sensus demulcentes, ad pascua agnos lento gressu ducunt. Tunc et agricola postquam in tabernaculo falcem cote acuit, ad vineam concedit, ut putet inutiles vitis palmites. Tunc et marini nautæ tranquillum pelagus videntes, relicta terra, ligno, aquæ et vento animas suas concredentes, læti dorso maris gestati, sine metu trajiciunt. In summa, ne in ipso prœmio longior sim, omnis ars, omnis cura, ad vitæ hominum usum spectans, aere sereno, sine obice ad opera se confert. Age ergo, quia Christus nobis ver cæleste ex Virginis visceribus ortus est, frigidasque et procellosas diaboli nubes dissipavit, ac dormientia hominum corda ex fumo ignorantiæ expergefecit, ad cælestem et beatam gloriam corda nostra excitemus. Sed linguæ meæ cursum reprimit Christi generatio divinitate fulgens, et me ad seipsam attrahit. Cum enim infantem ex Virgine natum sub conspectum duco, necnon Virginem sine viri opera prægnantem, et post partum virginem, rem curiosius exploro, et cum modum non inveniam, id fide obsigno. Quomodo enim mirum non fuerit, neque omnem mentem superaverit, quod virgo genuerit, et virgo post partum inventa fuerit ? Quod genuerit, natus infans probat ; quod vero post partum virgo permanserit, ipsa ejus corporis natura docuit. Vide ergo mysterium visibile et invisibile, quod capitur et non capitur, quod tangitur nec invenitur. Quis enim non videbat et non tangebat et infantem et matrem ? quis vero videns matrem virginem, et infantem virginis filium, mysterium curiosius inquirendo invenire potest ? O mysterium vere cæleste et terrenum, ejus qui tenebatur et non tenebatur, videbatur et non apparebat ! Talis enim erat qui hodie natus est Christus, cælestis et terrenus, qui tenebatur et non tenebatur, videbatur et invisibilis erat : cælestis secundum divinitatis naturam, terrenus secundum humanam formam ; qui videbatur secundum carnem, invisibilis secundum spiritum ; qui tenebatur secundum corpus, teneri non poterat ut Verbum. Sed Christus quidem Deus omnipotens, ut voluit, mundo suo natus apparuit : mentem vero meam magis obstupefacit Virgo prægnans, quia Virgo non de cælo descenderat, sed ex semine David conspiciebatur ; non ex Spiritu, sed ex corpore et anima constans, in utero concepit ; atque id tumor uteri arguebat, et nullus infantis intus inclusi sator apparebat. Cælum enim inhabitat et infantem in virgineo utero mystice operabatur. Secundum naturam nascebatur, et obstetrices infantem virgineumque ventrem manu tractabant, et corruptionem, ut in aliis mulieribus, non repericbant : Deus enim erat qui per

ipsam prodibat. O rube, quem vidit Moyses in monte ardentem, et non combustum! Virgo Maria, gignens et non corrupta! o lapis, quem vidit Daniel ex monte excisum absque humana manu! o virginis infantis virgo mater, et sacer filius matris innuptæ! Ubi sunt curiosi illi exploratores? dicant nobis, quomodo virgo sine viro genuit infantem, nec gignendo corrupta est. Si autem modus investigari nequit, quia ex Spiritu sancto natus est; multo magis investigari nequit ineffabilis Verbi ex Patre generatio. Sed tu quidem credis, observas enim illam gignentem non corruptam fuisse: at Deum incusas dicens: Si incorruptus Pater Filium suum gignens, secundum stultitiam tuam corruptus est, multo magis Virgo corruptibilis naturæ, gignens corrupta est. Si vero tu testificaris Virginem gignentem, non corruptam fuisse, multo magis crede incorruptum Patrem incorruptum Filium gignentem, non corruptum fuisse. Sed relictis blateronibus illis, ad theologos præcones accurramus. *Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judææ in diebus Herodis regis* (*Matth.* 2. 1). Necessario evangelista assignat et locum et tempus, ut qui generationem Christi secundum carnem non credit, quærens et locum et tempus, rei veritatem inveniat. Tempus enim ex Herodis regno apud chronographos quæsito, locum vero ex Bethlehemi significatione reperiet. Nam si in mundanis pactis et consules scribuntur, et menses numerantur, et dies assignantur, et urbes annotantur ad dictorum securitatem: quanto magis oportet, quando parta fuit universi mundi salus, et locum et tempus posteris accurate significari. Et Matthæus quidem generationem Christi secundum carnem ita narrat; Lucas vero præter accuratam temporum notam addit etiam descriptionem tunc primo factam, his verbis: *Anno quadragesimo primo Cæsaris Augusti, exiit edictum ab Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima. Ascendit autem et Joseph a Galilæa in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset ex domo et familia David, ut describeretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante* (*Luc.* 2. 1. 2. 4. 5). Annotat Lucas primam illam descriptionem, tum ut tempus accurate significet, tum ut mysterium maximum et occultum subindicet. Dicit enim primam et violentam descriptionem, eo quod factus esset homo. Christo enim nato, et carne demum deificata, ac diabolo expulso morteque soluta, oportebat animas justorum et fidelium nomina in cælorum libris describi; Cæsare in terra jubente, Patre vero angelis superne præcipiente. Quapropter Dominus id discipulis suis prædicabat dicens: *Nolite gaudere quia dæmonia vobis subjiciuntur; sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælis* (*Luc.* 10. 20). *Cum autem natus esset Jesus in Bethlehem Judææ in diebus Herodis, ecce magi ab oriente venerunt dicentes: Ubi est qui natus est rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum* (*Matth.* 2. 1-3). Hei mihi! miraculis superor, contemplationibus detineor, nec invenit lingua mea quid primo dicat, aut quid prætermittat. Si generationem ejus considerem, obstupesco, quia antequam puer ex natura exiret, signa perficiebat. Annon hoc est maximum signum, quod virgo postquam genuit, virgo maneat; quod cælum tacens per stellam loquatur? Iis, qui cupiebant natum videre, stellam mittit una peregrinantem, quæ desideratum infantem ostenderet. Et Matthæus quidem magos memorat ex oriente venientes: Lucas vero de angelo loquitur: *Et pastores erant vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et angelus Domini visus est eis, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est nobis hodie Christus Dominus in civitate David. Et facta est subito cum angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, et dicentium: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, in hominibus beneplacitum* (*Luc.* 2. 8-14). Christus natus est, terrena cælestibus junguntur, angeli cum hominibus choreas agunt, pastores vigilant, et magi adorant; cælum luminibus fulget, et terra fructum suum splendidum in præsepio gestat. Et tunc impletum est id, quod de terra scriptum erat: *Veritas de terra orta est* (*Psal.* 84. 12): veritas enim est Christus qui dicit, *Ego sum via et veritas* (*Joan.* 14. 6). *De terra;* id est, de Virgine ortus est secundum carnem. Quæro autem, unde magi de stella edocti, illa usi sint duce, ut quæsitum puerum invenirent. Non enim res se habet ut quidam imaginati sunt, qui dicunt errantem fuisse stellam, et magos non vere puerum quæsivisse. Quomodo enim, si errans stella fuisset, veritatem Christum ostendisset? cum enim ad illum pervenisset, cursum repressit. Quomodo autem magi, si non vere ea de causa venerunt, talia ipsi dona ex suis laboribus attulissent, significantes ejus divinitatem et humanitatem, quæ dona propheticum illud implebant: *Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ* (*Psal.* 71. 15)? Neque rursum, ut fabulatores dicunt, stella erat quæ in ortu singulorum hominum apparet: qui certe ne fabulosam quidem Græcorum astrologiam callent. Sed fortasse tales homines ipsos etiam Christianos esse censent: quibus dicemus: O philosophi, si res erat ut vos dicitis: quomodo, cum Adam et Eva duo tantum essent homines, cælum tot stellis plenum erat? et diluvio adveniente, omnibusque hominibus in aqua pereuntibus, eædem ipsæ stellæ erant, nec cadebant; et cum tantus stellarum chorus esset, solus erat Noe cum tribus filiis et uxoribus? Sed oportet attendere Scripturis, et mysteria cogitare. Balaam enim quidam erat propheta, quem advocavit rex Moabitarum, ut Israeli egresso ex Ægypto malediceret; quia ii quibus benedixit, benedicti erant, et quibus maledixit maledicti. Cum pervenisset prope exercitum Israelis, et ascendisset in montis verticem, viso Israele in castris, assumens parabolam et prophetans, dixit: *Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo ex Israel, et conteret principes Moab, vastabitque filios Ammon* (*Num.* 24. 17). Ii itaque magi ex genere Balaam prophetæ, ejus libros et prophetias sequuti, et considerantes, cum orietur stella, tunc surrecturum esse hominem, nempe Regem Judæorum, qui non modo reges Moab conteret, sed etiam omnia diaboli regna dissipabit et ventilabit secundum Danielem, tempus observabant; et videntes stellam ab aliis diversam orientem, noverunt eam ipsam esse quæ in prophetia ferebatur; illamque sequentes, cum natum invenissent, gavisi sunt, cum veteris prophetiæ eventum reperissent. Tu vero, auditor, considerare velim, magos esse figuram gentium, quæ ex erroris impietate conversæ, et non a perfecta luce ductæ sunt, sed quasi a splendore quodam luminis per Joannem quasi per stellam, ad Christum in carne natum sunt deductæ. Vide namque mihi stellam usque ad puerum venientem, et cursum sistentem. Etenim Joannes postquam stellæ instar prædicatione fulsit, Christumque ostendit his verbis, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, sistit gradum; ait enim: *Illum oportet crescere, me autem minui* (*Joan.* 1. 29. *et* 3. 30). *Et venientes*, inquit, *magi, invenerunt puerum cum matre; et procidentes adoraverunt eum* (*Matth.* 2. 11). Oportet enim eos, qui a gentilitia vita ad Christum accedunt, primo decidere a culmine impietatis, et sic quasi a terra surgentes, Christi secundum carnem generationem confiteri, deinde paulatim ad cælestem ejus divinitatem ascendere. *Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham;* aurum ut regi, thus ut Deo, myrrham ut propter nos passibili. Et accepit Christus dona, non quod iis opus haberet, sed ad utilitatem offerentium. Aurum enim accipiens, ab avaritia illos avertit, thus accipiens, ab idololatria removit; myrrham autem acceptans, mortem animæ ipsis amovit. Si autem aliud quoque mysterium perpendere oporteat, accurate discamus. Aurum, thus et myrrham nato offerunt; quia scriptum de illo erat: *Ipsi flectetur omne genu cælestium, terrestrium et infernorum*

(*Philipp.* 2. 10) : in donis suis futurum præfigurarunt ; in auro significantes gloriam quam referunt angeli cælestes ; in thure, terrenorum hominum genuflexionem ; in myrrha, animarum in inferis detentarum supplicationem. Quoniam tres virtutes obtinere oportet eum qui accedit ad Christum ; quas dicit apostolus, fidem, spem, caritatem (1. *Cor.* 13. 13) ; apertis autem thesauris cordis, obtulerunt fidem, ut aurum fulgentem ; spem, ut thus bene olentem ; caritatem, ut myrrham constringentem Ecclesiæ membra. *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam* (*Matth.* 2. 12). Oportebat enim eos, qui semel ad Christum accesserant, non iisdem impietatis vestigiis reverti ; sed castam exercentes fidem et operam, hominum occisorem serpentem latentes, abscedere in Christi hereditatem. Ipsum quippe decet gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN ZACCHÆUM PUBLICANUM.

Qui bona amant, nihil differunt a sitientibus, o dilecti : dum enim quod quærunt non inveniunt, tanto majori rei desideratæ siti inflammantur : noctu desideratos fontes quasi sitientes imaginantur ; interdiu vero a loco in locum circumcursantes, volubilibus oculis circumspicientes, quærunt ea quæ corde exoptant. Ac quemadmodum viatores in æstus hora inaquosam terram percurrunt, premente siti, et an fontes sint circumspiciunt, ac sæpe colles conscendunt ubi fons habetur ; et si procul illum viderint, gaudent, et concitato gressu ad illum festinant, quo cum pervenerint, sitim sedant : tales sunt viri Christi amantes : per diem enim desideratum sibi Christum bonis operibus requirunt ; noctu vero per precationes cum illo versantur, et in somnis se cum ipso incedere imaginantur : et si se illum procul videre putent, gaudent et exsultant, sicut sitientes cum desideratos fontes inveniunt ; atque expergefacti rursum dormire volunt, ut dormientes iisdem visis fruantur. Talis erat Zacchæus, modo vobis in lectione evangelii memoratus. Vide namque mihi illum currentem, divino ardentem studio, et in arborem ascendentem, ac Jesum circumspicientem, ut vitæ fontem cerneret. Conspiciens autem Zacchæus Dominum, oculos quidem sedavit, cor vero majori desiderio inflammavit. *Ingressus*, inquit, *Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zacchæus : et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives : et quærebat videre Jesum, quia inde erat transiturus.* Vide hominis desiderium, dilecte. *Et non poterat videre præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret Jesum, quia inde erat transiturus* (*Luc.* 19. 1. 4). Zacchæus statura pusillus, prudentia Spiritus magnus, quærebat videre Jesum : desiderabat videre Deum hominibus cælestia largientem : quærebat videre angelorum creatorem, et cælestis luminis administratorem humanis gressibus ambulantem : quærebat videre quomodo sol justitiæ in nube corporis sedens, fidelium oculos cordis illuminaret : quærebat videre Deum Jesum, bonam formam, rem desiderabilem, dulce nomen Jesu, cujus nomine res ipsa significatur : desiderabat videre purpureum agnum, cujus sanguis orbem redemit, et cujus vellus ab Adamo usque in finem nudos teget ; cupiebat videre captivus miles regem suum, ovis pastorem, qui errabat, viam, qui obtenebratus erat, lucem : cupiebat videre pietatis præconem, qui dulcissimum divinæ cognitionis condimentum non habebat : quærebat videre infirmus sanitatem ; esuriens, cælestem panem ; sitiens, vivificum fontem : cupiebat videre eum, qui sacerdotibus vitam dabat, et Lazarum e somno suscitaverat. O amorem divinum ! o bonam concupiscentiam ! o amorem aureis alis instructi, imo potius Christi qui animam se possidentis in cælum transfert ! Jam divinus amor, qui tollit eum de terra, id effecit ut in arborem ascenderet : non ultra permittit ut terrena respiciat, vel cum hominibus versetur ; sed divinam intuens caritatem, cælestia excipiebat : ab his ad illa festinus currebat, atque conscensa arbore, Christum circumspiciebat, et mente supra nubem ascendebat. Videns autem Christum Zacchæus apposite dicebat : *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis* (*Psal.* 122. 1). Vidit Zacchæus Dominum, et magis amore incendebatur : tetigit Christus cor ejus, et alius ex alio efficiebatur ; ex publicano zelo incensus, ex infideli fidelis, et ex lupo ovis signata. Quis sic patrem et matrem amat, quis sic umquam uxorem vel filios dilexit, ut Zacchæus Dominum, ut ex re ipsa probari potest ? Omnia quippe bona sua propter Christum pauperibus dedit, et iis quos defraudaverat, quadruplum reddidit. O bonos discipuli mores ! o doctoris moderatio et virtus divina, quæ ex solo Jesus visu ad actum adducit ! Nondum verbo Dominus Zacchæum instituerat, sed a desiderante solum visus est, et fidei virtus a desiderantis corde sursum trahebatur. Simile quidpiam contigit in hæmorrhoissa. Accedens quippe ad Dominum, et petens ab illo sanitatem, non exspectavit ut se manu tangeret, sed ipsa accedens ejus fimbriam clam tetigit ; et virtus curationis a tangente ut a spongia trahebatur. Et Zacchæus quidem id ignorans faciebat, divino movente studio, et spirituali amore ardens in sycomorum accurrit : Dominus vero, mysticum quidpiam speculatus, dicebat, *Descende* (*Luc.* 19. 5). Novi animam tuam ; novi sanctum amorem tuum : *Descende* : recordare Adamum nudum se sub ficu abscondisse : tu vero si vis salutem nancisci, ne accurras ad sycomorum. Me oportet hanc sycomorum aridam reddere, et aliam plantare arborem, crucem. Illa bona arbor est, ad illam ex animo accurre : inde enim ad cælos prompte jacieris. In hac arbore serpens foliis complicatur, in hac occultatur, ibi nidificat. Festina, descende antequam sibilet anima tua, ut Evæ fecit, cum illi suasit ut degustaret suavem voluptatem : festina, descende : donec ego adsum, descende : me namque vidente ille coercetur. Festina, descende : nolo te in sycomoro relinquere ; nolo te perire : mea enim ovis es, ad me accurristi. Festina, descende, et propera in domum tuam ; ibi oportet me quiescere : quia ubi fides est, illic quiesco ; ubi amor, illo vado. Scio quid facturus sis ; scio te omnia tua bona daturum esse pauperibus, et primo iis, quos defraudasti, quadruplum esse redditurum. Apud hujusmodi homines libenter diversor. Zacchæus vero festinans descendit, et abiit in domum suam, Jesumque suscepit : gaudioque plenus, stans dixit ; non ambulans, non sedens, sed stans, ut animæ suæ immutabile propositum declararet ; stans dixit, cum fervens Spiritu, irrevocabili sententia concertabat : sciebat enim ubi sereret, et ubi messurus esset ; dixitque : *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si quem defraudavi, reddo quadruplum* (*Luc. v.* 8). O confessio pura ex corde puro procedens ! confessio non pudori obnoxia, nulli pudori obnoxiæ gloriæ Dei oblata, fidem spirans, justitia florens ; qua justitia nos dignetur universorum Deus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

IN CENTURIONEM.

Centurionis cujuspiam servus male habens moriturus erat (*Luc.* 7. 1), sed non mortuus est juvante Domino : moriturus erat, utpote homo, sed intercedente religioso viro non mortuus est. Natura suum exigit debitum ; sed naturæ Dominus possessori possessionem suam concessit propter ipsius fidem : mors et naturæ necessitas ad obitum vim inferebant ; sed obsistit fides morti repugnans, ejus leges solvens. Ne vero dubites posse fidem mortis vincula rumpere, et ab ipsis inferis animas abstrahere : fides etiam inferni portas aperit, cælis claustra apponit, et naturæ terminos removet, ignis vim sedat, flammam in rorem vertit, mortis stimulum hebetat. Non sine testimonio loquor : id ex sacris Scripturis tibi probabo. Dixi fidem portas inferi aperire, et cælis claustra apponere. Horum clara accipe argumenta : vide mihi beatum Petrum verbo inferni portas aperientem, et Tabitham inde reducentem. Tantum enim dixit, *Tabitha, surge* (*Act.* 9. 40) ; statimque portæ inferi aperiuntur, cadunt tartarei vectes ; mortua vero celerius quam viventes obedit. Rursus Elias propheta fide fultus dixit, *Non erit pluvia, nisi per os meum* (3. *Reg.* 17. 1) ; et cælum in æs vertitur, cohibetur pluvia annis tribus et sex mensibus, terra quasi natura sua ferrea, solitum fructum negat, ut scias quanta possit fides. Homo in terra sententiam dicit, et Deus in cælo sententiam firmat ; mortale os loquitur, et Dei sententia re verba confirmat. *Clausit*, inquit, *Elias cælum annis tribus et mensibus sex* (*Luc.* 4. 25). Cæli claustrum erat os hominis mortalis pia fide ornatum. Idem rursus Elias igneos conscendere currus (4. *Reg.* 2. 11) ausus est, et quasi volucris ad æthereas mansiones advolavit, vereque hactenus mortem non expertus est, non ex lege naturæ, sed ex gratia unica et vi fidei intactus servatus. Quid multa dicere opus est ? Enoch a vita in vitam cum corpore translatus est, mortem, senectutem et naturam per fidem vicit. Multa quoque alia de fide dicenda suppetunt, sed supersedeo, ne fastidium ingenerem. Licet vero sciam divina eloquia vobis Christi amantibus non fastidium, sed desiderium parere ; tamen ad propositum revertar. *Centurionis*, inquit, *cujusdam servus male habens moriturus erat, qui erat illi carus.* Carus domino servus. Licet enim avaritia servum excogitaverit, at domini probitas naturæ cognationem non negavit. Non despiciebat ut servum, sed diligebat ut contribulem : humanitate grave servitutis jugum leve reddens. Audite et discite heri, qui servos habetis, ne illos quasi a natura alienos contemnatis, neque conveneres ut inimicos habeatis, obtemperantes Paulo dicenti : *Domini quod justum est et æquum servis præstate, remittentes minas : scientes quia et illorum et vester Dominus est in cælis* (*Col.* 4. 1. *et Ephes* 6. 9). Concessit Deus ut servus esset, ut Deo servire discas. Benevolentiam exigis a servo ? benevolus et tu esto Domino. Punis peccantem ? igitur ne pecces, ne puniaris a Deo. Veniam non das congeneri ? ne tu veniam petas. Nam te docet evangelium ita orare : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* 6 12). Ut ergo a Deo benignitatem quæritis, sic et benignitate erga congeneres utimini. *Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum* (*Luc.* 7. 3). Quid audierat ? Quod verbo curaret, verbo mortuos suscitaret, verbo dæmonas pelleret, verbo omnia perficeret. *Vivus enim est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti* (*Hebr.* 4. 12). Non herbas, non pharmaca adhibet ; sed verbum ab illo mittitur, et opus perficit. Vide quanta sit inter centurionem et Judæos differentia. Ille audiens, ex solo auditu credidit, et credens quasi ad Deum accessit ; illi vero ipsis oculis videntes miracula, illorum patratorem negabant ; etiamsi visus sit efficacior auditu. Efficacior certe ; sed nequitiam habebant morbi magistram. Ideo cæci judicio suo Judicem despiciebant. *Misit*, inquit, *seniores Judæorum, rogans eum ut veniens sanaret servum suum. Misit ad eum seniores ;* non ex superbia ipse venire recusans, sed non audens ipse pro seipso intercedere, ob magnitudinem dignitatis Christi. Sciebat se hominem esse ex homine corruptibili ; Jesum vero Deum de Deo, unigenitum Filium ex Patre ingenito. Ideo seniores ecclesiæ ex reverentia mittit, ante apostolos apostolica implens : *Infirmatur quis ? advocet presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum : et si in peccatis sit, remittentur ei* (*Jac.* 5. 14). Misit ergo seniores ad ipsum, rogans eum ut veniens sanaret servum suum. Tu vero commiserationem viri mirare : infirmante namque servo suo, non contempsit, sed tantam curam habuit, quantam quis pro seipso adhibuisset. Hæc autem erant viri virtutis studiosi, tantum exhibere studium et seniores mittere ad servi curationem. Sciebat æqualitatem naturæ ; nec despicit eum ut servum, sed miseratur ut conservum, sciens communem esse omnibus Deum. Verum talis quidem erat ille centurio. Multi autem divites a bene valentibus servis ministeria sine ulla venia expetunt, infirmantium vero nullam gerunt curam ; sed accidente morbo, ancilla decumbente, non attendit dominus, non curat domina. Sed si quando opus sit ut domina opem ferat, non curat illam ut ejusdem naturæ, sed torvis respicit oculis, austeris loquitur verbis, ob superbiæ tumorem cognationem naturæ negans ; et tamen legitis Scripturas. Nescitis quid dicat sanctus David ? *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum ; sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum* (*Psal.* 122. 2). Reverere imaginem, Scripturas observa, et infirmanti auxiliare. Servator, Filius Dei unigenitus, pro homine homo fieri dignatus est : tu vero homo cum sis, recusas æqualem quasi non æqualem, non dignaris communem naturam miserari ? Et quando brutum animal claudicat, sollicitus es ejus, quia in usu tibi est ; quando vero rationabile animal, id est, servus tuus infirmatur, illum abjicis nec curas. Despiciesne illum, quia rationabilis est is qui tibi servit ? Ideo zelo inflammamur. Admodum bona res est homo apud Deum ; sed pretiosa res est vir misericors. Nos vero non attendimus Scripturis ; sed externos quidem interdum alimus, hominum gloriam aucupantes ; domesticos vero fame perire, vel frigore congelari sinimus, Dei retributiones non cogitantes. Verum non talis erat centurio ille semper vigilans, qui vere servum possidebat, et possessum simul et seipsum servabat, ut Dei possessionem : qui prudentia plenus et divina sapientia illustratus erat. Ideo seniores primum ad Jesum mittit. Illi vero cum magno studio intercedunt, et multa referunt quæ illum flectere possint, dicuntque : Dignus est cui gratiam conferas (*Luc.* 7. 4) : probus est qui donum accipit, dignus præsentia tua. *Diligit enim gentem nostram, et ædificavit nobis synagogam.* Vere multa pietatis argumenta, plurima bonæ conscientiæ signa. Quænam hæc ? Dei amor, et bonus erga hominem affectus. *Diligit enim gentem nostram*, scilicet legem. *Plenitudo enim legis dilectio* (*Rom.* 13. 10). *Et synagogam ædificavit*, suum erga Deum affectum exhibens. Cum enim Deo domum ædificavit, ipsum templum quasi columnam conspicuam suæ erga Deum dilectionis erigit. Vide quomodo bona opera, necessitatis tempore commemorata, magnam intercedentibus fiduciam præstent : ubique enim bona opera ad flectendum efficacia sunt. Illi ergo sic intercedebant : Jesus vero seniorum petitioni annuit, non illorum reverentia ; sed centurionis fidem admisit. Surgens

ergo ibat cum illis fortasse lentiore gradu et remissiore; non tardus ad beneficium præstandum, sed ut tempus daret, quo interiorem centurionis affectum patefaceret, ut publicaret inconcussam fidem ad incredulos arguendos; utque sinceram, puram et non fictam voluntatem manifestam faceret. Nam *Cum jam non longe esset a domo, misit ad eum centurio servos suos dicens: Domine, noli vexari; non enim sum dignus ut sub tectum meum intres* (*Luc.* 6. 7). Ex primo animi motu misit seniores, sed postquam hoc fecerat, non quievit. Interim namque secum reputans quanta esset differentia dignitatis, mittit servos rogans eum, et dicens : *Noli vexari; non sum dignus ut sub tectum meum intres.* O prudentiam! o vigilantiam centurionis! Non latuit eum Deus in homine absconditus, non latuit eum unigenitum Verbum, corpore amictum et occultatum. Videt templum, et in eo habitantem intelligit. Non latuit eum Dominus in servi officio, Rex in captivi specie, parvus ille in magnitudine infinita. Statim ergo miratur Jesus, et testificatur ipsi summam ipsius fidem, urbanumque ejus animi motum, quo Servatori dicebat, *Non sum dignus ut sub tectum meum intres.* Qualis erat etiam Petrus, de captura piscium stupefactus, et hinc intelligens magnam ejus virtutem, deinde rogans eum et dicens : *Recede a me, quia homo peccator sum, Domine* (*Luc.* 5. 8). Sed fortassis quæ Petrum spectabant, ignorabat, sciebatque illud quod in Levitico fertur : *Lepra*, inquit, *insidens immundum facit eum qui in morbum incidit* (*Levit.* 13. 2). Lepræ autem similes sunt impetigines, vitiligines et albugines. Hos autem morbos discernere difficile est, maxime initio ægritudinis : quapropter vult lex sacerdotem harum rerum peritum esse. Ducit ergo lex sacerdotem in domum ejus qui examinatur; ibique cum judicavit esse lepram, omnia, quæ in domo sunt, immunda declarat. Ideo multi primo domum evacuant, et tunc sacerdotem vocant. Hæc cum sciret beatus centurio, adventum Servatoris abnuit. *Non sum dignus*, inquit, *ut sub tectum meum intres.* Multi sunt sub illo tecto : novi peccata mea : recuso igitur tuam ut judicis præsentiam, antequam me expurgem. Scio te esse sacerdotum omnium principem, et Patris summum sacerdotem. *Non sum dignus ut sub tectum meum intres. Cœlum tibi thronus est, et terra scabellum* : quæ domus capiet immensum? Non habeo cælestem domum, ut sub tectum meum intres; non habeo regias aulas, ut Regem cælorum excipiam. Quomodo sub tectum excipiam eum, *Qui tegit aquis superiora ejus* (*Psal.* 103. 3)? quomodo vile diversorium contubernalem excipiet illum, qui palma cælum metitur (*Isai.* 40. 12)? quod tectum capiet eum qui totum cælum et terram simul continet? *Non sum dignus ut sub tectum meum intres.* Ut benefici, ingressum rapio; ut judicis, præsentiam timeo. Explorator es animarum, examinator renum, scrutator cordis et judex peccatorum. *Non sum dignus ut sub tectum meum intres.* Meipsum timeo. *Dic* ergo *verbum, et sanabitur puer meus.* Annon tibi videtur is qui dicit, *Tantum dic verbo*, clare scire illud, *Verbo Domini cæli firmati sunt, et omnis virtus eorum* (*Psal.* 32. 6); et quod omnia Verbo facta et continentur et administrantur? Divina namque cogitatione illuminatus vir, statim ut vidit Jesum corpore, hunc Filium Dei esse novit. *Dic verbo tantum*, inquit. Scio quid de te prædixerit sapiens Salomon : *Neque herba, neque malagma sanavit populum tuum, sed verbum tuum, Domine, quod omnia sanat* (*Sap.* 16. 12). *Dic verbo tantum.* Scio cujus Verbum sis, et quantam virtutem possideas, quodque verbo omnia perfeceris. Non partus dolores habuit Pater, cum te genuit, non partus dolores habes faciens, nec creans. *Dic verbo tantum.* Verbum enim tuum omnia perficiendi vim habet; non aerem verberans, sed voluntatem tuam declarans. *Dic verbo tantum :* da pignus, ut qui audiunt certiores fiant. Vide prudentiam; adventum differri rogat, cognitionem vero non circumscribit : nam cognitionem ejus testificatur, et rogat ne in via pergat. Hanc vero ita sapientem cogitationem excipit alia major. Sic enim vir de virtute in virtutem progreditur, et apud illum exuberant dignorum sensuum divitiæ, innovatum speculationum accessionibus. *Dic verbo tantum, et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic. Vade, et vadit; et servo, Fac hoc, et facit.* Scio, inquit, te omnium potestate præcinctum, quasi unum ex nobis apud nos advenisse. Venisti ad nos, ut nos venimus, in omnia habens potestatem, ut dicit sanctus David : *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi* (*Psal.* 118. 39). Dormis, et mare intumescit; surgis, et fluctus sedantur; mortuos evocas, et mortuus celerius quam vivus obedit. *Dic verbo, et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus.* Hic liberum animæ motum non impedire, quominus ad meliora procedatur, declarat. Habeo, inquit, sub me milites. Milites vero diversas illas et varias in homine latentes cogitationes vocat : solet enim beatus Paulus has milites appellare. *Condelector*, inquit, *legi secundum interiorem hominem; video autem aliam legem, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati* (*Rom.* 7. 22. 23). Jure ergo dicebat ille, *Habeo sub me milites;* non contra me habeo; *et dico huic, Vade, et vadit; et alteri, Veni, et venit;* non imperor, sed impero cogitationibus. Forteque centurio vocatur, quasi princeps et imperans affectibus, ut tantam nobis contra brutos affectus potestatem et perseverantiam exhibeat : quam nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

IN ILLUD, EXIIT QUI SEMINAT SEMINARE SEMEN SUUM (*Luc.* 8. 5).

Virgo terra arabilis, a peritis agricolis boum ope aratro sulcata, semina accipit, et in glebis ea complectens, primo herbam germinat, deinde spicam erigit, denique granum frumenti plenum in spica profert. Tunc agricolæ conspicuam videntes spicarum segetem, laborum suorum spem celebrant, Deoque sincere supplicant, ut apparentium bonorum fructus sine damno conservet. Sæpe namque æstate appropinquante, quando ex spe quasi certa gaudet agricola, aut æstuosus auster spicam ventilat, aut ærugo corrodit, aut bruchus devorat, aut grando excutit, et bonæ spei exitum labefactat; ita ut agricola multo mœrore pressus, falcemque in tabernaculum referens, ex infelici æstatis exitu sese dolore maceret. Quando vero aeris temperies pulchram et maturam spicam efficit et seges senum instar albescens inclinatur, æstivam sectionem exspectans; tunc rustici, et palmæ cum acutis falcibus expansæ, labores laboribus addunt, et desiderium ejus spemque felici exitu explent : tunc aliis animantibus domi quiescentibus, solus bos, hilari gressu, torvis oculis, in aream pergit. Et alia quidem animalia, capræ, porci, oves, quæ colla sua aratri jugo non subegerunt, propria premente conscientia, serviliter ad aream accedentia, spicarum manipulum furantur : solus autem bos liberam linguam extendens, suorum fructus laborum fidenter carpit. Vidisti illic eos qui falce secant? vidisti spicarum feracem agrum, aream, bovem? Inde sermonem transfer ad ecclesiasticum ordinem, et videbis prædictam agriculturam in mysterio Ecclesiæ. *Exiit*, inquit, *qui seminat seminare.* Illud enim modo audivimus in evangelio, *Exiit*, quis? Christus, ex

cælo in mundum advenions. Sator enim Christus est ; semen, divinum verbum ; arvum, humana natura ; boves, apostoli ; aratrum, crux ; jugale lignum, dulcis caritas quæ apostolorum colla constringit. *Exiit qui seminat seminare.* Exiit Christus ; non ut meteret, sed ut seminaret : nondum enim resurrectionis semina in cordibus hominum insita erant. *Exiit qui seminat seminare ;* non frumentum, non hordeum, non milium, neque aliud quid terrenum ; sed fidem in Patrem et Filium et Spiritum sanctum ; spem resurrectionis, caritatem erga Deum et homines non simulatam et indifferentem. Exiit qui seminat Christus, ex paterno latere, qui est in sinu Patris, et venit ad nos ut ipse ait : *Ego ex Patre exivi, et venio* (*Joan.* 8. 42. *et* 16. 28). Sed exiit a Patre suo non separatus, et nobiscum est. Exiit qui seminat, ut ea, quæ a diabolo superseminata male fuerant zizania, ex animabus hominum evelleret. *Omnis* enim *plantatio*, inquit, *quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur* (*Matth.* 15. 13). Exiit sol justitiæ, ut lucidos divinitatis suæ radios in corda hominum tenebris obvolutorum immitteret : exiit pastor ovium, ut sal pietatis seminans, fœnum legalis Scripturæ ovibus ad escam paratum redderet : exiit qui seminat, habens decem juga boum, ut faciat lagenam unam ; et seminans artabas sex, tres mensuras faciat. Loquere nunc, Isaia, ne taceas. *Cujus enim operantur decem juga boum, faciet lagenam unam* (*Isai.* 5. 10). Decem juga boum sunt boves viginti : decem juga boum rationabilia, duodecim apostoli Christi sunt, et septem quos elegerunt apostoli. Quosnam ? Stephanum, Philippum, Prochorum, Nicanorem, Timonem, Permenam et Nicolaum proselytum Antiochenum (*Act.* 6. 5) ; et apostolum qui a Hierosolyma usque ad Illyricum (*Rom.* 15. 19) terram sulcavit. Hæc decem juga boum in hominum arvo confessionem Jesu produxerunt, qui corporis vas testaceum nostrum induit. Quod autem divinum verbum carnalem Christi adventum lagenam vocet, audi. Cum ad passionem iturus erat, dicunt ei discipuli ejus, *Ubi vis faciamus pascha?* Tum ille, *Ite in hanc civitatem, et occurret vobis homo lagenam aquæ portans : et dicite illi, Magister noster dicit, Apud te facio pascha. Et ostendet vobis cœnaculum stratum : et illic nobis parate pascha* (*Matth.* 26. 17. 18 ; *Marc.* 14. 13). Quis sit homo qui fert lagenam aquæ, quæ civitas ad quam illos mittit, quod cœnaculum stratum, necesse est ut vos explorantes ediscatis. Homo qui fert lagenam aquæ, est Joannes præcursor Christi, annuntians Jesum, qui lagenam corporis nostri induit et qui in se aquam baptismatis habet. Cœnaculum vero stratum dicit sanctorum requiem in cælis futuram post resurrectionem. *Ite in hanc civitatem*, non in veterem Judæorum synagogam, ubi vetus lex in veteribus utribus acida facta est : acetum enim cum felle miscentes obtulerunt Domino (*Matth.* 27. 34) ; sed ite in novam civitatem, in novam Jerusalem, ubi novum verbum, ubi nova Spiritus gratia in novis utribus, et fidei mustum scaturit : non ubi vetus pascha, sed ubi nova resurrectio ; non ubi agnus immolatur, sed ubi Christus redimit ; non ubi vetus fermentum, sed ubi cælestis panis in cruce consummatur. *Cujus enim operantur decem juga boum, faciet lagenam unam.* Ubi operantur decem juga boum, nempe apostolorum (bobus enim comparantur apostoli, ut mihi testificatur Paulus dicens : *Scriptum est in lege, Non alligabis os bovi trituranti. Numquid enim de bobus cura est Deo* [1. *Cor.* 9. 9] ? sed propter nos id dicit) : ubi ergo operantur hæc decem juga boum, faciunt confessionem in Jesum, qui lagenam corporis nostri induit. Et qui seminat artabas sex, faciet tantum mensuras tres. An tanta terræ sterilitas fuit umquam, ut ex satis artabis sex tres mensuræ prodirent ? Sed Scripturæ mentem quæramus, dilecti, intremus in interius literæ velum, et occurret nobis divina Spiritus cognitio. Qui seminat artabas sex, faciet tres mensuras. Sex artabæ sunt Novum Testamentum ; id est, quatuor Evangelistæ, Acta, et apostolorum Epistolæ. Qui has sex artabas seminat in anima quapiam, facit tres mensuras, confessionem in Patrem et Filium et Spiritum sanctum. *Exiit qui seminat seminare ;* non frumentum in panem vertens, sed fidem vivificans ; non hordeum seminans ad brutorum escam, sed escas ad hominum spirationem ; non milium pro avibus, sed divinum verbum, ignitum, grano sinapis simile, ad pietatem et prudentiam animas nostras multum accendens. *Exiit qui seminat seminare ; et alia quidem cecidere secus viam, et conculcata sunt, et venientes volucres cæli, comederunt illa. Et alia ceciderunt inter spinas, quæ suffocaverunt germina, alia ceciderunt supra petrosa, quæ orta statim exsiccata sunt* (*Luc.* 8. 5. 7. 6). Quæ ceciderunt secus viam sunt Ariani : quæ inter spinas, Eunomiani ; quæ supra petrosa, Marathoniani. Hæc accurate discas, dilecte. *Exiit qui seminat seminare ; et alia cecidere secus viam ;* non dixit, In via, sed, *Secus viam.* Quæ est via, nisi Christus qui dixit, *Ego sum via et veritas* (*Joan.* 14. 6)? Quæ ergo cecidere secus viam, sunt Ariani. Non sunt in via ; non enim sunt orthodoxi : neque procul a via, ut gentiles aut Judæi, sed secus viam ; id est, secus Christum, secus fidem rectam. Quod confiteantur Christum, id efficit ut prope viam sint ; quod negent Christum esse Filium Dei, id impedit quominus sint in via. Ideo descendentes volucres cæli, id est, spiritualia nequitiæ, divinum verbum ex cordibus eorum auferunt, et ipsos fide recta vacuos efficiunt. Spinosa, sunt Eunomiani : habent enim in se blasphemiarum spinas, et herbam quidem fidei proferunt, sed spicam confessionis non perficiunt. Quod Christum confiteantur, id efficit ut germinent herbam fidei ; quod dicant ipsum esse rem creatam et factam, id efficit ut fidei spica intempestive arescat. Nam per gentilium de cultu creaturarum doctrinam veritatis verbum confodientes et suffocantes, infructuosum illud et recta fide vacuum prorsus efficiunt. Qui supra petrosa, sunt Marathoniani. Non dixit Scriptura, Alia ceciderunt supra petram ; nam petra erat Christus(1. *Cor.* 10. 4) ; sed, *Supra petrosa.* Non sunt terra bona ; neque enim sunt orthodoxi ; neque petra sunt ut a doctoribus sculpti templum Dei efficiant ; sed quid ? Porus sunt. Est quidam lapis porus nomine, qui neque terra est, neque lapis firmus ; tenerior lapide, durior terra. Quod confiteantur Filium Dei secundum substantiam similem Patri, hoc efficit ut teneriores sint ; quod negent Spiritum sanctum, hoc eorum corda poro similia reddit. Neque igitur terra sunt bona, ut florida germinent, et fidei ornatu decorentur ; neque petra firma, ut inconcussam Patris et Filii et Spiritus sancti confessionem servent. Hoc quidem verbum excipiunt, et germinant ; statim vero illud exsiccant, quod non posuerint cogitationum radices in profundo Spiritus. Hi etiamsi confiteantur Christum esse Filium Dei, cum Spiritum sanctum negent, neque Christum habent ; apostolo mihi testificante ac dicente : *Si quis Spiritum Christi non habeat, hic non est ejus. Alia*, inquit, *ceciderunt in terram bonam, et dederunt fructum, alia trigesimum, alia sexagesimum, alia centesimum* (*Rom.* 8 9. *Marc.* 4. 8). Hæc est bona terra, cor orthodoxorum quæ est extra hæreticas spinas : quæ a perfectis doctoribus colitur et quasi sulcatur, et evangelii verba animæ semina excipit. Cor hujusmodi primo germinat herbam fidei, deinde producit spicam spei, demum maturum fructum perfectæ caritatis exhibet. Hos tres animæ fructus memorat beatus Paulus dicens : *Fides, spes, caritas* (1. *Cor.* 13. 13). Qui credit, triginta producit ; qui sperat, sexaginta ; qui in caritate consummatur, centum. Qui ungitur, triginta producit ; qui descendit in aquam, sexaginta ; qui consummatur in mysterio, centum. Sic ex uno semine triplicem affert fructum : Deum glorificat, Ecclesiam exaltat, seipsum servat. Sic bonæ Trinitatis referet mercedem ; spiritu intelligens, anima prævidens,

corpore patiens. Hic triplicer benedicitur : in terra glorificatur, a mortuis resurgit, in cælis quiescit. Qui talis est, tribus ordinibus eminentibus honoratur; triginta fecit ut in cælis; sexaginta ut in angelis; centum ut apud Deum. Talis homo mitis est, quietus, humilis, misericors, patiens, justus, a mundo alienus et ab hac vita; in imagine solum apparet in hac vita, corde autem et operibus in cælis habitat. Alii vero ex iis qui hæretice sentiunt, secundum suam improbam opinionem, scalam blasphemiæ verbis efformant. Quid dicunt? Fides in Spiritum facit triginta, fides in Filium facit sexaginta, fides in Patrem facit centum; ignorantes se, dum volunt Spiritum sanctum minuere, ipsum exaltare. Præponunt enim Patri et Filio Spiritum dicentes, Qui credit, in Spiritum credens, facit triginta : et primo præponunt Patri et deinde Filio Spiritum, et tertium ponunt Patrem. Nos vero, contraria sentientes, contrarium dicimus. Nam qui credit, non in Spiritum primo credit, sed in Patrem. Qui credit in Patrem, triginta facit; qui addit in Filium, numerum duplicat, et facit sexaginta; qui vero Spiritum sanctum induit, centenarium numerum implevit, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

IN SECUNDUM ADVENTUM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, ET DE ELEEMOSYNA.

Post assumptionem Domini nostri Jesu Christi in cælos, discipulis respicientibus in cælum, *Ecce apparuit angelus Domini dicens : Quid statis aspicientes in cælum? hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cælum, rursus veniet*, in hunc locum, *quemadmodum vidistis eum euntem in cælum* (*Act.* 1. 11). Agite, dilecti, annuntiabo vobis quinam erit secundus ejus adventus, terribilis et horrendus, qui arguet omnem spiritum. Apparebit enim primo signum Filii hominis, in quo crucifixerunt eum Judæi, gestatum ab angelis, et splendens ut fulgur : et ante illud tuba canens Michael archangelus, expergefaciens eos qui dormiunt ab Adamo usque ad consummationem sæculi. Et resurgent mortui, quasi ex somno, ex monumentis, sicut dixit apostolus Paulus : *Tuba canet, et mortui in Christo resurgent incorrupti, in momento, in ictu oculi, in novissima tuba* (1. *Cor.* 15. 52). Et colligent angeli homines ex quatuor finibus terræ, in valle fletus. Movebitur autem illa vallis, et revelabuntur judicia. Fluvius igneus plenus immortali vermi; angeli acerbi et immisericordes; singulorum opera in circuitu stantia, peccatorem redarguentia. Immutabuntur ergo cæli, et terra vacua erit, et gloria omnium ut umbra transibit. Divitiæ et omnia præteribunt, deficient ut fumus : quando stellæ ut folia cadent de cælo; et nemo neminem juvabit, aut juvabitur ab alio; non pater filium, non mater filiam, non frater fratrem, non amicus amicum, non dominus servum, non servus dominum; non divitiæ, non argentum, non aurum, non vestis pretiosa, non domus aureis tabulatis; sed nuda erunt singulorum opera, sive bona sive mala. Et aperientur cæli, et ecce Filius Dei veniens in nubibus cæli, cum potestate et gloria multa : descendet in Jerusalem cælestis ille, et in Sion ille incomprehensibilis. Et ponentur duodecim throni, duodecim apostolorum et discipulorum ejus : et ecce ipse ut fulgur apparens ab Oriente usque ad occidentem : atque ex terrore et minis ejus cæli volventur ut liber. Tunc omnis terra commovebitur, montes fumo replebuntur, fluvii ignei parati erunt ad peccatores excipiendos, vermes hianti ore erunt ut dracones, sitientes peccatorum sanguinem : sine fine omnes cruciabuntur. Tenebræ illæ lucem non habent. Perpendite ergo, fratres, diem illam terribilem, magnam et illustrem. Etenim angeli, qui nihil peccarunt, diem illam cum tremore cogitant : quantus ergo tremor peccatores corripiet in illa die horrenda et terribili? Tunc erit acerbus fletus et stridor dentium. Nemo autem putet quasi in mentis excessu diem illam concipi. Multos enim novi qui dicunt ita fore judicium illud, ut si quis in somnis crucietur. Nolite errare, o homines : nam qui in somnis cruciatur, id imaginatur solum; corpus autem et anima in lecto requiescit. In die autem illa non potest separari corpus ab anima; sed simul adstant judicio illo tremendo, ubi libri operum aperti sunt, Judex non personam accipit, judicium immutabile : et cum multa gloria omnes nominatim vocabit ad judicium, omnesque nudi adstabimus. Non est illic oratoria dictio quæ jus vincat, non eloquentia, sed operum examen. Nullus ibi donorum usus, nullus advocatorum; sed omnes sua onera gestabunt. Ibi senectus non creditur, splendor nullus apparet, nobilitas non exquiritur : ibi pulchritudo vultus non flectit Judicem; sed virginitatis cæterarumque virtutum dignitas exorat Judicem ex Virgine natum. Ibi magnus et parvus æqua lance judicantur. Sæpe autem in illo judicio filii parentes condemnant. Si enim filios habeas, et æqualitatem in illis non serves, sed alium dites, alium odio habeas, tunc pœnas dabis. Tunc servus ante dominum stat cum fiducia, et ancilla ante dominam, discipulusque ante magistrum. Hic enim omnes judicantur in tremendo judicio, filii cum parentibus, uxores cum viris, et cujusque opera manifesta fiunt. Ideo benedictus Paulus apostolus hæc cum sciret, omnia omnibus præcipit, dicens : *Filii, obedite parentibus in Domino : et patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros. Servi, obedite dominis vestris* (*Ephes.* 6. 1. 4. 5) : *domini, quod justum est et æquum servis præstate. Viri, diligite uxores vestras : uxores, timete viros vestros* (*Col.* 4. 1. *et* 3. 19); ut omnes inculpate adstemus ante tribunal horrendum Domini Jesu Christi Dei. Horreamus itaque diem illum, in quo pastor separaturus est oves ab hœdis, et positurus oves a dextris, et hœdos a sinistris. Tunc dicet Rex iis qui a dextris sunt : *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum a constitutione mundi* (*Matth.* 25. 34. 35). Cogita gaudium illud et fiduciam coram angelis, prophetis et apostolis; *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere*, etc. Venite, benedicti Patris mei, accipite pro terrenis cælestia, pro temporaneis æterna. Veste me induistis; ego vero induo vos gloria æterna : panem mihi dedistis; ego vero escam paradisi do vobis : in electionibus et fructuum oblationibus fructus nobis attulistis; et ego vos sanctorum consortes faciam : aquam frigidam mihi in potum dedistis; et ego vos in paradisum introducam. Frater, cum hæc audieris, quid exspectas, quid tardas tua largiri inopibus et ecclesiis? Cæterum Deo ipsi das, ut ipse ait : *Si feceritis uni ex istis fratribus meis minimis, mihi fecistis* (*Ibid. v.* 40. *et sqq.*). Quicumque vero pauperes persequuti sunt, Christum persequuti sunt : ideoque statuet illos a sinistris : ac sicut illi persequuti sunt pauperes, sic et Dominus illos persequetur, dicens : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum paratum diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere*, etc. Cogita pudorem illum coram angelorum cœtu. Si quis hic convictus fuerit de peccato coram amico, quomodo faciem dejicit? quomodo prodire recusat? quomodo verecundus est coram amicis, vicinis et cognatis, ob pudorem aperti delicti? Cogita pudorem illum, ubi innumeri angeli, prophetarum ordines, apostolorum chori, martyrum cœtus

innumerabilis, turba infinita; dicetque Judex : *Discedite a me, maledicti. Esurivi, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere; nudus eram, et non induistis me; infirmus, et non visitastis; hospes eram, et non collegistis me.* Quid mihi, inquit, obtenditis? præcidi vobis omnem excusationem, omnemque defensionem. Si dicam, *Esurivi, et non dedistis mihi manducare;* potes fortasse dicere, Panem non habeo. Panem non habes, nec aquam? an pedes non habes ad invisendos infirmos, et eos qui in carcere sunt? annon una cum afflicto dolere potes? Nihil pauperi erogas : saltem ne lingua tua illum deterreas; ne des illi causam gemitus contra te proferendi : nam gemitus ejus cito exaudit Dominus, *Et retribuit iis qui abundanter faciunt superbiam* (*Psal.* 30. 24). Non ita exaudit Dominus justos, ut pauperes, quia pauper neminem habet qui se suscipiat : nam ob mendicitatem omnes repellimus eum; ita ut parentes et amici, filios et amicos, imo frater fratrem, ea de causa rejiciant, necnon vicini vicinos, et pauper omnino abjectus et sine ulla ope sit; tantumque habeat Deum qui miseratur pauperes. Ideo illos cito exaudit Deus, ut alicubi dicit propheta : *Cito exaudivit pauperes Deus, et vinctos suos non despiciet* (*Psal.* 68. 34). Tu panem habes, aut aliud quod possit paupertatem consolari? da pauperi. Sin non habes, verbo ipsum cura, cum ipso dole, precare pro illo; ut si apud te opem non invenit, apud alium inveniat. Qui non habet quod eroget, et bonis verbis pauperem solatur, majorem accipiet mercedem, quam qui erogat. Cæterum alibi dicit : *Magnum est eleemosynæ beneficium.* Nullum aliud opus potest abstergere peccata. Eleemosynam erogemus, dilecti, ut æterna bona consequamur in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IN PARALYTICUM, IN DIE MEDIÆ PENTECOSTES, ET IN ILLUD, NOLITE JUDICARE SECUNDUM FACIEM (*Joan.* 5. 5. *et* 7. 24).

Sicut luna lucida obscuritatem noctis albo colore tingens, iis qui in terra et in mari iter agunt nautis et viatoribus lucem præferens, sine obice procedendi dat facultatem : sic in sabbato Dominus paralytico dicebat, *Surgens tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam* (*Joan.* 5. 8). Ideoque Judæis aiebat : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris* (*Id.* 7. 16). Quod autem ob paralytici curationem ex potestate sua factam hoc Judæis dixerit, ex modo lectis accipe demonstrationem. Nam hinc clarius significavit Dominus inseparabilem suam cum Patre unionem. Nam si dixisset Dominus, Mea doctrina non est Patris, sed mea, seipsum separasset a Patre, a substantia alienum fecisset, atque œconomiam mutavisset : cum dixit vero, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris*, ostendit non aliam esse substantiam, unamque esse doctrinam Patris et Filii et Spiritus sancti. Unum quippe est Verbum Patris, Filius; et Spiritus Patris, est Spiritus sanctus. Quomodo alia docebit Verbum, alia prædicabit Spiritus sanctus? Non est hoc, non est certe secundum beatum Paulum dicentem : *Nemo novit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui habitat in ipso : sic et quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei, qui est in ipso* (1. *Cor.* 2. 11). Et quod ob suam in paralytico sanando potestatem, ut dixi, Dominus hæc verba admiserit, audisti modo Dominum dicentem : *Unum opus feci, et omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem (non quia ex Moyse est, sed ex patribus), et in sabbato circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysis, mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate* (*Joan.* 7. 21-24). Quod autem ob paralytici curationem Dominus hæc dixerit, iniquos illos esse ex lege demonstrans, id ipse dicit illis ut audisti : *Si circumcisionem accipit homo in sabbato;* et in sabbato circumciditis infantem, ne violetur lex octo dierum, legem alia lege subvertentes; vos subvertitis legem, et *Mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato*, non sudans, sed miraculum edens? In sabbatone operandum non est, sed per omnia otiosos esse oportet? cur ergo apud vos, o Judæi, mulier in sabbato parit, obstetrix tumultuatur, fasciæ moventur, natura purgatur et mamma ad lactandum paratur? Mulier parit, et natura legis servatur, et Deus non miracula patrabit? Dic mihi : Si in sabbato circumciditur homo, *Ut non solvatur lex, mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Id admitto ut a vobis inimicis judicer, ut in quo judicio judicaveritis, judicemini. Quis solvit sabbatum? vosne, qui in sabbato circumciditis, gladium acuitis, sectionem infertis, membrum amputatis, et locum sanguine conspergitis; an ego qui dixi, *Surgens tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam?* Si verbum non operatum est, in vanum loquendo sabbatum solvi; si autem opus cum verbo concurrit, cur sabbatum ulciscimini, et Creatorem despicitis? non satis fuit vobis, o Judæi, per triginta et octo annos videre paralyticum lecto affixum, lectumque ipsum laborantem, paralytici pondus die nocteque ferentem? Non indignati nec miserati estis; et si una hora paralyticus lectum gestet, et vicem referat, indignamini? annon clamandum erat : Versasti stratum meum in infirmitate mea (*Psal.* 40. 4)? Scio, o Pharisæi, cur indignemini; non quod paralyticus sanatus sit dissecamini, sed quod non potueritis lectum abscondere, et miraculum suffurari. Ideo, cum vestram nossem mentem, lectum portare jussi illum, ut etiamsi vos taceretis, lectus ipse miraculum exclamaret. Quid dubitatis, o Pharisæi? Non est paralyticus fictus, non suppositilius, non brevi tempore fuit : omnes illum nostis, triginta et octo annis ad piscinam apud vos vixit. Non potestis dicere, ut de cæco nato, Hic est, Ipsi similis est, Non est hic (*Joan.* 9. 8. 9). Nisi vos cæcus superasset, hunc quoque tenuissetis, et ad judicium duxissetis, ut in omnibus pudore afficeremini. *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate* (*Joan.* 7. 24). Et, si videatur, pauca de paralytico percurramus, quia Dominus illum commemorat. Si enim illum Dominus commemoravit, cur nos illum silentio mittemus? Tum quis miratur, cum Domini miracula narrat. Domini namque est hæc media solemnitas : mediator est Dominus, medium est festum : semper autem medium ab extremis firmatur. Ideo hæc media solemnitas duplicem resurrectionis gratiam possidet. Cum enim inter resurrectionem et Pentecosten media sit, resurrectionem monstrat, Pentecosten indigitat, Assumptionem buccinat. Quænam ergo sit tota paralytici narratio, scitis omnes studiosi, quomodo per omnia spiritualem utilitatem decerpatis. Plane recordaris Joannis evangelistæ clamantis, *Post hæc erat festus dies Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam. Erat autem Jerosolymis piscina, quæ cognominatur Hebraice, Bethesda, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum. Erat autem quidam homo ibi, triginta et octo annos habens in infirmitate sua. Hunc videns Jesus*, qui omnia scit antequam fiant, *scien; quia jam multum tempus haberet, dicit ei : Vis sanus fieri* (*Id.* 5. 1. 6)? O Domini curationem non vanam gloriam sapientem! non exspectat infirmorum preces,

ipse sese languentibus offert. Cum enim sol justitiæ sit, super omnes beneficos radios expandit. *Erant autem Jerosolymis* in probatica *piscina, Hebraice dicta Bethesda, quinque porticus . ibi jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum.* Hoc symbolum erat Judaicæ infirmitatis : quinque porticus infirmis plenæ. Etenim infirmatur Judaicus populus per quinque sensus, visum, olfactum, gustum, auditum, tactum. Per hæc omnia Judæi infirmabantur : non habebant purum oculum, videntes miracula, et despicientes : non habebant gustum gratum, manna edentes, et cucumeres quærentes ; non habebant olfactum purum, unguento Dominico diabolicum fœtorem præferentes : non habebant auditum purum, draconis sibilos, non propheticos sonos consulentes : non habebant tactum bene operantem, idola pro diis habentes, et Deum vivum contemnentes. Attamen in carne præsens Dominus Christus, sensuum factor, et creaturarum conditor, eadem opera corporearum ægritudinum, et voluntariorum lapsuum emendationem curabat. Hic enim, de quo agimus, paralyticus dupliciter flagellabatur : corpus dissolvebatur morbo, et anima peccatis vulnerata erat. Ideo Dominus, utriusque morbi medicus, et corpus firmat et spiritum illuminat ; ac corpus lectum ferre jussit, animam virtutem gestare præcepit. Quid enim ? Videns Dominus jacentem hunc paralyticum, dixit ei, ut vos omnes scitis, *Vis sanus fieri ?* Sed hic statim Judæi Dominum reprehendunt dicentes : Si Deus esset Christus, cur interrogaret paralyticum : *Vis sanus fieri ?* Morbo detinebatur, triginta et octo annos habebat in infirmitate, ad piscinam exspectabat, ut morbum deponeret, et interrogat illum, *Vis sanus fieri ?* quis ille Deus qui interrogat ? Audi qui contradicis : hic Dominus non ut ignorans interrogat, sed ut omnino volens curationem largiri. Si corporis tantum infirmitas fuisset, non dixisset Dominus paralytico, *Vis sanus fieri ?* sciens ipsum omnino velle ; sed quia anima quoque morbis laborabat, ideo paralyticum interrogat, *Vis sanus fieri ?* id est, Cave ne ultra pecces. *Vis sanus fieri ?* da consensum, et accipe medelam, quia nihil per necessitatem suscipio. Ego enim sum, qui a multis annis per prophetam clamavi : *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis ; si vero nolucritis nec audieritis, gladius vos absumet* (*Isai.* 1. 19. 20). Quia ergo liberi arbitrii animal est homo, et paralyticus anima dissolutus erat, ideo Dominus, ne illi medelam mercede vacuam præberet, interrogat illum, dicens : Peto consensum, *Vis sanus fieri ?* De corporeis morbis non interrogat Dominus, Vis sanus fieri ? ut neque hæmorrhoissam, neque leprosum, neque duos cæcos interrogavit : ubi vero animæ morbum videt, statim interrogat, ut consensum accipiat ; nisi vero accipiat, medelam non affert. Interrogare poterit quispiam, Quid ergo ? duo quoque cæci an peccatorum notam habebant, quia illos quoque interrogavit Dominus, *Quid vultis ut faciam vobis* (*Matth.* 20. 32) ? num illi quoque in peccatis erant ? Audi qui contradicis : illi quoque duo cæci in Evangeliis memorati, cæci erant corporeis oculis et animæ visu. Non clare videbant circa Dominum, non habebant perfectam notitiam, dubitabant circa confessionem : ideo Dominus medelam differt, ut fidem roboraret. Sed contra dixeris : Cur cæcos damnas ? fideles erant viri. Annon ubi audierunt Dominum transire, clamaverunt dicentes, *Miserere nostri, Domine, fili David ?* quomodo ergo peccatores erant qui tali voce clamarent ? Audi qui contradicis : ob hanc vocem, quam primo protulerunt, medelæ dilationem Dominus attulit : quia rogantes dicebant, *Miserere nostri, fili David.* Quis filius David tantam virtutem exhibeat, et tanta miracula edat ? Speciosus erat Absalon, sed parricida ; desiderabilis Amnon, sed sororem suam violavit ; sapiens Salomon, sed in fine lapsus est. Quia ergo ut ad filium David accedebant, nec Deum potentem esse putabant ; pecitum medicum, non Deum gloriosum, clamantibus cæcis, *Miserere nostri, fili David,* non respondit eis, ut fidem illis augeri curaret. Ideo per dilationem illam cæci mente sunt illuminati. Et paulo post, ut vidit illos Dominus mente illuminatos fidei luminare accepisse, interrogat illos, dicens : *Creditis, quod possim hoc facere ?* Quid ergo cæci ? Proficientes dicunt, *Etiam, Domine* (*Matth.* 9. 28). Non ultra dixerunt, Etiam, fili David ; sed, *Etiam, Domine.* In mentem revocarunt dilationem ; ideo statim confessionem emittunt dicentes, *Etiam, Domine,* credimus quod hoc possis facere. Deinde ut ostendat Dominus ipsos in fide profecisse, respondit, *Secundum fidem vestram fiat vobis.* Itaque si non in fide profecissent, visum non recepissent. Ideo Dominus quia paralyticus magis in anima peccatis æger, interrogat illum dicens, *Vis sanus fieri ?* id est, Si accipias medelam, ne rursus in paria incidas. *Vis sanus fieri ?* Paralyticus vero nesciens quis esset is qui loquebatur, Domino respondit, Volo sanus fieri. Bene interrogasti an velim ; non enim ultra volo. Dum multum vellem, nihil perfeci. Quid tandem ? volo id quod non accipio, volo sanus fieri. In lecto senui, sepulcrum loquax sum, vivens mortuus sum, nihil novum post mortem exspecto : in juramentum me omnes assumunt, triginta et octo annis juxta piscinam vitam ago, et nemo mei misereatur. Venditur donum : illud cauponantur Pharisæi : unus quotannis mundatur ; et cum oporteret primum præferri, qui opulentior est præponitur. Piscina non discernit : injusta hæc sunt, an erit umquam inspectio justa, ut non cauponentur donum, sed omnibus copiose tribuatur ? Tum Dominus paralytico : Cur ea quæ uno in loco sunt ratiocinio jungere tentas ? an mihi ut ignoranti loqueris ? Piscinæ sum dominus, et quæ fiunt nesciam ? Novi Judæorum negotiationem : ideo adveni, ut piscinam mutem. Nunc illam abrogo, et baptismatis piscinam aperio : in hac unus positus mundatur, in illa innumeri quotidie regenerantur ; in hanc angelum misi, in illam ego angelorum Creator descendi. Ideo ad rem quæsitam responde, *Vis sanus fieri ?* id est, Credis me, qui loquor tibi, hoc facere posse ? Paralyticus vero paulum erectus, et potentiam Domini agnoscens, consuetudine adhuc detentus, respondit ea dicens quæ vos scitis : *Etiam Domine : sed hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, me injiciat in piscinam : dum autem venio ego, alius ante me descendit.* Tum Dominus paralytico : Quid assumis, paralytice ? sufficit tibi ut me Dominum agnoscas. Ne multa imagineris, ne turbatam piscinæ aquam respicias. Turbata sunt Judaica : fontis meæ ogdoadem habeto. Scio quid postules : etiamsi enim hominem non habeas, adsum tibi Deus incarnatus. Idcirco audi me, *Surgens tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.* Exaspera Judæos, percelle dæmonas, in fumum redige contradicentes, certiores fac eos qui accurrunt, solve sabbati otium, contradicito, lectum custodito. His auditis paralyticus, morbo statim per Domini verbum deposito, jussum implevit, et lectum portavit ; ac Judæos cohibere volentes ob sabbatum, ac dicentes, *Non licet tibi tollere grabatum, quia sabbatum est* (*Joan.* 5. 10), refellebat, ut jubentis mandatum complens, dicens illis : *Qui me sanum fecit, ille mihi præcepit, Tolle grabatum tuum, et ambula.* Iniquis vero Judæis Dominum accusantibus et interrogantibus, quis sanasset, quis jussisset tollere grabatum, et canum instar latrantibus contra medicum ; qui sanatus fuerat martyris instar concertabat contra sanguinarios illos. Invenit autem rursus postea illum Dominus, et dicit illi : *Ecce sanus factus es : noli amplius peccare, ne tibi quid deterius contingat* (*Id. v.* 14). Videndilecte, quod propter peccata sua tamdiu in infirmitate detentus fuerit ? Convertamur itaque et nos, ut a temporaneo supplicio liberemur, et æternam gehennam fugiamus, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM, IN DRACHMAM, ET IN ILLUD, HOMO QUIDAM HABEBAT DUOS FILIOS (*Luc.* 15. 11).

Rursum sinus Christi perenne et dulce caritatis fluentum emittit : rursus Christi illuminans sapientia lucernam accendens, et in candelabro crucis ponens, totum orbem ad pietatem illustrat. Hac utens lucerna Dei sapientia, drachmam unam perditam quærens, inventam cum novem drachmis angelorum conjunxit. Quæ vero sit mulier quæ decem drachmas habuit, necesse est, dilecti, dicere. Hæc est Dei sapientia, quæ habet decem drachmas. Quas? Numera : angelos, archangelos, Principatus, Potestates, Virtutes, Thronos, Dominationes, Cherubim, Seraphim, et Adam protoplastum. Hanc Adami drachmam, ex diaboli nequitia avulsam, et in hoc vitæ profundum detractam, ac variis peccatorum voluptatibus demersam, veniens Dei sapientia invenit. Quomodo invenit, dilecti? Venit de cælis, accipit testaceam corporis lucernam, accendit illam luce divinitatis, imponit candelabro crucis, quærit drachmam, in aulam et in angelorum pascua inducit illam. Sed fortasse dicent quidam ex adstantibus, qui post baptisma peccaverunt, Quid ad nos, si Adam servatus est? Quomodo misericordiam, quomodo salutem consequemur, qui post baptismum deliquimus? Quibus dicemus : Qui tales estis, ne timeatis, ne turbemini, ne animo deficite : non enim ita Adam Deus curavit, ut nos contempserit. Sed si illi mulier fuit habens drachmas decem ; tibi pater est misericors, habens filios duos, qui alterum errantem rursum unis complectitur. Omnibus enim omnia factus est, ut omnes lucraretur. Modo audivimus Evangelium dicens : *Homo quidam habuit duos filios : et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi substantiam. Et divisit illis facultates. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. Et postquam omnia consummavit, facta est fames valida in regione illa : et abiit unum de civibus, et misit illum civis in villam suam, ut pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, et nemo illi dabat. In se autem reversus dixit : Quot mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Surgam et ibo ad Patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum, et coram te ; et non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis* (*Luc.* 15. 11-19). Hujus loci sensus, non extra, sed in nobis ipsis quærendus est. Propter nos enim dictæ sunt parabolæ et propter nos leguntur, ut nemo de seipso desperet, etiamsi admodum peccator sit, sed cum pœnitentia accedat ad Deum, et quærat ab eo propitiationem ; maxime vero si quis ex vobis per fidem in Dominum factus sit filius Dei. *Quotquot autem receperunt eum*, inquit, *dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* 1. 12). Si quis ergo vestrum per fidem in Dominum nostrum factus est ejus filius, et sese removit ab illo, non loco, sed moribus ; si quem fames invasit, non communis panis, sed cælestis ; nam ait, *Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo* (*Psal.* 77. 24. 25) : molles voluptates porcis similes relinquat, nec ultra siliquas comedere desideret. Quæ sunt siliquæ? Ligni fructus. Siliquæ sunt peccato similes : sicut enim siliquæ initio gustui sunt suaves, sed postea guttur exasperant ; sic peccatum initio dulce est, post gustum vero, amarum. Et hoc est quod dicit sapiens Salomon : *Ne attendas malæ mulieri : mel enim stillat a labiis mulieris meretricis, quæ ad tempus guttur impinguat : postremo autem amarior felle invenitur, et acutior gladio ancipiti* (*Prov.* 5. 2-4). Si quem incesserit fames cælestis panis, accedat, quærat. *Omnis enim qui quærit, invenit, et qui petit, accipit, et pulsanti aperietur* (*Matth.* 7. 8). Pulsa pœnitentiæ januam ineffabilibus gemitibus : ne timeas illam, non est tibi extranea janua. Pro te mortuus est. Si dixeris in temetipso, Quis est? respondet tibi Christus et dicit, *Ego sum ostium ovium* (*Joan.* 10. 7). Dic et tu : *Peccavi in cœlum et coram te.* Si quis accepto cælesti baptismate peccavit, in cælum peccavit. Qui enim ante baptisma peccat, in terram peccat : Adamo enim dictum est, *Terra es, et in terram reverteris* (*Gen.* 3. 19). Si quis vero Christum induerit in baptismate, non jam terra, sed cælum est. *Qualis enim terrenus, tales terreni, et qualis cælestis, tales cælestes* (1. *Cor.* 15. 48). *Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* 3. 27). Si quis ergo post baptismum peccavit, in cælum peccavit. Quare accedat et dicat : *Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.* Quare? causam dicito : Cor meum sanguine Christi conspersum, rosæ instar florens, in voluptatum cœno demersi ; *Non sum dignus vocari filius tuus.* Te irritavi, Spiritum sanctum tuum exacerbavi, fulgentem stolam fidei peccato inquinavi : *Jam non sum dignus vocari filius tuus.* Liberatam per baptisma animam meam, et nivis instar dealbatam per illuminationem, obscuram reddens, peccato subdidi : *Jam non sum dignus vocari filius tuus ; fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Corporis mei sensus crapula inebriati, quasi variæ ancillæ, dominum suum animam lascivia prodidere : nunc autem per jejunium illas instituens, animam meam temperabo : *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Novi demum erroris ducem inimicum, novi supplantationes ejus, novi immissa gulæ tela, fugio crapulam, per quam temperantiæ vim solvit, jejunium exerceo, quod mihi vigilantiam conciliat : *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Operabor et ego in vinea tua, falce Spiritus amputabo interioris ramos inutilis vitis superfluos palmites, imo potius delicia : *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Colam et ego uvam caritatis dulcissimam : fulciam quoque animam meam, quasi paxillis, præceptis Domini, ut ne in terram detracta a serpente diripiatur : *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* In cælum ipsam respicere curabo, palmitesque amoris fraterni expandere, ut in terram dejectos pauperes in ulnis assumens gestet : *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Impone humeris meis rursum, Pater, aratrum crucis : colam sulcum animæ meæ, auferam spinosos et damnosos maligni frutices, seram in ipsa cælestia semina. Te enim superne imbrem misericordiæ mittente, sulcus animæ meæ fructum ferat, aut trigesimum, aut sexagesimum, aut centesimum : *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Ne repellas me, Pater ; non enim me omnino inimicus enervavit, nec stola fidei exuit. Si enim temperantiæ meæ decorem inquinavit, at non me ita flexit, ut idola umquam colerem : te non negavi, Domine mi. Licet peccaverim in flore juventutis meæ ; at nidorem idolorum conculcavi, imagines dæmonum prostravi, statuas idolorum deturpavi, diabolum exsufflavi, in dæmonas conspui. Nunc vero ad vestigia tua procumbo, Domine Deus meus : *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Si sic pœnitentiam egeris, si sic confessus fueris : adhuc te procul agente, accurret tibi cælestis Pater, spiritu procumbens in colum animæ tuæ, caritatis tibi jugum imponens, et jugali veritatis ligno collum cordis tui constringens ; osculo solvit inimicitiam, dicitque servis suis sacerdotibus : *Ferte primam stolam.* Non dicit, Ferte unam stolam, sed, *Ferte primam stolam*, ut ostendat primum baptismatis stolam tibi dari. *Ferte illi primam stolam, et induite illum ; et date annulum*, signum divitiarum, et thesauri custodem, pignus gratiæ, et

signaculum Spiritus. *Et calceamenta in pedibus ejus*; id est, vestigium animæ ejus evangelii verbis firmate, ut ne rursus serpens calcaneum ejus sublingens, in pristinum peccati errorem illum retrahat. *Et ferte vitulum saginatum.* Quis est hic nisi Christus, qui post baptisma dignis datur, ut ait apostolus : *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* 2. 9)? Afferte, manducemus et lætemur. Quis ex Judæis et gentilibus credet, vitulum mactatum esse, et mundum restauratum? O vitule Virginis juvencæ, fili sacer inculti uteri! o vitule, qui occisus es, et vivis, qui semper a nobis comederis, et inconsumptus manes! Quapropter, dilecti, in securum et tranquillum portum ancoram verbi nostri demittentes, vos dimittamus postquam illapsu sancti Spiritus, et concinna ejus lingua, pelagus divinarum Scripturarum trajecimus; ipse in cælestem civitatem vos deducet, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium una cum Patre sanctoque et adorando Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

QUOD OPORTEAT EUM QUI GRATIAM QUAMLIBET SCIENTIÆ HABEAT, ILLAM EI, QUI OPUS HABET, IMPERTIRE : ET DE PRESBYTERO.

Benignus Deus genus nostrum miseratus, nullum hominem relinquit sine gratia sua : non solum enim justis dat gratiam, sed etiam peccatoribus : quia largus est, et sine personarum acceptione, ac solem suum oriri facit super justos et injustos, et vult omnes homines salvos fieri. Nec despicit peccatorem; sed illi quoque modicam dat gratiam, ut accipiens donum, dantem honoret, et gratias agens, convertensque se a via sua mala, pœnitentiam agat. Si autem, accepta gratia, in iisdem malis maneat, tunc demum auferetur ab illo gratia quam accepit, et condemnabitur ad gehennam ignis, quia non novit honorem et honorantem; et impletur in illo id quod scriptum est : *Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* 48. 13). Novi ego homines peccatores, qui manus imposuerunt ægris, et sanaverunt eos. Verum hoc duobus fit modis; nec solum ad gratiam dantis, sed etiam ad gratiam accipientis. Nisi crederet is qui accipit, neque a justo, neque a peccatore gratiam acciperet : qui vero credit, etiam a peccatore gratiam curationis accipit. Singulis enim secundum fidem gratia datur. Etenim Dominus accedentibus dicebat : *Secundum fidem vestram fiat vobis* (*Matth.* 9. 29). Tu crede in nomine Domini ad quem accedis, et ne hæsitaveris ullo modo, et gratiam accipies : Deus enim est qui operatur. Multi presbyteri peccatores dona offerunt, nec aversatur illos Deus, sed sancto Spiritu sanctificat dona proposita : et panis quidem fit corpus Christi, et calix fit sanguis pretiosus Domini. Quidam vero opinantur se congruenter agere, quod non communicent cum quibusdam presbyteris, quod eorum nequitiæ sint conscii : ignorantes se potius peccare, dum boni quidpiam se agere putant. Quis enim es tu qui judices præpositum tibi? non audisti apostolum dicentem: *Principem populi tui non maledices* (*Act.* 23. 5); et rursus, *Quis es tu qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit : stabit autem : potens est enim Deus statuere illum* (*Rom.* 14. 4). Tu qui ab illo doceris et institueris, non habes potestatem judicandi et arguendi illum; ut dixit beatus Paulus apostolus : *Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo* (1. *Cor.* 4. 5). Ille habet potestatem te judicandi : qui autem illum judicat, Dominus est. Et rursum Dominus : *Nolite judicare, ut non judicemini* (*Matth.* 1. 1). Tu secundum regulam honorem ipsi debitum tribuas : primitias fructuum et quæ Ecclesiæ debes dare ne desistas. Ne curiose inquiras quibus in rebus hæc insumantur. Quod si hac in re de illo judicare tentavevis, respice potius in vas tuum, et examina teipsum, num quid mali habeas in conscientia tua, et num illa te damnet. Non dico ut annorum tuorum omnium opera explores, sed unius tantum diei : scrutare diligenter quomodo diem transegeris; an quempiam accusaveris, an oculus tuus in aliquo scandalizatus fuerit, an pauperem contempseris, an proximum tuum irriseris, an quempiam percusseris. Vide annon in his læseris animam tuam. Si purus sis ab his omnibus, puritatem tibi habeas; neque enim tunc etiam bonum fuerit aut presbyterum aut alium quempiam incusare. Sed ille, inquies, fornicatus est, ego vero secus. Verum tu de proximi bonis furatus es, et res pauperis rapuisti : quisque sua opera mala consideret : ne tua prætereas, dum ea quæ proximi sunt exploras. Si quis vero jam dictis non obtemperet, sed linguam vertat contra presbyterum vel alium, eamdem retributionem se recepturum exspectet. Si tu hæc agens, quæ proximi sunt perquiras, dicet tibi Christus, *Hypocrita, ejice primum trabem ex oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui* (*Matth.* 7. 5). De peccatis tuis sollicitus esto; nec de eo judices de quo judicandi præceptum non habes. Cæterum oportet presbyterum sic affectum esse erga populum; primo pro illo precetur ex tota anima; patrocinetur usque ad mortem injuste læsis, et animam suam pro grege ponat oportet; eos qui sunt in necessitate juvet, afflictum consoletur, injuriarum ne prorsus meminerit; nam memor injuriarum presbyter quotidie peccat, injuriarum memor presbyter numquam puram emittit Deo orationem, dum nequitia est in corde ejus. Nisi reconcilieris cum proximo tuo, et nisi deponas nequitiam tuam, ne ascendas in synthronum. Recordare hujus præcepti Domini : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, vade, prius reconciliare fratri tuo, et tunc veniens offer munus tuum* (*Matth.* 5. 23. 24). Ne transgrediaris Domini præceptum, ne damneris; dolos ne mediteris; ne alium exaltes, alium deprimas. Ne divitem, quod primas sedes occupet, honores; pauperem vero, qui munera tibi offerre nequit, despicias : sed æqualitatem erga omnes servemus. Accusationem ne cito admittas; vanos rumores ne toleres; ex auditu neminem damnes; multi per invidiam et rixam criminantur. Si vero post multam perquisitionem peccantem quempiam deprehendas, ne statim illum coram omnibus redarguas, ne illi des occasionem ut neminem revereatur. Duo enim mala ex tali reprehensione eveniunt: alii enim reprehensi, turpitudinem et opprobrium non ferentes, ad aliud pejus se convertunt, et cum intempestive redarguuntur, ad laqueum et ad mortem currunt. Hujusmodi est satanas, homini suggerit ut malum perficiat; aliud etiam faciendum suggerit, et re peracta irridet eum. Probationes parat et accusatores, qui in calamitate illum criminentur, et ad insaniam vertant, ita ut turpitudinem non ferens, ad fluvios et laqueos currat. Ob hujusmodi tentationes, eum, cui Christi grex concreditus est, oportet esse mitem, ita ut cum multa cautione peccatores exquirat, et cum deprehenderit, ne statim ex Ecclesia ejiciat, ne corripiens illum satanas sibi proprium faciat. Cum autem quis a summo sacerdote ab Ecclesia ejectus fuit, illum satanas corripit, nec discedit ab eo, donec illum sibi addixerit. Non debet sacerdos frequenter excommunicare vel maledicere. Hæc cum

scias tu pastor, cave ne sine judicio ovem repellas vel a grege separes ; sed cum peccantem deprehenderis, evoca illum seorsim ; et partim corripe, partim obsecra semel, bis, terve, ut a malo discedat : et si consilium tuum admiserit, lucratus eris fratrem tuum, ut ait Scriptura : *Quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus, et operiet multitudinem peccatorum* (*Jac.* 5. 20). Prima ipsi condona, quia ei qui dimittit dimittetur. Ac rursus ait clemens Dominus : *Si septuagies septies peccaverit in te frater tuus, dimitte illi* (*Matth.* 18. 22). Et ne illi occulta exprobres, neque illum sese convertentem irrites. Si vero post tria monita sese convertat ad pœnitentiam, tunc recipiatur. Hæc omnia sciat oportet sacerdos, et quomodo se gerere debeat erga populum : et non damnabitur in æternum. Demum de diaconis agam, quomodo scilicet eos conversari oporteat. Diaconus igitur debet omnia secundum presbyteri sententiam agere, et quantum ad canonem, et quantum ad ecclesiasticos usus : nec debet quidpiam in populo cum auctoritate facere, sed omnia jussu presbyteri administrare : nullum segregare potest, nec aliud quidpiam facere. Absente autem presbytero, potestatem in omnia habet diaconus, sicut et presbyter, exceptis divinis mysteriis. Si sacerdos reditum differat, debet evocare alterum presbyterum ex alio vico, qui orationes pro populo fundat. Si vero necessitas fuerit, nec inveniatur presbyter, debet, presbyter loci sanctificare panem, et diacono præcipere ut populo conferat. Si in necessitate puer non baptizatus mox moriturus sit, diacono licet baptizare illum ; si puer mortuus postea fuerit, id pro baptismo censetur : si vero incuria presbyteri puer sine baptismo moriatur, væ presbytero illi ! sin incuria parentum, væ parentibus pueri ! Non debent ergo parentes puerum sine baptismo multis annis relinquere : ovis enim non obsignata, lupi portio est : Christi namque sigillum, illo obsignatum servat. Ipsum itaque Christum decet gloria, honor et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

DE PARABOLA VILLICI INIQUITATIS (*Luc.* 16), ET QUOD NIHIL NOSTRUM SIT.

Sæpe dixi vobis falsam quamdam opinionem inter homines sparsam augere peccata, et bona minuere, quæ singuli nostrum debent in vita augere. Hæc vero opinio est, nos omnia quæ ad vitæ usum habemus, quasi possessores et dominos habere. Hujus vero opinionis causa admodum pro illis concertamus et litigamus, importuneque illa tuemur, quasi proprias possessiones. Res autem non ita se habet, sed contra omnino. Omnia enim illa, quibus fruimur in hac vita, non nostra sunt, neque nos illa ut domini et possessores tenemus, sed ut advenæ, peregrini et viatores. Ducimur autem quo nolumus, et cum non exspectamus, ab his rebus avellimur, quando placet Domino possessori. Volubilis certe res est hujus fluxæ vitæ ratio ; et qui hodie in gloria est, cras erit miserabilis, misericordia et ope dignus : qui nunc opulentus est et divitiis polleus, paulo post inops ne panem quidem habebit ad vitam sustentandam. In hac maxime re Deus nobis mortalibus præcellit, quod semper idem ipse sit, semper eodem modo se habeat, et vitam, gloriam, potestatem possideat, quæ auferri nequeat. Unde ergo nobis tale sermonis exordium ? Id forte notum est, viris saltem mente præditis ac studiosis? Lucas nobis parabolam modo proposuit, in qua villicum alienorum bonorum describit in angustia versantem : quoniam, utpote deliciis et sumptibus deditus, audierat a domino possessionum et divitiarum : Da rationem villicationis, et vade : neque enim te ex bonis meis, ut tuis, deliciari sinam. Est porro illud non gestæ rei narratio, sed ficta parabola, qua adumbratis verbis virtutem moralem docet. Scias ergo, quisquis sis, te alienorum esse administratorem, et abjecta ab animo arrogantia et superbia, humilitatem et reverentiam villici debitoris assume, et dominum semper exspectans, cum timore rationes a te reddendas describe. Advena quippe es, qui brevem rerum hujusmodi usum accepisti. Quod si ambigis, ex rebus notis accipe notitiam, et ab experientia, non fallaci doctore, eruditaris. Prædium possides, quod vel a patre vel ex quodam pacto accepisti? memoria repete et enumera, si potes, eos qui ante te illud possederunt ; in futurum tempus mentem evoca, et cogita quot post te illud possessuri sint : dic vero mihi, quis sit dominus, et ad quos præcipue pertineat, ad eos qui possederunt, ad eos qui nunc possident, an ad eos qui possessuri sunt? Nam si hos omnes quis, si fieri posset, colligeret, plures possessores quam obolos reperiret. Imo si accuratius scire velis, cui rei similis sit vita nostra : recordare, num aliquando in æstate iter agens videris umbrosam arborem undequaque ramos extendentem, quæ posset umbra sua domus vicem agere. Hujus conspectu delectatus, subiisti, et quantum licuit ibi mansisti. Quia vero oportuit inde proficisci, dum iter carpere cogitas, alter viator advenit : et tu quidem sarcinam tuam aufers, ille suam deponit, et tua omnia excipit, stratum, ignem, arboris umbram, fluentem aquam. Et ille quidem finem fecit quieseendi, tu vero ambulandi. Delectatus ille est, et postea locum dimisit. Et arbor illa uno die fuit decem forte peregrinorum ad breve tempus diversorium, et cum omnium fuerit, unius tamen domini erat. Sic et facultates hujus vitæ multos delectant et alunt, eum dominum solum habeant Deum, cujus vita incorrupta immortalisque est. Vidisti etiam diversorium in quod iter agens divertisti ; multa illic habuisti, quorum nullum attuleras, lectum, mensam, pocula, tabellam, aliaque diversa vasa : et cum nondum illis satis usus esses, venit alius sufflans et defessus, pulverulentus, qui te ursit et ex diversorio emisit, quærens aliena quasi sibi propria. Talis est vita nostra, frater, magis etiam fluxa, quam supra dicta. Ego autem miror eos qui dicunt, Domus mea, prædium meum. O quam vana syllaba sibi propria faciunt ea quæ ad se non pertinent, et tribus fallacibus literis aliena abripiunt ! Ut personatæ larvæ nemini propriæ sunt, sed ab omnibus dramatum histrionibus induuntur : sic terram, et ea quæ in terra sunt, alii post alios ceu vestimenta induunt. Num, quæso, quidpiam rege potentius est? Attamen regiam scrutare, exquire vestimenta regia ; inveniesque multa quæ plurimorum regum corpora texerunt : similiterque, coronas, fibulas, balteos, omnia instabilis sunt possessio, vanus usus, a præsentibus ad futuros transiens. Quænam vero est præfectorum dignitatis scena? argenteusne currus? virga aurea? At vides ea non semper habere præfectum, neque semper eumdem, sed singulos ad breve tempus. Sicut enim funeris lectus alia et alia corpora excipit : sic eorum, qui principatus obtinent, symbola sibi mutuo succedentibus serviunt. Hinc nobis apostolus multas voces ad hanc rem nos instituentes exclamando profert : *Præterit enim figura hujus mundi* (1. *Cor.* 7. 31) ; et, *Tamquam nihil habentes, et omnia possidentes* (2. *Cor.* 6. 10) ; et, *Qui utuntur, tamquam non utantur*. Hæc quippe omnia ad unum tendunt scopum ; debere nos tamquam unius dici homines vivere, semperque exitum exspectare. Et ut discas te legibus subjici, et tibi, ut decet, recte vivendum esse ; a teipso considera primum, animam tuam virtutis præceptis semper esse subjectam, neque te tui dominum esse, sed oportere te et verba et opera et omnes vitæ motus dirigere. Corpus accepi-

sti a Creatore, quinque sensibus ad vitæ usus instructum : illi vero sensus non sunt liberi nec sui arbitrii, sed singuli servi et sub lege sunt. Primus sensus oculus audit. Vide, inquit, et considera ea quæ videre bonum est, solem qui orbem omnem illustrat ; lunam quæ tristem et obscuram noctem illuminat ; aliasque stellas, quæ nec multam nec sufficientem lucem nobis subministrant, sed pulchrum, quem sortitæ sunt, fulgorem exhibent : considera terram omnigenis floribus et herbis comantem, mare velut planitiem extensum, quando pura adest tranquillitas. Ad hæc et similia videndi facultate utere ; cætera vero spectacula, quæ damnum in animam inducunt, devita et prætercurre, tibique tegumentum impone ne videas : melius enim est hunc sensum obtenebrari, quam tenebrarum opera parere. Ideo hesterna die dicebat nobis Dominus per Matthæum : *Omnis qui respicit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* 5. 18) : ac melius est exsculpere illum, quando inordinata et damnosa respicit. Habet quoque auditus præcepta, quæ mala audire prohibeant. Oportet enim illum, cum bona audit, apertum esse, et illa in mentem mittere quæ utilia esse possunt : si vero pestiferum et corruptum quidpiam accesserit, quod possit cœnum peccatorum movere, oportet illud fugere ut venenatam feram. Temperetur lingua cum ore, loquatur justa, a prohibitis abstineat, a conviciis, a sycophantiis, ab accusatione injusta, a detractione circa fratres, a blasphemia in Deum. Loquatur omnia bona, pia, quæ ad bona opera hortentur : dicat omnis homo hæc sacri psalmistæ verba : *Dixi, Custodium vias meas, ut non delinquam in lingua mea ;* et, *Sicut novacula acuta fecisti dolum ;* et, *Linguis suis dolose agebant ;* et, *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in malitia? Iniquitatem tota die injustitiam cogitavit lingua tua* (*Psal.* 38. 1. *et* 51. 4. *et* 5. 11. *et* 51. 3. 4). Os utilia pariat. Temperentur quoque nares, ne suavia semper odorentur, nec pretiosorum unguentorum vaporem et fragrantiam in caput attrahant : similia enim Isaias valde improbat. Recordetur manus præceptorum, ut ne omnia sine obice tangat ; extendatur ad eleemosynam, non ad rapinam ; servet sua, nec corradat aliena ; tangat corpora ægra et infirma, illa visitando, non autem corpora vigentium et fornicationi deditorum. Probavimus etiam nos non esse dominos nostros, sed tantum œconomos. Quidquid enim est legibus et præceptis subjectum, servum et subditum est legislatori. Quod si partes corporis nostri non liberæ sunt a potestate, sed domini voluntati in operationibus subditæ, quid dixeris illis qui putant se auri, argenti, terræ aliarumque rerum possessionem habere sine ulla reddenda ratione? Nihil tuum est, homo ; tu servus es, et tua sunt Domini : servus enim liberum peculium non habet. Nudus enim in hanc lucem ductus es ; quæ habes accepisti, secundum legem Domini tui, aut ex paterna hereditate, quia sic Deus statuit : Parentes, inquit, filiis dividunt spolia (*Prov.* 19. 14) ; aut ex connubio opulentiam nactus ; nuptiæ vero et quæ illas sequuntur, a Deo statuta sunt ; aut ex negotiatione vel agricultura aliisque modis, Deo tibi ad illa cooperante. Ecce demonstratum est te non tua accepisse. Videamus demum quid tibi præceptum sit, et qualis esse debeat illorum administratio. Da esurienti, indue nudum, cura afflictum, ne despicias inopem in triviis projectum ; de te ne sollicitus sis, nec cures quomodo victurus sis usque in finem. Si hæc feceris, honoraberis a Domino ; sin præcepto non obedieris, acerbe cruciaberis. Hæc non video esse hominis sui vel vitæ suæ potestatem habentis ; imo contra, multa illa præcepta indicant mihi hominem fortiter regi, legibus dominicis subjectum, a quo vitæ disciplina requiritur ut debitum. Nos vero quomodo agimus? Quasi vitam habentes nulli rationi reddendæ obnoxiam, miseros et afflictos despicimus, in calamitatibus deficientes : largiter autem bona impedimus rebus inanibus, adulatorum perditorum agmen alentes, parasitorum infelicium turmas trahentes : itemque in pugnis contra bestias et feras divitias dissipantes, in alendis equis nulli sumptui parcentes ; ac rursum præstigiatoribus et mimis similibusque pestibus pecunias effundentes. Rem patimur novam ac fere insanam. Ubi enim sumptus lucrum fert immensum et vitam æternam, argentum valde retinemus, ita ut ne pauci quidem oboli ex manu decidant ; ubi vero sumptus peccatum est, et mille suppliciorum causa, ignisque cruciatum affert, ibi liberalitas petitionem prævertit, et omnibus apertis januis, divitias ad extraneos prodire sinimus. Hic vero animus non est servorum expectantium Dominum, sed juvenum prodigorum, comessatorum, libidinosorum. Si vis autem, o auditor, videre timorem œconomi, qui cum prudentia et pietate res sibi concreditas administrat, evolve librum Davidis, illos quære sermones, ubi vir, qui de finis sui exitu valde sollicitus est, sic Deum alloquitur : *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum* (*Psal.* 38. 5). *******

DE JEJUNIO (*a*).

Tuba altiore voce clamo, non ut aures voluptate decipiam, sed ut vera dicens voluptatem exstinguam, et verbo ventris concupiscentiam sedem, atque ad jejunium desiderium excitem. Jejunii enim desiderium est cæleste lucrum ; lucrum autem voluptatis est damnosum. Nam qui gulæ dat operam et ventris concupiscentiam implet, fructum animæ spiritualem labefactat : qui autem jejunio corpus macerat, et ciborum voracitatem fugit, meliorum rerum thesaurum exspectat. Jejunium namque castitatem docet, et tolerantem reddit, jejunium ad pietatem acuit, et ad patientiam exercet ; jejunium angelicam reddit vitam, et corpus spirituale efficit ; jejunium animæ est custodia, et corporis armatura inexpugnabilis. Neque enim insidiatricem voluptatem admittit, et oppugnantem concupiscentiam debellat. Jejunium mentem ad cælum erigit, illamque alis instruit, ut ad immortalem vitam advolet. Jejunemus ergo, dilecti, non tristi facie dies jejuniorum transigentes, sed lætis animis ut servi Christi erga illas affecti. Si enim cum desiderio ad jejunium accedas, ne tristis esto, sed gaude : nam hujusmodi toxicum animam tuam purgat. Ne admittas jejunium a bonis, quorum dulces sunt cibi ; sed patienter exspecta, dum dulciorem cibis doctrinam accipis. Ideo jejunas a cibis, ut per spiritum nutriaris ; ideo abstines a cibis corporeis, ut muneribus replearis cælestibus. Jejunium est pharmacum quod peccatum tollit, et cataplasma emolliens, quod ad pietatem abluit. At sicut deteriores morbi acerrimis asperrimisque curati remediis, putredinem ex corpore ejiciunt : sic mucore infectum peccatum, quod animam corrodit, asperrimum jejunium ingressum paulatim minuit et exsiccat, omninoque destruit et expurgat. Ideo etsi laboriosum sit jejunium, est tamen utile et facile. Ne ergo invitus jejunes, ne laborem perdas, neque murmures, quia paulum tardas, ne ob modicum tempus totum amittas : quanto magis enim jejunio maceratur corpus, tanto major est ex jejunio utilitas. Ad justorum vitam recurre, et invenies illos ex jejunio magis claruisse. Primo Moyses jejunans in caligi-nem ingressus est, et per jejunium cum Deo colloquutus est ; quadraginta dierum jejunium peragens,

(*a*) Hæc oratio ad Codicis Romani fidem emendata est.

legislator per jejunium effectus est : nec panem comedit, nec vinum bibit; satis enim illi erat ad escam, quod legem a legislatore doceretur. Ut autem scias quantum prosit jejunium, et quantum noceat ebrietas jejunii adversaria ; cogita ea quæ a Moyse, et ea quæ a populo gesta sunt; et jejunii vim edisces. Superne Moyses legem accepit, et infra positus populus legem evertit. Dolore namque affectus Moyses legem contrivit, non rationabile putans ut lex ebriis concrederetur, et animis vino onustis eloquia illa traderentur. Vide quam noceat ebrietas jejunium oppugnans. Sed rursus jejunium, tantum malum emendans, totidem diebus usum, legem iterum advocavit : memoriale nobis relinquens ad securitatem vitæ et conversationis. Ideo forte sic contigit ut mysterium quodpiam indicaret : quod nempe prima lex cessatura sit, ob incredulitatem primi populi contrita : secunda vero operata est, ubique disseminata, quia secundam legem secundus populus fideliter accepit et custodivit. Elias vero postquam per quadraginta dies jejunasset, et una esca desertum trajecisset, laborem non sensit : jejunium namque illum sustentavit et laborem minuit; ac post jejunium Deum vidit, ut poterat humana natura comprehendere. Non corporeis oculis incorporeum vidit, sed corde invisibilem cogitans, per animæ puritatem. Nam *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* 5. 8). Sic postquam jejunaverat, cælum clausit lascivis, qui per totam vitam voluptatibus dediti erant ; ut quod non voluntate propria elegerant jejunium, hoc per famem instituti ediscerent, et scirent quam utile sit jejunium, quod deliciarum tempore suam vim ostenderet. Daniel quoque postquam per tres hebdomadas jejunasset, et panem desideriorum non gustasset, in lacum leonum per lascivorum invidiam dejectus, leones ibi jejunare docuit. Jejunatorem enim reveritæ sunt immanes feræ, rationabilibus feris mitiores ; et os suum clauserunt, sacrum corpus tangere non ausæ. Corpori namque suo jejunium quasi armaturam apponens, seque totum per illud muniens, fefellit oculos leonum, non corpus humanum, sed corpus angelicum exhibens. Et tres pueri in Babylone, nolentes iniquæ regis mensæ participes esse, sed legale jejunium sequi optantes, in rogum camini ingressi, exstinxerunt flammam, per jejunium ignem in rorem in fornace mutantes. Atque eos qui jejunium non experti erant ignis aggressus est; omnes enim circumstantes Chaldæos consumpsit; ab iis vero qui jejunio assueti erant recessit, quod non posset eorum corpora attingere : neque enim materia quæpiam erat in corpore, quod a jejunio spirituale redditum fuerat. Similiter Ninivitæ jejunio mortem depulerunt : tribus enim diebus in jejunio peractis, æternum supplicium per paucos illos dies effugientes, æternam in mundo sui laudem reliquerunt. Videte, dilecti, quantum possit jejunium, cum oratione et operibus peractum. Jejunium enim et precatio a morte liberant; sed justitia plus quam illa duo. Jejunium mortem tollit, et ab ira redimit : jejunium purgatio est mentis, consors temperantiæ, gymnasium pietatis, jugum justitiæ. Solet jejunium pauperem reddere divitem; neque enim sinit temere impensam facere, sufficientem indicans mensuram : solet etiam divitem pecuniarum œconomum reddere, nec sinit eum sua sine modo absumere. Novit jejunium juventutis vigorem, docet cibis frenum apponere, continentiam indit, et sapienter ducit ad pietatem et castitatem. Scit etiam senibus prudentiam indere, et purum ipsis mentis oculum servare. Jejunium corpus sanum custodit : quod non onustum cibis, materiam morborum non accipit; sed leve factum a cibis, robustum est ad munera accipienda. Ideo jejunemus, dilecti, ut spiritualia munera consequamur. Qui jejunat, animam instituit ad pietatem, imaginem accipiens corporeæ continentiæ ad curam animæ; ut quemadmodum abstinet ab externis cibis, sic abstineat a pravis cogitationibus ingruentibus. *Si Spiritus potentis*, inquit, *ascenderit in te, locum tuum ne relinquas, quia medela cessare faciet peccata* (*Eccles.* 10. 4). Sicut ergo abstines a cibis nihil gustando, sic abstine a peccatis teipsum mutando. Abstines a vino? abstine etiam a nequitia : solet enim nequitia majorem ebrietatem in anima parere. Abstines a carnibus? abstine et a detractione, ne per illam carnes fratrum comedas. Verum namque jejunium est abstinentia a peccatis. Audi prophetam dicentem, *Non hoc jejunium elegi, neque diem qua humiliat homo animam suam* (*Isai.* 58. 5). Sed quid? *Solve omne vinculum iniquitatis : dissolve tortuositates violentorum pactorum tuorum : frange esurienti panem tuum : eum qui sine tecto est induc in domum tuam; si videris nudum, operi eum* (*Ib. v.* 6. 7). Hoc est, dilecti, verum jejunium, a Deo acceptum, homini salutare et omnibus placitum : hinc sequitur cælorum possessio, et Domini verax promissio. Vide enim quid adjiciat : *Tunc erumpet matutinum lumen tuum, tunc clamante te exaudiet te : adhuc te loquente dicet, Ecce adsum* (*Ib. v.* 8. 9). Vides quanta jejunii dona, et cum quanta pietate conjunctum sit ; ita ut Deum ipsum exoret ut ad humanam naturam accedat. Jejuna igitur, persevera in orationibus, synaxibus, admonitionibus, numquam absens a cœtu, ut mos est quibusdam. Neque negotiationibus et tribunalibus tota die des operam ; ne pecunias colligas, quas dispergere deberes; ne contra fratrem tuum obloquaris, cui inservire oporteret. Venisti ad vesperam aut horam nonam, non ut jejunii propositum perficeres, sed ut ventris appetitum impleres. Et ne videaris a vino quidem abstinere, quod vigilans sis; sed iniquitate plenus ebrius esse; neve audias, *Væ ebriis, non a vino* (*Isai.* 28. 1). Ebrietas vero non habet cum jejunio consortium, sed est ejus inimica et adversaria. Ut perveniamus ad paratam nobis spem resurrectionis : illic quidem fruentes repositis bonis, hic vero exsultantes de iis quæ speramus in Christo Jesu, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN FILIUM VIDUÆ

Et factum est postea, ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim : et ibant cum eo discipuli ejus, et turba multa. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, et hæc vidua erat (*Luc.* 7. 11. *et* 12). Omnia hic sunt miserabili affectu plena. Unico filio vita functo, dulcissima mater clamabat, se solo nomine matrem esse, cujus partum mors demessuit. Unam uvam habuit vitis, et hanc mortis procella contrivit : unum baculum habuit illa, et hunc communis mors abstulit. Sine præsidio mulier erat, et sublato baculo, non vitalem sibi fore vitam videbat. Deinceps ne minimam quidem consolationem habebat, unico amisso filio. Duplici dolore corripiebatur, illoque non consolabili; nemo poterat mœrorem allevare; lacrymæ rivorum instar per genas manabant, intolerabilis erat mulieri luctus. Cogitabat filii formam, amore viscera rumpebantur. Et illa vidua omnino manebat, rem omnium acerbissimam, omnium miserrimam ; et viro et unico filio orbabatur. Vere miserabile viduæ nomen, luctu, fletu, calamitate plenum. Spectatorum nemo temperabat a lacrymis ; omnes ingemiscebant, nec inveniebant quem primum lugerent, filiumne mortuum, an viduam viventem. Sed erravi cum viduam viventem dixi : quæ enim vidua vivit? etsi enim vivere videatur (secundum præsentem vitam loquor, non secundum futuram), mortua est. Vidua enim in præsenti vita, siquidem opulenta sit, hinc dolorem paulum minuit, hinc spe quadam recreatur, vulnus suum curat, dolorem allevat, ubertate roboratur, interdum

dormit. Etiamsi enim multa sint quæ torqueant, et raptores instent; attamen si paupertas non adsit, levior est calamitas. Vidua autem inops, est portus lacrymarum, puteus tentationum, urbs sine muris, fons sine aqua, mater gemituum, lætitiæ parasitus, hera paupertatis, sterilitatis computatrix, famis vicina, textrix doloris, baculus fractus, gravis occursus, acerba contubernalis, deformis imago, columna deserta, arbor sine radice, nubecula sine luce, ecclesiæ limen, variarum precum excogitatrix, accusatrix audax inimicorum, quæ Deum clamans alloquitur ut virum, ultricem; quæ paratam habet Dei iram, quæ ipsum cælum scindit per emissas in amaritudine cordis ad Deum supplicationes : pectus percutiens quasi carnifex, nisi cito Dei opem experiatur, ultricem in quorum qui se iuvadunt. Et illa filiis orba, in terra inops et sine patrocinio, Deum cum omnibus Virtutibus suis movet ad iram et vindictam eorum qui credere nolunt Deum esse judicem viduarum et pupillorum. Si vero contigerit illam filium habere, paulum delectatur ex ætate ejus, spe fovetur, et ex fructu roboratur. Videt ramum, et radicem amplectitur; uvam tenet, et eum qui plantavit diligit; partem habet, et eam totum esse reputat : viventem complectitur, et mortuum non abominatur; filii figuram considerat, et imaginem patris sibi repræsentat. Et dum adolescens ille vivit, vitæ procellas vidua lenius tolerat : si vero contigerit, vivente matre, filium mori, ac matri valedicere, et ad patrem accurrere, id quod huic viduæ contigit; tunc totum illa dolorem simul excipit. Statim enim atque memoratæ viduæ filius unicus mortuus est, illa lugubri veste induta, cœpit temeraria proferre verba, Deum quasi iniquum redarguens, ipsumque quasi vim passa blasphemis verbis alloquens : Num filius meus solus mundo erat oneri? Alii ob numerosam prolem in angustia sunt, et mihi uni unicus abripitur. Ego misera vivo, et vir atque filius mortui sunt. Quis deinceps me consolabitur? quis me respiciet? Videbar ex illo aliquam acceptura esse fiduciam; satis enim mihi erat, si mater audirem. Tenerum mihi illum pater sine facultatibus reliquit; et ego vidua sine patrocinio manus ad opus admovens, accurate illum enutrivi, duplicem triplicemque vestem ipsi paravi, mercedem erudientibus illum solvi; et nunc cum me hinc bona decerpturam sperarem, tentationum grandinem excipio. O dolorem! Sed quid factura sim excogitavi : cum filio meo sepeliar; hac de re certiores facio invidos meos; cognati me devorabant ut virilem filium habentem. Concedite mihi omnes, qui mihi prolem invidetis : jam ego genuini filii mei sepulcrum præoccupo : ridiculum mihi videretur, si jam viverem. Hæc vidua cum dolore clamante, statim adveniens Christus Deus noster, qui omnia prævidet, qui omnia noverat antequam ea faceret : nam, *Antequam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te* (*Jer.* 1. 5); pater orphanorum et judex viduarum, qui lacrymas in gaudium vertit, qui portam urbis Naim ecclesiam fecit, et lectum mortui altare reddidit. Ubi enim resurrectionis donum, ibi altaris ornatus; et ubi Verbi Dei manus extenduntur, ibi resurrectionis mensura perficitur : nam exitus ille fuit sacrificii locus, et exportatio fuit reductio. Quid enim ait evangelista? *Videns autem illam Jesus*, id est, Servator, Deus Verbum, Christus, *misericordia motus est*, videns eam. Quid videns? Viduam filio orbam et viro, vetulam, incurvam, lugentem, comam vellentem, pulvere caput conspergentem, graves oculos excæcantem, indecorum amictum scindentem, pectus gemitibus exhaustum percutientem, nec clamare ultra valentem, effrenem demum factam. Hoc situ videns illam Jesus, misericordia motus est super eam, et accedens dixit illi, *Noli flere*. Illa vero luctui dedita, cum non bene nosset eum qui advenerat, objecto luctu Domino respondit : Ne fleam dicis? ecquam mihi consolationem jam afferes? si totum mundum ea de causa moveas, nullum mihi solamen dabis. Quid enim matri ad consolationem dulcius est, quam filius? quando maxime matres viduæ sunt, et in filios unicos spem habent. Quomodo ergo ne fleam dicis? Filium meum extranei lugent, et ego non flebo? lapides ingemiscunt, et ego tacebo? Spes mea abiit, vita defecit, fiducia abrepta est, vitam conspicio sine spe ulla, hac prorsus nudata sum; mors exspectationem meam demessuit, et me sine ope undique constituit; me reliquit, et illum suffurata est; dimisit radicem, et ramum desecuit; trunco pepercit, et speciosum surculum tabefecit; vetulam reliquit, et adolescentem resecuit. Nullum habeo ad quem respiciam. Si enim alterum haberem filium, possem luctum moderari, et viventis conspectu mortui dolorem allevare : nunc vero nullum mihi bonum relictum est, omni privor lætitia. Videbam filii imaginem, et in illa veterem patris figuram conspiciebam. Dum hunc haberem, illum imaginabar : numquam me viduam existimavi. Nam is qui ex illo prodierat, in calamitate me solabatur, et ex me natus mihi magis quam vir servichat, et cum dolebam, illum habebam consolatorem. Si quando mœror mihi animum occuparet, ille me amplectebatur osculans, et puerili sermone me delectabat, mœrorisque nubem dissipabat, et dicis mihi. Noli flere filium tuum? quis es tu qui ita me hortaris? Quidam vero de turba accedentes dicebant ei : Cur audes, o mulier, Deo contradicere? Dominus adest, ipse te alloquitur. Accede, precare, supplica : neque enim inutilis est ejus præsentia. Illa vero abstersis oculis, vesteque composita, ac tecto pectore, procidit ad vestigia Domini, ipsique respondit : Redde mihi filium, et accipio consilium tuum : nam vetula ætate sum; sed Saram intueor, et spes accedit mihi. Hinc ad pedes Jesu accedens, dicebat : Ignosce petulantiæ ancillæ tuæ, Domine, et verbis meis in luctu demersis. Neque enim ignoras matris filios lugentis dolorem : hoc enim præceptum tuum est. Cum spe hunc enutrivi, Virum amisi, saltem filium dato, senectutem meam fove; jam enim deficio. Non dico ut Martha, *Si fuisses hic, frater meus non esset mortuus* (*Joan.* 11. 21) : jam enim præsens animam ejus gestas, et cum abire videris, nihil tibi deest. Paululum quidpiam, Domine, concede ancillæ tuæ. Tu Lazarum flevisti, quem virtute tua a mortuis suscitasti, et ego filium meum non flebo? *Et accedens Jesus tetigit loculum*, qui tangit montes, et fumigant. *Ii autem qui portabant, steterunt. Et ait, Adolescens, surge* : recipe sensum adolescentis, et mortem conculca. *Tibi dico, Surge;* ne tardes resurgere; *Ego* enim *sum resurrectio et vita* (*Ibid. v.* 25). Vocavi Lazarum de sepulcro, et ille statim ex monumento exsiliit, licet per quatriduum putredinem contraxisset in sepulcro, et a vermibus viscera ejus admodum corrosa essent. Sed vox vitæ mortuum olfaciens, solutas carnes in bonum odorem restituit : et factum est sepulcrum uterus mortui. Te vero nuper mors intercepit : tibi dico, Ne tardes resurgere; *Ego* enim *sum resurrectio*. Mortuus erat is qui conspiciebatur, et illi quasi audienti loquebatur Dominus. Quandonam audit mortuus? Et quid dicit Dominus? *Tibi dico, Surge. Et statim resedit mortuus;* ita ut turbæ, quæ id videbant, quasi mortuæ fierent; primo ob incredulitatem, secundo ob rei veritatem. Cur autem non exsiliit, sed resedit? Ut non adumbratam resurrectionem omnes putarent, et ne res phantasia esse videretur : ac si dixisset Dominus illis : Ego vos certiores facio, qui audistis, quod idem ipse sit, qui paulo ante mortuus erat. Et extendens manum Jesus, cepit eum qui mortus fuerat, et dedit illum viventem matri suæ. Illa vero accepto filio, gaudio et incredulitate tenebatur : gaudens quidem de filii resurrectione; non credens autem et rem ipsam cogitans. Studiose mater filium considerabat, manibus palpabat, oculorum situm explorabat, olfactum, manus, frontem, et totam vultus formam; deinde manus, pedes, et in summa totum corpus. Ac secum reputabat dicens : Num errore ducor? num

alium pro alio teneo? num ad consolationem meam, ut luctum sedaret et doloris magnitudinem, in morte filii mei callide egit, et alienum quempiam quasi meum tradidit Jesus, ut dolorem meum allevaret? Nullam similis rei testem habeo : nihil unquam tale vidi, neque alius eorum, qui mecum sunt, vidit : numquam in lectulo visus est mortuus qui suscitatus fuerit. Ipsum vero filium sic alloquebatur : Dic mihi, ne timeas, tune es ipse filius meus? dic, cognoscis me? nosti quænam sim? scis num ego sim quæ te peperi? Agnosco figuram, sed rei non credo : clamat oculus, describit pupilla, palpebræ prædicant, auditus consentit, testificatur narium pars intermedia, labia declarant, ipsa statura suadet. Linguam move, dilectissime, dic mihi vitæ signa. Gaudium mihi tempestatem excitavit : te video, et retineor; ego te in ulnis gestavi, ego te parvulum lactavi. Dic mihi, fili mi, tune es filius meus? ne timeas me. Verum ubi de his omnibus certior facta est, quæ luxerat in gaudium versa, et quæ fleverat Deum glorificans, dextera manu filium tenens, et per urbem omnes adiens, magna voce clamabat : *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum* (*Psal.* 33. 3); quia filium meum mortuum suscitavit, quia veterem vincam vallavit, et eam quæ olim non mater erat, matrem rursum effecit, lacrymarumque fontes exsiccavit : et glorificate nomen ejus in sæcula : quia ipsum decet gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CONTRA JUDÆOS, IN SERPENTEM ÆNEUM, ET IN ILLUD, DEDIT ILLI NOMEN QUOD EST SUPER OMNE NOMEN (*Philipp.* 2. 9); ET IN ILLUD, QUONIAM NEMINEM HABUIT, PER QUEM JURARET, MAJOREM, JURAVIT PER SEMETIPSUM (*Hebr.* 6. 13)(*a*).

1. Verbum Dei, fratres, ut sæpe diximus, simplex quidem est, clarum, omnibus manifestum, et multa luce plenum; sed varias habens operationes, varia accipit nomina; ita ut sæpe vocetur lux, vita, lucerna, lampas, gladius, fluvius, fons, ensis, securis, porta. Hæc admittit vocabula pro ratione beneficiorum, ut aperiatur auditorum intelligentia, et ut ab iis quæ apud nos sunt, mens nostra erigatur ad ea quæ supra nos sunt. Hinc Dominus noster Jesus Christus, Dei Verbum, fons sapientiæ, populum alloquens, parabolis usus est, ab iis quæ sunt in mundo, ea quæ supra mundum sunt docens, a visibilibus invisibilia, ab humanis divina. Et aliquando parabolam vineæ affert, aliquando piscationis, interdum sagenæ, aliquando fermenti : ut hodie Judæos alloquens dicebat, *Homo quidam habebat duos filios; et dixit primo, Vade in vineam operari* (*Matth.* 21. 28). Quia enim hæc in usu sunt apud nos, et in his versamur, nos ducit ad supernam sapientiam; ut dicebat etiam in priori; hesterna vero die dicebat Servator : *Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam* (*Id.* 20. 2. *sqq.*). Heri vineæ parabolam induxit, et hodie eamdem. Necessarium est autem tempora indicare, quibus exiit Dominus vineæ. Exiit, inquit, primo mane, et circa horam tertiam, et sextam, et nonam, et undecimam. Quinque tempora vocationis apparent, primo mane, tertia hora, sexta, nona, undecima. Nihil inutile est apud Deum. Qui enim comminatus est, *De omni verbo otioso rationem dabitis* (*Id.* 12. 36) : multo minus ipse utatur verbo otioso, qui est fons sapientiæ. Docet igitur nos divinum magisterium, Deum diversis temporibus vocare. Idem ipse Dominus est, eamdem habet agriculturam; diversis vero temporibus vocat, secundum diversas hominum generationes. Eadem est dies, idem Dominus, vinea eadem; tempora vero quibus conducit non eadem, sed primo mane, hora tertia, sexta, nona, undecima. Quandonam exiit primo mane conducere operarios? Mane vocat exordia divinæ creationis. Mane erat quando Adam formatus est : in exordio enim adhuc sæculum recens erat cum sol ortus est; adhuc recens erat, cum ostensa est lunæ pulchritudo et stellarum ornatus. Primo mane Deus exiit ut conduceret. Quem primum ex hominibus conduxit? Adamum. Posuit illum in paradiso, ut operaretur et custodiret. Est igitur prima ab Adamo usque ad Noe : hæc una vocatio, unum tempus. Hoc scilicet tempore vocatus est Adam ad operationem, Abel ad virtutis operationem, Seth, et Enoch, qui ob supremam virtutem translatus est. Usque ad Noe extenditur primum vocationis tempus. Cum Noe apparuit, tempus erat tertiæ horæ : exiit iterum conducere. Deleta enim ob iniquitatem prima generatione, rursus genus hominum opus habuit secunda vocatione. Inducit secundo operarios in vineam, eos qui fuerunt a Noe usque ad Abraham. Secunda hæc est vocatio. Attende, quæso, diligenter : prima hora ab Adamo usque ad Noe, tertia hora a Noe usque ad Abraham, sexta hora ab Abraham usque ad Moysem, nona hora a Moyse usque ad Christum, undecima hora a Christo ad consummationem. Sicut enim undecima hora finis est diei, sic tempus adventus finis est sæculorum : ut enim undecima hora ad finem vergit diei, sic tempus adventus consummationem subindicat. Quapropter ait apostolus Paulus : *Hæc*, fratres, *in figuris contingebant illis; scripta sunt autem ad admonitionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt* (1. *Cor.* 10. 11). Et vide rem mirabilem : conducti sunt primi, secundi, tertii, quarti, et in fine quinti : et merces non data est primis, donec advenerunt postremi, sed laborem sustinuerant, mercedem vero nondum acceperant. Noluit enim Deus mercedem dare primis, donec advenirent fructus Ecclesiæ, et præciperet œconomo : Da ab ultimo usque ad primum. Quod autem distulerit Deus mercedem dare primis, donec venirent ultimi, testificatur Paulus in Epistola ad Hebræos. Commemoravit Abrahamum, Isaacum, Jacobum et patriarchas, aliosque prophetas et justos, et adjicit : *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissiones, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur* (*Hebr.* 11. 39. 40). Sicut enim hic, fratres, quinque tempora dedit et vocationes, primum tempus, ut resumam, ab Adamo usque ad Noe, secundum a Noe usque ad Abraham, tertium ab Abrahamo usque ad Moysem, quartum a Moyse usque ad Christum, quintum a Servatore usque ad consummationem : sic et alibi parabolam afferens ait : *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ exierunt obviam sponso : quinque prudentes, et quinque fatuæ* (*Matth.* 25. 1. 2). Cur quinque, et quinque? In singulis generationibus sunt justi et injusti. *Quinque prudentes, et quinque fatuæ;* in singulis enim generationibus sunt studiosi et pigri, pii et impii. Vide ubique temporum consensum : nam quinque vocationes plane habent propria negotia, et proprium tempus. Et sicut agricolæ secundum singula tempora fructus proprios repetunt, vernos a vere, hiemales ab hieme, æstivos ab æstate, autumnales ab autumno : ita et Deus fructus repetens, singulis temporibus eos, qui sunt cuique generationi proprii, exigit. Non exigit a te hodie fructum, quem a prio-

(*a*) De hoc ultimo Scripturæ loco ne verbum quidem habetur in tota concione.

ribus exigit : alium requirit post Christi adventum. Ut enim ab iis qui ante te fuerunt non repetiit fructus qui tuo tempore sunt, sed a singulis generationibus repetit : sic et tunc faciebat. Tunc tempus erat aliud, quod propriam habebat legem; nunc aliud propria præcepta habens ; non quod Deus mutetur, sed quod præcepta suis temporibus congruentia det. Ideo testificatur sæpe de Noe Scriptura : *Et erat Noe justus, perfectus* quomodo? *In generatione sua* (*Gen.* 6. 9), comparatione eorum qui cum ipso erant. A singulis enim ministerium sui temporis exquiritur, ut ait Petrus de Davide : *David quidem in sua generatione cum administrasset, voluntate Dei dormivit* (*Act.* 13. 36). Singuli secundum suam generationem. Generationes igitur sunt quinque. Hæc non temere proferentes dicimus, sed vestigia Domini sequentes. Rei vim ostendit Christus : *Revertens*, inquit, *in civitatem, vidit ficum : et non habebat nisi folia tantum* (*Matth.* 21. 19), et quærebat fructum. Accessit autem esuriens. Multam video in dictis difficultatem, nisi Deus mentem nostram ad reverentiam deducat, ne quid contra Deum temere loquamur aut cogitemus, sed veritatis scopum sequamur. Revertens, inquit, noctu, valde esuriit, et accessit ad ficum quærens fructum, et non invenit : non enim erat tempus ficorum (*Marc.* 11. 13). Ita scriptum est. Quis ita, (non de Deo loquor, neque Dei dignitatem in medium nunc affero), quis nostrum hominum ita stultus et insipiens, ut extra tempus ad ficum abeat? Si secundum hominem loquamur, alienum a sensu est extra tempus fructum quærere ; si secundum Deum, cur creaturæ suæ terminos ignoravit? Quocumque modo dictum explores, sive secundum humanitatem, sive secundum divinitatem, id Servatori non competit. Neque enim homo prudens extra tempus fructus exigit ab arboribus, cum alioquin ne exigeret quidem ab initio ; neque etiam Deus qui ordinem, tempus et leges posuit singulis et arboribus et fructibus, exiget extra proprios terminos. Si enim tu legem ficui posuisses in proprio tempore non ferenti ***. Quod si etiam tempus esset, neque illa fructum tulisset, id tribuendum esset voluntati Dei, qui arbori vim non dederit. Itaque, fratres, id magis œconomiæ erat quam necessitatis. Non erat hæc necessitas, sed œconomia Christi : volebat discipulis præsignificare certam futuram esse passionem suam. Quia statim post hæc iturus Jerosolymam, ibi passurus erat (si quis enim accurate legat, inveniet quomodo hanc historiam sequuta crux sit) : quia ergo Jerosolymam iturus et passurus erat, discipuli vero de passione scandalizabantur ; ne quis suspicaretur ipsum ex infirmitate pati, clara indicia dat se posse adversarios exsiccare, ut ficum ; ut potestatem suam in ficu inanimata ostenderet, patientiam vero suam apud homines rationales ; utque ex recentis miraculi memoria intelligerent volentem passum esse eum, qui verbo ficum arefecerat. Quod autem, fratres, hæc vera sint, et quod ipse hæc omnia dispenset, ut potentiam suam ostendat, ex sequentibus intelligitur : multi vero hoc possunt intelligere. Ficus, inquit, est synagoga Judæorum : minatus est autem synagogæ ex ea nullum fore fructum in æternum. Sic quidam intelligere voluerunt ; sed res cum hac prædictione non consentire videntur : post crucem enim et post hanc sententiam, multa millia Judæorum crediderunt ; nec consentit illud, *Non ultra ex te fructus sit*, cum tanto credentium numero. Resume dictum. Si contra Judæos et contra synagogam sententiam dixisset, ita ut non ultra fructum allatura esset, et si fructus synagogæ sunt Ecclesiæ, oportuisset post hanc sententiam nullum credidisse Judæorum ; quod autem multi crediderint, audi Scripturam. Una Petri concio tria millia cepit, altera ejusdem quatuor millia (*Act.* 2. 41. *et* 4. 4) ; suntque septies mille animæ : alibi vero, dum verbum proficeret, turba magna Judæorum fidei obsequuta est. Si Judæorum plurimi, imo multa millia obsequuta sunt, et si tandem usque adeo progressum est verbum apud Judæos, ut apostoli Paulo dicerent, *Vides, frater, quot millia sunt in Judæis qui crediderunt* (*Act.* 21. 20); si tot millia fuerint credentium Judæorum, quomodo hæc sententia cum illa consonat, *Non ultra ex te fructus sit?* nam post illam sententiam multa fructuum millia prodierunt. Sed res hanc habet consequentiam. Fuge violentas allegorias : aliquando ipsa Scriptura oculos aperit ad speculationem ; interdum vero ipsa tropos adhibere docet. Cum igitur nuda est speculatio vel historia, ne impenetrabilia tentes, sed ex serie rem accipe. Crux erat, et passio futura erat. Ne œconomiam infirmitati adscriberent, potentiam suam ostendit in gratiam eorum qui spem salutis habituri erant. Sciebat enim Servator, crucem fore salutem hominum, et se in ligno exaltatum, totum orbem esse capturum. Ideo ait : *Si exaltatus fuero*, id est, si crucifigar, *omnes traham ad meipsum* (*Joan.* 12. 32). Attende, quæso : illud, *Si exaltatus fuero*, quid est? Nisi ipse id interpretetur, non possum sententiam statuere. Dicit Servator Nicodemo : *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis* (*Id.* 3. 14. 15).

2. Quid sibi vult hoc ænigma? In deserto olim Judæorum populus murmurabat de manna quod comedebat, et hanc escam de cælo datam calcans, mensam Ægyptiacam cupiebat, dicebatque : *Recordamur ollarum carnium, quas comedebamus in Ægypto* (*Exod.* 16. 3) : et antepositæ sunt ollæ Ægyptiacæ cibo cælesti. Quid ergo Deus? Quia panem cælestem contempserant, mittit in populum serpentes mortiferos : egressi sunt serpentes mordentes, et morsu mortem inferentes. Ac jure non alia fera immissa est, non leo, non ursus, sed serpentes Quia enim initio serpenti dixerat Deus, *Terram comedes omnibus diebus* (*Gen.* 3. 14), hanc misit feram contra eos qui manna comedentes murmurabant ; illa quippe comedens non murmurabat. Misit serpentem mordentem ; mors sequebatur morsum. Procumbunt illi ante Moysem, procumbit Moyses ante Deum : suggerit Deus remedium vulneribus ; etsi posset rogatus serpentes fugare ; sed plagam relinquit et pharmacum dat. *Fac mihi serpentem æneum* (*Num.* 21. 8), et fige illum in ligno ad portam tabernaculi testimonii, et prædica filiis Israel et dic : Si quis morsus fuerit a serpente, veniat et respiciat hunc serpentem in ligno fixum, et si credat, vivet. Annon poterant serpentes fugari? non poterant perire? non poterat verbo curare? Verum sicut poterat verbum Dei aquam ex petra educere, nec tamen obedivit petra donec vidit symbolum crucis : sic et hoc loco : poterat serpentes fugare ; sed donec viderunt serpentes imaginem crucis, quæ dæmonum morsus tollebat, non hebetes facti sunt. Cur autem serpentem Servatoris imaginem fecit? quæ similitudo hanc inter imaginem et serpentem? Ut recorderis, cum contra Judæos certaveris, vel contra inimicos qui Scripturam adhibent, et contra Scripturam pugnant, quomodo a crucifixo salutem exspectes et benedictionem. Scriptum est enim, *Maledictus est omnis qui pendet in ligno* (*Deut.* 21. 23). Attende diligenter : si dixerit Judæus aut alius Ecclesiæ inimicus, Scripturæ verba usurpans, et contra Scripturam pugnans : Quomodo a Domino crucifixo benedictionem accipere vultis, cum Moyses aperte scribat, *Maledictus omnis qui pendet in ligno?* responde illi, Si legis Scripturam, attende : non enim lectio tantum requiritur, sed etiam cognitio, ut ait Philippus eunucho : *Putasne intelligis quæ legis?* Et quid ad hæc probus ille? *Quomodo, domine, nisi quis me duxerit* (*Act.* 8. 30. 31)? Si dixerit, Quomodo a crucifixo benedictionem exspectas? scriptum est enim, *Maledictus omnis qui pendet in ligno ;* dic illi, Quomodo filii Israel in deserto a serpente benedictionem acceperunt, cum Deus ab initio dixerit, *Maledictus tu ab omnibus bestiis terræ* (*Gen.* 3. 14)?

Et serpens maledictus est, et maledictus omnis qui pendet in ligno. Ne attendas verborum seriei, sed disse differentiam. Quia Servator repositam mundo maledictionem in se erat recepturus; prima vero maledictio erat, *Terra es, et in terram reverteris*, hanc vero sententiam in se Servator accepit, ut ait apostolus : *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum* (*Gal.* 3. 13) : prius imaginem ponit in serpente, ac jure in serpente. Sicut enim ille serpens æneus faciem, formam et imaginem serpentis habebat, venenum vero et nequitiam serpentis non habebat : sic et Servator apparet in carne in similitudine peccati : hæc enim caro antea peccatrix erat. Assumit ergo peccatricem carnem, licet ipse non peccaverit, sed peccatum mundi assumpserit : nam *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* 1. 29). Sic et Servator assumpsit carnem, imaginem carnis et veram naturam habentem, peccatum vero carnis non habentem. *Peccatum* enim *non fecit*, inquit Isaias, *nec inventus est dolus in ore ejus* (*Isai.* 53. 9). Quod enim est venenum in serpente, illud est dolus in homine : de quo ait Scriptura, de malignis agens, *Venenum aspidum sub labiis eorum : quorum os maledictione et amaritudine plenum est;* et, *Linguis suis dolose agebant* (*Psal.* 13. 3. *et* 9. 29). Sicut igitur, ut iterum resumam, serpens ille imaginem et formam serpentis habebat, venenum autem et malitiam serpentis minime : sic corpus Servatoris formam hominum habuit, nequitiam vero hominum non habuit. Altera autem rursus imago est : sicut serpentes alii quidem mordent, alius vero pro illis patitur; cum enim oportuisset unum ex mordentibus sumere, ipsumque cruciligi, mordentes quidem dimissi sunt, qui vero nihil peccaverat crucifixus est. Qui neque mordebat, neque consors erat corruptionis et exitii aliorum serpentum, ligno figitur, quia imago erat Servatoris : quoniam omnibus peccantibus hominibus, nemo peccatorum pro peccatore crucifigitur, sed ille qui impeccabilis est. Nosti speculationem : recordare vocis Christi Nicodemo dicentis : *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic exaltari oportet Filium hominis* (*Joan.* 3. 14. 15). Pulchre dictum : quia passio, humiliatio esse putabatur, Servator eam exaltationem vocat. Totus quippe orbis cruce exaltatus est, totus orbis humi jacens, per œconomiam crucis correctus est. Ideo *Dominus regnavit, decorem indutus est* (*Psal.* 92. 1). *Etenim correxit orbem terræ.* Non dixit, Creavit. Primo creavit, sed secundo correxit. *Ita oportet exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat.* Necesse mihi videtur hujus exaltationis testem advocare prophetam clare prædicantem Deum exaltari. Audi ergo beatum Isaiam hanc exaltationem prædicantem. Etsi enim aperte passionem prædicavit dicens : *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se, sine voce : hic peccata nostra tollit, et pro nobis cruciatur : propter peccata populi mei veni ad mortem* (*Isai.* 53. 7. 4. 8) : attamen alibi ipsam passionem vocat exaltationem Quid enim dicit? *Cantate Domino, laudate nomen ejus : annuntiate in gentibus gloriam ejus, quoniam excelsa fecit. Exultate et lætamini qui habitatis in Sion, quia exaltatus est sanctus Israel, in medio tui exaltatus est* (*Id.* 12. 5. 6). Sed huic voci obsistit hæretica vox, et dicit : Si exaltatus est, a Patre est exaltatus; scriptum est enim : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium*, etc. (*Philipp.* 2. 9. 10). Semper inimici veritatis insurgunt contra prædicationem veritatis. Operæ pretium autem est iis non breves proferre responsiones, sed prius ab illis rationem postulare præjudicatæ opinionis suæ, et postea quæsitorum solutionem inducere. Quoniam dicis, *Pater exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu*, etc.; primo mihi statue, quod sit illud nomen super omne nomen; non licet enim illud temere proferre, sed in rei veritate statuendum est. Cum malignus quispiam te interrogaverit, justa interrogatione absurdam solve interrogationem. Ostendit enim hodie Salvator quomodo oporteat obliquis illis respondere. Interrogaverunt Servatorem Pharisæi dicentes, *In qua potestate hæc facis? quis tibi dedit hanc potestatem* (*Matth.* 21. 23)? Servator vero ostendere volens non oportere nequitiæ satisfacere, sed absurdis interrogationibus non respondendum esse, Pharisæis dicit : *Interrogabo vos de re aliqua, quam si dixeritis, et ego respondebo vobis : Baptisma Joannis unde erat? ex cælo, an ex hominibus* (*Id. v.* 24. 25)? Repressit improbos is, qui comprehendit sapientes in astutia eorum. *In qua potestate hæc facis? quis tibi dedit hanc potestatem?* Et interrogatus non respondet eis, sed vicissim interrogat : *Interrogabo et ego vos de re aliqua.* Ideo dicit propheta, *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris* (*Psal.* 17. 26. 27). Hoc a Deo hominibus dictum esse multi putant. Hæc propheta Deo dicit, *Cum justo justificaberis, cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris.* Ut vero discas hæc Deo dici, pergit : *Quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis* (*Id. v.* 28). Semper nequitiam Judæorum torsit Servator per silentium : nequitia enim cui non respondetur, magis cruciatur. Sæpe interrogatus est, et non respondit; percontati sunt Judæi, nec illis quidpiam reposuit. Eo usque Judæorum animos cruciavit, ut dicerent illi : *Usquequo animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam* (*Joan.* 10. 24). Nec tamen respondit, nisi tantum : Sæpe dixi vobis, et non audistis : quid iterum vultis audire? Vide quomodo animæ suæ cruciatum declaraverint : *Usquequo animam nostram tollis?* nonne tu dixisti? *Petite, et accipietis; pulsate, et aperietur vobis; quærite, et invenietis* (*Matth.* 7. 7)? Legistis Scripturam, sed non intellexistis dicentem : *Quærent me mali, nec invenient* (*Prov.* 1. 28). Ut discas eumdem esse characterem loquentis per evangelia, et prædicantis per prophetas, eumdemque per illos et per hos loquutum esse : ut hic a Judæis interrogatus non respondit, sed aliis interrogationibus ipsos frenavit : sic et in Veteri dicit Deus Ezechieli : *Fili hominis, ecce filii populi veniunt ad me ad interrogandum sermonem : vivo ego, si respondebo illis* (*Ezech.* 20. 3). Vides eumdem characterem : vide quot tormenta, quot interrogationes, quot petitiones, et non respondit. Ubi autem invenit animam simplicem, et fidelem, luce et simplicitate plenam, non modo interrogatus respondet, sed etiam non interrogatus docet. Abiit aliquando circa Samariam Jesus, invenit mulierem Samaritanam haurientem aquam, et dicit illi, *Da mihi bibere* (*Joan.* 4. 7). Qui vitam dat, dicit illi, *Da mihi bibere.* Sedebat ad puteum, fons supra fontem. Deinde, ut breviter dicam (nam propositum est non hanc explicare historiam, sed ad institutum reverti), rogavit eum illa** ut veniret. Illum qui cum Judæis et Samaritanis versabatur interrogavit. Samaritani vero circa urbem, quæ nunc vocatur Neapolis, cultum suum habent; Judæi autem Jerosolymis. Dicit ei Samaritana : *Domine, patres nostri in hoc monte adoraverunt : quomodo dicunt Judæi quia Jerosolymis oportet adorare* (*Ibid. v.* 20)? Vide animam discendi cupidam, mulierem miseram, virtute excelsam. Egressa est ad hauriendam aquam, et haurit ex fonte fluenta. Samaritani hic adorant, Judæi Jerosolymis : solve quæstionem. Dicit Servator : *Amen dico tibi, mulier, quia veniet hora, cum neque in monte hoc, nec Jerosolymis adorabunt Patrem* (*Ibid. v.* 21). *Deus* enim *Spiritus est,* id est, ubique est; *et adorantes eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Ibid. v.* 24) : non loco circumscribentes orationem, sed ubique celebrantes. Ut vero clare intelligere non potuit, quæ dicebat (mulieris enim mentem superabat), dicit ei

mulier : *Scio* quidem *quod venit Messias, qui dicitur Christus. Cum venerit ille, nos docebit omnia* (*Joan.* 4. 25). Vide animam antequam videret desiderium habentem. Judæi videntes non crediderunt : ipsa quod nondum viderat accipit. Ut vidit Christus mentem illam simplicem, ait, *Ego sum qui loquor tecum* (*Ibid. v.* 26). Quoties interrogarunt Judæi, et cruciati sunt? *Usquequo animam nostram tollis* (*Id.* 10. 24)? et non respondit. Illa dicit, *Venit*; et qui prædicabatur sese declaravit. Hoc est id quod dicitur : *Perversæ cogitationes separant a Deo; apparet autem iis qui non increduli sunt erga illum* (*Sap.* 1. 3. 2).

3. Quoniam igitur docuit nos fons sapientiæ, absurdas interrogationes aliis interrogationibus esse solvendas, hæreticum interrogo, quid est illud, *Nomen super omne nomen?* Ut vis respondeo. Quid est hoc nomen? an Jesus? an Christus? an Servator? dic mihi nomen illud. Hoc primum statue; ut cum divinum testimonium adduxero, prophetarum sententiam, apostolorum prædicationem, ne testimonium illud pervertas. Sed primo sententiam tuam statue : dic mihi, quod nomen putas esse super omne nomen. Sed quid faciam? in medio fidelium sum, et nolo inimicorum occasione suspensos reddere filios Ecclesiæ. Explicemus igitur; et si quis adsit inimicus, beneficium accipiat, fiatque ex inimico amicus, concors ex adversario : ne se victum putet, si vincatur a veritate, ne studeat malam reportare victoriam, sed curet bonam de se victoriam referri. Explicemus ergo rem, ut illi putant explicandam. Quod igitur dicis datum illi nomen, quod est super omne nomen? an quod Jesus vocatus sit? At sic ante illum vocatus est Jesus filius Nave. An quod Christus? Omnis rex et propheta christus est. Ita dicit David de Saüle rege, etsi improbo; attamen chrisma regium habuit. Suadentibus quibusdam satellitibus suis, « Ecce dies, quam dixit Dominus, qua traderet inimicum tuum in manus tuas : percute illum (1. *Reg.* 24. 5. 7); *respondet David*, Vivit Dominus : non inducam manum meam in illum, quia christus Domini est. » Neque unus tantum est christus, sed multi sunt : « Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari» (*Psal.* 104. 15); et Habacuc, « Egressus es in salutem, salutem populi tui, ut salvares christos tuos » (*Habac.* 3. 13). Quomodo ergo super omne nomen est? si enim ante illum alii hoc nomen habuere, quomodo Pater dedit illi nomen quod est super omne nomen, aut quod illud nomen? an Salvator? At multi Salvatores sunt vocati. Recordare supradictorum : quodnam illud est super omne nomen? Sed quia non potes opportune respondere, vel scis quidem, sed callide occultas, jam disce : nomen sæpe vocat Scriptura, Dei non appellationem, sed gloriam. Nomen Dei dicitur gloria Dei, ut cum mirabilia facit, nomen ex miraculo sortitur; ut dicit beatus propheta : « Ubi est qui dextera Moysen duxit? qui firmavit aquam ante faciem ejus, et eduxit populum suum in deserto, et fecit ipsi nomen (*Isai.* 63. 12. 15); » id est, famam; scilicet nomen ejus celebratum est. Et apud nos dicitur, nomine clarus homo, non quod nomen habeat; omnes enim habent; sed quod nomen ejus ubique celebretur. Nomen vocat gloriam et famam ubique celebratam. Sic dicit Salomoni Deus : *Et feci tibi nomen, ut est nomen veterum regum* (1. *Par.* 17. 8). Sed non mutavit nomen ejus? nonne Solomon vocabatur? sed *Feci tibi nomen*, id est, famam, gloriam. Sic et hoc loco dicit, *Dedi illi nomen*; id est gloriam. Quam gloriam? Ne ego explicem, Paulum audi dicentem : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus.* Vides quomodo nomen dicat gloriam, adorationem orbis, et quod ubique ille glorificetur, et per totum orbem annuntietur. Etiam, inquiet ille, explicationem accepi : et ego non absisto, Pater dedit illi nomen. Vis, inquit, nomen intelligere appellationem? vis nomen intelligere gloriam? vis famam? vis celebritatem? Ego interim ab illo non absisto : *Deus dedit illi nomen*, ideo ipsum superexaltavit. Necesse igitur est hoc perquirere : invenitur namque nomen illud quasi merces datum Servatori : dicit enim Paulus : *Hoc sentiatur in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo : humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen* (*Philipp.* 2. 5-9). Ostenditur autem hic, quod quia passus est, mercedem passionis accepit : quia humiliavit se usque ad mortem, ideo Deus illum exaltavit : illud enim, *ideo*, causam dicit ob quam illi gloriam affert. Hæc gloria et exaltatio merces est passionis. Quis ergo passus est? quis accepit mercedem? Ne te sineret Paulus temere contra divinitatem insanire, retulit : *Et humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo humiliavit semetipsum.* Primo hominem dixit, et tunc gloriam accipientem. Attende diligenter : primo formam Dei dixit, *Cum in forma Dei esset;* deinde formam servi ostendit, *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo;* ut ostenderet servi formam, hominem accipientem mercedem et nomen. Duo enim sunt. Quia Servator animam suam posuit (animam quippe habuit, cum totum hominem assumpserit), mercedem accipit ipsa caro, quæ Servatori Verbo ministravit, quod super omne nomen ministretur ei, et, *Ut omne genu flectatur Christo, cœlestium, terrestrium et infernorum.* Aliud breviter dicam : si post crucem hæc accepit, et si, quia humiliavit semetipsum usque ad mortem, in mercedem ipsi Deus dedit nomen; si videatur illud nomen non habuisse ante crucem, ex gratia gloriam accepit. Mecum concertate : nam sententia subtilis et profunda est. Dicunt : Quia passus est Christus. Legunt apostolum nec intelligunt apostolicum dictum, quod quia passus est Christus, *ideo Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et inferorum.* Ante crucem mercedem accepit. Si ante crucem non adoratus videtur Unigenitus, nec Unigenito flectitur omne genu, vere mercedem, et quam non habebat gratiam, accepit. Si autem œconomia sive incarnatio ante crucem, passionem et exaltationem adorata reperiatur, quem locum habebit vana illa loquacitas? Cur, miser, non cognoscis quæ sit illa ante sæcula dignitas, quæ incarnationis forma? Cogita formam Dei, et formam servi; assumentem, et assumptam : ne confundas ordinem, ne destruas veritatem; imo ne a veritate destruaris. Ostendamus igitur, num ante œconomiam omne genu flectatur, et adorandus sit Unigenitus, non a cruce accipiens, sed ante crucem et ante sæcula habeus adorationem. Quid enim dicat audi. Dicit ergo beatus Isaias. *Hæc dicit Dominus : Ego sum Dominus Deus, et non est alius. Justus et Servator non est præter me. Convertimini ad me, et salvabimini omnes ab extremo terræ : Ego Deus, et non est alius* (*Isai.* 45. 21. 22). Iterumque : *Per memetipsum juravi, si exibit ex ore meo justitia* (*Id. v.* 23); *Ego Deus, non est alius. Justus et Salvator præter me non est. Ego Deus, et non est alius.* Ter resumit et dicit : *Convertimini ad me, per memetipsum juro, si exibit in ore meo justitia. Verba mea non avertentur :* id est, non in vanum accedet verbum meum : *quia mihi flectetur omne genu, et omnis lingua jurabit per Deum verum* (*Ib. v.* 24). *Omne genu, omnis lingua.* Quis hoc dixit? Pater. Hoc enim vult hæreticus, non ut Patrem colat, sed ut Filium gloria sua privet. A me autem fideli et ab Ecclesia, et Pater hæc dixisse, et Filius hæc protulisse intelligitur, et Spiritus sanctus prædicatur. Hæc theologice dixi : nulla est differentia. Declaravit enim, *Ego sum justus, et non est alius.* Quis ergo est qui hæc dixit, iterum interrogentur. Sed quia contingit illos, ut olim Pharisæos, dicere intra se : Si hoc dicamus, ita respondebit nobis; ne videar, fratres, vel ex me loqui, vel ex præjudicata opinione temere quædam proferre, ex ipsa prophetia Paulum testem adducam. Videamus Pauli hanc prophetiam. *Vivo ego, per memetipsum juro quia mihi curvabitur omne genu, et omnis lingua;* videamus, inquam, quo Paulus illam deducat. Scripsit ille Romanis, quia dissensio erat inter fideles ex Judæis, et eos ex gentibus qui Christiani effecti fuerant (*Rom.* 14) : et hi ex gentibus Christiani omnibus cibis indiscriminatim utebantur; qui vero ex Judæis erant, et Christum volebant adorare, et Judaicos observare cibos. Altera pars alteri exprobrabat. Qui ex Judæis erant, improperabant illis qui ex gentibus, quod legem non observarent; qui ex gentibus erant, improperabant iis qui ex Judæis, quod non incederent secundum gratiam evangelii. Qui ex gentibus erant, dicebant Judæis, Si lex est quæ justificat, cur venit Christus? si vero Christus venit, cur relinquentes legem Christi, Judaicos ritus sequimini? Illuminati erant Romani Pauli doctrina dicentis : *Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est* (*Gal.* 2. 21). Persuasi ergo erant illi ex gentibus, sine Christo non posse salutem haberi, nec oportere Judaicos ritus servari. Invenit Paulus pugnam, invenit dissensionem, se medium inter pugnantes injicit, et duas partes solvit. Hic animum adhibe : primo Paulus non accurationem exigit ab omnibus, sed quod totum erat excogitavit; nempe præjudicatam opinionem difficile solvi, et consuetudinem vix tempore deleri. Noluit cogendo Judæos ut cibos illos comederent, illos avertere a fide, sed primo voluit fidem Christi radices ponere in illis. Quid ergo illi ex Judæis Christiani? Ut viderunt se redargui, quod nondum crederent in Christum, quod cibos observarent Judaicos, et abstinerent a porcinis carnibus, ut morbum suum tegerent, simularunt se nullas carnes comedere; sed olera edebant, ut abstinendo prorsus a carnibus veteris consuetudinis convicium obtegerent. Ingressus Paulus pugnam dirimit et ostendit, quinam recte sentirent, quinam infirmarentur, et ait : Fratres, *alius quidem credit se manducare omnia* (*Rom.* 14. 2), ut Chri

stianus, ut fidelis : *qui autem infirmus est olera edit. Alius credit se omnia edere posse*, sciens omnia fide purgari, *Quia omnis creatura Dei bona est*, inquit apostolus, *et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur : sanctificatur enim per verbum Dei* (1 *Tim.* 4. 4. 5). *Qui autem infirmus est* : infirmitatem vocat Judaici ritus observationem : *qui autem infirmus est, olera manducat*. Putarunt multi hæc de ascetis dici, et de iis qui indiscriminatim manducabant : at non in tam absurdam sancta illa lingua decidisset sententiam, ut infirmos vocaret ascetas, et fideles eos qui omnia comederent; sed illud dicit ad differentiam eorum qui cibos Judaicos recusarent, et eorum qui indiscriminatim omnia comederent. *Alius quidem credit omnia posse comedere*, utpote Christianus, *alius infirmus olera manducat*. Verum Paulus litem sedat; differentiamque ostendit, illud fidei, hoc infirmitati adscribens. Cum autem arguit, ambos ad amicitiam reducit. *Cæterum qui non manducat, manducantem non judicet* (*Rom.* 14. 3); id est, qui ex Judæis est, non judicet eum qui ex gentibus est, quod comedat præter legem Moysis. *Is qui manducat, non manducantem non spernat* : illos enim spernebant. Non facti estis Christiani, non credidistis. *Qui manducat, non manducantem non spernat : Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui judicas alienum servum* (*ibid.* v. 4)? Vide rem mirabilem, quomodo eadem opera et pugnam sedet, et Judæis ostendat ipsos correctione opus habere. *Tu quis es, qui judicas alienum servum ?* Hoc dicit ei qui ex gentibus Christianus factus est : *Tu quis es, qui judicas alienum servum ?* Alienum dicit, quia sub lege videbatur esse. *Domino suo stat aut cadit : stabit autem : potens est enim Deus statuere illum*. Sic de illis qui adhuc Judaizabant : *stabit autem ; potens est enim Deus statuere illum*. Pugnam compescuit, et rursus pacem inducit. Itaque *Tu quis es, qui judicas alienum servum ? Domino suo stat aut cadit : potens est enim Deus statuere illum. Itaque alius quidem judicat diem inter diem ; alius autem judicat omnem diem* (*Id.* v. 5). Quid est, *Alius judicat diem inter diem ?* Quia inter judaizantes alii quidem omnino abstinent a cibis, verbi gratia, a suillis carnibus ; alii vero inter dies conspicuos solum sabbatum honorant, dicit, *Alius diem inter diem judicat*, legem servans ; *alius autem judicat omnem diem*. Deinde, *Qui sapit diem, Domino sapit* (*Id.* v. 6) ; et qui non sapit diem, Domino non sapit. *Et qui manducat, Domino manducat : et qui non manducat, Domino non manducat*. Vide quomodo pugnam compescat. *Tu quis es, qui judicas alienum servum ? Itaque qui non manducat, manducantem non judicet, et qui manducat, non manducantem non spernat. Omnes enim stabimus ante tribunal Christi*. Hic attende. *Per memetipsum juro quia mihi curvabitur omne genu*. Sedat ergo litigantium pugnam : dicit, *Tu quis es, qui judicas alienum servum ? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi*. Unde hoc? *Scriptum est enim : Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu*. Itaque *tu, cur judicas fratrem tuum ? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim : Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deum verum*. Ad hæc dictum est, si post crucem in mercedem accepit ut adoraretur, quomodo prophetæ ante crucem adorandum prædicarunt? Sed hæc quidem satis sunto, ut et Spiritus doctrina mentem nostram obsignet, et omnes simul gloriam referamus Patri et Filio et Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

INDEX RERUM QUÆ IN HOC TOMO DECIMO CONTINENTUR.

PRÆFATIO ad Homilias Chrysostomi in binas ad Corinthios epistolas. 5-10

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI Homiliæ XLIV in primam ad Corinthios Epistolam. 9-10

ARGUMENTUM Epistolæ primæ ad Corinthios. — Corinthi dignitas. 9-12

HOMILIA I ex cap. 1. — Pauli modestia. Ecclesiæ unitas. Gratia Dei quærenda, non hominum. Humilitas commendatur. 11-16

HOM. II ex eodem capite. — Gratiæ Deo agendæ. Deo vocanti obtemperandum. Nemo natura bonus vel natura malus. 17-22

HOM. III ex eodem capite. — Increpationes sensim et moderate fieri oportet. Paulus non præfert se Petro. Disputatio circa Paulum et Platonem. Apostolorum victoria mirabilis ; exemplo magis quam philosophia prædicandum. 21-30

HOM. IV ex eodem capite. — Ratiociniis ea quæ fidei sunt sæpe labefactantur. Christus per contraria persuadet, quomodo. Socrates coactus cicutam bibit ; martyrum cruciatus. Protagoras et Theodorus athei. Quomodo Græci de fide sunt imbuendi. 29-40

HOM. V ex eodem capite. — Ex gratia divina apostoli orbem converterunt. Contra theatrorum spectacula. 39-48

HOM. VI ex capite II. — Cur non omnes homines credant. 47-52

HOM. VII ex eodem capite. — Sapientia philosophorum exterorum stultitia erat. Multi scripturæ sacræ libri perditi. Christi doctrina ex miraculis et ex prædictionum eventu asseritur. 51-68

HOM. VIII ex cap. III. — Qui signa facit potest esse carnalis. Numquam de salute desperandum. 67-76

HOM. IX ex eodem capite. — Peccatorum supplicium finem non habet. Peccati descriptio ; avari imago. 75-82

HOM. X ex cap. III et IV. — Quomodo Paulus in arguendo fornicario procedat ; mori huic mundo quid sit. Externa sapientia reprobatur. Fastus sacerdotum reprimitur. Pecuniarum usus quis esse debeat. 81-88

HOM. XI ex cap. IV. — De aliis non judicandum est. Homines quam falluntur in judiciis. Fornicationis spiritus excæcat. Pecuniarum amor quanta mala pariat. 87-96

HOM. XII ex eodem capite. — Arrogantiæ malum. Pauli prudentia. Hominum laudes non quærendæ, sed Dei. Theatrorum ratio ; hypodromus et pugnæ ferarum quales. Nuptiarum ritus describitur et damnatur. Ligamina et crepitacula superstitiosa, aliæque superstitiones. Præficarum usus. 95-108

HOM. XIII ex eodem capite. — Christum imitari possumus ; Chrysostomo plauditur ; Pauli et ipsius virtutum descriptio. Pecuniæ non malæ, si bene illis utamur. 107-114

HOM. XIV ex eodem capite. — Paulus igne ardentior. Regnum cœlorum quomodo acquirendum. Virtus non est aspera. Pecuniarum cupiditas quanta inducat mala. 115-122

HOM. XV ex cap. V. — Cum publico fornicatore quomodo agat Paulus. Christianis omne tempus dies festus est. Pauli prudentia. Avaritia vetus fermentum quomodo. Eleemosynæ bona. 121-130

HOM. XVI ex cap. V et VI. — Contra maledicos. Pecuniarum amor omnia subvertit. Qui egenis non eleemosynam erogat, in gehennam mittitur. 129-140

HOM. XVII ex cap. VI. — Resurrectio futura probatur. 139-146

HOM. XVIII ex eodem capite. — Facultatem non peccandi habet homo. 145-152

HOM. XIX ex cap. VII. — Conjugii jura. In iis, quæ ad Christum spectant servus et liber pares sunt. Invidiæ malum. 151-160

HOM. XX ex cap. VIII. — De idolothytis. Fastus humanus nihil est. 159-170

HOM. XXI ex cap. IX. — Paulus cur seipsum laudet. Pauli sapientia. Contra avaros. Eleemosyna largiter danda ; Antiochenæ ecclesiæ reditus in pauperes effusi. 169-180

HOM. XXII ex eodem capite. — Paulus quanta fecerit pro aliorum salute. Voluptas brevis est, dolor hinc partus perpetuus. 181-188

HOM. XXIII ex cap. IX et X. — pœnæ futuræ erunt æternæ. Pœnitentiæ vis in hac vita, inutilitas in altera. 187-192

HOM. XXIV ex cap. X. — Corporis Christi sanctitas et victus. 197-206

HOM. XXV ex cap. X et XI. — Præclarum nihil est, nisi aliis sit utile. Pauli magnitudo animi. 205-212

HOM. XXVI ex cap. XI. — Uxor et vir non debent alter alterius exspectare virtutem ad philosophandum ; uxorem verberare turpissimum est. Philosophi dictum de uxore conviciante. 211-224

HOM. XXVII ex eodem capite. 223-252

HOM. XXVIII ex eodem capite. — Conscientiæ puritas communicanti necessaria. Moralis exhortatio ; luctus immoderatus vitandus ; Jobi patientia describitur. 231-240

HOM. XXIX ex cap. XII. — Spiritus sancti dona causa schismatis. Contra Pneumatomachos. Dei dispensatio non nimis examinanda. Divitiæ fluxæ. 239-250

HOM. XXX ex eodem capite. — Ecclesia corpori humano comparatur. Viduæ in ecclesia. Pecuniæ spernendæ. 249-258

HOM. XXXI ex eodem capite. 257-264

HOM XXXII ex cap. XII et XIII. — Plures prophetæ erant in Ecclesia Christi quam in lege veteri. Charismata seu dona nihil prosunt sine bona vita. Caritas ab omni pernicie libera. Paulus aliquando coactus gloriatur. 263-276

HOM. XXXIII ex cap. XIII. — Caritas a Paulo commendatur. Opus diaboli est alterum ab altero divellere ; caritas omnia superat. 275-286

HOM. XXXIV ex eodem capite. — Caritas omnia tollit mala. Caritatis encomia. 285-296

HOM. XXXV ex cap. XIV. — Prophetiæ donum dono linguarum præstat. Donum linguarum quodnam esset. Inanis gloriæ vis ; philosophi Græci carpuntur. Vana gloria sæva bellua. Pauli laus. Christianus quomodo afflci debeat erga temporalia ; anima quomodo curanda ; divitum mala conditio. 295-306

HOM. XXXVI ex eodem capite. — Eleemosyna quantum ornamentum. Divitiarum vanitas. 305-316

HOM. XXXVII ex eodem capite. — Ordo rectus semper servandus; avaritiæ morbus. Temperantiæ voluptas. 515-522
HOM. XXXVIII ex cap. XV.— Contra Manichæos. Pauli humilitas. Paupertatis felicitas. 521-532
HOM. XXXIX ex eodem capite.—Siccitas Antiochiæ. Avarorum tenacitas. Quanta mala ex gula oriantur. 531-548
HOM. XL ex eodem capite. — Marcionistarum ritus. Quos Paulus increpare intenderit; dives ex aliorum jactura dives efficitur. Deliciarum fructus corruptio est. Servorum multitudo vituperatur; contra eos qui cum famulorum agmine incedunt. 547-554
HOM. XLI ex eodem capite.—Contra hæreticos qui dicebant aliud corpus resurgere. Mortui non nimis lugendi, sed precibus et bonis operibus juvandi 553-562
HOM. XLII ex cap. XV et XVI. 561-568
HOM. XLIII ex cap. XVI. 567-574
HOM. XLIV ex eodem capite. — Fastus quot malorum causa. Fratres quomodo corrigendi. 575-582
S. JOANNIS CHRYSOSTOMI Homiliæ XXX in secundam ad Corinthios Epistolam. 581-582
HOM. I ex cap. I.—Cur secundam ad Corinthios Epistolam Paulus scripserit. Pauli humilitas. Deus semper consolatur. In calamitatibus quomodo agendum. 581-592
HOM. II ex eodem capite.—Justi virtus in ærumnis lucet et augetur. Orationis vis. Preces pro catechumenis. Peccati natura. 591-604
HOM. III ex eodem capite.—Ex pura conscientia quanta consolatio oriatur. Promissa Dei quam firma. Abrahæ fides et virtus. Abrahæ constantia. 605-618
HOM. IV ex cap. I et II.—Pauli prudentia. Pauli amor erga discipulos. Discipulorum officium. 617-628
HOM. V ex cap. II.—Virtus maxima omnia Deo adscribere, Dei oculum nemo fugit. Non precandum contra inimicos. Auditorum Chrysostomi risus. 627-636
HOM. VI ex cap. III.—Animæ vita quæ. 635-642
HOM. VII ex eodem capite.—Lex quomodo mortem asferebat. Spiritus sanctus in Dei ordine est. Spiritus sanctus ejusdem dignitatis cujus pater est. Hæc vita tempestas est. Cupiditatis exstinguendæ modus. Modus exstinguendæ libidinis. 641-654
HOM. VIII ex cap. IV.—Marcionistarum et Manichæorum errores. Apostoli quomodo orbem subegerunt. 655-660
HOM. IX ex eodem capite — Ex tentationibus quantum lucrum. Christi resurrectio omnium resurrectionem probat. Judicium futurum horrendum erit. 659-666
HOM. X ex cap. V.—Judicii postremi descriptio. 665-674
HOM. XI ex eodem capite.—Omnia jam nova sunt, quomodo; apostolorum dignitas. 673-680
HOM. XII ex cap. VI.—Gratia non multum juvat ad salutem, si impure vivamus. Opes quænam veræ sint; pauperes divitibus feliciores. 681-690
HOM. XIII ex cap. VI et VII.—Pauli amor erga omnes quantus. Pauli prudentia et modestia. Eleemosyna ostentatione careat oportet. Contra eleemosynam ex ostentatione factam; pauperes feliciores sunt divitibus in rebus ad salutem pertinentibus. 689-698
HOM. XIV ex cap. VII.—Pauli prudentia quanta. Erga peccantes fratres quomodo agendum. 697-702
HOM. XV ex eodem capite.—Homaxobii, Nomades et Gymnosophistæ. Ecclesiæ imperium quodnam. 701-712
HOM. XVI ex cap. VII et VIII.—Titi laus. Eleemosynam erogare majus est, quam mortuos ad vitam revocare. 711-718
HOM. XVII ex cap. VIII.—Pauli sapientia. Erga proximum agendi regula. 717-724
HOM. XVIII ex eodem capite.— Quis sit frater cujus laus est in Evangelio. Pauli laus. Moses cur Jethro soceri consilium admiserit. 723-730
HOM. XIX ex cap. IX. 729-736
HOM. XX ex eodem capite.—Eleemosyna copiosa sit. 735-740
HOM. XXI ex cap. X.—Paulus imitandus; Marcionis et Manichæi hæresis. 741-746
HOM. XXII ex eodem capite.—Laus propria quam odiosa. Paulus male audiebat apud quosdam. 747-754
HOM. XXIII ex cap. XI.—Paulus cur varie de se loqueretur. Avaritia cur omnium malorum radix appelletur; Salomon non resipuit. 753-764
HOM. XXIV ex eodem capite.—Ad ostentationem aliquid facere diabolicum est. Invidiæ damna. 763-770
HOM. XXV ex eodem capite.—Pauli egregia facinora. 769-774
HOM. XXVI ex cap. XII.—Ærumnæ pro Christo consolationem habent. Alexander tertius decimus deus constitutus. Sepulcra martyrum regias aulas superant. 773-784
HOM. XXVII ex eodem capite. 785-790
HOM. XXVIII ex eodem capite. 789-796
HOM. XXIX ex cap. XIII.—Infirmitatis modi varii. Pauli laudes. Gloria quomodo acquiratur. 793-808
HOM. XXX ex eodem capite.—Spiritum sanctum ejusdem atque Pater et Filius essentiæ esse probatur. 805-810
MONITUM ad commentarium in epistolam ad Galatas. 809-812
S. JOANNIS CHRYSOSTOMI in Epistolam ad Galatas Commentarius. 811-812
CAPUT I. — Quid Paulum moverit ad hanc Epistolam scribendam. Paulus ab ipso Christo vocatus; Filii et Spiritus sancti eadem potestas. Anomœorum objectio solvitur. Aliud argumentum contra Anomœos. Contra Anomœos et Arianos. Contra Christianos judaizantes et superstitiosos. Quæstio an circumcidendi Christiani essent. 811-834
CAP. II.—Apostoli falsi in quo differant a veris. Cur Paulus Timotheum circumcidit. Pauli prudentia. De Pauli cum Petro disceptatione. Contra Christianos legalia observantes. 833-848
CAP. III.—Contra Anomœos. 847-858
CAP. IV.—Paulus quam mansuetus esset. 857-864
CAP. V.—Contra eos qui virilia amputabant. Via facilis ad virtutem. 863-874
CAP. VI. Doctoris officium. Paulus epistolas dictabat, et alius scribebat. Crucis potentia quanta. 873-882
SPURIA. 881-882
MONITUM in sequentia suppositicia opuscula. *Ibid.*
CARITATEM secundum Deum rem esse Deo dignam. 881-884
In illud, *Si Filius Dei es, mitte te deorsum; et, assumit eum diabolus in montem excelsum valde* (*Matth.* 4. 6. 8). 883-888
IN proditionem Judæ, et in passionem Domini nostri Jesu Christi. In sancta Quinta. 887-890
IN illud, *Memor fui Dei, et delectatus sum.* 889-898
IN Rachelem et in infantes. 897-900
IN Herodem et infantes. 899-902
IN Martham, Mariam et Lazarum; et in Eliam prophetam. 901-906
IN illud, *Exeuntes Pharisæi concilium inierunt* (*Matth.* 12. 14). 905-910
IN meretricem et in Pharisæum. 909-912
IN assumptionem Domini nostri Jesu Christi. 911-912
IN transfigurationem Servatoris. 913-916
IN ramos palmarum. 915-920
IN laudem sancti Joannis Theologi. 919-920
IN sanctum Joannem apostolum et evangelistam Theologum. 919-922
IN transfigurationem. 921-924
DE siccitate. 925-926
IN Jordanem fluvium. 925-928
IN Pharisæum, et in meretricem; dicta fuit in sancta et magna feria quarta. 927-934
IN triduanam resurrectionem Domini nostri Jesu Christi. 935-936
IN Christi natalem Dei. 937-938
In illud, *Ascendit Dominus in templum mediante festo* (*Joan.* 7. 14), et de Melchisedec, in medio Pentecoste. 939-942
IN mediam Pentecosten. 941-944
IN Samaritanam in die mediæ Pentecostes. 943-946
IN mulierem peccatricem, quæ unxit Dominum ungento, et in Pharisæum, etc. 945-952
IN illud, *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* 26. 39), in magna Parasceve. 951-956
IN parabolam secundum Lucam, quæ sic habet: *Homo quidam descendebat, et incidit in latrones* (*Luc.* 10. 30). 955-958
IN Natale S. Joannis. 957-962
IN sancta Theophania. 961-964
IN Natale Domini nostri Jesu Christi. 965-968
IN Zacchæum publicanum. 967-968
IN Centurionem. 969-972
IN illud, *Exiit qui seminat seminare semen suum.* 971-976
IN secundum adventum Domini nostri Jesu Christi, et de eleemosyna. 975-978
SERMO in paralyticum, in die mediæ Pentecostes, et in illud, *Nolite judicare secundum faciem* (*Joan.* 5. 5 *et* 7. 24). 977-980
IN Evangelium secundum Lucam, etc. 981-984
QUOD oporteat eum qui gratiam quamlibet scientiæ habeat, illam ei, qui opus habet, impertire: et de presbytero. 985-986
DE parabola villici iniquitatis, etc. 985-988
DE jejunio. 987-990
IN Filium viduæ, 989-994
Contra Judæos, in serpentem æneum, etc. 993-1002

FINIS TOMI DECIMI.

SANCTI JOANNIS

CHRYSOSTOMI,

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

OPERA OMNIA,

CASTIGATA AD MANUSCRIPTOS CODICES GALLICOS, VATICANOS, ANGLICANOS, GERMANICOS, ETC.,

NECNON ET AD SAVILIANAM ET FRONTONIANAM EDITIONES,

NOVA INTERPRETATIONE, UBI OPUS ERAT, PRÆFATIONIBUS, MONITIS, NOTIS, VARIIS LECTIONIBUS ILLUSTRATA, NOVA SANCTI DOCTORIS VITA, APPENDICIBUS LOCUPLETATA,

OPERA ET STUDIO

MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

E CONGREGATIONE S. MAURI.

Editio novissima, emendata et auctior,

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNDECIMUS.

9 VOL. PRIX : 50 FR.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1852

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC UNDECIMO TOMO CONTINENTUR.

Homiliæ XXIV in Epistolam ad Ephesios. 9
Homiliæ XV in Epistolam ad Philippenses. 177
Homiliæ XII in Epistolam ad Colossenses. 299
Homiliæ XI in Epistolam primam ad Thessalonicenses. 391
Homiliæ V in Epistolam secundam ad Thessalonicenses. 467
Homiliæ XVIII in Epistolam primam ad Timotheum. 501
Homiliæ X in Epistolam secundam ad Timotheum. 599
Homiliæ VI in Epistolam ad Titum. 665
Homiliæ III in Epistolam ad Philemonem. 701
Spuria. 719

Ex typis MIGNE, au Petit Montrouge.

INDEX

OPERUM S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

QUÆ TOMUS UNDECIMUS COMPLECTITUR.

In Epistolam S. Pauli ad Ephesios Homiliæ XXIV. col. 9. Savil. Tom. III. p. 763. Morel. T. V. p. 864.

In Epistolam ad Philippenses Homiliæ XV. col. 177. Savil. T. IV. p. 1. Morel. T. VI. p. 1.

In Epistolam ad Colossenses Homiliæ XII. col. 299. Savil. T. IV. p. 89. Morel. T. VI. p. 147.

In Epistolam I. ad Thessalonicenses Homiliæ XI. col. 391. Savil. T. IV. p. 161. Morel. T. VI. p. 262.

In Epistolam II. ad Thessalonicenses Homiliæ V. col. 467. Savil. T. IV. p. 221. Morel. T. VI. p. 361.

In Epistolam I. ad Timotheum Homiliæ XVIII. col. 501. Savil. T. IV. p. 249. Morel. T. VI. p. 402.

In Epistolam II. ad Timotheum Homiliæ X. col. 599. Savil. T. IV. p. 329. Morel. p. 535.

In Epistolam ad Titum Homiliæ VI. col. 663. Savil. T. IV. p. 381. Morel. T. VI. p. 619.

In Epistolam ad Philemonem Homiliæ III. col. 701. Savil. T. IV. p. 411. Morel. T. VI. p. 670.

SPURIA.

1. De Sacrificiis Caini, de Donis Abelis, de Gigantibus, de Diluvio, de Stellis et de Fato. col. 719. Savil. T. VII. p. 457.
2. In sancta et magna Parasceve, et in sanctam Passionem Domini. col. 721. Savil. T. VII. p. 459.
3. In Publicanum et Pharisæum. col. 723. Savil. T. VII. p. 462.
4. In Ingressum sanctorum jejuniorum. col. 727. Savil. T. VII. p. 465.
5. In sanctam Assumptionem D. N. Jesu Christi. col. 727. Savil. T. VII. p. 466.
6. De Jejunio, Dominica V. jejuniorum. col. 731. Savil. T. VII. p. 469.
7. De Jejunio. col. 731. Savil. T. VII. p. 470.
8. De Oratione. col. 737. Savil. T. VII. p. 476.
9. *Ignem veni mittere in terram*, et, *Non veni pacem mittere, sed gladium*. col. 739. Savil. T. VII. p. 478.
10. Admonitiones spirituales. col. 741. Savil. T. VII. p. 481.
11. In Principium jejuniorum et de jejunio. col. 745. Savil. T. VII. p. 483.
12. In Adorationem venerandæ crucis. col. 747. Savil. T. VII. p. 493.
13. In Resurrectionem D. N. Jesu Christi, etc. col. 753. Savil. T. VII. p. 500.
14. In Parabolam ejus qui incidit in latrones. col. 755. Savil. T. VII. p. 505.
15. De Jejunio. col. 757. Savil. T. VII. p. 509.
16. De Jejunio, de Davide et de Presbyteris, de Josepho, et de Novato. col. 759. Savil. T. VII. p. 510.
17. In Annuntiationem Deiparæ, et contra Arium impium. col. 763. Savil. Tom. VII. pag. 515.
18. De Eleemosyna. col. 767. Savil. T. VII. p. 520.
19. De Caritate. col. 769. Savil. T. VII. p. 522.
20. In Lazarum I. col. 771. Savil. T. VII. p. 524.
21. In Lazarum II. col. 775. Savil. T. VII. p. 528.
22. In Lazarum III. col. 777. Savil. T. VII. p. 530.

Præfatio

AD HOMILIAS S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

IN EPISTOLAM PAULI AD EPHESIOS.

Inter selectiora doctoris nostri in Epistolas Pauli commentaria censeri debent Homiliæ in Epistolam ad Ephesios; tum quia in his res uberius expendit, et explicat accuratius; tum quia multa et singularia passim indicat, quæ possint aut ad beatam aut ad miseram vitam non parum afferre momenti.

Orditur autem ab Epheso urbe, quam ut Asiæ metropolin celebrat. Auxerant celebritatem primo S. Joannes evangelista, deinde Timotheus, qui istic sedes posuerant. Fama per orbem nota erat Ephesus a cultu Dianæ, quam Ephesiam vocabant, atque a philosophorum plurimis, qui illic manserant, a Pythagora Samio, a Parmenide, Zenone, Democrito : addidtque Chrysostomus, adhuc suo tempore philosophos Ephesi considere.

Jam quæritur pro more Antiochiæne an Constantinopoli habitæ fuerint conciones in Epistolam ad Ephesios. Optimum Cl. V. Tillemontius profert argumentum ad probandum hasce homilias Antiochiæ dictas fuisse : quia nempe in homilia undecima acerrime invehitur in eos, qui Ecclesiam in qua ille tunc concionabatur, scindebant, inque diversas partes diviserant et schisma effecerant; id quod de Ecclesia Constantinopolitana intelligi non possit. Hic-

que omnino loqui videtur de schismate Eustathiano tunc Antiochiæ perseverante, de quo multa diximus in Monito ad Homiliam, *De non anathematizandis vivis atque defunctis*, quæ hic breviter repetenda sunt.

Eustathius episcopus Antiochenus, vir sanctus atque catholicus, ideoque Arianis invisus, ipsorum opera in exsilium actus fuit, anno circiter 330, in ejusque locum substitutus est episcopus Arianus. Deinceps vero Ariani episcopi sedem tenuerunt, Eustathianis interim seorsum collectas agentibus, donec Ariani tandem Meletium, quem suæ sectæ putabant esse, episcopum constituerunt. At ubi compertum fuit Meletium et Catholicum et Arianis infestum esse, in exsilium pulso Meletio, Euzoium Arianum episcopum constituerunt. Tunc tres in partes distracta civitas fuit. Prima erat Eustathianorum, secunda Meletianorum, tertia Arianorum. Cum autem post hæc Lucifer Calaritanus, reclamantibus licet Athanasio aliisque episcopis, Paulinum Eustathianum episcopum ordinasset, tres simul fuere episcopi Antiocheni, Meletius, Paulinus et Euzoius. Cumque postea deficientibus Arianorum partibus, nullus Arianus episcopus esset, Meletius et Paulinus, episcopi mansere, ac perseverante schismate, ambæ partes se rixis, dicteriis et contumeliis lacerabant. Hæc haud dubie deplorat Chrysostomus, hanc ceu calamitatem omnium maximam, fusis etiam lacrymis prosequitur, tantam ille miseriam perhorrescit ut præsentem. Quod certe nonnisi de Antiochena Ecclesia intelligi potest.

Aliud etiam nec leve indicium est, quo probetur Antiochiæ habitas homilias fuisse; quod videlicet monachos in montibus asperam sanctamque vitam agentes passim laudet; quod in Constantinopolitanis homiliis vix deprehendas; imo vero monachos Constantinopoli vicinos sæpe graviterque insectatur, utpote qui a prisco vitæ instituto non parum deflexissent; in vicinis autem Constantinopoli montibus, si bene memini, monachos esse nusquam dicit. Hic vero passim illos encomiis celebrat, et Homilia vigesima prima Julianum quemdam *admirandum* memorat monachum, qui cum in civitates ingrederetur, id quod perrarum erat, miro omnium concursu et populi frequentia excipiebatur.

Antiochenorum mores pravos sæpe insectatur, ut et alibi passim vidimus, illa maxime quæ ab ethnicis et idololatris promanarant, ut sortes et incantationes, col. 48, fatum etiam et metempsychosin, col. 92: dicebantque illi omnia nulla geri providentia; alii vero Deum esse corpus impune asserebant. De ominibus autem et præsagiis quæ dicit digna sunt, quæ hic referantur: *Multis terroribus*, inquit, *plena est eorum anima. Ut puta, hic aut ille primus mihi occurrit domo exeunti, omnino contingere oportet mala innumerabilia. Nunc servus exsecrandus dans mihi calceos, primum porrexit partem sinistram, graves significantur calamitates et contumeliæ. Ego ipse exiens, sinistro priori processi pede: hoc quoque est signum calamitatum. Et hæc quidem domi sunt mala: foras autem egresso, dexter mihi oculus inferne salit: hoc est indicium lacrymarum. Mulieres quoque, quando sonant calami, ad texturæ recta ligna allisi, vel cum ipsæ pectine discriminant, hoc pro signo habent. Rursus quando subtegmen pectine concutiunt, et id faciunt vehementius; deinde qui sunt superne calami ob intensum ictum edunt strepitum, allisi ad rectum structuræ lignum, hoc habent pro signo: et alia innumerabilia digna quæ rideantur. Et si asinus exclamaverit, et si gallus, et si quis sternutaverit, et quodvis aliud, tanquam decies mille vincti vinculis, ut dixi, tamquam qui teneantur in tenebris, omnia habent suspecta, et sunt magis serviles quam innumera mancipia.*

In homilia autem vigesima, ubi de instituenda uxore multa profert præclara et lectu dignissima, luxum et fastum Antiochenorum vehementer insectatur, quorum plurimi licet vilioris sortis homines, qui magnas sibi paraverant facultates, auro onusti cum uxoribus prodibant, in curru mulis albis juncto, gregibus famulorum et agminibus eunuchorum stipati. Tum acerrime invehitur in eos qui nuptiales cærimonias Christianis indignas induxerant; saltationes et tripudia, impudicas cantilenas, et cætera traducit, quæ nuptialem torum dehonestarent. In uxores quoque illorum aspere invehitur, quæ in famulas et ancillas ita sæviebant, ut ligatas et nudatas coram maritis acerrime verberarent, col. 110, Thessalidas vocantes, quæ vox apud Aristophanem veneficas et præstigiatrices significat.

Sic ille Antiochenos incessit, qui intemperantius suis opibus utebantur; tum etiam non paucos, qui bonis alienis imminerent. Ad alia vero jam veniendum. In homilia octava, omnium longissima, in hæc verba, *Ego vinctus in Domino*, in vinculis Pauli laudandis, celebrandis, totam profundit orationis artem; imo non artem, sed quidquid ardens animus, quidquid cor vehementi concitatum amore suggerit, imparatus profert in medium, col. 57: *Si quis mihi dederit*, inquit, *nunc ut suscitem mortuos, non hoc elegerim, sed catenam. Si ab ecclesiasticis curis essem remotus, et esset mihi corpus sanum et validum, non recusarim hanc suscipere peregrinationem, ut solum viderem catenas, ut carcerem, in quo fuit vinctus. Atqui ejus miraculorum multa multis in locis sunt signa, sed non sunt tam desiderabilia, quam stigmatum. Et in Scripturis non ita me delectat dum facit miracula, quam dum male patitur, flagris cæditur atque raptatur. Vere mirabilia sunt illius corporis sudaria et semicinctia, quæ stupenda patrant: sunt hæc vere mirabilia, sed non ut illa (vincula).*

Occasione vinculorum loquens de sancto Babyla martyre, cujus vitam ille scripsit ut habetur supra Tom. secundo, dicit, col. 71, illum vinctum fuisse, sicut Joannem Baptistam, quia nempe regem redarguerat, et morientem mandavisse, *ut vincula ponerentur cum suo corpore, et corpus sepeliretur vinctum. Et nunc siti sunt compedes cum cinere: tantum erat ei desiderium vinculorum propter Christum. Ferrum pertransiit anima ejus*, etc.

Hom. decima, col. 78, dicit, ἀγάλματα seu figuras, et statuas vel imagines in ecclesia esse, neque plura adjicit in re, quam pluribus expensam fuisse vellem. Hæreticos passim exagitat, Marcionem, Manichæum seu Manetem, Valentinum, Catharos, seu Novatianos, Arium, uti solet in omnibus pene orationibus et homiliis, aliosque etiam hæreticos. De quibus omnibus Diatribam instituemus Tom. decimo tertio.

Gentiani Herveti Latinam interpretationem multis in locis passim castigavimus.

SANCTI PATRIS NOSTRI JOANNIS CHRYSOSTOMI,

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

Opera omnia.

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS COMMENTARIUS (a).

Argumentum.

Ephesus est quidem Asiæ metropolis. Erat autem dedicata Dianæ, et hanc deam illic colebant ut maximam: tantaque eorum erat superstitio, ut ne illius quidem nomen qui ejus templum combusserat, manifestum esse voluerint: fuerat enim combustum. Porro beatus quoque Joannes evangelista plurimum illic est versatus: nam et illic fuit relegatus et decessit (b). Timotheum quoque illic reliquit Paulus, ut dicit ad ipsum scribens: *Sicut rogavi te ut maneres Ephesi* (1. *Tim.* 1. 3). Et plurimi ex philosophis, maxime ii qui in Asia floruerunt, illic erant. Nam dicitur quidem et inde fuisse Pythagoras: Samos enim, unde ortus ille erat, Ionica erat insula (c). Parmenidem quoque et Zenonem et Democritum, et multos nunc adhuc illic inveneris philosophos. Hæc autem non sine causa dicta sunt a nobis, sed ut ostenderem multo studio opus fuisse Paulo ad eos scribenti. Dicitur autem profundiores quoque sensus eis credidisse, utpote qui jam catechumeni essent. Est porro epistola plena sublimibus sententiis et dogmatibus. Scribit autem epistolam Romæ vinctus, sicut et ipse dicit: *Orate pro me ut detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium evangelii, pro quo legatione fungor in catena* (*Ephes.* 6. 19. 20). Et admodum altis et eminentibus plena est sensibus [1]. Nam quæ nusquam fere est loquutus, ea hic profert, ut quando dicit: *Ut innotescat nunc principatibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam varia et multiplex Dei sapientia;* et rursus, *Conresuscitavit et consedere fecit nos in cœlestibus;* et, *Quod aliis generationibus non fuit cognitum, nunc revelatum fuit apostolis sanctis et prophetis in Spiritu, gentes esse coheredes, et concorporales et comparticipes ejus hereditatis in Christo* (*Ephes.* 3. 10. *et* 2. 6. *et* 3. 5. 6).

(a) Ad Homilias in Epistolam ad Ephesios emaculandas usi sumus Coislinianis Codicibus duobus, quorum unus 31, alter 75 notatur, et cum Codice Colbertino num. 4112. Colbertinus argumentum omittit, et a prima homilia incipit.

(b) Id est, *In exsilium missus istuc venit.* Joannes in Paphon insulam relegatus est; posteaque venit Ephesum. Chrysostomus vero hæc carptim recensens, non tam accurate omnia profert.

(c) Chrysostomus carptim loquens, et Ephesum commendans dicit philosophos multos illic floruisse, ut Pythagoram qui ex insula quidem Samo erat; sed Samos Ionica erat ut Ephesus; imo, quod non addit Chrysostomus, Epheso adeo vicina ut ex illa urbe conspiceretur. De cæteris quos addit philosophis multa dici possent, sed adeantur Diogenes Laertius et alii. De quibusdam certe, ut de Democrito, disputari potest.

[1] In Coisliniano altero legitur: *Illa autem Epistola non modo sublimioribus dogmatibus plena est, sed etiam sensibus eminentibus abundat.*

HOMILIA I

Cap. 1 v. 1. *Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, sanctis qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu:* 2. *gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.*

1. Ecce illud, *per*, dedit Patri. Quid ergo? dicemusne eum minorem? Minime. *Sanctis*, inquit, *qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu.* Ecce sanctos vocat viros qui habent et filios et uxores et servos: et hoc constat ex fine epistolæ, ut quando dicit. *Mulieres viris suis sint subditæ;* et rursus, *Filii, obedite parentibus vestris;* et, *Servi, obedite dominis* (*Ephes.* 5. 22. *et* 6. 1. 5). Cogitemus quanta nos tenet socordia, et quam rara sit virtus, et quantus tunc esset proventus bonorum virorum et virtute præditorum, ut etiam mundani seu sæculares tunc sancti dicerentur et fideles. *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.* Gratiam dixit, et Patrem Deum vocavit: il-

dus enim gratiæ hoc est indicium. Quomodo? Audi eum alibi dicentem : *Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba Pater* (*Gal.* 4. 6). *Et Domini nostri Jesu Christi.* Propter nos enim Christus factus est, et in carne visus est. 3. *Benedictus Deus*, inquit, *et Pater Domini nostri Jesu Christi.* Ecce, Deus ejus qui carnem suscepit. Quod si non vis, at Dei Verbi Pater. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Judaicam hic subindicat benedictionem : nam erat quidem benedictio, sed non spiritualis. Quid enim dicit? *Benedicat te Deus, Benedicet fœtus uteri tui* (*Num.* 6. *Deut.* 7. 13), *benedicet introitum tuum et exitum tuum.* Hic autem non sic; sed quid? *In omni benedictione spirituali.* Quid enim adhuc tibi deest? Factus es immortalis, factus es liber, factus est filius, factus es justus, factus es frater, factus es coheres : simul regnas, simul glorificaris : omnia tibi gratis donavit. *Quomodo non etiam cum ipso*, inquit, *omnia nobis donabit* (*Rom.* 8. 32)? Primitiæ tuæ adorantur ab angelis, a Cherubinis et Seraphinis : quid adhuc deest? *In omni benedictione spirituali.* Nihil est hic carnale. Propterea omnia illa exemit dicens, *In mundo pressuram habebitis* (*Joan.* 16. 33), ut qui nos ad hæc duxerit. Nam sicut qui habebant carnalia, spiritualia, audire non poterant : ita qui assequuntur spiritualia, ea non possunt assequi, nisi prius discedant a carnalibus. Quid est, benedictio spiritualis in cœlestibus? Non in terra, inquit, sicut apud Judæos : *Bona terræ comedetis* (*Isai.* 1. 19) : *In terram fluentem melle et lacte* (*Exod.* 33. 3) : *Benedicet Deus terram tuam* (*Psal.* 84. 13. *Deut.* 15. 4). Hic autem nihil tale; sed quid? *Qui diligit me, mandata mea servabit, et ego et Pater ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* 14. 23). *Qui audit hæc mea verba, et ea fecerit, assimilabitur viro prudenti, qui ædificavit domum suam supra petram, et flaverunt venti, et venerunt fluvii, et irruperunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat supra firmam petram* (*Matth.* 7. 24. 25). Petra autem quænam est, nisi res cælestes, quæ sunt superiores quavis mutatione? *Qui* enim *confessus me fuerit*, inquit, *coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui est in cœlis. Et quicumque me negaverit, ego quoque eum negabo* (*Matth.* 10. 32. 33). Et rursus : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* 5. 8); et iterum, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Ibid. v.* 3); et rursus, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* (*Ibid. v.* 10). Vides ubique cælos, nusquam terram, neque quæ sunt in terra. Et rursus : *Nostra conversatio est in cœlis, unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum Jesum* (*Philipp.* 3. 20. 19). Et rursus, Non terrena sapientes, sed quæ sunt in cœlis. *In Christo Jesu.* Hoc est, per Christum Jesum, non per Moysen erat hæc benedictio. Quare non solum qualitate, sed etiam intercessore excellimus. Sicut etiam dicit in Epistola ad Hebræos : *Et Moyses quidem fidelis in tota domo sua, sicut minister in testimonium eorum quæ erant dicenda : Christus autem tamquam filius super domum suam, cujus domus sumus nos* (*Hebr.* 3. 5. 6). 4. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus.* Hoc est autem quod dicit : Per quem nos benedixit, per eum etiam elegit. Ipse ergo nobis illic omnia donabit : ipse est Judex, et dicet : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* 1. 25. 34); et rursus, *Ubi sum ego, volo ut hi quoque sint* (*Joan.* 17. 24).

2. Et in omnibus fere epistolis studet hoc ostendere, quod nostra non sint recentia, sed jam olim efformata sint et expressa; neque ex eo quod Deum pœnituerit, sed res ita fuerint dispensatæ et prædestinatæ. Hoc autem est multæ providentiæ. Quid est, *Elegit in ipso?* Per fidem in ipsum Christus hoc præclare gessit priusquam facti essemus, imo vero priusquam constitutus esset mundus. Recte autem constitutionem appellavit καταβολὴν, id est, dejectionem, tamquam a magna aliqua altitudine dejectum ipsum ostendens. Magna enim est, et quæ dici non potest, Dei altitudo, non loco, sed quod superius evecta sit ejus natura; et magnum est interstitium inter rem creatam et creatorem. Erubescant hæretici (*a*) hæc audientes. Quid autem elegit? *Ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus.* Ne ergo audiens quod elegerit, fidem solam sufficere putes, vitam etiam addit : Propterea, inquit, nos elegit etiam ad hoc, ut essemus sancti et immaculati. Elegit etiam aliquando Judæos. Quomodo? Gentem, inquit, hanc elegit ex gentibus (*Deut.* 7. 6. *et* 14. 2). Si autem homines eligentes quæ sunt optima et pulcherrima eligunt, multo magis Deus.

Sancti quinam vere sint. — Electos quoque esse, est et Dei benignitatis ac clementiæ et ipsorum virtutis indicium : omnino enim probatos elegit, ipseque nos fecit sanctos; sed oportet manere sanctos. Sanctus est qui est particeps fidei, qui est immaculatus, qui vitam habet in quam nulla cadit reprehensio. Sed non tantum quærit sanctitatem, et ut nulli simus affines reprehensioni, sed ut coram ipso tales appareamus. Sunt enim sancti et immaculati, sed qui sic existimantur ab hominibus, qui sunt similes sepulcris dealbatis, velut qui pelles habent ovium. Sed non quærit tales, verum quales dicit propheta, *Et secundum puritatem manuum mearum* (*Psal.* 17. 25). Quamnam? Quærit sanctitatem quæ est in conspectu oculorum ejus, quam Dei videt oculus. Horum præclara gesta dixit, et rursus ad gratiam ascendit et ait : *In caritate*, 5. *qui prædestinavit nos.* Non enim fit a laboribus et gestis, sed a caritate; neque a caritate solum, sed etiam a nostra virtute. Nam si a caritate sola, oporteret omnes esse salvos : si autem rursus a nostra sola virtute, supervacaneus fuisset ejus adventus, et quæcumque facta sunt per

(*a*) Manichæos hic notare videtur.

dispensationem. Sed neque a sola caritate, neque a nostra virtute, sed ex utrisque. *Elegit* enim *nos*, inquit : qui autem eligit, scit quid eligat. *In caritate*, inquit, *prædestinavit nos.* Nullum enim salvum fecisset virtus, nisi esset caritas. Nam, dic mihi, quid profuisset Paulo, et quid effecisset, nisi ipsum evocasset e superis, et dilectum ad se traxisset ? alioquin autem, quod tam multis dignatus sit, caritatis fuit, non nostræ virtutis. Nam fuisse bonos et virtute præditos et credidisse et accessisse, fuit hoc quidem ejus qui vocavit, sed nostrum quoque : quod autem cum accessissemus tam multis dignatus sit honoribus, ut confestim ex inimicitia duceret ad filiorum adoptionem, est re vera exsuperantis caritatis. *Qui in caritate*, inquit, *prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum.* Vides quomodo nihil sine Christo ? quomodo nihil sine Patre ? Ille prædestinavit, hic adduxit. Et hæc ponit extollens quæ facta sunt, sicut etiam dicit alibi : *Non solum autem, sed etiam gloriamur per Dominum nostrum Jesum Christum* (*Rom.* 5. 11). Nam magna quidem sunt quæ data sunt, multo autem fiunt majora, quod data sint per Christum ; quod non quempiam ex servis miserit ad servos, sed ipsum Unigenitum. *Secundum propositum*, inquit, *voluntatis suæ.* Id est, propterea quod valde velit. Hoc est, ut ita dicam, ejus desiderium. Ubique enim εὐδοκία (hoc enim vocabulum hic usurpat Paulus) est voluntas princeps et quæ præcedit : est enim etiam alia voluntas : utputa, voluntas prima est, ut non pereant qui peccarunt : voluntas secunda est, ut qui facti sunt mali pereant. Non enim eos castigat necessitas, sed voluntas. Id etiam videre licet in Paulo, ut quando dicit, *Volo omnes homines esse sicut meipsum* ; et rursus, *Volo juniores nubere, filios procreare* (1. *Cor.* 7. 7. 1. *Tim.* 5. 14). Εὐδοκίαν ergo primam dicit voluntatem, illam quæ est vehemens et desiderio juncta persuasionem : non enim recusabo dictione uti communiore, ut simplicioribus res sit dilucidior : sic enim, nos dicimus, κατὰ τὸ πεῖσμα ἡμῶν, id est, secundum persuasionem nostram. Hoc ergo sibi vult : valde cupit, valde desiderat nostram salutem.

Gratia est a bonitate.—Cur sic nos amat ? cur sic nos diligit ? A sola bonitate : gratia enim est a bonitate. Propterea dicit, *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum*, volens, et admodum volens, ut ostendatur gloria ejus gratiæ. *Secundum propositum voluntatis suæ*, inquit, 6. *in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto.* Ut ostendatur, inquit, gloria ejus gratiæ, in qua nos gratos fecit in dilecto.

3. Ergo si ad hoc gratos fecit, in laudem gloriæ gratiæ ejus, et ut ostenderet ejus gratiam ; maneamus in ipsa. *Ad laudem gloriæ.* Quid sibi vult illud ? ut quis ipsum laudet ? ut quis ipsum glorificet ? ut nos, angeli, archangeli ? sed et omnis creatura ? Et quid hoc ? Nihil : Deus enim nullo eget. Cur ergo vult a nobis laudari et glorificari ? Ut in ipsum caritas sit in nobis fervention. Ex nostris enim nihil aliud cupit quam nostram salutem : non ministerium, non gloriam, non aliquid aliud, et propter hoc facit omnia. Nam qui laudat et admiratur eam quæ in se facta est gratiam, attentior erit et diligentior. *Qua gratificavit nos*, inquit. Non dixit, ἧς ἐχαρίσατο, id est, quam gratis donavit, sed ἐχαριτωσεν, id est, gratos fecit : hoc est, non solum liberavit a peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quemadmodum enim si quis scabiosum et peste ac morbo senioque et paupertate ac fame confectum et perditum, statim formosum fecerit juvenem, omnes homines pulchritudine vincentem, e genis quidem splendorem valde emittentem, et micantium oculorum ejaculationibus solis fulgores occultantem ; deinde eum constituerit in ipso flore ætatis, et postea eum purpura induerit et diadema imposuerit, et omni regio ornatu decorarit : ita nostram instruxit et ornavit animam, pulchramque fecit, desiderabilem et amabilem. Cupiunt enim angeli talem aspicere animam, archangeli quoque et omnes aliæ Virtutes. Ita nos etiam fecit gratiosissimos, et sibi desiderabiles. *Concupiscet* enim, inquit, *Rex speciem tuam* (*Psal.* 44. 12). Vide enim quam noxia antea loquentes, quanta plena gratia nunc loquamur. Non amplius admiramur divitias, non amplius quæ hic sunt, sed cælestia et quæ sunt in cælis. Nonne puerum illum dicimus esse scitum et gratiosum, qui cum elegantia et decore corporis, multam etiam in verbis habet gratiam ? Tales sunt fideles. Vide qualia loquuntur qui sunt initiati mysteriis. Quid fuerit illo ore gratiosius, quod verba emittit admirabilia, et mundo corde et mundis labiis ejusmodi mysticæ mensæ est particeps, cum multo splendore et fiducia ? quid verbis illis gratiosius, per quæ diabolo abrenuntiamus ? per quæ in Christi militum numerum adscribimur ? confessione illa quæ fit ante lavacrum, et illa quæ post lavacrum ? Cogitemus quam multi baptisma corrupimus, et gemamus, ut id possimus recipere. *In dilecto*, inquit, 7. *in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius.* Quomodo ? Non solum est admirabile quod Filium dederit, sed quod etiam eo modo dederit, ut ipse dilectus mactatus sit. Multa est hyperbole : dilectum dedit pro iis qui habebantur odio. Vide quanti nos æstimet. Si, quando ipsum habebamus odio et eramus inimici, dedit suum dilectum, quid non deinceps faciet, cum fuerimus et reconciliati per gratiam ? *Remissionem*, inquit, *peccatorum.* A supernis descendit ad inferiora : cum prius dixerit filiorum adoptionem et sanctificationem et immaculatos, tunc quoque vitium dicit ; non minuens, neque a magnis ad parva deducens orationem, sed a parvis ascendens ad magna. Nihil est enim æque magnum atque Dei sanguinem pro nobis esse effusum ; et filiorum adoptione et aliis donis hoc est majus, quod ne Filio quidem pepercerit. Magna res est remissa esse peccata, sed majus est quod per sanguinem Dominicum. Nam quod hoc sit longe majus omnibus, vide quomodo hic quoque exclamavit, dicens : *Secundum divitias gratiæ ejus*, 8. *quæ superabundavit in nobis.* Nam illæ quoque sunt divitiæ,

sed hæ multo magis. *Quæ superabundavit*, inquit, *in nobis*. Et divitiæ sunt, et superabundantes, id est, affatim effusæ. Verbis exprimi non possunt ea, quæ nos re experti sumus. Divitiæ enim sunt, divitiæ superabundantes, divitiæ non hominum, sed Dei, quæ nullo modo verbis exprimi possint. Ostendere autem, volens quomodo superabundanter dedit, *In omni sapientia et prudentia*, inquit, 9. *ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ*. Hoc est, cum sapientes fecisset et prudentes in ea quæ vere est sapientia, in ea quæ vere est prudentia.

4. Papæ! quanta amicitia! Nobis enim dicit sua mysteria. *Voluntatis suæ*, inquit; ac si diceret, nota nobis fecit quæ sunt in suo corde: hoc enim est mysterium quod plenum est omni sapientia et prudentia. Quid enim par dices huic sapientiæ? qui nullius erant pretii, eos invenit ut proveheret ad divitias. Quid potest æquiparari huic solerti facilitati? qui erat inimicus, qui exosus, is repente sursum ascendit. Nec hoc solum, sed etiam in hoc tempore; idque erat sapientiæ, et quod per crucem. Prolixa hic se offert oratio ad ostendendum, quomodo hoc erat sapientiæ, et quomodo nos effecit sapientes. *Secundum beneplacitum suum*, inquit, *quod proposuit in ipso*. Hoc est, hoc cupiebat, hoc parturiebat, ut ita posset nobis effari mysterium. Quodnam? Quod hominem velit apud superos sedere. Hoc autem factum est, 10. *In dispensationem plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt in ipso*. Abscissa fuerant, inquit, cælestia a terrestribus, non habebant unum caput. Nam quod attinet quidem ad rationem creationis, unus erat Deus; quod autem ad rationem conjunctionis, non item: nam errore gentium diffuso, abscissi erant ab ejus obedientia. *In dispensationem*, inquit, *plenitudinis temporum*. Plenitudinem temporum ipsam appellavit dispensationem. Vide quam accurate loquatur. Et cum ostendisset quidem a Patre principium, propositum, consilium, primum incitamentum; eam autem, quæ per opera fit, adimpletionem per Christum: nusquam eum nominat ministrum. *Nos elegit*, inquit, *in ipso, cum nos prædestinasset ad filiorum adoptionem per Christum Jesum in ipso, et ad laudem gloriæ gratiæ ipsius: in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, quam proposuit in dispensationem plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo*. Et nusquam eum dixit ministrum. Si autem et *in* et *per* sunt ministri, vide quo res redeat (*a*). Nam in principio epistolæ dixit, *Per voluntatem Patris*. Pater, inquit, voluit; Filius est operatus. Sed nec quoniam Pater voluit, Filius est extra operationem; neque, quoniam Filius est operatus, voluntate privatus est Pater; sed Patris et Filii communia sunt omnia: nam *Omnia mea tua sunt*, inquit, *et tua mea sunt* (*Joan.* 17. 10). Plenitudo autem temporum erat ejus adventus. Quia igitur omnia fecerat, et per angelos, et per prophetas, et per legem, et nihil proficiebat; et periculum erat ne temere factus esset homo, ne temere esset productus, imo vero in suam perniciem, pereuntibus omnibus et magis quam in diluvio, hanc dispensationem invenit, quæ fit per gratiam, ne temere et frustra creatus esset. Hanc temporum plenitudinem dicit et sapientiam. Quare? Quia, quando maxime erant perituri, tunc salvi fuerunt: Ἀνακεφαλαιώσασθαι, inquit. Quid est ἀνακεφαλαιώσασθαι? Conjungere. Cæterum studeamus quam proxime accedere ad ipsam veritatem. Nam a nobis quidem, ut etiam in more est positum, dicitur ἀνακεφαλαιώσις, quæ prolixe dicta sunt in breve contrahere, et omnia quæ prolixe dicta sunt compendiose dicere. Nam hoc quoque ita habet: quæ enim longo tempore dispensabantur in ipso ἀνεκεφαλαιώσατο, hoc est, in summam redegit. Verbum enim consummans, et in justitia abbrevians, et illa comprehendit, et alia addidit. Hoc est, ἀνακεφαλαίωσις et reductio in summam. Est et aliud quod significatur. Quodnam hoc? Unum omnibus posuit caput, nempe Christum secundum carnem, et angelis et hominibus: hoc est, et angelis unum dedit principium, et hominibus: his quidem id quod est secundum carnem, illis autem Deum verbum [1]. Ut si dicas de domo, quæ partim quidem est marcida ac debilis, partim autem valida et fortis, Domum reædificavit, hoc est, fortiorem fecit, fortiorem imposuit basim: ita hic quoque omnes uni subjecit capiti. Ita enim fiet unitas, ita accurata et perfecta fuerit conjunctio, quando omnia redacta fuerint sub unum caput, superne quoddam necessarium habentia vinculum. Tanto ergo dono dignati, tanto honore, tanta benignitate, ne dedecore afficiamus eum qui nos affecit beneficio, ne faciamus ut tanta sit nobis inanis gratia, vitam ostendamus angelicam et angelicam virtutem, et vitæ agendæ rationem; rogoque et quæso, ne hæc omnia sint nobis in judicium et condemnationem, sed ad fruendorum bonorum perceptionem: quæ utinam nos omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, etc.

(*a*) Id autem dicit Chrysostomus, quia Ariani et alii hæretici qui dicebant Christum rem factam, et minorem Patre atque ministrum ejus esse, pugnabant etiam, illud, *in Christo, et per Christum*, quæ frequenter occurrunt in Novo Testamento, significare Christum esse ministrum; quos ipse pluribus confutat in Homiliis de Incomprehensibili et alibi.

[1] Codex unus, *hoc est, alterum Angelis, alterum hominibus principium dedit: his quidem id quod est secundum carnem, illis autem secundum spiritum, verbum Deum.* Quæ lectio non spernenda.

HOMILIA II.

Cap. 1 v. 11. *In quo etiam nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ,* 12. *ut simus in laudem gloriæ ejus, nos, qui ante speravimus in Christo :* 13. *in quo et vos cum audissetis verbum veritatis, evangelium salutis vestræ, in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.* 14. *qui est pignus hereditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.*

1. Ubique Paulus ineffabilem Dei in nos benignitatem studuit ostendere, quoad ejus fieri potuit. Nam quod accurate non possit, audi quid ipse dicat : *O altitudo divitiarum et sapientiæ et scientiæ Dei ! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* 11. 33)! verumtamen ostendit quoad ejus fieri potest. Quid ergo dicit, *In quo et nos sorte vocati sumus prædestinati?* Dixit superius : *Nos elegit :* hic dicit, *Sorte vocati sumus.* Sed quoniam sors est casus, non liberi arbitrii nec virtutis ; adhæret enim ignorationi et fortuito casui, et sæpe iis omissis qui sunt virtute prædili, eos in medium producit qui indigni sunt quorum ulla habeatur ratio ; vide quomodo id corrigat. *Prædestinati,* inquit, *secundum propositum ejus qui operatur omnia.* Hoc est, non fortuito et sorte vocati vel electi sumus ; Deus enim est qui elegit ; neque fortuito ad hanc sortem venimus ; Deus enim est qui ad sortem vocavit ; sed secundum propositum. Hoc etiam in Epistola ad Romanos scribens dicit : *Qui secundum propositum vocati sunt sancti. Quos vocavit, eos et justificavit ; quos autem justificavit, eos et glorificavit* (*Rom.* 8. 28. 30). Cum prius dixisset, *Iis qui secundum propositum vocati sunt,* simul etiam volens ostendere quanta sit eorum præstantia, si conferantur cum aliis, dixit etiam sortem ; ita ut liberum non tolleret arbitrium. Quod igitur magis ad beatitudinem pertinet, hoc ponit. Sors enim non est virtutis, sed, ut ita dicam, casus. Ac si quis diceret, Sorte facta nos elegit. Totum autem sic intelligas, ab animi instituto et libero arbitrio prædestinatos, hoc est, sibi electos destinavit ac posuit : utputa, vidit nos priusquam essemus sorte vocati : est enim admiranda Dei præscientia, quæ omnia novit priusquam ea fierent. Tu autem vide quomodo ubique ponit studium, ut ostendat, quod non ex pœnitentia, sed ex ab alto petito principio res omnes ita sint efformatæ, ut in hoc nihil simus Judæis minores, et ideo pro hoc facit omnia. Quomodo ergo dicit ipse Christus, se non esse missum. *Nisi ad oves quæ perierant domus Israel* (*Matth.* 15. 24)? et rursus dicebat discipulis, *In viam gentium ne abieritis, et in civitatem Samaritanorum ne intretis* (*Matth.* 10. 5)? et ipse quoque Paulus dicebat, *Vobis erat necesse primum loqui verbum Dei : quoniam autem ipsum repellitis, et vos non judicatis dignos vita æterna, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* 13. 46)? Propterea enim hæc dicuntur, ne quis existimet hæc fuisse remota a suo instituto. *Secundum propositum,* inquit, *ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Hoc est, nihil postea operatus est, quippe qui omnia sursum disposuerit. Ita ipse finem imponit secundum consilium voluntatis suæ. Quamobrem non quoniam non attendebant Judæi, propterea vocavit gentes, neque coactus, neque ex illis impulsus. *Ut simus,* inquit, *nos in laudem gloriæ ejus, nos qui ante speravimus in Christo ; in quo et vos cum audissetis verbum veritatis, evangelium salutis vestræ :* hoc est, per quem. Vide Christum ubique esse auctorem omnium, et nusquam esse nomen administri, neque ministri. Sicut etiam dicit alibi scribens ad Hebræos : *Qui olim loquutus patribus nostris in prophetis, novissimis temporibus loquutus est nobis in Filio* (*Hebr.* 1. 1. 2) ; hoc est, per Filium. *Verbum* dicit *veritatis,* non amplius verbum figuræ, nec imaginis.

Evangelium salutis cur ita dictum. — Evangelium salutis nostræ. Et recte ipsum vocat evangelium salutis, partim quidem ad legem, partim autem ad futuram punitionem significandam subobscure loquens. Nihil est enim aliud prædicatio, quam evangelium salutis, quod non amplius perdit eos qui digni sunt qui pereant. *In quod et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ.* Rursus magnum est indicium curæ et providentiæ, quod sint signati, non separati ; atque quod non solum sint sorte vocati, sed etiam signati. Quemadmodum enim si quis eos qui sorte obtigerunt manifestos fecerit, ita etiam Deus eos separavit ac secrevit ad credendum : signavit ad hoc ut sint heredes futurorum.

2. Vides quomodo procedente tempore eos facit admirabiles. Nam quamdiu fuerunt in præscientia, nulli fuerunt manifesti : postquam autem fuerunt signati, fuerunt manifesti, sed non sicut vos : erunt enim manifesti præter paucos. Signati fuerunt etiam Israelitæ, sed circumcisione, sicut pecora et bruta : nos quoque sumus signati, sed sicut filii, Spiritu. Quid est, *Spiritu promissionis?* Aut quod ex promissione ipsum acceperimus. Duæ enim sunt promissiones, una quidem per prophetas, altera autem per Filium : per prophetas ; audi Joelem dicentem, *Effundam ex Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ, et adolescentes vestri videbunt visiones, et seniores vestri somnia somniabunt* (*Joel* 2. 28) : audi autem rursus Christum dicentem, *Et accipietis virtutem supervenientis sancti Spiritus super vos, et eritis mihi testes in Jerusalem et tota Judæa et Samaria et usque ad extremum terræ* (*Act.* 1. 8). Atqui oportebat ipsum tamquam Deum esse creditum : sed de hoc non acriter contendit, sed examinat tamquam de homine, sicut in Epistola ad Hebræos dicens, *Ut per duas res immobiles, in quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus* (*Hebr.* 6. 18). Ita etiam hic ex iis quæ data sunt ducit argumentum promissionis futurorum. Propterea etiam arrham vocat : arrha enim est pars totius. Emit,

quod ad nos quidem attinet, nostram salutem, et interim nobis dedit arrham. Cur ergo non statim totum dedit? Quoniam neque nos totum fecimus. Credidimus : hoc est principium; dedit ipse quoque arrham. Quando fidem per opera ostenderimus, tunc addit totum. Imo vero aliud quoque dedit pretium, proprium sanguinem, et rursus aliud est pollicitus. Perinde ac si gentibus bellum esset adversus gentes, dant obsides : ita Deus dedit Filium suum pignus pacis et fœderum, et Spiritum sanctum qui est ex ipso : nam qui vere sunt Spiritus participes, sciunt eum esse arrham hereditatis. Talis erat Paulus, qui hic gustarat ea quæ illic sunt : et ideo urgebat et parturiebat ut quæ hic sunt dimitteret, et gemebat : aliis enim videbat oculis, ut qui mentem omnem illuc transtulisset. Rerum non es particeps : propterea etiam a verbis excidis. Si essemus omnes Spiritus participes, ut participes esse oporteret, et cælos videremus et quis illic sit status. Cujusnam rei est arrha? Redemptionis, acquisitionis : pura enim tunc fit redemptio. Nam nunc quidem et in mundo versamur, et multa humana nobis accidunt, et sumus cum impiis : pura autem tunc est redemptio, quando nec sunt peccata, nec humanæ affectiones, neque promiscue sumus cum omnibus. Nunc autem est arrha. Nam et nunc ab ipsis absumus, et conversatio nostra non est super terram, et nunc sumus extra præsentia : nam nunc quoque sumus advenæ. *In laudem gloriæ ipsius.* Hoc ponit assidue. Quanam de causa? Ut quod satis sit ad faciendam fidem auditoribus. Nam siquidem nostra causa hæc faceret, inquit, res non esset sine dubio : si autem propter se, et ut suam ostendat bonitatem, tamquam quoddam testimonium ponit causam quod hæc non aliter facta sint : quæ in Israelitis videmus frequenter dici : *Fac nobis propter nomen tuum* (*Psal.* 108. 21); rursusque Deus ipse dicebat, *Facio propter me* (*Isai.* 48. 11); et Moyses, *Fac nobis propter nomen tuum*, etiamsi propter nullum alterum. Hoc enim certiores reddit auditores et erigit, ut qui didicerint quod propter suam bonitatem omnia sit facturus quæ promittit. Sed dum hæc audimus, ne simus pigri et otiosi : nam etsi propter se facit, sed tamen etiam nostra a nobis exigit. Nam si, *Eos qui me glorificant glorificabo*, inquit, *et qui spernunt spernentur* (1. *Reg.* 2. 30), cogitemus quod nostra quoque a nobis exigat. Laus est autem ejus gloriæ, salvos facere inimicos, sed eos, qui postquam facti sunt amici, amici manent. Quod si ad priores redierint inimicitias, temere et frustra fiunt omnia.

3. Non est enim alterum lavacrum, neque secunda reconciliatio, sed terribilis quædam exspectatio judicii, et æmulatio ignis exesuri adversarios. Nam si cum eo semper gerentes inimicitias, veniam impetremus, non cessabimus ei esse inimici, et voluptati indulgere, et fieri deteriores, et orbati esse sole justitiæ qui accessit. Vis accipere radium tuos aperientem oculos? Fac eos pulchros, sanos, perspicaces. Ostendit tibi lucem veram: si eam fugiens ad tenebras accurreris, quænam erit excusatio, quænam venia? Nulla amplius : hoc est enim signum odii ineffabilis. Nam quando Deum quidem nesciebas, quod ei esses inimicus, utcumque aliqua tibi danda erat venia : postquam autem benignitatem et mel gustasti, si iis dimissis ad tuum revertaris vomitum, nihil aliud quam magna profers signa odii et contemptus. Non, inquit, sed necessitatem mihi affert natura : atque Christum quidem diligo, cogor autem a natura. Si necessitatem et vim sustineas, tibi dabitur venia : si autem ob socordiam cadis et negligentiam, minime.

Peccata non fiunt ex necessitate. — Age ergo hoc ipsum examinemus, peccatane fiant ex necessitate et violentia, an ex multa socordia et negligentia. *Non occides* (*Exod.* 20. 13), inquit. Quænam ergo necessitas? quænam vis eo adigit? Vis est ergo occidere. Quis enim sua sponte elegerit intingere ensem in gutture proximi, et cruentare dexteram? Nemo. Vides quod contra, peccare est magis necessitas et violentia? Indidit enim Deus naturæ nostræ quoddam amatorium, ut alter alterum invicem diligamus : *Omne* enim, inquit, *animal diligit simile sibi, et homo suum proximum* (*Eccli.* 13. 19). Vides quod ad virtutem semina habeamus a natura? Vitium autem est præter naturam : si vitia magis dominantur, hoc est argumentum nostræ segnitiei magnæ et ignaviæ. Quid vero? quænam necessitas nos ducit ad adulterium? Certe, inquit, tyrannis libidinis. Quare, dic, quæso? non licet tibi tua uti uxore, et libidinem sedare? Sed capior, inquit, quodam amore uxoris proximi. Non est hoc utique necessitatis : non est enim amor necessitatis : nemo amat necessitate, sed sponte et libera electione. Atque ad coitum quidem fortasse impellit necessitas; ut hanc autem aut illam ames, non est necessitatis : neque ea res est desiderium coitus, sed inanis gloria et contumelia, et quæ modum excedunt deliciæ. Nam utrum magis est rationi consentaneum, eamne habere quæ est desponsa, quæ est socia filiorum procreationis, an eam quæ non est cognita? nescitis quod consuetudines pariunt amicitias? Quamobrem non est naturæ. Noli accusare concupiscentiam : data est propter matrimonium, exhibita est ad liberorum procreationem, non propter adulterium neque propter stuprum. Sciunt etiam leges ignoscere peccatis quæ fiunt ex necessitate : imo vero nullum est peccatum quod fiat ex necessitate, sed omnia a contumelia. Non enim Deus sic fabricatus est naturam, ut necesse habeat peccare : alioqui si ita esset, non esset pœna. De iis enim quæ vi fiunt et necessitate, ne nos quidem exigimus rationem; nedum Deus qui est adeo clemens, benignus et bonus. Sed quid, furari est necessitatis? Etiam, inquies; hoc enim facit paupertas. Imo vero paupertas affert necessitatem operandi, non furandi. Paupertas ergo facit contrarium : furari enim est otii et desidiæ; paupertas autem non solet parere otium et desidiam, sed laboris amorem. Quare illud quoque est segui-

tiei et socordiæ. Idque sic didiceris : quid enim, dic, quæso, est difficilius, quid injucundius, noctesne obire vigilantem et muros perfodere et in tenebris ambulare, et animam habere in manibus, et instructum esse ad cædem, et tremere et mori metu ; an quotidianis operam dare laboribus, et in tuto esse cum securitate? Hoc est facile : et quia hoc est facile, plures hoc faciunt, quam illud.

4. *Virtus est secundum naturam, vitium contra naturam. Juramentum est supervacaneum. Contra avaritiam et rapiendi cupiditatem.* — Vides quod secundum naturam quidem sit virtus, præter naturam autem vitium, sicut morbus et sanitas? Quid vero mentiri et pejerare, quamnam habeant necessitatem? Nullam, nec vim; sed lubenter ad id venimus. Nobis, inquit, fides non habetur. Fides non habetur, quoniam volumus : licebat enim nobis magis fidem haberi ex moribus, quam ex juramentis. Nam cur, dic mihi, aliis ne jurantibus quidem credimus; alios autem etiam injuratos fide dignos censemus? Vides quod nequaquam opus sit juramentis? Si hic aut ille, inquit, dixerit, credo etiam injurato; tibi autem, nec si juraveris. Est ergo juramentum supervacaneum; et hoc est magis argumentum incredulitatis quam fidei. Proclivem enim esse ad jurandum, non sinit ut bona concipiatur opinio pietatis. Quare qui maxime jurejurando assidue utitur, is juramenti usum nequaquam habet necessarium : qui autem minime utitur, is ejus usu fruitur. Juramentone opus est ut credatur? Minime : videmus enim quod qui non jurant, iis maxime creditur. Sed quid? contumeliosum esse est necessitatis? Certe, inquit : movet enim ira et inflammat, nec sinit ut quietus et tranquillus sit animus. Contumelia afficere, o homo, non est iræ, sed simultatis : si autem esset iræ, omnes homines irascentes non intermitterent contumelia afficere. Iram habemus, non ut proximos contumelia afficiamus, sed ut eos qui peccant convertamus, ut nos excitemus, ne simus ignavi et hebetes. Ira nobis inest tamquam quidam stimulus, ut adversus diabolum dentibus strideamus, ut in eum simus vehementes : non ut alter in alterum stemus. Arma habemus, non ut nos ipsos bello impetamus, sed ut adversus hostem utamur armatura. Esne iracundus? Sis talis adversus tua peccata, increpa animum, flagella conscientiam : sis vehemens judex, et acerbus arbiter in tua peccata. Hoc est lucrum iræ : propterea Deus eam nobis indidit. At rapina est ex necessitate? Nequaquam : quid enim est, dic quæso, necesse rapere? quænam vis te impellit? Paupertas, inquit, et timor de rebus necessariis. Tu propterea quidem certe non debes rapere : non sunt enim stabiles et firmæ ejusmodi divitiæ. Tu autem idem facis, atque si quis rogatus cur in arena domus fundamenta jaciat, dicat, Propter frigus et propter pluviam. Propter hoc quidem certe non oportebat fundamenta jacere in arena : ea enim cito evertunt et procellæ et venti. Quare si vis esse dives, ne sis avarus, nec plura habendi cupidus. Si vis filiis tradere divitias, posside justas, si ullæ sint tales : eæ enim manent, stantque firmæ ac stabiles; quæ autem non sunt ejusmodi, cito pereunt et intereunt. Dic mihi, vis esse dives, et quæ sunt aliorum accipere? Atqui hoc non est divitiæ, sed possidere quæ sunt propria : qui autem habet aliena, non fuerit dives. Nam sic etiam qui vendunt serica, et vestimenta ab aliis accipiunt, opulentiores et ditiores dici poterunt : quamvis ad tempus eorum sint : sed tamen eos non appellamus divites. Quamobrem? Quoniam habent quæ sunt aliena. Nam etsi eorum sunt vestimenta, non est tamen eorum pretium : quod si etiam sit eorum pretium, non sunt hæ divitiæ. Si autem quæ dantur mutua non faciunt divites, eo quod nos cito ab eis recedamus : quæ sunt ex rapina quomodo faciunt divites? Si autem vis omnino esse dives; neque enim ea res est necessitatis : quanam re vis frui ampliore? vitane longiori? Atqui qui tales sunt, mox fiunt vitæ brevis. Sæpe enim dant pœnas rapinæ et avaritiæ, quod morte immatura moriantur, et quod possessionibus non fruantur nisi parum, et gehenna accepta excedant : sæpe etiam ex deliciis et ex laboribus et ex sollicitudinibus morbis partis perierunt. Vellem scire quanam de causa studium ponunt homines in divitiis. Atqui Deus propterea naturæ modum posuit et terminum, ne ullam habeamus necessitatem requirendi divitias : nempe veste una aut altera jussit corpus indui, nec eo, quod est supervacaneum, opus est ad tegumentum. Quorsum vestes innumerabiles, et quæ exeduntur a tineis? Ventri certus modus est constitutus, et quod ultra eum fuerit datum, necessario perdit et corrumpit omne animal : quorsum greges et oves, et carnium dissectiones? Uno tecto opus habemus : quanam de causa sunt ambitus et ambulacra, sumptuosaque et magnifica ædificia? ut vultures et graculi habitent, pauperes exuis? Quantam merentur hæc gehennam? Et sæpe multi in locis quæ ne viderunt quidem, efficiunt columnas, et lapides valde pretiosos, et fulgurantia ædificia (quid enim non sunt machinati?) et nec ipsi quidem his usi sunt, nec ulli alii : solitudo enim non sinit eos abire; et ne sic quidem desistunt. Vides quod nec hæc quidem ut iis utantur faciant? Sed horum omnium causa est amentia, et rationis defectus, et gloria inanis : quam rogo vos ut fugiamus, ut alia quoque mala possimus fugere, et consequi bona promissa iis qui ipsum diligunt, in Christo Jesu Domino nostro.

HOMILIA III.

Cap. 1. v. 15. *Propterea et ego audiens fidem vestram, quæ est in Christo Jesu, et dilectionem in omnes sanctos,* 16. *non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis,* 17. *ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitionem ejus,* 18. *illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus in sanctis,* 19. *et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus,* 20. *quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis.*

1. Nihil fuit quod posset æquiparari visceribus apostolicis: nihil fuit simile commiserationi et benevolentiæ beati Pauli, qui omnes suas fundebat preces pro civitatibus et populis. Et ad omnes hoc scribit, *Deo gratias ago pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis.* Cogitate quam multos habuerit in mente, quorum erat etiam difficile meminisse; quam multorum meminisset in orationibus pro omnibus Deo agens gratias, tamquam ipse maximis afficeretur beneficiis. *Propterea,* inquit; hoc est, propter futurum, et bona reposita iis qui recte credunt et vivunt. Atque æquum quidem est et justum gratias agere Deo, et pro omnibus quæ ab ipso collata sunt humano generi, et antea et postea: æquum autem et justum est etiam gratias agere pro fide eorum qui credunt. *Audiens,* inquit, *fidem vestram, quæ est in Christo Jesu, et dilectionem in omnes sanctos.* Ubique conjungit et conglutinat fidem et dilectionem, bigam quamdam admirabilem[1]. Non solum dicit indigenas, sed etiam omnes. *Non cesso gratias agens pro vobis, mentionem vestri faciens in orationibus meis.* Quid petis et rogas? *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis.* Vult eos duo discere, ut discere oportet, et propter quæ vocati sunt, et quomodo liberati sunt a prioribus. Dicit autem ipse ea esse tria. Quomodo ergo sunt tria? De futuris si discamus. Nam a bonis quidem repositis sciemus ejus ineffabiles et quæ naturam superant divitias; ex eo autem quod didicerimus, quinam cum essemus quomodo credidimus, ejus potentiam et auctoritatem, eo quod converterit eos qui tanto tempore fuerant alienati. Nam *Quod est Dei infirmum, est fortius hominibus* (1. *Cor.* 1. 25). Ex eadem enim potentia, qua Christum suscitavit, nos quoque ad se traxit. Neque usque ad resurrectionem solum est ejus potentia, sed longe amplius. *Et sedere fecit ad dexteram suam,* 21. *super omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem et omne nomen quod nominatur;* 22. *et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam,* 23. *quæ est corpus ipsius et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* Magnorum revera mysteriorum et arcanorum nos fecit participes: nec ea aliter licet dicere, quam ab iis qui sancti Spiritus sunt participes, et multa fruuntur gratia. Propterea Paulus quoque sic precatur: *Pater gloriæ,* inquit: hoc est, qui magna nobis dedit bona. Ab iis enim quæ sunt subjecta eum semper vocat, ut quando dicit, *Pater miserationum et Deus totius consolationis* (2. *Cor.* 1. 3); et rursus propheta, *Dominus fortitudo mea et auxilium meum* (*Psal.* 17. 2. 3). *Pater gloriæ.* Ea suo nomine non potest explicare ac proferre, et ubique appellat gloriam, quod quidem est apud nos nomen et appellatio omnis splendoris. Ecce Pater gloriæ, inquit, Christi autem Deus. Quid ergo, estne Filius minor gloria? Sed nemo, ne si insaniat quidem, hoc dixerit. *Det vobis,* hoc est, mentem vestram extollere et exigere. Hæc enim non licet aliter discere. *Animalis enim homo non percipit quæ sunt spiritus: sunt enim ei stultitia* (1. *Cor.* 2. 14). Opus est ergo spirituali sapientia, ut spiritualia intelligamus, ut videamus quæ sunt occulta: ipse spiritus omnia aperit et revelat (1. *Cor.* 2. 10): Dei est narraturus mysteria. Mysteriorum autem Dei cognitionem solus novit Spiritus, qui etiam scrutatur ejus profunda: non angelus, non archangelus, non ulla alia potestas creata dederit; hoc est, vobis charisma præbeat. Si autem hoc est revelationis, superflua est rationum inventio. Nam qui Deum didicit et Deum novit, non amplius de ullo dubitabit: non dicet, Hoc potest fieri, hoc non potest, et quomodo hoc factum sit. Si Deum didicerimus ut scire oportet, si didicerimus a quo discere oportet, nempe ab ipso Spiritu, non amplius de ulla re dubitabimus. Propterea dicit, *In agnitione ejus illuminatos oculos cordis vestri.* Qui didicerit quid sit Deus, non dubitabit de promissionibus: non de iis quæ jam facta sunt erit incredulus. Atque optat quidem eis dari spiritum sapientiæ et revelationis; cæterum ipse quoque confirmat rationibus quæcumque potest ex iis quæ jam fuerunt. Nam quoniam erat dicturus alia quidem quæ jam facta fuerant, alia autem quæ nondum contigerant: ex iis quæ facta sunt, fidem facit iis quæ facta non sunt: cujusmodi est hoc: *Ut sciatis,* inquit, *quæ sit spes vocationis ejus.* Est adhuc, inquit, occulta, sed non fidelibus. *Et quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus in sanctis.* Hoc quoque est adhuc non manifestum. Quid est autem manifestum? Quod credidimus eum sua virtute Christum suscitasse: est enim longe admirabilius persuasisse animis, quam suscitasse mortuum. Et quomodo? Ego tentabo hoc vobis persuadere: audi enim. Christus dixit mortuo, *Lazare, veni foras* (*Joan.* 11. 43), et statim obediit: Petrus dixit Tabithæ, *Surge* (*Act.* 9. 40), et non contradixit. Ipse dicet in die ultimo, et omnes resurgent, et cum tanta

[1] Coislinianus unus hic quædam adjicit... *bigam quamdam admirabilem. Vide enim: sub exordium epistolæ dixit,* Sanctis qui sunt Ephesi; *nunc autem profert dilectionem in omnes sanctos, sic vocans non indigenas tantum, sed omnes.*

celeritate, ut qui adhuc vivunt, non sint præventuri eos qui dormierunt, adeo ut omnia fiant in momento et in ictu oculi.

2. In credendo autem non ita fit; sed quomodo? Audi eum rursus dicentem : *Quoties volui congregare filios vestros, et noluistis* (*Luc.* 13. 34). Vides hoc esse difficilius? Quamobrem ex hoc probat universum. Est enim multo difficilius humanis rationibus persuadere libero arbitrio, quam operari naturam. Causa est autem, quoniam ipse sic vult nos nostra sponte fieri bonos. Sic merito dixit, *Supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credidimus.* Quando enim prophetæ nihil profecerunt, quando angeli et archangeli, quando omnis creatura aspectabilis, et non aspectabilis : aspectabilis quidem in medio proposita, et non valens deducere, multa autem inaspectabilis : tunc suum dispensavit adventum, ostendens rem egere divina virtute. *Divitias gloriæ.* Hoc est, gloriam ineffabilem. Nam quænam oratio poterit illam explicare gloriam, cujus sancti tunc erunt participes? Nulla; sed re vera opus gratia, ut mens discat, et omnino parvum utique radium excipiat. Aliqua etiam prius quidem noverant, volebat autem eos nunc amplius discere et nosse apertius. Vides quam multa sit operatus? Christum suscitavit : hocne parvum? Sed rursus vide. Sedere fecit ad dexteram suam : ullane oratio hoc poterit explicare? Eum qui fuit e terra, eum qui est magis mutus quam pisces, qui factus est ludibrium dæmonum, in altum statim extulit. Revera est supereminens magnitudo ejus virtutis.

Quam alte Deus hominem extulerit.—Vide autem quo extulerit : in cælestibus eum fecit superiorem omni creata natura, supra omnem principatum et potestatem: *Supra omnem*, inquit, *principatum.* Revera spiritu opus est, et sapienti mente in agnitione ejus; revera opus est revelatione. Cogita quantum intersit inter hominis et Dei naturam : et ab hac vilitate et abjectione eum ad illum honorem sustulit; non unum aut alterum, aut tertium gradum transcendit. Papæ! Nec solum dixit, Supra, sed, *Longe supra.* Supernis enim potestatibus Deus est superior. Ipsum itaque illuc extulit, et qui erat ex nobis, eum ab extremis carceribus usque ad ultimum duxit principatum, post quem non est honor alius. *Omnem*, inquit, *principatum*, non hunc quidem, illum autem non, sed, *Omnem principatum et potestatem et dominationem, et omne nomen quod nominatur*, si quod est in cælo, omnibus evasit superior. Hoc de eo qui est excitatus a mortuis : quod quidem dignum est admiratione. Nam de Deo Verbo nequaquam. Nam quod sunt culices ad homines, hoc est omnis creatura ad Deum. Et quid dico, culices? si omnes homines reputabuntur ut saliva, et reputati sunt ut momentum stateræ (*Isai.* 40. 15) : eas quæ sub aspectum non cadunt potestates pone tamquam culices. Non igitur de Deo Verbo sic dixit, sed de eo quidem qui fuit ex nobis : hoc est vere magnum et admirabile. Ab infimis enim terræ partibus eum extulit. Si omnes gentes tamquam stilla, unus homo quota est pars stillæ? Sed eum fecit omnibus superiorem, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Sunt ergo potestatum quarumdam nomina nobis non signata, neque nota. *Et omnia subjecit sub pedibus ejus.* Non solum fecit superiorem ut eis honore præferretur, neque per comparationem, sed ut tamquam servis præesset. Papæ, res plane sunt stupendæ! hominis facta est serva omnis potestas creata, propter Deum Verbum qui inhabitat. Potest enim esse ut sit aliquis supra, non habens qui obediat, sed ut honore præferatur : hic autem non sic, sed omnia subjecit sub pedibus ejus; et non solum subjecit, sed ultima subjectione, et post quam non est alia. Propterea dixit, *Sub pedibus. Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ.* Papæ, quo rursus sustulit Ecclesiam! tamquam per quamdam trahens machinam, eam in magnam sustulit altitudinem, et eam sedere curavit in illa sede. Ubi enim est caput, illic et corpus : nullo loco intermedio arcentur caput et corpus : si autem arcerentur, corpus non fuerit, non fuerit caput. *Super omnia*, inquit. Quid est, *Super omnia?* Aut Christum dicit, qui est super omnia quæ cernuntur et quæ intelliguntur; aut supra omnia bona hoc fecit, quod Filium dederit caput. Non angelum, non archangelum, non ullum alium dimisit superiorem. Non hac solum ratione nos honoravit, quod eum qui erat e nobis in altum extulerit, sed quod etiam fecerit ut totum commune genus illum sequeretur, illi adhæreret, illum assectaretur. *Quæ est corpus ipsius.* Nam, ne audito capite, hoc solum existimes initium, sed etiam firmitatem et stabilitatem, non tamquam solum principem, sed tamquam corporis caput consideres. *Plenitudo*, inquit, *ejus qui omnia in omnibus adimpletur.* Tamquam hoc non sufficeret ad ostendendam cognationem et propinquitatem, quid dicit? Plenitudo Christi Ecclesia. Plenitudo enim capitis est corpus, plenitudo corporis caput. Vide quo ordine usus sit Paulus, et quomodo nulli verbo parcat, ut Dei ostendat gloriam. *Plenitudo*, inquit; illud est, utpote caput impletur a corpore : nam corpus consistit per membra omnia, et singulis opus habet. Vide quomodo illum omnibus opus habentem inducat. Etenim si non simus multi, et non sit alius manus, alius vero pes, alius aliqua alia pars, non impletur totum corpus. Per omnia ergo impletur ejus corpus. Tunc impletur caput, tunc perfectum fit corpus, quando omnes simul fuerimus conjuncti et conglutinati.

3. Vidisti divitias gloriæ hereditatis? vidisti supereminentem magnitudinem virtutis in eos qui credunt? vidisti spem vocationis? Revereamur nostrum caput, cogitemus cujus capitis sumus corpus, cui omnia sunt subjecta. Hoc exemplo nos etiam angelis oportet esse meliores, et archangelis majores, ut qui iis omnibus simus honore præpositi. *Non angelos apprehendit* (*Hebr.* 21. 6) Deus, sicut dicit scribens ad Hebræos, *sed semen Abrahæ* : non principatum, neque potestatem, neque dominationem, neque ullam aliam virtutem; sed nostram naturam apprehendit, et supra sedere jussit. Et quid dico, sedere jussit? suum fecit vestimentum, nec id solum, sed ejus pedibus

subjecit omnia. Quam multas vis mortes ponere, et quam multas animas, deciesne mille, et his longe plures? Sed nihil dices quod sit ei æquiparandum. Duo enim fecit maxima : et ipse ad summam venit humilitatem, et hominem sustulit ad magnam altitudinem. Dixit illud primum, quod se adeo humiliaverit ; dicit hoc firmius et solidius, id quod est magnum et summa rerum. Atqui si nullo dignati essemus, suffecisset ; vel etiam hoc si dignati essemus, absque eo, quod esset mactatus, suffecisset : cum autem hæc duo sint, quam dicendi facultatem non vicerit et superaverit? Non magna res est resurrectio, quando hæc reputo. De hoc dicit, *Deus Domini nostri Jesu Christi*, non de Deo Verbo. Revereamur propinquitatem cognationis, timeamusne quis abscindatur ab hoc corpore, ne quis excidat, ne quis appareat indignus. Si quispiam diadema nostro imposuerit capiti, si coronam auream, annon omnia fecerimus, ut digni videamur inanimis lapidibus? Nunc autem non est nostro capiti impositum diadema, sed caput nostrum factus est Christus, quod est majus, et ejus nullam habemus rationem. Sed angeli quidem ipsum reverentur et archangeli et omnes illæ Virtutes : nos autem, cum etiam ejus corpus simus, neque propter hoc, neque propter illud reverebimur? et quænam erit spes nostræ salutis?

Regni cœlorum amissio pejor gehenna. — Cogita thronum regium, cogita summum honorem : hoc nos, si velimus, magis nos poterit terrere quam gehenna. Nam si non esset gehenna, tanto honore affectos inventos esse indignos et malos, quam non haberet pœnam, quod non supplicium? Cogita prope quem sedeat tuum caput ; hoc solum ad universum sufficerit ; ad cujus sedeat dexteram. Sed illud quidem super omnem principatum, potestatem et virtutem ; ejus autem corpus conculcatur etiam a dæmonibus? Sed absit : si vero sit, hoc non fuerit amplius corpus. Caput tuum venerantur servi frugi, et qui bonæ sunt existimationis ; et corpus subjicis iis qui offenderunt? quo non dignus eris supplicio? Si quis pedes regis pedicis alliget et in compedes injiciat, annon erit obnoxius extremo supplicio? Tu totum corpus objicis feris immanibus, et non horres? Sed quoniam agitur de corpore Domini, age illius etiam meminerimus, quod in crucem fuit actum, quod clavis confixum, et sacrificatur. Si es Christi corpus, fer crucem ; nam ille quoque tulit : fer sputa, fer colaphos, fer clavos. Tale erat illud corpus. Corpus illud impeccabile erat : *Peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore ejus* (*Isai.* 53. 9) : manus ejus omnia agebant ad benefaciendum iis qui egebant : os ejus nihil emisit quod non deceret : audivit, *Habes dæmonium* (*Joan.* 7. 20), et nihil dicebat. Quia de corpore a nobis agitur, quicumque corporis sumus participes, quicumque gustamus sanguinem, cogitemus quod illius participes simus, qui nihil ab illo differt, qui supra sedet, qui adoratur ab angelis, qui assidet prope illam incorruptam Virtutem : hunc gustamus. Hei mihi quam multæ viæ nobis patent ad salutem! Nos corpus suum fecit, suum corpus nobis impertiit, et nihil horum nos avertit a malis. O tenebras, o profundum abyssum, o stuporem et sensus egestatem! *Quæ sursum sunt*, inquit, *sapite, ubi est Christus ad dexteram Dei sedens* (*Coloss.* 3. 2. 1) ; et post hæc quidam de pecuniis sunt solliciti, alii capiuntur ab animi perturbationibus.

4. Non videtis quod in nostro quoque corpore abscinduntur et amputantur quæcumque sunt supervacanea et inutilia? et nullum lucrum attulerit id corpori, quando fuerit mutilatum, quando morte affectum, quando putrefactum, quando etiam corruperit reliquum? Ne ergo confidamus, quod semel fuerimus corporis. Si autem hoc corpus cum sit naturale, tamen abscinditur : si non maneat stabile et firmum animi institutum, quid non grave patietur? Quando non fuerit corpus hujus alimenti particeps, quando obstructi fuerint pori, tunc morte afficitur : quando obturati meatus et fistulæ, tunc fit mancum. Ita nos quoque quando aures obturaverimus, manca ac mutila nostra fit anima : quando non fuerimus participes alimenti spiritualis, quando corruptorum humorum pravitates noxam nobis attulerint, hæc omnia morbum pariunt, morbum gravem, morbum qui tabem affert et consumptionem : et de cætero illo igne opus habebit, aut opus habebit ut dividatur. Non enim patitur Christus cum tali corpore ingredi in thalamum. Si eum abduxit et expulit qui sordida veste erat indutus ; ei qui corpori sordes adhibuerit, quid non faciet, quomodo non eum afficiet?

Christi corpus quomodo sumendum, quibus diebus ad id accedebatur. — Multos video qui Christi corporis sunt participes inconsiderate et temere, et magis ex consuetudine et ex præscripto, quam ex cogitatione et consideratione. Si advenerit, inquit, tempus sanctæ Quadragesimæ, qualiscumque fuerit quispiam, fit particeps sacramentorum, si advenerit dies Epiphaniorum (*a*). Atqui illud tempus accedendi non est : non Epiphania, neque Quadragesima facit dignos qui accedant, sed animæ sinceritas et puritas. Cum ea semper accede, absque ipsa numquam. *Quoties enim*, inquit, *hoc facitis, mortem Domini annuntiatis* (*1. Cor.* 11. 26). Hoc est, in memoriam revocatis vestram salutem, meum beneficium. Cogita qui veteris participes erant sacrificii, quanta utebantur frugalitate et abstinentia : quid non agebant? quid non faciebant? Undique et semper expurgabantur : tu autem accedens ad sacrificium quod ipsi stupent et venerantur angeli, temporum periodis rem definis ac circumscribis? Et quomodo stabis ad tribunal Christi, qui pollutis manibus et labris ad corpus illud audeas accedere? Et regem quidem ore

(*a*) Epiphaniorum et Theophaniorum tempus idipsum erat, et a quibusdam Ecclesiasticis scriptoribus pro die Natali Christi habetur; verum in Homilia de beato Philogonio, Tom. I, col. 752, Chrysostomus Epiphaniam a Nativitate distinguit. Videturque tamen illam Natalem Christi diem esse dicere Homilia I de S. Pentecoste, T. II, col. 454. De Epiphania alibi quoque loquitur. Verum ea de re plenius loquuturi sumus Tomo XIII, in Diatriba de Disciplina et de consuetudinibus Ecclesiasticis tempore Chrysostomi.

male olente deosculari nolueris; cæli autem Regem fœtenti et male olenti anima oscularis? Id plane est contumelia. Dic mihi, vellesne ad sacrificium manibus illotis accedere? Non opinor; sed malles potius prorsus non accedere, quam sordidis manibus. Itane cum in re parva sis adeo reverens et religiosus, sordidam et immundam habens animam, accedis et audes tangere? Atqui ad tempus quidem tenetur manibus; in illam autem totus et integer resolvitur. Quid vero? annon vides vasa sic abluta? adeo nitida et splendida? His longe mundiores nobis oportet esse animas, his sanctiores et splendidiores. Quare? Quoniam illa propter nos fiunt talia. Illa cum qui inest non participant, non sentiunt; nos autem participamus et sentimus. Nunc autem vase quidem sordido et immundo uti nolueris, sordida autem accedis anima? Multam video rei inæqualitatem. In aliis quidem temporibus, cum ne mundi quidem sæpe sitis, accedilis; in Paschate autem etiamsi aliquod scelus a vobis sit admissum, accedilis. O consuetudinem, o præsumptionem! Frustra est quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari: nemo est qui participet. Hæc dico, non ut temere participetis, sed ut vos dignos reddatis. Non es dignus sacrificio, neque participatione? Ergo nec prece. Audis præconem stantem et dicentem: *Quicumque estis in pœnitentia, abite.* Omnes qui non participant, sunt in pœnitentia. Si es ex iis qui sunt in pœnitentia, non debes participare: nam qui non participat, est in pœnitentia. Cur ergo dicit, *Abite, qui non potestis precari;* tu autem stas impudenter? At non es ex his, sed ex iis qui possunt participare, et nihil curas? rem nihil esse putas?

5. Considera, quæso. Adest mensa regia, adsunt angeli ministrantes, adest Rex ipse, et tu stas oscitans? vestes tibi sunt sordidæ, et nulla a te hujus habetur ratio? At sunt mundæ? Accumbe ergo, et participa. Venit quotidie ut videat accumbentes, omnes alloquitur: et nunc in vestra dicit conscientia, Amici, quomodo hic statis non habentes vestem nuptialem (*Matth.* 22. 12)? Non dixit, Cur accubuisti? sed ante accubitum et ingressum cum dicit esse indignum: non dixit enim, Cur accubuisti? sed, Cur intrasti? Hæc ergo nunc quoque dicit nobis omnibus, qui impudenter et inverecunde stamus. Quicumque enim mysteriorum non est particeps, is impudens stat et nimis audacter. Qui sunt in peccatis, propterea priores ejiciuntur. Sicut enim cum dominus adest in mensa, non oportet adesse famulos qui offenderunt, sed procul amandantur: ita hic quoque cum effertur sacrificium, et Christus sacrificatur, et ovis Dominica; quando audieris, *Oremus omnes communiter*, quando videris trahi eas quæ in ostiis sunt cortinas, tunc existima cælum superne diduci, et descendere angelos. Quemadmodum ergo nullum oportet adesse ex iis qui mysteriis non sunt iniati, ita nec ex iis qui sunt initiati et sordidi. Dic mihi si quis ad convivium invitatus manus laverit et accubuerit et ad mensam paratus fuerit, et deinde non fuerit ejus particeps, annon contumelia afficit eum qui invitavit? annon esset melius eum ne adfuisse quidem? Ita tu quoque adfuisti: hymnum cantasti, cum dignis omnibus te es professus, eo quod cum indignis non recesseris: quomodo mansisti et mensæ non es particeps? Sum, inquit, indignus. Ergo illa quoque communione et societate quæ est in precibus es indignus. Non enim solum per proposita, sed etiam per cantica undique descendit Spiritus. Non vides famulos nostros mensam spongia lavantes, et domum mundantes, et discos mensæ imponentes? Hoc fit per preces, per clamorem præconis: tamquam spongia lavamus ecclesiam, ut in munda ecclesia sint omnia proposita, ut nulla sit macula, nulla ruga. Sunt et oculi eorum indigni his spectaculis, et aures indignæ. *Et si bestia*, inquit, *montem tangat, obruetur lapidibus* (*Exod.* 19. 13). Adeo nec digni quidem erant qui ascenderent: atqui postea etiam accesserunt, et viderunt ubi steterat Deus. Licet postea accedere, et videre: sed quando adfuerit, abi: non enim tibi magis licet, quam catechumeno. Non sunt enim paria, sacramenta nondum esse assequutum, et postquam fueris assequutus, et offenderis, despicere et ea re te indignum reddere. Licebat plura terribiliora dicere, sed ne mentem vestram gravem, hæc sufficiunt: nam qui his non castigantur, ii nec pluribus. Ne ergo vobis majus faciamus judicium, rogo quidem vos, non ut non adsitis, sed ut præsentia et aditu vos reddatis dignos. Dic mihi, si rex jusserit et dixerit, Si quis hoc agit, a mea mensa abstineat, annon pro hoc omnia feceritis? In cælos nos vocavit ad mensam Regis magni et admirabilis, et recusamus et cunctamur, et ad eam rem non accurrimus? et quænam est nobis spes salutis? Non licet causari imbecillitatem, nec culpam conferre in naturam: socordia solum et ignavia nos reddit indignos. Hæc quidem dicta sunt a nobis: qui autem compungit corda, qui dat spiritum compunctionis, compungat corda vestra, et in profundum immittat semina, ut ex timore ejus concipiatis et pariatis spiritum salutis, et cum fiducia accedatis. *Filii*, enim, inquit, *tui tamquam novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ* (*Psal.* 127. 3). Nihil sit vetus, nihil immite, nihil crudum. Hujusmodi enim novellæ plantationes aptæ sunt ad fructum, fructum admirandum, oleæ, inquam, fructum: et fortes sunt et validæ, ut sint omnes in circuitu mensæ, neque temere et forte fortuna conveniant, sed cum metu et timore. Sic enim et ipsum Christum illic videbitis cum fiducia, et cælesti regno digni reddemini: quod detur nobis omnibus consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Cap. 2. v. 1. *Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris,* 2. *in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ,* 3. *in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii iræ sicut et cæteri.*

1. Est quidem mortificatio corporalis, est autem et animalis : et illius quidem esse participem, nec est crimen nec periculum : res enim est naturæ, non instituti animi et liberi arbitrii. Nam et orta est ex transgressione protoplasti, et res deinde decidit in naturam : alioqui autem etiam cito solvetur. Ipsa vero mortificatio animalis, cum sit instituti animi et liberi arbitrii, crimen habet et nullam solutionem. Vide ergo quomodo Paulus cum jam valde magnum ostendisset, et quod majus sit morte affectæ mederi animæ quam suscitare mortuos, nunc quoque sic ponit tamquam magnum : *Et vos cum essetis,* inquit, *mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis, secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ.* Vides Pauli mansuetudinem, et quomodo ubique consolatur auditorem, eum non onerans? Nam quoniam dixerat eos ad extremum usque vitium esse provectos (hoc enim est esse morte affectos) ; ne eos valde gravaret (nam pudore afficiuntur homines, cum priora mala afferuntur in medium, etiamsi sint absoluta, et nullum habeant periculum), dat eis adjutorem, ne existimaretur totum eis esse imputandum, et adjutorem fortem. Quemnam? Diabolum. Sic etiam facit in Epistola ad Corinthios : nam cum dixisset, *Nolite errare, neque fornicatores, neque idololatræ;* et reliqua omnia recensuisset, et subjunxisset, *Regnum Dei non possidebunt;* tunc quoque dicit : *Et hæc quidem fuistis* (1. *Cor.* 6. 9. *sqq.*). Non dixit absolute fuistis, sed, τινὲς ἦτε, id est, *Aliqui fuistis,* hoc est, sic quodammodo fuistis.

Manichæi carpuntur. — Hic hæretici hæc de Deo dicta esse acriter contendunt, et effrenatam linguam longe exserentes, hæc Deo adaptant quæ sunt solius diaboli. Quomodo ergo os eis obstruemus? Ex ipsis verbis. Nam si est justus, sicut dicitis, hæc autem gessit ; hæc res non est justi, sed valde injusti et scelerati : Deus autem numquam fuerit sceleratus. Cur vero dicit eum principem sæculi hujus? Quoniam tota fere humana natura se ipsam illi dedit, et omnes sua sponte ei serviunt et ex libero animi arbitrio. Et Christo quidem bona promittenti innumerabilia ne animum quidem adhibet quispiam : illi autem nihil tale pollicenti, sed ad gehennam transmittenti, cedunt omnes. Et principatus ejus est in hoc sæculo, et is plures habet quam Deus, et ei magis cedentes quam Deo, præter paucos, propter nostram socordiam. *Secundum potestatem,* inquit, *aerii spiritus.* Hoc rursus dicit, quod locum habet sub cælo, et spiritus rursus aerii sunt incorporeæ potestates eo operante. Nam quod sæcularis sit ejus principatus, hoc est, qui cum præsenti sæculo dissolvitur, audi eum dicentem in fine epistolæ : *Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, sed adversus principes et potestates, et adversus mundi rectores tenebrarum hujus sæculi* (*Ephes.* 6. 12). Nam ne cum audieris, *Mundi rectores,* dicas etiam ipsum esse increatum, addit, *Tenebrarum sæculi.* Alibi etiam nequam sæculum (*Gal.* 1. 4) vocat tempus perversum, non dicens de creaturis. Mihi enim videtur, quod si fuisset princeps sub cælo, non fuisset casurus a principatu, etiam post transgressionem. *Qui nunc operatur in filios diffidentiæ.* Vides quod non vi inducit nec tyrannide, sed persuasione? Dixit enim ἀπειθείαν, ac si dicas, deceptione et persuasione omnes attrahit. Nec hoc solum eos consolatur, quod dederit socium, sed etiam quod se cum illis ponat. *In quibus,* inquit, *et nos omnes aliquando conversati sumus. Omnes :* non enim licet dicere quod exemptus esset aliquis. *In desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri omnes.* Hoc est, nihil spirituale sapientes. Sed ne carnem in invidiam vocet et odium, neque magnum existimes delictum, vide quomodo sibi caveat. *Facientes,* inquit, *voluntatem carnis et cogitationum nostrarum,* hoc est, voluptatis affectiones et motus, Deum irritavimus et ad iram provocavimus : hoc est, ira fuimus, et nihil aliud. Quemadmodum enim qui est filius hominis, est homo natura, ita nos quoque sicut et cæteri iræ filii eramus : id est, nullus liber erat, sed omnes quæ ira Dei digna erant faciebamus. 4. *Deus autem, qui dives est in misericordia.* Non dixit absolute, Misericors, sed, *Dives in misericordia,* sicut et alibi dicit, *In multitudine misericordiæ tuæ;* et rursum, *Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam* (*Psal.* 68. 17. *et* 50. 1). *Propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos.* Undenam nos dilexit ostendit. Hæc enim non merentur dilectionem, sed iram et extremum supplicium. Et hoc ergo ex multa misericordia. 5. *Et cum essemus mortui in delictis, convivificavit in Christo.* Rursus Christus est medius, et res est fide digna. Si enim primitiæ vivunt, et nos : vivificavit et illum, et nos.

2. Vides quod omnia dicta sint de eo, quod est secundum carnem? Vidisti exsuperantem ejus potentiæ magnitudinem in nos qui credimus? qui mortui eramus et filii iræ, hos vivificavit. Vidisti spem vocationis? 6. *Conresuscitavit et consedere fecit.* Vidisti gloriam ejus hereditatis? Etiam, inquies, *Conresuscitavit* quidem, est manifestum; illud vero, *Consedere nos fecit in cœlestibus in Christo Jesu,* quomodo stat? Ut illud, *Conresuscitavit* : nullus enim adhuc est suscitatus, nisi quod, cum caput resurrexerit, nos quoque sumus suscitati : sicut illic quoque cum Jacob adorasset, uxor quoque adoravit Joseph. Sic ergo fecit quoque consedere : sedente enim capite sedet quoque corpus. Propterea enim subjunxit, *In Christo Jesu.* Aut si hoc non ita sit, sed conre-

suscitavit per lavacrum, quomodo ergo consedere fecit? Nam *Si sustinemus*, inquit, *et conregnabimus* (2. *Tim.* 2. 12). Si morimur, etiam simul vivemus. Spiritu revera opus est et revelatione, ut intelligamus profundum horum mysteriorum. Deinde ne fidem non habeas, vide quid subjungat : 7. *Ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Jesu.* Nam quoniam illa dixit de Christo ; quæ autem dixit, ad nos nihil erant : nam quid ad nos si ille resurrexit? ostendit id quoque ad nos pertinere, si quidem is nobis est unitus; nisi quod seorsum dicit quæ ad nos pertinent : *Et cum essemus mortui peccatis, conresuscitavit et consedere fecit.* Quamobrem, sicut dicebam, noli non habere fidem, accepta demonstratione et ex prioribus et ex capite et ex eo quod velit ostendere suam bonitatem. Quomodo enim ostendet, si hoc non factum fuerit? Et ostendet in sæculis supervenientibus. Quidnam? Quod magna sint bona et omnibus credibiliora. Nam nunc quidem quæ dicuntur, incredulis videntur esse nugæ ; tunc autem omnes scient. Vis discere etiam quomodo fecit consedere? Audi ipsum Christum dicentem discipulis : *Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel ;* et rursus, *Sedere autem a dexteris meis et a sinistris, non est meum dare, sed quibus paratum est a Patre meo* (*Matth.* 19. 28. *et* 20. 23). Est itaque paratum. Et recte dicit, *In bonitate super nos in Christo Jesu.* Sedere enim a dexteris, est honoris qui omnem superat honorem, et post quem non sunt alia. Hoc ergo dixit, nos quoque sessuros. Vere sunt exsuperantes divitiæ, vere exsuperans magnitudo ejus virtutis, sedere cum Christo. Etiamsi mille habeas animas, propter ipsum eas non perdis? nam etsi in ignem esset intrandum, annon oporteret hoc prompte sustinere? Porro ipse quoque rursus dicit, Volo ut ubi sum ego, ministri quoque mei sint (*Joan.* 12. 26). Nam si oporteret quotidie dissecari, annon oporteret id pro eo prompto et alacri animo suscipere? Cogita ubi ille sederit : *Supra omnem principatum et potestatem.* Et cum quo consedes? Cum illo. Quisnam cum sis? Mortuus, natura filius iræ. Et quid recte gessisti? Nihil. Vere ergo est opportunum exclamare : *O altitudo divitiarum et sapientiæ et cognitionis Dei* (*Rom.* 11. 33)! 8. *Gratia enim*, inquit, *estis salvati.* Nam ne beneficiorum magnitudo te extollat, vide quomodo te coercet et comprimit : *Gratia enim*, inquit, *estis salvati. Per fidem.* Deinde rursus ne liberum perimeretur arbitrium, posuit etiam quæ sunt nostra ; et rursus ipsum sustulit, et dicit, *Et hoc non ex nobis.* Ne fides quidem, inquit, est ex nobis : nam si non venisset, si non vocasset, quomodo potuissemus credere? *Quomodo* enim, inquit, *credent, nisi audiverint* (*Rom.* 10. 14)? Quare nec fidei est nostrum. *Dei*, inquit, *est donum ;* 9. *non ex operibus.* Non enim sufficisset, inquit, fides ad salutem. Sed ne nobis vacuis et otiosis det salutem, Eam, inquit, Deus requisivit. Dixit, quod salvos fecerit fides, sed per Deum : quoniam Deus voluit, salvos fecit fides. Alioqui quomodo salvos facit fides absque operibus? Hoc ipsum est Dei donum, *Ne quis glorietur*, ut nos gratos efficiat circa gratiam. Quid ergo, inquit, prohibuit ipse justificari ex operibus? Nequaquam : sed, Nullus, inquit, justificatus est ex operibus, ut ostendatur Dei gratia et benignitas. Non repulit habentes opera, sed eos, qui sunt proditi ab operibus, salvos fecit gratia, ut nullus de cætero possit gloriari.

3. Deinde ne, cum audieris, quod non ex operibus, sed fide totum gestum sit, otiosus maneas, vide quid subjunxerit : 10. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Vide quid ipse dicat ; regenerationem hic subindicat. Revera alia est creatio : ex nihilo producti sumus ad hoc ut essemus. Quod eramus prius, mortui sumus, hoc est, homo vetus ; quod prius non eramus, facti sumus. Recens ergo est creatio priore melior et præstantior : nam ex illa quidem, ut viveremus ; ex hac autem, ut bene viveremus effectum est. *In operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in iis ambulemus ;* non, Ut incipiamus, sed, *Ut ambulemus :* perpetua enim nobis virtute opus est, et extensa usque ad nostrum decessum. Neque enim, si esset ingrediendum via quæ fert ad urbem regiam, deinde cum majorem ejus partem confecissemus, circa ipsum finem ignavi et molles redditi sedissemus, nobis profuisset ingressus. Ita nec spes vocationis quidquam profuisset, rem illam possidentibus, nisi digne ad vocem appellantis ambulaverimus. Vocati ergo in operibus bonis, perseveremus, omnia operantes. Propterea enim appellati sumus, non ut unum dumtaxat opus operemur, sed ut omnia. Sicut enim nobis sunt quinque sensus, et omnibus ad id quod oportet utendum est, ita etiam omnibus virtutibus. Si quis autem sit temperans, sed immisericors, aut misericors quidem, sed avarus, aut ab alienis quidem abstineat, sed de suis non impertiat, frustra fiunt omnia. Non enim sufficit una virtus, ut cum fiducia sistamur ad tribunal Christi, sed multa, varia et omnis generis, atque adeo omni virtute est opus. Audi enim Christum dicentem discipulis : *Euntes docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis*, et rursus, *Si quis solverit unum ex mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum* (*Matth.* 28. 19. *et* 5. 19) : hoc est, in resurrectione. Non enim intrabit in regnum : nam ipsum quoque tempus resurrectionis regnum vocare solet. *Si unum*, inquit, *solverit, minimus vocabitur.* Quamobrem nobis opus est omnibus.

Sine eleemosyna non intratur in regnum cælorum. — Vide autem quomodo non sine eleemosyna licet intrare, sed si ipsa sola desit, abibimus in ignem. *Abite*, inquit, *maledicti, in ignem æternum, paratum diabolo et angelis ejus.* Cur et quanam de causa? *Quoniam esurii, et non dedistis mihi quod comederem : sitivi, et non dedistis mihi potum* (*Matth.* 25. 41. 42). Vidisti quomodo nullius alterius accusati, propter hoc solum perierunt? Et virgines propter hoc solum

ejectæ sunt e thalamo, licet haberent castitatem; sed quia eleemosynæ vacuæ erant, cum sponso ingressæ non sunt. *Pacem*, inquit, *cum omnibus persequimini, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum* (*Hebr.* 12. 14). Cogita ergo quod sine castitate quidem non licet Deum videre; non omnino autem cum castitate potest videri : sæpe enim aliud impedit. Rursus si omnia recte gesserimus, proximo autem nihil profuerimus, nec sic intrabimus in regnum (*Jac.* 2. 10). Undènam hoc constat? Ex servis quibus credita fuerunt talenta (*Matth.* 25). Nam illic virtus omnis erat integra et sincera, et nihil fuerat prætermissum; sed quoniam piger fuit in negotiatione, merito fuit ejectus. Deturbari etiam potest quispiam in gehennam ex solo maledicto : nam *qui dicit*, inquit, *fratri suo, stulte, obnoxius erit gehennæ ignis* (*Matth.* 5. 22). Etiamsi quis omnia recte gesserit, sit autem contumeliosus, non intrabit. Nec quispiam Deum accuset crudelitatis, si eos, qui sic lapsi sunt, expellit ex regno cælorum. Nam si apud homines quispiam quidquam fecerit iniquum et præter leges, amandatur a conspectu regis, etsi unam ex constitutis legibus sit transgressus; et si accusans sit calumniatus, perdit magistratum; et si adulterium commiserit et sit convictus, redditur indignus : quamvis innumerabilia recte gesserit, perit; et si cædem fecerit, et probatum fuerit, hoc quoque ad eum perdendum sufficit. Si hominum leges adeo exacte servantur, quanto magis leges Dei? At est bonus, inquit. Quousque hæc stulta dicemus? Stulta autem dixi, non quod non sit bonus, sed quod existimemus ejus bonitatem ad hæc nobis esse utilem, etsi innumerabilia de his sæpe disseruerimus. Audi enim Scripturam dicentem : *Ne dixeris, Miseratio ejus est multa, multitudini peccatorum meorum propitiabitur* (*Eccli.* 5. 6). Non prohibet nos dicere multam esse ejus miserationem; absit; non hoc suadet, sed et nos vult hoc assidue dicere, et propterea omnia movet Paulus; sed propter ea quæ deinceps sequuntur. Ne ideo, inquit, admireris Dei benignitatem ut pecces, et dicas, *Misericordia ejus multitudini peccatorum meorum propitiabitur.*

4. Ideo enim tam multa disserimus de bonitate, non ut ei confidentes agamus omnia; alioqui bonitas erit ad nostræ salutis exitium; sed ne desperemus in peccatis, verum agamus pœnitentiam. Benignitas enim Dei te ducit ad pœnitentiam, non ad plura vitia. Si autem malus et sceleratus fias propter beni gnitatem, tu eum magis in odium vocas et accusas apud homines : multos enim videmus accusantes Dei lenitatem. Quamobrem dabis pœnas, si ea non utaris ut oportet. Deus est benignus? sed est etiam justus judex. Condonat peccata? sed etiam reddit unicuique secundum opera sua. Transilit iniquitates, et tollit peccata? sed ea quoque examinat. Quomodo ergo non sunt hæc contraria? Non sunt contraria, si temporibus ea diviserimus : tollit hic peccata per lavacrum et pœnitentiam; facta illic examinat per ignem et tormenta. Si ergo, inquies, cum et mala fecero pauca, propter unum ejiciar, et a regno excidam, cur mala omnia non operor? Ingrati servi est oratio : sed tamen hanc quoque dissolvemus orationem. Ne mala opereris, ut tibi prosis : nam a regno quidem omnes similiter excidemus; in gehenna autem non easdem pœnas dabimus omnes, sed hic quidem majores, ille vero mitiores. Nam si tu quidem et ille despexeritis, et qui in multis et qui in paucis peccat, similiter e regno excidetis : si autem non similiter despexeritis, sed alius quidem magis, alius vero minus, in gehenna sentietis differentiam. Cur ergo minatur iis qui non dederunt eleemosynam, eos esse abituros in ignem; neque solum in ignem, sed qui paratus est diabolo et angelis ejus? cur et qua de causa? Deum nihil æque irritat, ut si amici injuste lædantur. Nam si oportet diligere inimicos; qui etiam amicos aversatur, et est in hoc deterior gentibus, quod non merebitur supplicium? Quamobrem hic magnitudo peccati jure fecit eum abire cum diabolo : Væ enim ei qui non facit eleemosynam. Si hoc autem erat in Veteri, multo magis in Novo Testamento : si ubi erat concessum possidere pecunias, eisque frui et eas curare, tanta gerebatur cura opis ferendæ pauperibus : quanto magis ubi jubemur omnia ejicere? Nam quid illi non faciebant? Decimas et rursus decimas præbebant : orphanis, viduis, proselytis succurrebant. Sed mihi quidam admirans dicebat, Ille dat decimas. Quanto est hoc plenum probro et dedecore, si quod apud Judæos non habebatur in admiratione, hoc apud Christianos factum est admirabile? Si tunc erat periculum decimas omittere, cogita quantum nunc sit. Rursus ebrietas non habet hereditatem regni. Sed quid est quod dicitur a multis? Si ego et ille iisdem tenemur, non est parva consolatio. Quid dicemus? Certe non erit idem tuum et illius supplicium : alioquin autem nec hoc est consolatio. Tunc enim malorum societas habet consolationem, quando mala quæ patimur fuerint proportione paria : quando autem exsuperarint, et ut mente excedamus effecerint, non amplius sinunt ullam habere consolationem. Dic enim ei qui male mulctatus in ignem est injectus, Hic aut illo hoc patitur; ne sentiet quidem consolationem. Nonne omnes simul perierunt Israelitæ? quamnam hoc eis attulit consolationem? annon hoc ipsum eos majori dolore afficiebat? Et ideo dicebant, Periimus, interiimus, consumpti sumus. Quænam est ergo hæc consolatio? Frustra nos hac spe consolamur. Una sola est consolatio, in illum qui exstingui non potest ignem non incidere : eis autem, qui incidere, non licet assequi consolationem : ubi est stridor dentium, ubi fletus, ubi vermis qui non moritur, ubi ignis qui non exstinguitur. Omninone ullam senties, dic, quæso, consolationem, cum sis in afflictione et angustia? de cætero enim eris apud te. Ne, quæso et rogo, ne nos temere decipiamus, et his verbis consolemur, sed ea faciamus quæ nos poterunt servare. Cum Christo consessus est tibi propositus, et tu de his curiose scrutaris? Si nullum esset aliud

peccatum, pro his verbis quantum nos oporteret subire supplicium; quod simus adeo ignavi, miseri et socordes, ut tanto etiam proposito pretio hæc dicamus? O quantum ingemisces, quando audieris eos qui bona egerunt vocari in regnum et honore affici? quando videris ex servis et humili loco natis eos qui parum hic laborarunt, throni regii esse participes? Annon ea erunt tibi pejora punitione? Nam si nunc quosdam videns prospere agentes, etiamsi nihil mali patiaris, hoc omni supplicio gravius putas, discruciaris, teipsum luges et lacrymaris, et te mortibus mille dignum esse censes: quid tunc patieris? Nam si non esset gehenna, ipsa de regno cogitatio annon sufficeret ad perdendum et ad afferendum interitum? Quod autem res ita sit se habitura, satis disci potest ex rerum experientia. Ne nos ergo temere oblectemus et consolemur hujusmodi verbis, sed attendamus, et salutis nostræ curam geramus, et de virtute simus solliciti, et ad bona gerenda nos excitemus, ut digni habeamur qui tantam assequamur gloriam, in Christo Jesu Domino nostro.

HOMILIA V.

Cap. 2. v. 11. *Propter quod memores estote quod aliquando vos eratis gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manufacta:* 12. *quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum promissionis, spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo.*

1. Multa ostendunt Dei benignitatem et amorem in homines: primum, quod per se salvos fecerit, et per se tali modo: secundo, quod cum quales eramus salvos fecerit: tertio, quo nos deduxerit. Hæc enim omnia per se maximam habent indicationem ejus benignitatis: et hæc omnia Paulus nunc scribens agitat. Dixit, quod cum essemus mortui delictis et filii iræ, nos salvos fecerit: nunc dicit quibus nos fecerit æquales, et ideo dicit, *Memores estote.* Solemus enim omnes, quando ab humili admodum conditione ad contrariam et ei ex adverso respondentem aut etiam majorem evecti fuerimus honorem, ne priorum quidem meminisse, ut qui illa nutriamur gloria. Propterea dicit, *Propter quod memores estote. Propter quod*, quodnam? Quod creati sumus in operibus bonis. Hoc autem sufficit ad nobis persuadendum ut curam geramus virtutis. *Memores estote.* Sufficit enim illa memoria ad gratos et memores reddendos in benefactorem. *Quod vos aliquando gentes.* Vide quomodo ea deprimat quibus Judæi præcellebant, et ea admiretur quibus gentes erant inferiores; quæ quidem non erant hujusmodi ut inferiores eos redderent, sed a modo et vita utrisque persuadet. *Qui dicebamini præputium.* In verbis erat honor, in carne prærogativa: nihil enim est præputium, nihil circumcisio. *Ab ea quæ dicitur*, inquit, *circumcisio in carne manufacta. Quod eratis illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum promissionis, spem non habentes, et sine Deo in mundo.* Vos, inquit, qui hoc vocamini a Judæis. Cur autem cum esset ostensurus in hoc eis collatum fuisse beneficium quod eos fecerit societatem habere cum Israele, rursus Israeliticam non deprimit dignitatem, sed eam in his extollit? Extollit in iis quæ sunt necessaria, in iis autem deprimit in quibus eis non fuit societas. Procedens enim dicit, *Estis cives sanctorum et domestici Dei* (v. 19). Vide quomodo non deprimit: Hæc, inquit, sunt indifferentia. Ne existimetis, inquit, vos circumcisionem non consequutos, eo quod sitis in præputio, aliquam habere differentiam. Hoc erat grave ac molestum, quod essent sine Christo, quod essent alienati a conversatione Israel; hoc autem non est conversatio: quod vero essent hospites testamentorum promissionis, quod non haberent spem futuram, quod essent in hoc mundo sine Deo: hæc omnia erant illorum. Dixit de rebus cælestibus; dicit etiam de iis quæ sunt super terram, quoniam de ipsis Judæi magnam habebant existimationem et gloriam. Ita etiam Christus consolans discipulos, postquam dixit, *Beati, qui persequutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, ponit id quod est minus: *Sic enim persequuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos* (*Matth.* 5. 10. 12). Nam hoc quidem, quod ad magnitudinem attinet, est minus: si spectetur autem quod prope sint et crediderint, est magnum et sufficiens, et magnam vim habet. Hoc ergo erat, habere conversationem. Non dixit, Separati, sed, *Alienati a conversatione.* Non dixit, Non attendentes, sed, Neque participantes, et *Hospites.* Magna est verborum emphasis, magnam ostendens separationem. Nam etiam Israelitæ erant extra conversationem, sed non tamquam alieni, verum tamquam pigri et desidiosi, et exciderunt a testamentis, sed non tamquam peregrini. Quænam autem erant testamenta promissionis? *Tibi et semini tuo dabo terram hanc* (*Gen.* 13. 15), et quæcumque alia promisit. *Spem*, inquit, *non habentes, et sine Deo.* Atqui deos adorabant, sed non erant: idolum enim nihil est. 13. *Nunc autem in Christo Jesu, vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.* 14. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua.* Hoc est ergo, inquit, magnum, quod venimus in Judæorum conversationem? quid dicis? quæcumque sunt in cælis et quæ sunt in terra instauravit et in unam summam redegit, et nunc dicis de Israelitis? Certe, inquit. Nam illa quidem fide oportet assumere, hæc autem etiam factis ipsis et operibus. *Nunc autem in Christo Jesu*, inquit, *vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope ad conversationem.* Nam illud longe et illud prope, est solius liberi arbitrii et electionis. *Ipse est enim pax nostra qui fecit utraque unum.*

2. Quid hoc est, *Utraque unum?* Non hoc dicit,

quod nos evexerit ad illam generis nobilitatem, sed et quod nos et illos ad majorem; majus tamen est beneficium quo nos affecti sumus. Nam illis quidem et promissum fuerat, et erant ipsi propinquiores; nobis autem nec promiserat, et eramus longius. Quamobrem dicit, *Gentes autem pro misericordia glorificare Deum* (*Rom.* 15. 9). Promiserat quidem Israelitis, sed erant indigni; nobis autem non promiserat, sed hospites eramus: nihil erat nobis cum ipsis commune, et nos fecit unum, non nos illis conjungens, sed nos et illos unum faciens. Dicam autem exemplum: ponamus esse duas statuas, unam ex argento, alteram ex plumbo; deinde ambas fusas et conflatas prodiisse aureas. Ecce duas unum fecit. Aut etiam aliter: sit unus servus, alius in filium adoptatus; ambo autem eumdem adorent, hic quidem declaratus cum sit filius, ille vero fugitivus, et qui ne patrem quidem novit: deinde fiant ambo heredes, et germani filii. Ecce ad unum honorem sunt perducti: duo facti sunt unum, ille quidem cum venisset e longinquo, hic vero cum e propinquo, et magis est germanus quam antequam offendisset. *Medium*, inquit, *parietem maceriæ solvens.* Quis est medius paries? *Inimicitias*, ait, *in carne sua.* 15. *Legem mandatorum in decretis evacuans.* Nonnulli quidem dicunt, quod lex sit medius paries inter Judæos et Græcos: ideo legem dixit, inquiunt, quod non sivit ipsos misceri: mihi autem non ita videtur; sed inimicitiam in carne medium parietem dicit, qui nos ambos a Deo separet, sicut dicit propheta: *Annon peccata vestra separant inter me et vos* (*Isai.* 50. 2)? Et jure: tamquam medius enim paries inimicitiæ erant, quæ ei intercedebant cum Judæis et Græcis. Cum esset autem lex, non solum non solvebantur, sed etiam magis crescebant: *Lex enim*, inquit, *iram operatur* (*Rom.* 4. 15). Ut ergo illic dicens, *Lex iram operatur*, non ei totum adscribit, sed subauditur, quoniam transgressi sumus: ita hic quoque eam dicit medium parietem, quoniam dum ei non obeditur, faciebat inimicitias. Lex erat sepes; sed ea quidem erat ut tutos redderet, et ideo etiam nominata est sepes ut circumsepiret. Audi enim rursus prophetam dicentem: *Et sepem illi circumdedi* (*Isai.* 5. 2); et iterum, *Abstulisti sepem ejus, et vindemiant eam omnes qui pranseunt per viam* (*Psal.* 79. 13). Tutamentum ergo dicit. Et rursus, *Auferam sepem ejus, et erit in conculcationem;* et rursus, *Legem dedit in auxilium* (*Isai.* 5. 5. *et* 8. 20); et iterum, *Faciens misericordiam et judicium Dominus, notas fecit justificationes suas Israeli* (*Psal.* 102. 6. 7). Facta est autem medius paries, non eos tutos reddens, sed eos a Deo separans. Ejusmodi est medius paries qui est a sepe. Cujusmodi autem sit ea declarat, subjiciens: *Inimicitias in carne sua. Legem mandatorum evacuans.* Quomodo? Ut qui circumsepserit et inimicitias illic solverit. Nec hoc solum eam solvit, sed etiam per ejus observationem. Quid enim, si liberati essemus a priori transgressione, rursus autem eam necesse haberemus servare? Rursus idipsum esset: sed eam quoque solvit: *Legem* enim, inquit, *mandatorum in decretis evacuans*, Papæ, quanta benignitas! dedit nobis legem servandam: quoniam autem non servavimus, cum oporteret puniri, legem solvit: ut si quis cum puerum tradidisset pædagogo, quoniam non obedit, etiam a pædagogo liberaverit et abduxerit. Quantæ est hoc benignitatis? Quid est, *In decretis evacuans?* Magnam, inquit, hic ponit differentiam mandati et decretorum. Aut fidem dicit, ipsam vocans decretum; a sola enim fide salvos fecit: aut præceptum, sicut dicebat Christus, *Ego autem dico vobis, ne omnino irascamini* (*Matth.* 5). Hoc est, Si credideris quod Deus eum excitavit a mortuis, salvus eris. Et rursus, *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo* (*Rom.* 10. 8).

3. Ne dixeris, Quis ascendet in cælum, aut quis descendet in abyssum, aut quis ipsum sustulit e mortuis? Pro vita fidem introduxit. Nam ut non temere salvos faceret, et ipse fuit punitus, et fidem ab eis exegit per decreta. *Ut duos condat in semetipsum in unum novum hominem.* Vides non Græcum factum Judæum, sed et hunc et illum venientes ad alterum statum? Non ut hunc alium faciat, legem evacuavit, sed ut duos condat ac creet. Et recte ubique usus est nomine, *Condat.* Nec dixit, Mutet, ut ostenderet efficaciam ejus quod factum est, et quod etiamsi creatio cadat sub aspectum, illa tamen non est hæc minor, et quod de cætero non sit nobis resiliendum a rebus naturalibus. *Ut duos*, inquit, *condat in seipso:* hoc est, per seipsum. Non alii hoc mandavit, sed per seipsum, cum et hunc et illum fudisset et conflasset, unum produxit admirabilem, cum ipse hoc primum factus esset: quod est majus priori creatura. Hoc est enim, *In semetipso*, cum ipse primus formam præbuerit et exemplar. Nam cum hinc tenuisset Judæum et illinc Græcum, et ipse fuisset medius, et eos commiscuisset, et quidquid eorum erat abalienatum delevisset, desuper refinxit per ignem et aquam: non utique per aquam et terram, sed per aquam et ignem. Factus est Judæus circumcisus, factus est maledictus; factus est Græcus extra legem, etiam supra Græcos et Judæos. *In unum novum*, inquit, *hominem. Faciens pacem* ipsis: et cum Deo, et inter se. Non enim manentes Judæi et Græci essent conciliati; nisi autem a suo statu liberati fuissent, quomodo venissent ad alium majorem? Judæus enim tunc Græco conjungitur, quando factus fuerit fidelis: ut si quidam, si sint duo habitacula, inferne et superne unum admirandum et magnum, non se potuerint mutuo videre donec fuerint superius. *Faciens pacem;* magis autem cum Deo: quod enim sequitur hoc ostendit. Quid enim dicit? 16. *Ut reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem.* Non dixit Conciliet, sed, *Reconciliet*, ostendens quod antea humana natura erat ad conciliandum facilis, scilicet in sanctis et ante legem. *In uno corpore*, inquit, suo quidem, *Deo.* Quomodo fit hoc? Ut qui pœnam, inquit, quæ debebatur ipse subierit per crucem. *Interficiens inimicitias in seipso.* Nihil est his verbis magis proprium, nihil quod majorem habeat emphasim. Mors ejus interfecit inimicitias, sanciavit

et perdidit, non alii imperans, neque solum agens, sed etiam patiens. Non dixit, Solvens; non dixit, Tollens : sed quod est omnium vehementissimum, *Interficiens*, adeo ut ipsæ non amplius resurgant. Quomodo ergo resurgunt? A multo nostro vitio. Quamdiu manserimus in corpore Christi, quamdiu fuerimus uniti, non resurgunt, sed jacent mortuæ : imo vero illæ numquam resurgunt; sed si alias pepererimus, non eæ sunt amplius propter eum qui priores sustulit et perdidit, sed tu alias parturis. Nam prudentia seu potius cogitatio et spiritus carnis, inimicitiæ sunt adversus Deum (*Rom.* 8. 6). Si nihil cogitemus ac sapiamus carnale, non nascentur aliæ, sed manebit pax illa.

Prudentia carnis quid sit. — 4. Cogita enim quantum sit malum, cum Deus tam multa procurarit et effecerit ut conciliemur, nos rursus redire ad inimicitias. Has non amplius manet lavacrum, sed gehenna; non remissio, sed examinatio et quæstio. Prudentia ac cogitatio carnis, sunt deliciæ et indulgere voluptati : prudentia carnis est avaritia, et omne peccatum. Cur dicta est prudentia carnis? atqui ea sine anima nihil fecerit. Non dicit hoc carnem vituperans : nam et quando dicit, *Animalis homo* (1. *Cor.* 2. 14), non hoc dicit vituperans animam; sed quia non per se sufficit nec corpus nec anima ad præclarum aliquid et magnum faciendum, si non supernum assequatur auxilium. Propterea animalia illa vocat, quæ per se operatur anima; et carnalia illa, quæ per se corpus : non quoniam hæc naturalia, sed quoniam, nisi inde præsidium acceperint, pereunt. Nam oculi quoque sunt pulchri, sed sine luce, mala faciunt innumerabilia; et ea sunt ipsorum imbecillitatis, non naturæ. Si essent autem mala naturalia, numquam iis ad id quod oportet uteremur : nihil enim naturale est malum. Quid ergo sunt prudentiæ carnales? Peccata? Nam quando ipsa, nempe caro, obtinuerit dominatum adversus aurigam, in altum elata, mala parit innumerabilia. Carnis enim virtus est subjectam esse animæ, vitium autem, animæ imperare. Sicut ergo equus est pulcher et bonis tibiis, sed hoc absque auriga non apparet : ita etiam caro tunc pulchra erit, quando ejus exsultantes spiritus amputaverimus. Sed neque auriga apparet absque scientia : nam ipse scientia carens illis graviora patrat. Quamobrem oportet omni ex parte attentum esse : spiritus attentus aurigam facit fortiorem : is et animam ornat et corpus. Quemadmodum enim anima, dum inest quidem corpori, ipsum pulchrum ostendit; quando autem ipsum a sua destituerit operatione et abscesserit, perinde atque si pictor confundat colores, magna fit deformitas, unaquaque parte properante ad interitum : ita etiam quando spiritus corpus solum reliquerit et animam, fit deterior et major deformitas. Ne ergo quoniam corpus est minus anima, id vitupera. Nam nec ego patior vituperari animam, quoniam nihil valet absque spiritu. Si autem aliquid sit dicendum, majorem reprehensionem meretur anima. Nam corpus nihil mali fecerit absque anima; sed anima multa absque corpore. Etenim dum illud tabescit et non exsultat, hæc multa facit : sicut illi præstigiatores, magi, invidi, venefici corpus attenuant et macerant. Alioqui autem nec deliciæ sunt ex necessitate corporis, sed eo quod non attendat anima : alimentum enim est ex necessitate corporis, non deliciæ. Si velim frenum vehemens et asperum immittere, equum refrenabo : corpus autem animam non potest cohibere in ejus malis. Cur ergo eam vocat prudentiam carnis? Quoniam tota est carnis. Quando enim ipsa dominatum obtinuerit, tunc peccat; quando mentem ademerit et animæ imperium. In hoc ergo consistit virtus corporis, quod cedat animæ : nam per se nec est bona, neque mala. Quid enim per se fecerit corpus? Quamobrem conjunctione bonum est corpus propter subjectionem : nam per se nec bonum est nec malum, ad hoc autem et illud aptum, ad utraque est propensum. Corpus concupiscit, sed non scortationem nec adulterium, at coitum : corpus concupiscit, non delicias, sed nutrimentum; non ebrietatem, sed potum. Nam quod ebrietas non sit concupiscentia corporis, vide quomodo : non amplius retinueris quando modum excesseris, et corporis terminos moveris. Nempe alia omnia sunt animæ, quando dejicitur ad carnalia, quando crassa evadit. Nam etsi bonum est corpus, est tamen longe minus anima. Sicut igitur plumbum auro inferius est, sed tamen plumbo etiam opus est quod conglutinet : ita etiam animæ opus est corpore : velut puer ingenuus opus habet pædagogo, ita etiam anima opus habet corpore. Et ne mireris quod talia exempla posuerim. Sicut enim res pueriles dicimus, non vituperantes ætatem, sed quædam ex illa manantia : ita etiam dicendum est de corpore. Sed licet non esse in carne, si velimus, sicut nec in terra, sed in cælis et in spiritu. Esse enim alicubi, non tam dicitur situ ac positione, quam affectione. Multos quidem certe qui sunt alicubi, non esse dicimus, dicentes : Non eras hic. Et quid dico? Sæpe dicimus, Non es in te, Non sum in me. Atqui quid hoc est magis corporale, quando ipse sibi est propinquus? sed tamen dicimus ipsum non esse apud se. Simus ergo in nobis seu apud nos, in cælo, in spiritu; maneamus in pace et gratia Dei : ut liberati ab omnibus carnalibus, possimus assequi bona promissa in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri simul cum sancto Spiritu gloria, potentia et honor, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Cap. 2. v. 17. *Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis, et pacem iis qui prope :* 18. *quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.* 19. *Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei :* 20. *superædificati supra fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo :* 21. *in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino :* 22. *in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.*

1. Non per alium, inquit, misit, neque per aliquem alium significavit, sed ipse per se. Non misit angelum vel archangelum, quia tam multa mala corrigere nullius erat alterius, sed ejus præsentiæ, et annuntiare quæ facta sunt. Ministri ac propemodum famuli locum suscepit Dominus, et venit, et pacem evangelizavit, *Vobis*, inquit, *qui longe fuistis, et qui prope.* Judæis, inquit, qui erant prope si cum nobis conferantur : (*a*) [procul autem esse eos qui ex gentibus erant subindicans, utpote peregrinos erga testamenta]. *Quia per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.* Pacem, inquit, ad Deum ; etenim nos reconciliavit. Alias enim etiam dicit : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis ;* et iterum, *Confidite, ego vici mundum ;* et, *Quæcumque petieritis in nomine meo, accipietis ;* et rursus, *Quoniam Pater vos diligit* (*Joan.* 14. 27. *et* 16. 33. *et* 14. 14. *et* 16. *et* 27). Hæc sunt signa pacis et his et illis. Illis quomodo ? *Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu*, non vos minus, illi autem amplius, sed una gratia. Nam iram quidem solvit morte, Patri autem nos fecit amabiles per Spiritum. Ecce rursus, *In* est, per : per se et Spiritum adduxit nos ad ipsum. *Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed cives sanctorum.* Vides quod non simpliciter in Judæorum, sed in sanctorum et magnorum virorum, nempe Abrahæ et Moysis et Eliæ, eamdem adscripti sumus civitatem, et in illa versamur et apparemus ? Nam qui hæc, inquit, dicunt, aperte ostendunt se patriam quærere. *Non amplius hospites sanctorum ; nec advenæ.* Nam qui cælestia non sunt assequuturi, sunt advenæ. Filius enim manet, inquit, in æternum. *Et domestici*, inquit, *Dei.* Quod illi, inquit, habebant ab initio per tam multos labores, hoc vobis recte successit per Dei gratiam. *Superædificati supra fundamentum apostolorum et prophetarum.* Ecce spes vocationis. Vide quomodo omnia permiscet, Græcos, Judæos, apostolos, prophetas, Christum : et aliquando quidem ex corpore, aliquando autem ex ædificio conjunctionem ostendit. *Superædificati*, inquit, *super fundamentum apostolorum et prophetarum.* Hoc est, fundamentum sunt apostoli et prophetæ. Et primum ponit apostolos, qui tempore sunt ultimi : vel hoc ostendens et dicens, quod et hi et illi sint fundamentum, universum autem unum sit ædificium et una radix. Cogita Græcos fundamentum habere patriarchas. Hic illud magis proprie dicit quam cum dicit insertionem : et magis illic tangit. Deinde dicit, *Ipso summo angulari lapide Christo Jesu ;* significans Christum omnia continere. Lapis enim angularis et parietes continet et fundamenta. *In quo omnis ædificatio.* Vide quomodo ipsum conjunxerit, ut qui aliquando quidem totum corpus superne contineat ac comprehendat, aliquando autem inferne portet ædificium, et sit radix. Illud autem, *Condidit in seipso in unum novum hominem*, significat, Per seipsum conjunxit utrosque parietes ; et rursum, quod in ipso sint creati. Et, *Primogenitus*, inquit, *omnis creaturæ* (*Coloss.* 1. 15) : hoc est, ipse portat omnia, in quo totum ædificium est constructum. Sive tectum dixerit, sive parietes, sive quidvis aliud, totum portat. Alibi autem ipsum dicit fundamentum : *Fundamentum* enim, inquit, *aliud nemo potest ponere præter id quod est positum, quod est Jesus Christus. In quo*, inquit, *omnis ædificatio constructa* (1. *Cor.* 3. 11). Res ipsa accurate et exacte considerata ostendit, quod non aliter poni potest, nisi exacte et accurate vixeris. *Crescit*, inquit, *in templum sanctum in Domino : in quo et vos coædificamini.* Hoc frequentius dicit, *In templum sanctum, in habitaculum Dei in Spiritu.* Quid sibi vult autem ædificatio ? Ut Deus in hoc templo habitet. Unusquisque enim vestrum est templum, et omnes communiter, et tamquam in corpore Christi habitat, et tamquam in templo spirituali. Ideo non dixit προσοδον, id est, aditum, sed προσαγωγην, hoc est, adductionem : non enim a nobis ipsis accessimus, sed ab ipso adducti sumus : *Nam nemo*, inquit, *venit ad Patrem nisi per me ;* et rursus *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* 14. 6). In templum sanctum simul ædificati estis.

2. Iterum ad prius redit exemplum et illos conjungit cum sanctis, nequaquam sinens ut longius a Christo recedatur. Est ergo usque ad adventum hæc ædificatio. Propterea dicebat Paulus : *Ut sapiens architectus fundamentum posui ;* et rursus hic, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, qui est Christus* (1. *Cor.* 3. 10. 11). Vides quod exempla pro rebus subjectis sint accipienda, non absolute ? ab exemplis hoc dicit, ut quando Christus Patrem dicit agricolam, et seipsum radicem. (*Cap.* 3) 1. *Hujus rei gratia ego Paulus, vinctus Christi Jesu pro vobis gentibus.* Dixit magnam Christi curam et providentiam. De cætero ad suam quoque digreditur, quæ parva quidem est et plane nihil, si cum illa conferatur ; quæ tamen ipsa quoque est idonea et sufficiens ad attrahendum. Propterea, inquit, ego quoque vinctus sum. Si enim Dominus meus propter vos est actus in crucem, multo magis ego vinctus sum. Non solum ipse fuit vinctus, sed etiam suos servos per-

(*a*) Quæ uncinis clauduntur in textum recepimus ex uno Codice Coisliniano.

mittit vinciri pro vobis gentibus. Magna emphasis : Vos non solum non abominamur, sed etiam propter vos, inquit, vincimur, et ego tantam adeptus sum gratiam. 2. *Si tamen audiistis dispensationem gratiæ Dei quæ data est mihi in vobis.* Innuit prædictionem, quæ de ipso Damasci facta est Ananiæ, quando dicebat : *Vade, quoniam vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus ac regibus* (*Act.* 9. 15). Dispensationem gratiæ dicit revelationem. Hoc est, Non didici ab homine : et dignatus est mihi, cum essem unus, revelare propter vos : *Ipse* enim, inquit, *mihi dixit : Vade, quoniam te ad gentes procul amandabo* (*Act.* 22. 21). Dispensationem sic recte dixit : erat enim magna dispensatio, eum qui minime credebat a superis vocare et dicere : *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* 9. 4) ? et arcana illa luce eum excæcare. *Si tamen audiistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis,* 3. *quod secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi.* Fortasse per aliquos significavit ; aut non multo antea scripserat. Hic ostendit quod universum sit Dei, quod nihil attulimus. Quid enim, dic quæso ? non ipse magnus ille Paulus et admirandus, qui legem didicit, qui ad pedes Gamalielis exacte fuit eruditus, gratia fuit salvus ? Hoc jure mysterium vocat : Est enim mysterium, quod gentes statim ad majorem deduxerit nobilitatem, quam Judæos. *Sicut supra,* inquit, *scripsi in brevi,* id est, paucis. 4. *Prout potestis legentes intelligere.* Papæ ! non totum scribebat, neque quantum scribere oportebat. Sed hic quidem hoc faciebat rei natura, alibi autem vitium, sicut apud Hebræos, sicut apud Corinthios. *Prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi.* Id est, quomodo concepi, quomodo intellexi, aut hujusmodi quæ dixit Deus, aut quod sedeat a dextris. Deinde etiam dignitatem, quod *Non sic fecit Deus omni genti.* Et quænam sit gens cui sic fecit Deus declarans, subjungit : 5. *Quod aliis generationibus,* inquit, *non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis apostolis ejus et prophetis in Spiritu.* Quid ergo, dic mihi, non norant prophetæ ? Quomodo ergo dicit Christus, Moyses et prophetæ hæc de me scripserunt ? et rursus, *Si credidissetis Moysi, credidissetis et mihi ?* et rursus, *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me* (*Joan.* 5. 46. 39) ? Aut hoc dicit, quod non omnibus fuit revelatum ; addidit enim : *Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, ut nunc fuit revelatum :* aut quod non sic fuit cognitum rebus ipsis et factis, *Ut nunc revelatum fuit sanctis apostolis ejus et prophetis in Spiritu.* Considera enim : Petrus nisi audivisset a Spiritu, non profectus esset ad gentes. Audi enim quid dicat : Ergo *Dedit illis Deus Spiritum sanctum sicut et nobis* (*Act.* 11. 17) ; hoc est, in Spiritu, quia per Spiritum dignatus est Deus ut ipsi acciperent gratiam. Atque dicebant quidem prophetæ; sed non adeo exacte noverant, cum nec apostoli quidem postquam audivissent ; humanam enim hæc rationem et spem communem longe superabant. 6. *Esse gentes coheredes et concorporales et comparticipes promissionis.*

3. Quid est, *Coheredes et comparticipes promissionis et concorporales ?* Hoc est magnum, quod unum sint corpus, quod magna propinquitas. Nam quod vocandæ quidem essent, noverant ; quod ad hæc vocandæ, non item : hoc enim vocat mysterium promissionis. Participes erant Israelitæ, comparticipes erant etiam gentes promissionis Dei. *In Christo per evangelium.* Hoc est, quod et ad ipsos missum sit, et quod crediderint : non enim uteumque, sed, *Per evangelium.* Sed hoc quidem nihil est magnum ; parvum enim est; et aliud majus nobis revelat, quod non solum homines, sed nec angeli nec archangeli, sed nec ulla alia potestas creata hoc noverat : hoc enim erat mysterium, et non erat cuiquam revelatum. *Prudentiam meam,* inquit, *intelligere.* Fortasse innuit ; quod eis dixit in Actis, quod sit ejus quædam intelligentia, ut etiam gentes vocet. Hanc suam dicit prudentiam mysterii, quod dixit, quod in seipso condet in unum novum hominem. A revelatione enim didicit quod non oporteat gentes abominari, et ipse et Petrus : hoc dicit in sua defensione. 7. *Cujus factus sum ego minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus.* Dixit se esse vinctum, sed rursus totum ejus esse dicit ; *Secundum donum gratiæ ejus,* inquiens : secundum virtutem enim ac potestatem doni fuit dignitas hujus honoris. Sed non suffecisset donum, nisi illi indidisset virtutem ac potestatem.

Pauli virtus.—Revera enim magnæ fuit virtutis ac potestatis ; nec humana sufficiebat diligentia et industria. Tria enim attulit ad prædicationem : ferventem et audacem animi alacritatem, et ad quodvis sustinendum paratam animam, et intelligentiam ac sapientiam : non sufficiebat enim lubenter adire pericula, vita in quam non cadebat reprehensio, nisi virtutem Spiritus accepisset. Et id primum ex ipso contemplare, imo audi eum scribentem : *Ut non vituperetur ministerium nostrum* (2. *Cor.* 6. 3) ; et rursus, *Exhortatio enim nostra, non ex errore, neque ex immunditia, neque in sermone adulationis, neque in occasione avaritiæ* (1. *Thess.* 2. 3). Vidisti non esse obnoxium reprehensioni ? Et rursus, *Providentes bona,* non solum coram Domino, sed etiam *coram hominibus* (*Rom.* 12. 17). Deinde sub hæc, *Quotidie morior, per nostram gloriationem, quam habeo in Christo Jesu* (1. *Cor.* 15. 31) ; et rursus, *Quis nos separabit a caritate Christi ? afflictio, aut angustia, aut persequutio* (*Rom.* 8. 35) ? et rursus, *in patientia multa, in tribulationibus, in necessitatibus, in persequutionibus, in angustiis, in plagis, in carceribus* (2. *Cor.* 5. 4. 5). Deinde ejus dispensatio : *Factus sum Judæis tamquam Judæus; iis qui sine lege sunt quasi sine lege essem ; iis qui sub lege erant tamquam sub lege essem* (1. *Cor.* 9. 20. 21). Raditur etiam, et facit innumerabilia. Quod autem est caput omnium, in virtute Spiritus sancti. *Non enim audebo aliquid loqui eorum, quæ non effecit Christus per me*

Rom. 15. 18) ; et rursus, *Quid enim est quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis?* et iterum, *Nihil enim minus sum ab iis qui sunt supra modum apostoli, tametsi nihil sum* (2. *Cor.* 12. 13. 11). Sine his enim non potest fieri. Non ergo propter signa ejus facti sunt fideles : non enim signa hoc faciebant ; neque ex iis præclare de se sentire volebat, sed ex aliis. Oportet enim et non esse obnoxium reprehensioni, et dispensandi tenere artem, et ad pericula adeunda promptum, et ad docendum esse aptum. In his magis se recte gerebat : si hæc erant, nihil opus erat signis. Ipsum quidem certe videmus etiam ante signa, innumerabilia ejusmodi recte gessisse. Nunc autem nihil horum habentes, omnia volumus obtinere et efficere. Nam si alterum ab altero fuerit separatum, reliquum fit inutile. Quid enim juvat esse propensum ad adeunda pericula, si sit vita obnoxia reprehensioni ? *Si enim lumen*, inquit, *quod in te est, sunt tenebræ, tenebræ quantæ sunt* (*Matth.* 6. 23) ? Quid autem prodest inculpata vita ei qui sit ignavus et somniculosus ? *Si quis enim non tollat crucem suam et sequatur me, non est me dignus* (*Matth.* 10. 38) ? et, Nisi quis posuerit animam suam pro ovibus (*Joan.* 10. 11). Quid autem prodest utraque hæc tenere, et non esse aptum ad dispensandum, ut sciat quomodo oporteat unicuique respondere ? Si etiam signa non sint in nobis, hæc utraque sint in nobis. Sed tamen hæc omnia ex se afferens, totum acceptum ferebat gratiæ. Hoc est grati famuli. Nec umquam didicissemus res ab eo gestas, nisi redactus esset necessario ad rem gerendam. Dignine sumus qui Pauli vel meminerimus ? Ille etiam habens quæ ei opem ferebat gratiam, non satis habuit, sed etiam mille subiit pericula : nos autem qui illa caremus fiducia, undenam dic quæso exspectamus nos conservaturos eos qui nobis sunt crediti, aut eos accepturos qui nondum accesserint ? nos, inquam, qui voluptatibus et deliciis expleri curamus, et undique otium quærimus, et pericula ne in somnis quidem ferre possumus, imo vero nolumus ; a sapientia autem ejus tantum absumus, quantum cælum a terra ? Propterea et qui nostræ subjecti sunt administrationi, multum distant ab iis qui tunc erant : quandoquidem qui tunc erant discipuli, iis qui nunc sunt magistri erant præstantiores, ut qui in mediis populis et tyrannis intercepti, et undique omnes habentes hostes, ne parum quidem attrahebantur et inflectebantur.

4. Audi itaque quid dicat Philippensibus : *Quoniam vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini* (*Philipp.* 1. 29) ; rursus autem Thessalonicensibus, *Imitatores facti estis Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa* (1. *Thess.* 2. 14). Et ad Hebræos scribens dicebat : *Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis* (*Hebr.* 10. 34). Colossensibus quoque fert testimonium, dicens : *Mortui enim estis, et vita vestra absconsa est cum Christo in Deo* (*Col.* 3. 3). Et de ipsis his testatur etiam quod multa subierint pericula. Et ad Galatas etiam scribens ait, *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa* (*Gal.* 3. 4). Vides omnes huic rei incubuisse, nempe ut bene facerent. Propterea tunc etiam non erat otiosa gratia : propterea hinc in bonis operibus vitam agebant. Quid vero ad Corinthios scribat audi, queis multa crimina objicit : annon de illis quoque hæc testificatur, *Sed æmulationem vestram, sed desiderium* (2. *Cor.* 7. 11) ? Et de hac re quæ ipsis dicit, ea nunc ne a magistris quidem fieri videtis. Itaque pereunt et interierunt omnia. Causa autem est, quod refrixerit caritas, quod qui peccant non castigentur (audi eum scribentem ad Thimotheum et dicentem, *Peccantes coram omnibus argue* [1. *Tim.* 5. 20]) ; quod principes ægrotent : nam dum caput non est sanum, quomodo bene valens manserit reliquum corpus ? Vide ergo quanta sit inæqualitas. Nam qui recte vivunt, et quomodocumque habent fiduciam, montium cacumina occuparunt et a medio recesserunt, tamquam ab hoste et alieno, seu non a suo corpore avulsi : scelerati autem et referti malis innumeris in Ecclesias insilierunt : venales fuerunt principatus. Innumera hinc mala nascuntur, nemo est qui corrigat, nemo qui increpet ; sed viam quamdam et ordinem accepit confusio. Peccavit quispiam, et fuit accusatus ? Non in hoc ponit studium ut se innoxium ostendat, sed ut invenire possit socios criminum. Quid agam, cum gehenæ minæ sunt intentatæ ? Credite mihi, nisi Deus illic nobis reservasset supplicium, videretis quotidie majores tragœdias quam Judaicas illas calamitates. Quid enim ? sed nemo succenseat, non dicam enim nominatim : si quis cum accessisset ad ecclesiam, iis qui nunc sunt et qui vobiscum sunt adductis, eos examinaret ; imo vero non nunc, sed si quis in die Paschæ, omnes qui accedunt et lavantur postquam accessissent ad mysteria, exacte examinasset, eo a cepto spiritu ut accurate nosset quæ ab eis gesta sunt, multa essent inventa graviora malis Judaicis : nempe eos qui divinant auguriis, qui utuntur veneficiis, sortibus et incantationibus, scortatores, adulteros, ebrios, et maledicos : avaros autem et qui aliena invadunt nolo dicere, ne tangam aliquos ex iis qui sunt. Quid vero, si scrutatus esset omnes in orbe terræ qui accedunt, quod non invenisset delictum ? Quid si principes ? annon pecuniæ avidos, imperia ementes et magistratus, invidos, lividos, inani gloria laborantes, helluones, et servos pecuniæ ? Cum ergo tanta sit impietas, quid non grave est exspectandum ? Et ut sciatis quanto supplicio sint digni qui his peccatis obnoxii deprehenduntur, cogitate vetera : unus sacras suffuratus est pecunias, homo miles, et omnes perierunt. Scitis historiam ? de Charmi illo dico qui suffuratus fuerat donarium (*Jos.* 7 *et sqq.*). Ideo tunc dicebat propheta : *Impleta est regio illorum sortibus et auguriis sicut terra alienigenarum* (*Isai.* 2. 6). Nunc autem ubique malis plena sunt omnia, et nemo timet. Tandem timeamus : novit Deus etiam justos punire cum impiis, ut accidit tribus pueris tempore Danielis, ut aliis innumeris, ut etiam in bellis quæ nunc adhuc accidunt. Nam illi quidem etiam ipsam quantamcumque habent pecca

torum gravitatem per id deponunt, hi vero non. Propter hæc omnia nobis ipsis attendamus. Non videtis bella? non auditis calamitates? non his erudimini? Gentes et civitates integræ absorptæ sunt et perierunt; tam multa millia serviunt apud barbaros : si gehenna nos non castigat, hæc saltem nos castigent et doceant sapere. An hæc minæ sunt? nonne res quæ evenerunt? Magnas illi dederunt pœnas, sed nos majores dabimus, qui ex illorum calamitatibus non castigamur. Grave est et molestum quod dico : ego quoque id scio, sed lucrum affert si attendamus. Non enim dicta profert umquam ad gratiam, sed ea quæ magis possunt animam continere et modestam reddere. Hæc enim sunt nobis causæ futurorum bonorum: quæ detur nobis omnibus consequi, gratia et benignitate.

HOMILIA VII.

Cap. 3. v. 8. *Mihi autem sanctorum omnium minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi.* 9. *et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo qui omnia creavit per Jesum Christum;* 10. *ut innotescat nunc principatibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei,* 11. *secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro.*

1. *Summa Pauli humilitas.* — Eis qui ad medici veniunt officinam, non sine causa illuc est eundum, sed ut discant curare et adhibere medicamenta. Et nos quoque cum huc accesserimus, non hoc oportet temere facere et inconsiderate, sed ut discamus Pauli summam humilitatem. Quid enim? Quonjam erat dicturus gratiæ Dei magnitudinem, audi illum : *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc.* Erat quidem humilitatis, propter priora delicta, etsi deleta, lugere, eorum meminisse, et modeste se gerere, ut quando dicit se blasphemum et persequutorem et contumeliosum; sed non est illud cum hoc conferendum. Prius enim, inquit, Talis eram, et se vocat abortivum : post tot autem præclare gesta, se modeste gerere, ac se omnium minimum dicere, est multæ et summæ modestiæ. *Mihi*, inquit, *minimo omnium sanctorum.* Non dixit apostolorum : quamobrem est illud quoque hoc minus. Illic enim dixit, *Non sum dignus vocari apostolus* (1. *Cor.* 15. 9); hic autem se etiam dicit omnium sanctorum minimum : *Mihi*, inquit, *omnium sanctorum minimo data est gratia hæc* : Quænam? *Evangelizare gentibus impervestigabiles divitias Christi et illuminare omnes, quæ sit dispensatio mysterii absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit per Jesum Christum; ut innotescat nunc principatibus et protestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Esto, hominibus non fuit revelatum; illuminasne angelos et archangelos, et principatus et potestates? Certe, inquit : in Deo enim fuit absconsum, et Deo qui omnia creavit per Jesum. Et audes hoc dicere? Etiam, inquit. Sed unde hoc fuit manifestum angelis? Per Ecclesiam. Neque solum dixit, varia Dei sapientia, sed, *Valde varia.* Quid hoc ergo est? non norunt angeli? Minime : nam si principatus non norunt, multo minus angeli noverint. Quid ergo? nec archangeli norunt? Nec illi : undenam essent cogniturí? quonam revelante? Quando nos didicimus, tunc illi quoque per nos. Audi enim angelum dicentem Josepho : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum a peccatis suis* (*Matth.* 1. 21). Ipse missus fuit ad gentes, illi autem ad circumcisionem. Quamobrem, quod est admirabilius et stupendum, mihi, inquit, datum est qui sum minimus. Erat autem hoc quoque gratiæ quod parvo majora sunt credita, ut esset eorum evangelista. Nam qui majorum fuit evangelista, hac ratione est magnus. *Evangelizare in gentibus investigabiles divitias Christi.* Si ejus divitiæ sunt impervestigabiles, etiam postquam apparuit, multo magis essentia. Si est adhuc mysterium, multo magis antequam cognosceretur. Mysterium enim ipsum propterea vocat, quoniam nec angeli noverant, nec ulli alii erat manifestum. *Et illuminare,* inquit, *omnes quæ sit dispensatio mysterii absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit per Jesum Christum.* Angeli hoc tantum norant quod *Factus est portio Domini populus ejus* (*Deut.* 32. 9); et rursus, *Princeps Persarum restitit mihi* (*Dan.* 10. 13). Quamobrem non est mirandum, si hoc quoque ignorabant. Nam si reditum ignorabant, hæc multo magis : est enim hoc evangelium. *Qui salvum,* inquit, *faciet populum suum Israel* (*Matth.* 1. 21). Nihil de gentibus : sed de gentibus revelat Spiritus. Atque quod vocatæ quidem essent, norant; quod autem ad eadem, et sessuræ essent in throno Dei, quis hoc exspectasset, quis credidisset? *Absconditi,* inquit, *in Deo.* Hanc autem dispensationem apertius revelat in Epistola ad Romanos. *In Deo*, inquit, *qui omnia creavit per Jesum Christum.* Recte autem creationem memoravit dicens, *Per Christum.* Nam qui omnia creavit per ipsum, hoc quoque per ipsum revelat : nihil enim sine illo fecit : nam *Sine illo*, inquit, *factum est nihil* (*Joan.* 1. 3). Dicens principatus et potestates, dixit et superiores et inferiores. *Secundum præfinitionem sæculorum.* Nunc quidem factum est, inquit, non nunc autem est præfinitum, sed multis retro actis temporibus fuit constitutum. *Secundum præfinitionem sæculorum quam fecit in Christo Jesu Domino nostro.* Hoc est, secundum præcognitionem sæculorum, ut qui futura præscivisset, futura sæcula dicit : sciebat enim futura et sic definivit. *Secundum præfinitionem sæculorum;* horum fortasse, quæ fecit in Christo Jesu : per Christum autem factum est universum. 12. *In quo*, inquit, *habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus.* Non tamquam captivi, inquit, adducti sumus, neque ut dignati venia, neque tamquam qui peccaverimus. Etenim *Fiduciam,* inquit, *habemus in confidentia,* hoc

est, confidimus. Undenam? *Per fidem ejus.* 13. *Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra.* Quomodo sunt pro ipsis? quomodo sunt gloria ipsorum? Quoniam i o sic dilexit Deus, ut etiam pro ipsis daret Filium, et servos suos male afficeret. Nam ut isti tam multa bona consequerentur, Paulus erat in vinculis. Hoc est multæ Dei in ipsos caritatis: quod etiam de prophetis dicit Deus: *Occidi eos in verbis oris mei* (*Osee.* 6 5). Quomodo autem deficiebant alio afflicto? Hoc est, perturbabantur. Hoc etiam dicit scribens ad Thessalonicenses: *Ut nemo moveatur in tribulationibus istis* (1. *Thess.* 3. 3). Non solum enim non dolendum, sed etiam est lætandum. Si enim ex prædictione accipitis consolationem, prædicimus futurum, ut hic affligamur. Quare? Quoniam Dominus sic jussit. 14. *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi,* 15. *ex quo omnis paternitas in cœlis e in terra nominatur.* Suæ pro ipsis precationis ostendit affectum. Non dixit solum, Precor, sed compunctam ostendit precationem ex eo quod flectat genua. *Ex quo omnis paternitas.* Non jam dicit secundum numerum angelorum, sed secundum eum qui fecit tribus supernas et infernas, non quales Judaicæ. 16. *Ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtutem corroborari per Spiritum ejus in interiori homine,* 17. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Vide cum quanta insatiabilitate eis bona precetur, ne circumferantur. Quomodo autem fit hoc? *Per Spiritum sanctum in interiori homine inhabitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Quomodo? *In caritate radicati et fundati,* 18. *ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo et latitudo, et sublimitas et profundum:* 19. *scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi.*

2. Quod precatus est in principio, hoc nunc quoque. Quid est autem quod dixit in principio? *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus in sanctis, et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus* (*Ephes.* 1. 17-19). Idem nunc quoque dicit: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo et latitudo, sublimitas et profundum;* hoc est, mysterium quod pro nobis dispensatum est accurate scire: hoc enim vocat latitudinem et longitudinem, profunditatem et sublimitatem: id est, magnitudinem caritatis Dei nosse, quomodo in omnem partem extensa sit. Et eam corporalibus figuris descripsit, ostendens hominem: comprehendit[1] quæ sunt supra, quæ infra, et quæ ex transverso. Diximus enim, inquit, non est autem meæ dicendi facultatis hæc docere, sed sancti Spiritus. *Hujus virtute,* inquit, *corroborari* adversus tentationes, et non labare et devios ferri. Quamobrem fieri aliter non potest ut corroboremur, quam per Spiritum et tentationes. Quomodo autem Christus habitet in cordibus, audi Christum dicentem: *Ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* 14. 23). Inhabitat autem non simpliciter, sed in cordibus fidelibus quæ radices egerunt in ejus caritate, quæ non deviæ feruntur. *Ut possitis,* inquit. Itaque magnis opus est viribus. Ubi vero talibus opus sit viribus declarat, subjungens, *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit profunditas et altitudo, et scire quæ sit supereminens caritas cognitionis Christi. Ut adimpleamur in omnem plenitudinem Dei.* Hoc autem vult significare: Quamquam caritas Christi longe superet omnem humanam cognitionem; vos tamen cognoscetis, si habeatis Christum habitantem in vobis. Neque solum hoc ex illo cognoscetis, verum et implebimini in omnem plenitudinem Dei. Ubi aut annuit, idem esse plenitudinem Dei, atque cognoscere, quomodo in Patre et Filio et sancto Spiritu Deus unus adorari debet: aut adhortatur ut serio incumbamus in id, ut omnimoda virtute, qua abundat Deus, nos impleamur. 20. *Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus secundum virtutem quæ operatur in nobis. Secundum virtutem* recte dixit: ex virtute enim ea accipimus quæ numquam speravimus. Quod autem abundantius quam quæ petimus aut intelligimus fecerit, palam est ex iis quæ ipse scribebat. Nam ego quidem, inquit, precor: ipse autem etiam sine meis precibus majora faciet quam nostræ sint petitiones; non solum majora aut abundanter, sed, *Superabundanter,* magnitudinem doni declarans. Undenam hoc liquet? Ex virtute quæ operatur in nobis. Neque enim hæc umquam petiimus, neque exspectavimus. 21. *Ipsi,* inquit, *gloria in Ecclesia in Christo Jesu in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.* Pulchre conclusit orationem precibus et glorificatione. Oportebat enim eum glorificari et benedici qui tanta præbuit. Quare hoc quoque pars est admirationis, glorificare propter ea quæ a Deo sumus adepti, per Jesum Christum. *Gloria* ejus *in Ecclesia,* recte dixit: ipsa enim sola manet in perpetuum. Quia autem ipsa semper stat, vult illum a nobis glorificari usque ad consummationem: hoc enim significavit dicens, *In omnes generationes sæculi.* Quid sint paternitates necesse est dicere. Nam hic quidem paternitates sunt genera, in cælo autem quomodo, ubi nullus ex altero est genitus? an illic cœtus vocat πατριὰς, id est gentes ac cognationes? sicut invenitur in Scriptura, πατριὰ ἀματτάρεϊ (*a*), utpote a quo patres vocantur. Non totum autem a Deo postulat, sed etiam ab ipsis fidem et caritatem: neque solum caritatem, sed radicatam et fundatam, ut neque venti eam labefaciant, neque quidquam aliud eam dejiciat. Dixit afflictiones esse gloriam: si autem meæ, multo magis vestræ.

3. Quamobrem si affligimur, non ideo deserimur:

[1] Unus Codex.... *extensa sit. Volens autem demonstrare quanta sit caritatis Dei magnitudo, corporalibus figuris illam descripsit, reipsa dicens, quod comprehendat,* etc.

(*a*) Hic suspicor legendum πατριὰ Μεραρεί. In Hebræo מוררי legitur; erat autem tribus Levitarum. Vide Num. 4 33.

non enim hoc fecerit qui tam multa est operatus. Si autem, ut discat Dei caritatem, Paulo opus est precatione et fulcro Spiritus, quis Christi sciet essentiam, sequens ratiocinia? Atqui difficilene est discere quod Deus nos diligat? Est admodum difficile, o dilecte. Nam alii quidem etiam hoc ignorant, unde etiam dicunt innumerabilia mala oriri mundo : alii autem ignorant quantum. Paulus autem non quærit quantum, neque ut dimetiatur : quomodo enim posset? sed quod hoc ipsum discere est summum et magnum : et dicit se ex hoc ipso posse ostendere, nempe ex cognitione, qua nos dignati sumus. At quid est abundantius quam corroborari? Corroborari virtute, quemadmodum etiam Christum intus habere abundantius est, quam simpliciter eum habere, i. e. simpliciter eum profiteri. Magna, inquit, sunt quæ petuntur; sed scit etiam facere quæ ipsa superant, adeo ut non solum diligamus, sed etiam valde. Meditemur igitur, o dilecti, ut Dei discamus dilectionem. Hoc magnum est : nihil nobis sic prodest, nihil nos ita compungit : hoc magis est aptum et sufficiens ad nostras capiendas animas, quam metus gehennæ. Unde vero hoc sciemus? Et ex iis quæ dicta sunt, et ex iis quæ quotidie accidunt. Quam ob causam hæc facta sunt? quid eis ipsi opus fuit? Nihil. Sive sursum, sive deorsum spectes, causam semper ponit caritatem : maxime autem illa est caritas, quando benefit hominibus, cum nihil ab eis prius sit profectum beneficii. Eum ergo nos quoque imitemur, benefaciamus inimicis, iis qui nos oderunt, iis qui nos aversantur, ad eos accedamus : hoc nos Deo reddit similes. Nam si amicum, inquit, diligas, quid inde lucraris? hoc etiam faciunt ethnici (*Matth.* 5. 46). Sed quod est indicium caritatis? Diligere eum qui oderit. Volo dicere aliquod exemplum; ignoscite mihi, non invenio in spiritualibus : quamobrem dicam ex externis. Non videtis hos qui amant? quam multis ab iis quæ amantur contumeliis, insidiis, damnis sint affecti : sunt affixi tamen, ardentque et uruntur, et eas magis amant quam suas animas, pernoctantes in illarum vestibulis? Illinc accipiamus exemplum, non ut eas amemus, meretrices, inquam, sed ut ita diligamus inimicos. Nam dic mihi, non contumeliosius in eos se gerunt quam omnes inimici? non dissipant facultates? non in os contumelias ingerunt, et eis servilius imperant quam suis ministris? Sed tamen non abscedunt. Atqui nullus talem habet hostem qualem amator amatam. Illum enim ludificatur et dissimulans irridet, et eo sæpe abutitur amica, et quo magis amatur, eo magis despicit. Atqui anima sic affecta quid est magis belluinum? Illi tamen amant. Sed fortasse etiam e spiritualibus talem inveniemus caritatem, non ex iis quidem qui nunc sunt; refrixit enim; sed ex illis viris magnis et admirandis qui fuerunt olim.

4. Beatus ille Moses hos quoque superavit qui amore capti amant. Quomodo? Primum quidem relicta regia, et quæ illic erant deliciis, obsequiis, gloria et honore, maluit esse cum Israelitis. Atqui non hoc solum non fecisset quispiam alius, sed etiam erubuisset alio arguente, quod apparuisset eum esse cognatum non modo servorum, sed eorum qui etiam existimabantur esse scelesti. Eum vero non solum non puduit cognationis, sed etiam toto animo eos ultus est, et se pro illis conjecit in pericula. Quomodo? Videns, inquit, quemdam facientem injuriam, ultus est eum cui fiebat injuria, et occidit eum qui inferebat. Sed nondum sunt hæc pro inimicis : magna quidem ea, sed non tam magna quam quæ postea fecit. Sequenti ergo die vidit idem fieri, et illum videns injuriam facientem, quem ultus fuerat (*a*), admonuit ut cessaret injuriam facere : ille autem inhumano plane et ingrato animo, *Quis te*, inquit, *constituit principem et judicem super nos* (*Exod.* 2. 14)? Quem non incendissent hæc verba? Si ergo quod prius factum est, factum esset aliqua animi indignatione et offensione, hunc quoque percussisset et de medio sustulisset : non enim ille, propter quem factum fuerat, eum detulisset. Sed quoniam cognati erant, hæc dicit. Quando ei fiebat injuria, nihil tale est loquutus, Quis te constituit principem et judicem super nos? Cur hoc et heri non dixisti? Injuria tua, inquit, et crudelitas, ipsa me constituit principem et judicem. Sed nunc observa quod Deo quoque hæc dicunt quidam, ut in eos a quibus injuria afficiuntur velint eum esse vehementem, et ejus accusent lenitatem et patientiam : quando autem injuria afficiunt, non itidem. Quid his verbis amarius? Sed tamen, cum post hæc mittitur ad ingratos et beneficii immemores, venit et non recusavit. Sed et post illa signa et post miracula quæ per ipsum facta sunt, sæpe eum sunt conati lapidibus obruere, et evasit e manibus eorum : et assidue murmurabant; sed tamen illos eo amore prosequebatur, ut Deo dixerit, cum grave illud peccatum admisissent : *Si peccatum quidem dimittas, dimitte : sin minus, me quoque dele e libro quem scripsisti* (*Exod.* 32. 31. 32). Malo, inquit, cum illis perire, quam absque illis esse salvus. Re vera est furor, re vera est magnus amor. Quid dicis? cælum despicis? Etiam, inquit; eos enim amo qui fecerunt injuriam. Deleri petis? Quid faciam, inquit? est enim amor. Quid vero quæ postea sunt consequuta? Audi quid alibi dicat Scriptura : *Et malis affectus fuit Moses propter ipsos* (*Psal.* 105. 32). Quoties eum contumeliis affecerunt? quoties destituerunt illum et fratrem? quoties quæsierunt redire in Ægyptum? et post hæc omnia excandescebat et furebat, et pro ipsis perpeti erat paratus : sic oportet diligere inimicos; laceratum et afflictum ac nihil non facientem et separatum, horum desiderare salutem. Quid vero, dic mihi, Paulus? non etiam pro ipsis petiit gehennam? Sed ab ipso Domino necesse est adducere exemplum : nam ipse quoque sic facit, dicens : *Solem suum oriri facit super bonos et malos* (*Matth.* 5. 45), a Patre suo exemplum afferens; nos autem ab ipso Christo. Venit ad ipsos, ex

(*a*) Non dicit Scriptura Hebræum illum, qui monentem se Moysem cum improperio repulit, eumdem ipsum fuisse, quem Ægyptius injuria affecerat. Sed concionans Chrysostomus aliquando memoria labitur.

dispensatione, inquam, propter ipsos factus est servus, seipsum humiliavit, evacuavit, formam servi accepit : et cum advenisset, neque ipse abiit in viam gentium, et hoc imperavit discipulis : nec hoc solum, sed et circuivit omnem morbum curans et omnem ægritudinem.

Inimicos quomodo diligere oporteat. — Quid ergo? Alii omnes stupebant et admirabantur, et dicebant : *Undenam ei hæc sint* (*Matth.* 13. 56)? ii autem quos afficiebat beneficiis, dicebant, *Dæmonium habet* (*Joan.* 10. 20), et blasphemat et insanit et est planus et deceptor (*Matth.* 9. 3. *et* 27. 63). Numquid ergo eos repulit? Nequaquam, sed eos majoribus affecit beneficiis hæc audiens, et abiit ad eos qui ipsum erant in crucem acturi, ut eos salvos faceret. Et postquam fuit crucifixus, quid dicit? *Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* 23. 34). Et antea male passus, et postea male passus, ad extremum usque spiritum pro ipsis omnia agebat, pro ipsis orabat. Et post crucem quid non pro eis fecit? nonne misit apostolos? non signa fecit? non quidvis movit? Sic oportet diligere inimicos, sic imitari Christum. Sic fecit Paulus : lapidibus appetitus, passus innumerabilia, pro ipsis agebat omnia. Audi eum dicentem : *Voluntas cordis mei et obsecratio fit pro illis ad salutem;* et rursum, *Testimonium enim illis perhibeo, quod æmulationem Dei habent* (*Rom.* 10. 1. *et* 2); et iterum : Si tu ex naturali excisus oleastro insertus es (*Rom.* 11. 17), quanto magis isti inserentur suæ oliviæ? Ex quanto amore hæc verba dici existimas, ex quanta benevolentia? Non potest dici, non potest. Sic oportet inimicos diligere : hoc est Deum diligere qui jussit, qui legem dedit; illum imitari est diligere inimicum. Cogita quod non inimico benefacis, sed tibi : non illum diligis, sed Deo obedis. Hæc ergo cum sciamus, confirmemus inter nos amicitiam, ut cum nos in ea exacte gesserimus, assequamur bona promissa in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri simul cum sancto Spiritu gloria potentia, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

Cap. 4. v. 1. *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine.*

1. Doctorum est virtus, non honorem, non gloriam quærere ab iis quibus imperant, sed ipsorum salutem, et pro ea re omnia facere. Nam qui illud quærit, non fuerit doctor, sed tyrannus. Non enim Deus propterea te iis præfecit, ut tu magis colaris et observeris, sed ut tua quidem negligantur, quæ vero sunt illorum omnia ædificentur. Hoc doctoris est : talis erat beatus Paulus, liber ab omni fastu; ita autem erat affectus ut esset quidem unus ex multis, imo etiam illorum minimus. Propterea et se vocat servum, et plurima tamquam supplicans loquitur. Itaque vide eum nunc quoque nihil scribere imperiosum, nihil quod præ se ferat auctoritatem, sed quod sit contractum ac demissum : *Obsecro itaque vos,* inquit, *ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis.* Quid rogas, dic quæso? ut ipse aliquid assequaris? Nequaquam, inquit, sed ut aliis salutem afferam. Atqui qui rogant, rogant quæ assequi ipsorum interest. Et mea, inquit, hoc interest : sicut etiam alibi scribens dicebat : *Nunc vivimus, si vos stetis in Domino* (1 *Thess.* 3. 8). Semper enim valde desiderabat salutem suorum discipulorum. *Ego vinctus in Domino.* Magna et quæ vim magnam habet dignitas, et regno et consulatu et quibusvis aliis major.

Diadema Imperatorum. Vinctum esse pro Christo majus putatur, quam sedere a dextris ejus. — Quod quidem dicit etiam scribens ad Philemonem : *Cum sim Paulus senex, nunc autem vinctus in Christo* (*Philem.* 9). Nihil est enim æque præclarum atque vincula propter Christum, atque catenæ sanctis illis manibus impositæ. Vinctum esse propter Christum est præclarius quam esse apostolum, quam esse doctorem, quam esse evangelistam. Si quis amat Christum, novit quod dicitur : si quis in Dominum insanit et ejus amore uritur, novit vim vinculorum. Maluerit esse vinctus propter Christum quam habitare cælos. Quovis auro splendidiores eis ostendebat manus, et quovis regali diademate. Non enim tam splendidum facit caput vitta ex gemmis composita ei imposita, quam catena ferrea propter Christum. Tunc erat regiis ædibus carcer præclarior. Quid dico regiis ædibus? ipso quoque cælo : habebat enim vinctum Christi. Si quis Christum diligit, novit hanc dignitatem, novit hanc virtutem, novit quantum generi hominum sit gratificatum, quod propter ipsum sit vinctus. Hoc fortasse est præclarius, quam sedere a dextris ejus : hoc est magnificentius, quam sedere super duodecim sedes, vinctum esse propter Christum. Et quid dico de rebus humanis? me pudet conferre divitias et ornatum aureum cum vinculis. Sed magna illa missa faciens, etiam si res nullam haberet mercedem, hoc solum est magna merces et sufficiens remuneratio, hæc gravia pati propter eum qui amatur. Sciunt quod dicitur qui amant, si non Deum, at homines : qui magis lætantur si male patiuntur pro iis quos amant, quam si honorentur. Hoc sancti chori solum est intelligere, apostolorum, inquam. Audi enim beatum Lucam dicentem, *Redibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati* (*Act.* 5. 41). Atque aliis quidem videtur esse ridiculum, si probro et contumelia esse affectum, sit esse dignitatem assequutum, si probro esse affectum, sit lætari : iis autem qui sciunt Christi desiderium, hoc esse existimatur omnium beatissimum. Si quis mihi offerret totum cælum, aut illam catenam, ego illam præferrem : si quis me apud superos collocaret cum angelis, aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem : si quis me faceret unum ex Potestatibus quæ sunt circa cælos, aut circa thronos, aut talem

esse vinctum, potius optarem talis esse vinctus. Et jure quidem : nihil enim est illa catena beatius. Vellem nunc esse in illis locis, in quibus dicuntur manere illa vincula, et videre, virosque illos admirari propter Christi desiderium : vellem videre catenas, quas pertimescunt quidem et horrent dæmones, reverentur autem angeli. Nihil est melius quam male pati propter Christum. Non tam beatum prædico Paulum quod raptus sit in paradisum, quam quod conjectus sit in carcerem : non tam enim dico beatum quod audierit arcana verba, quam eum censeo beatum propter vincula : non tam beatum dico quod raptus sit in tertium cælum, quam propter illa vincula. Nam quod hæc illis sint majora, audi quomodo ipse quoque noverit. Neque enim dixit : Rogo vos ego qui verba audivi ineffabilia ? sed quid ? *Rogo vos ego vinctus in Domino.*

2. Si hoc autem non omnibus adscribit epistolis, non est mirum : non enim semper fuit vinctus, sed quibusdam temporibus. Mihi est optabilius male pati pro Christo, quam honorari a Christo. Hoc magnus est honor, hoc est gloria quæ omnia exsuperat. Si ipse qui propter me factus est servus, et evacuavit gloriam, non adeo existimabat se esse in gloria, ut quando pro me agebatur in crucem, quid me non oportet pati ? Audi enim ipsum dicentem : *Glorifica me*, inquit, *tu Pater* (*Joan.* 17. 1). Quid dicis ? in crucem ageris, ut exsecratorum mortem subeas cum latronibus et sepulcrorum effossoribus ; es conspuendus et colaphis cædendus, et hæc vocas gloriam ? Certe, inquit ; hæc enim patior pro iis quos diligo, et hæc nunc gloriam existimo. Si qui miserabiles et miseros dilexit, eam rem vocat gloriam, neque in throno esse paterno neque in gloria, sed in ignominia esse et dedecore erat gloria, et hoc illi præferebat ; multo magis ego hæc debeo existimare gloriam. O beata vincula ! o beatas manus quas ornavit illa catena ! Non erant adeo honorandæ Pauli manus, quæ claudum qui erat Lystris erexerunt et fecerunt surgere (*Act.* 14), ut quæ indutæ erant vinculis. Si ego fuissem illis temporibus, tunc maxime eas essem amplexus, et pupillis meis admovissem : non cessassem deosculari manus, quæ dignæ sunt habitæ quæ pro Domino meo vincirentur. Admiraris Paulum quando ejus manum tetigit vipera, et nihil ei fecit ? Ne mireris : reverita enim fuit catenam ; totam etiam mare eam reverebatur ; tunc enim erat vinctus. Si quis mihi dederit nunc ut suscitem mortuos, non hoc elegerim, sed catenam. Si ab ecclesiasticis curis essem remotus, et esset mihi corpus sanum ac validum, non recusarem hanc suscipere peregrinationem, ut solum viderem catenas, ut carcerem in quo fuit vinctus. Atqui ejus miraculorum multa multis in locis sunt signa, sed non sunt tam desiderabilia quam stigmatum. Et in Scripturis non ita me delectat cum facit miracula, quam dum male patitur, flagris cæditur, atque raptatur. Vere mirabilia sunt illius corporis sudaria et semicinctia quæ stupenda patrant : sunt hæc vere mirabilia, sed non ut illa. *Cum illum ceci dissent, et multas plagas ei imposuissent, miserunt in carcerem ;* et rursus, *Vincti laudabant Deum ;* et rursus, *Lapidantes traxerunt eum extra civitatem, existimantes eum mortuum esse* (*Act.* 16. 25. *Ibid. v.* 25 *et* 14. 8).

Propter Christum pati bonis omnibus majus est. — Vultis scire quanta res sit catena ferrea propter Christum in corpus servile injecta ? audite ipsum Christum dicentem, *Beati estis.* In quo ? cum mortuos suscitaveritis ? Neque quam ; sed in quo ? quando cæcos curaveritis ? Minime ; sed in quonam ? *Quando probris vos affecerint homines, et persecuti fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me* (*Matth.* 5. 11). Si autem male audire sic beatos efficit, male pati quid non fecerit ? Audi ipsum beatum Paulum dicentem alibi : *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ* (2. *Tim.* 4. 8). Sed hac corona præclarius est vinculum : Eo me, inquit, dignabitur, et de illis non accurate discepto. Ad omnem remunerationem mihi sufficit male passum esse propter Christum. Det mihi ut illud eloquar : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea* (*Col.* 1. 24), et nullius egeo. Dignus quoque est habitus Petrus hac catena : Erat enim, inquit, vinctus et traditus militibus, et dormiebat (*Act.* 12. 4-6). Adeo gaudebat nec alterabatur, ut profundus eum teneret somnus : non dormisset, si in magna fuisset sollicitudine. Dormiebat inter milites, et venit ad eum angelus, et percusso ejus latere eum excitavit. Si quis ergo mihi diceret : Quid malles, an esse angelus qui Petrum pupugit, an Petrus qui salvus evasit ? mallem esse Petrus propter quem venit angelus. Illa mihi prodessent vincula. Et quomodo, inquit, precatur, tanquam liberatus a magnis malis ? Ne mireris : precatur enim timens ne moriatur : timebat autem mori, quod adhuc vellet vitam esse perpessionis argumentum et materiam. Audi itaque quid ipse dicat beatus Paulus : *Dissolvi et cum Christo esse multo melius ; permanere autem in carne magis necessarium propter vos* (*Philipp.* 1. 23. 24). Hoc etiam vocavit gratiam, scribens : *Vobis*, inquit, *donatum est a Christo, ut non solum in eum credatis, sed etiam pro eo patiamini* (*Ib. v.* 29). Quamobrem hoc illo est majus ; donavit enim. Revera est maxima gratia, et major illis omnibus, quam solem et lunam sistere, quam mundum movere : hoc majus quam vincere aut expellere dæmones. Non illi tam dolent, dum fide expelluntur a nobis, ut quando viderint nos mali aliquid pati propter Christum et vinciri : hoc enim majorem dat libertatem et fiduciam. Non propterea bonum est vinctum esse propter Christum, quod ea res regnum conciliet, sed quod eo fiat propter Christum : non propterea beata prædico vincula quod transmittant in cælum, sed quod ea sint propter Dominum cæli.

3. Quanta est gloriatio scire quod propter Christum sit vinctus, quanta voluptas, quantus honor, quantus splendor ? Vellem hæc perpetuo efferri, vellem hærere catenæ, vellem etsi reipsa sum privatus, at ratione per affectionem animam ea circumdare,

Terræ motu concussus est carcer vincto Paulo, et sunt omnia relaxata vincula (*Act*, 16. 26). Vidisti vinculorum naturam resolventem vincula ? Sicut enim mors Domini morte mortem affecit, ita etiam Pauli vincula vinctos solverunt, carcerem concusserunt, portas aperuerunt. Atqui non est hæc vinculorum natura, sed contraria, nempe vinctum tuto tenere in custodia, non ei aperire parietes. Sed vinculorum quidem non est absolute hæc natura, sed vinculorum quæ sunt propter Christum. Custos carceris procidit ad pedes Pauli et Silæ. Sed neque hoc absolute faciunt vincula, ut eos qui vinxerunt ducant ad pedes victorum, sed contra hos illis reddant subjectos. Nunc autem is, qui erat solutus, procubuerat ad vincti pedes : qui vinxerat, rogabat vinctum ut solveretur metu. Non tu eum vinxisti, dic mihi ? non tu eum in interiorem conjecisti custodiam ? non tu compedibus in tuto collocasti pedes ? quid contremiscis ? Quid tumultuaris ? quid lacrymaris ? quid strinxisti ensem ? Nihil tale, inquit, vinxi : nesciebam tantam esse virtutem vinctorum Christi. Quid dicis ? acceperunt potestatem cælos aperiendi, et carcerem non erant aperturi? solvebant eos qui vincti erant a dæmonibus, et ferrum eos erat superaturum ? Non nosti viros, et ideo veniam es consequutus. Paulus est ille vinctus, quem angeli omnes sunt reveriti : Paulus est, cujus sudaria et semicinctia dæmones expellebant et morbos fugabant. Atqui ferro est multo magis adamantinum, et quod frangi non potest, dæmonis vinculum : nam hoc quidem animam, illud vero ligat corpus. Qui vinctas ergo solvit animas, corpus suum non potuit solvere? qui dæmonum perfringit vincula, ferri non solverit ligamen? qui per suas vestes illos solvebat vinctos et liberabat a dæmonibus, ipse per se seipsum non solverit ? Propterea ipse primum fuit vinctus, et tunc solvit vinctos, ut discas quod Christi servi vincti longe majorem vim habent, quam qui soluti sunt. Si solutus hoc fecisset, non tam fuisset mirum. Non erat itaque vinculum imbecillitatis, sed majoris potentiæ. Sic enim sancti præclarior virtus ostenditur, quando etiam vinctus dominatum obtinet in vinctos, cum etiam vinctus non solum seipsum, sed etiam vinctos solvit. Quid juvant parietes ? quid prodest eum in interiorem conjicere custodiam, cum etiam aperuerit exteriorem ? Cur id autem noctu, et cur cum terræ motu factum est ? Parum mihi concedite et permittite, ut dum a verbis abscesserim apostolicis, et in factis apostolicis me expleverim deliciis, in Pauli catena convivari : date mihi in ea paulo amplius versari. Apprehendi vinculum, nemo me abducet. Tutius ego nunc sum vinctus desiderio, quam ille tunc ligno. Hoc nemo solvit vinculum ; est enim a Christi desiderio : hoc neque angeli, neque regnum cælorum potest solvere. Lcet audircipsum Paulum dicentem : *Neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia neque futura, neque altitudo neque profundum potest nos separare a caritate Christi.* (*Rom.* 8.39).

De custode carceris, in quo Paulus erat vinctus. — Quanam ergo de causa factum est hoc media nocte ? quare etiam cum terræ motu ? Audite Dei dispensationem, et admiramini. Omnium sunt soluta vincula, et portæ sunt apertæ. Sed hoc solum factum est propter custodem carceris ; non ad ostentationem, sed ad salutem. Nam quod vincti nescirent se esse solutos, est perspicuum ex voce Pauli. Quid enim dicit ? Clamavit voce magna dicens : *Nihil tibi mali facias, omnes enim hic sumus* (*Act.* 16. 28). Non fuissent autem omnes intus, si scivissent portas esse apertas, et se solutos. Nam qui muros perfringunt, tectaque et suggrundia transiliunt, et nihil non audent etiam cum vinculis, non tolerassent et vinculis solutis et portis apertis intus manere, dormiente ipso custode carceris. Sed pro ferreis vinculis erat eis somni vinculum. Quo factum est ut et id fieret, nec ex miraculo ulla noxa rediret; ad custodem carceris, qui erat salvus futurus. Et alioqui etiam maxime noctu ligantur qui sunt vincti, non interdiu. Licebat ergo tunc diligenter videre rursus vinctos et dormientes. Si hæc autem interdiu facta essent, magnus ortus esset tumultus. Cur ergo terræ motu concussus fuit carcer ? Ut surgeret custos carceris ad rei spectaculum : is enim solus dignus erat salute.

4. Tu autem mihi vide Christi summam gratiam. Nam inter Pauli vincula, Christi quoque gratiæ meminisse pulchrum et honestum : imo vero ea quoque erant Dei gratiæ. Sunt enim qui reprehendunt quod salvus fuerit custos carceris, et pro quibus admirari oportebat Dei clementiam, ex iis ipsis vituperant : nec mirum. Imbecilli enim et ægroti sunt hujusmodi, qui etiam alimentum vituperant, quod oporteret admirari, et mel dicunt esse amarum. Et qui cæcutiunt, ex eo obtenebrantur ex quo deberent illuminari, cum hæc accidant non ex rerum natura, sed ex imbecillitate eorum qui eis uti non possunt, ut oportet. Quid ergo dicebant? Cum oporteret admirari quod eum cepisset qui ad extremum prolapsus erat vitium, et fecisset meliorem, dicunt : Quomodo non arbitratus est eam rem esse præstigiarum et incantationis, et non eos magis retinuit, et clamavit? Ad hoc multis usus est conjecturis : primum quidem, quod audivit eos Deum laudantes et hymnos cantantes : ejusmodi autem hymnos non cecinissent, si fuissent præstigiatores : Audivit enim, inquit, eos Deum laudantes (*Act.* 16. 25). Secundo autem, quod ipsi non aufugerunt, sed etiam prohibuerunt ne se interficeret : si autem propter se hoc fecissent, non intus mansissent, sed se prius exemissent. Magna autem est etiam eorum humanitas : prohibuerunt ne se interficeret, qui ipsos valide ac similiter ligaverat. Ac si dixissent illi : Firmiter et acriter nos vinxisti, ut ipse esses solutus ab acerbissimis vinculis. Catenis enim suorum peccatorum unusquisque constringitur. Nam illa quidem sunt exsecranda vincula. Hæc autem beata et valde optanda. Nam quod hæc illa solverint, ostendit ex sensibilus. Vidisti eos solutos qui ferro fuerant vincti ? Videbis te quoque ipsum relaxatum ex aliis gravibus vinculis. Hæc vincula, vinctorum, inquam, vincula, non Pauli, faciunt illa vincula peccatorum. Erant duo genera

eorum qui erant intus vincti: ipse quoque custos carceris erat vinctus. Nam illi quidem ferro vincti fuerant et peccatis, hic autem solis peccatis. Illos solvit Paulus, ut de hoc redderet certiores ; erant enim aspectabilia vincula. Ita etiam fecit Christus, imo vero contra. Illic duplex erat paralysis. Quænam autem ea? Peccatorum et corporis. Quid ergo facit? *Confide*, inquit, *fili, remittuntur tibi peccata* (*Matth.* 9. 2). Prius solvit eam quæ vere erat paralysis, deinde ad hanc accedit. Quando enim *Quidam ex scribis dicebant apud se, Iste blasphemat, sciens Jesus eorum cogitationes, dixit: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere, Remittuntur tua peccata, an dicere, Surge et ambula? Ut autem sciatis quod potestatem habet Filius hominis remittendi peccata in terra, dicit paralytico, Surge, et tolle lectum tuum, et vade in domum tuam* (*Id. v.* 3-6). Ex hoc quod est sensile, confirmavit id quod cadit sub intelligentiam, ut qui ex corporali fecerit id quod est in anima. Cur autem hoc fecit? Ut impleretur quod dictum est, *Serve nequam, ex ore tuo te judico* (*Luc.* 19. 22). Quid illi dixerunt? Nemo potest remittere peccata nisi solus Deus, neque angelus, neque archangelus, neque alia potestas creata. Vos hoc confessi estis. Quid ergo oporteret dicere? Si ostensum fuerit quod solvo peccata, palam est me esse Deum. At non sic dixit, sed quid? *Ut sciatis quod Filius hominis habet potestatem super terram remittendi peccata, tunc dicit paralytico, Surge, et tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.* Quando ergo, inquit, quod est difficilius fecero, palam est de eo quod est facile nullam relinqui contradictionem. Propterea ille prius fecit id quod cadit sub intelligentiam, quoniam multi erant qui contradicebant: hic autem ab eo quod cadit sub intelligentiam, redegit ipsum ab sensile. Levitatis ergo non erat fides. Vidit vinctos, et nihil mali vidit nec audiit : vidit id non fuisse factum præstigiis et incantatione ; Deum enim laudabant : vidit omnia facta esse ex multa humanite ; non enim ulti sunt, etsi poterant. Poterant enim vinctis solutis abire ; si non vinctis, saltem seipsis ; sed non fecerunt. Quamobrem eum sunt reveriti, non solum ob miraculum, sed etiam ob mores. Quomodo exclamavit? Voce magna dicens, *Nihil tibi mali feceris; omnes enim hic sumus.* Vides inani gloria et fastu vacuum, amore ferventem. Non dixit, Propter nos hæc facta sunt, sed tanquam unus ex vinctis dicit: *Omnes enim hic sumus.* Atqui etiamsi non prius, neque per miraculum se solvissent, at eis licuisset tacere, et omnes etiam vinctos solvere. Si enim siluissent, et non per magnam vocem ejus manus cohibuissent, per guttur ensem transadegisset. Propterea etiam clamavit, quoniam in interiorem carcerem erat conjectus : Contra te, inquit, hoc fecisti, interius conjectis iis qui te erant liberaturi a periculo. Sed non sunt imitati quæ ab illo facta fuerant. Illo autem mortuo omnes effugissent.

5. Vidisti quod maluerint esse vincti, quam illum pereuntem despicere. Apud se ideo cogitavit : Si essent præstigiatores, certe et illos solvissent, et seipsos liberassent a vinculis est enim verisimile multos quoque tales fuisse injectos. Alioquin autem, cum sæpe accepisset præstigiatores, et nihil tale factum esse videret, miratus est. Præstigiator non concussisset fundamenta carceris, ut ejus custodem excitaret, et efficeret ut sibi fuga esset difficilior. Sed jam videamus fidem custodis carceris. *Petito*, inquit, *lumine introgressus est, et tremefactus procidit Paulo et Silæ ad pedes; et producens eos foras dixit, Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam* (*Act.* 16. 29. 30)? Ignem tenebat et gladium, et dicit, *Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? At illi dixerunt : Crede in Dominum Jesum, et salvus eris tu, et domus tua* (*Ib. v.* 31). Hoc non est, inquit, præstigiatorum, tale decretum tradere : nusquam hic memoria dæmonis. Vides quam sit ille dignus qui fiat salvus? Nam cum vidisset miraculum, et metu esset liberatus, non est oblitus eorum quæ erant conducibilia, sed in eo periculo curam gerebant salutis animæ, et accessit ad doctores ita ut oportuit accedere ; et procidit ad eorum pedes. *Et loquuti sunt*, inquit, *ei verbum Domini, et omnibus qui erant in domo ejus. Et tollens eos in illa nocte, lavit plagas eorum, et baptizatus est ipse et omnis ejus domus continuo* (*Ibid. v.* 32. 33). Vides viri fervorem? Non distulit, non dixit, Fiat dies, videamus, consideremus; sed magno fervore et ipse et tota ejus domus fuit baptizata : non autem ut nunc plurimi despiciunt et servos et uxores ac liberos mysteriis non initiatos. Sitis, rogo, ut custos carceris : non auctoritate dico, sed instituto. Quid enim prodest auctoritas, si voluntas et institutum sit imbecillum? Papæ, qui erat crudelis, qui immitis, qui vivebat cum malis hominibus innumerabilibus, qui hoc semper meditabatur, adeo humanus, adeo sollicitus repente evasit! *Lavit*, inquit, *plagas eorum.* Considera rursus etiam Pauli fervorem : vinctus, flagellatus ita evangelizabat. O beatam catenam! qualis fuit illa nocte ejus parturitio? quales peperit filios? De iis dici potest : Quos genui in meis vinculis. Vides quomodo exsultet, et vult filios, qui nati sunt ex hoc, esse splendidiores? vides vinculorum quanta sit potentia, cum non solum eum qui est illis circumdatus, sed etiam eos quos ille eo tempore peperit, reddat splendidiores? Habent aliquid amplius, qui nati sunt in vinculis Pauli : non dico in gratia ; est enim eadem gratia; nec in remissione; est enim eadem omnium remissio : sed quod a proœmiis docentur de ejusmodi rebus lætari et exsultare. *Et tollens*, inquit, *eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum, et baptizatus est.* De cætero autem vide fructum : pro iis statim reddidit carnalia. *Cumque perduxisset*, inquit, *eos in domum suam, statim apposuit eis mensam, et lætatus est cum tota domo quod credidisset Deo.* Quid enim non erat facturus, cælo ei aperto per apertionem januarum carceris? Lavit doctorem, mensam apposuit, et exsultavit. Ingressa est in carcerem catena Pauli, et quæcumque illic erant fecit ecclesiam, et Christi corpus omnes fecit, et mensam apposuit spiritualem, et eos fœtus est enixus quibus gaudent angeli. Num te-

mere dicebam carcerem esse cælo splendidiorem? Ejus enim quæ illic est lætitiæ hic fuit causa. Si enim propter unum peccatorem pœnitentiam agentem gaudium est in cælis (*Luc.* 15. 7) : si ubi duo sunt congregati in nomine ejus, illic est Christus in medio eorum (*Matth.* 18. 20) : ubi est Silas et Paulus et custos carceris et tota ejus domus et tanta fides, multo magis. Vide vehementiam fidei. Sed hic carcer mihi revocavit in memoriam alium carcerem. Quemnam autem? Ubi erat Petrus. At illic nihil fuit ejusmodi ; sed traditus fuerat custodiendus quatuor quaternionibus militum (*Act.* 12. 4) ; et hymnos non canebat, nec vigilabat, sed dormiebat ; et neque fuerat flagris cæsus, sed majus erat periculum. Nam hic quidem totum jam erat confectum, et pœnas dederant : illic autem nondum. Quare etsi nondum erant plagæ inflictæ, at futuri exspectatio eos conturbabat. Vide etiam illic miraculum. *Ecce angelus Domini adstitit, et lumen refulsit in habitaculo : percussoque latere Petri, excitavit eum dicens : Surge velociter. Et statim ceciderunt catenæ de manibus ejus* (*Ib. v.* 7). Ne existimaret rem esse solum lucis, et Petrum pupugit. Nemo autem videbat lucem nisi ipse solus, et existimabat esse visum : sic qui dormiunt non sentiunt Dei beneficia. *Dixit autem*, inquit, *ei angelus : Præcingere, et calcea te sandalia tua. Et fecit sic. Et dicit ei : Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me. Et egressus sequutus est eum : et nesciebat quod verum esset quod fiebat per angelum : existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem per primam et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum : et continuo discessit angelus ab eo* (*Ib. v.* 8-10).

6. *Cur Deus permiserit ut, qui Petrum custodiebant in carcere, occisi fuerint.* — Cur hic non factum est id quod in Paulo et Sila? Quod illic quidem eos erant absoluturi; propterea noluit eos sic solvi : in beato autem Petro, ad mortem eum erant educturi. Quid vero, inquit, annon fuisset mirabilius, si eductus et traditus in manus regis, tunc ereptus esset ex ipsis mediis periculis, et nihil esset perpessus? sic enim neque periissent milites. Magna hic mota est quæstio. Deus suum, inquit, servum servavit cum aliorum cruciatu, cum aliorum interitu. Quid ergo dicemus? Primo quidem non cum servavit cum aliorum interitu; secundo, non fuit hoc ex rei dispensatione, sed ex immanitate judicis. Quomodo? Deus enim sic rem administravit ac dispensavit, ut non solum hi non perirent, sed ille etiam salvus esset ; sicut etiam hic quoque in custode carceris ; ille autem non est usus dono ut oportuit. *Facta autem die*, inquit, *erat non parva turbatio inter milites quidnam factum esset de Petro* (*Ib. v.* 18). Quid postea? Herodes rem facit examinari, et de iis facta inquisitione, jussit abduci. Nam si non inquisisset, aliqua esset excusatio : nunc autem produxit, examinavit, didicit eum fuisse vinctum, carcerem esse clausum et tutum, custodes ante portas fuisse, nec fuisse effossos parietes, nec fores apertas, nec ullum aliud esse signum sceleris. Ex hoc autem oportebat Dei admirari potentiam, quæ ex mediis ipsum eripuerat periculis, et adorare eum qui hæc potuerit : ille vero jussit eos abduci. Quænam est ergo culpa hic Deo imputanda? Nam si effecisset ut murus perfringeretur, et sic ejecisset, forte existimasset id esse adscribendum eorum negligentiæ : si autem rem sic administravit et dispensavit, ut ostenderetur eam non esse humani sceleris ac maleficii, sed divini miraculi, cur hoc fecit? Si enim erat fugiturus, ita fugisset ut habuit catenas : si erat fugiturus conturbatus, non tantæ ei fuisset curæ ut acciperet sandalia, sed ea dimisisset. Nunc autem propterea dicit ei angelus, *Induere sandalia*, ut discerent quod eam rem non fecisset fugiens ; sed in magno otio et quiete. Nam cum esset vinctus, et inter duos milites, non tantum ei fuisset otii, ut solveret catenas, idque cum esset in interiori custodia. Judicis ergo injustitiæ est adscribendum custodum supplicium. Nam cur hoc non fecerunt Judæi? Memini enim alterius carceris, illius quidem prioris qui Romæ, hujus etiam qui Cæsareæ, nunc autem ejus qui fuit Jerosolymis. Nam cum pontifices et Pharisæi audivissent ab iis quos ipsi miserant ad educendum Petrum, se nullum intus invenisse, sed etiam portas clausas esse, et custodes stantes pro foribus ; cur custodes non interemerunt, sed dubitabant quidnam de iis fieret (*Act.* 5)? Si autem adversus eos licet cædem valde spirantes, nihil tale cogitarunt, multo magis tu qui omnia facis ad illorum gratiam. Propterea eum statim insequuta est pœna. Si autem ejus rei culpam in Deum confers, confer etiam in eum culpam de iis qui in viis jugulantur, et de innumerabilibus aliis qui injuste perimuntur, et de pueris etiam qui propter Christum sunt perempti : nam ut illi quoque, ut tu dicis, perimerentur, Christus in causa fuit. Imo vero non Christus, sed furor et tyrannis patris Herodis. Si autem dicis : Cur eum non rapuit e manibus Herodis? hoc quoque poterat facere, sed ex eo nihil esset lucratus. Nam quoties evasit Christus ex manibus eorum? quid hoc ergo profuit ingratis? At hic ex iis quæ facta sunt, at fideles multa redit utilitas : nam dum fierent monimenta, et ipsi inimici iis quæ gerebantur ferrent testimonium, minime suspectum erat testimonium. Sicut ergo illic quoque non aliunde eis fuit os obstructum, quam ex eo quod qui venerant confiterentur ea quæ facta fuerant : ita etiam hic. Cur enim nihil ejusmodi fecit custos carceris? Atqui quæ usuvenerant Herodi, non erant minora iis quæ huic usuvenerunt. Nam rescivisse quod clausis januis vinctus exiisset ad stuporem incutiendum non minus erat, quam vidisse apertas januas : imo illud etiam visio esse videri poterant ; hoc autem non ita, dum accurate et exacte renuntiatur. Quamobrem hic quoque si fuisset malus, interfecisset Paulum, sicut ille milites : sed non erat. Si autem confutare vellemus eos qui dicunt, cur Deus permiserit pueros interfici, longior foret oratio, quam initio institueramus.

7. Nunc autem Pauli catenæ multis actis gratiis, finem imponamus orationi, quod tam multorum nobis bonorum fuerit causa, cum vos rogaverimus ut non solum non ægre feratis, si quid passi fueritis propter Christum, sed etiam gaudeatis sicut apostoli, et gloriemini, ut dicebat Paulus, *Lubentissime gloriabor in infirmitatibus meis.* Propterea audivit, *Sufficit tibi gratia mea* (2. *Cor.* 12. 9). Paulus gloriatur propter vincula, et tu propter divitias altum sapis? apostoli gaudebant quod digni essent habiti qui flagris cæderentur, et tu otium quæris et delicias? Quomodo ergo vis eadem quæ illi consequi, cum hic gradiaris via eis contraria? *Et nunc*, inquit, *vado in Jerusalem alligatus spiritu, quæ in ea ventura mihi sunt ignorans: nisi quod Spiritus sanctus per omnem civitatem mihi protestatur dicens, quod vincula et tribulationes me manent* (*Act.* 20. 22. 23). Cur ergo vadis, si vincula et afflictiones te manent? Propter hoc ipsum ut vinciar propter Christum, ut moriar propter ipsum. Non solum enim paratus sum vinciri, sed etiam mori pro nomine Domini nostri Jesu Christi.

Paulus in vinculis et malis gloriabatur. — Nihil est illa anima beatius. In quibusnam gloriatur? In vinculis, in afflictionibus, in catena, in stigmatibus. *Ego stigmata Domini Jesu Christi in corpore meo porto* (*Gal.* 6. 17), tamquam magnum aliquod tropæum; et rursus, *Propter Israel*, inquit, *catena hac circumdatus sum* (*Act.* 28. 20); et rursus: *In quo legatione fungor in catena* (*Eph.* 6. 20). Quid hoc ergo est? non te pudet? non extimescis, totum orbem terræ vinctus circumiens? non metuis ne quis Deum tuum accuset imbecillitatis? ne quis propterea non accedat? Non sunt, inquit, talia mea vincula: sciunt etiam splendere in aulis regum. *Ita ut vincula mea*, inquit, *manifesta fierent in omni prætorio, et plures e fratribus in Domino confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui* (*Philipp.* 1. 13. 14). Viden' vinculorum vim magis, quam in resurrectione mortuorum? Vinctum viderunt, et magis confidunt. Ubi enim sunt vincula, illic quoque ut magni aliquid factum sit necesse est: ubi afflictio, illic quoque omnino est salus, omnino illic est relaxatio, illic omnino sunt præclara et ex virtute gesta facinora. Nam diabolus quando calcitraverit, tunc feritur: quando vinxerit Dei servos, tunc maxime crescit verbum. Vide autem hoc ubique fieri. Vinctus fuit, et hæc fecit in carcere: *In* ipsis enim, inquit, *vinculis meis* (*Ibid.* 1. 7). Vinctus fuit Romæ, et plures induxit: non enim ipse solus confidebat, sed etiam alii multi per ipsum. Vinctus fuit Jerosolymis, et vinctus concionans regem obstupefecit, et timore affecit præfectum: nam timore perculsus, eum absolvit; nec eum qui vinxerat puduit a vincto discere de futuris. Vinctus navigabat, et solvit naufragium, et vinxit tempestatem. Cum esset in vinculis, illum tetigit bestia, et eo minime læso cecidit. Vinctus est Romæ, et vinctus concionatus attraxit innumerabiles, præ omnibus hoc ipsum proponens, nempe catenam.

Contra avaros et plura habendi cupidos. — Sed non licet nunc, inquit, vinciri catenis. Sed alia est catena si velimus. Quænam autem hæc est? Manus continere, ad avaritiam et plura habendi cupiditatem non esse paratos. Hæc catena nos ipsos vinciamus: pro ferro sit nobis timor Dei. Solvamus eos, qui vincti sunt, a paupertate, ab afflictione. Non sunt paria aperire portas carceris, et inclusam relaxare animam: non sunt paria, vinctorum solvere vincula, et contritos absolvere in remissione. Hoc illo est majus: nam illius quidem nulla est merces proposita, hujus autem innumerabiles. Longa fuit Pauli catena, et diu multumque nos tenuit: est enim revera longa, et quavis catena aurea honestior. Ipsa vinctos veluti quadam machina trahit ad cælum, et tamquam catena aurea suspensa ad cælum sursum trahit: et quod est mirandum, inferne vincta vinctos sursum trahit. Atqui non est hæc rerum natura; sed quando Deus administrat ac dispensat, ne quæras rerum naturam, neque consequentiam, sed quæ sunt supra naturam et consequentiam. Discamus in afflictionibus non dejici, nec ægre ferre. Vide enim hunc beatum: flagris cæsus fuerat et valde cæsus; *Multas* enim, inquit, *plagas ei imponentes* (*Act.* 16. 23): et vinctus fuerat, idque rursus valde; in interiorem enim custodiam eum injecit, idque firmiter et ut esset in tuto. Et cum in tam multis esset difficultatibus, media nocte, quando etiam dormiunt qui valde sunt experrecti, imposito etiam majori vinculo, nempe somno, canebant et laudabant Dominum. Quid his animis fuerit magis adamantinum? Cogitabant quod pueri quoque canebant in igne et in fornace: fortasse reputabant dicentes, Nos nihil adhuc tale passi sumus. Sed recte se gerens oratio, nos ad alia rursus abduxit vincula et alium carcerem.

8. Quid agam? volo tacere, sed non possum. Alium inveni carcerem illo admirabiliorem, et qui majorem affert stuporem. Sed nunc mihi exsurgite, tamquam nunc incipiat oratio, vegetisque nunc accedite animis. Volo cœptam interrumpere orationem; ea vero non sinit. Nam ut quis, dum bibit, non passus fuerit interrumpi, quidquid ei renuntietur: ita ego quoque apprehenso admirabili carceris poculo eorum qui vincti sunt propter Christum, non possum cessare, non possum silere. Nam si ipse in carcere et nocte non siluit, nec in flagellis: ego silebo sedens cum sit dies, et in multo otio loquens et quiete, cum hoc non usuvenerit iis qui vincti, qui flagris cæsi fuerant, et media nocte?

De tribus pueris. — Pueri non silebant in fornace et igne (*Dan.* 3), et nos non pudebit silere? Videamus ergo hunc carcerem. Hic quoque vincti sunt; sed statim ab exordio ostendebatur quod non essent urendi, sed quasi intraturi in carcerem. Cur autem eos ligas, qui sunt comburendi? Vincti erant, sicut Paulus, pedibus et manibus: vincti erant non minori ira et furore. Nam et ille injecit in interiorem custodiam,

et hinc jussit valde accendi fornacem. Sed videamus quæ sunt consequuta. Illis hymnos canentibus concussus est carcer, et apertæ sunt portæ : et his hymnos canentibus soluta sunt vincula pedum et manuum, apertus est carcer, et apertæ sunt portæ fornacis : sibilabat enim ros Spiritus. Verumtamen me multa circumfluunt : nescio quidnam primum dicam, quidnam secundum : ideo rogo ne quis a me exigat ordinem; est enim rerum multa cognatio. Soluti sunt qui cum eis vincti fuerant, sed tamen dormiebant : hic autem pro iis aliquid aliud factum est : combusti sunt qui eos injiciebant. Sed quod volebam dicere, vidit solutos rex, et ante eos procidit : vidit hymnos canentes, et quatuor vidit ambulantes, et vocavit eos. Sicut ergo Paulus non exivisset, etsi posset, nisi qui injecerat eum vocasset, et eduxisset : ita nec illi tres pueri exierunt, donec is qui injecit jussit exire. Quid ex hoc discimus? Non festinare ad ærumnas, nec properare ad afflictiones; nec rursus in eis manere, si sint qui solvant. Sed ille quidem procidit ad pedes; poterat enim ingredi ubi erant sancti : hic autem cum venisset ad ostium, stetit : non audebat enim accedere ad eum qui intus erat carcerem, quem ipsis construxerat per ignem. Contemplare autem verba. Ille dicit : *Domini, quid me oportet facere, ut sim salvus?* Hic ille non cum tanta quidem humilitate, vocem autem emisit non minus jucundam : *Sidrac, Misac, et Abdenago, servi Dei excelsi, egredimini, et venite* (*Daniel.* 3. *v.* 93). Magnus honor : *Servi Dei excelsi, egredimini, et venite.* Quomodo egredientur, o rex? vinctos injecisti in ignem : tam longo tempore fuerunt in igne? Nam si fuissent adamantini, si materiæ metallicæ, qui totum illum canebant hymnum, annon periissent? Propter hoc ipsum salvi fuerunt, quod hymnos canerent. Animi eorum alacritatem reveritus est ignis : reveritus est etiam canticum illud admirabile et hymnos. Quomodo eos vocas? Primum dixi : *Servi Dei excelsi :* omnia enim possunt Dei servi. Nam si sunt aliqui servi hominum, et in rebus illorum non minorem habent potestatem, imperium et administrationem, multo magis servi Dei. Vocem emisit jucundissimam : sciebat se ea maxime ipsis assentari. Nam si, ut servi Dei manerent, in ignem sunt ingressi, non erat alia vox hac jucundior : non si eos vocasset reges, non si dominos orbis terræ, tanta eos affecisset voluptate, quanta cum eis dixit, *Servi Dei excelsi.* Et quid miraris? Ad magnam enim urbem, quæ orbis terræ obtinebat dominatum, et cui auctoritas magnos faciebat spiritus, Paulus scribens hoc posuit, ut quod dignitati ex æquilibrio responderet, imo vero et consulatu et regno et orbis terræ imperio longe majus atque adeo incomparabiliter majus esset; *Paulus servus Jesu Christi* (*Rom.* 1. 1). *Servi Dei excelsi.* Si enim, inquit, tantum ponunt studium ut sint servi, omnino eis hoc persuadebimus. Vide ergo etiam puerorum pietatem : non succensuerunt neque irati sunt neque contradixerunt, sed egressi sunt. Nam si supplicium existimassent, quod injecti essent in fornacem, succensuissent ei qui injecerat : nunc autem nihil horum; sed ita exierunt tamquam qui prodirent e cælo : et quod de sole dicit propheta, *Tamquam sponsus procedens e thalamo suo* (*Psal.* 18. 6), hoc etiam qui de eis dixerit, non aberrarit. Quomodo? Illo sic procedente ipsi tunc processerunt splendidius. Nam ipse quidem procedebat, orbem terræ illustrans sensili lumine, illi vero aliter orbem terræ illuminantes, nempe spirituali modo. Nam propter ipsos rex statim misit decretum, quod hæc verba continebat : Placuerunt coram me signa et prodigia, quæ fecit Deus nobis ostendi tamquam magna et fortia (*Dan.* 3. 99. 100). Exierunt itaque splendidum emittentes radium, qui lætus quidem erat etiam in ipsis regionibus : maxime autem poterat ubique extendi per literas regias, et solvere tenebras quæ erant ubique extensæ. *Egredimini, et venite.* Non jussit fornacem exstinguere, sed hoc etiam eos maxime honoravit, quod crediderit eos non solum posse intus ambulare, sed etiam eo ardente egredi.

9. Videamus autem, si placet, verba quoque custodis carceris : *Domini, quid me oportet facere ut salvus fiam* (*Act.* 16. 30)? Quid hac voce jucundius? Facit ipsos angelos exsilire : ut hanc audiret vocem, servus quoque factus est Dei Unigenitus : hanc Petro dicebant vocem qui crediderunt ab initio : *Quid faciemus* ut salvi simus? Et quid dicit? Credite, et baptizemini (*Ibid.* 2. 37. 38). Lubenter etiam in gehennam cecidisset Paulus, ut hanc vocem audiret a Judæis, propter desiderium eorum salutis et obedientiæ. Vide autem, eis permittit totum, nihil curiose inquirit. Videamus autem quæ sequuntur. Hic non dicit : Ut salvus fiam, sed quavis voce clarior et evidentior exstitit doctrina, et statim fit prædicator. Non opus habet ut catechesi instituatur, sicut custos carceris; sed quid? Deum prædicat, et fatetur potestatem : In veritate novi, quod Deus vester ipse est Deus deorum, et Dominus dominorum, quoniam misit angelum suum, et liberavit vos a fornace (*Dan.* 3. 95). Et quid postea? Non unus custos carceris, sed multi catechesi instituuntur per literas regias, per aspectum rerum. Nam quod rex non esset mentitus, omnibus perspicuum erat : non enim voluisset captivis hæc ferre testimonia, neque sua dejicere ac deprimere : noluisset tantæ amentiæ præbere opinionem. Quamobrem, nisi veritatis multa fuisset perspicuitas, non hæc scripsisset, idque cum tam multi adessent. Videtis quanta sit vis vinculorum, quanta virtus hymnorum qui cantantur in afflictione? Animum non desponderunt neque dejecti sunt, sed tunc erant vehementiores, tunc eorum fuit major animi alacritas. Merito hæc cogitarunt. Restat adhuc unum. Cur in carcere ii qui vincti erant, sunt soluti; in fornace autem exusti sunt qui injiciebant? Atqui oportebat hoc pati regem : neque enim tantum peccarunt, nec qui vinciebant neque qui injiciebant, quantum is qui jussit hoc fieri. Cur ergo illi perierunt? Hic non valde opus est ut res accurate discceptetur. Erant enim impii : propterea hoc consilio id agebatur, ut ostenderetur vis ignis, et majus fieret miraculum. Si

enim eos qui foris erant sic exedit, quomodo eos qui erant intus reddebat illæsos et impatibiles ? Ut manifesta fieret Dei potentia. Nemo autem miretur quod regem in eodem ordine posuerim quo custodem carceris : idipsum enim fecit. Hic enim illo nihil erat præclarior : ambobus enim profuit. Sed sicut dixi, justi dum in ærumnis versantur, tunc sunt vehementiores, quando sunt in vinculis. Nam propter Christum aliquid esse passum, est quovis solatio jucundius. Vultis alium quoque carcerem vobis revocem in memoriam? Ab hac catena in alium carcerem veniendum est. Quemnam vultis ? Jeremiæne, an Josephi, an Joannis ? Pauli catenæ gratia : quam multos orationi nostræ aperuit carceres ! Vultisne Joannis ? Vinctus fuit hic quoque propter Christum et legem Dei. Quid ergo, fuitne otiosus cum esset in carcere ? annon inde ex carcere missis dicebat discipulis suis, Euntes dicite Christo : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus* (*Matth.* 11. 3) ? Et cum illic esset, docebat : non enim erat negligens. Sed Jeremias annon prædixit de Babylonio, quæ sui officii erant omnia etiam illic faciens ? Quid vero Joseph? annon vinctus erat per tredecim annos ? Attamen ne illic quidem oblitus est virtutis. Cum adhuc unius vincula dixerimus, finem imponemus orationi. Vinctus quoque fuit Dominus noster, qui orbem terræ solvit a peccatis : vinctæ sunt manus, quæ bona fecerunt innumerabilia : *Vinctum* enim, inquit, *eum duxerunt ad Caipham* (*Id.* 26. 57). Et vinctus fuit qui tam multa fecerat miracula. Hæc cogitantes numquam ægre feramus, sed etiamsi fuerimus vincti, gaudeamus : etsi non sumus in vinculis, simus tamquam colligati. Vides quantum bonum sit vinculum. Hæc omnia cum sciamus, Deo gratias pro omnibus emittamus, in Christo Jesu Domino nostro.

HOMILIA IX.

Cap. 4. v. 1. *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis*, 2. *cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate*, 3. *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.*

1. Ostensa est catenæ Pauli magna virtus, et præclarior signis. Non temere ergo nec frustra, ut videtur, eam profert, sed tamquam per ipsam pudore suffusurus. Et quid ait ? *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis.* Quomodo ? *Cum omni humilitate, cum mansuetudine et patientia, alter alterum sustinentes in caritate.* Non simpliciter vinctum esse bonum est, sed propter Christum esse vinctum. Propterea dicit, *Vinctus in Domino*, id est, propter Christum. Nihil illi rei potest æquiparari. Sed catena nos magis abstrahit et avellit a propositis, et non sustinemus resistere, sed inviti trahimur ; imo volentes et optantes. Et utinam semper mihi liceret loqui de catena Pauli. Sed ne obtorpescatis : volo adhuc quæstionem tractare, quam multi efferunt : Sed si bonæ sunt ærumnæ, cur ipse se defendens apud Agrippam dicebat, *Opto apud Deum et in modico et in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui me audiunt hodie, fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis his* (*Act.* 26. 29) ? Non hæc dicebat tamquam existimans rem esse deprecandam et exsecrandam ; absit ; non enim, si res esset abominanda, gloriaretur de vinculis, de carceribus, de aliis afflictionibus : nec scribens dixisset, *Lubenter gloriabor in infirmitatibus meis* (2. *Cor.* 12. 9) ; sed quid ? Hoc ipsum erat indicium, quod magni faceret vincula. Sicut enim dicebat scribens ad Corinthios : *Lac vobis potum dedi, non escam ; nondum enim poteratis* (1. *Cor.* 3. 2) : ita hic quoque non poterant audire pulchritudinem nec decorem nec utilitatem vinculorum. Propterea dicit, *Exceptis his vinculis* (*Hebr.* 13. 3). Apud Hebræos autem non ita, sed suadebat ut simul vincirentur cum vinctis. Propterea et ipse lætabatur propter vincula, et vinciebatur, et cum vinctis abducebatur in custodiam. Magna est vis catenæ Pauli : sufficit pro omnibus hoc spectaculum, Paulum videre vinctum, et eductum e carcere. Videre vinctum et intus sedentem, qua voluptate non est hæc major ? quo pretio rem non æstimaverim ?

Imperatorum et Consulum cultus cum spirituali cultu Pauli e carcere exeuntis comparatus. — Non videtis Imperatores et Consules curru gestatos, et auro ornatos, et satellites omnia habentes aurea, aureas lanceas, aureos clypeos, aureas vestes, equos aureis ornatos ephippiis ? Quam est hoc spectaculum illo jucundius ? Mallem semel videre Paulum e carcere exeuntem cum vinctis, quam millies illos deductos cum illa satellitum stipantium caterva. Quam multos existimatis angelos eum præcessisse, quando sic educebatur ? Quod autem non mentiar, ex veteri quadam historia vobis faciam perspicuum. Elisæus propheta, forte autem quisnam sit scitis, cum rex Syriæ bellum gereret adversus regem Israel, sedens apud se in medium proferebat quæcumque ille in intimis penetralibus consultabat cum iis quos adhibebat ad consilium (4. *Reg.* 6. 8); et regis consilia faciebat irrita, prædicens arcana, et non sinens incidere in laqueos quos ille tendebat. Hoc regem male habebat, et animo anxius in magna erat perplexitate et hæsitatione, ut qui non posset resciscere, quisnam esset qui omnia proferret, et tenderet insidias irritasque redderet ejus machinationes. Ei ergo dubitanti et causam quærenti dixit quidam ex satellitibus, esse quemdam Elisæum prophetam sedentem in Samaria, qui non sineret regis sententiam esse firmam, sed omnia proferret. Is existimavit se totum invenisse. Sed, ut videas, eo nihil erat miserius. Cum oporteret virum honorare, admirari, stupere, si tantam haberet virtutem, ut sedens tam multis remotus stadiis, sciret quæcumque fierent in regis penetralibus, nullo renuntiante ; hoc quidem non fecit, sed irritatus et ira percitus, coactis equitibus et armatis militibus, eos mittit prophetam obsessuros. Erat autem Elisæo discipulus adhuc in vestibulis prophetiæ, qui nondum dignatus esset consequi ejusmodi revelationes. Accesserunt regis milites,

(*Trois.*)

tamquam vincturi hominem, imo vero prophetam. Rursus incidimus in vincula, et, quid faciam? undique hæc sic contexitur oratio. Cum autem vidisset discipulus militum multitudinem, obstupuit, timensque et tremens accurrens ad magistrum, renuntiavit calamitatem ut putabat, et inevitabile significavit periculum. Risit propheta quod timuisset quæ non erant timenda, et hortatus est ut confideret. Ille autem ut qui esset imperfectus, non credebat, sed ex revisa adhuc perculsus, tenebatur metu. Quid vero propheta? *Aperi*, inquit, *Domine, oculos hujus pueri, et videat* (*4. Reg.* 6. 17) esse plures nobiscum, quam cum ipsis. Et videt repente totum montem, quem habitabat propheta, esse plenum equis igneis et ejusmodi curribus : hoc autem nihil erat aliud quam structa acies angelorum.

2. Si autem Elisæum ad id solum tanta sequebatur acies, quid Paulum? Hoc etiam dicebat David propheta : *Castra metabitur angelus Domini in circuitu timentium eum;* et rursus, *In manibus tollent te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum* (*Psal.* 33. 8. *et* 90. 12). Et quid dico angelos? ipse Dominus erat cum ipso egrediente. Non enim ab Abrahamo quidem videbatur, non erat autem cum eo : ipse enim promisit dicens, *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* 28. 20). Et rursus ab eo visus dicebat, *Noli timere, sed loquere, quia ego sum tecum, et nemo te invadet ut tibi noceat* (*Act.* 18. 9). Porro in somnis quoque ei adstitit, dicens : *Constans esto : sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet et Romæ testificari*(*Ibid* .23. 11). Semper quidem sancti sunt admirabiles, et multa pleni gratia; maxime autem quando in periculo versantur propter Christum, quando sunt vincti. Sicut enim miles fortis et strenuus est semper jucundum cernentibus spectaculum, maxime autem quando juxta ipsum regem steterit et in acie fuerit : ita etiam cogita Paulum, quantum licebat videre, docentem cum ipsis vinculis. Dicam et cogitatum quod interim mihi venit in mentem? Beatus martyr Babylas (*a*) ipse quoque vinctus fuit ob eamdem causam, ob quam Joannes, ut qui regem inique se gerentem arguerit. Ipse decedens mandavit ut vincula ponerentur cum suo corpore, et corpus sepeliretur vinctum : et nunc siti sunt compedes cum cinere. Tantum erat ei desiderium vinculorum propter Christum. *Ferrum pertransiit anima ejus* (*Psal.* 104. 18), dicit propheta de Josepho. Jam vero mulieres quoque acceperant horum vinculorum experientiam. At nos non ligamur : neque hoc suadeo, cum non sit nunc tempus. Ne liges manus, sed mentem. Sunt etiam alia vincula : qui hæc non ferunt, ferent illa. Audi Christum dicentem : *Ligate ejus manus et pedes* (*Matth.* 22. 13). Sed absit ut illorum vinculorum accipiamus experientiam, detur autem ut his impleamur. Ideo dicebat : *Ego vinctus in Domino, rogo vos ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis* (*Ephes.* 4. 15). Caput, inquit rursus, habemus Christum. Nos simul suscitavit et consedere fecit in cælestibus, cum essemus inimici, et mala fecissemus innumerabilia. Magna est vocatio, et ad res magnas : non solum quod ab illis, sed quod etiam ad talia, et tali modo.

Digne ambulare quid sit. — Quomodo autem digne ambulatur? *Cum omni humilitate.* Qui est talis, digne ambulat : hoc est fundamentum omnis virtutis. Si sis humilis, et cogites quisnam cum esses, salvus factus es, memoriam accipis occasionem ad virtutem. Neque vinculis extolleris, neque his ipsis quæ dixi, sed cum scias totum esse gratiæ, teipsum contrahis et submittis. Qui est humilis, potest esse servus gratus et memor beneficii. *Quid enim habes*, inquit, *quod non accepisti* (*1. Cor.* 4. 7)? Audi rursus eum dicentem : *Amplius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum* (*Ibid.* 15. 10). *Cum omni*, inquit, *humilitate;* non ea quæ est in verbis, nec in rebus solis, sed et quæ est in habitu ac gestu et sermone : non in hunc quidem humilis, in illum vero audax : in omnes sis humilis, sive sit amicus sive inimicus, sive magnus sive parvus : hoc est humilitas. Etiam in recte factis sis humilis. Audi enim Christum dicentem, *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* 5. 3), et hoc primum statuentem. Propterea ipse quoque dicit : *Cum omni humilitate et mansuetudine et patientia.* Nam fieri potest ut sit aliquis humilis, sed acer et iracundus; sed id nihil prodest : sæpe enim dum ab ira possidetur, perdit omnia. *Sustinentes*, inquit, *invicem in caritate.* Quomodo potest sustineri, si est iracundus, si accusator et maledicus? Dixit etiam modum : *In caritate*, inquit. Si proximum non sustines, quomodo te sustinebit Deus? si ipse non fers conservum, quomodo te feret Dominus? Ubi est caritas, ferri possunt omnia. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Liga manus lenitate et mansuetudine. Rursus pulchrum adest nomen, vinculum : ipsum dimisimus, et ipsum rursus ad nos accurrit. Pulchrum est illud vinculum, pulchrum et hoc : et illud ex hoc nascitur. Teipsum colliga cum fratre : ii omnia facile ferunt, qui sunt colligati in caritate. Teipsum illi alliga, et illum tibi : amborum tu es dominus : nam quem volo amicum facere, potero cum facilitate. *Sollicite studentes*, inquit. Ostendit rem non facile fieri, nec esse cujuslibet. *Studentes*, inquit, *servare unitatem spiritus.*

3. Quid est unitas spiritus? Sicut in corpore est unus spiritus qui omnia continet, etiamsi in diversis membris, ita hic quoque. Propterea enim datus est spiritus, ut eos uniat qui sunt disjuncti genere et moribus. Nam senex et juvenis, et pauper et dives, puer et ephebus, mulier et vir, et omnis anima fit unum quidpiam; et magis quam si esset unum corpus. Hac enim cognatione illa est multo major, et est potior hæc unitatis perfectio. Animæ enim conjunctio eo est accuratior et exactior, quo est simplicior et formæ unius. Quomodo autem ea conservatur? *In vinculo pacis.* Fieri non potest ut ea sit in inimicitiis et dissensione. *Ubi enim sunt*, inquit, *in vobis lites et æmulationes et dissensiones, annon carnales estis, et secundum hominem ambulatis* (*1. Cor.* 3. 3)? Sicut enim ignis,

(*a*) De beato Babyla vide supra, Tom. 2, col. 527 et seqq.

quando ligna quidem invenerit sicca, omnia unam efficit pyram; quando autem humida, nec operatur nec conglutinat : ita hic etiam : nihil ex frigidis eum potest constringere, sed ex calidis unumquodque maxima ex parte. Ex hoc erga etiam nascitur calor caritatis : a vinculo pacis vult nos omnes colligare. Quemadmodum enim, inquit, si velis teipsum alteri alligare, non aliter poteris, nisi illum quoque tibi ipsi alliges; quod si velis duplex facere vinculum, illum quoque oportet tibi esse alligatum : ita hic quoque vult eos inter se esse alligatos, non solum in pace degere, nec solum diligere, sed omnes esse unam animam. Pulchrum est hoc vinculum : hoc vinculo et nos inter nos, et nos ipsos cum Deo colligemus. Non affligit nec comprimit colligatas manus hoc vinculum, sed relaxat et in amplo ac lato sinit esse spatio; et efficit ut qui sunt vincti, sint lætiores iis qui soluti sunt. Fortis etiam cum debili ligatus, et illum portat et non sinit perire, etiamsi cum segni et ignavo fuerit alligatus, ipsum magis excitat. *Frater enim*, inquit, *a fratre adjutus, est tamquam urbs munita* (*Prov.* 18. 19). Hanc catenam non potest prohibere viarum spatium, non cælum, non terra, non mors, neque aliud quidquam, sed est omnibus potentior et validior : hæc etiam nata ex una anima, potest multos simul comprehendere. Audi enim Paulum dicentem : *Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris* (2. *Cor.* 6. 12). Dilatemini et vos. Quid ergo hoc vinculum labefactat? Amor pecuniæ, imperii et honorum gloriæque cupiditas et aliorum hujusmodi : eos laxos reddit et molles, ipsosque discindit. Quomodo ergo fiat, ut non discindantur? Si hæc ablata fuerint impedimenta, et nihil molestiam afferat ex iis quæ caritatem corrumpunt. Audi enim Christum dicentem : *Quando abundaverit iniquitas, refrigescet caritas multorum* (*Matth.* 24. 12). Caritati nihil est æque contrarium atque peccatum : nec dico solum caritati in Deum, sed etiam caritati in proximum. Quomodo ergo latrones, inquit, degunt in pace? Quando, dic mihi, degunt? Cum latronum moribus non utuntur. Si enim in iis ipsis quibus dividuntur, non servent leges justitiæ, ut unicuique quod justum est tribuant, invenies illos quoque esse in bellis et pugnis. Quamobrem nec in malis licet pacem invenire : ubique autem eam licet invenire, ubi cum justitia et virtute vivitur. Sed quid? rivalesne et æmuli in pace vivunt? Minime. Sed quemnam vis dicam? Avarus numquam erit in pace cum avaro : nam si non essent inter se justi et æqui, et alii alios afficerent injuria, dissipatum esset eorum genus. Sicut enim feræ duæ valde esurientes, nisi aliquid intercedat medium quod possit ab eis consumi, illæ se exedunt : ita etiam inter avaros et malos eveniret. Quamobrem fieri non potest ut sit pax, nisi virtus exerceatur. Construamus, si placet, civitatem avarorum et qui pares sint in honore, et nemo condemnet injuriam, sed omnes injuriam inferant; an potest hujusmodi civitas consistere? Minime. At pax est adulterorum? Sed ne duos quidem invenies concordes. Quamobrem non est rursus alia hujus causa, quam quod refrixerit caritas : quod autem refrixerit caritas, causa est, quod abundarit iniquitas. Hoc enim ducit ad proprium amorem, et dividit et corpus scindit, emollitque et divellit. Ubi autem est virtus, facit contrarium : nam virtute præditus, est pecuniis superior. Itaque etiamsi innumerabiles degant in paupertate, potuerint esse pacifici : avari autem, etiamsi sint duo tantum, numquam possunt esse in pace.

4. *De caritate. Unde orta sint arcana et secreta.* — Quamobrem, si virtute simus præditi, non peribit caritas : virtus enim est ex caritate, et caritas ex virtute. Quomodo autem, ego dicam. Qui est præditus virtute, non præfert pecuniam amicitiæ, non est memor injuriæ acceptæ, proximum nec injuria afficit nec contumelia, omnia fert forti et generoso animo. Ex his constat caritas. Rursus qui diligit, hæc omnia suscipit. Sic ea sunt hujusmodi, ut alterum alterum constituat. Et ex hoc ostenditur, quod caritas sit ex virtute : dicendo enim, *Quando abundaverit iniquitas, refrigescet caritas*, hoc significavit : quod autem virtus ex caritate : *Qui diligit*, inquit, *proximum, legem implevit* (*Rom.* 13. 8). Quamobrem ex duobus unum esse oportet, aut valde diligentem et dilectum, aut valde virtute præditum. Qui enim habet unum, necessario quoque possidet alterum : et contra qui nescit diligere, multa quoque mala faciet; qui mala facit, nescit diligere. Persequamur ergo caritatem : est enim præsidium ad hoc ut non permittatur nobis aliquid mali pati : colligemus nos. Nihil sit apud nos dolosum, nihil fraudulentum et insidiosum : nihil enim invenitur hujusmodi ubi fuerit amicitia. Hoc dixit vir quoque alius sapiens : *In amicum etiamsi strinxeris ensem, ne desperes; est enim regressus : ad amicum, si os aperueris, ne despondeas animum; est reconciliatio præter exprobationem, et arcanorum revelationem, et plagam dolosam* (*Eccli.* 22. 26. 27). In his aufugit amicus, in arcanorum revelatione. Si simus itaque omnes amici, ne arcanis quidem est opus. Ut enim non habet quisquam apud se ullum arcanum, neque ipse seipsum potest celare, ita nec amicos. Cum igitur non sint arcana, fieri non potest ut ex ea re sit abscissio. Arcana enim non habemus propter aliud, quam quod non omnibus fidamus : caritatis itaque refrigeratio fecit arcana. Nam quid habes arcanum? vis injuriam facere proximo? aut prohibes ne sit alicujus boni particeps, et propterea eum celas? At nihil est horum; sed erubescis? Hoc est ergo signum quod non fidis. Si sit ergo caritas, non erit detectio arcanorum, sed nec exprobratio. Quis enim, dic quæso, animæ suæ umquam exprobaverit? Quod si etiam fiat, fit propter lucrum. Nam etiam pueris exprobramus volentes eos mordere : Christus quoque civitatibus tunc cœpit exprobare, *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida* (*Luc.* 10. 13), ut eas liberaret a probris. Nihil enim animum ita potest tangere, et eum magis excitare, et dejectum ac dissolutum erigere. Neque nos temere alter alterum probris appetamus. Quid enim? propter pecuniasne probra ingeres? Nequaquam, siquidem quæ habes,

possides communia. At propter peccata? Ne hoc quidem, sed potius corriges. *Et plagam*, inquit, *dolosam* (*1. Cor.* 14. 1). Quid vero? seipsum perimet? quis ipsum percutiet? Nemo. Persequamur ergo caritatem. Non dixit simpliciter, Diligamus, sed, Persequamur. Multo studio opus et diligentia : cito evanescit, velox est ad recedendum : tam multa in vita huic rei exitium afferunt. Si eam persequamur, non prius recesserit, quam eam cito attraxerimus. Dei caritas cælo terram conjunxit; Dei caritas hominem sedere fecit super thronum regium; Dei caritas Deum ostendit super terram; Dei caritas dominum fecit servum; Dei caritas fecit ut traderetur dilectus pro inimicis, filius pro iis qui oderant, dominis pro servis, Deus pro hominibus, liber pro famulis. Nec eo usque constitit, sed nos vocavit ad majora. Non solum enim nos liberavit a prioribus malis, sed etiam multo majora se daturum est pollicitus. Pro his, actis Deo gratiis, omnem persequamur virtutem, et præ omnibus caritatem exerceamus, ut digni habeamur qui consequamur bona promissa, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

Cap. 4. v. 4. *Unum corpus et unus spiritus, sicut et vocati estis in una spe vocationis vestræ.*

1. Quando ad magnum aliquid nos exhortatur Paulus, ut qui sit valde sapiens et spiritualis, ducit exhortationem ab iis quæ sunt in cælis, ut qui hoc ipsum a Domino didicerit : sicut etiam dicit alibi, *Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis* (*Ephes.* 5. 2); et rursus, *Hoc sentiatur in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (*Philipp.* 2. 5. 6). Hoc etiam hic facit. Quando enim exempla proposita sunt magna, est æmulatio vehemens et desiderium. Quid ergo dicit nos adhortans ad unitatem? *Unum corpus et unus spiritus, sicut et vocati estis in una spe vocationis vestræ* : 5. *unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Quid est autem unum corpus? Qui sunt ubique terrarum fideles et fuerunt et futuri sunt. Rursus et qui ante Christi adventum placuerunt, sunt unum corpus. Quomodo? Quoniam illi quoque Christum norunt. Undenam hoc constat? *Abraham pater vester*, inquit, *exsultavit ut videret diem meum; et vidit, et gavisus est* (*Joan.* 8. 56); et rursus, *Si crederetis Moysi, crederetis utique et mihi : de me enim ille scripsit* (*Ibid.* 5. 46), et prophetæ. Non scripsissent autem, si de eo ignorassent quæ dicebant : cum ipsum autem nossent, etiam adorabant. Quamobrem illi quoque sunt unum corpus. Non est disjunctum corpus a spiritu : alioqui non fuerit corpus. Nos enim solemus in unitis, et quæ multam habent consequentiam, dicere, Est unum corpus. Ita etiam nos in unione accipimus unum corpus uno capite. Si est autem unum caput et unum corpus, constat corpus ex membris honestis et non honestis. Cæterum neque in vilissimum insurgit id quod est majus, neque illud huic invidet. Atqui non eumdem usum nec eamdem functionem omnia afferunt, sed convenienter rationi necessitatis : et quia facta sunt omnia necessario et ad diversos usus, omnia sunt honore paria. Sunt autem alia quidem præstantissima, et quæ maxime dominatum obtinent, alia vero minus : ut caput est totius corporis præstantissimum et magis dominatum obtinens, ut quod in se habeat omnes sensus et animæ principatum : neque absque capite vivi potest; pedibus autem amputatis multi vixerunt longo tempore. Est itaque id illis non solum situ præstantius, sed etiam operatione et ordine. Quare hoc dico : Sunt in Ecclesia multi, qui sunt in altum erecti, ut caput, considerantes et speculantes cælestia, sicut oculi in capite, multum distantes a terra, et qui cum ea nihil habent commune : alii autem tenent locum pedum, terram calcantes, sed pedum sanorum. Non enim pedibus datur vitio quod terram calcent, sed quod ad malum currant : nam *Pedes*, inquit, *eorum currunt ad malum* (*Isai.* 59. 7). Neque ergo, inquit, oculi extollantur et superbe se gerant adversus pedes; neque pedes oculis invideant, alioquin unicuique sua propria tollitur pulchritudo, et suus perfectus impeditur usus et sua functio : et jure id dicitur : nam qui insidiatur proximo, sibi primum parat insidias. Si ergo pedes nolint portare caput cum egredi necessarium est, sibi quoque interitum afferunt propter immobilitatem et pigritiam: et si caput nullam velit pedum curam gerere, ipsum primum lædit. At illa quidem alterum in alterum non insurgere est consentaneum : sic enim naturaliter ordinatum est : sed quomodo fieri potest ut homo in hominem non insurgat? Neque enim angelorum quis insurgit, quoniam nec illi adversus archangelos; neque rursus bruta plus quam ego efferri et majores spiritus possunt concipere : ubi autem par est honore natura, et unum donum, et iste plus quam ille nihil habet nec superatur, quomodo non insurrexerit? Imo vero propter hæc non debes insurgere in proximum. Nam si omnia sunt communia, et alter plus quam alter non habet, undenam arrogantia? Ejusdem sumus naturæ participes, animæ et corporis similiter, eumdem spiramus aerem, iisdem utimur alimentis; undenam insurrectio? At posse propter virtutem incorporeas superare potestates, sufficit ad inducendam arrogantiam : imo vero non fuerit hoc arrogantia. Ego autem merito adversus dæmonem extollor et valde extollor. Vide autem quomodo Paulus quoque valde extollebatur adversus dæmonem. Quando enim magna et admirabilia de eo dicebat dæmon, ei os obstruxit, ne adulantem quidem ferens. Nam cum ancillula, quæ spiritum habebat Pythonis, diceret, *Hi homines sunt servi Dei excelsi, qui vobis annuntiant viam veritatis* (*Act.* 16. 17), valde increpans, impu-

dentem ejus obstruxit linguam. Et rursus alibi scribit dicens, *Conteret Deus satanam sub pedibus vestris cito* (*Rom.* 16. 20). Num fecit aliquid naturæ diversitas?

2. Vides quod nihil facit id quod interest inter naturas, sed liberi arbitrii voluntas? Sunt igitur libero arbitrio pejores omnibus. Adversus angelum autem, inquit, non insurgo : nam inter me et illum multum interest. Atqui non debes magis adversus hominem insurgere quam adversus angelum. Nam angelus quidem a te distat natura, quod quidem neque laus illius fuerit nec vitium : homo autem distat ab homine, non utique natura, sed libero arbitrio et animi instituto : et est etiam in hominibus angelus. Quare si adversus angelos non insurgis, multo minus adversus homines, qui in hac natura facti sunt angeli. Nam si, qui in hominibus est virtute præditus, fuerit ut angelus, is est te multo major quam ille. Quamobrem? Quoniam quod ille habuit a natura, hoc ipse recte gessit ex libero arbitrio et animi instituto : et quod angelus loco quidem sit a te disjunctus, et cælum habitet; hic autem tecum versatur, et dat tibi occasionem æmulationis. Atqui hic etiam est magis disjunctus quam ille. *Nostra* enim, inquit, *conversatio est in cælis* (*Philipp.* 3. 20). Quod autem hic sit magis disjunctus, audi ubinam sedeat ejus caput, nempe in throno regali : quo est autem a nobis thronus remotior, tanto est hic quoque. Sed video, inquit, eum honore fruentem, et moveor æmulatione. Hoc est quod omnia rursum et deorsum agitat, et non solum orbem terræ, sed etiam Ecclesiam innumerabilibus implet tumultibus : et sicut qui in tranquillum portum sævi et vehementes venti ex adverso irruerint, eum reddunt periculosiorem quam quævis rupes et quodvis fretum : ita si invaserit amor gloriæ, omnia evertit et confundit. Interfuistis sæpe magnorum domorum conflagrationi; vidistis quomodo in cælum ascendat fumus, et nemine accedente ad malum exstinguendum, sed unoquoque quod suum est spectante, ignis quiete omnia depascitur : et sæpe quidem in orbem circumsistit tota civitas, circumsistunt multi malorum spectatores, non ad opem ferendam socii et adjutores : et licet videre omnes circumstantes nihil facere, sed unumquemque eorum manum extendere, et ei qui recens ad locum venerit ostendere aut per fenestram assidue exsilientem lampadem, aut trabes quæ dejiciuntur, aut integrum eorum quæ ædes fulciunt et sustentant ambitum avulsum, et in terram ruentem. Sunt autem etiam multi audaces et ad adeunda pericula præcipites, qui audent prope ardentia ædificia accedere, non ut eis manum porrigant et malum exstinguant, sed ut sit jucundius spectaculum, ex eo quod ipsi possint omnia prope conspicari, quæ sæpe latent eos qui sunt foris. Quod si etiam fuerit splendida et magna domus, miserandum videtur esse spectaculum et dignum multis lacrymis. Et re vera licet videre spectaculum miserandum, columnarum capita in pulverem redacta, multas quoque ex eis perfractas, alias quidem, igne id efficiente, alias vero sæpe trudentibus manibus eorum qui ipsas ædificarunt, ne igni præberent plus alimenti. Licet autem etiam videre imagines quæ steterant cum magno ornamento tecti impositi, detectas tecto ablato, et stantes sub dio cum magna deformitate. Quis recensuerit divitias quæ erant intus repositæ : vestes aureas, vasa argentea? Et quo unus ingrediebatur dominus cum sua conjuge, ubi multarum vestium, aromatum et pretiosarum gemmarum arcanum erat repositorium : omnia uno rogo accenso viderunt et balneatores et stercorarii et fugitivi, et omnes reliqui; et quæ erant intus, erant omnia aqua et ignis et lutum et pulvis et ligna semiustulata. Cur autem hanc imaginem extendi fusius? Non volens solum domus describere incendium; quid enim est hoc mihi curæ? sed volens oculis vestris subjicere, quoad ejus fieri potest, mala Ecclesiæ. Re vera enim tamquam incendium aut fulmen aliquod ab alto cadens, irruit in ipsum tectum Ecclesiæ, et neminem excitat; sed domo paterna ardente, profundum quemdam somnum et nihil sentientem dormimus. Quem enim non tetigit hic ignis? quas non imagines quæ stant in Ecclesia? Ecclesia enim nihil est aliud quam domus ædificata per nostras animas. Hæc autem domus non est tota par honore, sed ex lapidibus quidem, qui ad ejus exstructionem conferunt, alii sunt splendidi et nitidi, alii vero illis inferiores et obscuriores, sed multo meliores aliis. Est autem ex illis videre hic multos qui auri locum tenent, auri, inquam, quod ornat tectum : est etiam videre alios, qui ornamentum exhibent quod exsistit ex imaginibus : multos licet videre qui stant tamquam columnæ. Solent enim etiam homines appellari columnæ, quæ non solum virtute, sed etiam pulchritudine multum præbent ornamenti, et quæ aurata habent capita. Videre licet etiam multitudinem, tamquam late patens spatium et latitudinem ambituum occupantem : multitudo enim tenet locum lapidum qui ædificant parietes.

3. *Inanis gloria tyrannus.* — Ad splendidiorem imaginem jam veniendum est. Hæc Ecclesia est ædificata non ex his lapidibus, sed ex auro et argento et lapidibus pretiosis, et multum auri est ubique dispersum. Sed proh dolor! hæc enim omnia exussit tyrannis inanis gloriæ, omnia exedens hæc flamma, et nemo eam rem superavit; sed stamus quidem flammam admirantes, malum autem nondum valentes exstinguere. Quod si etiam ab breve tempus exstinxerimus, post duos aut tres dies, tamquam ex quodam cinere accenditur scintilla quæ evertit omnia, et ea facit quæ non prius. Sic etiam hic fit : nam in incendio quoque solet hoc accidere. Causa autem est, quia ipsarum Ecclesiæ columnarum sustentacula nos effugerunt, quæ tectum sustinebant, et prius continebant totum ædificium, et igne circumdederunt. Propterea ad cæteros quoque parietes facilis fuit excursio. Nam in ædificiis quando ligna quidem apprehenderit, magis armatur adversus lapides : quando autem columnas pessumdederit et humi dejecerit, non amplius opus habet flamma ut cætera conficiat. Nam cum ea decidunt quæ superiora sustentant et

fuleiunt, illa quoque ea sequuntur cum magna facilitate. Ita etiam nunc usuvenit in Ecclesia : ignis omnia apprehendit; honores quærimus ab hominibus, et amore gloriæ accendimur : nec audimus Jobum dicentem : *Si cum peccaverim involuntarie, aversatus sum multitudinem* (*Job* 31. 34). Vidisti animam virtute prædilam? Non me puduit, inquit, coram universa multitudine dicere voluntaria peccata. Si autem illum non puduit, multo magis nos oporteret hoc facere. *Dic*, inquit, *prior iniquitates tuas, ut justificeris* (*Isai.* 43. 26). Magna fuit hujus mali vehementia : omnia sunt eversa et deleta. Honoris servi facti sumus Deo dimisso : non amplius possumus increpare eos qui a nobis reguntur, cum ipsi quoque eadem febre teneamur : et ipsi egemus medicina, quos Deus posuit ut aliis mederemur. Quænam autem jam restat spes salutis, cum ii ipsi qui medentur aliorum manu indigent? Hæc non abs re dixi, nec temere conqueror, sed ut omnes communiter cum uxoribus et filiis, cinere aspersi et sacco induti, jejunium intendamus, Deum rogemus ut manum nobis præbeat, et malum exstinguat. Illius enim manu re vera est opus, quæ est magna et admirabilis. Majora a nobis fieri oportet quam quæ fecerunt Ninivitæ : *Adhuc tres*, inquit, *dies, et Ninive evertetur* (*Jon.* 3. 4). Terribilis prædicatio et multis plena minis. Quomodo enim non fuisset horrendum, post tres dies exspectare urbem sibiipsi fore sepulcrum, et perituros omnes uno genere supplicii? Si enim quando contigerit, uno tempore, in una domo, duos filios perire, est malum intolerandum; et si Jobo visum est hoc maxime omnium intolerabile, quod super omnes ejus filios tectum ceciderit, et sic sint interempti : quidnam fuisset, videre, non unam domum neque duos filios, sed gentem centum et viginti duorum millium sub tectis infossam? Scitis quantum sit malum. Nam hæ quoque nobis nuper intentatæ sunt minæ, non propheta aliquo vocem emittente; neque enim digni sumus qui talem vocem audiamus; sed quavis tuba significantius minis nobis vociferantibus. Sed sicut dixi, *Adhuc sunt tres dies, et Ninive subvertetur*. Terribiles plane minæ. Sed nunc nihil est tale. Non enim adhuc tres dies, neque Ninive subvertetur, sed multi sunt dies ex quo orbis terrarum Ecclesia et est eversa et jacet humi, omnibus pariter malo detentis, magis autem iis, quorum est munus regere : unde etiam majus est malum, quo major est ejus necessitas. Nolite ergo mirari si suasi majora facere quam Ninivitæ hac de causa : imo vero non nunc solum prædico jejunium, sed hoc etiam indico medicamentum, quod illam cadentem erexit civitatem. Quodnam autem est hoc? *Vidit*, inquit, *Dominus, quod unusquisque recessit a viis suis malis, et eum pœnituit de malo quod dixit se facturum eis.* Hoc agamus et nos et vos : recedamus ab amore pecuniæ, ab amore gloriæ, rogantes Deum ut manum nobis porrigat, et membra quæ ceciderunt erigat. Neque enim sunt eadem nobis timenda. Nam tunc quidem casuri erant lapides et ligna, et corpora erant interimenda : nunc autem nihil horum, sed animæ sunt tradendæ igni gehennæ. Rogemus, præterita confiteamur, pro futuris postulemus, ut digni habeamur, qui ab hac crudeli et immani bestia liberati, gratias emittamus benigno Deo et Patri, cum quo Filio simul cum sancto Spiritu gloria, potentia et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XI.

Cap. 4. v. 4. *Unum corpus et unus spiritus, sicut et vocati estis in una spe vocationis vestræ* : 5. *unus Dominus, una fides, unum baptisma* : 6. *unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus.* 7. *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.*

1. Caritatem quærit a nobis Paulus, non quamlibet, sed quæ nos conglutinet, et efficiat ut alter in alterum ita nos habeamus, ut divelli non possimus, et quæ tantam et tam exactam præbeat conjunctionem, quanta est membrorum cum membris. Hæc enim est quæ magna operatur bona. Propterea dicit, *Unum corpus*, et propter consensum, et quod aliorum bonis non inhiemus, et quod simul lætemur. Et cum omnia simul per hoc ostendisset, pulchre dixit, *Et unus spiritus*, ostendens quod ab uno corpore erit unus spiritus : aut quod fieri possit ut sit quidem unum corpus, non unus autem spiritus : ut si quis sit amicus hæreticorum : aut ex illo pudorem incutit ut ad concordiam veniatur, nempe, qui unum accepistis spiritum, et ex uno fonte potati estis, non debetis dissentire : aut spiritum hic dicit alacritatem animi. Deinde subjungens, *Sicut et vocati estis*, inquit, *In una spe vocationis vestræ.* Hoc est, Deus vos ad eadem vocavit, nihil alteri plus tribuit quam alteri : omnibus immortalitatem, omnibus vitam æternam, omnibus gloriam immortalem, omnibus fraternitatem, omnibus donavit hereditatem. Factus est commune omnium caput, omnes simul suscitavit et consedere fecit. Qui ergo in spiritualibus habetis tantam honoris æqualitatem, undenam extollimini et superbitis? quod hic sit dives, quod iste fortis? et quomodo non sint hæc ridicula? Nam dic mihi, si rex aut imperator decem homines acceperit, et omnes purpura induerit, et in throno regali sedere fecerit, et eumdem omnibus honorem dederit, aususne fuerit quispiam exprobrare alteri, ut qui sit ditior, aut ut qui sit illustrior? Minime. Neque adhuc totum dixi : non tantum enim est discrimen. Num ergo in cælis æquales sumus, et infra differimus? *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Ecce spes vocationis. *Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus.* Num tibi quidem major, illi vero minor est invocatus? num tu quidem ex fide, ille vero ex operibus factus est salvus? num tibi quidem remissum est peccatum per baptismum, illi vero mi-

hil? Apage : *Unus Deus et Pater omnium, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus vobis. Super omnes*, hoc est, Dominus et superior omnibus : *Et per omnia*, hoc est, providens, administrans : *Et in omnibus vobis*, hoc est, qui in omnibus habitat. Atqui hoc dicunt esse Filii : quamobrem si esset hoc diminutionis, non dictum esset de Patre. *Unicuique autem nostrum data est gratia.* Quid ergo, inquit, undenam sunt diversa charismata? Hoc enim semper ipsos et Corinthios et multos alios, hos quidem ad arrogantiam, illos vero deducebat ad mœrorem et invidiam. Propterea semper ostendit exemplum corporis : propterea nunc quoque hoc posuit, quoniam facturus erat mentionem diversorum charismatum. Atque hoc quidem persequitur exactius in Epistola ad Corinthios, quoniam illic hic morbus maxime exercebat tyrannidem : nunc vero hic tantum tacite innuit. Vide autem quid dicat. Non dixit, Secundum unius cujusque fidem, ne in animi angorem illos injiceret, qui magna non erant assequuti : sed quid? *Secundum mensuram doni Christi.* Quæ principem locum magis habent inter omnia, ea sunt omnia communia, baptisma, salvum esse per fidem, Deum habere Patrem, ejusdem Spiritus omnes esse participes. Si hic autem alius plus habet in charismate, ne doleas, quoniam illi plus est laboris : et ab eo qui quinque acceperat talenta, exigebantur quinque; is autem qui duo accepit, duo tantum attulit, nec minus quam ille habuit. Propterea hic ex eadem causa consolatur auditorem. *Ad consummationem sanctorum*, inquit, *in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi* (*Infra* v. 12). Propterea ipse quoque dicebat, *Væ mihi, si non evangelizavero* (1. *Cor.* 9. 16)! Utpote quod apostolatus ejusmodi charisma accepisset. Sed propterea, Væ sibi dicebat, quoniam acceperat : tu autem liberatus es a periculo. *Secundum mensuram.* Quid est, *Secundum mensuram?* Hoc est, non pro nostris meritis : alioqui nemo accepisset quæ accepit; sed accepimus omnes a donatione.

2. *Cur in Ecclesia alius plus, alius minus habeat.* — Cur autem hic quidem plus, ille vero minus accepit? Hoc nihil, inquit, facit, sed res est indifferens : unusquisque enim confert ad ædificationem. Et per hoc ostendit quod non ex suis meritis, hic quidem plus, ille vero minus accepit, sed propter alios, ut ipse mensus est. Nam alibi quoque dicit : *Posuit autem membra, unumquodque eorum sicut ipse voluit* (*Ibid.* 12. 18). Non dicit autem rationem, ne auditorum spiritus deprimat ac dejiciat. 8. *Propter quod dicit, Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, et dedit dona hominibus.* Hoc est : Quid extolleris et te magnifice circumspicis? Dei est universum. Propheta quidem dicit in Psalmo, *Accepisti dona in hominibus* (*Psal.* 67. 19) ; ipse autem dicit, *Dedit dona in hominibus.* Idipsum autem est hoc et illud. Simile item hoc : 9. *Quod autem ascendit quid est, nisi quod et descendit primum in inferiores partes terræ?* 10. *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cælos ut adimpleret omnia.* Hæc audiens, ne existimes transitum. Nam quod in Epistola ad Philippenses (*Philipp.* 2. 7), hic quoque adstruit et confirmat. Sicut illic suadens humilitatem, adducit Christum : ita et hic, cum dicit, *Descendit in inferiores partes terræ.* Nam nisi ita esset, supervacaneum esset quod dicit, *Obediens factus usque ad mortem* (*Ibid.* v. 8). Ex eo quod ascendit, innuit descensum. Inferiores vero partes terræ dicit mortem, secundum hominum opinionem : sicut etiam dicebat Jacob, *Deducetis senium meum cum dolore ad inferos* (*Gen.* 44. 29) ; et rursus in Psalmo, *Similis ero descendentibus in lacum* (*Psal.* 142. 7); hoc est, mortuis. Cur hunc locum hic tractat? quamnam dicit captivitatem? Captivitatem diaboli : tyrannum accepit captivum, nempe diabolum et mortem, et exsecrationem, et peccatum. Vides prædam et spolia? *Quod autem ascendit quid est, nisi quod et descendit?* Hoc est adversus eos, qui Paulum Samosatenum sequuntur. *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cælos ut adimpleret omnia* (*a*). Ad inferiores, inquit, partes terræ descendit, post quæ non sunt aliæ : et ascendit super omnia, post quæ non est aliquid aliud. Hoc est ejus efficaciæ et dominatus ; nam hæc quoque omnia olim impleta fuerant. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores*, 12. *in consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Quod alibi dicit, *Propter quod et Deus exaltavit illum* (*Philipp.* 2. 9), hoc hic quoque dicit, *Qui descendit, ipse est et qui ascendit.* Quod descenderit ad inferiores partes terræ, nihil ei obfuit, nec impediit quominus ascenderet supra cælos. Quamobrem quo quis se humiliorem fecerit, eo magis extollitur. Sicut enim in aqua quo magis eam infra detuleris, eo magis in altum effertur; et quo ex majori spatio fueris jaculatus, eo magis assequeris : ita etiam in humilitate. Sed quando de Deo dixeris ascensiones, necesse est primum cogitare descensum; quando autem de homine, nequaquam. Deinde ostendit etiam ejus providentiam et sapientiam : dicitque, qui tam multa fecit, et qui tantum potuit, et ad inferiores usque terræ partes pro nobis descendere non recusavit, non temere fecit distributiones charismatum. Alibi autem dicit quod hoc operatus sit Spiritus, sic dicens : *In quo posuit vos Spiritus sanctus episcopos regere Ecclesiam Domini* (*Act.* 20. 28) : hic autem dicit quod Filius ; alibi quod Deus ; et rursum, *Ipse dedit Ecclesiæ alios quidem apostolos, alios autem prophetas* (1. *Cor.* 12. 28). In Epistola autem ad Corinthios dicit, *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit Id.* 3. 6. 8) ; et rursus, *Qui plantat autem et qui rigat unum sunt : unusquisque autem propriam mercedem*

(*a*) De Pauli Samosateni hæresi sat diversa referuntur a scriptoribus Ecclesiasticis, Athanasio, Eusebio, Epiphanio, et Philastrio. Quidam vero dicunt illum ut et Sabellium identitatem Patris et Filii et Spiritus sancti induxisse. Christum negasse Deum esse dicitur a Theodoreto lib. 2 de Hæreticis fabulis, et clare a Philastrio. Quam sententiam hic oppugnat Chrysostomus et carpit ex his Pauli verbis, *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cælos ut adimpleret omnia.*

accipiet secundum suum laborem (2. *Cor.* 3. 6). Ita hic quoque. Quid enim, si affers minus? tantum accepisti. *Primum apostolos;* hi enim habebant omnia : *secundo prophetas;* erant enim aliqui qui apostoli quidem non erant, erant autem prophetæ, ut Agabus : *tertio evangelistas*, qui non omnes obibant regiones, sed evangelizabant, ut Priscilla et Aquila : *Pastores et doctores*, quorum fidei tota gens erat credita. Quid ergo? erant pastores et doctores inferiores? Maxime quidem, iis qui omnes obibant regiones et evangelizantibus, ii qui sedebant et in uno loco erant occupati, ut Timotheus et Titus. Alioqui autem nec hinc fieri potest subjectio et honoris prælatio, sed ex alia epistola. *Ipse dedit,* inquit; ne contradixeris. Aut evangelistas dicit, eos qui scripserint Evangelium. *Ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.*

3. Vides auctoritatem? Unusquisque ædificat, unusquisque perficit et consummat, unusquisque ministrat. 13. *Donec occurramus*, inquit, *omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ætatem hic dicit perfectam agnitionem. Quemadmodum enim vir stat firmus ac stabilis, pueri autem mentibus circumferuntur : ita etiam in fidelibus. *In unitatem*, inquit, *fidei.* Hoc est, donec ostensum fuerit nos omnes unam habere fidem. Hoc est enim unitas fidei, quando omnes unum sumus, quando colligationem omnes simul agnoscimus. Usque ad hoc tempus operari oportet, si propterea accepisti charisma ut alios ædifices. Vide ne teipsum evertas alii invidens. Deus te honoravit, et posuit ut alium perficias ac consummes. Nam et apostolus in hoc erat, et propheta in hoc erat, prophetans et persuadens, et evangelista evangelizans, et pastor et doctor : omnes unum opus susceperant. Ne mihi enim dixeris differentiam charismatum : omnes unum opus habebant. Nam quando omnes similiter credimus, tunc est unitas. Etenim quod hoc virum dicat perfectum, est perspicuum. Atqui alibi nos dicit parvulos, etiam cum sumus perfecti, sed alio spectans. Nam ibi quidem nos vocat parvulos ratione habita futuræ cognitionis : nam cum dixisset, *Ex parte cognoscimus*, subjunxit etiam, Per ænigmata, et quæ sunt hujusmodi (1. *Cor.* 13. 9. 12) : hic autem dixit alio respiciens, nempe ad facilem prolapsionem et mutationem : sicut etiam dicit alibi : *Perfectorum autem est solidus cibus* (*Hebr.* 5. 14). Vides quomodo illic quoque dicit perfectos? Vide quomodo hic vocavit perfectos per ea quæ subjunguntur, 14. *Ut jam non simus parvuli.* Hæc est, inquit, mensura, ut paucum quod accepimus omni studio firmiterque ac stabiliter retineamus. *Ut jam non amplius.* Illud, *Non amplius*, ostendit eos jampridem ita fuisse affectos, et seipsum ponit in loco correctionis, et corrigit. Propterea dicit, Tot fuerunt fabri, ne ædificium labefactetur, ne circumferatur, ut sint lapides firmi et stabiles. Hoc enim est illorum, nempe fluctuare, vacillare, circumferri et labefieri. *Ut jam non simus amplius parvuli, fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Et circumferamur*, inquit, *omni vento.* Prosequutus est metaphoram, ostendens in quo periculo sunt animæ quæ dubitant. *Omni*, inquit, *vento, in nequitiam hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Κυβευταὶ dicuntur qui utuntur talis. Tales sunt qui sunt vafri et astuti, postquam ceperint simpliciores : illi enim omnia transponunt et transferunt. Hic vitam quoque tetigit. 15. *Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus*, 16. *ex quo, totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate.* Obscure admodum est interpretatus, eo quod voluerit omnia simul dicere. Hoc est autem quod dicit : Sicut spiritus qui descendit a cerebro, sentiendi facultatem, quæ est per nervos, non absolute dat omnibus, sed pro convenientia et proportione uniuscujusque membri; ei quidem quod plus potest suscipere, amplius, minus autem ei quod minus; hoc enim est radix, nempe spiritus : sic etiam Christus : animabus enim tamquam membris ei appensis, ejus providentia et charismatum suppeditatio, congruenter proportioni et convenientiæ, in mensura incrementum facit uniuscujusque membri. Quid est autem, *Per juncturam subministrationis?* Hoc est, per sensum. Ille enim spiritus qui subministratur et suppeditatur membris a capite, unumquodque membrum tangens ita operatur. Ut si quis dicat, Corpus suscipiens subministrationem ac suppeditationem, congruenter proportioni membrorum quæ sunt in ipso, ita facit incrementum : aut aliter, Membra congruenter proportioni suæ mensuræ suscipientia suppeditationem, sic augentur : aut etiam aliter, Spiritus desuper abunde affluens, et omnia membra tangens, et suppeditatus ut unusquisque potest suscipere, ita augetur. Quanam autem de causa addidit, *In caritate?* Fieri enim non potest ut aliter spiritus ille descendat. Sicut enim, si contigerit ut manus sit avulsa a corpore, spiritus qui procedit a cerebro, quærens continuationem, cum non invenerit, non exsilit e corpore, et eo perforato exit ad manum; sed si jacentem non invenerit, non tangit : ita hic quoque, si non simus colligati caritate.

4. *Humilitas ad unitatem corporis Ecclesiæ necessaria.* — Hæc autem omnia ab eo dicta sunt exhortantia ad humilitatem. Quid enim, inquit, si hic aut ille plus accipit? eumdem accepit spiritum, qui ex eodem capite emittitur, qui similiter operatur, qui similiter tangit, *Qui compingitur et conjungitur*, hoc est, cujus magna cura geritur. Non enim quomodocumque, sed admodum artificiose corpus situm sit oportet : nam si e loco excesserit, non amplius situm est. Quare non oportet solum ut sit unitus corpori, sed etiam ut suum locum teneat : quod si exsuperaveris, non es unitus, neque spiritum suscipis. Annon vides in ossium transpositionibus, quæ aliquo casu contingunt, quando os loco suo trans-

misso alium tenet, quomodo totum corpus lædit, et sæpe mortem affert, et sæpe etiam de cætero inventum est indignum quod retineatur? multi enim sæpe eo exciso, locum fecerunt vacuum. Semper enim malum est id, quod redundat. Et in elementis quoque quando sua relicta symmetria plus quam decet abundaverint, universitati perniciem afferunt. Hoc est esse compactum et connexum. Quare unumquodque in suo loco manere, nec in alterum excedere non convenientem, quantum sit cogita. Tu membra componis; ille desuper subministrat ac suppeditat. Ut enim in corpore sunt ejusmodi instrumenta apta ad suscipiendum, ita etiam in spiritu, cum sit desuper universa radix: ut cor est radix spiritus, jecur sanguinis, lien bilis, et alia alterius: hæc autem omnia habent causam a cerebro: sic Deus quoque fecit, hominem valde honorans, et nolens ab eo abesse, ut qui ipse quidem causam a se pendere voluerit, sibi autem adjutores constituerit; et illum quidem ad hoc, hunc vero ad illud posuerit. Exempli causa apostolus est vas omnium corporis præcipuum, ab ipso omnia accipiens. Quamobrem tamquam per venas et arterias, verbi inquam, facit ad omnes currere vitam æternam. Propheta prædicit futura, et ipse eadem adstruit. Et ille quidem ossa componit; ipse eis vitam suppeditat. *Ad perfectionem sanctorum, ad opus ministerii.* Caritas ædificat et efficit ut inter se conglutinentur, compingantur et conjungantur. Si volumus ergo frui spiritu qui procedit a capite, alter alteri adhæreamus. Nam duæ sunt divisiones a corpore ecclesiastico; una quidem, quando refrixerimus in caritate; secunda autem quando ausi fuerimus ea facere, quæ sunt indigna ut simus in illo corpore; utroque enim modo nos separamus a pleno illo conventu. Quod si collocati ac constituti sumus ut alios ad hoc ædificemus, qui prius scindunt quid non patientur? Nihil Ecclesiam æque potest dividere, ut ambitio et amor imperii et gerendi magistratus: nihil Deum æque irritat atque divisam esse Ecclesiam. Etiamsi bona fecerimus innumerabilia, non minores, quam qui ejus corpus discindunt, pœnas dabimus, qui plenum ecclesiasticum conventum conscindimus. Nam illud quidem factum est ad lucrum orbis terrarum, etsi non eo animo: hoc autem nullam usquam habet utilitatem, sed ex eo damni est plurimum. Hæc a me dicta sunt non solum ad eos qui gerunt magistratus, sed etiam ad eos qui ab illis reguntur. Dixit autem vir quidam sanctus quiddam, quod magnam præ se fert audaciam, sed tamen est eloquutus. Quid hoc est autem? Dixit ne sanguinem quidem martyrii posse delere hoc peccatum. Nam dic mihi, quamnam ob causam es martyr? annon propter Christi gloriam? Qui pro Christo animam posuisti, quid popularis Ecclesiam, pro qua Christus suam profudit animam? Audi Paulum dicentem, *Non sum dignus vocari apostolus, qui persequutus sum Ecclesiam Dei* (1. Cor. 15. 9), et eam sum depopulatus. Non est hoc minus damnum quam quod affertur ab inimicis, sed multo majus. Nam illud quidem eam efficit clariorem; hoc autem etiam apud inimicos eam probro ac dedecore afficit, quando sui filii eam bello appetunt. Videtur enim magnum esse fraudis indicium apud eos, quod qui in ea sunt nati et educati et ejus arcana exacte didicerunt, ii repente mutati, tamquam inimici in eam sint affecti.

5. Hæc a me dicta sint ad eos, qui se dedunt indiscriminatim iis, qui scindunt Ecclesiam. Nam si dogmata quidem habent contraria, vel propter hoc ipsum non conveniebat cum illis misceri: sin autem eadem sentiunt, multo magis. Quare? Quoniam est morbus ambitionis et amoris imperii et magistratus. Nescitis quid passi sunt Core, Dathan et Abiron? num ipsi soli? annon etiam ii qui erant cum ipsis? Quid dicis? eadem est fides, illi quoque sunt orthodoxi? cur ergo non sunt nobiscum? *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Si res illorum recte habent, nostræ male; si res nostræ bene, res illorum male. *Parvuli*, inquit, *fluctuantes, et qui circumferuntur omni vento.* Existimatisne, quæso, sufficere si dicatur quod sint orthodoxi, pereat autem et intereat ordinatio? Et quid prosunt alia, si ea non sit exacta et accurata? Sicut enim pro fide, ita etiam pro hac pugnandum est. Nam si cuilibet licet suas implere manus, ut dicebant veteres, et fieri sacerdotes, accedant omnes: frustra fuit hæc ara ædificata, frustra est plenus Ecclesiæ conventus, frustra est sacerdotum numerus: ea de medio tollamus et perdamus. Absit, inquit. Vos hæc ipsa facitis; et dicitis, Absit? quomodo dicis, Absit, cum ipsa facta sint? Ego hæc dico et testificor, non spectans id quod mea interest, sed vestram salutem: si quis sit qui putet nihil referre, ipse viderit; si cui autem ex his non est curæ, at nobis est: *Ego plantavi*, inquit, *Apollo rigavit, sed Deus dedit incrementum* (1. Cor. 3. 6). Quomodo feremus Græcorum risum et ludibrium? Nam si nobis crimini dant hæreses, de his quid non dicent? Si eadem sunt dogmata, si eadem mysteria, quanam de causa alius rector aliam invadit Ecclesiam? Videte, inquiunt, quod res omnes Christianorum plenæ sunt inani gloria? quod ambitio apud eos, fraus et dolus? Adime eis, inquiunt, multitudinem, exscinde morbum, et turbæ corruptionem, et nihil sunt. Vultis dicam quæ dicunt de nostra civitate? quomodo nos arguunt de nimia facilitate? Licet, inquiunt, cuivis volenti invenire qui persuadeantur et credant; nec ii umquam defuerint. O rem ridiculam! Quodnam est hoc dedecus? Sed est aliud quoque ridiculum, et aliud probrum ac dedecus. Si qui ex nobis convicti rerum turpissimarum, sint aliquam pœnam daturi, magnus est tremor, magnus undique pavor, Ne resiliat, inquit, et desciscat, ne stet cum illis. Millies resiliat ac deficiat et sit cum illis, non dico, si quis sit ex iis qui peccarunt, sed etsi quis sit nulli peccato obnoxius et vult deficere, deficiat. Nam ego quidem doleo et defleo et plango et visceribus dissecor, ut qui priver proprio membro; sed non ita doleo ut propter metum cogar aliquid facere haud conveniens.

Chrysostomus doctrinæ verbi præfectus. Ecclesiam scindere non minus est malum quam incidere in hæresim. — Non dominamur vestræ fidei, o dilecti, nec domini more hæc imperamus : doctrinæ verbi præfecti sumus : non est autem nobis mandatus magistratus, nec data auctoritas : consiliariorum admonentium locum tenemus. Consiliarius dicit quæ a se procedunt, non necessitatem afferens auditori ; sed in ejus potestate dimittit ut facienda eligat quæ dicta sunt : culpæ tum solum est obnoxius, si non dixerit quæ ei sunt commissa. Ideo hæc dicimus, hæc loquimur, ne illo die liceat vobis dicere, Nemo nobis dixit, nemo explicuit, ignoravimus, nullum existimavimus esse peccatum. Propterea dico et protestor, Ecclesiam scindere non minus esse malum, quam incidere in hæresim. Dic mihi si quis alicui regi subjectus, ad alium quidem non defecerit, neque se alicui regi dediderit, sed illius acceptam et detentam purpuram a fibula totam demiserit, et in multa fragmenta disruperit, an minus punietur quam qui ad alterum defecerunt ? Quid vero, si insuper ipsum quoque regem jugulo apprehensum interemisset, membratim discerpens ejus corpus, quasnam pœnas dedisset pro meritis ? Si autem qui regi conservo suo hoc fecerit, majora fecit quam ut quas par est dare possit pœnas ; qui Christum jugulat et membratim dilaniat, quam non merebitur gehennam ? hancne, cujus sunt intentatæ minæ ? Ego quidem non arbitror, sed aliam longe graviorem. Dicite quotquot adestis (nam magna ex parte hoc est delictum mulierum), absentibus narrate hoc exemplum, eas terrete. Si qui existimant me dolore afficere et sic ulcisci, sciant se hæc frustra facere. Nam si nos vis ulcisci, ego tibi do modum, quo absque damno tuo ulcisci possis ; imo vero non absque damno ulcisci quis potest, at saltem cum minori : colaphos mihi impinge, conspue in publico occurrens, et plagas inflige.

6. Horrescis hæc audiens ? Horrescis si dixero Colaphos mihi impinge : et Dominum tuum discerpis, nec horrescis ? membra Domini dilaceras, et non contremiscis ? Ecclesia est domus paterna, unum corpus, et unus spiritus. Sed vis me ulcisci ? Ad me usque consiste. Cur pro me Christum ulcisceris ? imo cur adversus clavos calcitras ? Atque ulcisci quidem nusquam est bonum nec honestum ; altero autem injuriam faciente, alterum contumelia afficere, est longe gravius. Injuria es a nobis affectus ? cur ei es molestus qui tibi non fecit injuriam ? hoc est extremæ insaniæ. Non per ironiam dico quod sum dicturus, neque temere, sed ita ut sentio et sum affectus : vellem unumquemque eorum qui vobiscum in nos ulcerato sunt animo, et nobis male volunt, et propter hunc suum animi dolorem seipsos lædunt, et alio vadunt, nobis in ipsa facie plagas infligere, et nudatos flagris cædere sive jure sive injuria accuser, et iram in nos transmittere potius quam ea quæ nunc audent facere. Si hoc fieret, nihil esset hominem nihili et nullius æstimationis hæc pati. Alioquin autem ego injuria et contumelia affectus Deum rogarem, et vestra peccata remitteret : non quoniam tantam habeo fiduciam, sed quoniam qui est affectus injuria, quando rogat pro eo qui fecit injuriam, magnam habet fiduciam. *Si in hominem*, inquit, *peccaverit quispiam, orabunt pro ipso* (1. *Reg.* 2. 25). Si autem non possem ego, alios sanctos quærerem, et rogarem, et hoc efficerent. Nunc autem quem rogabimus, Deo a nobis affecto contumelia ? Vide inæqualitatem. Ex iis enim, qui hæc faciunt in Ecclesiam, alii quidem aut numquam accedunt, aut semel in anno, et tunc temere et quomodocumque : alii autem frequentius quidem, sed ipsi quoque temere et leviter disserentes, et de nihilo nugantes : alii autem qui videntur serio agere, hi sunt qui sunt auctores hujus calamitatis. Si ergo vos quoque propter ea serio agitis et studium vestrum ponitis, satius esset vos collocatos esse cum negligentibus : imo vero satius esset, neque illos esse negligentes, neque vos tales ; non vos dico qui adestis, sed illos qui resiliunt ac desciscunt. Ea res est adulterium. Si ergo hæc de illis dici non admittis, ergo nec de nobis : nam ex duobus alterum factum esse oportet præter leges. Si hæc ergo de nobis vos suspicamini, parati sumus cedere regendi munus cui voletis ; modo una sit Ecclesia : si nos autem legitime creati sumus, persuadete ut deponantur qui sedes præter leges ascenderunt. Hæc dixi, non tamquam imperans, sed vos tutos reddens et certis muniens præsidiis. Quoniam unusquisque habet ætatem, et de iis quæ gessit est redditurus rationem, rogo ne universo in nos conjecto, existimetis vos ipsos non esse rationi reddendæ obnoxios, ne vos temere decipientes plangatis. Reddemus enim rationem pro vestris animabus, sed quando deliquerimus, quando non rogaverimus, quando non admonuerimus, quando non fuerimus protestati. Post hæc autem, concedite ut ego quoque dicam, *Mundus sum a sanguine omnium* (*Act.* 20. 26), et, *Animam meam liberabit Deus* (2. *Tim.* 4. 18). Dicite quæ vultis, et justam causam propter quam receditis et desciscitis, et ego respondebo. Sed non dicetis. Vos quoque jam rogo ut strenue instetis, ut reducatis eos qui recesserunt : ut unanimes gratiarum actionem Deo emittamus. Quoniam est ei gloria in sæcula. Amen.

HOMILIA XII.

Cap. 4. v. 17. *Hoc igitur dico et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum.*

1 Doctorem oportet instituere et dirigere animos discipulorum, non solum consulendo et docendo, sed et terrendo et Deo tradendo. Nam quoniam quæ ab hominibus dicuntur tamquam a conservis, non sufficiunt ad tangendam animam, necesse est reliquum Domino tradere. Hoc ergo Paulus quoque facit. Nam

cum de humilitate disseruisset et de unione, et quod non oporteat alterum contra alterum insurgere, audi quid dicat : *Hoc ergo dico et testificor in Domino, ut jam non ambuletis sicut et gentes ambulant.* Non dixit, Non amplius ambuletis sicut ambulatis ; nimis enim pungit ea oratio ; sed idipsum quidem significavit, ab aliis autem duxit exemplum. Porro ad Thessalonicenses quoque scribens, hoc facit dicens : *Non in passione desiderii sicut et cæteræ gentes* (1. *Thess.* 4. 5). Ab illorum, inquit, dogmatibus dissentitis ; sed hoc totum Dei : ego autem ea quæro quæ a vobis sunt præstanda, vitam, et Deo congruentem ambulationem : hoc est vestrum. Testem autem appello Dominum eorum quæ a me dicta sunt, quod non reticui nec suppressi, sed dixi quemadmodum oporteat ambulare. *In vanitate,* inquit, *sensus ipsorum.* Quid est sensus seu mentis vanitas ? Versari in rebus vanis. Quænam autem sunt vana, nisi omnia præsentia ? de quibus dicit Ecclesiastes, *Vanitas vanitatum, omnia vanitas* (*Eccle.* 1. 2). Sed dicet quispiam, Si sunt vana et vanitas, quanam de causa facta sunt ? si Dei opera, quomodo sunt vana ? et multa de his verba fiunt. Sed audi, o dilecte. Non Dei opera dixit vana, absit : non est cælum vanum, neque terra vana ; absit : non sol, nec luna, nec astra, nec corpus nostrum : hæc enim omnia sunt valde bona : sed quid est vanum ? Audiamus ipsum Ecclesiastem dicentem, *Plantavi mihi vineas, feci mihi cantores et cantatrices, feci mihi piscinas aquarum : fuerunt mihi greges et armenta, coegi aurum et argentum ; et vidi quod omnia vanitas* (*Eccle.* 2. 5. *seqq.*) ; et rursus, *Vanitas vanitatum, omnia vanitas.* Audi etiam prophetam dicentem : *Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea* (*Psal.* 38. 7). Hac ratione vanitas vanitatum præclara ædificia, multum aurum et circumfluens, greges mancipiorum superbe in foro incedentes, fastus et gloria inanis, et elatio mentis et arrogantia. Hæc enim omnia sunt vana : non enim a Deo facta sunt, sed a nobis sunt fabricata. Cur autem vana ? Quoniam nullum habent bonum finem.

Pecuniæ vanæ, si consumantur ad delicias. — Pecuniæ sunt vanæ, quando consumuntur in delicias ; non sunt autem vanæ, quando disperguntur pauperibus. Quando autem eas consumpseris in delicias, videamus quisnam sit earum finis : pinguedo corporis, ructus, flatus, multitudo stercoris, crapula, carnis mollities, calorque et dissolutio. Ut si quis infundat in dolium perforatum, vane laborat : ita etiam qui degit in deliciis, infundit in dolium perforatum. Vanum alias dicitur quod exspectatum est quidem fore ut in honore esset et pretio, non fuit autem : quod etiam dicunt inane et spes inanes, et id quod fit temere et inconsiderate. Et omnino dicimus vanum quidquid ad nihil est utile. Videamus ergo annon res humanæ sint ejusmodi. *Edamus et bibamus ; cras enim moriemur* (1. *Cor.* 15. 32). Quis est ergo, dic quæso, finis ? Corruptio. Induamur et vestiamur, et quis finis ? Nihil. Hæc Græci quidam sunt philosophati, sed vane et frustra : vitam ostentarunt duram et asperam, sed temere et inconsiderate, non ad aliquem finem aspicientes utilem, sed ad inanem gloriam, et honorem qui habetur a multis. Quid est autem honor qui habetur a multis ? Nihil. Nam si ii etiam pereunt a quibus habetur honor, multo magis honor. Qui alii præstat honorem, sibi prius debet præstare : si autem sibi non præstat, quomodo præstabit alteri ? Nunc autem honorem quærimus ab infamibus, ab hominibus vilibus, abjectis et ignominiosis. Cujusmodi ergo est hic honor ?

2. *Ignis adoratores redarguuntur.* — Vides quod sint omnia vanitas vanitatum ? Ideo dicebat, *In vanitate mentis suæ.* Sed an eorum religio non est talis ? Quid autem ? annon ligna et lapides adorantur ? Fecit nobis solem lucere pro lucerna : quis suam adorat lucernam ? Sol præbet lucem ; sed quando ille non potest, lucerna potest : cur ergo non adoras lucernam ? Certe, inquit, adoro ignem. O rem ridiculam ! tantum probrum, et non erubescis ? En rursus alterum. Cur quod adoratur exstinguis ? cur perdis ? cur deum tuum de medio tollis ? cur non sinis domum tuam eo esse repletam ? Nam si ignis est deus, corpori tuo admoveatur, non fundo ollæ et lebetis deum subjicias : introduc in cellam penuariam, introduc in vestes sericas. Tu autem non solum non introducis, sed etiam si casu aliquo fuerit ingressus, undique eum abigis, omnes advocas, et perinde atque si ingressa sit fera aliqua, ita et fles et ingemiscis, et hanc rem vocas calamitatem ingentem, quod deus tuus adsit. Habeo ergo Deum, et omnia facio ut eum pectore meo complectar, et meam existimo felicitatem, non quando domum meam invisit, sed quando eum traxero ad cor meum. Tu quoque trahe ignem ad cor tuum. Hæc sunt ridicula et vanitas. Ignis res bona est ad usum, non ad adorationem ; ad ministerium et servitium, et ut mihi serviat, non ut in me obtineat imperium et dominatum : ille propter me factus est, non ego propter ipsum. Si ignem adoras, cur ipse quidem jaces in lecto, coquo autem tuo jubes, sit prope deum tuum ? Ipse artem suscipe coquinariam, et pistor efficere, aut si mavis, faber ærarius. Nihil est enim his artibus honorabilius, cum deus tuus eas invisat et earum curam gerat. Quid probrum ac dedecus existimas artem, ubi deus tuus est frequens ? cur servis mandas, ipse autem non dignaris ? Bona res est ignis, quoniam boni est opificis, sed non deus : opus enim Dei, non deus est appellatus. Non vides ejus petulantiam ? quomodo quando domos apprehenderit, nusquam se sistat, sed si aliqua tenuerit, omnia diruat, et nisi fabrorum aut aliquorum manus furorem ejus exstinxerint, non amicos novit, non hostes, sed omnibus similiter utitur ? Hiccine deus, nec vos pudet ? Re vera pulchre dixit, *In vanitate mentis suæ.* At sol est, inquit, deus. Dic mihi, unde id et quare ? Quoniam multam emittit lucem. Sed non vides eum vinci a nubibus, et servire necessitati naturæ, et deficere et abscondi a luna et nube ? atqui nubes est sole imbecillior, sed tamen sæpe in eum obtinet dominatum ; et hoc est opus Dei sapientiæ. Deus

debet esse omni ex parte sufficiens, hic vero multis indiget : hoc autem non est Dei. Aere enim indiget ad lucendum, eoque subtili ; nam qui est valde crassus, non sinit transire radium : aqua etiam indiget, et alio quod eum contineat ne comburat. Nam nisi fontes et lacus et fluvii et maria et cætera omnia humorem quemdam constituerent per vaporum emissionem, nihil vetaret quominus omnia ignescerent. Vides ergo, inquit, quod deus sit? O insaniam! o rem ridiculam! Quoniam potest, inquit, lædere, deus est. Atqui propter hoc non est deus, quia in iis, in quibus lædit, nullo indiget ; in quibus autem prodest, multis aliis habet opus : a Deo autem lædere quidem est remotum, prodesse autem est ejus proprium. Cum ergo sit id quod est contrarium, quomodo deus? Non vides quod venenata pharmaca quæ mortem afferunt lædunt, et nullo indigent ; quando autem prosunt, multis egent? Propter te ergo est talis, et pulcher et imbecillus : pulcher, ut agnoscas Dominum ; imbecillus, ne eum dicas esse dominum. At nutrit, inquit, plantas et semina? Quid vero, num ideo quoque stercus est deus? nam illud quoque nutrit. Cur non additur falx, et manus agricolæ? Ostende mihi solem nutrire solum, et non egere neque terra, nec aqua, nec agricultura : sed jaciantur semina, et immisso radio ostendat spicas. Si autem non est ejus solius, sed etiam imbrium, cur non aqua quoque est deus? Sed nondum de hoc agitur. Cur non etiam terra est deus? cur non et stercus, et ligo? Hæc ergo omnia, dic mihi, adorabimus? O nugas et ineptias! Atqui magis sine sole fuerit spica, quam sine terra et aqua, et plantæ et alia omnia similiter. Itaque si terra non sit, nihil horum apparuerit. Si quis autem in tegulam, ut faciunt pueri et mulieres, terra immissa sub tecto, eam posuerit multo stercore repletam, imbecillas quidem, plantas tamen edit. Itaque terra plus confert et stercus, et ea magis, quam illum, oportet adorare. Opus habet cælo ne noceat, opus habet aere, opus habet his aquis, tamquam quibusdam frenis cohibentibus ejus virium ferociam, nec sinentibus omnem in partem emittere radium tamquam ferocem equum. Dic vero mihi, ubinam est is noctu? quonam deus es peregre profectus? non est enim hoc dei, nempe includi et termino contineri ; hoc enim solum corporum est. Sed est quædam, inquit, in ipso potestas, et movetur. Ipsa ego potestas, dic mihi, estne deus? cur ergo ipsa eget, et ignem non cohibet? rursus enim eodem redit oratio. Quid vero illa potestas? estne illuminans, an per eum illuminat ipsa, nullius horum particeps? Sol ergo est ea major. Quousque labyrinthum circumagimus?

3. Quid vero aqua, non ipsa quoque deus est? inquiunt. Hoc quoque rursus est ridiculum non vacans contentione. Nonne est, inquit, deus, quo ad tam multa utimur? Et de terra rursus similiter. Revera *In vanitate mentis suæ, obscuratum habentes intellectum*. Sed hæc nunc dicit de vita : Scortantur et adulteria admittunt Græci. Merito : nam qui tales deos sibi describunt, consentaneum est eos hæc omnia facere : et si potuerint hominum oculos effugere, nullus est qui sit eos cohibiturus. Quid enim poterit id quod dicitur de resurrectione, cum eis videatur fabula? At quod dicitur de iis qui sunt apud inferos? Sed hæc quoque sunt fabulæ : vide autem cogitatum satanicum. Quando illis dicitur deos esse scortatores, non dicunt esse fabulas, sed credunt : quando autem loquuntur de supplicio, Sunt, inquiunt, poetæ, et omnia fabulantur, ut bonæ vitæ status omni ex parte evertatur.

Contra fatum et metempsychosin. — At philosophi invenerunt, inquit, quiddam plane præclarum, et his melius ac præstantius. Quomodo? qui fatum inducunt, et dicunt omnia nulla geri providentia, et nihil cuiquam esse curæ, sed constare omnia ex atomis? sed qui dicunt deum esse corpus? Sed quis? dic quæso : qui humanas animas faciunt esse caninas, et persuadent hominibus quod quidam aliquando fuit canis, et leo et piscis? Quousque non cessatis nugari mentem habentes obscuratam? nam ut qui sint in tenebris, omnia et dicunt et faciunt, tam quæ ad dogmata pertinent quam quæ ad vitam. Eorum enim quæ in medio sita sunt nihil videt is qui est circumfusus tenebris, sed sæpe, viso fune, existimat sponte enatum serpentem : rursus a sepe retentus, putat aut dæmonem aliquem aut hominem eum retinere ; multusque est tumultus, multa perturbatio. Ejusmodi quædam extimescunt. *Timebunt*, inquit, *ubi non erit timor* (*Psal.* 52. 6) : quæ jure autem timentur, non extimescunt : sed sicut infantes gestati a nutricibus manus quidem in ignem ex improviso et in lucernam audacter immittunt, virum autem sacco indutum extimescunt : sic isti quoque Græci, ut qui sint revera infantes, sicut etiam quidam dixit apud eos, Græci semper pueri, timent quidem quæ non sunt peccata, ut sordes corporis, mortui funus, cubile, dierum observationes, et quæ sunt hujusmodi ; quæ autem sunt vere peccata, prædicatus, adulterium, scortatio, eorum nullam habent rationem. Sed videris quidem eum a mortui contactu lavari, a mortuis autem operibus nequaquam ; et pro pecuniis quidem multum ponere studium, existimare autem uno gallo totam esse compositam litem ac controversiam : adeo obscurata mente sunt. Multis terroribus plena est eorum anima : ut puta, hic aut ille primus mihi occurrit domo exeunti ; omnino contingere oportet mala innumerabilia. Nunc servus exsecrandus dans mihi calceos, primum porrexit partem sinistram ; graves significantur calamitates, et contumeliæ. Ego ipse exiens sinistro priori processi pede ; hoc quoque est signum calamitatum. Et hæc quidem domi sunt mala : foras autem egresso dexter mihi oculus inferne salit ; hoc est indicium lacrymarum. Mulieres quoque quando sonant calami ad texturæ recta ligna allisi, vel cum ipsæ pectine discriminant, hoc pro signo habent. Rursus quando subtegmen pectine concutiunt, et id faciunt vehementius ; deinde qui sunt superne calami ob intensum ictum edunt strepitum, allisi ad rectum texturæ lignum, hoc habent pro signo : et alia innu-

merabilia digna quæ rideantur. Et si asinus exclamaverit, et si gallus, et si quis sternutavit, et quodvis aliud, tamquam decies mille vincti vinculis, ut dixi, tamquam qui teneantur in tenebris, omnia habent suspecta, et sunt magis serviles quam innumera mancipia. Sed ne nos quoque ita agamus, sed cum hæc omnia irriserimus, ut qui vivamus in luce, et in cælo versemur, et cum terra nihil habeamus commune, unum existimemus esse terribile, nempe peccatum et Deum offendere. Quod si hoc non sit, omnia alia irrideamus, et diabolum qui hæc intulit. Pro his Deo agamus gratias; studium ponamus ne umquam tali capiamur servitute; et si quis ex amicis nostris captus fuerit, vincula ejus perfringamus, liberemus eum ab hoc gravissimo et ridiculo carcere, reddamus eum expeditum ad currendum in cælum, pennas gravatas erigamus : propter vitam et dogma doceamus philosophari. Deo gratias agamus pro omnibus, rogemus eum, ne nos appareamus indigni dono nobis dato : et ipsi cum his nostra studeamus afferre, ut doceamus non solum dicentes, sed etiam facientes. Ita enim poterimus assequi bona innumerabilia : quæ detur nobis omnibus consequi, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

Cap. 4. v. 17. *Hoc igitur dico et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui,* 18. *tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum,* 19. *qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in avaritia.*

1. Hæc dicta sunt non solum Ephesiis; sed vobis quoque nunc dicuntur, et non a nobis, sed etiam a Paulo, imo nec a nobis, nec a Paulo, sed a gratia Spiritus. Tamquam ergo ipso hæc dicente nos oportet affici. Audi autem quid dicat : *Hoc igitur dico et testificor in Domino, ut jam non ambuletis sicut cæteræ gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in ipsis propter cæcitatem cordis ipsorum.* Si est ergo ignorantia, si excæcatio, cur criminaris? nam eum qui ignorat, non male pati nec accusari æquum est, sed discere quæ ignorat. Sed vide quomodo eos statim excludit a venia. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in avaritia.* 20. *Vos autem non ita didicistis Christum.* Hic ostendit eorum vitam fuisse causam excæcationis : vita autem orta est ex eorum socordia et indolentia. *Qui cum*, inquit, *de se desperassent et animum despondissent, seipsos tradiderunt.* Quando ergo audis, Deum eos tradidisse in reprobum sensum (*Rom.* 1. 23), recordare hujus verbi quod seipsos tradiderunt. Si enim seipsos tradiderunt, quomodo Deus tradidit? si autem Deus eos tradidit, quomodo seipsos tradiderunt? Vides eam quæ esse videtur repugnantiam? *Tradidit* ergo, idem est quod permisit, vel concessit. Vides quod, ubi non est vita pura, ibi talium quoque dogmatum est argumentum? *Omnis*, inquit, *qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem* (*Joan.* 3. 20). Quomodo enim posset flagitiosus et impurus, et qui omnium mulierum corporibus magis polluitur et inquinatur, quam porci qui in cœno voluntantur, et amat pecuniam, et temperantiæ ac modestiæ nihil omnio appetit, hanc vitam suscipere? Hanc, inquit, statuerunt operationem. Inde est excæcatio, inde est caligo mentis. Possunt esse tenebræ etiamsi lux luceat, quando imbecilli sunt oculi : fiunt autem imbecilli, aut malorum humorum affluxu, aut fluxus redundantia. Ita hic quoque : quando multus impetus rerum, quæ ad hanc vitam pertinent, obruerit perspicacem mentis nostræ facultatem, ea est in tenebris: et sicut in profundo jacentes in aqua, solem videre non potuerimus, multa aqua veluti quodam septo superne imposita : ita in mentis oculis fit cordis excæcatio, quando nullus timor animam concutit. *Non est*, inquit, *timor Dei ante oculos ejus;* et rursus, *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus* (*Psal.* 13. 3. 1). Non aliunde autem fit excæcatio, quam ex sensus defectu : hoc enim meatus obstruit. Quando enim concreta defluxio in unum locum cogitur, membrum fit mortuum et sensu destitutum; et sive usseris, sive secueris, sive quidvis feceris, non sentit. Ita etiam illi qui se semel dederunt impudicitiæ, etiamsi instar ignis, etiamsi instar ferri orationem eis applicaris, nihil eos tangit, nihil ad eos pervenit : est enim plane mortuum eorum membrum, et nisi eis ademeris sensus vacuitatem, ut membra sana tangas, frustra facis omnia. *In avaritia*, inquit. Hic maxime abstulit eorum excusationem et defensionem. Licebat enim eis, si voluissent, neque esse avari neque impudici neque ventri indulgere, et suas explere cupiditates eisque frui : licebat et pecuniæ, licebat et voluptatis et deliciarum moderate esse participes; sed quoniam iis immoderate usi sunt, omnia corruperunt. *In operationem immunditiæ*, inquit. Vides quomodo eos privat venia, dicens, *Operationem immunditiæ?* Non casu, inquit, lapsi peccarunt; sed gravia hæc ipsa fecerunt, et ea re meditata usi sunt in omni immunditia.

Immunditia quid sit. — Immunditia omnis est adulterium, scortatio, pædicatus, invidia, omnis libido et intemperantia. *Vos autem non ita didicistis Christum :* 21. *si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu.* Illud, *Si tamen illum audistis*, non est dubitantis, sed etiam valde affirmantis; sicut etiam dicit alibi : *Si tamen justum est apud Deum reddere retributionem iis qui vos tribulant* (2. *Thess.* 1. 6). Id est, Non in his Christum didicistis. *Si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est*

veritas in Christo Jesu, 22. *deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem.* Hoc est ergo Christum didicisse, recte vivere. Qui enim improbe vivit, Deum ignorat, et ab eo ignoratur. Audi enim ipsum alibi dicentem: *Deum confitentur se nosse, factis negant autem. Sicut est veritas in Jesu, deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem* (*Tit.* 1. 16). Hoc est, non his conditionibus pactum conventum fecisti. Nam quæ sunt apud nos, non sunt vanitas, sed veritas : sicut dogmata sunt vera, ita et vita. Vanitas enim est peccatum et mendacium; vita autem recta est veritas : habet enim magnum finem ; intemperantia vero in nihil desinit. *Qui corrumpitur*, inquit, *secundum desideria erroris sui.* Sicut ejus cupiditates et desideria corrumpuntur, ita ipse quoque.

2. Quomodo ergo corrumpuntur ejus cupiditates? Morte solvuntur omnia. Audi enim prophetam dicentem : *In illa die peribunt omnes cogitationes ejus* (*Psal.* 145 4). Nec morte sola, sed etiam multis aliis : ut puta, pulchritudo, cum advenerit morbus et senectus, abscedit, moritur et interit : robur corporis rursus iisdem concidit : deliciæ ipsæ non eamdem quidem habent voluptatem in senectute : idque nobis est perspicuum ex Berzellai. Scitis omnes historiam (2. *Reg.* 19). Aut alioqui eum ipsum rursus corrumpit et perdit cupiditas. Sicut enim lana ab iis perditur ex quibus nascitur, ita etiam vetus homo. Amor enim gloriæ perdit, et sæpe perdunt voluptates, et decipit cupiditas. Non est enim ea res voluptas, sed amaritudo, deceptio, simulatio, et imitatio scenica : et rerum quidem facies est splendida, res autem ipsæ non sunt aliud quam plenæ miseriæ et injucunditatis et multæ paupertatis : et si personam abstuleris et faciem ostenderis, videbis deceptionem. Deceptio enim est quando quid sit non apparet, sed quod non est ostenditur. Ita fiunt fallaciæ et paralogismi. Quatuor autem nobis homines hic describit : et, si placet, id jam demonstro. Hic quidem duos, sic dicens : *Deponentes veterem hominem, renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem ;* in Epistola autem ad Romanos alios duos, ut quando dicit, *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* 7. 23) : et isti cum illis habent cognationem ; cum interiore novus, cum exteriore vetus : sed tres corrupti sunt. Vel potius etiam nunc sunt tres, novus et vetus, et hic essentialis et naturalis. 23. *Renovamini*, inquit, *spiritu mentis vestræ.* Ne quis existimet quod alium hominem introducat, postquam dixit veterem et novum, vide quid dicat : *Renovamini.* Renovari autem est, quando idipsum quod consenuit, renovatur, ut quod fiat aliud ex alio: ita ut subjectum quidem sit idem, mutatio autem sit in accidente. Sicut corpus quidem est idem, mutatio autem est in accidente : ita et hic quoque. Quomodo autem fieri poterit renovatio? *In spiritu mentis vestræ*, inquit. Qui ergo rem habuerit veterem, nihil operabitur : non sustinebit enim spiritus veteres actiones *Spiritu*, inquit, *mentis vestræ;* hoc est, spiritu qui est in mente. 24. *Et induimini novum hominem.* Vides quod unum quidem sit subjectum, indumenta autem duo, nempe et id quo exuitur, et id quo induitur? *Novum hominem*, inquit, *qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Cur autem virtutem appellat hominem, et cur hominem vitium? Quoniam homo non potest ostendi absque operatione. Quo fit ut hæc non minus quam natura, hominem ostendant, sive bonum sive malum. Sicut autem facile est exui, ita etiam licet videre in virtute et vitio. Juvenis qui est novus, est fortis ; ergo nos quoque simus fortes ad operationem bonarum actionum : juvenis non habet rugam ; ergo nec nos quoque : juvenis non circumfertur, neque facile capi potest a morbis ; igitur nec nos quoque. *Qui creatus est.* Vide quomodo hic creationem vocet deductionem virtutis ad essentiam, ut quæ ex nihilo. ad hoc ut esset, sit deducta. Qui vero? creatio illa non est secundum Deum? Nequaquam, sed secundum diabolum : ipse est creator peccati. Quomodo? Homo enim non ex aqua, nec ex terra est creatus, sed in justitia et sanctitate veritatis. Quid hoc est? Statim illum creavit filium : hoc enim fit a baptismate : hæc est essentia. Recte dixit, *In justitia et sanctitate veritatis.* Erat aliquando justitia, erat et sanctitas in Judæis, verum non veritatis, sed typus ac figura erat illa justitia. Esse enim mundum corpore, munditiæ erat typus, non veritas munditiæ, justitiæ erat typus, non veritas justitiæ. *In sanctitate*, inquit, *et justitia veritatis.* Et hoc forte dicit respiciens ad falsum : quoniam multi sunt apud externos qui videntur esse justi, sed sunt fallaces.

Justus quisnam vere sit. — Justitia autem dicitur virtus in genere. Audi enim Christum dicentem, *Nisi justitia vestra magis abundaverit quam scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* 5. 20); et rursus, *Justus dicitur qui nihil habet quod reprehendatur* (1. *Joan.* 3. 9). Nam in forensibus etiam judiciis illum dicimus justum, qui injuriam accepit nec reddidit. Si ergo nos quoque in horrendo judicio potuerimus alter apud alterum videri justi, poterimus aliquam assequi benignitatem. Nam ut apud Deum quidem videamur, non potest fieri, quidquid ostenderimus : ipse enim jure semper est superior; sicut etiam dicit propheta, *Et vinces cum judicaris* (*Psal.* 50. 6). Sed si, quæ inter nos intercedunt jura, non corruperimus, tunc justi erimus : si potuerimus ostendere nos injuriam accepisse, tunc justi erimus. Quomodo autem eis indutis rursus dicit, *Induimini?* A vita inquit nunc et operibus. Tunc indumentum fuit a baptismate, nunc autem a vitæ agendæ ratione et operibus : non amplius secundum concupiscentias deceptionis, sed secundum Deum. Sanctum autem quid est? Quod est mundum, quod debetur. Propterea eorum etiam qui decesserunt justa dicimus : hoc est, De cætero nihil eis debeo, non sum eis obnoxius. Sic solemus dicere, ἀφωσιωσάμην, Me expiavi et absolvi, et quæ sunt hujusmodi ; hoc est, Nihil debeo.

3. Nostræ ergo sunt partes ne exuamur vestimento justitiæ, quod propheta vocat vestimentum salutaris (*Psal.* 131. 16), ut Deo simus similes : ipse enim indutus est justitiam. Hoc vestimento induamur. Indui autem nihil aliud significat, quam numquam deponere. Audi enim prophetam dicentem, *Induit maledictionem sicut vestimentum, et veniet ei ;* et rursus, *Qui induitur lumine tamquam vestimento* (*Psal.* 108. 18. *et* 103. 2). Et rursus nobis mos est dicere de hominibus, Hic illum induit. Vult itaque nos non unum nec duos, nec tres dies, sed perpetuo esse in virtute, et hanc vestem numquam exuere. Hominem enim non adeo dedecet esse nudum corpore, atque nudum virtute : hic conservi eum aspiciunt indecore se gerentem, illic autem Dominus et angeli. Si ergo videris quempiam nudum per forum progredientem, dic rogo, non ægre fers ? Quando autem tu curris hac veste nudatus, quid dicemus? Non vides hos mendicos, quos solemus vocare Lotagas (*a*), quomodo circumeant, quomodo etiam eorum misereamur ? Sed tamen eis non datur ulla venia : neque enim eis ignoscimus, quando aleis ludentes suas perdunt vestes. Quomodo ergo nobis ignoscet Deus, qui hoc vestimentum perdiderimus? Quando enim diabolus quempiam viderit nudum virtute, statim faciem fuligine illinit maculatque et obscurat, sauciatque, et ad magna cogit. Simus nudi pecuniis, ne nudemur a justitia : pecuniarum amictus hanc perdit vestem : est amictus spinarum. Tales sunt spinæ, et quo plures induerimus, eo magis nudamur. Impudicitia nudat hac veste ; est enim ignis : ignis autem consumit hanc vestem. Divitiæ sunt tinea : sicut tinea corrodit omnia nec sericis parcit ; ita hæc quoque. Hæc ergo omnia deponamus, ut simus justi, ut novum hominem induamur. Nihil vetus, nihil quod apparet, nihil quod corrumpitur et interit, possideamus. Virtus non est laboriosa, non est difficile ut ex ea rectæ sint actiones.

De Monachis et de Virginibus Christo dicatis. — Non vides eos qui sunt in montibus ? illi et domos dimittunt et uxores et liberos et omnem præfecturam et administrationem, et extra mundum ipsi a se positi, sacco induti, substrato cinere, collo suspensis asperis collaribus, cum in parvas se concluserint domunculas, ne ad hæc quidem usque consistunt, sed et jejuniis et fame perpetua se affligunt. Atqui si ego quidem hæc juberem, non omnes resiliretis ? non diceretis rem esse gravem et difficilem ? Nihil tale dico vos oportere facere : nam velo quidem, sed non fero legem. Quid ergo ? Utere balneis, et cura corpus, et vade ad forum, et habe domum, et tibi serviant ministri, et cibo potuque utere : expelle semper avaritiam et cupiditatem. Illa enim est quæ facit peccatum, et eadem res, plus quam par sit abundans, facta est peccatum. Non est itaque amor plura possidendi aliud quam peccatum. Vide autem : animus cum plus quam par sit fuerit incitatus, tunc exsiliens maledictis impetit, tunc injuste facit omnia : amor itidem corporum, pecuniæ, gloriæ, et aliorum omnium. Nec mihi dixeris illos potuisse : multi enim te multo imbecilliores et ditiores et delicatiores susceperunt illam duram et asperam vitam. Et quid dico viros ? puellæ nondum viginti annos natæ, quæ in thalamis et in vita umbratili totum tempus transegerant, et jacebant in thalamis refertis unguentis et suffitibus et in molli cubili, ipsæ et natura molles, et multa curatione effectæ molliores, quibus toto die nullum aliud erat opus quam ut ornarentur, et aurum gestarent, et omnibus fruerentur deliciis ; quæ non ipsæ sibi ministrabant, sed multas habebant ancillas quæ assistebant, et molles habebant vestes ipso corpore molliores, utpote lineas subtiles et delicatas, et assidue agebant in rosis et hujusmodi suavibus odoribus : ipse vero repente a Christi igne correptæ, cum omnem illam exuissent mollitiem et fastum, educationis et ætatis oblitæ, tamquam strenui quidam athletæ, mollibus illis exutæ, in media ingressæ sunt certamina. Et videbor quidem dicere incredibilia, sed tamen vera. Has quidem adeo molles puellas audivi se ad tantam redegisse vitæ duritiem et asperitatem, ut asperrimis ciliciis nuda sua corpora induerent, et molles illi calcanei nullis alligati essent calceis, et in toris cubarent gramineis : imo vero majorem noctis partem vigilarent, et nec unguentum, nec quidquam ex illis pristinis curarent, sed et caput quod prius ita curabatur et ornabatur, negligeretur, temere et indiscriminatim ita vinctis capillis ut nihil incideret indecorum. Mensa autem est eis solum vespertina, mensa, quæ neque olus est neque panis, sed simila et faba et cicer et oleæ et ficus. Perpetuum quoque est eis lanificium : et sunt earum opera longe graviora quam ancillarum domesticarum. Quid enim ? susceperunt enim eas curandas quæ laborant corpore, lectos portantes, pedes lavantes : multæ quoque ex eis coquorum funguntur officio. Tantum potest ignis Christi : ita naturam superat animi alacritas. Verum enim vero nihil tale a vobis exigo, quandoquidem vultis superari a mulieribus.

4. Hæc saltem facite, quæ non sunt gravia et difficilia : manum continete et impudicos oculos. Quid hoc, dic mihi, est grave, quid difficile ? Justa facite, nemini injuriam inferte, neque pauper, neque dives, neque qui in foro versaris, nec qui es mercenarius : potest enim etiam ad pauperes usque pervadere injustitia. Non videtis quam multas isti cient pugnas, et evertunt omnia ? Utere matrimonio, habe filios. Etiam Paulus eis præcipiebat, et ad eos scribebat. Magnum est illud certamen, et altus scopulus, et cacumen est cælo propinquum ; neque potes ad id quod magnum est pervenire ? Minora ergo saltem sectare, et desidera quæ sunt inferiora. Non potes pecunias effundere ? Saltem ea quæ sunt aliorum noli rapere, nec fac injuriam. Non potes jejunare ? Saltem ne progrediaris ad delicias. Non potes in toro herbaceo

(*a*) Ex Chrysostomi verbis arguitur Lotagas illos circulatores fuisse, qui spectaculi et stipis cogendæ causa circumquaque discurrebant. Alii tibicines fuisse dicunt a λωτὸς *tibia*, quam etiam per ο scripsere quidam λοτός : quæ interpretatio non pugnat cum ista Chrysostomi.

cubare? Ne mihi compares lectos argento ornatos, sed lecto utere et stragulis, non factis ad ostentationem, sed ad requiem, neque lectos eburneos : teipsum contrahe. Quid innumerabilibus quæ importari possunt navem imples onerariam? Si sis moderatus et compositus, nihil timebis, non invidiam, non latrones, non insidiatores. Non enim es tam dives pecuniis, quam curis : non ita abundas possessionibus ut angoribus et periculis. *Qui ditescere volunt*, inquit, *tentationes et concupiscentias noxias sibi inducunt* (1. *Tim.* 6. 9). Hæc sustinent qui multa volunt possidere. Non dico, Ministra laboranti; at saltem jube puero ut hoc faciat. Vides quam non sit grave et molestum? quomodo enim esset, cum teneræ puellæ longo spatio nos exsuperent? Nos pudeat, rogo, quod in iis quæ ad mundum pertinent nusquam eis cedimus, non in bellis, non in certaminibus; in spiritualibus autem certaminibus plus quam nos ferunt, et majora rapiunt præmia, et volant altius tamquam quædam aquilæ : nos autem tamquam graculi inferne circa nidorem et fumum semper versamur. Est enim re vera graculorum et liguritorum canum de mensæ stuctoribus et coquis cogitare. Audi priscas feminas : magnæ enim, magnæ et admirabiles fuerunt feminæ, ut Sara, Rebecca, Rachel, Debora, Anna : etiamque tempore Christi tales erant; sed viros nusquam sunt prætervectæ, sed locum tenebant secundum : nunc autem contra feminæ nos prætereunt et obscuros reddunt. Quam est hoc ridiculum et quam pudendum! Nos locum tenemus capitis, et vincimur a corpore? Constituti sumus ut eis imperemus : non ut solum imperemus, sed imperemus in virtute. Nam qui imperat, hoc maxime debet imperare, ut vincat virtute : sin autem superatur, non amplius imperat nec tenet principatum.

Mulierum virtutes et vitia. — Vidistis quanta sit virtus adventus Christi? quomodo exsecrationem solverit et maledictionem? Plures enim sunt virgines apud mulieres, major est apud illas temperantia et moderatio, plures viduitates : nullum verbum obscœnum femina cito emiserit. Cur tu ergo, dic mihi, turpia et obscœna loqueris? Ne mihi enim dixeris feminas deploratas : est quidem genus mulierum sui ornandi studiosum, et hoc est ejus delictum. Sed in hoc quoque vos viri vincitis, qui illis æque delectamini atque ornatu proprio. Non enim existimo mulierem ita suis aureis ornari ornamentis, ut maritum uxoris : non ita sibi placet ob zonam auream, quam quod uxor aurum gestet. Quare in vos quoque causa est conferenda, qui scintillam excitatis et flammam accenditis. Alioqui autem non est tantum peccatum mulieris, quantum est in viro. Tu es constitutus ut illam componas : ubique vis habere primas partes : ergo in hoc quoque ostende ex rebus tuis, quod illius supervacanei sumptus nulla tibi sit ratio. Est magis aptum et conveniens mulieri ut ornetur, quam viro. Quando ergo tu non effugis, quomodo illa effugiet? Habent illæ etiam quamdam inanem gloriam; sed hoc quoque est viris commune : sunt iracundæ; et hoc est commune. In quibus autem superant, ea non sunt amplius communia, gravitatem dico et honestatem, fervorem, pietatem, erga Christum dilectionem. Cur ergo, inquies, eis interdixit sede doctoris? Est hoc quoque signum, quod multum interest inter eas et viros, et quod magnæ fuerint quæ tunc erant. Paulo enim, dic quæso, docente et Petro illis sanctis, mulieremne ad eam rem prosilire oporteret? Nunc autem eo venimus nequitiæ et improbitatis, ut etiam merito quæratur cur non docent mulieres : usque adeo advenimus ad earum imbecillitatem. Hæc dixi, non quod velim eas extollere, sed nobis ipsis pudorem incutere, erudireque et monere, ut imperium et principatum qui nobis convenit suscipiamus, non ut simus majores, sed ut provideamus et curam geramus et ex virtute vitam instituamus. Tunc enim in eo statu in quo convenit erit corpus, quando optimum principem qui ei imperet fuerit assequutum. Faxit autem Deus ut et feminæ et viri ad Dei placitum omnes vivant, ut digni omnes habeamur in illo die terribili qui fruamur benignitate Domini, et bona promissa consequamur, in Christo Jesu Domino nostro.

HOMILIA XIV.

Cap. 4. v. 25. *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : quoniam sumus invicem membra.* 26. *Irascimini et nolite peccare : sol non occidat super iracundiam vestram :* 27. *nolite locum dare diabolo.*

1. Cum de veteri homine universe dixisset et in genere, jam eum describit etiam sigillatim. Hæc enim doctrina est facilior ad discendum, quando etiam discimus singulatim. Quid autem dicit? *Propter quod deponentes mendacium.* Quod mendacium? num dicit idola? Non de iis dicit : nam hæc quidem sunt mendacium; sed de illis non nunc agitur; nihil enim his commune cum illis : sed de mendacio quod profert alter cum altero, quod est dolosum et fraudulentum. *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.* Deinde quod etiam pudorem magis incutit : *Quoniam sumus invicem membra*, nemo decipiat proximum. Quod quidem dicit psalmographus id sursum et deorsum agitans, *Labia dolosa in corde, et in corde loquutus est mala* (*Psal.* 11. 13). Nihil est enim, nihil est quod æque pariat inimicitias, atque decipere et fallere. Vide quomodo eis ubique pudorem incutiat per corpus. Ne fallat, inquit, oculus pedem, neque pes oculum. Ut puta, si sit fossa profunda, et super terram positis arundinibus et terra opertis, in superficie præbeat oculis opinionem terræ solidæ; annon utetur pede, ut sciat num sit inferius vacuum, an remittatur et resistat? num non fallat pes, sed quod est renuntiet? Quid vero, si serpentem viderit oculus, aut feram, num fallit pedem? non statim renuntiat? Ille autem cum

ab eo didicerit, non amplius pergit. Quid autem, quando neque oculus, neque pes invenerit quomodo discernat, sed totum sit odoratus, ut utrum sit venenum letale necne, num os fallit odoratus? Minime. Quare? Nam seipsum quoque perdit si fallat : sed dicit quod sibi occurrit. Quid vero lingua, fallitne stomachum? non cum amarum quidem viderit, rejicit; sin autem dulce, transmittit? Vide ministerium, et servitutis remunerationem : vide curam et providentiam ex veritate ortam, idque alacri et prompto, ut ita dicam, animo. Ita nos quoque ne mentiamur nec fallamus, si sumus alter alterius membra. Hoc est indicium amicitiæ; contrarium autem inimicitiarum. Quid vero, inquit, si insidietur? Quod verum est disce : nam si insidietur, non est membrum. Dixit autem, Ne mentiamini adversus membra. *Irascimini, et nolite peccare.* Vide sapientiam : et dicit quomodo non peccemus, et eos qui non obedierint rursus non relinquit : non enim dimittit viscera sua spiritualia. Sicut enim medicus ægroto quidem dicit quæ sunt agenda; quod si ille ut ea faciat non sustinuerit, non tamen eum despicit, sed persuadendo adhibens consilium, rursus curat : ita etiam Paulus. Nam qui illud quidem facit, nempe qui despicit, gloriam solum quærit, et ægre fert quod sit contemptus : qui autem semper quærit sanitatem laborantis, hoc unum solum spectat ut jacentem restituat. Hoc quoque facit Paulus dicens, Nolite mentiri : si quando autem orta sit ira ex mendacio, hoc quoque rursus curat. Quid enim dicit? *Irascimini, et nolite peccare.* Bonum est enim non irasci; sed si quis aliquando in eam inciderit culpam, ne tamen sit diuturna. *Sol*, inquit, *non occidat super iracundiam vestram.* Vis ira impleri? sufficit tibi una hora et altera et tertia; ne vobis relictis inimicis sol recedat. Ortus est a bonitate : ne recedat cum luxerit apud indignos. Nam si Dominus eum misit ex multa bonitate, et peccata tibi remisit, tu autem proximo non remittis, vide quantum sit malum. Cum hoc autem malo est aliud quoque : timet Paulus, ne si nox eum qui est injuria affectus in solitudine invenerit inflammatum, ignem accendat. Nam quamdiu, dum est dies, multa excutis, licet tibi exsatiari : quando autem ventura est vespera, reconciliare, et recens malum exstingue. Nam si nox apprehenderit, non poterit dies sequens, malum noctu quoque coactum et congregatum exstinguere; sed etiamsi majorem partem resecueris, totum autem non possis, dat rursus sequenti nocti ex eo quod est relictum majorem rogum faciendum : et sicut sol, si quod est aeris in nubem coactum et condensatum per noctem, non potuerit calore diurno mollire et dispergere, occasio præbetur tempestatis, dum nox reliquias apprehenderit, et eas rursus aliis vaporibus alucrit : ita etiam in ira. *Nolite locum dare diabolo.* Itaque bellum sibi mutuo inferre, est locum dare diabolo. Nam cum oporteret omnes simul esse constipatos et condensatos, et adversus illum stare, solutis quæ sunt nobis cum illo inimicitiis, jubemus ut alter in alterum convertamur Numquam enim locum sic habet diabolus ut in inimicitiis.

2. *Inimicitiarum mala : quomodo sint sedandæ.* — Hinc mala nascuntur innumera. Et sicut quamdiu quidem sunt compacti lapides, neque quidquam habent vacuum, stant infracti; sin autem contigerit solius acus fieri perforationem aut rupturam, quæ unius pili solum locum teneat, totum murum pervadentem, hoc omnia dissolvit et perdit : ita etiam in diabolo; quamdiu quidem fuerimus conjuncti condensatique ac bene compacti, nihil omnino infert ex iis quæ sua sunt; quando autem nos parum mollierit, tamquam torrens quidam influit. Ei enim semper solo opus est initio; et hoc est quod difficulter recte componitur : hoc autem facto ipse sibi omnia dilatat : deinceps enim aures aperit calumniis, et iis qui falsa dicunt major adhibetur fides : nam disceptantes habent inimicitias, non judicantem veritatem. Et sicut si sit amicitia, etiam mala vera videntur falsa; ita etiam si sint inimicitiæ, etiam falsa videntur vera : alia est mens, aliud judicium, non ex æquo audiens, sed cum magna inclinatione et in alteram partem propensione. Quemadmodum enim in libra plumbum additum totum trahit : ita hic etiam pondus inimicitiarum, cum sit plumbo gravius. Quamobrem rogo agamus omnia, ut ante solis occasum exstinguamus inimicitias. Nam si primo et sequenti die eas tenueris, sæpe etiam ad annum usque extendis, et de cetero ipsæ seipsas augent inimicitiæ, nec aliquo indigent; et quæ alites dicuntur aliter suspicari facientes, etiam gestus habitusque et quodlibet furorem invehunt, et efficiunt ut pejus se habeant quam furiosi, ira neque nomen dicere nec audire sustinente, sed ex maledictis et conviciis loquente omnia. Quomodo ergo iram moliemus? quomodo flammam exstinguemus? Si nostra ipsorum peccata mente versemus, ac quantum Deo debeamus, et ad ei reddendam rationem simus obnoxii : si cogitemus quod non ulciscimur inimicum, sed nos ipsos : si cogitemus quod diabolum lætitia afficimus, nostrum inimicum, qui vere est inimicus, propter quem membro nostro injuriam facimus. Vis acceptæ injuriæ esse memor, et inimicus? Sis inimicus, sed diaboli, non membri tui. Propterea nos animo et ira armavit Deus, non ut ensem in nostra corpora adigamus, sed ut totum gladium in diaboli pectus immergamus. Illic include ensem usque ad capulum, si vis, et ipsum capulum. nec umquam evulseris, sed etiam adde alium. Hoc autem fiet quando nobis ipsis parcemus, quando placate inter nos affecti erimus. Pereant pecuniæ, pereat gloria et bona existimatio : meum membrum est mihi omnibus pretiosius. Hæc apud nos dicamus : Ne nostræ naturæ injuriam faciamus, ut pecunias acquiramus, ut gloriam consequamur. 28. *Qui furatur, jam non furetur*, inquit. Vides quænam sint membra veteris hominis? mendacium, acceptæ injuriæ recordatio, furtum. Cur autem non dixit, Qui furatur, castigetur, torqueatur, sed, *Non amplius furetur? Magis autem laboret operando bonum manibus*

suis, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. Ubi sunt qui dicuntur Cathari (*a*), id est mundi, qui omni sorde pleni ita se audent nominare ? Potest enim, potest crimen exui, non solum eo quod desistatur a peccato, sed etiam eo quod fiat bonum aliquod. Videtis quomodo oporteat exuere peccata ? Furati sunt ; hoc est peccatum admittere : non furati sunt ; hoc non est peccatum solvere ; sed quomodo ? Si laborarunt, et aliis impertierunt : sic solverunt peccatum. Non vult solum nos laborare, sed ita laborare ut aliis impertiamus : nam etiam qui furatur operatur, sed malum. 29. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.* Quis est sermo malus ? Is, quem etiam dicit otiosum, detractio, obscœnus sermo, scurrilitas, stultiloquium. Vides quomodo exscindit iræ radices, mendacium, furtum, intempestivam disputationem ? Illud autem, *Non amplius furetur*, non tam dicit illis ignoscens, quam mites et clementes eos reddens quibus facta erat injuria, et suadens ut eo contenti sint, quod non sint ea amplius passuri. Bene autem de verbis monet : Non solum enim rerum, sed etiam verborum pœnas damus. *Sed si quis bonus ad ædificationem fidei ut det gratiam audientibus.* Hoc est, hoc solum loquere quod ædificat proximum, nihil autem supervacaneum.

3. *Lingua quomodo utendum.* — Propterea enim tibi os et linguam dedit Deus, ut Deo agas gratias, ut proximum ædifices. Quod si ædificium destruas, melius est silere, et numquam loqui. Nam manus artificis, quæ pro struendis muris deputatæ, didicerint destruere, jure exscinderentur. Etenim hoc quoque dicit psalmographus : *Perdet Dominus omnia labia dolosa* (*Psal.* 11. 4). Hoc os est causa omnium malorum, imo vero non os, sed qui eo male utuntur. Hinc contumeliæ, maledicta, blasphemiæ, voluptatum fomites et incendia, cædes, adulteria, furta, omnia ex eo nascuntur. Et quomodo, inquit, cædes ? A contumelia ad iram, ab ira ad plagas, a plagis ad cædem devenisti. Quomodo adulterium ? Hæc vel illa te, inquit, amat, boni quidpiam de te est loquuta, robur tuum relaxavit, deinde tibi sic quoque accenditur cupiditas. Propterea dicebat Paulus, *Si quis bonus.* Quoniam ergo verborum multa est profusio, merito dixit indefinite, ut qui illa loqui jusserit, et formam dederit. Quamnam ? Si quis ædificat, dicens. Aut hoc dicit, ut qui audit, tibi habeat gratiam. Ut puta : scortatus est frater ; ne insolenter probro ac contumelia afficias, nec cum ludibrio ei insultes : auditori nihil prodes, sed cum lædis, ut par est, ut qui scrupulum ei injeceris. Sed si ei suadeas ea quæ sunt agenda, magnam das ei gratiam ; si erudias ut bona verba eloquatur, si docueris ut neminem maledicto appetat, maxime eum erudis, et ei das gratiam ; si loquaris de compunctione, de pietate, de eleemosyna, hæc omnia molliunt ejus animum. Pro his omnibus fatebitur se tibi habere gratiam. Sed si irasum moveris, si turpe loquutus fueris, magis accendis ; si laudaris nequitiam, dejicis et perdis. Igitur vel hoc dicendum : vel ut eos reddat gratiosos, ita dixit. Ut enim unguentum dat gratiam iis qui sunt ejus participes, ita etiam sermo bonus. Propterea quidem etiam dicebat, *Unguentum effusum nomen tuum* (*Cant.* 1. 2), quod eos faciebat spirare ex bono illo odore. Vides illum quod semper suadet, hoc quoque nunc dicere, ut qui mandet unicuique ædificare proximum pro viribus ? Qui ergo aliis hæc suades, multo magis tibiipsi. 30. *Et nolite contristare*, inquit, *Spiritum sanctum.* Horribilius hoc et terribilius : quod quidem dicit etiam in Epistola ad Thessalonicenses : illis enim quoque tale quid dicit, *Nam qui spernit, non hominem spernit, sed Deum* (1. *Thess.* 4. 8). Ita hic quoque : Si verbum dixeris contumeliosum, si fratrem percusseris, non illum percussisti, sed Spiritum affecisti tristitia. Deinde est etiam accessio beneficii, ut major sit accusatio : *Et nolite contristare*, inquit, *Spiritum sanctum, in quo signati estis in die redemptionis.* Is nos fecit gregem regalem, is nos abduxit a primis omnibus, is non permisit nos esse sitos cum iis qui sunt obnoxii iræ Dei, et tu eum tristitia afficis ? Vide quomodo illic quidem terribiliter dicit : *Nam qui spernit, non hominem spernit, sed Deum ;* hic autem apposite ad pudorem inculiendum, *Nolite contristare*, inquit, *Spiritum sanctum, in quo signati estis.* Hoc signaculum sit in ore : ne sigilla sustuleris. Os spirituale nihil tale loquitur. Ne dicas, Nihil est si turpe dixero, si hunc aut illum contumelia affecero. Propterea magnum est malum, quoniam nihil esse videtur. Nam quæ nihil esse videntur, facile contemnuntur ; quæ autem contemnuntur, etiam augentur ; quæ autem augentur, fiunt incurabilia. Os habes spirituale ? Cogita quod verbum dixeris primum quando es loquutus, quanta sit dignitas oris tui. Patrem vocas Deum, et fratrem statim injuria afficis ? Cogita undenam Deum vocas Patrem. A natura ? sed non potueris. A virtute ? sed nec hoc. Sed unde ? A sola benignitate et clementia, a multa misericordia. Quando ergo Deum vocas Patrem, non solum hoc cogita, quod facis indigna illa generis nobilitate, contumelia afficiens ; sed quod etiam a benignitate et clementia habes nobilitatem generis. Ne eam ergo dedecore afficias, cum eam quidem acceperis a benignitate et clementia ; crudelitate autem et sævitia utaris adversus fratres. Deum vocas Patrem, et eum contumelia afficis ? Sed hæc non sunt filii Dei. Opus filii Dei est inimicis remittere, pro crucifigentibus orare, pro iis qui oderunt sanguinem effundere. Hæc sunt digna filio Dei, inimicos, ingratos, fures, impudentes, insidiatores, eos fratres facere et heredes, non autem eos qui facti sunt fratres tamquam mancipia afficere contumelia.

4. *Contra maledicos.* — Cogita quænam verba loquutum est os tuum, quanam mensa sit dignatum, quænam tangat, quænam gustet, quonam fruatur alimento. Te fratri nihil grave facere existimas illi maledicens ? Quomodo ergo vocas fratrem ? Si ergo non

(*a*) Hi sunt Novatiani, de quibus multa videsis apud Cyprianum, Eusebium in Hist. Eccl. et Epiphanium.

est frater, quomodo dicis, *Pater noster?* illud enim *noster*, multas significat personas. Cogita cum quibus stes tempore illorum mysteriorum; cum Cherubim, cum Seraphim. Seraphim enim contumelia non afficiunt, sed os eorum unum solum implet munus, nempe Deum laudandi et glorificandi. Quomodo ergo poteris cum illis dicere, *Sanctus, sanctus, sanctus*, qui ore usus es ad contumeliam? Dic quæso, si esset vas regium, regiis semper cibis refertum, et ad hoc constitutum; deinde aliquis ex famulis eo uteretur ad stercora, auderetne amplius reponere cum vasis, quæ sunt ad illa destinata, ipsum stercore repletum? Nequaquam. Hujusmodi res est maledicentia, hujusmodi res est contumelia. *Pater noster.* Et quid? estne hoc solum? audi etiam quæ sequuntur: *Qui es in cœlis.* Statim dixisti, *Pater noster qui es in cœlis*, et verbum te erexit, et menti tuæ alas addidit, et ostendit te Patrem habere in cœlis. Nihil agas, nihil dicas ex iis quæ sunt in terra. In supernum illum ordinem te retulit, in choro illo te inseruit: cur te deorsum detrahis? apud thronum stas regium, et contumelia afficis? Non extimescis ne Rex eam rem existimet contumeliam? Sed si famulus quidem coram nobis conservum verberet aut contumelia afficiat, etiamsi hoc juste faciat, statim increpamus, rem esse contumeliam putantes; tu autem cum Cherubinis stans apud thronum Regis, contumelia fratrem afficis? Non vides hæc sancta vasa? annon ad unum eis semper est opus? num audet quispiam eis uti ad aliquid aliud? Tu es his vasis sanctior, et multo sanctior: cur ergo teipsum polluis et inquinas? Stas in cœlis, et contumelia afficis? cum angelis versaris, et contumelia afficis? Dominico osculo dignatus es, et contumelia afficis? Deus os tuum ornavit tam multis hymnis angelicis, alimento non utique angelico, sed superangelico, sui osculo et suis amplexibus, et contumelia afficis? Noli quæso. Res hæc, causa magnorum malorum, procul sit ab animo Christiano. Dicendo tibi non persuademus, neque tibi pudorem incutimus? Restat ergo ut te terreamus: audi enim Christum dicentem, *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* 5. 22). Si autem quod est omnium levissimum, gehennam conciliat: qui dicit quæ sunt nimiæ audaciæ, quæ non merebitur? Erudiamus os nostrum ad benedicendum: ex hoc magnum est lucrum; ex contumelia magnum est damnum: non sunt hic pecuniæ impendendæ. Imponamus ostium, vectem et repagulum: nos ipsos exedamus, si grave aliquod verbum aliquando e nostris dentibus exsilierit: rogemus Deum, rogemus eum qui est affectus contumelia; ne id nobis indignum censeamus: nos ipsos, non illum percussimus: adhibeamus medicamentum, preces, et reconciliationem cum eo qui est affectus contumelia. Si in verbis tantam curam gerimus, multo magis in rebus nobis leges imponamus. Et si habeamus amicos, quicumque tandem sint illi, et quempiam maledicto appetierint, aut injuria affecerint, postula ab ipsis ut pœnas dent. Discamus omnino hoc esse peccatum: nam cum didicerimus, cito desistemus. Deus autem pacis custodiat mentem et linguam vestram, et muniat tuto muro, nempe sui metu, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri gloria simul cum sancto Spiritu.

HOMILIA XV.

Cap. 4. v. 31. *Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia.*

1. Quemadmodum in vas et vestimentum immundum numquam se dimiserint apes: ideo enim et suffitibus et unguentis bonisque odoribus locum aspergunt, harum rerum periti, vinisque suave olentibus, et aliis omnibus illinunt calathiscos, in quibus sunt incessuræ exeuntes ex alveis, ne ingratus odor eas rursus abigat: ita etiam in sancto Spiritu. Vas quoddam et quidam calathiscus est nostra anima parata ad excipienda examina gratiarum spiritualium; sed si sit intus bilis et amaritudo et ira, evolant examina. Propterea beatus hic et sapiens agricola pulchre purgat vasa nostra, non falcem tenens, neque ullum aliud instrumentum ferreum: et nos vocat ad examen hoc spirituale, ac congregans ipsum purgat precibus et laboribus et aliis omnibus. Vide ergo quomodo expurgat et emundat cor nostrum: expulit mendacium, expulit iram. Ostendit rursus quomodo malum radicitus evelli possit: si mente quidem non simus amari, inquit. Ut enim solet accidere in bile nostra, si modica fuerit, motus etiam parvus efficitur rupto receptaculo; cum autem vehementia ejus creverit, et mordacior effecta fuerit, vas quod illam prius ferebat, quasi a vehementi igne exesum, non ultra potest illam cohibere, et in definitis terminis continere; sed ab immodica divulsum acrimonia dimittit eam, et sinit egressam totum corpus perdere: et sicut in urbem importata quædam sævissima et immanissima bellua, quamdiu quidem continetur in carceribus, etiamsi efferetur et vociferetur, neminem poterit lædere; quando autem ira invaluerit, si perfractis quæ interjecta erant repagulis, possit exsilire, ingenti tumultu et conturbatione replet civitatem, et omnes abigit: ita etiam in bili, quandiu quidem continetur suis finibus, nullum nobis magnum infert malum; posteaquam autem, rupta quæ eam continebat membrana, nihil vetat quominus de cætero in universam diffundatur naturam, tunc, etiamsi sit res admodum parva in quantitate, propter exsuperantem in qualitate vim, omnia alia elementa suo inficit vitio. Nam et invento sanguine, qui est propinquus et loco et qualitate, calorem qui est in illo acriorem efficiens, et quidquid est propinquum, ab ea quæ est in humore symmetria et moderatione terminos transiliens, et bilem reddens, his freta auxiliis, deinceps etiam in alia membra bellum gerit: et deinde cum omnibus suam indiderit amaritudinem, mutum efficit hominem, et animam expellens, exspirare cogit. Cur hæc

a nobis omnia adeo exacte et accurate dicta sunt? Ut cum ex sensili amaritudine senserimus intolerabile vitium amaritudinis, quæ cadit sub intelligentiam, et quod toti quæ eam parit animæ primum affert interitum, omnia sursum et deorsum pervertens, vitemus ejus experientiam. Nam ut ipsa totum elementum, ita illa incensis cogitationibus, eum qui captus fuerit abducit in gehennæ barathrum. Ut hæc ergo exacte perscrutantes, hoc malum fugiamus, et belluam frenemus, vel potius radicitus evellamus, pareamus Paulo qui dicit, *Omnis amaritudo*, non, Expurgetur, sed, *tollatur a vobis*. Quid enim opus est ut eæ res mihi negotium exhibeant, et eas teneam? quid opus est ut custodiam belluam, cum liceat ab anima amandare, et procul abductam abigere? Pareamus ergo Paulo qui dicit: *Omnis amaritudo tollatur a vobis*. Sed proh dolor, quæ nos tenet perversitas! cum oporteret propter hoc omnia facere, sunt quidam adeo dementes, ut se quoque hac in re beatos censeant, et in malo voluptatem accipiant et glorientur, et alii eos æmulentur. Ille, inquit, est homo acerbus et asper, est scorpius, est serpens, est vipera; terribilem eum existimant. Quid ergo acerbum illum et asperum times, o homo? Ne me lædat, inquit, ne me perdat: sum illius malitiæ imperitus: timeo ne si me hominem acceperint simplicem, et quæ sunt ejus nihil prævidentem, in suos injiciat laqueos, et suis impediat retibus, ab illo paratis ad nos decipiendos. Nunc rideo. Cur rides? Quoniam hæc sunt verba puerorum timentium, quæ non sunt timenda. Atque neminem quidem ita oportet despicere, neminem ita irridere ut hominem acerbum et malum. Nihil est enim æque imbecillum atque acerbitas: stultos illa facit et amentes.

2. Non videtis quod res cæca sit vitium? non audivistis quod qui vicino fodit foveam, sibi fodit? Quid ergo? non est timendus animus plenus perturbatione? Si quidem tamquam dæmones et furiosos, oportet etiam acerbos timere, et tamquam stultos (illi enim temere et inconsiderate omnia faciunt), ego quoque id dico: si autem ut qui recte intelligant quomodo sint res gerendæ, in hoc non essentior. Nam ad res administrandas et dispensandas nihil est æque aptum atque prudentia; prudentiam autem nihil æque impedit, atque pravitas et vitium, fraus que et insidiæ. Non videtis biliosa corpora quam sint injucunda, cum omnis flos in eis amarenerit? quam sint imbecilla et gracilia et inepta ad omnia? Tales etiam sunt hujusmodi animæ. Non est enim animæ alius morbus regius quam vitium et pravitas. Non ergo, non est res fortis ac valida improbitas. Vultis rursus etiam ut exemplo perspicuum faciam id quod dico, adductis vobis imaginibus scelerati hominis et hominis simplicis et non ficti? Sceleratus et vafer erat Absalon, et omnes ad suas alliciebat partes: vide ergo quanta ejus esset astutia et malignitas. Circumiens, inquit, dicebat: Num est tibi judicium? volens unumquemque sibi conciliare (2. *Reg.* 15. 3). David autem erat simplex et non fictus. Quid ergo? Vide amborum finem, vide quanta ille plenus fuit amentia. Nam quoniam non alio spectabat quam ut noceret patri, in aliis omnibus erat excæcatus. Sed non David: *Qui* enim *ambulat simpliciter*, *ambulat confidenter* (*Prov.* 10. 9); id est, qui curiose nihil quærit, qui nullum malum molitur. Pareamus ergo beato Paulo et misereamur ac defleamus homines acerbos, et omnia agamus et faciamus, ut ex eorum animis exhauriamus improbitatem. Nam quomodo non est absurdum, cum in nobis insit bilis (etsi utile sit elementum: nam absque bile fieri non potest ut sit homo, de hac loquor bile elementari): quomodo, inquam, non est absurdum hanc quidem evacuare pro viribus, etiamsi plurimum ab ea juvemur; eam autem quæ est in anima nihili facere, neque studium ponere ut evacuemus, cum minime sit utilis, sed etiam maxime lædat? *Qui vult*, inquit, *inter vos esse sapiens, stultus fiat ut sit sapiens* (1. *Cor.* 3. 18). Audi rursus Lucam quoque dicentem: *Sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum, et habebant gratiam ad omnem plebem* (*Act.* 2. 46. 47). Annon videmus nunc quoque simplices et non fictos communem honorem assequi ab omnibus? Nemo ei qui est ejusmodi invidet, si res suas recte gerat; nemo ei insultat, si sint ei res adversæ; sed licet sint ei res secundæ, gratulantur, et si lapsus sit, miserentur. Sin autem homini acerbo successerint quandoque res secundæ, perinde ac si aliquod malum contigerit, omnes ingemiscunt: sin autem ei fuerint res adversæ, omnes lætantur. Eorum ergo misereamur; habent enim inimicos communes undique circumeuntes. Jacob erat non fictus; sed vafrum et malignum vicit Esaü: *Nam in pravam et malignam animam non intrabit sapientia* (*Sap.* 1. 4). *Omnis amaritudo tollatur a vobis*: ne maneant quidem reliquiæ. Nam etiam hoc si motum fuerit, solet ut ab aliqua scintilla integrum intus excitare rogum. Quid sit ergo amaritudo, accurate consideremus. Exempli causa sit homo fraudulentus et insidiosus, dolosus et ad male faciendum paratus, suspiciosus: ab eo semper nascitur ira et indignatio. Fieri enim non potest ut tranquillus sit ejusmodi animus: nam iræ et indignationis radix est acerbitas et amarulentia. Qui est ejusmodi, et ad gravem iram propensus, numquam remittit animum, ut qui sit semper cogitabundus, semper tristis. Nam ipsi, ut dixi, primi sua mala sentiunt. *Et clamor*, inquit. Curnam? tollis etiam clamorem? Nam eum qui est mitis oportet esse talem. Clamor enim est equus ferens ascensorem, nempe iram et indignationem: equum impedi, et evertisti ascensorem. Audiant hæc maxime mulieres, quæ in re qualibet clamant et vociferantur. In uno solo utile est clamare, nempe in prædicando et docendo: nusquam autem alibi, neque in precatione. Et se vis per res ipsas discere: numquam clames, et numquam irasceris: ecce modum evacuandæ iræ. Sicut enim fieri non potest ut qui non clamat irascatur, ita fieri non potest ut qui clamat non irascatur. Ne mihi enim objeceris gravi ira percitum,

acceptæque injuriæ memorem, et qui est ipsa per se amarulentia et bilis ; nos hic loquimur de hujus vitii prompta subreptione.

3. Ad hoc itaque non parum confert erudiisse animam, ut numquam clamet et vociferetur. Iræ pennas amputas, si auferas clamorem ; cordis tumorem comprimis. Sicut enim fieri non potest ut luctetur, qui manus non contra quempiam sustulerit : ita fieri non potest ut qui non clamat irretiatur. Liga manus pugilis, et jube pugnare ; sed non poterit : sic neque ira. Clamor autem etiam eam quæ non est excitat : et maxime hinc cito capitur genus mulierum, quæ quando irascuntur ancillis, totam domum implent suo clamore. Sæpe autem si domus ædificata sit in angiporto, omnes qui transeunt, audiunt eam clamantem, et ancillam ejulantem. Quidnam fuerit turpius, et magis indecorum quam audire fletus et ejulatus ? Omnes statim prospicientes quid illic factum sit interrogant : Illa, inquiunt, ancillam suam verberat. Quidnam hoc fuerit impudentius ? Quid ergo ? non oportet verberare ? Non hoc dico, oportet enim; sed nec assidue, nec supra modum, nec pro sibi factis injuriis ; quod semper dico, non si in ministerio fuerit aliquid delictum, sed si animam ipsa suam lædat : si pro hac causa eam verberes, laudabunt omnes, et nemo reprehendet ; sed si pro rebus tuis, damnabunt omnes sævitiam et crudelitatem. Et quod est omnium turpissimum sunt adeo feræ et truces, ut ita flagris cædant, ut ne ipso quidem die exstinguantur vibices. Nudatis enim puellis et marito ad hoc vocato, ad lecticas sæpe alligant. Hei mihi, non tibi eo tempore venit in mentem memoria gehennæ ? sed nudas puellulam, et ostendis marito, et non vereris ne te condemnet ? et eum magis irritas, et minaris te eam vincturam, cum miseram et infelicem prius innumerabilibus maledictis appetieris, Thessalidem (*a*), fugitivam, prostitutam eam appellans. Ira enim ne ori quidem suo sinit parcere, sed unum spectat quomodo eam ulciscatur, etiamsi seipsam probro afficiat. Et post hæc omnia tamquam tyrannus quispiam præsidet, et vocat pueros, et cum stolidum maritum illic stiterit, eo tamquam lictore utitur. Hæcne fieri oporteret in ædibus Christianorum ? At est, inquit, pravum genus audaxque et impudens, et quod non potest corrigi. Ego quoque id scio ; sed licet aliter componere ac corrigere, metu, minis, verbis, quæ illam magis possunt mordere, et te liberare a dedecore. Loquuta es verba turpia, cum sis ingenua, et non magis illam quam teipsam dedecoras ? Deinde si oporteat venire ad balneum, sunt vibices in ejus nudæ tergo, et crudelitatis circumfert indicia. At est, inquit, servorum genus intolerandum, si fiat eis remissio. Ego quoque id scio ; sed aliter, ut dixi, eos converte, non solum flagris et metu, sed etiam blanditiis et beneficiis. Tua est soror, si sit fidelis. Cogita quod tu sis domina, et illa tibi ministret. Si sit ebriosa, aufer occasiones ebrietatis ; voca maritum, et admone. Annon vides quam sit turpe verberari mulierem ? Qui adversus viros latis legibus innumerabilia statuerunt, ustiones, quæstiones et tormenta, raro mulierem suspendunt, sed ad impingendam usque alapam iram sistunt. Tanta autem usi sunt adversus naturam verecundia, ut ne cum necessitas quidem postulat eam suspendant, maxime si prægnans sit. Est enim viro dedecus verberare mulierem : si autem viro, multo magis ei quæ est ejusdem sexus. Hinc fiunt viris exosæ mulieres, Quid ergo, quando scortatur ? Junge eam matrimonio, amputa occasiones scortationis, ne sinas eam deliciis et luxu diffluere. Quid vero, si furetur ? Custodi et observa. O hyperbolen ! ego ero, inquit, custos ? O amentiam ! cur, rogo, non eris custos ? nonne ejusdem animæ, cujus tu, est particeps ? nonne eisdem a Deo est dignata ? nonne eadem mensa fruitur ? nonne tecum habet communem generis nobilitatem ? Quid si est, inquit, maledica, et conviciatrix, loquax et ebriosa ? Quot autem mulieres liberæ sunt ejusmodi ? omnia autem mulierum vitia et delicta ferre viros jussit Deus. Dummodo, inquit, non sit scortum, cætera omnia fer delicta et vitia. Etiamsi sit ebriosa, Etiamsi maledica, etiamsi loquax, etiamsi invida, etiamsi sumptuosa, etiamsi consumens facultates, habes vitæ sociam : componere vitam necesse tibi est : ideo tu es caput. Compone ergo, fac quod tuum est. Etiamsi maneat ejusmodi ut non possit corrigi ; etiamsi furetur, serva quæ sunt tua : ne illam adeo crucies : si sit loquax, os ei obstrue. Hoc est summæ philosophiæ. Nunc autem quædam veniunt eo sævitiæ et absurditatis, ut caput detegant, et ancillas trahant capillis.

4. Cur omnes erubuistis ? Non omnibus hæc dicuntur : sed iis quæ ad tantam trahuntur feritatem. Mulier ne sit detecta (1. *Cor.* 11. 6), inquit, Paulus : tu autem omnino velum aufers ? Vides quomodo teipsam contumelia afficis ? Atque si tibi quidem nudo capite appareat, eam rem dicis contumeliam : tu autem ipsam nudans, nihil grave esse dicis ? Deinde, inquit, quid si non corrigatur ? Virga et plagis eam castiga. Quot autem habes tu vitia et delicta, et non corrigeris ? Hæc a nobis nunc non dicta sunt pro illis, sed pro vobis quæ estis liberæ, ut nihil faciatis indecorum neque turpe, ne vos ipsas lædatis. Si in his domi erga ancillam fueris erudita, et si mitis, et non gravis ac molesta, multa magis talis eris erga virum. Nam si cum in tua sit potestate, nihil tale facere deprehendaris, multo magis nihil tale facies, quando quidpiam prohibebit. Quo fit ut quæ in ancilla exercetur philosophia, multum vos juvet ad conciliandam maritorum benevolentiam. *Nam qua mensura mensi fueritis, eadem rependetur vobis.* (*Matth.* 7. 2). Impone ori frenum ; et si te exercueris ut forti et generoso animo feras ancillam molestam ac difficilem, nec eam quæ est tibi par honore, ne si sit quidem contumeliosa, ægre feres ; non ægre ferens autem, te recte in summa gesseris philoso-

(*a*) Thessalides veneficæ, præstigiatrices et maleficæ jam olim habebantur, ut videre est apud Aristophanem ejusque scholiasten, in Suida et aliis. Res est trita apud scriptores, et apud poetas Latinos Plautum, Horatium et alios.

phia. Sunt etiam quædam quæ addunt juramenta : nihil est autem turpius quam ea quæ sic irascitur. Quid vero, inquit, si fuco utatur? Hoc prohibe, et ego tibi assentiar : prohibe autem a te incipiens, non tantum metu, quantum exemplo : sis in omnibus exemplar archetypum. *Et blasphemia*, inquit, *tollatur a vobis*. Vide quomodo procedat malum. Amarulentia pe ierit iram, ira indignationem, indignatio clamorem, clamor blasphemiam, id est, maledicta; blasphemia demum plagas, plagæ vulnera, hæc mortem. At nihil horum voluit dicere Paulus, sed hoc tantum, *Tollatur cum omni malitia*. Quid est illud, *Cum omni malitia?* Omnis enim malitia in hoc desinit. Sunt enim quidam sicut canes mordentes latenter, qui accedenti quidem non allatrant, neque cum ægre ferunt, blandientes autem et lenitatis ostendentes speciem, cum non sibi caventes apprehenderint, eis dentes infigunt : ii sunt graviores, quam qui apertas suscipiunt inimicitias. Quoniam ergo sunt homines quoque canes, neque clamantes neque irascentes neque ægre ferentes minantur, sed clam dolos consuentes, et mala struentes innumera, et rebus ipsis et factis ulciscentes, hos quoque subindicavit. *Tollatur*, inquit, *a vobis cum omni malitia*. Ne verbis quidem parcas, factis autem ulciscaris. Ego ideo linguam castigavi, et ejus clamorem amputavi, ne vehementiorem rogum accenderet : si autem etiam absque clamore eadem facis, et intus alis rogum et carbones, quid tibi prodest silentium? an nescis incendia illa esse gravissima, quæ cum intus alantur, non apparent singulis qui foris circumsistunt? et vulnera quæ non apparent in superficie, et febres quæ interna adurunt? Ita etiam ira illa est gravior, quæ depascit animam. Sed ipsa quoque, inquit, tollatur cum omni malitia, et parva et magna. Si ergo pereamus, et omnem tollamus amaritudinem et malitiam, ne tristitia afficiamus Spiritum sanctum : auferamus radicitus amaritudinem, eam abscindamus. Nihil boni neque sani oriri poterit ex amara anima : sunt omnia calamitates, omnia lacrymæ, omnia lamentationes, luctus et ejulatus. Non videtis quomodo aversemur bestias quæ clamant? ut leonem, ursum : sed non ovem : non est enim illic clamor, sed vox quædam mitis. Porro ex instrumentis quoque musicis quæcumque clamant, sunt ad sonum injucundiora, ut tympana et tubæ : quæ autem non ita sonitum edunt, sed molliunt, ea sunt jucunda, ut tibia, cithara et fistulæ. Sic nostram quoque componamus animam, ut non clamet, et ita poterimus etiam superare iram, et ea amputata ipsi primi fruemur tranquillitate, et ad tranquillum portum navigabimus : quem detur nobis omnibus consequi, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri simul cum sancto Spiritu gloria, potentia, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

Cap. 4. v. 31. *Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia.* 32. *Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus donavit vobis.*

1. Non sufficit liberari a vitio, si oportet assequi regnum cælorum, sed etiam multo virtutum opus est exercitio. Nam ut a gehenna quidem liberemur, abstinere oportet a scelere; ut autem regnum assequamur, virtus est amplectenda. An nescitis quod in externis etiam judiciis, quando facta examinantur, et ad concionem convenit tota civitas, ita fiat? In externis enim judiciis vetus erat mos, ut corona coronaretur aurea, non qui nihil mali fecerat civitati, hoc enim solum sufficit ad non dandas pœnas; sed etiam qui magnis eam affecerat beneficiis. Sic oportebat duci ad hunc honorem. Sed nescio quomodo propemodum me effugit, quod vobis maxime necesse erat dicere. Hujus enim divisionis primam resumo partem, parva quadam adhibita correctione. Nam quoniam dixi, quod ne cadamus in gehennam, sufficit nobis recessus a malo, interim dum dico, mihi venerunt in mentem quædam minæ terribiles supplicium inferentes, non iis qui mali quidpiam admiserunt, sed eos punientes, qui boni aliquid prætermiserunt. Quænam autem eæ sunt? Cum advenerit, inquit, dies ille terribilis, quo sè sistere oportet, in tribunali sedens Judex, ovibus quidem statutis a dextris, hœdis vero a sinistris, ovibus quidem dicet : *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum a constitutione mundi; esurivi enim, et dedistis mihi ad comedendum* (*Matth.* 25. 34. 35). Hoc præclare : oportebat enim eos tantæ benignitatis hanc accipere remunerationem : quod autem qui egentibus non impertierunt ex iis quæ ipsi habebant, non solum ita puniantur ut priventur bonis, sed etiam ad ignem gehennæ transmittantur, hoc quamnam habet rationem? Habet autem hoc quoque non minus congruentem, quam illud prius, rationem. Nam per hoc erudimur, quod qui bona quidem fecerunt, fruentur bonis quæ sunt in cælis : ii vero, in quos non cadit reprehensio quod aliquid mali fecerint, aliquid autem boni prætermiserunt, cum iis qui mala fecerunt, abducentur in ignem gehennæ. Nisi quis dicat quod bonum fecisse est pars vitii; hoc enim est otii, otium autem est pars vitii; vel potius non pars, sed occasio et prava radix : nam omne vitium docuit otium. Ne ergo insipienter has proferamus interrogationes. Qui nihil vel mali vel boni fecit, quemnam locum accipiet? Etenim bonum non fecisse, hoc est fecisse malum. Nam dic mihi, si quem habeas famulum, qui neque furetur, neque sit contumeliosus, neque contradicat, et ab ebrietate abstineat ab aliisque omnibus, sed perpetuo sedeat otiosus, et nihil faciat ex iis quæ famulus debet hero præstare, non eum cædes flagris, non torquebis? Etiam, inquies. Atqui nihil mali fecit. Hoc ipsum ergo est malum. Sed, si placet, deducamus orationem etiam ad reliquam vitam. Sit aliquis agricola, qui nostris facultatibus nihil mali afferat, neque insidietur neque

furetur, solum autem vinctis manibus domi sedeat, neque seminans, neque sulcum proscindens, neque boves jungens, neque vitem colens, neque aliquod aliud opus faciens in terra colenda : annon eum castigabimus? Atqui nullam fecit injuriam, neque habemus crimen cujus eum arguamus; sed is hoc ipso facit injuriam : nam communi rationi facit injuriam, ut qui suum munus non conferat. Quid vero, si unusquisque ex opificibus et artificibus nemini noceat neque ex iis qui sunt alterius, neque ex iis qui sunt ejusdem artis, solum autem sit otiosus : annon sic nobis tota vita perit et interit? Vis etiam orationem deducamus in corpus? Manus ergo caput non feriat, neque linguam exscindat, neque oculum effodiat, neque aliquid aliud tale malum faciat, solum maneat otiosa et suum munus toti corpori non impleat : annon præstat eam exscindi, quam circumferre otiosam, et toti corpori perniciem afferentem? Quid vero, si os manum non exedat, neque pectus mordeat, sed quæ sunt ab ipso facienda omnia prætermittat; annon esset satius ipsum esse obstructum? Si ergo et in famulis et in opificibus et in toto corpore magna est injuria, non solum aliquid mali fecisse, sed etiam in bonis defecisse, multo magis hoc fuerit in corpore Christi.

2. Propterea beatus quoque Paulus nos abducens a vitio et improbitate, deducit ad virtutem. Quid enim, dic quæso, juvat quod omnes spinæ sint amputatæ, si non sint sparsa bona semina? Ad idem enim damnum rursus redibit labor, si manserit imperfectus. Propterea Paulus quoque nostri curam gerens, non ad malorum usque amputationem et ablationem sistit præcepta, sed etiam hortatur ut cito fiat bonorum plantatio. Nam cum dixisset, *Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia;* subjunxit, *Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem.* Hi enim sunt habitus et affectiones. Nec sufficit ab altero recessus, ut nobis alterius habitum rursus constituamus; sed rursus opus est quodam motu, et non minori alacritate quam in fugiendis malis, ut in bonorum simus possessione. Etenim in corpore, si niger fuerit liberatus ab hac qualitate, non protinus factus est albus. Imo vero non in naturalibus id quod dicitur agitemus, sed exemplum adducamus in iis quæ fiunt ex animi instituto et libero arbitrio : qui non est inimicus, non est omnino amicus, sed est aliquid medium, quod nec inimicitiarum neque amicitiæ, in quo maxime sunt plures apud nos homines. Qui non lacrymatur, non etiam omnino ridet, sed est medius status. Ita hic quoque : qui non est amarus, non tamen est comis et benignus; neque qui non est iracundus, est mitis et misericors : sed alio rursus studio opus est, ut hoc bonum acquiramus.

Virtus inserenda, vitia avellenda. Ultio vera, bona pro malis rependere. — Vide autem quam convenienter legi optimæ agriculturæ beatus Paulus terram sibi creditam ab Agricola, expurgat et operatur. Sustulit semina adulterina, de cætero rogat ut veras et sinceras plantas teneat : *Estote,* inquit, *benigni.* Nam si spinis evulsis terra maneat otiosa, feret rursus herbas inutiles. Quamobrem ejus quies et otium est præoccupandum bonorum seminum et plantarum dejectione. Sustulit iram, posuit benignitatem : sustulit amaritudinem, posuit misericordiam : exsecuit vitium et blasphemiam, plantavit veniam : hoc enim est illud, *Donantes invicem.* Estote, inquit, propensi ad ignoscendum. Hæc enim gratia est major quam quæ est in pecuniis. Nam qui remittit pecunias ei, qui ab ipso accepit fœnori, bonum quidem facit opus et admirabile; sed pervenit ad corpus usque gratia, etiamsi sibi reddit remunerationem in donis spiritualibus et quæ spectant animam : qui autem condonat peccata, et suam juvat animam, et illius qui veniam est assequutus : hoc enim modo non solum seipsum, sed illum quoque facit mitiorem et modestiorem. Non enim ita eos qui injuriam fecerunt persequentes, ut eis condonantes, eorum mordemus animos, pudorem incutientes. Nam illo quidem modo neque nobis ipsis neque illis prosumus, sed utrisque obsumus, ut qui non secus atque Judæorum principes, persequamur remunerationem, et in illis iram accendamus : sin autem lenitate et clementia rependamus injuriam, soluta omni ejus ira, apud ipsum sedere fecimus judicium, pro nobis ferens sententiam, et gravius ipsum quam nos condemnans. Seipsum enim condemnabit, et omnem quæret occasionem, per quam cum majori mensura reddet lenitatis et patientiæ partem quæ fuit sibi data fœnori : ut qui sciat quod, si par quidem reddiderit, eo tamen est inferior quod non ipse cœperit, sed eo quod exemplum a nobis acceperit, minus ferens. Studium ergo ponet ut semina superet mensura, ut detrimentum quod patitur ex eo quod secundus venerit ad remunerationem, tollat exsuperatione remunerationis, et quod ex tempore factum est detrimentum ejus qui prius male passus est, id commune faciat ex summa lenitate et clementia. Nam homines, quando sunt grati et memores beneficii, non tam ingemiscunt ob mala, quam ob bona quæ acceperunt ab iis qui sunt affecti injuria. Etenim illud nequitia, hoc opprobrio et risu plenum est, cum is qui beneficium accepit, non rependit. Nam hoc quidem habet laudem, plausum et commendationem ab omnibus, quod male passus par pari non reddiderit. Propter hoc maxime mordentur. Quamobrem, si velis ulcisci, hoc modo ulciscere : mala repende bonis, ut eum reddas debitorem, et admirabili vincas victoria. Male passus es? Bene fac : ita inimicum ulciscere. Nam si illum quidem persequaris, omnes et te et illum similiter vituperant : sin autem feras, aliter tibi quidem applaudent et te admirabuntur, illum autem accusabunt.

3. Quid autem majus fieri potuerit inimico, quam videre inimicum esse in admiratione apud omnes et ei applaudi? quid inimico acerbius, quam videre se probro et contumelia affici ab omnibus, vidente inimico? Si ipsum ulciscaris, et fortasse damnaris, et tu solus ulciscis : sin autem ei remittas, omnes pro te ipsum ulciscuntur : quod quidem est gravius quam

male pati, quod scilicet inimicus habeat tam multos qui ipsum ulciscuntur. Si tu os aperias, illi tacebunt : sin autem tu taceas, non utique uno ore, sed aliorum eum feries innumerabilibus, et magis ulcisceris. Et te quidem probro et contumelia appetentem, multi accusant; dicunt enim esse verba affectus : quando autem qui nulla affectus est injuria in eum probra ingerit et contumelias, tunc ultio est maxime libera ab omni suspicione. Quando enim qui nihil grave sunt passi, propter summam tuam lenitatem, tamquam injuria affecti simul dolent et commiserantur, ab omni suspicione pura hæc vindicta. Quid vero, inquit, si nullus ulciscatur? Fieri non potest ut homines sint lapidei, et non admirentur videntes tantam philosophiam : et si tunc non ulciscantur, postea tamen id faciunt re perpensa, illum irrident et maledictis appetunt. Quod si etiam nullus alius te admiretur, ille ipse te omnino admirabitur, etiamsi non dicat. Ejus enim quod bonum et honestum est judicium, etiamsi venerimus in ipsum vitii profundum, manet incorruptum, nec potest perverti. Nam cur existimas Dominum nostrum Jesum Christum hæc dicere, *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe ei et alteram* (*Matth.* 5. 39)? nonne quoniam si quis fuerit lenis et patiens, eo majorem et sibi et illi attulerit utilitatem? Propterea et aliam jussit obvertere, ut ejus qui irascitur impleat cupiditatem. Quis enim est adeo ferus, ut jam pudore non suffundatur? Canes dicuntur hoc facere : si latrent et invadant, is autem cui allatrant, se supinum abjecerit et nihil fecerit, totam iram exstinguit. Si ergo illi eum qui ab ipsis paratus est pati reverentur, multo magis genus humanum quod est magis particeps rationis. Sed operæ pretium est non præterire id quod nuper venit in mentem, et adductum est in testimonium. Quid hoc est? Dicebamus de Judæis et eorum principibus, quod arguerentur ut qui persequerentur similis pœnæ relationem et talionem : etsi lex eis permittebat, *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Levit.* 24. 10. *Deut.* 19. 21); sed non ut alter alterius oculos effoderent, verum ut metu patiendi, cohibita faciendi audacia, neque aliquid mali facerent aliis, neque ipsi paterentur ab aliis. Propterea dixit : *Oculum pro oculo :* ut illius ligaret manus, non ut tuas contra educeret; non ut solum arceret oculorum tuorum noxam, sed ut etiam illius oculos salvos conservaret. Sed quod quærebam, quanam de causa cum eis concessa esset ultio, arguebantur qui ea usi sunt? quidnam hoc est? Hic dicit injuriæ acceptæ memoriam. Nam concedit quidem ut qui passus est, statim agat, illum, ut dixi, retinens ac reprimens; non permittit autem injuriæ acceptæ esse memorem : non est enim id amplius iræ, neque ferventis impetus, sed meditati sceleris. Deus autem iis ignoscit, quos arripuit insolentis contumeliæ insultus, et ad ultionem sunt incitati : ideo dicit, *Oculum pro oculo;* et rursus, *Viæ eorum qui sunt injuriæ memores, sunt ad mortem* (*Prov.* 12. 29). Si vero ubi licebat oculum eruere pro oculo, tantum proponitur supplicium iis, qui acceptæ injuriæ sunt memores, quanto magis iis, quibus jussum est se præbere paratos ad patiendum? Ne simus ergo injuriæ memores, sed iram exstinguamus, ut digni censeamur qui ejus consequamur misericordiam. *Nam qua,* inquit, *mensura metimini, ea vobis rependetur, et in quo judicio judicatis, judicabimini* (*Matth.* 7. 2). Simus igitur erga conservos misericordes, ut et eos qui sunt in præsenti vita laqueos effugiamus, et in die futuro ab eo veniam assequamur, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XVII.

Cap. 4. v. 32. *Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.* Cap. 5. v. 1. *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi,* 2. *et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.*

1. Præterita majorem vim habent quam futura, et videntur esse admirabiliora et credibiliora. Et ideo Paulus adhortationem ex iis facit quæ fuerunt : nam illa quidem majorem vim habent propter Christum. Nam dicere : Remitte, et remittetur tibi; et, Si non remiseritis, non remittetur vobis (*Matth.* 6. 14. 15); si dicatur quidem viris philosophis et futura credentibus, multum potest : Paulus autem non ex his solum incutit pudorem, sed etiam ex iis quæ fuerunt. Nam illud quidem est fugere supplicium; hoc autem esse boni alicujus participem. Imitare Christum, inquit. Hoc solum sufficit ad exhortandum ad virtutem, Deum imitari; hoc majus est illo, nempe *Qui solem facit oriri super malos et bonos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* 5. 45). Non enim dixit solum ut Deum imitemur, sed in iis, in quibus beneficio afficimur, vult nos inter nos habere viscera patrum : viscera enim hæc dicuntur humanitas et miserationes. Nam quoniam fieri non potest ut cum simus homines, nec molesti simus, nec molestia afficiamur, secundum invenit medicamentum, ut dona nobis mutuo conferamus : *Donantes,* inquit, *invicem.* Atqui minime sunt paria : nam si tu nunc quidem dones ac gratificeris, ille rursus tibi donabit et gratificabitur; Deo autem nihil donasti : et tu quidem conservo; Deus autem servo et inimico, et ei qui ipsum odit. *Sicut et Deus,* inquit, *in Christo donavit nobis.* Hoc quoque magnum habet ænigma. Non simpliciter, inquit, sine periculo nobis donavit, sed cum periculo Filii. Ut tibi ignosceret, sacrificavit Filium : tu autem sæpe videns condonationem esse sine periculo et sine sumptu, non facis. *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Ne autem existimes rem esse necessitatis, audi quid dicat. *Seipsum tradidit;* ac si diceret, Cum esses inimicus Dominus te

dilexit; tu dilige amicum: imo vero nec sic poteris, sed fac ut potes. Papæ! quid hac voce potuerit esse beatius? Etiamsi regnum dixeris, etiamsi quodlibet, non sunt paria. Deum imitaris, Deo assimilaris, quando illi condonaveris. Magis sunt condonanda peccata quam pecuniæ. Nam pecunias quidem si condonaris, Deum non imitaris; peccata autem si condonaris, imitaris Deum. Sed quomodo poteris dicere: Sum pauper nec possum condonare, quando etiam quæ potes condonare, non condonas, et putas esse damnum, non divitias, non facultates et copias? *Estote ergo imitatores Dei.* Ecce alia quoque generosior exhortatio. *Sicut filii carissimi*, inquit. Aliam habetis necessitatem ejus imitandi, non solum eo quod sitis affecti beneficiis, sed et quod facti sitis filii. *Tamquam filii carissimi.* Nam quoniam non omnes filii imitantur patres, sed qui sunt dilecti, propterea dicit, *Tamquam filii dilecti. Ambulate in dilectione.* Ecce omnium fundamentum. Hæc si sit, non est ira nec indignatio nec clamor nec blasphemia, sed sublata sunt omnia. Et ideo caput et summam ponit posterius. Undenam factus es filius? Quoniam fuit tibi condonatum. Ex eo fundamento ex quo dignatus es tanto honore, ex eodem etiam condona proximo. Dic mihi autem: si quis te cum esses vinctus, et obnoxius malis innumerabilibus, adduxit ad regiam: vel potius hoc dimittamus: si quis te febricitantem et animo deficientem aliquo juvisset medicamento, annon ipsum prætulisses omnibus, et ipsum nomen medicamenti? Nam si in tempora et loca, per quæ accepimus utilitatem, ita affecti sumus sicut in nostras animas, multo magis in res ipsas. Sis amator caritatis; per ipsam assequutus es salutem, per ipsam factus es filius; et si potueris alteri afferre salutem, non eodem uteris medicamento, et hortaberis omnes, Remittite, ut remittatur vobis? Hoc est gratorum animorum et beneficii memorum, ita adhortari est ingenuorum et generosorum. *Sicut et Christus dilexit nos*, inquit. Tu parcis amicis, ille inimicis: est ergo multo majus quod factum est a Domino. Illud enim, *Sicut*, ubinam conservatur? annon perspicuum quod, si bene faciamus inimicis? *Et tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Vides quod passum esse pro inimicis est odor suavis, hostia grata et accepta? Si moriaris, tunc eris hostia: hoc est Deum imitari. 3. *Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.*

Concupiscentia minus malum quam ira. — Dixit de amara affectione, nempe de ira; venit ad minus malum. Nam quod concupiscentia sit minus malum, audi etiam Moysem dicentem in lege, primum: *Non occides*, quod est iræ; et deinde, *Non mœchaberis* (*Exod.* 20. 13. 14), quod est concupiscentiæ. Sicut enim amaritudo et clamor et omnis malitia et blasphemia, et quæ sunt hujusmodi, sunt animi et irascendi facultatis: ita et concupiscendi facultatis, fornicatio, immunditia, et avaritia: nam eadem re amamus pecunias et corpora. Sed sicut illic ampulavit clamorem, ut qui est iræ vehiculum, ita nunc quoque obscœnum sermonem et scurrilitatem quæ est vehiculum scortationis. 4. *Et turpitudo et stultiloquium et scurrilitas, quæ ad rem non pertinent; sed magis gratiarum actio.* Ne dixeris facetias nec turpia, nec feceris, et flammam exstingues. *Nec nominetur*, inquit, *in vobis*: hoc est, ne usquam quidem appareat. Hoc etiam dicebat scribens ad Corinthios: *Omnino auditur inter vos fornicatio* (1. *Cor.* 5. 1). Hoc est, Sitis omnes mundi. Sermones enim sunt viæ rerum. Deinde ne videatur esse gravis et importunus, et exscindere urbanitatem, subjunxit etiam causam, dicens: *Quæ ad rem non pertinent*, quæ nostra nihil referunt, inquit, *sed magis gratiarum actionem.*

2. Quid prodest aliquid urbanum dicere? solum moves risum. Dic mihi: sutor facietne aliquid ex iis quæ ad artem suam non pertinent, aut possidebit aliquod ejusmodi instrumentum? Nequaquam: nam quæ non sunt in usu, ea nihil ad nos. Nullus sit sermo otiosus: nam ab otioso sermone in absurdos et importunos decidimus. Non est præsens tempus diffusæ lætitiæ, sed luctus, afflictionum, et ejulatus: tu autem in dictis facetis tempus teris? Quis athleta stadium ingressus, missa sollicitudine decertandi cum adversario, urbana et faceta verba loquitur? Instat diabolus, circuit ululans, quærens ut rapiat, omnia movet, et in caput tuum vertit omnia, et molitur ut te e nido ejiciat, dentibus stridet, rugit, ignem spirat adversus tuam salutem: et tu sedes urbana et faceta verba dicens, et stulta loquens, et quæ ad rem non pertinent proferens? rectene ergo poteris eum superare? Ludimus, o dilecti. Vis discere quænam sit sanctorum vitæ agendæ ratio? audi Paulum dicentem, *Per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum* (*Act.* 20. 31). Si autem pro Milesiis et Ephesiis tanto usus est studio, non urbana loquens, sed cum lacrymis afferens admonitionem, quid de aliis dixeris? Audi etiam quid dicat Corinthiis: *Ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas* (2. *Cor.* 2. 4); et rursus, *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (*Ibid* 11. 29)? Audi etiam eum alibi dicentem, et quotidie, ut ita dicam, ex mundo migrare cupientem: *Nam et nos qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus* (*Ibid.* 5. 4). Tu autem rides et ludis? est tempus belli, et tu ea tractas quæ sunt eorum qui ducunt choros? Non vides vultus eorum qui bellum gerunt, quam sint tristes, quam contracti? supercilium enim eorum est terribile et plenum horrore. Vides oculum severum, cor excitatum, vibrans et exsiliens, mentem contractam, trementem, sollicitam et anxiam, multam modestiam aptamque ac decoram moderationem, multum silentium in exercitibus; non dico, ut nullum verbum dicant turpe, sed neque loquantur omnino. Nam si ii, qui bellum gerunt adversus hostes sensiles, et a verbis nihil læduntur, tanto utuntur silentio; tu qui et in verbis bellum habes, et majorem belli partem, hanc partem tibi sinis esse nudam? an ignoras quod hinc nobis

plurimæ parantur insidiæ? Ludis, deliciaris, facetaque et urbana dicis, et risum moves, remque nihil existimas? A lepidis et urbanis dictis quot perjuria, quot damna, quam multa verba turpia et obscœna? At non sunt, inquit, ejusmodi dicta urbana. Sed audi: omnem urbanitatem et dicacitatem expellit. Tempus belli et pugnæ, vigiliæ, custodiæ, armaturæ et aciei instruendæ: nullum locum hic habere potest tempus risus: hoc enim est tempus mundi. Audi Christum dicentem: *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini* (*Joan.* 16. 20). Christus in crucem actus est propter tua mala: tu autem rides? impactæ sunt illi alapæ et colaphi, et tam multa passus est propter tuam calamitatem, et quæ te comprehenderat tempestatem: tu autem degis in deliciis? Et quomodo non eum magis irritas? Sed quoniam videtur quibusdam res esse indifferens, quam quidem cavere est admodum difficile, age de eo paucis disseramus, docentes quantum sit malum. Hoc est enim opus diaboli, efficere ut despiciantur quæ sunt indifferentia. Atque primum quidem, si esset indifferens, ne sic quidem ipsum oporteret despicere, scientem quod ex eo multa nascantur mala, crescantque et sæpe desinant in scortationem: quod autem non sit indifferens, inde est perspicuum. Videamus ergo unde nascatur; vel potius videamus cujusmodi oportet esse sanctum, mitem, mansuetum, lugentem, lamentantem, afflictum. Qui ergo dicit urbana et faceta, non est sanctus: etiamsi sit Græcus, is est ridiculus: iis solis qui sunt in scena hæc permittuntur. Ubi est turpitudo, illic est etiam scurrilitas: ubi est risus importunus, illic est etiam scurrilitas. Audi prophetam dicentem: *Servite Domino in timore, et exsultate ei in tremore* (*Psal.* 2. 11). Nam scurrilitas mollem efficit animam pigramque, attollit et excitat, multaque probra parturit et contumelias, et bella facit.

3. Quid vero? annon relatus es inter viros? Fac ergo ut cessent quæ sunt parvuli. Sed famulum quidem tuum non vis in foro dicere quæ sunt inutilia; tu autem, qui dicis te esse Dei famulum, in foro loqueris urbana et scurrilia. Præclare quidem agitur, si sobria anima furtim non rapiatur, lætitiam autem diffusam quis non capiet et expugnabit? ipsa a seipsa configetur, nec opus erit insidiis et insultu diaboli. Ut autem discas, vide etiam ipsum nomen: scurrilis dicitur, qui est varius, omnigenus, instabilis, facilis ac levis, et in omnes se vertens species: hoc autem longe abest ab iis qui petræ serviunt. Is facile vertitur et mutatur: oportet enim eum et figuram et verbum et risum et incessum et omnia imitari; quin etiam oportet eum excogitare scommata et dicteria: nam eo quoque ei opus est. Procul autem est a Christiano comicis dictis incessere. Et necesse est ei qui scurrilibus dictis utitur, supervacaneas suscipere inimicitias eorum qui temere dicteriis irridentur, sive adsint, sive absentes audierint. Si res est pulchra et honesta, cur relinquitur mimis? Mimus evadis, et non te pudet? Cur liberis puellis vestris hoc facere non permittitis? annon statuistis rem esse inhonesti, non modesti viri? Magna mala habitant in anima quæ verba usurpat scurrilia et faceta, magna dissolutio, et hinc solitudo[1]: hiat compago, marcescit ædificium, exterminatur timor, abest pietas. Habes linguam, non ut comicis dictis incessas, sed ut Deo agas gratias. Non vides moriones, qui γελωτοποιοὶ dicuntur quod risum moveant, et vulgo vocantur κόρδακες (*a*)? isti sunt εὐτράπελοι, id est, scurriles et faceti. Expellite, rogo, a vestrarum animarum finibus ingratam hanc gratiam: res est parasitorum, mimorum, saltatorum, prostitutarum mulierum: procul sit ab anima libera, procul ab ingenua, et procul a servis. Si quis est infamis, si quis turpis et obscœnus, is est etiam scurrilis. Multis autem videtur hæc res etiam esse virtus: et est hoc lugendum. Ut enim concupiscentia paulatim devenit ad scortationem, ita etiam scurrilitas videtur esse res gratiosa; sed nihil est hoc minus gratiosum. Audi enim Scripturam dicentem: *Ante tonitru properat fulgur, et pudentem præcedit gratia* (*Eccli.* 32. 14). Scurrili autem nihil est impudentius. Quare os ejus est plenum, non gratia, sed dolore. Hunc morem expellamus a mensis. Sunt etiam quidam qui pauperes hoc docent. O absurditatem! scurriles esse faciunt eos qui sunt in afflictionibus! ubi enim jam non est hic morbus? Jam etiam introductus est in Ecclesiam: jam etiam attigit Scripturas. Dicamne aliquid, ut mali ostendam exsuperationem? Me quidem pudet, sed tamen dicam: volo enim ostendere quo processit malum, ne videar de rebus pusillis agere et de re aliqua parva disserere, sed ut vel sic possim ab errore vos abducere. Nec me existimet quispiam fingere, sed dicam quæ audivi. Erat quidam apud aliquem ex iis, qui de scientia gloriantur et sibi placent: et scio quidem futurum ut risum moveam, sed tamen dicam: is mensa apposita dicebat: Apprehendite pueri, ne quando irascatur venter. Et rursus alii dicunt: Væ tibi, mammona, et ei qui te non habet! Et multa ejusmodi absurda introduxit scurrilitas: ut quando dicunt: Modo non est generatio. Hoc dico adversus absurditatem malorum morum: sunt enim hæc verba animæ desertæ a pietate ac reverentia. Annon fulminibus digna sunt hæc verba? Multa ab his etiam alia ejusmodi dici quispiam invenerit. Quamobrem rogo ut undique malo hoc more expulso, illa loquamur quæ nobis conveniunt, et ne ora sancta loquantur verba infamium et obscœnorum. *Quæ est enim justitiæ participatio cum iniquitate? aut quæ societas luci cum tenebris* (2. *Cor.* 6. 14)? Bene enim nobiscum agetur, si cum nos ab omnibus absurdis abduxerimus, bona promissa consequamur, nedum cum tam multa attrahimus, et mentis perfectioni per tam multa perniciem afferimus. Nam qui scurriliter loquitur, cito erit maledicus: maledicus autem

[1] Interpres Latinus legerat in Græco, εἰρωνεία: verterat enim, *ironia*; sed omnes Mss. et Editi habent ἐρημία, *solitudo*, quæ vox non omnino quadrare videtur, ut nec altera illa.

(*a*) Κόρδακες, saltatorum genus erat, cujus frequens mentio apud scriptores, Aristophanem, Theophrastum et alios.

etiam alia innumerabilia mala sibi accumulat. His ergo duobus animæ generibus compositis, et rationi subjunctis, tamquam equis qui facile aguntur habenis, nempe cupiditate et ira, ita mentem præficiamus aurigam, ut accipiamus præmium supernæ vocationis: quod detur nobis omnibus consequi in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri simul cum sancto Spiritu gloria, potentia, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVIII.

Cap. 5. v. 5. *Hoc enim scitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei.* 6. *Nemo vos seducat inanibus verbis : propter hæc enim venit ira Deo in filios diffidentiæ.*

1. Erant quidam, ut videtur, etiam apud nostros majores, qui populi manus dissolvebant, et quod dictum est ab Ezechiele, ad opus deducebant, imo vero quæ sunt pseudoprophetarum faciebant; qui pro pugillo hordei Deum vilipendebant coram populo ejus (*Ezech.* 13. 19) : quod etiamnum ab aliquibus fieri arbitror. Cum igitur dicimus, quod qui fratrem fatuum vocaverit, in gehennam abiturus sit; alii dicunt : Itane, qui vocaverit fratrem fatuum, in gehennam abibit? Nequaquam, ait : et cum dicimus quod avarus sit idolorum cultor; illud isti despicientes dicunt, hoc per hyperbolen dici : atque ita omnia mandata contemnunt. Hos ergo subindicans beatus Paulus, tunc quoque scribebat ad Ephesios dicens : *Hoc enim scitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, qui est cultor idolorum, non habet hereditatem in regno Christi et Dei.* Deinde subjungit : *Nemo vos decipiat inanibus verbis.* Hæc verba sunt inania, quæ ad tempus habent gratiam, et minime ostenduntur factis et operibus : res enim ea est deceptio. *Propter hæc enim venit ira Dei in filios inobedientiæ.* Propter scortationem, inquit, propter avaritiam, propter immunditiam; aut propter hæc et propter deceptionem, quoniam sunt deceptores. Filios inobedientiæ eos vocat qui sunt valde inobsequentes; qui ei non obediunt. 7. *Nolite ergo effici participes eorum.* 8. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Vide quam sapienter eos est adhortatus. Primum a Christo, Quod alter alterum diligitis, et nemini injuriam facitis : rursus adhortatur a supplicio et gehenna : *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Quod quidem dicit etiam in Epistola ad Romanos : *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* et priorem pravitatem et vitium illis nunc revocat in memoriam. Hoc est, Cogitantes quid vos aliquando fuistis, et quid nunc facti estis; ne recurratis rursus ad prius vitium, neque Dei gratiam afficiatis contumelia. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Hoc vobis fuit non ex vestra virtute, sed per Dei gratiam : hoc est, Et vos aliquando iis digni fuistis, sed amplius non estis. *Ut filii ergo lucis ambulate.* Quid sit autem, *Filii lucis;* deinde aperit : 9. *Fructus enim spiritus est in omni justitia et bonitate et veritate.* 10. *Probantes quid sit beneplacitum Domino.* *In omni*, inquit, *bonitate.* Hoc adversus irascentes, adversus acerbos et amarulentos : *In justitia*, adversus avaros : *et veritate*, adversus falsam voluptatem. Non illa, inquit, quæ dixi, sed contraria. *In omni.* Id est, oportet fructum ferre spiritualem in omnibus. *Probantes quid sit beneplacitum Domino.* Illa ergo sunt mentis puerilis et imperfectæ. 11. *Et nolite communicare*, inquit, *operibus infructuosis tenebrarum; magis autem redarguite :* 12. *quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere.* 13. *Omnia autem quæ arguuntur a lumine, manifestantur.* Dixit, *Lux estis :* lux autem arguit quæ fiunt in tenebris. Si ergo vos sitis, inquit, virtute præditi et admirandi, non poterunt latere improbi. Sicut enim si posita sit lucerna, omnes illuminantur, et latro non poterit ingredi : ita vobis lucente luce, convincentur redarguti improbi. Oportet igitur arguere. Quomodo ergo dicit : *Nolite judicare, ut non judicemini* (*Matth.* 7. 1)? Arguere dixit, non condemnare, hoc est, castigare : et, *Nolite judicare, ut non judicemini* (*Ib. v.* 3), dixit de minimis peccatis. Subjunxit vero : *Quid vides festucam in oculo fratris tui, in tuo autem oculo trabem non cernis?* Hoc est : Sicut vulnus quamdiu superne tectum delitescit, et currit per profundum, nullam accipit curationem : ita peccatum quamdiu quidem occultatur, tamquam in tenebris admittitur cum magna securitate; postquam autem fuerit manifestatum, fit lux, non ipsum peccatum; quomodo enim? sed is qui admisit ipsum. Quando enim is, qui fecit, in medium fuerit productus, quando admonitus, quando ductus pœnitentia, quando remissionem fuerit assequutus, annon expurgasti ejus tenebras? annon curasti ejus vulnus? annon infertilitatem evocasti ad fructum? Aut hoc dicit, aut illud, quod vestra quidem vita cum sit manifesta, est lux : nullus enim abscondit vitam, in quam non cadit reprehensio : quæ autem absconduntur, quia sunt offusa tenebris, occultantur. 14. *Propter quod dicit : Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Dormientem et mortuum dicit eum qui est in peccatis : tetrum enim odorem spirat ut mortuus, nec potest operari ut qui dormit, et nihil videt ut ille, sed somniat et phantasias apprehendit. Alii dicunt, *Et tanges Christum;* alii autem, *Et illuminabit te Christus*, et potius ita est. Discede a peccato, et poteris videre Christum : *Nam qui mala agit, odit lucem, et non venit ad lucem* (*Joan.* 3. 20) : qui autem non facit, venit.

2. Sed hoc non solum dicit de incredulis : nam multi ex fidelibus non minus sectantur vitium quam infideles; et sunt etiam qui multo magis. Et ideo necesse est eis dicere : *Expergiscere qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Hoc quo-

que convenit eis dicere, *Deus non est mortuorum, sed vivorum* (*Matth.* 22. 32). Si ergo non est Deus mortuorum, vivamus. Quidam autem existimant hoc esse hyperbolen, Avarus est cultor idolorum. Sed non est hoc verbum hyperboles, sed veritatis. Quomodo? A Deo discedit avarus, sicut et idololatra. Et ne existimes frustra esse dictum : est Christi sententia quæ dicit : *Non potestis Deo servire et mamonæ* (*Ibid.* 6. 24). Qui mamonæ serviunt [1], seipsos expulerunt a Dei servitute : qui autem ejus negarunt dominium, et auro in animo serviunt, liquidum est eos esse cultores idolorum. At non feci, inquit, idolum, neque aram statui, neque oves sacrificavi, neque vinum libavi, sed ecclesiam sum ingressus, et manus extendi unigenito Dei Filio, et sum particeps mysteriorum, et precum habeo societatem et aliorum omnium quæ conveniunt Christiano. Quomodo ergo, inquit, adoro idola ? Atque hoc quidem est et valde mirandum, quod cum expertus esses et Dei gustasses benignitatem, et vidisses benignum esse dominum, benignum quidem dimiseris, crudelem autem tyrannum admiseris ac susceperis : et præ te fers quidem te ei non servire, re vera autem te subjecisti duro et aspero jugo amoris pecuniæ. Nondum mihi dixisti quod a te recte sit factum, sed dona Domini. Dic mihi, quæso, undenam judicamus militem? an ex eo, quod ut satelles stipet regem, et ab eo alatur et ejus esse dicatur ; an ex eo, quod non in eum sit bene affectus, sed præ se ferat se in illius esse partibus et rebus ejus favere, inimicorum autem res gerat? Patet, eo quod regis satelles est. Ideo graviori supplicio dignus est, quam si abrupto jugo regiæ servitutis se inimicis dedidisset. Et tu Deum contumelia afficis tamquam idololatra, non uno ore tuo, sed innumerabilium, quibus facta est injuria. At non est, inquit, idololatra. Quando igitur dicunt Græci, Christianus iste avarus, tunc non ipse solus probro et contumelia afficit per ea quæ facit, sed et eos quibus facta est injuria sæpe cogit hoc dicere : quod si hoc non dicunt, illorum pietati hoc est imputandum. An non videmus res sic fieri? Quid est aliud idololatra? annon ipse quoque sæpe adorat vitia ut qui illis non imperet? Ut exempli causa, quando dicimus eum adorare idola, Non, inquit, sed Venerem, sed Martem. Et si dixerimus, Quænam est hæc Venus? qui sunt ex eis graviores dicunt, Voluptas : Et quis Mars? Ira et animus. Ita etiam tu mamonam. Si dixerimus, Quinam est mamona? Avaritia : et tu eam adoras? Non adoro, inquit. Quare? quoniam non te ipsum inflectis et incurvas ? Multo magis adoras per facta et res ipsas ; hæc enim est major adoratio. Et ut discas, vide in Deo. Quinam eum magis adorant, iine qui solum stant in precibus, an qui faciunt ejus voluntatem ? Palam est, quod isti. Ita etiam in mamona, qui faciunt ejus voluntatem, magis eum adorant. Atqui illi qui adorant affectiones et vitia, sæpe ab illis sunt remoti : videris enim cultorem Martis, iram sæpe vincre ac reprimere : in te autem res non ita se habet, sed te in servitutem vitii tui redigis. At oves non jugulas? Sed jugulas homines et animas ratione præditas, has quidem fame, illas vero maledictis Hoc sacrificio nihil est magis bacchicum, nihil magis insanum. Quis umquam vidit jugulare animas? Exsecranda est ara avaritiæ. Nam ad hanc aram idolorum si veneris, videris eam olere sanguinem caprarum et boum; ad avaritiæ autem aram si veneris, videbis eam graviter spirantem humanum sanguinem : si hic steteris, non videbis ardere alas avium, nec emitti vaporem et fumum, sed perire corpora humana. Nam alii quidem se præcipites dejiciunt, alii aptant laqueum, alii per guttur ensem transadigunt. Vidisti crudelia et inhumana sacrificia? Vis his videre graviora? Ego tibi ostendam, non jam hominum corpora, sed animas illic mactari. Potest enim mactari anima ea cæde quæ illi convenit : sicut enim est mors corporis, ita est mors animæ : *Anima enim quæ peccat*, inquit, *ipsa morietur* (*Ezech.* 18. 4). Non est qualis mors corporis, sed est longe gravior mors animæ. Nam illa quidem mors corporis, cum animam et corpus alterum ab altero dissolverit, illi quidem affert requiem a multis curis et laboribus ; hanc vero ad locum manifestum transmittit : deinde cum tempore fuerit dissolutum et spiritu privatum, rursus congregatur cum incorruptione, et suam recipit animam.

3. Atque talis quidem est mors corporis. Mors autem animæ est horrenda et terribilis. Non enim si fuerit dissoluta, eam transmittit sicut corpus, sed eam rursus alligatam corpori, in quod cadet interitus, eam immittit in ignem, qui non potest exstingui. Hæc est ergo mors animæ. Sicut ergo est mors animæ, ita est etiam cædes animæ. Quid est cædes corporis? Morte esse affectum, et abruptum esse operatione quæ est ex anima. Quid est cædes animæ? Ipsa quoque est mortificatio ? Quid est autem mortificatio animæ? Sicut corpus tunc morte afficitur, quando anima id reliquerit desertum a sua operatione : ita etiam tunc morte afficitur anima, quando eam a sua operatione desertam reliquerit Spiritus sanctus. Hæ cædes et mactationes sunt maxime ad aram avaritiæ : non satiantur neque se sistunt usque ad sanguinem hominum, sed nisi etiam ipsam sacrificaveris animam, non impletur ara avaritiæ, nisi utriusque acceperit animas, nempe ejus qui sacrificat et ejus qui sacrificatur. Eum enim qui sacrificat oportet primum esse sacrificatum ; et ita ille sacrificat, et mortuus sacrificat eum qui tunc vivit. Quando enim maledictis insectatur, quando probris et conviciis appetit, quando succenset et indignatur, annon hæ plagæ animæ sunt incurabiles ? Vides non esse dictum hyperbolicum ?

Avaritiam esse idololatriam probatur. — Vis etiam aliud audire, et discere quomodo avaritia sit idololatria et cultu idolorum gravior? Idololatræ adorant Dei creaturas : *Et coluerunt*, inquit, *et servierunt creaturæ magis quam Creatori* (*Rom.* 1. 25) : tu autem tuam

[1] In uno Codice legitur.... « *et mamonæ.* » *Quod si non sit possibile servire Deo et mamonæ, qui mamonæ*, etc.

adoras creaturam. Deus enim non creavit avaritiam, sed eam invenit immoderatio tuæ inexplebilitatis. Vide autem insaniam et rem plane ridiculam. Qui idola adorant, etiam ea quæ adorant honorant, et sive quisquam quidpiam in ea dixerit, sive maledictis ea fuerit insectatus, ea defendunt : tu autem tamquam præ quadam ebrietate rem adoras, quæ non solum non est libera a vituperatione, sed etiam est plena impietate. Quamobrem tu es eis longe pejor : neque enim defensionem afferre poteris quod non sit malum. Etsi illi maxime sunt inexcusabiles, tu tamen multo magis, ut qui avaritiam millies accuses, et eos vituperes qui eam colunt, et ei serviunt et ei morem gerunt. Si vultis autem, examinemus undenam sit ingressa idololatria. Dicit quidam sapiens, quod quidam dives qui cruciabatur immaturo luctu filii, neque luctus ullam habebat consolationem, hac dolorem leniens, facta inanima imagine ejus qui excesserat, perpetuo eam intuens, videbatur per imaginem eum perpetuo habere qui decesserat. Quidam autem adulatores, quorum Deus venter est, in ejus honorem colentes imaginem, eum morem perduxerunt ad idololatriam(*Sap.* 14. 15). Introducta est ergo ab imbecillitate animæ, a rationis experte consuetudine, ab immoderatione. Non sic autem avaritia : nam ipsa quoque est introducta ab imbecilla anima, verum a pejore : non amisit quisquam filium, neque luctus quærebat solatium, neque attrahebatur ab adulatoribus ; sed quomodo? Ego vobis dicam. Cain Deum fraudavit per avaritiam : nam iis quæ illi dari oportebat apud se retentis, quæ ipsum habere oportebat, ea illi obtulit, et malum a Deo incepit. Nam si nos Dei sumus, multo magis primitiæ nostrarum possessionum. Rursus ab avaritia orta est mulierum appetitio : *Viderunt filias hominum, et devoluti sunt ad concupiscentiam* (*Gen.* 6. 2) : ab his rursus ad pecunias. Nam velle plus habere quam proximus in iis quæ ad hanc vitam pertinent, non aliunde est ortum quam ex eo quod refrixerit caritas : velle plus habere non aliunde oritur quam ex arrogantia, et odio hominum et contemptu. Non vides quanta sit terra, et quomodo aer et cælum sit multo majus quam opus sit? Nam ut Deus tuam exstingueret avaritiam, res creatas ad tam magnam eduxit mensuram : tu autem sic quoque rapis, et audis avaritiam esse idololatriam : et ne sic quidem horres? Vis esse heres terræ? Sed non habes in cælo hereditatem : studium ponis ut aliis relinquas hereditatem, te ipsum autem privas?

4. Dic mihi si quis daret tibi potestatem accipiendi omnia, an nolles? Licet ergo, si velis. Atqui nonnulli dicunt se dolere, quod hereditatem transmittant ad alios, et vellent magis eam exedere, quam videre alios ejus dominos. Neque ego te libero ab hac imbecillitate : nam est hoc quoque imbecillæ et infirmæ animæ. Sed tamen hoc saltem fiat : in testamento relinque Christum heredem. Nam oporteret quidem viventem ; hoc enim esset recte instituti liberi arbitrii; sed tamen vel a necessitate fias liberalior. Etenim propterea Christus jussit dare pauperibus, ut nos viventes redderet philosophos, ut persuaderet despicere pecunias, ut doceret terrena contemnere. Non est hoc pecunias despicere, morientem et non ultra dominum huic et illi præbere : non jam ex tuis das, sed ex ipsa necessitate : morti est gratia, non tibi : Hoc non est benevolentiæ, sed irrisionis. Cæterum vel sic fiat, vel tunc solve vitium et malam animi affectionem. Cogita quam multa rapueris, quam multa per avaritiam possederis; redde omnium quadruplum ; ita apud Deum causam tuam defende. Sed sunt nonnulli qui eo veniunt insaniæ et cæcitatis, ut ne tunc quidem videant quod oportet, sed ac si studium ponant, ut Dei judicium sibi gravius efficiant, ita agunt omnia. Propterea hic beatus dicebat scribens : *Tamquam filii lucis ambulate.* Avarus autem maxime vivit in tenebris, et magnas in omnes spargit tenebras. Et, *Nolite communicare infructuosis operibus tenebrarum, magis autem redarguite : quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere. Omnia autem quæ arguuntur a lumine, manifestantur.*

De corrigendo proximo. — Audite, rogo, quicumque non vultis sine causa haberi odio. Rapit, et non arguis? At times odium. Atqui non est hoc sine causa odio haberi; sed juste arguis, et times odium? argue fratrem, suscipe inimicitias propter tuam in Christum caritatem, propter tuam in ipsum dilectionem : prohibe ne ipse abeat in barathrum. Nam mensæ esse participes, et benignorum verborum, et jucundæ eloquutionis, et deliciarum, non est admodum amicitiæ. Ea nostris amicis dona largiamur, ut eorum animam ab ira Dei extrahamus, in vitii fornace videntes eos jacentes eriganus. At non corrigitur, inquit. Sed fac tu quod tuum est, et apud Deum es excusatus. Ne occultes talentum : propterea habes rationem, propterea linguam et os, ut corrigas proximum. Sola bruta non gerunt curam proximi, neque aliorum ullam habent rationem : tu autem qui Deum vocas patrem, et proximum fratrem, videns eum mala facientem innumera, ejus gratiam præponis ipsius utilitati? Ne hoc facias rogo. Nullum est tantum amicitiæ indicium, quantum fratres peccantes non despicere. Vidisti eos esse inimicos? reconcilia. Vidisti eos per avaritiam fraudare et plura acquirere? cohibe. Vidisti injuria affici? eos defende : non illis, sed tibi priori es gratificatus. Propterea sumus amici, ut prosimus alter alteri. Aliter audiet ab amico, aliter a quolibet : hunc habebit forte suspectum, et doctorem similiter; amicum autem non item. *Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere*, inquit. *Omnia autem, quæ arguuntur a lumine, manifestantur.* Quid hic vult dicere? Hoc dicit : alia quidem peccata clam fiunt, alia autem manifeste : illic autem non sic erit. Nemo enim est qui peccati non sit sibi conscius. Propterea dicit, *Omnia, quæ arguuntur a lumine, manifestantur.* Quid ergo? annon hic, inquies, de idololatria loquitur? Nequaquam. Sed de vita et peccatis verba facit. *Omne enim quod manifestatur*, inquit, *lumen est.* Quamobrem, rogo, neque vos dubitetis arguere, neque

ægre feratis si arguamini. Nam quamdiu aliquid fit in tenebris, fit securius; quando autem habet multos testes eorum quæ fiunt, illuminatur. Quamobrem omnia maxime agamus ut fratrum nostrorum abigamus omnia quæ ad mortem ducunt, ut dispergamus tenebras, ut attrahamus Solem justitiæ. Nam si multa sint luminaria, et virtutis via ipsis erit facilis, et qui sunt in tenebris magis deprehendentur, luce exoriente, et illas auferente. Sin autem contra, timendum est ne ipsi exstinguantur, tenebrarum et peccatorum crassitudine lucem vincente, et abigente ejus perspicuitatem. Sic ergo affecti simus, ut nobis prosimus; ut per omnia gloriam emittamus benigno et clementi Deo, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XIX.

CAP. 5. v. 15. *Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes,* 16. *sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* 17. *Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Domini.*

1. Expurgat adhuc radicem acerbitatis et amarulentiæ, adhuc exscindit occasionem iræ. Quid enim dicit? *Videte quomodo caute ambuletis.* Sciebat Magistrum suum, discipulos mittentem sicut oves inter lupos, præcepisse illis ut essent sicut columbæ: *Et eritis,* inquit, *simplices sicut columbæ* (*Matth.* 10. 16). Cum ergo et inter lupos essent, et illis præceptum esset ne ulciscerentur, sed male paterentur, ideo tali admonitione opus habebant. Atqui satis erat illud prius ad eos reddendos imbecilliores: cum autem duorum sit accessio, cogita hyperbolen. Vide ergo quomodo Paulus eos munit et tutos reddit: *Videte quomodo ambuletis.* Integræ civitates adversus eos bellum gerebant, domos etiam ingressum est hoc bellum: pater adversus filium, filius adversus patrem, mater adversus filiam, filia adversus matrem divisi erant. Quid vero? undenam erant eæ divisiones? Audierant Christum dicentem: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* (*Ibid.* v. 37). Ne ergo existimarent eum bella et pugnas frustra introducere, quoniam magna ira erat exoritura, si ipsi quoque irrupturi essent, ea de causa dicit, *Videte quomodo caute ambuletis.* Hoc est, præter prædicationem, non aliunde detis occasionem suscipiendarum adversus vos inimicitiarum: hæc sola sit causa et occasio inimicitiarum: nemo rei alterius in vos crimen intendat; sed et honorem et omnem ostendite obedientiam, quando nihil lædet prædicationem, quando nihil impediet pietatem. *Reddite,* inquit, *omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal* (*Rom.* 13. 7). Quando enim in aliis viderint vos esse æquos et bonos, pudore suffundentur. *Non quasi insipientes, sed tamquam sapientes, redimentes tempus.* Non hæc suadet, volens non esse varios et nos in omnes formas vertere, sed hoc dicit: Non est tempus vestrum: nunc estis inquilini et peregrini, et hospites et alieni: ne quæratis honorem, ne quæratis gloriam, ne quæratis potentiam, nec ultionem: omnia ferte, et sic tempus redimite; multa et exsolvite, atque adeo quidquid voluerint. Obscurum est dictum: age, per exemplum illud explicare conabor. Cogita mihi quempiam qui domum habeat splendidam; deinde ingredi aliquos ut eum perimant, et illum multa dare, et se eripere; tunc dicimus eum se redemisse. Ita tu quoque, domum habes magnam, et fidem veram; irrumpunt ut omnia accipiant; da quodcumque exegerint: solum serva caput, fidem, inquam, *Dies enim,* inquit, *mali sunt.*

Diei malitia quid sit. — Quid est diei malitia? Diei malitia debet esse circa diem. Si didiceris quæ in singulis nostrum sit malitia, scies quid sit malitia diei. Quid est malitia seu vitium corporis? morbus. Quid est malitia animæ? vitium seu pravitas. Quid est aquæ malitia? amaritudo. Et uniuscujusque malitia seu pravitas, est vitium circa illam naturam, cujus est vitium. Si ergo vitium est circa diem, oportet esse circa ipsum diem, circa horas, circa lucem. Ita et Christus dicit: *Sufficit diei malitia sua* (*Matth.* 6. 34). Ex hoc ergo illud quoque cognoscemus. Quomodo ergo dies vocat malos? quomodo tempus malum? Non essentiam, neque res creatas, sed propter ea quæ fiunt in ipsis: sicut nos quoque solemus dicere, Transegi diem malum et gravem. Atqui quomodo fuerit gravis, nisi ex iis quæ in ipso accidunt? Quæ autem in eo accidunt, sunt quidem bona a Deo, mala autem a malis hominibus. Malorum ergo quæ accidunt in temporibus fabricatores sunt homines: et propterea tempora dicuntur mala. Ita nos quoque mala vocamus tempora. *Propterea,* inquit, *nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Domini.* 18. *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Hujus quoque immoderatio facit animosos, audaces, præcipites, iracundos, gravesque et difficiles. Datum est vinum ad lætitiam, non ad ebrietatem: nunc autem non inebriari, videtur res esse ignavi et pusillanimi, et quæ sit ridenda. Quænam salutis spes est? Risus est non inebriari, ais, quando ebrietas maxime omnium ridicula oporteret esse? Nam etiam privatum procul ab ebrietate omnino remotum esse bonum est: multo autem magis militem [1], qui versatur in gladiis, in sanguine et cædibus; et multo magis quando aliunde irritatur, a potestate, a dominatu, ex eo quod sit assidue in insidiis et pugnis. Vis discere ubi vinum sit bonum? audi Scripturam dicentem, *Date vinum mœrentibus, et siceram iis qui amaro sunt animo* (*Prov.* 31. 6). Et merito: solet enim mollire id quod est asperum et triste, et auferre id quod est nubilosum. *Vinum lætificat cor hominis* (*Psal.* 103. 15). Quomodo ergo est ex vino ebrietas? non enim licet cuiquam operari ea quæ sunt sibi contraria. Non est ergo ex vino ebrietas, sed ex immoderato usu. Vinum non propter aliud datum est, quam propter sanitatem corporis:

[1] Savilius putat legendum *ducem*, et sane melius quadrare videtur.

sed hoc quoque impedit immoderatio. Audi autem hunc quoque beatum scribentem et dicentem Timotheo : *Modico vino utere propter stomachum et frequentes tuas infirmitates* (1. *Tim.* 5. 23).

2. Propterea enim Deus fecit nostra corpora justa symmetria prædita, et paucis satiari; inde nos jam erudiens, quod nos aptos fecerit ad alteram vitam. Et volebat quidem illam dare ab initio, sed quoniam illa nos reddidimus indignos, distulit : et eo tempore quo distulit, non nos sinit frui immodice : vini enim hemina et unus panis sufficiunt ad implendum ventrem hominis. Et eum, qui in omnia bruta obtinet dominatum, fecit paucioribus indigere quam illa, habita proportione, et corpus breve, nihil aliud significans quam quod ad aliam vitam properamus. *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria.* Non enim conservat, sed perdit, non solum corpus, sed etiam animam. *Sed implemini Spiritu*, 19. *loquentes vobismetipsis in psalmis et canticis spiritualibus, psallentes et cantantes in cordibus vestris Domino*, 20. *gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri :* 21. *subjecti invicem in timore Christi.* Vis, inquit, lætari? vis diem consumere? Ego do tibi potum spiritualem : ebrietas enim bene significantem linguæ nostræ exscindit vocem, ut balbutiamus efficiens, oculosque et omnia, ut semel dicam, pervertens. Disce psallere, et videbis rei voluptatem : nam qui psallunt, implentur Spiritu sancto, sicut qui satanica canunt cantica, spiritu immundo. Quid est, *In cordibus vestris Domino?* Hoc est, sapienter animum adhibentes : nam qui animum non adhibent, temere canunt verba loquentes, corde alibi vagante. *Gratias*, inquit, *semper agentes pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri, subjecti invicem in timore Christi.* Id est, petitiones vestræ cum gratiarum actione innotescant apud Deum: nihil enim æque Deum lætitia afficit, ut quando quispiam est gratus. Maxime autem possumus gratias agere, abducentes animum nostrum ab iis quæ prius dicta sunt, et eum expurgantes iis quæ dixit. *Sed implemini*, inquit, *Spiritu.* Estne hoc in nostra potestate? Est certe. Quando enim mendacium, quando acerbitatem et amarulentiam, quando scortationem, quando immunditiam, quando avaritiam a nostra anima abegerimus, quando fuerimus benigni, misericordes, nobis ipsis gratificantes, quando non adfuerit scurrilitas, quando nos reddiderimus dignos, quid est quod prohibeat ne accedat et advolet Spiritus sanctus? Neque solum accedet, sed etiam implebit cor nostrum. Dum est autem intrinsecus lux tanta, non erit de cætero difficile se ex virtute recte gerere, sed facile et expeditum. *Gratias*, inquit, *agentes pro omnibus.* Quid ergo? pro omnibus, quæ accidunt, oportet gratias agere? Certe : etiamsi sit morbus, etiamsi paupertas. Si enim in Veteri suadebat quispiam Sapiens dicens : *Omne quod tibi inductum fuerit, lubenter accipe : et in mutationibus humiliationis tuæ esto longanimis* (*Eccli.*2.4); multo magis id fieri oportet in Novo. Etsi ergo rationem nescias, age gratias : hoc enim est revera gratiarum actio. Sin autem cum sis beneficiis affectus, opulentusque et locuples, resque tuas bene geras, et omnia tibi prospere succedant, agas gratias, non est magnum nec admirandum : verum quod quæritur est, ut gratias agat qui est in afflictionibus et in mœstitia. Nihil dicas ante hoc verbum, Gratias ago tibi, Domine. Et quid dico pro iis quæ hic sunt afflictionibus? pro ipsa gehenna oportet Deo agere gratias, pro pœnis et suppliciis quæ sunt illic : ea enim res nos valde juvat qui animadvertimus : pro freno metus gehennæ imponatur cordibus nostris. Ne ergo tantum pro manifestis beneficiis, sed etiam pro iis quæ non sunt manifesta, et quibus vel inviti afficimur, agamus gratias : multis enim nos nolentes et nescientes beneficiis afficit. Si autem non creditis, jam vobis rem palam faciam. Cogita enim : scelerati et increduli Græci, nonne soli omnia adscribunt et suis idolis? Quid vero? annon eos quoque beneficio afficit? annon est illius providentiæ quod ipsi vivant et sint sani, et liberos procreent, et quæ sunt hujusmodi? Quid vero Marcionistæ? quid Manichæi? nonne illum blasphemiis appetunt? Quid ergo? nonne eos quotidie beneficio afficit? Quod si nescios quotidie beneficio afficit, multo magis nos. Quod est enim aliud Dei opus quam hoc, nempe hominum genus afficere beneficio, et per supplicia et per recreationem?

Gratiæ Deo agendæ etiam in adversis. — Non solum ergo agamus gratias, dum sunt nobis res secundæ : non est enim hoc magnum. Et hoc novit diabolus; ideoque dicebat : *Num Job gratis colit Deum? nonne circumvallasti quæ sunt ejus intus, et quæ foris? Aufer omnes ejus facultates, certe in faciem tibi benedicet* (*Job* 1. 9. 10). Sed scelerato illi nihil ex eo lucri accessit, et absit ut de nobis ei lucri aliquid accedat. Sed et quando fuerimus in paupertate, quando in morbis et in molestiis, tunc majorem agamus gratiarum actionem : gratiarum, inquam, actionem, non verbis, neque lingua, sed rebus et factis, et cogitatione et corde. Tota anima ei agamus gratias. Magis enim nos diligit quam qui nos genuerunt; et quantum interest inter pravitatem et bonitatem, tanta est differentia dilectionis Dei a dilectione patrum nostrorum.

3. Neque hæc verba sunt mea, sed ipsius Christi, qui nos diligit : audi eum dicentem, *Quis ex vobis homo, qui si filius ab eo petierit panem, num lapidem dabit ei? Si autem vos cum sitis mali, scitis bona data dare filiis vestris : quanto magis Pater vester qui est in cœlis bona dabit iis qui ab ipso petunt* (*Matth.* 7. 10. 11)? et rursus alibi, *Num obliviscetur mulier misereri filiorum uteri sui? Si autem eorum obliviscatur mulier, ego tamen tui non obliviscar, dicit Dominus* (*Isai.* 49. 15). Nam si non diligit, cur nos fecit? num fuit ei necesse? num aliquid facimus quo ei sit opus, et ei fungimur ministerio? num aliquo eget ex nostris? Audi prophetam dicentem : *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* 15. 2). Sed dicunt ingrati et nullo sensu præ-

diti, Hæcne sunt Dei bonitatis, ut sit omnibus paritas honoris? Dic mihi, homo ingrate, quænam dicis non esse Dei bonitatis, et quamnam dicis honoris æqualitatem? Ille a puero mutilus est, alius insanit, et vexatur a dæmone; alius qui ad extremam venit senectutem, totam vitam transegit in paupertate, alius in morbis gravissimis : hæcne sunt opera providentiæ? Hic quidem est surdus, ille vero mutus; hic est pauper, alius vero sceleratus atque sceleratissimus et plenus malis innumeris, fruitur pecuniis et alit meretrices et parasitos, præclarasque et magnificas ædes possidet, et vitam agit quietam et omni negotio vacuam. Multaque ejusmodi colligunt, longam contexentes orationem adversus Dei providentiam. Quid ergo? nullane est providentia? quid ergo dicemus ad illos? Si essent quidem Græci, et dicerent nobis mundum ab aliquo administrari : rursus nos quoque eadem eis diceremus : Quid ergo, nulla est providentia? quomodo ergo vos deos colitis, dæmones et heroas adoratis? nam si est providentia, ea omnium curam gerit. Si sint aliqui qui ægre ferant Christiani vel etiam Græci, et qui labascant, quid eis dicemus? Tam multane, dic quæso, casu facta fuerint bona? lux quotidiana, bene dispositus ordo in rebus, astrorum chorea, dierum et noctium cursus ex æquo consistens, naturæ consequentia et in plantis et in animalibus et in hominibus? Quis est, dic quæso, qui hæc administrat? Si nullus est qui præsit, sed casu constant omnia; quis hunc tam pulchrum, tam magnum fornicem, nempe cælum, circumductum super terram, etiamque super aquas statuit? quis dat tempora ferendi fructus? quis tantam vim posuit in seminibus et plantis? Nam quod fit casu, est plane inordinatum : quod autem est bene ordinatum, fit arte. Quid enim, dic quæso? ea quæ apud nos casu fiunt, nonne multa plena sunt confusione, multoque tumultu et perturbatione? Nec dico solum casu, sed etiam faciente aliquo, verum faciente sine arte. Exempli causa : sint ligna et lapides, et sit calx, et iis acceptis homo ædificandi imperitus ædificet et operetur : annon omnia perdit et corrumpit? Rursus, sit navis absque gubernatore, quæ omnia habeat quæ oportet habere navem præter gubernatorem, non dico non instructa, sed ne instructa quidem poterit navigare? Et terra quæ est tanta, stans super aquam, absque aliqua quæ contineat potestate, tanto tempore stat firma? hæccine ullam habent rationem? et hæc cogitare nonne est omnino ridiculum? Et si aqua etiam fert cælum, ecce aliud onus : si autem cælum quoque feratur in aqua, rursus alia questio. Sed totum opus est providentiæ. Nam quæ feruntur super aquas, non oportet esse incurva, sed concava. Quare? Quoniam corpus quidem concavi totum immergitur in aquis tamquam in nave : incurvi autem corpus quidem totum est superne, extrema autem solum impendent et attingunt. Ei ergo opus est corpore duro, resistente, et quod possit continere, ut ferat onus impositum. At aer fert cælum? Sed is est aqua multo mollior et laxior, et ne subtilissimum quidem quidquam potest continere, nedum tantam molem. Omnino si velimus quæ sunt providentiæ et universe et sigillatim ac minutatim persequi, totum ævum nos deficiet. Interrogabo enim eum qui illa nunc quærit : Hæccine sunt providentiæ an sine providentia? Si dixerit, Non sunt providentiæ : rursus eum rogabo, Quomodo ergo facta sunt? Sed non poterit aliquam dicere rationem. Multo magis ergo non debes quærere nec curiose indagare de rebus humanis. Quare? Quoniam homo est his omnibus præstantior et honorabilior, et hæc propter illum facta sunt, non ille propter hæc.

4. *Rerum naturalium causas ignoramus. Peccatum solum malum.* — Si ergo ejus quæ de ipso est curæ et providentiæ nescis sapientiam et administrationem, quomodo scire poteris quæ sint de ipso rationes? Dic mihi, cur ita parvum illum fecit, et ita distantem ab altitudine cæli, ut de iis quæ superne apparent dubitet? cur boreales et australes regiones sunt inhabitabiles? Dic mihi, cur facta est nox hieme quidem longior, æstate autem brevior? cur tantum est frigus? cur æstus? cur corpus mortale? Et a te sciscitabor alia innumerabilia; et si velis, non cessabo te interrogare, et mihi dubitabis in omnibus. Quamobrem hoc maxime est providentiæ, quod arcanæ sint nobis rationes et ineffabiles. Alias enim existimasset quispiam, hominem esse causam universitatis, nisi hoc nostram compressisset intelligentiam. At, inquit, ille est pauper, et malum est paupertas. Quid vero morbus? quid cæcitas? Nihil hæc sunt, o homo : unum solum malum est, peccare, et hoc tantum debemus examinare. Sed eorum quæ vere sunt mala causas scrutari mittentes, alia curiose inquirimus. Cur nemo nostrum unquam examinat cur peccavit? estne in mea potestate peccare, annon? Et quid opus est magna verborum uti circuitione? rem in meipso quæram : numquid aliquando vici animum? an aliquando vici iram, aut propter pudorem, aut propter humanum metum? Deinde postquam hoc factum invenero, deprehendam esse in mea potestate peccare. Nemo hæc examinat, nemo de his curiose inquirit, sed inconsiderate, ut est apud Jobum, *Homo temere natat verbis* (*Job* 11. 12. *in Græco*). Quid est enim tibi curæ an hic sit cæcus, et ille pauper? Non te jussit Deus hoc considerare, sed quidnam tu agas [1]. Nam si tu dubitas mundone præsit aliqua potestas, es omnium amentissimus : sin autem hoc habes persuasum, quid dubitas quod Deo placere oporteat? *Gratias*, inquit, *semper agentes Deo pro omnibus*. Vade ad officinam medici, et videbis illum, quando inventus fuerit aliquis habens vulnus, secare et urere. De te autem hoc non dico, sed abi ad officinam fabri; nec ibi inquiris rationem, etsi nihil scis eorum quæ fiunt : et multa tibi videntur esse dubia : ut quando lignum tornat, quando transformat et in aliam mutat figuram. Vel potius te ad aliam duco artem faciliorem, ut in pictura : et illic caligabis. Dic enim mihi, annon tibi inconsiderate videtur facere quæ facit?

[1] In uno Codice legitur..... *hoc considerare, neque a te quæret cur talia non exquisiveris, sed cur hæc feceris.*

quid sibi volunt illæ lineæ, et earum circumductiones? Sed si imposuerit colores, tunc tibi videtur ars pulchra : et ne sic quidem poteris exacte discere. Quid autem dico de fabris, de pictoribus, et conservis? Apis quomodo facit favos dic rogo, et tunc dices de Deo. Formicarum disce operationem, araneæ et hirundinis, et tunc dices de Deo. Si sapiens sis, hæc mihi dicas ; sed non potes. Non cessabis ergo, o homo, quærere supervacanea? sunt enim revera supervacanea : non cessabis curiose scrutari? Nihil est hac ignoratione et imperitia sapientius, in qua qui profitentur quidem se nihil scire, sunt omnium sapientissimi ; qui autem curiose scrutantur, sunt omnium amentissimi. Quare profiteri se scire non est semper sapientiæ, sed est etiam alicubi stultitiæ. Nam dic mihi, si ex duobus hominibus alter profiteretur se mensurum aerem, qui a terra pervadit ad cælum, extensis funibus, alter autem irridens diceret se nescire, quem quæso ridebimus? eumne qui dicit se scire, an eum qui ignorat? Est perspicuum quod eum qui dicit se scire. Qui ergo ignorat, est sapientior eo qui professus est se scire. Quid rursus, si quispiam profiteretur se scire quot cyathos habeat mare, alius autem se ignorare, non rursus ignoratio est sapientior cognitione? Maxime ; quare? Quandoquidem illa quoque ignoratio est intensa. Nam qui dicit quidem se nescire, scit partem aliquam. Quamnam? Quod homini sit incomprehensibile : non enim hoc parvum. Qui autem se dicit scire, ille maxime nescit quod se dicit scire ; et propter hoc ipsum est ridiculus. Hei mihi ! quam multis erudimur intempestivam refrenare curiositatem et supervacaneam indagationem, nec sustinemus ; sed vitam aliorum curiose indagamus, cur hic cæcus, ille vero pauper. Hac igitur ratione in alias etiam nugas incidemus, cur hæc sit femina, et non omnes viri, cur asinus, cur bos, cur canis, cur lupus, cur lapis, cur ligna, et ad infinitam prolixitatem decidet oratio. Propterea Deus nobis terminos cognitionis constituit, et in natura fundavit. Contemplare autem mihi multam curiositatem, quod videntes tantam a terra ad cælum altitudinem, minime afficimur nec movemur : quando alta turri conscensa voluerimus deorsum aspicere, si parum nos inclinaverimus, gravis nos invadit vertigo et tenebræ. Dic mihi hujus rei causam, sed non inveneris, cur majorem vim habet oculus, et detinetur ab iis quæ sunt remotiora.

5. Et id similiter videris in auditu. Non potuerit enim quispiam tantum clamare ut impleat aerem, quantum poterit comprehendere oculus, neque audire ex tanto intervallo. Cur non omnia membra sunt honore paria? cur non unum acceperunt usum, nec locum? Paulus quoque hoc est scrutatus, imo vero non est scrutatus, erat enim sapiens, sed cum in hunc locum incidisset, dicit : *Unumquodque*, inquit, *eorum posuit sicut voluit* (1. *Cor.* 12. 18) : voluntati ejus totum commisit. His ergo missis gratias solum agamus pro omnibus : Ideo, inquit, gratias agite pro omnibus. Hoc est grati famuli, hoc sapientis, hoc intelligentis ; illud loquacis, otiosi et curios i. Non vides inter famulos, quod qui sunt quidem abjecti et plane despuendi, et ad nihil utiles, sunt loquaces et nugatores, et curiose inquirunt res dominorum, quas illi volunt celare : sapientes autem, grati et benevoli, unum solum spectant ut suum ministerium impleant? Qui multum loquitur, nihil operatur : sicut qui multum operatur, nihil loquitur intempestivum. Propterea dicebat Paulus loquens de viduis : *Non solum otiosæ discunt* [domos circuire], *sed etiam verbosæ et nugaces* (1. *Tim.* 5. 13).

Divina non adeo incuriose indaganda. — Dic mihi, quid plus interest inter nostram ætatem et ætatem puerorum, an inter Deum et homines? inter nos et culices, an inter Deum et nos? Planum est, plus interesse inter Deum et nos. Cur ergo tu es adeo curiosus? Gratias age pro omnibus. Quid vero, inquit, si me interroget Græcus, quid respondebo? vult ex me scire an sit providentia : ipse enim dicit nullum esse qui provideat. Tu ergo eum contra interroga. At dicit non esse providentiam. Quod sit quidem providentia, ex iis quæ dixisti est perspicuum ; quod autem non possit comprehendi, ex eo quod non inveniamus rationem. Nam si in iis quæ administrant homines, nescimus sæpe modum administrationis, quamquam multa ex iis nobis videntur esse absurda, et cedimus : quanto magis in Deo? Sed in Deo nihil est absurdum, neque videtur esse fidelibus. Et ideo pro omnibus gratias agamus, pro omnibus eum glorificemus. *Subjecti*, inquit, *invicem in timore Dei.* Si enim propter magistratum subjiceris, propter pecunias, aut propter pudorem, multo magis propter Dei metum. Sit servitutis et subjectionis mutua remuneratio ; sic enim non erit servitus. Non sedeat quidem ille in ordine et loco liberi, hic vero in loco servi ; sed melius est ut et domini et servi alter alteri serviant : multo melius est sic esse servum, quam aliter liberum. Idque inde est evidens : sit quispiam habens centum famulos, et nullus ipsi ministret ; sint alii centum amici se invicem servientes : quinam melius vivent? quinam cum majori voluptate et lætitia? Non est illic ira neque indignatio neque furor neque aliquid aliud ejusmodi ; hic autem est timor et metus : et illic quidem necessitatis, hic autem sunt omnia instituti et liberi arbitrii : et illic quidem vi illata ; hic autem habentes gratiam, alter alteri serviunt. Sic vult Deus : propterea lavit pedes discipulorum. Imo vero, si velis rem accurate examinare, etiam in dominis est servitutis mutua remuneratio. Quid enim, si fastus non sinit ut appareat remuneratio? Quando enim hic quidem exhibet corporale ministerium, tu autem corpus nutris et curas alimentis et indumentis et calceis, huic quoque exhibetur quædam servitus. Nam nisi tu illi tuum exhibeas ministerium, nec ille suum, sed erit liber, nec ulla lex eum coget hoc facere nisi alatur. Si ergo hoc fiat in servis, quid absurdum, si hoc etiam fiat in liberis? *Subjecti*, inquit, *in timore Christi.* Quanta est gratia, quod etiam habeamus mercedem? At non vult tibi subjici? Sed tu subjicere : non solum obedias, sed etiam subjiciaris.

Ita sis affectus erga omnes ut erga dominos : ita enim cito habebis servos in servitutem redactos maxime tyrannica servitutis potentia. Magis enim eos capies et expugnabis, quando nihil ab eis assequens, ipse quæ tua sunt eis præbebis. Hoc est illud : *Subjecti invicem in timore Christi :* ut vincamus omnes animi perturbationes et vitia, ut Deo serviamus, ut caritatem inter nos conservemus : et tunc poterimus digni haberi qui assequamur Dei benignitatem, gratia et miserationibus : etc.

HOMILIA XX.

Cap. 5. v. 22. *Mulieres, viris vestris subditæ estote, sicut Domino :* 23. *quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ : et ipse salvator corporis ejus.* 24. *Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo : ita et mulieres viris suis in omnibus.*

1. *Beati conjuges sibi invicem consentientes. Amoris vis.* — Vir quidam sapiens cum in beatitudinum numerum multa retulisset, hoc unum quoque posuit inter beatitudines : *Et mulier*, inquit, *quæ cum viro convenit et consentit* (*Eccli.* 25. 2). Et rursus alibi ponit cum beatitudinibus, quod uxor simul cum marito habitet cum concordia. Quinetiam ab initio Deus videtur magnam curam gessisse hujus conjunctionis ; et de ambobus tamquam de uno loquens, sic dicebat : *Masculum et feminam fecit eos* (*Gen.* 1. 27) ; et rursus, *Non est masculus, nec femina* (*Gal.* 3. 28). Non est enim tanta viri cum viro necessitudo et conjunctio, quanta mulieris cum viro, si sit recte conjugatus. Propterea vir quidam beatus summam significans dilectionem, et lugens quemdam ex suis amicis, et qui erant unanimes, non dixit patrem, non matrem, non filium, non fratrem, non amicum ; sed quid ? *Cecidit dilectio tua super me*, inquit, *tamquam dilectio mulierum* (1. *Reg.* 1. 26). Revera enim, revera hæc dilectio est magis tyrannica, quam quævis tyrannis. Nam aliæ quidem sunt vehementes ; hæc autem cupiditas habet et vehementiam, et quod non possit marcescere : inest enim quidam amor in natura delitescens, et nos latens connectit hæc corpora. Propterea et ab initio ex viro mulier, et postea ex viro et muliere vir et mulier. Vides conjunctionem et connexionem, et quomodo non siverit aliam extrinsecus ingredi essentiam ? Vide autem quam multa administrarit et dispensarit. Passus est ipsum suam sororem ducere uxorem, vel potius non sororem, sed filiam, vel potius non filiam, sed plus quam filiam, nempe suam carnem : totum autem fecit ab alto petita origine, sicut in lapidibus, eos cogens in unum. Non enim eam fecit extrinsecus, ne tamquam alienæ ei adhiberet animum ; neque rursus ad ipsum usque stetit matrimonium, ne seipsum coercens et cogens separaretur a cæteris. Et sicut in plantis illæ sunt longe optimæ et præstantissimæ, quæ habent unum stipitem et extenduntur ad ramos multos ; quo fit ut si omnia temere solum vertantur circa radicem, et multas etiam habeant radices, non est utique arbor digna admiratione : ita hic quoque, ex uno Adamo fecit ut plantaretur universum genus, id ad magnam redigens necessitatem ut non divelleretur nec separaretur. Et magis contrahens, fecit ut sorores et filiæ non amplius ducerentur uxores, ne rursus dilectionem in unum contraheremus, et aliter separaremur a nobis ipsis. Propterea dicebat : *Qui fecit ab initio, masculum et feminam fecit eos* (*Matth.* 19. 4). Magna enim ex his nascuntur mala et magna bona et domibus et civitatibus. Nihil enim nostram vitam æque concinnat, ut amor viri et mulieris : pro eo multi arma sumunt, pro eo etiam projiciunt animam. Non enim temere hujus rei multam curam gessit Paulus, et in eo posuit studium, dicens : *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino.* Quare ? Quoniam si hi sint in concordia, et recte aluntur filii, recte ordinati sunt famuli, et bono eorum odore fruuntur vicini, amicique et cognati : sin autem contra, evertuntur et confunduntur omnia. Et sicut cum duces exercitus inter se pacem agunt, omnia suam servant consequentiam ; et si rursus illi turbentur, sursum et deorsum aguntur omnia : ita nunc quoque. Ideo ait, *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino* (*Col.* 3. 18). Papæ ! quomodo ergo dicis alibi : Nisi quis renuntiaverit uxori et viro, non potest me sequi (*Luc.* 14. 33) ? Si enim subjici oportet tamquam domino, quomodo dicit quod propter dominum oporteat discedere ? Et vere omnino oportet : sed illud, *sicut*, non est semper omnino æqualitatis. Aut hoc dicit : Sicut quæ sciatis quod Domino servitis : quod etiam dicit alibi, quod si non propter maritum, sed in primis propter Dominum : aut, Quando cedis marito, ut Domino serviens, te obsequi puta. Nam si *Is, qui his externis civilibus resistit magistratibus, Dei resistit ordinationi* (*Rom.* 13. 2), multo magis quæ marito non subjicitur. Sic Deus voluit ab initio. Ponamus ergo virum quidem ordinem et locum tenere capitis, mulierem autem corporis. Deinde etiam a rationibus ostendit, quod vir sit caput mulieris, inquit, *Sicut Christus caput est Ecclesiæ, et ipse est salvator corporis. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.* Deinde postquam dixit, *Vir caput est mulieris, sicut et Christus Ecclesiæ ;* addit, *Et ipse est salvator corporis :* caput enim est salus corporis. Jam marito et uxori jecit tamquam fundamentum caritatem et providentiam, unicuique locum tribuens convenientem, marito quidem principatus et providentiæ, uxori vero subjectionis.

2. *Sicut ergo Ecclesia subjecta est Christo ;* id est, viri et mulieres : *ita etiam mulieres maritis sicut Deo.* 25. *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Audivisti summam dilectionem ; laudasti et admiratus es Paulum, ut qui tamquam vir admirabilis et spiritualis nostram vitam constitueret. Recte. Sed audi, quæ a te exigit : rursus enim eodem utitur exemplo : *Viri*, inquit, *diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Vidisti mensuram obedientiæ ? Audi etiam mensuram

dilectionis. Vis tibi obedire uxorem, sicut Christo Ecclesiam? ipse quoque ejus curam gere sicut Christus Ecclesiæ : etiamsi animam pro ipsa dare oporteat, etiamsi millies conscindi, etiamsi quodvis sustinere et pati, non recusabis; et si hæc passus fueris, nihil adhuc tale fecisti quale Christus. Nam tu quidem jam conjunctus hæc facis : ille autem pro ea quæ ipsum aversatur et odio habet. Quemadmodum ergo ipse eam quæ ipsum aversabatur, oderatque et despicatui habebat ac conspuebat, et per lasciviam ei insultabat, magna sua cura suis subjecit pedibus, non minis nec contumeliis neque metu neque ullo alio ejusmodi : ita tu quoque te gere erga tuam uxorem : etiamsi eam videris despicientem, etiamsi per lasciviam insultantem, etiamsi contemnentem, poteris multa ejus cura et providentia, dilectione et amicitia eam tuis pedibus subjicere. Nihil est his vinculis magis tyrannicum, et maxime marito et uxori. Nam famulum quidem poterit quispiam metu alligare, imo vero ne illum quidem; fortasse enim resiliet et abibit : vitæ autem sociam, liberorum matrem, et quæ est causa et occasio omnis lætitiæ, non oportet metu et minis ligare, sed dilectione et affectione. Quænam enim est conjunctio, quando uxor exhorrescit maritum? Quanam autem voluptate fruetur ipse maritus, cum uxore habitans tamquam cum ancilla, et non tamquam cum libera? Et si quid pro ea passus fueris, ne exprobres : neque enim Christus hoc fecit : *Et seipsum tradidit pro ea.* 26. *Ut illam sanctificaret.* Erat ergo immunda, erant in ea sordes et maculæ, erat turpis ac deformis, vilis erat et abjecta. Quamcumque ergo acceperis uxorem, non talem accipies sponsam, qualem Christus Ecclesiam, neque quæ a te tantum absit, quantum Ecclesia a Christo : sed tamen non est abominatus, nec eam odio habuit propter summam deformitatem. Vis audire ejus deformitatem? audi Paulum dicentem : *Eratis enim aliquando tenebræ* (*Ephes.* 5. 8). Vidistin' ejus atrorem? quid est atrius tenebris? Vidistin' audaciam. *In pravitate*, inquit, *et invidia degentes* (*Tit.* 3. 3) : Vide immunditiam : *Inobedientes, insipientes.* Quid autem dico? et stulta erat et maledica : et tamen cum tam multa in ea essent, tamquam pro speciosa, tamquam pro dilecta, tamquam pro admiranda, ita seipsum tradidit pro deformi. Hoc mirans dicebat Paulus, *Vix enim pro justo quis moriétur* (*Rom.* 5. 7); et rursus, *Si cum nos adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis est mortuus* (*Ibid. v.* 8. 9). Et cum talem accepisset, eam ornat et lavat, et ne hoc quidem recusat. *Ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo*, 27. *ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Lavacro lavat ejus immunditiam. *In verbo*, inquit. Quonam? In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Nec solum eam ornavit, sed fecit gloriosam, *Non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi.* Et nos ergo quæramus hanc pulchritudinem, et poterimus esse ejus opifices. Ne quæras ab uxore quæ non sunt ejus. Vides quod a Domino omnia habuerit Ecclesia : ab ipso facta est gloriosa, ab ipso facta est sine macula. Ne averseris uxorem propter deformitatem. Audi Scripturam dicentem : *Parva in volucribus apis, et initium dulcedinum est fructus ejus* (*Eccli.* 11. 3). Dei est figmentum : non illam contumelia afficis, sed eum qui ipsam fecit. Quid agat mulier?

In uxore quid quærendum. — Ne illam laudes propter formæ elegantiam : impudicarum animarum est et laus et illud odium, et ipsa dilectio. Quære pulchritudinem animæ : imitare sponsum Ecclesiæ. Externa pulchritudo plena est arrogantiæ et insolentiæ, et injicit in zelotypiam, et sæpe te facit suspicari rem absurdam et turpem. At habet voluptatem? Usque ad primum et secundum mensem, aut plurimum usque ad annum, deinde non amplius, sed a consuetudine marcescit miraculum : quæ vero propter pulchritudinem mala advenerunt, remanent, fastus, arrogantia et contemptus. In ea autem quæ non est ejusmodi, nihil tale; sed merito amor incipiens valde permanet, quoniam est pulchritudinis animæ, non corporis.

3. *Uxoris optimæ dotes.* — Dic mihi, quid est in cælo melius et præstantius? Quid melius astris? Quodcumque dixeris corpus, non est adeo album; quoscumque dixeris oculos, non sunt adeo læti et hilares. His autem creatis etiam angeli sunt admirati; et nos quoque nunc miramur, sed non sicut ab initio. Talis enim res est consuetudo : non similiter stupefacit; quanto magis in muliere? Sin autem morbus supervenerit, totum statim evolat. Quæramus a muliere benevolentiam, modestiam, moderationem, lenitatem et benignitatem : hæc sunt signa et notæ pulchritudinis. Non quæramus autem corporis elegantiam ac venustatem, nec eam vituperemus propter ea, quæ non habet in potestate; imo vero nec omnino vituperemus; audacium enim id est; neque ægre feramus. Annon videtis quam multi, qui cum formosis mulieribus habitarent, miserabiliter e vivis excesserunt? quam multi autem cum non valde formosis, cum multa voluptate ad extremam usque senectutem pervenerunt? Sordes internas expurgemus, rugas quæ sunt intus evellamus, tollamus maculas quæ sunt in anima. Talem Deus requirit pulchritudinem : Deo, non nobis eam reddamus pulchram. Non quæramus pecunias, non externam, sed quæ est in anima, nobilitatem. Nemo patiatur ut ditetur a muliere : turpes enim et probrosæ sunt hæ divitiæ : neque omnino quærat quispiam hinc ditescere. *Nam qui volunt esse divites, incidunt in tentationem, et in desideria inutilia et noxia, et in laqueos, et in exitium et in interitum* (1. *Tim.* 6. 9). Ab uxore ergo ne quæras copiam pecuniæ, et alia omnia facile invenies. Quis, dic quæso, dimissis iis quæ sunt præcipua, minorum curam geret? Sed, hei mihi, hæc nobis semper usuveniunt, et ita afficimur : et si filium habeamus, non studium ponimus ut evadat bonus, sed ut ei divitem accipiamus uxorem; non ut

bonis sit moribus, sed ut abundet opibus : et si vitæ institutum persequamur, non quærimus ut sit a peccatis liberum, sed ut magnum nobis afferat lucrum : et omnia in pecuniam versa sunt. Ideo corrupta sunt omnia, quoniam tenemur illo amore. 28. *Ita et viri*, inquit, *debent diligere uxores suas, ut corpora sua.* Quid hoc est? Tamquam ad majorem imaginem venit et vehementius exemplum : neque hoc solum, sed tamquam ad propinquius et manifestius, et quod aliam habeat juris rationem. Nam illud quidem non erat admodum necessarium. Ne quis enim dicat, Ille Christus erat, et Deus erat, et seipsum tradidit; alia jam ratione et methodo id probat, dicens : *Sic debent :* non enim res grata, sed debitum. Cum dixisset, *Ut sua corpora*, adjecit, 29. *Nemo enim umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam.* Hoc est, magno studio et diligentia eam curat. Quomodo est caro ejus? Audi : *Hoc nunc os ex ossibus meis*, inquit, *et caro ex carne mea* (*Gen.* 2. 23). Nec hoc solum, sed etiam : *Erunt*, inquit, *in carne una* (*Ephes.* 5. 31). *Sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Venit ad primum exemplum. 30. *Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et ossibus ejus.* Quomodo? Ex nostra factus est materia, sicut et Eva caro erat ex carne Adami. Recte autem ossa et carnem memoravit : hæc enim sunt quæ in nobis principatum tenent, carnes et ossa : hæc quidem subjecta tamquam quædam carina, illa autem tamquam ædificium. Sed illud quidem est perspicuum; hoc autem quomodo? Sicut illic tanta est propinquitas, ita, inquit, hic quoque. Quid est, *Ex carne ejus?* Hoc est, vere et germane ex ipso. Et quomodo sic Christi membra sumus? Quoniam facti sumus sicut ipse. Et quomodo ex carne? Scitis quicumque estis participes mysteriorum : ex hoc enim statim efformamur? Et quomodo? Rursus audi hunc beatum dicentem : *Quoniam ergo pueri communicarunt carni et sanguini, similiter ipse quoque eorum fuit particeps.* Sed hic ipse nobis communicavit, non nos ipsi : quomodo ergo sumus ex carne ejus et ex ossibus ejus? Quidam dicunt sanguinem et aquam, sed non est; sed sicut ille manifestare voluerit, hoc est, quemadmodum absque coitu ille factus est ex Spiritu sancto, ita nos quoque hoc generamur in lavacro. Vide quot exempla, ut credatur illa generatio. O amentiam hæreticorum! quod jam natum est ex aqua, quod nascitur, genitum verum confitentur; quod autem ejus corpus efficiamur, id non admittunt. Si ergo nos ita factos esse minime credunt, quomodo ergo, *Ex carne ejus, et ex ossibus ejus?* Illud vero mihi considera : formatus est Adam, natus est Christus : de latere Adami egressa est corruptio, de latere Christi orta est vita : in paradiso germinavit mors, in cruce mors sublata est.

4. *Unio conjugum unionis nostræ cum Christo symbolum. In uxore quædam vitia ferenda.* — Quemadmodum ergo Dei Filius naturæ nostræ factus est, ita nos ejus substantiæ; et sicut ille nos in seipso habet, ita et eum nos habemus in nobis. 31. *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Ecce tertiam causam : ostendit enim, quod quivis relictis parentibus ex quibus est natus, cum illa conjungitur; et de cætero caro est pater et mater et filius ex utriusque coitu : etenim mixtis seminibus nascitur filius : itaque tres sunt una caro. Sic ergo nos cum Christo una caro efficimur per participationem; et multo magis nos, quam puer natus. Quare? Quoniam sic fuit ab initio. Ne mihi dicas eam esse talem et talem. Non vides quod etiam in carne multos habemus defectus? hic enim est claudus, ille vero detortos habet pedes, alius manus aridas, alius aliquod aliud membrum infirmum et invalidum : neque tamen dolet, neque id exscindit, sed et ipsum sæpe præfert alii : et merito; est enim suum. Quantam enim unusquisque habet in se dilectionem, tantam vult nos habere in uxorem : non quia sumus unius naturæ participes, sed potiorem hanc habemus rationem in mulierem, quod non duo sint corpora, sed unum, alter cum sit caput, altera vero corpus. Et quomodo dicit alibi, *Caput autem Christi Deus* (1. *Cor.* 11. 3)? Ego quoque hoc dico, quod sicut unum corpus nos sumus, ita etiam Christus et Pater unum. Invenitur ergo etiam Pater esse nostrum caput. Duo ponit exempla, nempe corporis et Christi : ideoque subjungit : 32. *Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Quid est hoc? Magnum sacramentum ipse dicit, quia magnum quid et admirabile tacite significavit beatus Moyses, imo vero Deus : interim autem dicit, *In Christo dico*, quoniam et ipse dimisso Patre descendit, et venit ad sponsam, et factus est in spiritum unum : *Qui adhæret* enim *Domino, est unus spiritus* (1. *Cor.* 6. 17). Et pulchre dixit : *Magnum est mysterium;* perinde ac si diceret, At allegoria non evertit dilectionem. 33. *Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat : uxor autem timeat virum suum.* Revera enim, revera est mysterium, et magnum mysterium : quia eo qui procreavit, qui genuit, qui educavit, et ea quæ concepit, quæ cum dolore peperit et afflictione, qui tot et tantis affecerunt beneficiis, cum quibus diuturnus fuit usus et consuetudo, relictis, ei adhæreat, quæ ne visa quidem fuit et cum eo nihil habuerat commune, et eam omnibus præferat. Revera est mysterium. Et parentes, cum hæc fiunt, non ægre ferunt, sed potius ægre ferunt si non fiant, et cum impenduntur pecuniæ et fit sumptus, lætantur. Revera magnum est mysterium, arcanam quamdam habens sapientiam. Hoc multis retroactis sæculis Moyses prophetans dicit; hoc et Paulus clamans profert : *In Christo et Ecclesia.* Sed non propter ipsum solum hoc dictum est, sed etiam propter uxorem; ut ipsam tamquam propriam carnem foveat, sicut et Christus Ecclesiam. *Uxor autem timeat virum.* Non amplius ponit quæ sunt solum caritatis, sed quid? *Ut timeat virum.* Mulier est secundus principatus. Neque igitur ipsa exigat æqualitatem honoris; est enim sub capite : neque ille eam despiciat tamquam subjectam; est enim corpus : si caput corpus despiciat, ipsum quo-

que peribit : sed afferat dilectionem quæ tamquam in æquilibrio respondeat obedientiæ. Sicut caput, ita et corpus : hoc illi ad ministerium præbeat manus, pedes et reliqua omnia membra ; illud autem huic invigilet omni instructum intelligentia. Nihil est hoc conjugio melius et præstantius. Et quomodo, inquit, fuerit dilectio, si est metus ? Maxime tunc fuerit. Nam quæ timet, etiam diligit ; quæ diligit, timet tamquam caput, diligit tamquam membrum : nam caput quoque est membrum totius corporis. Propterea illam quidem subjecit, hunc vero præfecit et supra posuit, ut esset pax. Ubi enim est honoris æqualitas, pax numquam fuerit, neque si domus populari regatur imperio, neque si omnes imperent, sed necesse est ut sit unus principatus. Et hæc ubique in corporalibus : nam si sint viri spirituales, erit pax. Erant quinquies mille animæ, et nemo quidquam ex suis facultatibus dicebat esse proprium (*Act.* 4. 32), sed inter se subjecti erant alter alteri. Hoc est indicium sapientiæ et timoris Dei. Atque ostendit quidem modum dilectionis, timoris autem nondum.

5. Et vide quidem eum dilatare et amplificare quæ sunt dilectionis, de Christo narrantem, et de carne propria, et dicentem, *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem :* quæ sunt autem timoris non dilatare nec amplificare. Quanam de causa ? Quoniam vult dilectionem magis obtinere dominatum. Nam si hæc sit, sequuntur omnia alia ; si ille sit, non omnino. Nam qui diligit uxorem, etsi non admodum morigeram, omnia tamen sustinebit : adeo res est difficilis et ardua concordia, quando non fuerint colligati tyrannide dilectionis : timor autem non omnino in hoc se recte geret. Et ideo magis immoratur in hoc, quod est forte ac validum. Et mulier, cui videtur afferri damnum, quod jubeatur timere, lucratur : viro enim est præceptum id quod est præcipuum, nempe diligere. Quid vero, inquit, si non timeat uxor ? Tu dilige, imple quod tuum est. Nam si non sequantur quæ præstanda sunt ab aliis, oportet ut sequantur quæ præstanda sunt a nobis. Exempli causa : *Subjecti*, inquit, *invicem in timore Christi.* Quid ergo, si alter non subjiciatur ? Tu pare legi Dei. Ita hic quoque : Mulier quidem, etiamsi non diligatur, timeat tamen, ne nihil ab ipsa fiat ; et maritus, etiamsi uxor non timeat, tamen diligat, ut ipse in nullo deficiat : unusquisque enim accepit quod est proprium. Hoc ergo matrimonium est secundum Christum, matrimonium spirituale, et generatio spiritus, non ex sanguine, nec ex dolore partus. Talis est etiam Isaaci generatio : audi Scripturam dicentem. *Et desierunt Sarræ fieri ejus muliebria* (*Gen.* 18. 11). Et matrimonium non ex sensili motu nec ex corporibus, sed totum spirituale, Deo conjuncta anima conjunctione ineffabili, et quam ipse solus novit. Propterea dicit, *Qui adhæret Domino, est unus spiritus* (1.*Cor.* 6. 17). Vides quomodo ponit studium ut carnem carni uniat, et spiritum spiritui. Ubi sunt hæretici ? Si matrimonium esset ex iis quæ vituperantur, non sponsum et sponsam vocavisset, non adhortans illud adduxisset, *Relinquet homo patrem et matrem ;* nec rursus subjunxisset : *Dictum est, in Christo et Ecclesia.* De hac enim dicit etiam psalmographus : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui : et concupiscet Rex pulchritudinem tuam* (*Psal.* 44. 11). Propterea Christus quoque dicebat : *Ego exivi a Patre, et veni* (*Joan.* 16. 28). Sed quando dico eum reliquisse Patrem, ne tale quid existimes, quale apud homines, locorum transitum et transmutationem. Sicut enim exivisse dicitur, non quoniam exivit, sed propter carnem ; ita etiam illud, *Reliquit Patrem.* Cur ergo non dixit de uxore, Adhærebit marito suo ? quanam de causa ? Quoniam dicebat de dilectione, et loquebatur cum viro. Nam cum illa quidem loquens de timore dicit, *Vir est caput uxoris suæ ;* et *Christus* rursus, *caput Ecclesiæ :* Cum viro autem de dilectione loquitur, et ea quæ ad ipsam spectant illi tradit ; ac de dilectione cum illo verba facit, eum constringens et conglutinans et faciens adhærere. Qui enim patrem dimisit propter uxorem, et ipsam rursus postea dimittit et relinquit, quam merebitur veniam ? Non vides quantum Deus honorem eam velit consequi, cum te a patre abductum ei affixerit ? Quid vero, inquit, si facta sint a nobis quæ sunt facienda, illa autem non sequantur ? *Si autem infidelis discedit, discedat* (1. *Cor.* 7. 15). Non est servituti subjectus frater aut soror in hujusmodi. Sed quando audis timorem, exige timorem qui convenit liberæ, non tamquam ab ancilla : est enim corpus tuum : nam si hoc feceris, teipsum probro afficis, tuum corpus afficiens ignominia. Quis est autem timor ? Ut non contradicat, ut non insurgat, ut primas partes non amet : ad hæc usque satis est timorem consistere. Sin autem diligis, ut jussa es, etiam majora facies ; imo vero non timore hoc facies, sed ipsa etiam dilectio faciet aliquid. Est sexus tuus quodammodo imbecillior, multo egens auxilio, multa indulgentia, ut tuæ infirmitatis habeatur ratio. Quid dixerint qui secundis conjunguntur nuptiis ? Non dico condemnans, absit : apostolus enim id concessit ; sed valde adeo ad ejus infirmitatem me demittens : ei omnia præbe, omnia pro illa gere et patere : incumbit tibi necessitas. Hic non vult externis exemplis admonitionem inducere, quod sæpe facit. Sufficiebat enim Christi exemplum, ut quod sit magnum et vehemens, maxime autem ad rationem subjectionis. *Relinquet*, inquit, *patrem et matrem.* Ecce ab externis. Sed non dixit, Et cohabitabit, sed, *Adhærebit,* seu agglutinabitur, exactam significans conjunctionem, dilectionem utique vehementem. Neque hoc fuit contentus, sed et per id quod subjungit sic ostendit subjectionem, ut duo non amplius duo appareant. Non dixit, In spiritu ; non dixit, In anima ; nam illud est manifestum, et hoc potest quilibet ; sed ita ut sit, *In carne una.*

6. Hic est secundus principatus, habens imperium et multam honoris æqualitatem ; sed tamen vir habet aliquid amplius. Hoc est maxima salus domus. Nam illud quidem, quod sit Christi, accepit, non solum ut debeat diligere, sed etiam ut eam instituat et moderetur : *Ut sit*, inquit, *sancta et immaculata :* hoc

vero, Carnis, ad diligendum; et etiam illud, *Adhærebit*, ad diligendum. Nam si eam effeceris sanctam et immaculatam, sequuntur omnia. Quare quæ sunt Dei, et sequentur humana cum multa facilitate. Compone et moderare uxorem, et sic componitur domus. Audi Paulum dicentem: *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent* (1. Cor. 14. 35). Si domos nostras sic administremus, apti etiam erimus ad Ecclesiam administrandam: domus enim est parva Ecclesia. Sic, cum viri et uxores probi fuerint, possunt omnes antecellere. Cogita Abrahamum, Sarram et Isaac, et trecentos decem, et octo vernas, quomodo tota domus constituta fuerit et composita, quomodo tota fuerit plena pietate. Illa præceptum implevit apostolicum, et virum timebat: audi enim ipsam dicentem, *Nondum mihi evenit hactenus: dominus autem meus est senior* (*Gen.* 18. 12): et ille ipsam sic diligebat, ut jubenti in omnibus pareret. Et puer erat virtute præditus, et vernæ ipsi quoque erant admirabiles, qui non dubitarunt etiam periculum adire cum domino, non distulerunt neque causam inquisierunt; sed unus ex iis qui præerat, adeo erat admirandus, ut ejus fidei sit commissum unici filii matrimonium, necnon extra fines regionis peregrinatio. Sicut enim quando sub duce belli recte compositus fuerit exercitus, bellum nulla ex parte ingruit: ita hic quoque, quando maritus et uxor et filii et famuli eadem curant, magna est domus concordia. Alioqui si non ita sit, sæpe per unum nequam servum universum evertitur, et dissolvitur; et unus sæpe totum delet et perdit. Magnam ergo curam geramus et uxorum et liberorum et servorum, scientes quod principatum nobis ipsis reddemus facilem: clemensque et benigna erit nobis rationis redditio, et dicemus: *Ecce ego et pueri, quos mihi dedit Deus* (*Isai.* 8. 18). Si sit vir admirandus, et bonum caput, reliquum quoque corpus nullam vim patietur.

Quomodo se gerere debeat vir erga uxorem. — Quomodo quidem recte se habeant res uxoris et res viri, exacte et accurate dixit, ut qui illi quidem suaserit ut timeat tamquam caput; huic autem ut diligat tamquam uxorem: sed, Quomodo, inquit, hæc fient? Nam quod oporteat quidem, ostendit; quomodo autem, ego vobis dicam: si pecunias despiciamus, si unum exspectemus, nempe virtutem animæ, si Dei metum habeamus ante oculos. Quod enim dicebat, cum dissereret de servis: *Quodcumque fecerit unusquisque bonum aut malum, hoc recipiet a Domino;* hoc hic quoque. Non ergo propter illam tantum, quantum propter Christum oportet eam diligere. Hoc ergo quoque subindicavit, dicens: *Tamquam Domino.* Tamquam Domino ergo obsequens, et propter ipsum omnia faciens, sic gere omnia: hoc sufficit ad inducendum et persuadendum, et non sinendum ut sit ulla lis et dissensio. Nullus fidelis maritum apud uxorem calumnietur: sed neque vir leviter et inconsiderate credat adversus uxorem; neque uxor leviter et curiose scrutetur ingressus et exitus; sed nec maritus seipsum præbeat dignum suspicione. Cur enim, dic mihi, toto die te das amicis, uxori autem vespere; et nec sic ipsi potes satisfacere, nec amovere suspicionem? Et si te accuset uxor, ne ægre feras: est id amicitiæ, non arrogantiæ: Ardentis amoris sunt illæ accusationes et ferventis affectus ac timoris. Timet enim ne quis suffuretur cubile suum, ne quis in bonorum summa ei detrimentum afferat, ne caput auferat, ne lectum perfodiat. Est aliud quoque argumentum dissensionis: nemo præter modum famulos curet, nec puellam maritus, neque uxor famulum: hæc enim satis sunt ad pariendas suspiciones. Mihi enim cogita justos illos: ipsa Sarra jussit patriarcham accipere Agar; ipsa imperavit, nemo coegit, nec eam invasit maritus; sed quamvis longum tempus protraxisset sine liberis, elegit potius numquam esse pater, quam esse molestus uxori. Sed tamen post hæc omnia quid dicit Sarra? *Judicet Deus inter me et te* (*Gen.* 16. 5). Annon, si fuisset quispiam alius, motus esset ad iram? non etiam manus extendisset, propemodum dicens, Quid dicis? nolebam ego consuetudinem habere cum muliere: totum a te profectum est; et rursus accusas? Sed ille nihil dixit ejusmodi; sed quid? *Ecce ancilla in manibus tuis, ea utere ut tibi placuerit* (*Ibid. v.* 6). Dedit lecti sociam, ne Sarram molestia afficeret. Atqui nihil est hoc majus ad rationem benevolentiæ. Nam si mensæ fuisse socios, efficit ut etiam latrones sint unanimes cum adversariis (et dicit psalmographus: *Qui simul dulces mecum capiebas cibos* [*Psal.* 54. 15]); unam jam factam esse carnem (hoc enim est cubilis esse sociam), multo magis sufficit ad attrahendum. At nihil ejusmodi justum potuit expugnare, sed eam tradidit uxori, ostendens nihil factum fuisse sua culpa: et quod est majus, eam emisit gravidam. Quis non esset misertus ejus, quæ ex ipso conceperat filium? Sed non flexus est ille justus: nam dilectionem in uxorem præferebat omnibus.

7. *Consilia ad conjugatos pauperes. Domus et familia quomodo ornandæ.* — Hunc nos quoque imitemur: nemo proximo exprobret paupertatem, nemo amet pecunias; et soluta sunt omnia. Neque dicat uxor marito, Ignave et timide, torpore plene et hebetudine, piger et somnolente: ille humilis et abjectus et humili loco natus, aditis periculis et susceptis peregrinationibus, magnas paravit facultates, et uxor ejus gestat aurum, et in curru mulorum alborum progreditur, in omnem partem circumfertur, habet greges famulorum et agmina eunuchorum: tu autem metuis, frustraque vivis et inutiliter. Ne hæc vel similia dicat uxor; est enim corpus, non ut imperet capiti, sed ut pareat et obediat. Quomodo ergo, inquit, feret paupertatem? unde inveniet solatium? Eligat quæ sunt se pauperiores, reputet quot rursus puellæ nobiles et nobili loco natæ non solum a maritis nihil acceperunt, sed etiam eis dederunt, et sua omnia consumpserunt; cogitet quæ ex his divitiis nascuntur pericula, et amplectetur vitam quæ nullis agitatur negotiis. In summa, si sit in maritum benevola et bene affecta, nihil dicet ejusmodi, sed ma-

let eam habere prope se nihil acquirentem, quam decies mille talenta cum curis et sollicitudinibus, quæ semper adsunt mulieribus ex peregrinationibus. Sed neque maritus hæc audiens, ut qui habet principatum, convertatur ad contumelias et plagas, sed hortetur, admoneat, tamquam imperfectiori rationibus persuadeat, manus in eam non extendat: procul hæc a libera anima; sed nec contumelias, nec probra nec maledicta ingerat, sed ut quæ sit insipientior eam componat. Quomodo autem hoc erit? Si veras discat divitias, si supernam philosophiam, nihil eorum damnabit. Doceat eam quod paupertas nullum sit malum; doceat non solum per ea quæ dicit, sed et per ea quæ facit; doceat despicere gloriam, et nihil hujusmodi dicet mulier nec concupiscet. Ac si imaginem acciperet, ab illa vespera qua eam excipit thalamo, eam doceat temperantiam, modestiam, lenitatem, ut statim ab exordio, et ab ipsis vestibulis honeste vivat, pecuniæ amorem dejiciens: et in philosophia erudiat et suadeat ne sit ei aurum pendens ex auribus, nec eo ornetur in genis et collo, nec id repositum habeat in thalamo, neque vestes aureas et sumptuosas; sed sit quidem elegans ornatus, at non ad probrum et contumeliam recidat elegantia; verum his dimissis histrionibus in scenica, orna domum cum multa honestate ac decore, spirantem temperantiam potius, quam alium suavem odorem. Ex hoc enim erunt duo aut tria bona: primum quidem non dolebit sponsa, dum solutis nuptialibus thalamis remittuntur ad singulos vestes et vasa aurea et argentea; secundo, quod sponsus non erit sollicitus ne pereant, et ut custodiantur quæ sunt comparata. His accedit tertium, quod est summa bonorum: ex his ipsis ostendet mentem suam, se nullo horum delectari, et se etiam cætera omnia dissoluturum, neque umquam concessurum ut fiant saltationes et canantur impudica cantica. Et scio quidem me videri quibusdam esse ridiculum, qui has leges feram; sed si mihi crediderilis, procedente tempore, et succedente rei utilitate, tunc lucrum scietis: et effluet quidem risus, et irridebitis eam quæ nunc est consuetudinem; et videbitis ea quæ nunc fiunt, esse puerorum insipientium et virorum ebriorum; quæ autem suadeo, esse modestiæ et philosophiæ et supernæ vitæ agendæ rationem. Quid ergo dico oportere? Omnia turpia cantica quæ sunt satanica, inhonestas cantilenas, immundorum juvenum circuitiones aufer a nuptiis, et hæc poterunt castigare sponsam et modestam reddere. Statim enim apud se considerabit: Papæ, qualis est hic vir! est philosophus: hanc vitam nihili ducit; ad procreandos liberos et educandos me in ædes duxit, et ad domum custodiendam. Sed hæc sponsæ erunt injucunda? Ad primum usque et secundum diem, non autem deinceps; sed et maximam capiet voluptatem, se ab omni suspicione liberans. Nam qui neque tibias, neque saltantes, neque fractos cantus sustinuerit, idque tempore nuptiarum, vix ipse in animum induxerit ut turpe aliquid umquam aut faciat aut dicat. Post hæc autem, quando hæc omnia abstuleris a matrimonio, recte te geras, pudorem quidem in longum tempus extendens, et non cito dissolvens. Nam etsi inverecundior sit puella, scit ad tempus silere, mariti mota reverentia, et rerum quibus non assuevit novitate. Hunc ergo pudorem non cito dissolvas, quod faciunt viri impudici, sed extendas ad longum tempus: hoc enim tibi magnum afferet lucrum. Interim non accusabit, nec queretur de iis quæ tu statueris.

8. Leges ergo constitue toto illo tempore, quo pudor tamquam quoddam frenum animæ impositus, non sinit de aliquo conqueri, nec ea quæ fiunt redarguere. Nam quando fiduciam et dicendi libertatem apprehenderit, cum multa securitate omnia evertit et confundit. Quando ergo erit aliud tempus æque aptum ad fingendam et formandam uxorem, atque illud quo reveretur maritum et adhuc timet et pudore detinetur? Tunc ei impone leges omnes, et parebit, et lubens et invita. Quomodo autem non solves pudorem? Quando cerneris ipse quoque non minus quam illa erubescens, pauca quidem loquens, eaque cum magna gravitate et animadversione: tunc apud eam philosophiæ verba depone; ea enim accipit anima: ad pulcherrimum et optimum habitum, nempe pudorem, eam redige. Si vultis, etiam ex empli causa dicam quænam illi dicere oporteat. Nam si Paulus non recusavit dicere, *Nolite fraudare invicem* (1. *Cor.* 7. 5), et pronubæ verba est loquutus, imo vero non pronubæ, sed spiritualis animæ; multo magis nos non recusabimus dicere. Quid est ergo ei dicendum? Cum multa gratia oportet ei dicere: Nos, o filiola, te vitæ sociam accepimus, et te introduximus ad societatem in iis quæ sunt præstantissima et maxime necessaria, nempe in liberorum procreatione, et domus cura et administratione. Quid ergo te rogamus? Imo vere antea loquere quæ pertinent ad dilectionem: nihil enim æque confert ad persuadendum auditori ut accepta ei sint quæ dicuntur, atque scire quod ea dicantur ex multa dilectione et benevolentia. Quomodo ergo ostendes dilectionem? Si dixeris, Cum multas liceret accipere et ditiores et ex illustri genere natas, non eas elegi, sed amavi tuam vitæ agendæ rationem, honestatem, modestiam, temperantiam. Deinde statim ab his para viam ad dicendum de philosophia, et reprehende divitias cum quadam ambage et circuitione. Nam si orationem solum extendas in vituperandis divitiis, eris gravis et importunus: sin arrepta occasione, omnia efficies: videris enim id facere pro defensione et excusatione, non tamquam austerus quispiam, injucundusque et illiberalis et sordidus; sed quando ex iis quæ sunt ejus, sumpseris occasionem, etiam gaudebit. Dices ergo (necessario enim rursus repetenda est oratio): Cum liceret ducere divitem et locupletem, non induxi in animum. Quamobrem? Non temere nec inconsiderate; sed recte didiceram divitias nullam esse possessionem, sed rem contemnendam, et qua adest et latronibus et meretricibus et sepulcrorum effossoribus.

Puella quænam optima habenda est. — Propterea

his missis veni ad tuæ animæ virtutem, quam cuivis auro præfero. Sapiens enim et ingenua puella, pietatis curam gerens, toti orbi terræ pretio et æquiparanda. Propterea et te sum amplexus et te diligo, et meæ etiam animæ præfero. Nihil est enim vita præsens, oroque et hortor et omnia facio, ut nos ita digni habeamur qui præsentem agamus vitam, ut illic etiam possimus in futuro sæculo cum magna securitate simul versari. Nam præsens quidem tempus est breve, caducum et fragile : sin autem digni fuerimus habiti ut Deo acceptam vitam hic transigamus, semper erimus et cum Christo et cum nobis invicem cum majori voluptate. Ego dilectionem tuam præfero omnibus ; neque est quidquam mihi æque molestum quam a te umquam dissidere : etiamsi me oporteat omnia amittere, etiamsi Iro esse pauperiorem, et extrema subire pericula, et quidvis pati, mihi sunt omnia ferenda et toleranda, donec tu in me bene fueris affecta ; et mihi tunc optabiles erunt liberi quando tu benevole in me affecta fueris. Oportebit autem te quoque hoc facere. Deinde admisce etiam verba apostolica, quod Deus sic vult esse conjunctam inter nos benevolentiam. Audi enim Scripturam dicentem : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ* (*Ephes.* 5. 31). Nulla sit nobis simultatis occasio : valeant pecuniæ, et multitudo servorum, et honores externi : hoc mihi est omnibus præferendum. Quo non auro, quibus non thesauris erunt hæc verba uxori magis desiderabilia ? Ne timeas, ne quando dilecta adversus te insolescat, sed confitere te eam diligere. Nam meretrices quidem quæ nunc cum hoc, nunc cum illo conjunguntur, merito extollentur adversus amatores, quando hæc verba audierint : mulier autem libera et puella ingenua his verbis numquam extolletur, sed multo magis his inflectetur. Ostende te magni facere cum ipsa consuetudinem, et malle te domi esse propter ipsam quam in foro ; et eam præpone omnibus amicis et liberis, quos ex ea suscepisti ; et ipsi quoque a te propter ipsam diligantur. Si boni quid fecerit, lauda et admirare ; si quid contingat absurdi, et quod puellis accidere soleat, suade et admone. Omni ex parte accusa pecunias et sumptus magnificos, et doce eam ornamentum quod paritur ex decore et modestia, et quod ex honestate : et assidue doce ea quæ conferunt.

9. *Uxor quomodo erudienda.* — Sint preces vobis communes : unusquisque eat ad ecclesiam : et eorum quæ illic dicuntur et leguntur, maritus ab uxore partem domi exigat et illa a marito. Si premit paupertas, produc in medium sanctos viros Paulum et Petrum, qui in majori fuerunt existimatione quam omnes reges et divites, et quomodo vitam egerunt in fame et siti : erudi eam nihil in vita esse terribile præterquam Deum offendere. Si quis sic et propter hæc uxorem duxerit, monachis non erit valde minor, nec is qui uxorem duxit, iis qui non duxerunt. Si etiam facere prandia, et convivia celebrare velis, nullum inhonestum, neminem indecorum, sed si sanctum quempiam inveneris, qui possit domui vestræ benedicere, et pedum ingressu valeat universam inferre Dei benedictionem, eum voca. Dicam etiam aliud : nemo vestrum studeat uxorem ducere ditiorem, sed potius pauperiorem. Non enim ingredietur afferens ex divitiis tantam occasionem voluptatis, quantam introducet molestiam ex probris, ex eo quod plura exigat quam intulerit, ex contumeliis, ex magnis sumptibus et impensis, ex verbis molestis et importunis. Fortasse enim dicet : Nihil adhuc consumpsi ex tuis, meis adhuc induor, ex iis quæ mihi donarunt parentes. Quid dicis, o mulier ? tuis es adhuc induta ? et quid hoc verbo fuerit miserius ? corpus non habes proprium, et pecunias habes proprias ? Non estis amplius duæ carnes post matrimonium, sed facti estis in unam ; et duæ sunt facultates, non una. O amor pecuniæ ! unus homo, unum ambo facti estis animal, et adhuc dicis mea ? Exsecrandum hoc verbum et sceleratum a diabolo est invectum. Deus omnia nobis fecit communia, quæ sunt his magis necessaria, et hæc non sunt communia ? Non licet dicere, Lux est mea, Sol est meus, Aqua mea : quæ sunt majora, omnia nobis sunt communia, pecuniæ autem non erunt communes ? Pereant millies pecuniæ, imo vero non pecuniæ, sed animi instituta, quæ nesciunt uti pecuniis, sed eas omnibus præferunt. Et hæc doce cum aliis, sed cum multa gratia. Nam quoniam ipsa per se ad virtutem exhortatio multum habet tristitiæ, maxime apud puellam teneram et juvenculam ; quando verba fient de philosophia, multam excogita gratiam ; et hoc maxime ex illius anima extermina et amanda, meum et tuum. Si dixerit, Mea, dic : Quænam dicis tua ? nescio enim, cum ego nihil habeam proprium : quomodo ergo dicis, Mea, cum omnia sint tua ? Condona ei hoc verbum. Non vides, quod in parvis pueris hoc facimus ? quando nobis tenentibus aliquid puer rapuerit, et vult aliquid aliud accipere, concedimus et dicimus : Certe tuum est hoc et illud. Hoc etiam faciamus in muliere : est enim mens ejus magis puerilis : et si dicat, Mea, dic, Omnia sunt tua, et ego tuus. Non est verbum adulationis, sed multæ prudentiæ. Sic poteris ejus iram reprimere, exstinguere animi ægritudinem. Est enim adulatio, quando propter malum aliquid feceris indecorum et illiberale ; hoc autem est maxima philosophia. Dic ergo, Ego quoque sum tuus, o filiola. Hoc mihi suasit Paulus, dicens : *Vir proprii corporis potestatem non habet* (1. *Cor.* 7. 4), *sed mulier.* Si mei corporis non habeo potestatem, sed tu multo magis pecuniæ. Sedabis eam, si sic fueris loquutus, flammam exstingues, diabolum probro afficies, ancillam magis eam facies, quam quæ est empta pecunia : his verbis eam alligabis. Quamobrem ex iis quæ loqueris, doce eam numquam dicere, Meum et tuum. Nec eam inconsiderate voces, sed cum blanditiis, cum honore, cum multa dilectione. Honora eam, et non opus habebit ut honoretur ab aliis : non egebit gloria ab aliis danda, si ea fruatur qua tu eam affeceris. Eam præpone omnibus, propter omnia, et propter pulchritudinem et sapientiam, et eam orna laudibus. Ita et persuade-

bis ut nulli extraneo animum adhibeat, sed alias omnes irrideat. Doce Dei timorem, et omnia tamquam a fonte affluent, eritque domus referta bonis innumerabilibus. Si incorruptibilia quæramus, corruptibilia quoque advenient : *Quærite*, enim, inquit, *primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* 6. 33). Quales putandi sunt filii talium parentum ? quales consentaneum est esse famulos talium dominorum ? quales eos omnes, qui illis appropinquant ? annon continget eos quoque esse plenos bonis innumerabilibus ? Nam maxima ex parte ex moribus dominorum servi mores suos componunt, et assimilantur eorum desideriis : eadem amant, eadem quæ didicerint loquuntur, in iisdem versantur. Si sic nos ipsos componamus, et Scripturis attendamus, plurima ab illis docebimur. Ita poterimus Deo placere, et totam vitam præsentem cum virtute transigere, et assequi bona promissa iis qui ipsum diligunt : quæ utinam nos omnes consequamur, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

Cap. 6. v. 1. *Filii, obedite parentibus vestris in Domino : hoc enim justum est.* 2. *Honora patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione*, 3. *ut bene tibi sit, et sis longævus super terram.*

1. Quemadmodum quispiam corpus fingens, primum quidem ponit caput, deinde collum, deinde pedes ; ita etiam beatus Paulus procedit in sua oratione. Dixit de viro, dixit de muliere, qui est secundus principatus : jam pergit ad tertium ; is autem est filiorum. Nam uxori quidem imperat maritus, filiis autem et vir et mulier. Vide ergo quid dicat : *Filii obedite parentibus vestris in Domino : hoc enim est primum præceptum in promissionibus.* Nihil hic loquitur de Christo, nihil de excelsis ; adhuc enim loquitur cum teneris mentibus : et ideo brevem facit exhortationem, utpote quod non possint pueri prolixam assequi orationem. Propterea nec aliquid dicit de regno ; non est enim illius ætatis hæc audire ; sed quæ maxime cupit audire puerilis animus, ea dixit, nempe quod erit longævus. Si quis enim inquirit, cur de regno non disseruit, sed eis posuit mandatum quod situm est in lege ; dicemus eis id fecisse ut qui sint pueriliores, ut qui sciat quod viro et muliere ita affectis convenienter legi quam tulit, non est magni laboris puerulos subjicere. Quando enim res initium acceperit et fundamentum bonum, validumque et honestum, omnia deinceps via et lege procedunt cum multa facilitate : est enim difficilius jacere fundamentum, et basim subjicere validam. *Filii*, inquit, *obedite parentibus vestris in Domino ;* hoc est congruenter Domino. Deus enim, inquit, sic jussit. Quid vero, si jusserint absurda et non honesta ? Maxime quidem numquam pater præcipit absurda et inhonesta, etiamsi ipse sit minus honestus : Cæterum sic quoque adhibuit cautionem, dicens : *In Domino :* hoc est, in iis in quibus Deum non offendas. Nam si sit Græcus aut hæreticus, non utique parendum est : res enim non est in Domino. Quomodo autem dicit, *Quod est primum mandatum ?* primum est enim illud, *Non mœchaberis*, et, *Non occides.* Non ipsum dixit primum ordine, sed promissione. Illis igitur non proponitur merces, ut quæ constituta sint de malis, et de recessu a malis ; in his autem, utpote cum sit bonorum operatio, ponitur etiam promissio. Vide autem quomodo basim admirabilem posuerit viæ virtutis, nempe in parentes honorem et reverentiam ; et jure quidem. Cum abduxisset a malis actionibus, et bona esset ingressurus, hoc primum posuit, honorem in parentes, quoniam et ante omnia ipsi post Deum fuerunt auctores vitæ. Quare merito primi bonorum nostrorum fructum perceperint, et tunc alii omnes homines. Nam si quis hoc non habeat, numquam erit bonus et æquus in extraneos. Cum ergo filiis suasisset quæ oportebat, transit ad parentes, et dicit : 4. *Et vos, patres, nolite ad iram provocare filios vestros ; sed educate illos in disciplina et correptione Domini.* Non dicit, Eos diligite ; hoc enim eis vel invitis natura attrahit, et superfluum esset de eis legem ferre : sed quid dicit ? *Nolite provocare ad iram filios vestros ;* ut multi faciunt eos exheredantes et abdicantes, et eos gravantes et prementes, non ut liberos, sed tamquam mancipia. Propterea dicit, *Nolite provocare ad iram filios vestros.* Deinde quod est caput et summa omnium, ostendit quomodo sint obedituri, tota causa deducta ad caput et initium : et sicut ostenderat maritum esse causam ut obediat uxor, et ideo multis cum eo agit, adhortans ut eam attrahat tyrannide dilectionis ; ita hic quoque rursus ei causam tribuit dicens : *Sed educate illos in disciplina et correptione Domini.* Vides quod, si adsint spiritualia, sequentur etiam carnalia ? Vis filium esse obedientem ? ab initio eum educa in disciplina et admonitione Domini : ne existimes esse supervacaneum, quod ipse divinas literas audiat : nam illic hoc primum audient, *Honora patrem et matrem.* Itaque propter te hoc fit. Ne dicas, Iloc est monachorum ; num ego eum facio monachum ? Non est necesse ut fiat monachus. Quid id times, quod est multo lucro plenum ? Fac eum Christianum. Maxime enim mundanis, nempe sæcularibus, necesse est discere quæ illic sunt documenta, magis autem pueris. Multa est enim in illa ætate ignorantia ; ignorantiæ autem fit accessio etiam ex scriptis externorum ; quando per ea didicerint eos qui sunt heroes haberi in admiratione, cum sint servi animi perturbationum et vitiorum, et mortem timeant : ut Achilles quando cum pœnitet, quando moritur pro concubina ; quando alius est ebrius, et multa alia ejusmodi. Illi ergo opus est his medicamentis.

2. Quomodo enim non est absurdum ad artes qui-

dem mittere, et ad ludum literarium, et pro eo omnia facere ; in disciplina autem et Dei admonitione pueros non educare ? Propterea nos primi fructus percipimus, audaces, intemperantes, immorigeros, sordidos, et illiberales alentes filios. Ne ergo hoc faciamus, sed huic beato parcamus suadenti : educemus eos in disciplina et admonitione Domini : demus eis exemplum, ab incunte ætate curantes eos incumbere lectioni Scripturarum. Hei mihi, hæc assidue dicens videor delirare ; verumtamen non cessabo facere quod est meum. Cur, dic mihi, non imitaris veteres ? Maxime vos, mulieres, illas mulieres admirandas æmulamini. Peperisti filium ? Imitare Annam, disce quid illa fecerit ; eum statim deduxit in templum. Quænam vestrum non maluerit suum filium esse Samuelem, quam millies regem totius orbis terræ ? Et quomodo, inquit, fieri potest ut sit talis ? Quare non potest fieri ? Quoniam non vis, nec eum tradis iis qui possunt eum talem facere. Et quis is est, inquit ? Deus : nam ipsa illum ei tradidit. Neque enim Heli erat ex iis qui admodum possent eum fingere et efformare : quomodo enim, qui nec suos potuit filios ? sed fides mulieris et alacritas animi totum effecit. Primum peperit et solum, et nec sciebat an alios esset paritura. Neque dixit, Exspectabo dum crescat infans, ut utatur rebus quæ ad hanc vitam pertinent : concedam ut ipse parum versetur in ætate puerili : sed his omnibus propulsatis, in hoc solo fuit, quomodo ab initio imago spiritualis Deo dedicaretur (1. *Reg.* 2). Pudore afficiamur viri de mulieris philosophia : eum Deo obtulit, et illic sivit. Propterea etiam splendidius factum est matrimonium, quia prius spiritualia quæsivit, quia obtulit, primitias: propterea fertilis fuit ejus uterus, et alios habuit filios : propterea et in mundo eum vidit florentem et in bona esse existimatione. Si enim homines honorati vicissim honorant, annon multo magis Deus, qui etiam licet non honoratus hoc facit ? Quousque sumus carnes ? quousque in terram incurvamur ? Omnia a nobis postponantur curæ filiorum, et eorum educationi in disciplina et admonitione Domini. Si ab initio didicerit esse philosophus, acquisivit divitias majores quibusvis divitiis, et potentiorem gloriam. Nihil tantum efficies docens artem et disciplinam externam, per quam acquiret divitias, quam si eum docueris artem per quam despiciet divitias. Si velis eum divitem facere, sic facito. Est enim dives non qui multis eget divitiis, et multis est circumdatus, sed qui nullius indiget. Hoc doce filium, hoc erudi : hæ maximæ sunt divitiæ. Ne quæras quomodo cum reddas florentem et magnæ existimationis in doctrinis externis, et reddas gloria insignem ; sed cura ut eum doceas despicere hujus vitæ gloriam : inde fiet splendidior et gloria illustrior. Hæc et pauperi et diviti licet facere : hæc non a doctore discit aliquis, neque per artem, sed per divina eloquia. Non quæras ut longam hic vivat vitam, sed ut illic infinitam et quæ numquam desinat. Magna illi largire non parva : audi Paulum dicentem, *Educate eos in disciplina et admonitione Domini.* Ne studium ponas ut eum facias oratorem, sed erudi ut sit philosophus. Nam si illud quidem non sit, nihil est damni ; si hoc autem absit, nullum erit lucrum rhetoricæ quantumvis multæ. Opus est moribus, non dicendi facultate ; vitæ modestia, non orationis vehementia ; factis, non verbis. Hæc regnum conciliant, hæc donant etiam quæ sunt vere bona. Ne linguam acuas, sed expurges animam. Non hæc dico prohibens erudire, sed prohibens illis solis adhibere animum. Ne existimes quod solis monachis opus sit his documentis, quæ sumuntur ex Scripturis : maxime enim his opus est iis pueris, qui venturi sunt ad hanc mundi vitam. Ut enim navis instructione et gubernatore et nautarum justo et completo numero non indiget is qui perpetuo stat in portu, sed is qui semper versatur in mari : ita etiam mundanus seu sæcularis et monachus. Nam hic quidem est veluti in portu agens vitam nullis agitatam fluctibus, et procul a negotiis, et ab omni procella liberam : ille autem perpetuo agit in pelago et in medio mari versatur ; cum multis iisque ingentibus pugnans fluctibus, et si ipse non opus habet, paratum tamen esse oportet ut aliorum linguas obstruat.

3. *Aulæ regiæ vitia.*—Quamobrem quo fuerit in hac vita majoris existimationis, eo magis ei opus est hac eruditione. Nam etsi alatur in aula regia, multi sunt illic et Græci et philosophi, et ob præsentem gloriam tumidi, tamquam in loco qui sit repletus hydropicis. Tale quid est aula regia : omnes sunt inflati et tumidi ; qui autem non sunt, studium ponunt ut fiant. Cogita ergo quantum sit, filium tuum illuc ingressum, ingredi tamquam optimum et præstantissimum medicum, cum instrumentis quæ possint uniuscujusque tumorem comprimere, et ad unumquemque accedere et disserere, et corpus quod laborat sanum facere, medicamenta imponentem ex Scripturis, et philosophiæ infundentem verba. Monachus enim cum quo disseret ? cum muro et tecto ? an cum desertis et nemoribus ? an cum avibus et arboribus ? Ejusmodi ergo doctrina non est illi admodum necessaria ; conatur tamen hac in re se recte gerere, non ut alios tantum erudiat, sed ut se ipsum. Hac ergo doctrina maxime opus est iis, qui in hac vita versantur : iste enim peccandi majorem habet necessitatem quam ille. Si vis autem cognoscere, etiam in mundo ipso erit aptior. Omnes enim ex verbis illis eum reverebuntur, quando viderint ipsum in igne non uri, neque principatum concupiscere : tunc etiam illum consequetur, quando non concupierit et regi erit magis reverendus. Non potest enim fieri ut is lateat. Nam inter multos sanos latebit is qui est sanus, inter multos autem ægrotos quando fuerit unus sanus, cito etiam fama perveniet ad aures regis, et præficiet eum multis gentibus. Hæc ergo scientes, educate filios in disciplina et admonitione Domini. At est quispiam pauper ? Sit iterum pauper ; sed nihilo est vilior et abjectior eo qui versatur in regia, cum non sit in regia ; sed habebitur in admiratione, et cito veniet etiam ad principatum, qui est voluntarius, non autem qui datur electione. Si enim Græci, cum

sint viri triobolares et canes, hac suscepta triobolari philosophia (talis est enim Græca), imo vero non ipsa, sed ejus nomine; induti pallio et alentes comam, multos pudore afficiunt : quanto magis qui est vere philosophus? Si falsus habitus, si philosophiæ umbra apparens ita extollit : quid, si veram et sinceram diligamus philosophiam? annon omnes colent? annon et domos et uxores et liberos iis qui sunt ejusmodi tradent et committent cum multa securitate? Sed non est, non est nunc ejusmodi philosophus : propterea nec exemplum licet invenire. Nam sunt quidem inter monachos, inter mundanos autem seu sæculares non sunt amplius. Et quod sint inter monachos, possunt multi produci, dicam tamen unum ex multis.

Juliani monachi laudes.—Scitis utique et audivistis, et vidistis etiam nonnulli, virum quem sum dicturus; Julianum dico illum admirandum. Hic erat rusticus, humilis et humili loco natus, et nec externæ quidem eruditionis omnino peritus, sed non ficta et simulata philosophia repletus. Hoc ingrediente civitates (hoc autem raro fiebat), neque oratoribus neque sophistis, neque ullo alio ingrediente, tantus fiebat concursus. Quid autem dico? nonne nomen ejus nunc quoque clarius decantatur quam quorumvis regum? Si autem hæc fiunt in hoc mundo, in mundo in quo Deus nihil nobis boni promisit, in quo nos dixit esse hospites; cogitemus in cælis quanta erunt bona reposita : si ubi erant advenæ, tantum acceperunt honorem; ubi sunt civitates, quantam consequentur gloriam? si ubi promisit afflictionem, tantus est cultus; ubi bona vere est pollicitus, quanta erit quies? Sed vultis mundanos etiam seu sæculares ostendamus? Nunc quidem non habemus : nam sunt quidem fortasse mundani boni et probi, sed qui ad summam non perveniunt philosophiam. Quamobrem ex veteribus et sanctis dicam vobis exempla. Quam multi qui uxores habebant, et filios alebant, nihil minus, nihil, inquam, minus habuerunt quam qui dicti sunt? Sed nunc non licet propter instantem necessitatem, sicut dicit hic beatus. Quem ergo vultis dicam? Noe, an Abraham? an hujus filium an illius? an Joseph? Sed vultis veniamus ad prophetas? Mosem, inquam, Isaiam.

4. Sed, si vultis, orationem attrahamus ad Abraham, quem maxime omnes nobis semper afferunt. Annon habebat uxorem, annon liberos? ego enim hoc vobis dico, quod vos nobis. Habebat uxorem; sed non quoniam habebat uxorem, erat admirabilis : habebat pecunias; sed non quia pecunias habebat, placuit Deo : habebat filios; sed non quia filios habebat, censebatur beatus : trecentos decem et octo habuit vernas; sed non ideo habebatur in admiratione. Sed vis scire undenam haberetur? Ex hospitalitate, ex pecuniæ despectu, ex modestia et temperantia. Quid enim, dic quæso, philosophi? annon pecunias et gloriam despicere, invidia et quavis animi perturbatione et ægritudine esse superiorem? Age ergo eum in medium adductum exuamus, et vobis ostendamus cujusmodi esset philosophus. Primum nihil existimabat esse patriam : *Egredere* enim, audivit, *ex terra tua et ex cognatione tua* (*Gen.* 12. 1); et statim est egressus. Non fuit domui alligatus : revera enim non esset egressus; non amicitiæ consuetudinis, non ulli alteri rei. Porro maxime omnium gloriam despexit et pecunias : confecto enim bello, fusisque ac fugatis hostibus, cum rogaretur accipere spolia, recusavit. Sed ejus filius rursus non habebatur in admiratione propter pecunias, sed propter hospitalitatem; non propter liberos, sed propter obedientiam; non propter uxorem, sed propter sterilitatem in uxore. Præsentem vitam nihil ducebant, pecuniæ non studebant, omnia despiciebant. Nam, dic mihi, quænam sunt plantæ optimæ et præstantissimæ? annon eæ quæ ex se habent vires, et nec imbribus nec grandinibus nec ventorum impetu, neque ulla alia ejusmodi tempestatum læduntur inæqualitate, sed stant nudæ omnia despicientes, et neque vallis neque maceriis neque septis indigent? Talis est philosophus, tales illæ divitiæ : nihil habet, et habet omnia; omnia habet, et nihil habet. Murus enim non est intrinsecus, sed extrinsecus; vallus non est naturæ, sed est extrinsecus. Quid vero? dic quæso, quodnam corpus est validum? idne quod est sanum, et neque fame, neque repletione, neque frigore, neque æstu expugnatur : an quod adversus hæc omnia et mensæ structoribus et textoribus et venatoribus et medicis indiget ut sit sanum? Ille est dives, qui vere philosophus, nullo horum indiget. Propterea dicebat hic beatus, *Educate eos in disciplina et Domini admonitione.* Ne ergo vallos et septa extrinsecus circumponatis : hoc enim sunt divitiæ, hoc est gloria. Quando enim ea deciderint, decidunt autem, planta est nuda, et expugnatu facilis, ut quæ præterito tempore non solum nihil lucri acceperit, sed etiam damno sic affecta : illi enim valli et septa quæ prohibent quominus decertet adversus insultus ventorum, efficiunt ut nunc repente simul concidat.

Divitiæ quandonam lædant. — Magis itaque lædunt divitiæ, ut quæ reddant imparatos et minime exercitatos adversus vitæ iniquos casus. Tales ergo reddamus filios, ut possint adversus omnia resistere, neque nova et aliena videantur quæ incurrunt : educemus in disciplina et admonitione Domini, et magna nobis reponetur merces. Nam si homines qui regum faciunt simulacra, et pingunt imagines, tantum honorem assequuntur : nos qui regiam ornamus imaginem (Dei enim imago est homo), non bonis fruemur innumerabilibus, id reddentes quod est ad similitudinem? Nam hoc est simile, virtus animæ, quando filios erudierimus ut sint boni, quando ut non sint ad iram prompti, quando ut non sint injuriæ memores; hæc omnia sunt Deo propria : quando ut sint benefici, ut sint benigni, quando erudierimus nihili ducant præsentia. Hoc ergo nostrum sit opus, nos ipsos et illos fingere ac componere ut oportet. Alioqui qua fiducia stabimus ante tribunal Christi? Nam si indignus est episcopatu qui filios habet non subditos, multo magis regno cælorum. Quid dicis? si habemus uxorem im-

modestam, et si filios, reddendæ rationi erimus obnoxii? Maxime, nisi exacte et accurate præstiterimus quæ sunt a nobis præstanda : non enim propria virtus nobis sufficit ad salutem. Nam si qui unum talentum non deponens nihil est lucratus, sed etiam sic punitur, est perspicuum quod virtus propria non sufficit ad salutem, sed alterius etiam virtute opus est. Magnam ergo curam geramus et uxorum et liberorum et famulorum et nostri ipsorum, et in nobis ipsis et illis componendis Deum rogemus, ut ad eam rem nobis opem ferat. Si viderit nos hoc curare et de hoc esse sollicitos, opem feret; sin nullam habere hujus rei rationem, manum non porriget. Non enim dormientibus nobis dat auxilium Deus, sed ipsis quoque laborantibus : nam adjutor non est otiosi, sed ejus qui ipse quoque operatur. Potens est autem Deus opus per se ad effectum deducere, ut omnes digni habeamur qui bona promissa consequamur, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXII.

Cap. 6. v. 5. *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo : 6. non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, 7. cum bona voluntate servientes, sicut Domino et non hominibus; 8. scientes quod unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus sive liber.*

1. *De servorum officiis.* — Non solum itaque maritus, neque uxor, neque filii, sed servorum quoque virtus confert ad domum constituendam et administrandam. Propterea beatus Paulus ne hanc quidem partem neglexit; sed postremo quidem ad eam accedit, quoniam dignitate quoque sita est postrema. Multis autem cum eis agit, non tamquam cum filiis, sed multo perfectius : non enim dat hic eis promissionem, sed in futuro. *Scientes*, inquit, *quod unusquisque quodcumque fecerit bonum vel malum, hoc recipiet a Domino.* Et jam docet philosophari. Nam etsi auctoritate sunt minores filiis, sui tamen opinione sunt majores. *Servi*, inquit, *obedite dominis carnalibus.* Mœrore affectam statim erexit animam, et statim est consolatus. Ne doleas, inquit, quod minus habeas quam uxor et filii : solum est nomen servitutis; carnale est dominium, temporale et breve : quidquid enim est carnale, est caducum et non diuturnum. *Cum timore*, inquit, *et tremore.* Vides quod non eumdem timorem exegit ab uxore et servis? Nam illic quidem dixit absolute, *Mulier timeat maritum :* hic autem cum intensione, *Cum timore et tremore. In simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Hoc dicit frequenter. Quid dicis, o beate Paule? est frater, eadem est consequutus, est in eodem corpore; imo factus est frater non sui domini, sed adeo Filii Dei; fruitur iisdem omnibus, et dicis, *Obedite dominis carnalibus cum timore et tremore?* Propterea enim, inquit, dico. Nam si jubeo, inquit, liberos invicem esse subjectos propter timorem Dei, sicut dicebat superius, *Subjecti invicem in timore Dei* (*Ephes.* 5. 21); si jubeo uxorem timere maritum, etiamsi ea sit par honore : multo magis servum. Non est enim hoc ignobilitas, sed prima nobilitas, scire esse inferiorem, et modeste se gerere, et cedere proximo. Et liberi liberis cum multo timore et tremore serviunt. *In simplicitate cordis*, inquit. Recte dixit; quoniam fieri potest ut serviatur cum timore et tremore, at non ex benevolentia, sed utcumque licet. Non animadvertuntur enim multi multa prave gerentes adversus dominos. Igitur hanc quoque pravam tollit nequitiam, dicens, *In simplicitate cordis vestri sicut Domino. Non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum benevolentia servientes sicut Domino, et non hominibus.* Vides quam multis opus habuerit, ut hoc bonum et honestum insereret, *Cum benevolentia*, inquam, *et ex animo?* Nam illud quidem videmus multos exhibere dominis, *Cum timore*, inquam, *et tremore;* et ad illud multa efficiunt minæ domini : Sed ostende, inquit, te servire tamquam Christi servum, non tamquam hominis : fac ut quod a te geritur sit tuum opus, non necessitatis. Sicut ei qui ab alio male patitur suadet, et docet per ea quæ deinde sequuntur, ut suum esse faciat quod recte geritur, et esse liberi sui arbitrii : ita et hunc. Nam quia qui maxillam percussit, non ad hoc venit ex mente ejus qui est percussus, sed a sua pravitate, quid dicit? *Præbe illi et alteram* (*Matth.* 5. 39); ostendens quod non invitus eam alapam sustinueris. Nam qui ad id quod est male passum esse, affatim etiam supererogavit; id quod non erat suum, suum esse fecit, eo quod alteri maxillæ sit inflicta alapa, non solum quod tulerit. Hoc enim fortasse videbitur etiam esse timoris; illud autem multæ est philosophiæ. Ostendisti igitur quod hoc etiam tuleris propter philosophiam. Itaque nunc quoque ostende, quod sponte feras hanc servitutem, non ut hominibus placeas. Qui ergo studet hominibus placere, non est servus Christi; qui est autem servus Christi, non studet placere hominibus. Quis enim, cum sit Dei servus, vult hominibus placere? et quis hominibus placens, potest esse Dei servus? *Ex animo*, inquit, *cum bona voluntate servientes.* Recte sic dixit : nam quoniam et in simplicitate serviri potest, et non prave ac maligne, sed non totis viribus, sed tantum impleri quod debetur : propterea dicit, Ex animi alacritate, non ex necessitate; ex libera electione, non ex pravitate. Si sic servias, non es servus : si ex libero arbitrio et instituto, si cum benevolentia, si ex animo, si propter Christum. Hanc enim servitutem servit etiam Paulus ille liber, et clamat dicens, *Non enim nos ipsos prædicamus, sed Christum Jesum Dominum, nos autem ipsos servos vestros propter Jesum* (2. *Cor.* 4. 5).

2. Vide quomodo tibi aufert ignobilitatem servi-

tutis. Sicut enim is, cui sunt ablatæ pecuniæ, si etiam alias dederit ei qui abstulit, non refertur inter eos quibus est ablatum, sed inter liberales et magnificos; non inter eos qui male sunt affecti, sed inter eos qui bene faciunt; et plus probri in eum congessit quod donarit, quam probro ipse sit affectus quod ipsi sit ablatum: ita hic quoque ex abundanti erogatione apparebit etiam excelsioris animi, et ostendens quod rapinam non senserit, illum pudore afficiet. Ergo propter Christum serviamus dominis, *Scientes*, inquit, *quod unusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber.* Nam quoniam erat verisimile multos dominos, cum sint infideles, pudore non affici; nec servos remunerari propter obedientiam; vide quomodo eos sit consolatus, ut suspectam non habeant remunerationem, sed valde confidant de compensatione. Ut enim qui beneficio afficiuntur, quando non referunt gratiam benefactoribus, eis Deum faciunt debitorem: ita etiam domini, si a te beneficio affecti tibi gratiam non referant, magis referunt, tibi debitorem Deum constituentes. 9. *Et vos domini eadem facite illis. Eadem*, quænam? Servite cum benevolentia. sed non dixit, Servite, etiamsi dicens, *Eadem*, hoc significaverit: nam dominus quoque servit. Ne tamquam studentes placere hominibus, inquit, cum timore et tremore, id est, erga Deum, timentes ne quis vos accuset propter vestram in servos negligentiam. *Remittentes minas.* Non importuni, inquit, et graves estote. *Scientes quod vester et illorum Dominus est in cœlis* (*Matth.* 7. 2. *et* 18. 32). Papæ, quantam rem subindicavit! quomodo terruit! Hoc est, Qua mensura metiris, eadem tibi reddetur mensura. Ne audias, *Serve nequam, omne illud debitum remisi tibi. Et personarum acceptio non est apud eum.* Ne existimes, inquit, quod quæ in servum fiunt, remittet ut in servum facta. Nam externæ quidem leges sciunt horum generum differentiam, ut quæ sint leges hominum: lex autem Domini communis nullam novit differentiam, ut qui communiter omnibus benefaciat, et omnibus eadem impertiat.

Ex peccato factum ut alii heri, alii servi essent. Si quis autem roget undenam servitus, et cur ingressa est in vitam humanam (scio enim multos et lubenter hæc rogare, et velle discere); ego vobis dicam. Avaritia peperit servitutem, necnon invidia et insatiabilitas. Nam Noe non habuit servum, neque Abel, neque Seth, nec ii qui fuerunt postea. Peccatum eam rem peperit, contumelia in parentes. Audiant filii se esse dignos qui fiant servi, quando in parentes fuerint ingrati. Qui est ejusmodi, sibi abstulit nobilitatem generis: nam qui patrem contumelia afficit, non est amplius filius. Si vero qui patrem contumelia afficit, non est filius; qui contumelia afficit eum qui vere est pater noster, quomodo erit filius? descendit a generis nobilitate, naturam affecit contumelia. Deinde et bella et prælia ceperunt captivos. At Abraham habuit servos, inquit. Sed non usus est ut servis. Vide quomodo omnia capiti tamquam appendens adaptet: uxorem, Ut eam, inquit, diligat; filios, Ut eos enutriat in disciplina et admonitione Domini; et servos, *Scientes quod vester quoque Dominus est in cœlis.* Sic, inquit, vos quoque, ut qui sitis servi, sitis benigni et clementes et propensi ad ignoscendum. Si autem vultis audire, eadem dicemus de servis, quæ prius diximus de filiis: Docete eos esse pios et religiosos; et omnino sequuntur omnia. Nunc autem ascendens quispiam in theatrum, et vadens ad balneum, secum trahit omnes pueros; in ecclesiam autem non item, neque cogit eos adesse et audire. Quomodo autem audiet servus, cum tu dominus aliis animum adhibeas? Emisti, comparasti servum? impera ei quæ ex Deo sunt, ut sit mitis in conservos, ut virtutis magnam habeat rationem. Uniuscujusque domus est civitas, unusquisque est princeps et rector suæ domus. Et id quidem est evidens in domo divitum, ubi sunt et agri et procuratores et præfecti supra præfectos: ego autem etiam domum pauperum dico esse civitatem. Sunt enim hic quoque principatus: utputa, maritus principatum obtinet in uxorem, uxor in servos, servi in uxores suas: rursus viri et mulieres in pueros. Annon tibi videtur esse veluti rex quispiam, cum tot habeat sibi subjectos principes; et oporteat eum esse omnium peritissimum administrandæ domus et civitatis? Nam qui scit varie et differenter his uti, scit aptos eligere principes, et quidem eliget præclaros. Ergo uxor erit domi rex alius, dempto diademate: qui scit hunc regem eligere, alia omnia recte reget et dispensabit. 10. *De cætero*, inquit, *fratres, confortamini in Domino.* Quando finienda est oratio, hoc modo semper utitur.

3. Annon recte dicebam ab initio, quod uniuscujusque domus sit integer exercitus? Ecce enim omnibus constitutis principatibus, eos deinceps armat, et educit ad bellum. Nam si nemo arripiat alterius principatum, sed unusquisque maneat in loco suo, omnia recte habebunt. *Confortamini*, inquit, *in Domino, et in potentia virtutis ejus:* hoc est, in spe in ipsum per ejus auxilium. Nam quoniam multa jussit quæ fieri oporteret, Nolite, inquit, timere, spem in Dominum conjicite, et omnia reddet facilia. 11. *Et induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Non dixit, Adversus pugnas, neque adversus bella, sed, *Adversus insidias:* neque enim incaute et aperte nobiscum bellum gerit inimicus, sed ex insidiis. Quid est autem μεθοδεία? Μεθοδεῦσαι est decipere, et per machinas capere: quod quidem fit et in artibus et in orationibus et in factis, et in luctа, per eos qui nos seducunt. Exempli causa dico: numquam aperta proponit peccata: non dicit idololatriam seu cultum idolorum, sed aliter id instruit ex insidiis, hoc est, probabilem reddens orationem, et utens involucris. Hoc ergo modo excitavit milites, et effecit ut essent sobrii, persuadens et docens prælium nobis ineundum adversus rei bellicæ peritum et non incaute nec aperte bellum gerentem, sed ex insidiis et methodica ratione. Et primum ab ejus arte, secundo a natura et multitudine excitat

discipulos. Nolens dejicere milites, qui secum stant adversus ipsum, sed excitare et erigere, dixit astutias et subtilia cogitata, et effecit ut sint sobrii. Nam si solum narratis eorum viribus finem imposuisset orationi, eos dejecisset : si autem et antea et postea ostendit eum posse capi et expugnari, eos magis excitat. Nam vires adversariorum quo a nobis apertius renuntiantur nostris, eo nostros reddunt diligentiores. 12. *Quoniam*, inquit, *non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Postquam a genere pugnæ hortatus est, deinde a præmiis propositis eos excitat. Quomodo? Cum dixisset hostes esse vehementes, subjunxit eos nos magnis privare. Quibusnam? Pugna est in cœlestibus : non certatur pro pecuniis, non pro gloria, sed certatur ne redigamur in servitutem et captivitatem. Quamobrem inimicitiæ sunt irreconciliabiles : contentio et pugna est vehementior, quando pro rebus magnis suscipitur : illud enim, *In cœlestibus*, significat, pro cœlestibus. Non ut ipsi victoriam adepti aliquid consequantur, sed ut nos privent. Ut si diceret, pactum conventum est in aliquo, illud *in* est *pro*, et *in* est *propter*. Vide quomodo vires inimici nos excitant, et faciunt ut simus sobrii, eo quod sciamus de rebus magnis esse periculum, et de magnis fore victoriam : studet enim nos e cælo ejicere. Quosnam dicit principes et potestates et mundi rectores hujus sæculi tenebrarum harum? quarumnam tenebrarum? numquid noctis? Nequaquam, sed nequitiæ : Eramus enim, inquit, aliquando tenebræ (*Ephes.* 5. 8) ; nequitiam dicens et pravitatem, quæ est in vita præsenti. Non habebit enim ulterius locum, non in cælo, non in sæculo futuro.

Mundus in Scriptura malos homines aliquando significat. — Eos autem dicit mundi rectores, non ut qui in mundo obtineant dominatum, sed quod malorum operum sint causæ. Nam hunc mundum solet Scriptura appellare sceleratas actiones; ut quando dicit Christus, *Vos non estis ex hoc mundo, sicut ego non sum ex mundo.* Nonne erant ex mundo? nonne carne erant circumdati? nonne erant ex iis qui sunt in mundo? Et rursus : *Mundus me odit : vos autem non potest odisse* (*Joan.* 17. 14. *et* 7. 7) ; malas rursus dicens actiones. Vel mundum hic dicit malos homines; dæmones enim in eos magis dominatum obtinent. *Contra spiritualia nequitiæ*, inquit, *in cœlestibus.* Principes dicit et potestates; sicut etiam in cœlestibus sunt throni, dominationes, principatus, potestates. 13. *Propterea*, inquit, *accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.* Diem malum dicit vitam præsentem : et malum sæculum hoc dicit, ex malis quæ in eo fiunt. Id est, semper armati estote. *Et omnibus*, inquit, *confectis;* hoc est, devictis vitiis, absurdis concupiscentiis, et omnibus quæ nobis afferunt molestiam. Non dixit solum facere, sed perficere; ut non solum de medio tollant, sed etiam stent postquam sustulerint : nam multi hanc adepti victoriam rursus ceciderunt. *Omnibus*, inquit, *confectis :* non hoc quidem confecto, illo vero non : stare enim oportet post victoriam. Dejecta sunt aliquando, sed quæ dejiciuntur reviviscunt : nisi steterimus, etiam quæ ceciderunt resurgunt. Donec stamus, dejecta sunt : donec non circumagimur, ille non resurgit. Induamur armatura Dei.

4. Vides quomodo metum ademerit. Nam si fieri potest ut conficiamus et stemus, cur refugis pugnam? Sta hostes conficiens, et vicisti. Et ne mireris, quod tanta de hostium viribus recenseat : nam recensere vires inimicorum, non metum affert et timorem, sed ignaviam excutit et socordiam. *Ut possitis*, inquit, *resistere in die malo.* A tempore etiam consolatur. Tempus, inquit, est breve : quare oportet stare : ne defessi sitis post cædem. Si est ergo bellum, si tales sunt acies, si incorporei principes, si mundi rectores, si spiritualia nequitiæ; quomodo, dic quæso, deliciis indulges? quomodo es dissolutus? quomodo inermes superare poterimus? Hæc unusquisque sibi dicat quotidie, quando ei dominatur ira, quando cupiditas, quando quærit hanc mollem vitam lubricam et inconstantem. Audiat beatum Paulum dicentem, *Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, sed adversus principes, adversus potestates.* Hoc bellum est sensili gravius, pugna vehementior. Cogita ergo quantum tempus iste luctatur, pro quo pugnat, et esto cautior. Etiam, inquies; sed oportuisset diabolum de medio tolli, et omnes salvi essent. Hæc prætendunt quidam socordes et ignavi. Cum oporteret, o homo, te agere gratias quod, si velis, eum superes, contra etiam succenses, verba loquens cujusdam desidis et somnolenti militis. Nosti, si velis, rationes quibus apprehenditur : undique circumspice, teipsum muni. Non est solum pugna adversus diabolum, sed etiam adversus illius potestates. Quomodo ergo luctabimur cum tenebris? Si lux facti fuerimus. Quomodo cum spiritualibus nequitiæ? Si facti fuerimus boni. Bono enim contrarium est nequitia et pravitas, et lux expellit tenebras : quod si ipsi quoque simus tenebræ, omnino capiemur et superabimur. Quomodo ergo ipsos superabimus? Si quod illi sunt a natura, effecti fuerimus ex libero arbitrio et animi instituto, nempe extra carnem et sanguinem, sic eos capiemus et vincemus. Nam quoniam est verisimile ipsos a multis agitari, Ne existimetis, inquit, quod ipsi nobiscum bellum gerant : qui in ipsis operantur dæmones sunt, qui bellum gerunt : adversus illos nobis est pugna. Duo autem ex his efficit, ut qui et ipsos reddat audaciores adversus eos qui se oppugnant, illorumque animum contra hostes erigat. Et quanam de causa nobis pugna adversus eos exorta est? Quoniam in bello sociam habemus inexpugnabilem, nempe spiritus gratiam, eam artem didicimus, ut adversus homines non possimus luctari, sed adversus dæmones. Si autem velimus, ne luctabimur quidem : nam lucta est quoniam volumus. Ejus enim qui in nobis inhabitat tanta est virtus, ut dicat : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones,*

et super omnem potestatem inimici (*Luc.* 10. 19). Omnem nobis dedit potestatem, et luctandi et non luctandi : sed quoniam nos sumus pigri et hebetes, cum eis luctamur. Nam quod Paulus non sit luctatus, audi eum dicentem, *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia, an persequutio, an nuditas, an periculum, an gladius* (*Rom.* 8. 35)? Et rursus audi eum dicentem, *Deus conteret satanam sub pedibus vestris cito* (*Rom.* 16. 20). Illum enim habebat subditum; et ideo dicebat, *Præcipio tibi in nomine Domini Jesu ut ab ea exeas* (*Act.* 16. 18). Hoc autem non est luctantis. Nam qui luctatur, nondum vicit; qui autem vicit, non luctatur amplius : nam eum subjecit, et captivum reddidit. Petrus quoque non luctabatur cum diabolo, sed quod erat melius quam luctari, id faciebat. Fideles multi, obsequentes, catechumeni ex magna superabundantia illo erant superiores. Et ideo dicebat beatus Paulus, *Non enim ignoramus cogitationes ejus* (2. *Cor.* 2. 11). Unde etiam eum maxime superavit. Et rursus audi eum dicentem, *Non est mirum, si ministri illius transfigurantur tamquam ministri justitiæ* (2. *Cor.* 11. 15) : ita noverat omnem pugnam, et nihil eum latebat. Et, *Mysterium enim*, inquit, *jam operatur iniquitatis* (2. *Thess.* 2. 7). Sed adversus nos ipsos est colluctatio. Nam audi eum rursus dicentem, *Certus sum quod neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque alia creatura poterit nos separare a dilectione Christi* (*Rom.* 8. 38. 39). Non dixit, A Christo, sed *A dilectione Christi :* nam multi sunt uniti Christo, ipsum autem non diligentes. Non solum, inquit, non persuadebis ut negem, sed nec ut eum minus diligam. Si autem supernæ virtutes hoc non potuissent, quis alius eum transmutasset? Noc hoc autem dicit ac si illæ hoc aggrederentur, sed per hypothesim. Et ideo dicit, *Certus sum*, seu, Est mihi persuasum. Igitur non luctabatur, sed tamen timet ejus astutias. Audi enim eum dicentem, *Timeo enim ne, sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate quæ est in Christo* (2. *Cor.* 11. 3). Etiam, dicit : et pro seipso utitur hoc verbo dicens, *Timeo enim ne forte, cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar* (1. *Cor.* 9. 27). Quomodo ergo est tibi persuasum quod nemo te separabit?

5. Vides quod hoc verbum sit humilitatis et modestiæ. Ille enim jam cælum habitabat; et ideo dicebat, *Nihil enim mihi conscius sum* (1. *Cor.* 4. 4) ; et rursus, *Cursum consummavi* (2. *Tim.* 4. 7). Quare ad hæc non ei impedimentum afferebat diabolus, sed ad ea quæ erant discipulorum. Quare? Quoniam non eos habebat in potestate solum, sed eorum etiam liberum arbitrium. Illic erat superior; imo vero nec illic ideo erat superior, sed ex socordia et ignavia eorum qui non attendebant. Nam si id quidem quod suarum erat partium non implesset, aut propter segnitiem, aut propter aliquid aliud ejusmodi, illo fuisset superior : si autem ipse quidem faciebat omnia; illi autem non parebant, non illum superavit, sed eorum inobedientiam; et morbus non superavit medicum, sed ægroti intemperantiam. Cum enim ipse quidem omnia paraverit, ille autem omnia corruperit, ille fuit superatus, non hic. Quamobrem Paulo nusquam fuit superior. Cæterum nobiscum bene agitur quod possimus etiam luctari. Romanis quidem hoc non optat, sed quid? *Conteret satanam sub pedibus vestris cito* (*Rom.* 16. 20) : his vero sic optat, *Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus* (*Ephes.* 3. 20). Qui luctatur, adhuc tenetur; sed bene cum eo agitur si non ceciderit. Tunc præclara est victoria, quando hinc excesserimus. Exempli causa, sit aliqua concupiscentia; admirabile quidem est eam non admittere, sed exstinguere : si hoc autem fieri non possit, et luctemur et nos semper contineamus : si luctantes excesserimus, vicerimus. Non enim ita se res habet hic sicut in athletis : nam illic quidem nisi dejeceris, non vicisti; hic autem vicisti, si non fueris dejectus; si non es dejectus, dejecisti; et merito. Nam illic quidem ambo contendunt de victoria, et si alter fuerit dejectus, alter coronatur : hic autem non sic, sed diabolus contendit ut nos superemur. Quando ergo id ei ademero de quo contendit, vici : non enim incumbit ut dejiciat, sed ut secum dejiciat. Jam est ergo victus : ipse enim jam est dejectus, et est in perditione et interitu. Ejus autem victoria non est in hoc ut coronetur, sed ut me perdat. Quamobrem si non dejecero, non fuero autem dejectus, vici. Quænam est ergo præclara victoria? Ex superabundantia eum conculcare, ut faciebat Paulus, res præsentes nihil esse existimans. Nos quoque eum imitemur, et studium ponamus ut simus superiores, et nullam ei demus ansam.

Divitiæ et inanis gloria ansam dant diabolo. — Divitiæ dant ei ansam, pecuniæ, inanis gloria, et sæpe quidem eum erigunt, sæpe autem ferum reddunt et immanem. Sed quid opus est lucta? quid opus est ut concertemus? Qui manus conserit, finem habet incertum, num ipse etiam superabitur et capietur : qui autem conculcat, certam et manifestam habet victoriam. Conculcemus diaboli potentiam, conculcemus peccata; omnia, inquam, quæ ad hanc vitam pertinent, iram, concupiscentiam, arrogantiam, omnes animi perturbationes et vitia : ut cum illuc excesserimus, non inveniamur prodidisse potestatem quam nobis dedit Deus. Ita enim etiam futura consequemur. Si autem in hoc fuerimus ignavi, quis nobis majora committet? Si enim eum qui offendit, qui est ignominiosus, qui est contemptus, qui jacet sub pedibus, non potuimus conculcare, quomodo dabit nobis Pater res paternas? si eum qui est adeo subjectus non superavimus, quamnam habebimus fiduciam ingrediendi in domum paternam? Nam, dic mihi, si habeas aliquem filium, ille autem relictis famulis qui sunt honesti, versetur cum iis qui tibi fuerunt molesti, qui e domo pulsi sunt, qui in alea sunt occupati, et hoc faciat perpetuo, non exheredabitur? Perspicuum est, eum esse exheredandum. Ita nos quoque,

si dimissis angelis qui Deo placuerunt, et qui nobis sunt præfecti, versemur cum diabolo, omnino erimus exheredes. Verum absit, ut nostrum quisquam hoc patiatur; sed bello adversus ipsum suscepto et cum superno auxilio victores, heredes simus regni cælorum. Si quis habet inimicum, si injuria ab aliquo est affectus, si quis est efferatus, omnem congregatam asperitatem et ferociam effundat in caput diaboli. Hic ira res est bona et honesta; hic indignatio res est utilis; hic injuriæ acceptæ recordatio et odium res est laudabilis. Sicut enim in externis injuriæ acceptæ recordari est malum, ita hic injuriæ acceptæ meminisse est bonum. Itaque si habes vitia et defectus, ea hic depone; si non potes ea deponere, saltem cum membris tuis depone. Percussit aliquis? Sis injuriæ a diabolo acceptæ memor, et numquam adversus eum susceptas compone inimicitias. At non percussit? Sic quoque sis memor acceptæ injuriæ; quod Dominum tuum affecerit contumelia, quod offenderit, quod fratribus noceat, et cum eis bellum gerat. Sis semper inimicus, semper acerbus, semper immitis et ferus. Ita ille erit humilis, sic erit despicabilis, sic captu facilis. Si nos simus in eum feroces, ille in nos non erit ferus; si nos simus clementes et benigni, tunc ille erit ferox: non sicut erga fratres nostros erga illum affecti simus. Ille est inimicus et hostis vitæ et salutis, et nostræ et suæ. Si seipsum non diligit, quomodo poterit nos diligere? Struamus ergo aciem, et eum feriamus, cum magnum habeamus belli socium et adjutorem Dominum nostrum Jesum Christum, qui poterit efficere ut minime capiamur ejus laqueis, et nos bonis futuris dignabitur: quæ nobis omnibus detur consequi gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIII.

CAP. 6. v. 14. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate.*

1. Cum exercitum hunc ordinasset, et eorum excitasset animi alacritatem (utriusque enim erat opus, et ut essent ordinati, et ut excitaretur eorum animus); cum eis animum addidisset (nam eo quoque erat opus), deinceps eos armat. Nihil enim juvarent arma, si illi prius non essent ordinati, neque militis animus esset excitatus. Oportet enim prius eum armare intrinsecus, et deinde extrinsecus. Si hoc autem vulgo fit in militibus, multo magis in his militibus qui cadunt sub intelligentiam; imo vero in his ne licet quidem armare extrinsecus, sed omnia intrinsecus, animum excitavit et inflammavit, audaciam indidit, ordinavit; demum armat. Sed vide ut eos armis induat. *State ergo*, inquit. Primum officium eorum qui in ordinata sunt acie, est ut sciant recte stare; et ex eo multa evenerint. Propterea multa dicit de statione, alibi etiam dicens: *State, vigilate;* et rursus, *Sic state in Domino* (1. *Cor.* 16. 13); et rursus, *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (*Philipp.* 4. 1); et rursus, *Ut possitis omnibus confectis stare* (1. *Cor.* 10. 12). Non ergo quamlibet dicit stationem, sed eam quæ est recte ordinata; et qui rei militaris sunt periti, sciunt quanta sit standi peritia. Nam si in pugilibus, et iis qui luctantur, hoc ante alia ludimagister præcipit, nempe stare, multo magis in bellis et in rebus militaribus. Qui stat rectus, stat non dissolutus, nulli cedens: accurata rectitudo cernitur in statione. Quare qui vere sunt recti, ii stant: qui autem non stant, non fuerint recti, sed dissoluti et effusi. Non stat qui degit in deliciis, sed declinat; item lascivus, pecuniæ cupidus. Qui scit stare, ex eadem statione, tamquam ex quodam fundamento, quæcumque ad luctam pertinent habebit facilia et expedita. *State ergo*, inquit, *succincti lumbos vestros in veritate.* Non dicit de zona sensili: nam omnia quæ hic sunt, ita dicit ut cadant sub intelligentiam. Vide autem quomodo procedat. Primum succingit militem. Quid hoc est autem? Eum qui libidinibus diffluit et est dissolutus, et humi repentes habet cogitationes, per zonam reprimit, non sinens eum impediri a vestibus quæ tibiis implicantur, sed dimittens ut currat pedibus solutis. *State ergo, succincti lumbos vestros.* Lumbos autem hic dicit: nam sicut in navibus carina, ita etiam in nobis subjectum totius corporis lumbi sunt: sicut enim fundamentum sunt, et super ipsos totum ædificatur, ut dicunt medici. Nostram ergo constringit animam, lumbos cingens: non enim hos dicit lumbos, sed ita loquitur ut ii cadant sub intelligentiam. Et sicut eorum quæ sunt supra et infra lumbi sunt fundamentum: ita etiam in lumbis spiritualibus. Qui ergo defatigati sunt, illic sæpe quasi in fundamento manus imponunt, ut se sustineant: et zona ideo in bellis adhibetur ut fundamentum nostrum contineat et stringat. Ideo currentes cingimur: zona robur nostrum in tuto ponit. Hoc ergo, inquit, fiat etiam in anima, et quidvis facientes erimus fortes ac validi: id enim maxime decet milites. Etiam, inquies, sed hos lumbos cingimus loro coriaceo; nos autem quonam? Illo, quod est caput et summa cogitationum, nempe veritate: *Succincti*, inquit, *lumbos nostros in veritate.* Ergo nullum diligamus mendacium: res omnes tractemus in veritate: alter alteri non mentiamur: et si sit gloria, quod verum est quæramus; et si vita, veram. Si hoc ergo nos circumvallemus, si veritate accingamur, nullus nos superabit. Qui quærit dogma veritatis, non decidet in terram. Nam quod quæ vera non sunt, sint ex terra, inde palam est, quod externi omnes serviant vitiis et affectibus, dum suas sequuntur cogitationes. Quamobrem si vigiles simus, in Græcorum libris et scriptis doctrina non egebimus. Viden' quam sunt illi molles et enervati, ut qui de Deo nihil possint grave et austerum suspicere, quod

humanam superet rationem ? non sunt enim succincti in veritate. Quamobrem soluti sunt eorum lumbi, in queis sunt gignendi semina et ratiociniorum robur. Nihil est ergo his imbecillius.

2. Rursus autem vides Manichæos quomodo ex propriis rationibus omnia loqui audeant ? Non poterat, inquit, Deus mundum creare absque materia. Undenam hoc constat? hæc humi versantes dicunt, et ex terra, atque iis quæ sunt apud nos. Quoniam homo, inquiunt, non potest aliter facere. Rursus vide quid dicat Marcion : non poterat Deus assumpta carne manere mundus. Undenam hoc constat ? Quoniam nec homines quidem possunt. Atqui homines possunt. Valentinus rursus humi serpentes habens rationes, e terra loquitur, similiterque Paulus Samosatenus, et Arius. Quid enim dicit? Non poterat Deus generans generare impatibiliter. Undenam hoc audes dicere, o Ari? Ex iis quæ sunt apud nos. Viden' rationes omnium humi repere? plane demissas esse et enervatas, et terram spirare? Et ita quidem se habent quod attinet ad dogmata. Rursus autem quod ad vitam, qui sunt scortatores, pecuniæ amantes et gloriæ et aliorum omnium, humi repunt : non habent lumbos firmos et stantes ut defessi possint quiescere, sed si fuerint defessi, non admovent manum nec stant, sed resolvuntur. Qui autem est succinctus veritate, primo quidem numquam erit defessus : secundo autem, si fuerit defessus, requiescet in ipsa veritate. Quid enim, dic mihi, paupertasne eum defatigabit? Nequaquam : requiescit enim super eas quæ vere sunt divitiæ, et per paupertatem sciet quæ sit vere paupertas. At servitus eum defatigabit? Minime : scit enim quæ sit vere servitus. At morbus? Sed neque hoc : *Lumbi vestri*, inquit Christus, *sint succincti, et lucernæ ardentes* (*Luc.* 12. 35); ita ut lucem habeant quæ non possit exstingui. Hoc etiam præceptum fuit exeuntibus ex Ægypto, et succincti pascha comedebant. Et cur, inquies, sic comedebant? Vis scire totam causam secundum historiam, an secundum anagogen? Sed utrumque dicam : vos autem retinete. Non enim dico ut verba proferam, sed ut verba mea apud vos in opus exeant. *Erant*, inquit, *accincti, et baculi erant in eorum manibus, et calcei in pedibus, et ita comedebant pascha* (*Exod.* 12. 11). Terribilia et tremenda mysteria, quæ magnam habent profunditatem. Si autem in typis et figuris sunt adeo terribilia, multo magis in veritate. Exeunt ex Ægypto, pascha comedunt. Attende : est habitus viatorum : nam habere calceos, et virgas in manibus, et stantes comedere, nihil aliud quam hoc significat. Vultis primum audire historiam, an anagogen? Satius est historiam. Quid ergo sibi vult historia? Obliviscebantur sæpe Judæi beneficiorum Dei. Ut igitur illis vel invitis horum memoriam refricaret, hunc comedendi pascha modum lege statuit. Quare? Ut cum singulis annis cogerentur legem illam servare, necessario Dei, qui ipsos eduxerat, recordarentur. Itaque non tempori solum alligavit Deus sua beneficia, sed etiam habitui comedentium. Propterea enim nunc comedunt accincti et calceati, uti si rogentur, dicant : Eramus parati ad iter, et eramus exituri ex Ægypto in terram promissionis. Secundum historiam, hoc quidem est typus; hæc autem veritas. Nos quoque pascha comedimus, nempe Christum : *Pascha enim nostrum immolatus est Christus* (*1. Cor.* 5. 7), inquit. Ergo nos quoque pascha comedimus, legali longe præstantius. Itaque et calceati et succincti comedamus oportet. Quare? Ut nos quoque simus parati ad exitum, et ad peregrinationem hinc futuram. Nemo ex iis, qui hoc pascha comedunt, aspiciat ad Ægyptum, sed ad cælum, ad supernam Jerusalem. Propterea accinctus, propterea calceatus comedis, ut discas quod simul atque incepisti comedere pascha, debes peregrinari et iter facere. Duo autem tacite significat, et oportere egredi ex Ægypto, et manentes quasi in aliena terra manere; *Nostra enim*, inquit, *conversatio est in cælis* (*Philipp.* 3. 20); et tota vita semper esse paratos, ut vocati non differant, sed dicant, *Paratum est cor nostrum* (*Psal.* 107. 2). Sed poterat hæc dicere Paulus, qui sibi nihil erat conscius : ego autem non possum dicere, qui multo tempore opus habeo ad pœnitentiam. Quod autem accinctum esse sit vigilantis animæ, audi Deum dicentem illi justo : *Non; sed tamquam vir accinge lumbos tuos : ego autem te interrogabo, tu vero mihi responde* (*Job* 38. 3). Omnibus hoc Deus dicit, et Moysi. Ipse quoque apparet accinctus in Ezechiele : imo etiam angeli apparent nobis accincti, ut qui sint milites. Ex eo enim quod accingantur, fit ut stent generose et fortiter; ita ex eo quod stent, fit ut accingantur. Nos ergo accingamus : exituri quippe sumus, et multa interim sunt difficilia. Quando hunc campum pertransierimus, statim insistit diabolus, omnia agens et machinans, ut qui servati sunt ex Ægypto, qui mare Rubrum transierunt, qui a dæmonibus et a plagis innumerabilibus simul liberantur, eos capiat et perdat. Sed si vigiles simus, habemus nos quoque columnam ignis, nempe Spiritus gratiam : eadem illuminat et adumbrat : habemus manna; imo vero non manna, sed quod est plus quam manna : potus spiritualis, non aqua exit e petra. Habemus et castra, nunc quoque desertum habitantes. Revera enim, revera nunc quoque terra est a virtute deserta, et magis quam illa. Cur autem fugiendum erat illud desertum? nonne quia habebat in se scorpios et viperas? In quo, inquit, non transiit homo. Sed non est illud desertum adeo sterile et non ferens fructus, ut natura humana.

3. Nunc quot sunt scorpii, quot viperæ in hoc deserto, quot serpentes? quot genimina viperarum sunt hi quos recensuimus? Sed ne timeamus : hujus exitus dux est, non Moyses, sed Jesus. Quomodo igitur non eadem nobis accidant? Ne eadem agamus, et non eadem patiemur. Illi murmurabant, illi fuerunt ingrati : ne eadem ergo nobis accidant. Quomodo ceciderunt illi omnes? Nihili fecerunt terram desiderabilem. Quomodo nihili fecerunt? atqui admirabantur. Eo quod molles evaserint, et pro ea labores noluerunt suscipere. Ne ergo cælum nihili faciamus : hoc est

nihili facere. E cælo fructus est ad nos delatus, non uva quæ portatur in amphoris, sed arrha Spiritus : vitæ agendæ ratio, quæ est in cælis, quam docuit Paulus et totus apostolorum chorus, admirandi agricolæ. Non Chaleb filius Jephonæ, neque Jesus filius Nave hos tulit fructus; sed Jesus, Filius Patris misericordiarum, Filius ejus qui est vere Deus, omnem tulit virtutem, omnes qui inde sunt fructus, hymnos nempe ad nos detulit cælestes. Nam quæ in cælis dicunt Cherubim, ea nos quoque jussit dicere, *Sanctus, sanctus, sanctus* (*Marc.* 12. 25). Ad nos attulit vitam angelorum ; Neque ducunt uxores, neque nubunt angeli; hoc quoque hic plantavit bonum : illi pecunias non amant, neque alia; hoc quoque nobis inseruit : illi non moriuntur; hoc quoque nobis largitus est : Mors non est amplius mors, sed somnus. Audi enim ipsum dicentem : *Lazarus amicus noster dormit* (*Joan.* 11. 11). Vidisti fructus supernæ Jerusalem? Et quod est admirabilius, bellum non est decretum ; sed ante promissionem nobis donavit hæc omnia. Nam illi quidem, etiam cum venissent ad terram promissionis, laborabant; imo vero non laborabant : nam si Deo parere voluissent, absque armis et sine instructa acie omnes cepissent urbes : Jericho certe, choros ducentium magis quam bellantium habentes habitum, expugnarunt. Nos autem postquam ingressi sumus in terram promissionis, hoc est in cælum, non belligeramur, sed quamdiu fuerimus in deserto, hoc est, in præsenti vita. *Ingressus enim in requiem suam, cessavit a suis operibus sicut Deus a propriis* (*Hebr.* 4. 10). *Ne ergo defatigemur quod bonum est facientes* (*Gal.* 6. 9) : proprio enim tempore metemus, si non deficiamus. Vides quomodo ut illos, sic nos quoque duxerit? Illic de manna dicit, et de solitudine : *Qui multum, non plus habuit; et qui parum, non minus* (*Exod.* 16. 18; *et* 2. *Cor.* 8. 15). Et nobis quoque est præceptum, ne thesaurizemus super terram (*Matth.* 6. 19).

Qui thesaurizat, vermi immortali parat alimentum. —Sin autem thesaurizemus, non jam corrumpit et perdit vermis sensilis sicut in manna, sed vermis qui, ut ignis ille, æternus est. Omnia ergo efficiamus, ne vermi paremus alimentum : nam *Qui multum*, inquit, *non plus habuit.* Hoc enim etiam in nobis fit quotidie : nam omnes eamdem implemus ventris mensuram : quod est autem supervacaneum, est accessio stultarum sollicitudinum. Nam quod postea erat daturus, dicendo, *Sufficit diei malitia sua* (*Ibid. v.* 34), hoc jam superius docuit, et nec sic susceperunt. Sed nos ne simus inexplebiles, non ingrati, ne ædes quæramus splendidas : nam iter facimus, non habitamus. Quamobrem si quis novit quod præsens vita sit quædam via et militia, et ut ita dixerim, quod ab eis appellatur *fossatum*, non quæret splendida ædificia. Quis enim, dic quæso, etsi valde opulentus, sua sponte volet in *fossato* quod dicitur, præclaras domos ædificare? Nemo : esset enim ridiculus, et ædificaret inimicis, et ipsos attraheret. Si sapiamus, idipsum faciemus. A militia et fossato nihil differt vita præsens. Quare, rogo, omnia agamus ut nihil hic thesaurizemus : nam si venerit qui furatur, cito emigrabimus. *Vigilate*, inquit, *quoniam nescitis qua hora fur veniat* (*Id.* 24. 43), mortem sic vocans. Priusquam ergo venerit, omnia amandemus in patriam nostram. Hic autem simus accincti, ut possimus superare inimicos : quibus devictis, utinam in die coronarum incorruptibili gloria dignemur, per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum patre et Spiritu sancto, etc.

HOMILIA XXIV.

Cap. 6. v. 14. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti lorica justitiæ,* 15. *et calceati pedes in præparationem evangelii pacis,* 16. *in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere,* 17. *et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei.*

1. *Succincti*, inquit, *lumbos vestros in veritate.* Quidnam hoc? Dictum est in ea quæ præcessit disputatione, quod oporteat esse compositos et expeditos, ut ad currendum nihil sit impedimenti. *Et induti*, inquit, *lorica justitiæ.* Sicut lorica est invulnerabilis, ita etiam justitia. Justitiam autem hic dicit vitam omnimodam et quæ agitur ex virtute. Eum qui est talis nemo umquam poterit prosternere; sed vulnerant quidem multi, nemo autem dissecat, non ipse diabolus. Quasi dicas, Res justas pectore complexi. De his dicit Christus, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* 5. 6). Qui illam pectore complectitur, est fortis tamquam lorica : qui est ejusmodi, numquam irascetur. *Calceati pedes in præparationem evangelii pacis.* Hoc dictum est minus dilucide. Quid ergo est? Pulchra nobis imposuit tibialia seu ocreas, evangelii præparationem. Aut hoc ergo dicit, ut sint parati ad evangelium, et ad hoc utantur pedibus, et ei viam præparent et muniant; aut, si hoc non sit, ut ipsi sint parati ad exitum. Præparatio ergo evangelii nihil aliud est, nisi vita optima. Quod quidem dicebat propheta, *Præparationem cordis sui attendit auris tua* (*Psal.* 10. 17. *sec. Hebr.*). Hoc est, ut cor sit paratum et instructum. *Evangelii*, inquit, *pacis.* Merito id dixit : nam quoniam belli et pugnæ meminit, ostendit esse pugnandum adversus dæmones : evangelium enim est pacis. Illud bellum aliud bellum dissolvit, nempe adversus Deum : si cum diabolo bellum gerimus, pacem cum Deo habemus. Ne timeas ergo, o dilecte, est evangelium, bonus nempe nuntius : jam parta est victoria. *In omnibus sumentes scutum fidei.* Fidem hic dicit, non cognitionem; non enim eam posuisset posteriorem; sed gratiam per quam signa fiunt. Merito autem fidem nominat scutum : sicut enim scutum ante totum corpus ponitur veluti propugnaculum, quasi sit murus : ita

etiam fides; omnia enim ei cedunt. *In quo poteritis*, inquit, *omnia tela nequissimi ignea exstinguere.* Nihil enim potest hoc scutum discindere. Audi enim Christum dicentem discipulis : *Si habeatis fidem tamquam granum sinapis, dicetis huic monti : Transi hinc illuc, et transibit* (*Matth.* 17. 19). Quomodo autem habebimus fidem? Quando illa recte gesserimus. Tela autem ejus dicit tentationes, absurdasque et nefarias cupiditates. Recte adjecit, *Ignea :* tales enim sunt cupiditates. Quod si fides imperavit dæmonibus, multo magis animi vitiis. *Et galeam*, inquit, *salutis assumite*, vestræ, inquam, salutis. Eos enim circumvallat et munit quasi ducturus ad pugnam. *Et gladium Spiritus, quod est verbum Dei.* Sive Spiritum dicit, sive in gladio spirituali. Per eum enim secantur omnia, per eum omnia scinduntur, et per eum amputamus caput draconis. 18. *Per omnem orationem et obsecrationem*, inquit, *orantes omni tempore in spiritu, et in ipso vigilantes, in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis;* 19. *et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris cum fiducia, notum facere mysterium evangelii*, 20. *pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam prout oportet me loqui.* Sicut Dei verbum potest omnia, ita etiam qui gratiam habet spiritualem. *Vivus est enim*, inquit, *sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti* (*Hebr.* 4. 12). Vide autem beati hujus prudentiam. Armavit eos diligentissime : quomodo postea oporteat Regem invocare, et rogare ut manum porrigat, docet : *Per omnem orationem*, inquit, *et obsecrationem orantes omni tempore, in spiritu.* Potest enim quis in spiritu non orare, quando futili utitur oratione. *Et in ipso*, inquit, *vigilantes*, hoc est, sobrie agentes. Talem enim oportet esse eum qui est armatus, qui stat apud Regem, nempe vigilantem et sobrium. *In omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei.* Quid dicis, o beate Paule? opus habes discipulis? Recte autem dixit, *In apertione oris mei.* Non ergo meditabatur quæ dicebat, sed sicut dixit Christus, *Quando vos tradiderint, ne solliciti sitis quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini* (*Matth.* 10. 19) : ita fide agebat omnia, omnia per gratiam. *Cum fiducia*, inquit, *notum facere mysterium evangelii.* Hoc est, ut apposite me defendam. Circumdatus es catenis, et aliis indiges? Etiam, inquit : nam Petrus quoque erat circumdatus catena; sed tamen oratio sine intermissione fiebat (*Act.* 12. 5). *Pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam prout oportet me loqui.* Hoc est, ut cum fiducia et dicendi libertate, cum animi virtute et cum multa prudentia respondeam. 21. *Ut autem et vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus, carissimus frater et fidelis minister in Domino.*

2. Quoniam autem meminit vinculorum, dimisit etiam aliquid Tychico quod de se dicat. Nam quæ pertinebant quidem ad dogmata et ad exhortationem, ea declarabat per epistolam : quæ autem ad solam denuntiationem, ea relinquebat tabellario; ideoque subjungit, *Ut sciatis*, inquit, *quæ circa nos sunt*, hoc est, ut discatis. Hoc et ejus in ipsos ostendebat dilectionem, et illorum in ipsum. 22. *Quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, et consoletur corda vestra.* Nec hoc sine causa dicit, sed cum prius dixisset, *Induti et succincti*, quod quidem est indicium, quod semper progrediatur et sine intermissione. Audi enim prophetam dicentem : *Fiat ei sicut vestimentum quo induitur, et sicut zona qua perpetuo præcingitur* (*Psal.* 108. 19). Propheta quoque dicit Deum indutum esse thorace justitiæ, per hoc nos erudiens, quod semper non ad breve tempus hæc habere oporteat; semper enim bello est opus. Et alius alibi, *Justus enim*, inquit, *confidit ut leo* (*Prov.* 28. 1). Nam qui est sic lorica indutus, fieri non potest ut instructam timeat aciem, sed in medios hostes est ei insiliendum. Et Isaias : *Speciosi*, inquit, *pedes eorum qui pacem annuntiant* (*Isai.* 52. 7). Quis non cucurrerit, quis huic rei non servierit, quando pax annuntiatur; pax, inquam, Dei cum hominibus, pax, cum homines minime laboraverint, sed Deus totum fecerit? Quid sit autem præparatio evangelii, audiamus Joannem dicentem, *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (*Matth.* 3. 3). Verum hæc dumtaxat propter baptisma dixit. Quoniam vero alia etiam præparatione opus est post baptisma, hanc ostendit dicens, *In præparatione evangelii pacis*, innuens videlicet, ut nihil agamus pace indignum. Nam quoniam ut plurimum pedes sunt vitæ symbolum, propterea sæpe admonens dicit, *Videte quomodo exacte ambuletis* (*Ephes.* 5. 15), de vita loquens. Itaque agamus et ostendamus quæ sunt digna evangelio, nempe vitam, et mundas actiones per totam vitam nostram. Evangelio pax est annuntiata, date viam paratam his bonis nuntiis : quod si rursus facti fueritis inimici, non est amplius pacis præparatio. Sitis parati, et ne differatis accedere ad pacem. Sicut parati fuistis ad pacem et fidem, ita etiam permanete. Scutum est fides, quod primum excipit insultus inimicorum, et arma servat illæsa. Si ergo fides sit recta et vita recta, arma illæsa manent. Multis autem alibi de fide disserit, maxime scribens ad Hebræos (*Cap.* 11), et de spe. Credite, inquit, bonis futuris, et nihil horum sauciabitur. Nam in adversis et in laboribus spem objiciens et fidem, illa servabis illæsa. Ad Deum enim accedentem oportet credere quod sit, et iis qui ipsum quærunt sit remunerator. Fides est scutum tegens eos qui sine curiosa perquisitione credunt; sin autem sint sophismata et rationes et reprehensiones, non est scutum, sed nos impedit. Talis sit fides ut universum contegat et obumbret. Ne sit ergo brevis, ut nudos sinat pedes, aut aliquid aliud, sed sit scutum justam habens symmetriam. *Ignea.* Sunt enim multæ disceptationes animam urentes, multæ dubitationes, multæ quæstiones inexplicabiles; sed revera fides facit ut omnia cessent. Multa immittit diabolus nostram inflammans animam, et adducens ad ambiguitatem, ut quando dicunt aliqui, Numquid est resurrectio? numquid est judicium? numquid est remune-

ratio ? sed si scutum fidei habeas, exstingues diaboli tela in fide. Invasit te absurda cupiditas, incensus est intus ignis malarum cogitationum ? Oppone ei fidem futurorum bonorum, et ne apparebit quidem, sed peribit. *Omnia tela :* non hæc quidem exstinguet, illa vero non. Audi Paulum dicentem : *Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* 8. 18).

Tentationes et ærumnæ quomodo repellendæ. — Vides quam multa tela tunc exstinxerint justi ? Annon videntur tibi tela esse ignita, quod interno igne ureretur patriarcha filium offerens ? Alii quoque justi omnia ejus tela exstinxerunt. Sive ergo bellum gerant cogitationes, eam opponamus, sive libidines et cupiditates, ea utamur, sive labores et ærumnæ, in ea conquiescamus : ea merito est quæ conservat arma omnia : si eam non habeamus, illa cito perforabuntur et lædentur. *In omnibus*, inquit, *sumentes scutum fidei.* Quid est, *In omnibus ?* Et in veritate, inquit, et in justitia, et in præparatione evangelii. Hoc est, omnia hæc opus illa habent. Propterea subjunxit, *Et galeam salutis assumite.* Hoc est, Per eam de cætero poteritis esse tuti, et omne periculum effugere. Sicut enim galea, exacte caput undique tegens, non sinit ut aliquid grave patiatur, sed id conservat : ita etiam fides est pro scuto, et pro galea salutis. Si enim ejus tela exstinxerimus, cito etiam suscipiemus rationes quæ conservant, quæ non sinant ut facultas quæ tenet principatum aliquid patiatur. Nam si hæ contrariæ rationes exstinguantur : cito quæ non sunt tales, sed nos servant, et efficiunt ut bonam spem habeamus, in nobis nascentur ; et sicut galea in capite, inerunt in facultate quæ in nobis obtinet principatum.

3. Nec hoc solum, sed etiam gladium accipiemus Spiritus, ut in posterum non solum tuti simus a telis quæ mittuntur, sed ea etiam ipsum feriant diabolum. Anima enim quæ non desperat, neque tela ignita accipit, cum magna animi alacritate stabit adversus inimicum, perfringet hoc gladio ejus thoracem, per quem confregit et ejus cogitata redegit in captivitatem Paulus, draconemque conscindet, et ejus caput amputabit. *Quod est Verbum Dei, aut jussum ejus hic dicit verbum, aut præceptum,* quod apostoli in nomine Jesu Christi ubique miracula edentes proferebant. Tantum nos in omnibus observemus, ut Dei præcepta custodiamus : si enim illa faciamus, per ea de medio tollemus et occidemus ipsum draconem, tortuosum serpentem. Hic mihi vide Pauli prudentiam. Quia enim dixit, *Poteritis tela diaboli ignea exstinguere ;* ne ipsos inflaret, ostendit eos maxime omnium ad hoc Deo opus habere. Quid enim dicit ? *Per omnem orationem et obsecrationem.* Ac si diceret, Hæc erunt, et totum recte geretis orantes. Numquam autem accedens pro te solo roga, et sic Deum habebis propitium. *Per omnem*, inquit, *orationem et obsecrationem orantes in omni tempore in spiritu, et ad hoc ipsum vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis.* Ne mihi definias tempora diei : audi enim quid dicat, *In omni tempore* accede. Sine intermissione, inquit, orantes. Non audivisti quomodo illa vidua superavit assiduitate ? non audivisti amicum illum media nocte sua perseverantia impetravisse ? non audivisti de Syrophœnissa, quomodo perpetua sua interpellatione Dominum evocaverit ? Hi omnes impetrarunt sua assiduitate. *Orantes*, inquit, *in omni tempore in spiritu.* Hoc est, quæ ex Deo sunt quæramus, nihil mundanum, nihil quod ad hanc vitam pertineat. Non solum ergo, inquit, opus est ut oremus sine intermissione, sed etiam ut vigilantes ; *Et ad hoc ipsum*, inquit, *vigilantes.* Sive hic dicat pernoctationes, sive etiam animæ sobrietatem, utrumque admitto. Vides quomodo vigilaret illa Chananæa, et Domino non respondente, sed etiam repellente, et eam canem appellante, illa diceret, *Etiam, Domine : nam et catelli comedunt ex micis quæ cadunt ex mensa dominorum suorum* (*Matth.* 15. 20) : nec destitit antequam assequuta fuit petitionem ? et quomodo vidua illa clamavit, et tamdiu perseveravit, donec pudore affecerit principem, qui neque Deum timebat, neque hominem verebatur ? et quomodo amicus intempesta nocte perseveravit, donec effecerit ut vigilaret, sua assiduitate incusso illi pudore ? Hoc est vigilare. Vis discere vigiliam animæ ? vade ad Annam, et audi verba ejus : *Adonai, Eloi, Sabaoth* (1. *Reg.* 1. 11). Imo vero audi quæ illa verba præcesserunt. Surrexerunt, inquit, omnes a mensa : illa vero non ad somnum est conversa, non ad quietem. Unde mihi videtur etiam in mensa sedisse levis, nec ullis cibis gravata, alioqui non tam multas emisisset lacrymas. Nam si nos, cum sumus jejuni, vix oramus, imo vero ne sic quidem umquam oramus : multo magis illa post mensam non orasset, nisi etiam in mensa fuisset similis jejunantibus. Nos viros pudore suffundat hæc mulier ; nos pudeat qui pro regno supplicamus et oscitamus, quod ea oret pro filio et fundat lacrymas. *Et stetit*, inquit, *coram Domino*, et quid dicit ? *Adonai Domine, Eloi sabaoth.* Id est autem, si interpreteris, Domine Deus virtutum seu exercituum. Linguam præcurrebant lacrymæ ; his sperabat se Deum esse flexuram. Ubi sunt lacrymæ, omnino etiam illic est afflictio : ubi autem est afflictio, illic quoque est multa philosophia et attentio. *Si audiens*, inquit, *exaudias orationem ancillæ tuæ, et dederis mihi filium, dabo ipsum Domino toto tempore.* Non dixit, Anno uno, aut duobus, sicut nos ; nec dixit, Si dederis mihi filium, do pecunias ; sed, Ipsum donum reddo integrum, primogenitum, orationis filium. Hæc filia erat Abrahæ. Ille autem rogatus eum dedit ; ipsa vero dedit etiam ante petitionem. Sed hinc etiam vide ejus pietatem. *Vox ejus*, inquit, *non audiebatur ; labia autem ejus movebantur.* Sic accedit ad Deum qui vult impetrare, non mollis et ignavus, neque oscitans, nec dissolutus, neque se fricans, neque torpens ac negligens. Annon enim poterat dare Deus etiam absque oratione ? an nesciebat etiam ante petitionem mulieris desiderium ? sed si dedisset ante petitionem, non apparuisset mulieris animi alacritas, non fuisset

manifesta ejus virtus, non tantam acquisiisset mercedem. Quamobrem dilatio non erat invidiæ, sed curæ ac providentiæ.

4. *De Anna matre Samuelis.* — Quando ergo audieris Scripturam dicentem, *Quod conclusit ejus vulvam, et quod ipsam ad iram provocabat ejus æmula*, cogita ipsum ostendere velle mulieris philosophiam. Considera enim : habebat maritum inservientem sibi : dixit enim ad eam, *Non ego tibi sum melior quam decem filii ? Et ipsam*, inquit, *ad iram provocabat ejus æmula ;* hoc est, probris afficiebat, insultabat : et eam numquam est ulta, neque illi est imprecata, neque dixit, Quoniam me probris afficit æmula, me vindica. Habebat illa filios ; sed hæc habebat mariti dilectionem ex æquo ei respondentem. Hoc ergo ipsam consolatus est dicens, *Non tibi sum melior quam decem filii ?* Sed rursus videamus mulieris philosophiam. *Et existimavit*, inquit, *Heli eam ebriam.* Sed vide quid ipsa ei dicat, *Ne reputes*, inquit, *ancillam tuam filiam perditionis, quoniam ex multitudine meditationis meæ liquefacta sum huc usque.* Hoc est vere contriti cordis, quando non sumus asperi in eos qui nos contumeliis afficiunt, quando non ægre ferimus, quando nos excusamus. Nihil æque facit animam philosophia præditam atque afflictio : nulla res est æque jucunda, atque luctus qui secundum Deum est. *Ex multitudine meditationis meæ*, inquit, *liquefacta sum huc usque.* Hanc omnes imitemur. Audite quotquot estis steriles, et audite quæcumque amatis filios, audite et viri et mulieres : nam viri quoque sæpe contulerunt. Audi Scripturam dicentem : *Et oravit Isaac pro uxore sua Rebecca, quoniam erat sterilis* (*Gen.* 25. 21). Magnas enim res potest oratio. *In omni*, inquit, *instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis, et pro me ;* seipsum ponens ultimum. Quid facis, o beate Paule, teipsum ponis ultimum ? Etiam, inquit, *Ut detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium evangelii, pro quo legatione fungor in catena.* Ubi fungeris legatione ? Apud homines, inquit. Papæ, quanta Dei benignitas ! misit e cælis qui pro ipso fungerentur legatione pro pace : et eos captos vinxerunt homines, et ne legem quidem publicam sunt reveriti, quod ei qui legatione fungitur nihil umquam fiat mali. Sed tamen ego legatione fungor in catena. Urget catena os obstruens loquendi libertati, sed vestræ preces os meum aperiunt, ut in eo libere dicam, ut me oportet loqui ; id est, Ut ea omnia dicam ad quæ dicenda sum missus. *Ut autem et vos sciatis, quæ circa me sunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus carissimus frater, et fidelis minister in Domino.* Si est fidelis, nihil mentietur, sed omnia vera dicet. *Quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis, quæ circa nos sunt, et consoletur corda vestra.* Papæ, quanta caritas ! Ne liceat volentibus vos terrere ; est enim virisimile eos fuisse in rebus adversis et molestis : illud enim, *Consolabitur corda vestra*, hoc subindicat. Ne sinat, inquit, vos dejici. 23. *Pax fratribus et caritas cum fide a Deo Patre et Domino Jesu Christo.* Optat eis pacem, et caritatem cum fide. Recte dixit ; vult enim eos non utcumque habere rationem caritatis, nec se admiscere cum iis qui sunt diversæ fidei. Aut hoc, aut illud dicit, ut et ipsi fidem habeant, et de futuris confidant. Pax erga Deum et caritas. Nam si sit pax, erit etiam caritas : si caritas, erit etiam pax. *Cum fide.* Nihil enim prodest caritas absque fide ; imo vero ne aliter quidem fuerit caritas. 24. *Et gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione. Amen.* Hic divisit, seorsum posita pace et gratia. *In incorruptione*, inquit, *Amen.* Quid est, *In incorruptione ?* Aut in honestate et moderatione, aut pro iis in quos non cadit corruptio ; nempe non in divitiis, non in gloria, sed in illis in quæ non cadit corruptio. Illud, *in*, idem est quod, *per.* Per incorruptionem, inquit ; hoc est, per virtutem. Omne enim vitium est corruptio, et sicut virginem corrumpi dicimus, ita etiam animam. Propterea dicebat Paulus, *Ne corrumpantur sensus vestri* (2. *Cor.* 11. 3) ; et rursum alibi, *In doctrina incorruptionem* (*Tim.* 2. 7), inquit.

5. Quid est enim, dic mihi, corruptio corporis ? annon dissolutio totius, et ejus compositionis ? Hoc etiam fit in anima, in eam ingresso peccato. Pulchritudo enim animæ est temperantia, justitia ; sanitas animæ est fortitudo, prudentia. Nam qui est turpis et inhonestus, est deformis, et qui est avarus, et qui se dedit rebus malis, et qui est timidus, ignavus et imbecillus, est malæ habitudinis. Quod vero peccata operentur corruptionem hinc palam est : faciunt enim turpes et imbecillos, et efficiunt ut laborent et defatigentur. Corruptam enim esse virginem, etiam ideo proprie dicimus, non quod corrumpatur corpus solum, sed propter iniquitatem : nam id quod fit est coitus ; si hoc autem esset corruptio, esset etiam matrimonium corruptio. Non coitus, sed peccatum est corruptio : ipsum enim dedecore affecit. Domus autem quid fuerit corruptio, quam dissolutio ? Et ubique corruptio est quædam in deterius mutatio, quæ fit in alium habitum, et ad deletionem ejus quod erat prius. Audi enim Scripturam dicentem, *Corrupit omnis caro viam suam* (*Gen.* 6. 12) ; et rursus, *In corruptione intolerabili ;* et rursus, *Homines corrupti mente* (2. *Tim.* 3. 8). Corruptibile est corpus nostrum, sed anima incorruptibilis. Ne itaque ipsam corrumpamus : hoc fecit prius peccatum ; quod fit autem post lavacrum, potest etiam animam corrumpere, et efficere ut facile capi possit a verme immortali : non enim attigisset, nisi corruptibilem invenisset animam. Adamantem non attingit vermis, et si attigerit, nihil efficit. Ne corrumpas animam : nam quod corrumpitur, plenum est fœtore. Audi enim prophetam dicentem, *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* 37. 6). Ipsa autem corruptio induet incorruptionem ; hæc vero non itidem : ubi est enim incorruptio, non est corruptio. Quamobrem corruptio est incorruptibilis, finem non habens, est mors immortalis ; quod quidem futurum erat si corpus mansisset immortale. Quamobrem, si illuc exiverimus

habentes corruptionem, habebimus corruptionem incorruptibilem, finem non habentem. Uri enim et a verme perpetuo consumi, est corruptio, in quam non cadit incorruptio : quod erat et in beato Job (*Job* 7. 5. *in Græco*) : corrumpebatur enim, et non peribat, et hæc per multum temporis ; sed semper corrumpebat terræ glebas, saniem eradens. Tale quid tunc patietur anima, eam circumsistentibus et arrodentibus vermibus, non duos annos, nec tres, nec decem, nec centum, nec decies mille, sed qui numquam finientur : *Vermis* enim, inquit, *eorum non morietur* (*Marc.* 9. 45). Timeamus ergo, rogo, timeamus verba, ne in res ipsas incidamus. Avaritia est corruptio, corruptio omnium gravissima, inducens ad idololatriam : fugiamus corruptionem, eligamus incorruptionem. Hunc quidem aut illum per avaritiam fraudasti et plura acquisivisti ? Quæ per avaritiam sunt acquisita corrumpuntur, manet autem avaritia, corruptio causa incorruptionis : transit quidem voluptas qua frueris, manet autem peccatum in quod non cadit corruptio. Grave est malum non in præsenti vita omnia exuere : magna est calamitas hinc excedere habentes magna peccatorum onera : nam *In inferno*, inquit, *quis confitebitur tibi* (*Psal.* 6. 6) ? Illic est judicium, pœnitentiæ jam non est tempus. Quantum flebat dives ? et nihil effecit ? Quam multa dixerunt qui Christum non aluerunt ? sed tamen abducti sunt in ignem æternum. Quam multa dixerunt qui iniquitatem fecerunt, *Domine, non in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus* (*Matth.* 7. 22)? et tamen non sunt cogniti. Omnia hæc quidem tunc fiunt, sed nihil juvant nisi nunc facta fuerint. Timeamus ergo ne forte tunc dicamus, *Domine, quando te vidimus esurientem, et non aluimus* (*Ibid.* 25. 37)? Nunc ipsum nutriamus, non uno, aut duobus, aut tribus diebus : *Eleemosynæ* enim, inquit, *et fides te non deserant* (*Prov.* 3. 3). Non dixit, Fac semel, neque bis : nam virgines habebant oleum, sed non sufficiens. Quamobrem nobis multo opus est oleo, et nos tamquam frugiferam olcam oportet esse in domo Dei. Cogitemus ergo quam multas peccatorum sarcinas habet unusquisque nostrum, faciamusque benignitatis et clementiæ opera, quæ eis in æquilibrio respondeant, imo vero etiam longe plura, ut non solum exstinguantur peccata, sed etiam ad justitiam nobis reputentur opera justitiæ. Nam si non sint tam multa bona, ut et crimina exuamus, et ex iis quæ sunt relicta nobis imputentur ad justitiam, nemo nos eximet a supplicio : quod nobis omnibus detur effugere, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto, etc.

MONITUM

AD HOMILIAS S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

Homiliæ istæ seu Sermones inscribuntur in quibusdam exemplaribus cum editis tum manuscriptis : uterque titulus, librariorum arbitrio positus, his concionibus apprime competit ; nec est ea de re disceptandum. Non desunt etiam, qui argumentum, in fronte positum, aut homiliam primam aut sermonem primum inscribant. Et vere licet initio hypothesis munere fungatur, in sequentibus tamen concionandi forma proceditur, demumque per moralem adhortationem clauditur, uti solet orator noster in fine concionum suarum facere. Quapropter utrumvis licuit titulum apponere ; nec est quod res levissima nos diutius distineat. Hinc autem evenit, ut apud alios quindecim tantum homiliæ in Epistolam ad Philippenses numerentur, apud alios autem sexdecim, adjecta nempe in homiliarum numero hypothesi illa, quæ cæteras præcedit.

Jam quæritur pro more Antiochiæne an Constantinopoli has homilias habuerit. Constantinopoli habitas putat seu potius suspicatur Tillemontius, ex Photii sententia argumenta ducens, qui dicit illas, quas Antiochiæ protulit Chrysostomus conciones, elegantiores accuratioresque esse iis, quas habuit Constantinopoli. Atqui putat ille explicationem locorum Scripturæ non ea accuratione hic factam videri, quam in cæteris Scripturæ interpretationibus observamus ; tamenque fatetur ille morales adhortationes in hisce ad Philippenses homiliis accuratas elegantesque esse. Nihilominus autem ex illa locorum Scripturæ sacræ breviori et minus accurata, ut ille dicit, interpretatione, eam in partem propendere videtur, ut Constantinopoli habitas pronuntiet.

Verum illam Photii regulam fallacem admodum esse, maxime si generatim accipiatur, fatetur ipse quoque Tillemontius, cui nos hac in re adstipulamur. Licet enim quædam conciones quas initio cum junior esset, Antiochiæ habuit, elegantia cæteris præstare videantur, quales sunt illæ viginti duæ ad Antiochenos de statuis anno 387 habitæ ; in cæteris utique multæ quæ Constantinopoli dictæ fuere, aliis Antiochenis longe præstant elegantia et accuratione, ut etiam ipse dicit Tillemontius. Quod autem adjicit ille, Scripturæ sacræ loca hic brevius et minus accurate explicari, in quibusdam fortasse locis deprehendas. At insigniora loca Chrysostomus accuratius expendit quam in cæteris soleat ; ita ut etiam, postquam in præcedenti homilia pluribus illa explicavit in sequenti quoque eadem retractet, quod non semel observes. Quamobrem omnibus sedulo perpensis nullam inde conjecturam duci posse existimo, qua illas vel Antiochiæ vel Constantinopoli habitas fuisse pronuntiemus.

Verum aliud offertur argumentum, quo probetur,

ni fallor, Joannem nostrum Constantinopoli homilias hasce in Epistolam ad Philippenses concionatum esse. Id vero desumitur ex homilia nona num. 4. et seqq., ubi Chrysostomus, postquam dixerat, cives et populum annuas summas, τελέσματα, sacerdotibus ad victum et cultum suppeditare, adjicit, nonnullos esse, qui eosdem sacerdotes carperent et dicteriis incesserent, si viderent eos honestius indutos, famulum habentes, et necessariis rebus instructos. Fatetur quidem ipse, jure vituperandos sacerdotes esse, si pensionibus hujusmodi ad luxum et superfluos sumptus uterentur; non perinde vero, si necessaria ad honestum cultum exciperent. Sic ille inter sacerdotes et populum judex sedere videtur. Sed quod magis urget; postquam populum objurgavit de improperio sacerdotibus illato, et id pœna dignum esse dixit; hæc subjicit: *Sed quid agam? pater sum: multa etiam ultra, quam oportet, filiis gratificantur patres.* Sic ille qui inter populum et sacerdotes judex sedet, se patrem esse dicit: unde arguitur illum summum antistitem et episcopum fuisse; atque adeo Constantinopoli has homilias habitas fuisse: nam Antiochiæ presbyter tantum erat.

Plurima in hisce homiliis observatu dignissima occurrunt. Initio homiliæ primæ dicit Chrysostomus, temporibus apostolicis nomina episcopi, presbyteri et diaconi communia fuisse, episcopumque presbyterum, imo nonnumquam diaconum vocatum fuisse. Exemplaque affert ex Epistolis Pauli educta.

Homilia tertia num. 4 exsequiarum sui temporis modum carpit, ubi multa ad ostentationem et pompam adhibebantur, et præficæ adhuc veterum Græcorum more comparebant, ad spectaculum vocatæ. Dicit autem ille, quod est observandum, ab apostolis ipsis constitutum fuisse ut in tremendis mysteriis memoria defunctorum fieret.

In hæc apostoli verba, *Hoc enim sentiatur in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, etc, hæreticorum primipilares multos adducit, qui hanc doctrinam labefactare conati sunt; ipsosque paucissimis licet verbis egregie confutat et prosternit. Quæ de hæresibus omnibus in hoc ingenti operum decursu S. doctor dixit, in diatriba singulari proferemus Tomo XIII.

Homilia decima num. 3 incredibilia pene dicit de luxu sui temporis, de auri copia, qua non modo mulieres, sed etiam muli et equi ornabantur; de ædium magnificentia, quæ non tantum columnis, marmoribus, porticibus et statuis decorabantur; sed quarum etiam tecta aurea, sive, ut credere est, deaurata erant.

Sub finem postremæ demum homiliæ, ut quam fluxæ, quam calamitatibus obnoxiæ res mortales sint comprobet, strages, cædes et infortunia, quæ in aula Imperatoria, sua et patrum memoria, contigerant, recenset; sed tacitis semper imperatorum aliorumque nominibus; ita ut nonnisi cum labore ingenti potuerimus magnam illorum partem in notis explicare. In quibusdam enim frustra quos memorare vellet hactenus perquisivimus; non modo quia ille hæc carptim admodum refert, sed etiam quia res diverse narrat, nec cum aliis scriptoribus consentit.

Interpretationem Latinam Flaminii Nobilii retinuimus, sed innumeris in locis emendatam.

SANCTI PATRIS NOSTRI

JOANNIS CHRYSOSTOMI,

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES COMMENTARIUS [a].

ARGUMENTUM.

1. Philippenses sunt cives unius ex Macedoniæ civitatibus, quam Philippos vocant a conditore civitatis, quæ est colonia, quemadmodum Lucas inquit. Hic purpuraria conversa est mulier valde pia, atque attenta; hic archisynagogus credidit; hic Paulus una cum Sila virgis cæsus est; hic a magistratibus rogati sunt ut exirent, ac timori illis fuerunt, splendidumque habuit evangelii prædicatio principium (*Act.* 16. 13. *sqq. coll.* 18. 7. 8). Multa vero, et magna de illis ipse quoque Paulus testatur, coronam suam illos vocans, et multa passos esse dicens: *Vobis enim datum est*, inquit, *a Deo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini* (*Philipp.* 1. 29). Evenit autem, ut quo tempore ad eos scribebat, in vinculis esset. Propterea inquit, *Ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio* (*Ibid. v.* 13); prætorium vocans Neronis [1] palatium. Verum e vinculis, in quibus fuerat, dimissus est, idque ostendit ad Timotheum scribens: *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur: Dominus autem mihi adsistit, et confortavit me* (2. *Tim.* 4. 16. 17). Vincula igitur illa significat, quæ defensionem istam antecesserunt. Nam ipso qui-

(*a*) Hos sermones contulimus cum Coisliniano Codice et cum Colbertino altero, itemque cum Regio in quo initium deest et paucissima habentur.

[1] Vox, *Neronis*, deest in Coislin.

dem defensionis, ac liberationis tempore minime adfuisse Timotheum constat : inquit enim, *In prima mea defensione nemo mihi adfuit.* Idque ostendit scribens sic : non enim illi per literas nuntiasset, quod notum ipsi esse sciret. Quo autem tempore hanc scribebat epistolam, Timotheus una secum aderat : idque verbis istis ostendit : *Spero autem in Domino Jesu Timotheum me cito mittere ad vos;* et rursus, *Hunc igitur spero me cito mittere ad vos, mox ut videro, quæ circa me sunt* (*Philipp.* 2. 19. 23). E vinculis enim dimissus est; atque in ea, postquam ad ipsos venisset, rursus conjectus. Quod enim inquit, *Sed etsi immolor supra sacrificium, et obsequium fidei vestræ* (*Ibid. v.* 17); non ita dicit, quasi nunc fieret; sed Quoniam si id eveniat, et quandocumque eveniat, gaudeo, inquit, revelans illos mœrore, quem ex ipsius vinculis conceperant : nunc enim non mortem obiturum fuisse, ex illis verbis perspicuum est : *Confido autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito ;* et rursus, *Et hoc confidens scio quia manebo, et permanebo omnibus vobis* (*Philipp.* 2. 24. *et* 1. 25). Miserant autem ad eum Philippenses Epaphroditum, qui pecunias ad ipsum afferret, et quo loco res ipsius essent cognosceret : nam peramanter affecti erga illum erant. Quod enim ab illis missus Epaphroditus fuerit, audi ipsum dicentem : *Habeo autem omnia, et abundo, repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis* (*Philipp.* 4. 18). Ob hanc igitur causam miserant, ut et illum consolarentur, et res illius cognoscerent. Nam quod et hoc cognituri miserint, in ipso statim epistolæ initio ostendit, de suo statu scribens, ac dicens : *Scire autem vos volo, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt evangelii* (*Philipp.* 1. 12); et rursus, *Spero autem Timotheum me cito mittere ad vos, ut et ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt* (*Philipp.* 2. 19). *Ut et ego*, perspicue hoc significat : ut quemadmodum vos, quo vobis animum expleretis, misistis ad mea cognoscenda : ita et ego, *Ut bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt.* Quoniam igitur cum longo jam intervallo non misissent, sed tunc miserant (id enim indicat illis verbis, *Quoniam tandem aliquando reflоruistis pro me sentire* [*Philipp.* 4. 12]) ; audiebantque tunc ipsum in vinculis esse (nam si de Epaphroditi mala valetudine audierant, hominis non valde clari, qualis quidem Paulus erat, multo magis de Paulo); et consentaneum erat ipsos perturbari ; idcirco in epistolæ proœmio multam inducit consolationem pro ipsis suis vinculis, ostendens tantum abesse, ut inde perturbari oporteat, ut gaudendum potius sit. Deinde consilium illis dat, ut etiam concordiam atque humilitatem colant, hoc illis tutissimum esse præsidium docens, atque hac ratione facile illos inimicis suis superiores fieri posse. Non enim doctoribus vestris molestum est in vinculis esse, sed discipulos inter se minime concordes videre. Illud enim vel ad provehendum evangelium facit; hoc vero ad disturbandum.

2. *Quomodo Paulus in epistola sua procedat. Philippensium laudes.* — Cum igitur illos ad concordiam esset cohortatus, concordiam vero ab humilitate proficisci docuisset, atque adversus Judæos, qui Christianismum prætendentes, omnibus modis dogmati officiebant, invectus esset, canes eos vocans ac malos operarios, atque ab illis abstinendum esse suasisset, et quibus rebus studendum esset admonuisset, multaque disseruisset de rebus ad mores pertinentibus, eosque composuisset ac recreasset verbis illis, *Dominus prope est* (*Philipp.* 4. 5) : tum vero ea, quæ ipsum decebat, prudentia rerum etiam ad se missarum mentionem facit, atque ita magnam affert consolationem. Facile autem animadvertere licet Paulum in scribendo hos potissimum honorifice tractare, nec quidpiam usquam interjicere, quod objurgandi vim habeat. Hoc vero magnum illorum virtutis argumentum est, nullam dedisse doctori occasionem objurgandi, omniaque ad eos non reprehensionis, sed suasionis modo esse scripta. Verum, ut nunc etiam repetam quod initio dicebam, magnam hæc civitas ad fidem ostenderat propensionem, quandoquidem custos ipse carceris (quam vero ejusmodi muneris administratio magna cum improbitate conjuncta esse soleat, non ignoratis) uno statim signo et accurrit, et baptizatus est cum tota familia sua. Ac signum quidem, quod factum est, ipse solus vidit, fructum vero ad lucrum non solus percepit, sed una cum muliere atque universa domo. Sed et magistratus ipsos, qui Paulum verberibus affecerunt, tumultu potius et impetu quodam, quam improbitate id fecisse ex eo intelligitur, quod cito illum dimitti jusserunt, atque in metu postea fuerunt. Testimonium autem illis dat non solum fidei et periculorum nomine, sed etiam beneficentiæ, ubi inquit, *Quod et in principio evangelii, et semel et bis in usum mihi misistis, nemine alio id præstante :* nam, *Nulla mihi*, inquit, *Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti* (*Ibid. v.* 15. 16). Quod si aliquando intermiserint, occasionem potius, quam voluntatem ipsis defuisse istis verbis ostendit : Non quod non de me bene sentiretis, inquit, sed occupati eratis. Id vero magnum erga ipsos amoris stimulum præ se fert. Quod enim vehementer eos dilexerit, hinc etiam manifestum : *Neminem enim habeo*, inquit, *tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit ;* et rursus, *Ex eo quod habeam vos in corde in vinculis meis* (*Ibid.* 2. 20. *et* 1. 7).

3. *Bona opera commendantur.* — Hæc igitur et nos intelligentes, ac tot habentes caritatis formulas atque exemplaria, præbeamus nos ipsos dignos hujusmodi exemplis, prompti ac parati pro Christo pati. Etenim hoc tempore non est, qui Christianos insectetur et vexet. Ergo, ubi nihil aliud, saltem efficacem et vehementem illorum beneficentiam imitemur, neque ubi semel atque iterum dederimus, omni officio perfunctos nos arbitremur : etenim per omnem vitam id faciendum est : non enim semel, sed perpetuo placere oportet. Nam qui currit, si decem circuitionibus, quas Græci vocant διαύλους, jam factis, postremam omittat, totum perdidit : ita et nos si ab incepto

bonorum operum cursu defecerimus, totum perdidimus, totum corrupimus. Audi perutilem admonitionem illis pronuntiatam verbis : *Eleemosynæ*, inquit, *et fides te non deserant* (*Prov.* 3. 3). Non dixit, Semel facito, aut bis, aut ter, aut decies, aut centies, sed perpetuo : *Te non deserant*, inquit. Nec vero dixit, Ipsas ne deseras, sed, *Ipsæ te non deserant;* ostendens nos esse, qui ipsarum egeamus, non ipsas nostri; docensque nihil nobis non faciendum esse, ut illas apud nos retineamus. *Circumda eas*, inquit, *gutturi tuo* (*Ibid*). Quemadmodum enim divitum filii decus aureum circa collum gestant, illudque numquam deponunt, quasi nobilitatis insigne circumferentes : ita et eleemosynam nobis ipsis circumdemus oportet, declarantes nos esse misericordis illius filios, qui solem exoriri facit super malos et bonos. At non credunt infideles? Quinimo per hæc credent, si nos hæc præstiterimus. Nam si viderint nos omnium misereri, illumque repræsentare præceptorem; ad illius imitationem hoc a nobis fieri intelligent. Neque vero utcumque fecisse satis est, sed cautio quædam præterea ac munimentum requiritur. Eleemosyna, inquit, et fides sit tibi vera. Recte dixit, Vera, non ex rapina, non ex furto : hoc enim non est fides, non est vera eleemosyna. Nam qui furatur, eum mentiri ac pejerare necesse est; tu vero non ita, sed una cum eleemosyna fidem quoque habeto, inquit. Circumdemus nobis istum ornatum; torquem hunc aureum animæ aptemus, eleemosynam dico, quamdiu scilicet hic fuerimus. Nam cum ætas hæc præterierit, non amplius illa utemur. Quid ita? Non sunt ibi pauperes, non sunt ibi pecuniæ, non est ibi mendicitas : quamdiu sumus pueri, ornatu hoc nos ipsos ne spoliemus. Quod enim in pueris evenit, ut cum ad virilem ætatem pervenerint, ista deponant, atque alium sibi assumant ornatum : idem quoque in nobis. Etenim illic non erit eleemosyna ista, quæ pecuniis fit, sed alia quædam longe major. Ne igitur interea hac nos privemus : operam demus, ut pulchram se et spectandam præbeat anima. Magnum eleemosyna bonum atque honoratum est, magnum donum, imo vero magna est bonitas : si didicerimus pecunias contemnere, etiam alia discemus. Vide enim quot hinc pariantur bona : qui dat eleemosynam quomodo danda est, is discit pecunias contemnere : qui pecunias contemnere didicit, is malorum radicem excidit. Quamobrem non tam facit beneficium, quam accipit; non idcirco solum, quod eleemosynæ constituta est merces ac retributio, verum etiam quod anima fit philosophica excelsaque ac dives. Qui eleemosynam dat, ad hanc disciplinam eruditur, ut pecunias atque aurum minime admiretur : qui vero hac disciplina instituit animum, næ ille præclarum ascendendi in cælum principium fecit; sexcentasque pugnæ, contentionis, invidiæ, mœroris occasiones amputavit. Nostis enim profecto, nostis et vos, ex pecuniis mala omnia, ex pecuniis sexcenta bella solere exsistere. Quamobrem qui illas contemnere didicit, tranquillo in portu seipsum locavit, nec damnum posthac metuit. Ad hanc enim disciplinam illum eleemosyna erudivit : non appetit posthac aliena; quomodo enim, cum sua etiam profundat ac donet? nulla jam erga divitem invidia tangitur; quomodo enim, cum pauper fieri velit? ipsumque animæ oculum ab omni labe purum reddit. Atque hæc quidem hic : quorum vero ibi bonorum compos futurus sit, nulla umquam oratio queat exponere. Non una cum stultis virginibus foris manebit, sed una cum prudentibus, una cum sponso introibit, splendidas habens lampades. Ita ob hanc ipsam eleemosynam iis, quæ in virginitate servanda valde laborarunt, longe præstabit, expers ipse laborum illorum : tanta est eleemosynæ virtus; alumnos suos magna cum libertate introducit. Nota enim est cæli janitoribus, qui sponsi fores custodiunt; nec vero nota solum, sed etiam hujusmodi, ut eam revereantur : eosque, a quibus se cultam noverit, magna cum liberate introducet; ac nemo contradicet, sed omnes cedent. Nam si Deum in terram adduxit, idque ipsi persuasit, ut homo fieret : multo magis hominem in cælum intromittere poterit : magna enim est ipsius potentia. Ergo si ex misericordia atque hominum amore Deus homo factus est, si eo, inquam, adductus est ut servus fieret; multo magis servos in domum introducet suam. Hanc amemus, hanc colamus, non uno aut altero die, sed per omne tempus, ut ipsa nos bene notos habeat. Nam si ea nos noverit, et Dominus noscet; sin ignoret, Dominus etiam ignorabit, ac dicet, Nescio vos. Verum absit, ut hanc nos vocem audiamus, sed beatam illam : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* 25. 34) : quod utinam nos omnes consequamur per gratiam et benignitatem, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri, etc.

HOMILIA I.

Cap. 1. v. 1. *Paulus et Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, coepiscopis et diaconis,* 2 *gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.*

1. Hic quasi ad æquali honore præditos scribens, non ponit suum magisterii nomen, sed aliud quiddam, illudque magnum. Quale vero istud? Servum seipsum nominat, non apostolum. Nam et hæc vere magna dignitas est, ac bonorum caput, servum esse Jesu Christi, et non tantum dici. Qui Christi servus est, hic a peccato liber est; et hoc ipso, quod germanus ac legitimus servus est, numquam committet, ut cujusquam alterius servus fiat : alioqui non esset Christi servus, nisi ex dimidia parte. Ac sane ad Romanos scribens, rursus ita inquit, *Paulus servus Jesu Christi* (*Rom.* 1. 1); ad Corinthios vero et Timotheum scribens apostolum seipsum nominat. Quid ita? Non ob eam certe causam, quod isti meliores essent Timo-

theo; absit, sed potius; quod præ omnibus, ad quos scribit, istos honoret et foveat : nam et magnæ virtutis testimonium ipsis dat. Præterea vero, cum ad illos scribenti multa essent constituenda et disponenda, ideo apostoli dignitatem præ se tulit. Illic vero nihil ipsis mandat præter ea, quæ etiam per se ipsi videbant. *Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis.* Quoniam verisimile erat Judæos etiam seipsos sanctos nominare ex priore illo oraculo, ubi dicti sunt populus sanctus et peculiaris (*Deut.* 7. 6. *et* 14. 2); propterea addit, *Sanctis in Christo Jesu.* Hi enim soli sancti, illi vero reliquo jam tempore profani.

Nomina Episcopi, Presbyteri et Diaconi initio communia. — Coepiscopis et diaconis. Quid hoc? an unius civitatis multi erant episcopi? Nequaquam, sed presbyteros isto nomine appellavit. Tunc enim nomina adhuc erant communia, atque ipse etiam episcopus vocabatur diaconus. Idcirco ad Timotheum scribens inquit, *Diaconiam*, id est, *ministerium tuum imple*, cum tamen ille episcopus esset. Quod constat ex verbis illis ad eumdem scriptis : *Manus cito nemini imposueris;* et rursus, *Quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii* (1. *Tim.* 5. 22. *et* 4. 14) : presbyteri vero episcopum non ordinassent. Et rursus ad Titum scribens inquit : *Hujus rei gratia reliqui te in Creta, ut constituas per civitates presbyteros : sicut et ego disposui tibi, si quis sine crimine est, unius uxoris vir* (*Tit.* 1. 5. 6) : quæ quidem de episcopo dicit. Atque hæc cum dixisset, statim addidit : *Oportet enim episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem, non superbum.* Antiquitus igitur, quemadmodum dicebam, ipsi etiam presbyteri vocabantur episcopi et diaconi Christi et episcopi presbyteri : quocirca vel hodie multi episcopi ita scribunt, Compresbytero, et Condiacono. Procedente vero tempore proprium cuique distributum est nomen, ut hic quidem episcopus, ille vero presbyter appelletur. *Coepiscopis*, inquit, *et diaconis, gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.* Hoc loco non abs re quæret quispiam, quid causæ sit, quamobrem cum nusquam alibi ad Clerum scribat, non ad eum qui Romæ, non qui Corinthi, non qui Ephesi, sed generatim dicat, Omnibus sanctis vel fidelibus, dilectis, hic ad Clerum scribat? Nimirum, quoniam clerici ipsi fuerant, qui literas ad eum dederant et fructum protulerant, ipsique ad eum miserant Epaphroditum. 3. *Gratias ago Deo meo*, inquit, *in omni memoria vestri semper.* Alibi ita scripsit : *Obedite præpositis vestris et subjacete; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes* (*Hebr.* 13. 17). Si igitur gemere ex vitio discipulorum est, cum gaudio id facere, ex profectu erit. Hoc igitur est, quod ait : Quoties cumque, inquit, vestri memoriam repeto, Deum glorifico. Id vero facit, quod multorum illis bonorum conscius esset. Et glorifico, inquit, et precor. Non enim, quoniam virtutis viam ingressi estis, finem precandi pro vobis facio, sed persto adhuc in oratione. *Gratias*, inquit, *ago Deo in omni memoria vestri* 4. *semper, in omni oratione mea pro omnibus vobis cum gaudio etiam deprecationem faciens. Semper :* non solum, quando precor. Recte autem addidit, *Cum gaudio.* Est enim et cum mœrore id facere; quemadmodum alibi dicit, *Nam ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas. Super communicatione vestra*, inquit, *in evangelium a prima die usque nunc* (2. *Cor.* 2. 4).

2. Magnum quiddam est, de quo illis testimonium hoc loco dat, et valde magnum, quodque apostolis et evangelistis dari solitum. Non quoniam una, inquit, civitas vobis commendata ac credita est, illam solam curatis; sed nihil omittitis, ut laborum meorum participes sitis, ubique præsentes, vestramque operam ac diligentiam una mecum in prædicatione collocantes : non semel, bisve aut ter, sed semper ex eo tempore, quo credidistis, usque ad hunc diem apostolorum plane studium atque alacritatem repræsentastis. Vide eos quidem, qui Romæ erant, ab illo sese avertisse; audi enim illum dicentem : *Scis hoc, quod aversi sunt a me omnes, qui in Asia sunt;* et rursus, *Deus me reliquit;* et, *In prima mea defensione*, inquit, *nemo mihi adfuit* (2. *Tim.* 1. 15. *et* 4. 9. 16); hos autem etiam cum aberant, illius sibi incommoda communia duxisse : quippe cum et certos homines ad illum mitterent, et pro viribus quæ opus erant subministrarent, omninoque nihil omitterent. Atque hoc facitis, inquit, non solum nunc, sed perpetuo, omni ratione subsidium afferentes. Ergo subsidium ferre, hoc est communicatio in evangelium. Etenim quando ille quidem prædicat, tu vero prædicantem foves et adjuvas; illius coronæ communes tibi fiunt. Nam et in externis certaminibus non ad illum tantum qui certat corona pertinet, sed etiam ad prædotribam, et ad ministrum, omninoque ad omnes illos, quicumque athletam instituerunt. Etenim qui illum confirmant, ac recreant, eos victoriæ quoque participes fieri æquum est. Itidem vero in bellis non solus ille qui præclarum facinus edidit, sed omnes etiam qui ei utilem operam dederunt, non injuria ad tropæorum gloriæque partem vocantur : perinde ac si diligens illa opera, et ministerium pars quædam ac societas certaminis fuerit. Atqui sanctis inservire, non parvum quiddam est, sed multum omnino valet : nobis enim communes facit repositas illis mercedes. Exempli causa, profudit quispiam magnam pecuniæ vim propter Deum, assidue adhæret Deo, eximiæ virtutis officiis fungitur, magnam adhibens diligentiam, ne vel in verbis aut cogitationibus ipsis, ullave alia re labatur : in tua manu est, quamvis tantumdem diligentiæ non adhibueris, repositas illi pro tot laboribus mercedes communes tibi facere. Quomodo? Si illum cures foveasque et sermone et reipsa; si consoleris cum suppeditans necessaria, tum in omni ministerio inserviens : tu enim is eris, qui asperam illam viam faciliorem ipsi facies. Quamobrem, si admiramini illos qui in eremo vivunt, qui vitæ rationem plane angelicam susceperunt, qui in Ecclesiis eadem atque illi virtutis obeunt munera : si admiramini, inquam, ac doletis tam longo vos intervallo ab illis

abesse : licet vobis alia quadam ratione cum illis coire societatem, id est inserviendo, curando ac fovendo. Nam et hoc Dei benignitatis est, eos etiam qui negligentiores sunt, nec duram illam, asperam, exquisitam vivendi rationem suscipere possunt, rursus per aliam viam ad eumdem atque illos gradum provehere. Atque hoc illud est, quod Paulus communionem vocat : Communicant nobis, inquit, et impartiunt carnalia ; et nos illis communicamus spiritualia (*Rom.* 15. 27). Nam quemadmodum Deus pro exiguis ac nullius ponderis rebus regnum largitur : ita et illius servi pro exiguis ac sensilibus spiritualia impartiunt ; imo vero ipse est, qui per hos et hæc et illa dat. Non potes jejunium ferre ? non solitudinem ? non humi cubare ? non integras noctes vigilare ? Licet tibi harum omnium rerum mercedem accipere, si alia quadam ratione rem tuam gesseris : nempe si eum, qui istos labores capit, cures, recrees, foveasque assidue, et laborem qui in illis certaminibus sustinetur levem reddas. Ille quidem stat pugnans ac vulnera excipiens ; tu vero a certamine redeuntem, cura, obviis manibus suscipe, sudorem absterge, recrea, solare, lassam animam fove ac refice. Profecto si tanta cum alacritate sanctis inserviamus, participes mercedum quæ illos manent erimus. Hoc et Christus docet, *Facite vobis amicos de mamona iniquitatis, ut recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* 16. 9). Vides quomodo isti participes facti fuerint ? *A prima die*, inquit, *usque nunc*. Ob hoc ipsum, inquit, gaudeo. *Super communicatione vestra*. Gaudeo autem non de præteritis tantum, sed etiam de futuris : nam ex præteritis de istis quoque conjecturam facio. 6. *Confidens hoc ipsum*, inquit, *quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi*.

3. *In bonis operibus Deus agit, et nos cum Deo.*— Vide quomodo illos modestiam etiam tueri doceat. Etenim quoniam magnum quiddam erat, quod de illis testatus fuerat ; ne humani quid patiantur, protinus ipsos instituit, ut et præterita et futura ipsi Christo accepta referant. Quomodo ? Non dixit, Confido, quemadmodum cœpistis, ita etiam perfecturos, sed quid ? *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet :* neque ipsorum in recte facto aliquas fuisse partes negat ; dixit enim, *Gaudeo super communicatione vestra ;* nimirum tamquam ipsi recte se gessissent : neque tamen ipsis dumtaxat recte facta assignat, sed principaliter Deo : *Confido* enim, inquit, *quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi ;* id est Deus. Nec vero solum de vobis, inquit, sed etiam de iis, qui ex vobis orientur, hoc spero. Nam et hæc non exigua laus est, nempe Deum in aliquo operari. Etenim si ille personarum acceptator non est, quemadmodum certe non est, sed ad cujusque propositum spectans nobis in virtutis officiis obeundis opitulatur : satis constat nos ipsos esse, qui occasionem demus cur ille nobis concilietur. Quare hac etiam ratione illos laudem esse promeritos minime negavit : alioqui si absolute ageret, nihil sane impedimenti erat, quominus et Græci et omnes omnino homines agerent ; si, inquam nos perinde ac ligna, et lapides moveret, neque partes etiam nostras desideraret. Quamobrem, cum, inquit, *Deus perficiet*, et hoc rursus ad illorum laudem pertinet, quippe qui Dei gratiam ita sibi conciliarint, ut ipsis cooperaretur ad naturæ humanæ conditionem exsuperandam. Atque alia etiam ratione hac in re laus inest, nimirum, quod talia sint vestra recte facta, ut minime humana sint, sed divino actu sit opus. Quod si Deus perficiet, non maximus capiendus erit labor, sed confidere oportet, facile a nobis omnia præstitum iri, quippe qui ab illo adjuvemur. 7. *Sicut est justum me hoc sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde, et vinculis meis, et in defensione mea, et confirmatione evangelii, quod omnes vos una mecum participes estis gratiæ.* Magnam interea desiderii vim hoc loco ostendit, siquidem illos in corde habebat, atque in ipsomet carcere vinctus Philippensium recordabatur. Non vulgaris virorum laus, esse in memoria sancti hujus : non enim illius dilectio ex inconsiderato quodam animi motu, sed judicio ac bene cogitata ratione exsistebat. Quamobrem diligi aliquem a Paulo adeo vehementer, satis argumenti est, magnum esse illum atque admirabilem. *Et in defensione*, inquit, *et confirmatione evangelii.* Et quid mirum, si in carcere illos in corde haberet ? Nam neque illo tempore, inquit, quo ad tribunal accedebam dicturus causam, ex animo meo effluxistis. Tanta enim violentia est amoris spiritualis, ut nulli cedat ille tempori, sed amantis animam perpetuo complectatur, nullaque calamitate aut dolore vinci sinat. Etenim quemadmodum in fornace Babylonica, cum tantum esset excitatum incendium, ros tamen erat beatis illis pueris : ita etiam amicitia, ubi semel amantis Deoque accepti hominis apprehendit, omnem exstinguit flammam, roremque admirabilem spargit. *Et confirmatione evangelii*, inquit. Ergo vincula erant confirmatio evangelii, ergo erant defensio ; ac jure quidem. Nam si vincula detrectasset, impostoris omnino speciem præbuisset : nunc vero omnia tolerans, et vincula et calamitatem, plane demonstrat non se humanam aliquam ob causam hæc pati, sed propter Deum, qui mercedem reddere solitus est. Nemo enim fuerit, qui et mori et tot adire pericula statuat ; nemo qui tanti Imperatoris, Neronem dico, offensionem subeat, nisi alium multo majorem Imperatorem intueretur. Erant igitur vincula confirmatio evangelii. Vide quomodo, ut plenius atque abundantius quod vult obtineat, omnia in contrariam partem converterit. Quod enim infirmitatis et criminis loco putabant, id confirmationem vocat : ut nisi id evenisset, infirmitate laboraturus fuerit. Deinde ostendit dilectionem non temere, sed judicio susceptam. Unde ? *Habeo vos*, inquit, *in vinculis meis, et in defensione, eo quod una mecum participes estis gratiæ.* Quid hoc est ? hoc ipsumne erat apostoli gratia, vinciri, jactari, sexcentas ferre acerbitates ? Maxime : nam, *Sufficit tibi*, inquit, *gratia mea ; virtus enim mea in infirmitate perficitur. Propter quod placeo mihi*,

inquit, *in infirmitatibus, in contumeliis* (2. *Cor.* 12. 9. 10). Quando igitur video vos factis ipsis virtutem ostendere, atque hujus gratiæ esse participes, idque alacriter, nec immerito has conjecturas facio. Nam qui vos fuerim expertus, ac præ omnibus vos et vestra benefacta norim, qui vel tanto a nobis intervallo sejuncti, omnem contentionem adhibetis ne in calamitatibus a nobis sejungamini, sed periculorum quæ pro evangelio subeunda sunt participes sitis, et procul positi nihil minus me ipso habeatis, qui in certamina ipsa descendi; æquum plane est, ut hæc relinquam testata. Cur autem non dixit Participes, sed, *Una mecum participes?* Et ego ipse, inquit, alteri impertio, ut una fiam particeps evangelii (1. *Cor.* 9. 23), id est bonorum, quæ pro evangelio nos manent. Ac mirum profecto est, omnes illos ita affectos animo fuisse, ut a Paulo vocari possent sui participes : ita enim inquit, *Quod omnes vos una mecum participes estis gratiæ.* Hæc igitur initia fidem mihi faciunt, vos usque ad finem tales fore. Vix enim fieri potest, ut principium adeo splendidum exstinguatur, atque evanescat, sed magnos quoque ac præclaros exitus præstat.

4. Quoniam igitur alia quadam ratione licet esse participem gratiæ et periculorum et calamitatum, obsecro ego vos, simus nos quoque participes. Quam multi ex iis qui hic sunt vellent? quinimo omnes velletis participes esse Pauli in repositis illis bonis. Atqui licet, si vultis, facile, istud assequi, si iis qui ministerium illius repræsentant, iis qui pro Christo male accipiuntur, velitis subsidium alacriter ferre, opitulari, manum porrigere. Vides periclitari fratrem? porrige manum. Vides præceptorem prælio appetitum? assiste. At enim dicis, nemo est qui Paulo comparari queat. En subito animi elatio, subito judicant. Neminem prope ad Paulum accedere, ego quoque fateor : verumtamen, *Qui recipit*, inquit, *prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet* (*Matth.* 10. 41). Num Philippenses ob eam causam admirabiles erant, quod Paulum adjuvabant? Non, inquam, ob eam causam, sed quoniam communicabant ei, qui evangelii prædicationem susceperat. Propterea Paulus honorem promerebatur, quoniam hæc patiebatur pro Christo. Qualis Paulus, nemo est. Quid dico, qualis Paulus? nemo est qui ad beatum illum vel prope accedat : prædicatio autem eadem est, quæ illo tempore erat. Nec tantum, dum in vinculis erat, ei communicabant, sed etiam a principio : audi enim ipsius verba, *Scitis autem et vos, Philippenses, quod in principio evangelii nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli* (*Philipp.* 4. 15). Ac sane omissis etiam periculis, multas habet molestias præceptor : vigilias, dicendi ac docendi laborem, reprehensiones, accusationem, querelas, obtrectationes, invidiam. Levia hæc, dic mihi, sexcentis se linguis exponere, cum liceret sua unius procurare? Heu quid mihi animi est? duabus rebus interclusus, hæsito, atque hæreo. Nam cum vos et admonere et cohortari cupio, ut sanctos Dei foveatis omnique ope juvetis; tum vero metuo ne cui alia quædam incidat suspicio, nimirum hanc mihi orationem non vestri, sed illorum causa esse susceptam. Verum scitote hæc a me non illorum, sed vestra ipsorum causa dici, idque, si mentem advertere velitis, ipsæ vobis rationes persuadebunt. Non æquale est lucrum, quod vos reportatis atque illi : nam vos quidem si dederitis, ea dabitis, quæ paulo post, velitis, nolitis, aliis resignaturi et concessuri estis; at quæ accipitis, permagna sunt, longe, inquam, majora. Annon hoc animo estis, accipere vos, cum datis? Ego vero, nisi hoc animo estis, ne detis quidem velim : tantum abest, pro illis sermonem faciam. Nisi quis antea sibi persuaserit, accipere se magis quam dare, ingens lucrum facere, beneficio magis affici quam afficere; ille vero ne det : si ita putat, dare se beneficium accipienti, ne det. Non enim id mihi nunc magnopere curæ est, ut alantur sancti : nam nisi tu dederis, alius dabit Quamobrem quod volo, hoc est : ut vos peccatis vestris lenem quamdam medicinam faciatis : qui vero hanc in dando rationem non tenet, medicinam non habebit. Non enim dare, sed alacrem dare, sed lætum, sed gratias habentem accipienti, hoc est, eleemosynam facere : ait enim, *Non ex tristitia, aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus* (2 *Cor.* 9. 7). Non det igitur, qui hoc modo non dat : jactura enim istud est, non eleemosyna. Quare si vobis hoc exploratum est, vos esse qui quantum facitis, non illos, exploratum quoque illud sit, majus etiam lucrum vobis accedere. Nam illis quidem corpus alitur; vobis autem splendescit anima : illis, cum accipiunt, nullum remittitur peccatum; vobis vero multæ offensiones abolentur. Communicemus igitur ipsis in laboribus ac certaminibus, ut in magnis quoque illis præmiis aliquando communicemus. Non defuerunt qui reges sibi adoptarent, atque in eo magis se dare, quam accipere putarent. Tu Christum tibi adopta, tuasque res in tuto collocabis. Vis et Paulo communicare? quid dico Paulo, ubi Christus ipse est, qui accipit?

5. *Eleemosynæ faciendæ ratio.* — Ut autem intelligatis, me non aliorum recreationi studentem, sed vestra causa hæc omnia et dicere et facere : si quis est ex præfectis Ecclesiæ, qui vitam non inopem agat nullaque re egeat, etiamsi sanctus sit, tamen nolo ei des; sed huic præpone illum qui eget, quamvis non adeo admirabilem. Quid ita? Quoniam ipse etiam Christus hoc ita vult, idque illis verbis indicat : *Cum facis cœnam aut prandium, noli vocare amicos tuos neque cognatos, sed debiles, claudos et cæcos* (*Luc.* 14. 12. 13) : eos nimirum, qui tibi par pari referre non possunt. Non enim temere sunt quilibet invitandi, sed esurientes, sed sitientes, sed nudi, sed peregrini, (*a*) [sed ii qui ex divitiis ad inopiam sunt redacti.] Non enim absolute dixit, Aluistis me, sed addidit, Esurientem : *Esurientem*, inquit, *me vidistis, et dedistis mihi manducare* (*Matth.* 25. 35). Quod si quemvis esurientem nutrire opus est; multo magis cum

(*a*) Uncinis clausa deerant in Edito; sed ex Codice Coisliniano restituta sunt et a Nobilio lecta fuere.

ad cibi necessitatem viri sanctitas accesserit. Duplici enim nomine officium justum est, quod et in sanctum, et in esurientem confertur. Ergo si quis sanctus quidem fuerit, sed non egeat, nihil ei dato : non enim hoc lucrum est, non hoc Christus præcepit; quinimo ne sanctus quidem ille fuerit, qui cum abundet, accipit tamen. Vides non turpis lucri causa hæc a me esse dicta, sed vestræ utilitatis. Ale esurientem, ut ne alas gehennæ ignem : ille de tuis rebus comedens, eam etiam partem quæ tibi relinquitur, santificat. Cogita, quomodo vidua Heliam aluerit, ac non magis aluerit quam alta sit; non magis dederit, quam acceperit. Id nunc etiam fit, et multo amplius. Non enim hydria farinæ, aut lecythus olei, sed quid? centuplum, et vita æterna hujusmodi officiis proposita merces est. Misericordia Dei, alimentum spirituale fias, fermentum mundum. Vidua erat illa, urgebat fames, et nihil horum impedimento illi fuit; habebat filios, neque hinc etiam se retardari sivit. Æquavit illam, quæ misit duo minuta in gazophylacium. Non secum ipsa dixit : Quæ mihi utilitas ob hoc exspectanda est! ipse eget : si quid virium haberet, non incidisset in famem : depulisset hanc siccitatem, non iisdem premeretur malis : forsitan et ipse in Dei offensionem incurrit. Nihil horum cogitavit. Vides quantum boni sit adhibere simplicitatem in benefaciendo, nec nimis curiose in eum inquirere, qui beneficium sit accepturus? Si omnia voluisset nimia quadam diligentia expendere, multa illius animum diverse traxissent, nec fidem habuisset. Ita et Abraham si curiose agere voluisset, angelos non susceppisset. Fieri enim minime potest, fieri, inquam, non potest, ut qui tam tenuem singulis quibusque rebus examinandis diligentiam adhibet, sancto homini aliquando benigne faciat, sed omnium maxime incidit in impostores. Et quomodo istud, ego dicam. Vir pius non hoc affectat, ut pius videatur, neque hanc sibi personam vult imponere, etiamsi futurum videat, ut despicatui habeatur : impostor autem, quippe qui rem hanc artis loco habet, eximiæ cujusdam pietatis speciem artificio ad deprehendendum difficillimo præ se fert. Quamobrem fit, ut ille quidem, qui etiam iis qui non videntur pii, benigne facit, in pios incidat : qui autem eos solos quærit qui pii existimantur, incidat persæpe in impios. Obsecro igitur, omnia in simplicitate faciamus. Esto enim, qui ad nos accedit, sit impostor; non tamen jussus es hæc curiose scrutari : *Omni* enim, inquit, *a te petenti tribue* (*Luc.* 6. 30); et, *Qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses* (*Prov.* 24. 11) : quamvis multi eorum qui necantur, in criminibus deprehensi ea pœna mulctati fuerint; sed, *Ne cesses*, inquit. Ita similes Deo, ita admirabiles erimus, et immortalia bona consequemur : quibus utinam digni efficiamur, etc

HOMILIA II.

Cap. 1. v. 8. *Testis est mihi Deus, quomodo vos omnes cupiam in visceribus Jesu Christi.* 9. *Et hoc oro, ut caritas vestra adhuc magis ac magis abundet in scientia et omni sensu :* 10. *ut probetis potiora, ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi,* 11. *repleti fructibus justitiæ per Jesum Christum in gloriam et laudem Dei.*

1. Non idcirco quod sibi fides non habeatur, testem citat Deum, sed ex animi affectu id facit, utque illis hoc sit persuasissimum. Nam quoniam dixerat, eos sibi communicasse : ne ob hanc causam, id est ob ea quæ mittebant, putarent se ab ipso desiderari, minime vero quod ipsi per se amarentur, idcirco subjunxit, *In visceribus Christi.* Quid hoc sibi vult? Idem ac si dixisset, secundum Christum : quoniam fideles estis, quoniam amatis Christum, propter dilectionem quæ secundum Christum est. Neque dixit, Dilectionem, sed, quod ardentius est, Viscera Christi: perinde atque ita diceret, viscera ejus, qui veluti pater vester effectus est per eam cognationem, quæ est secundum Christum. Hæc enim est, quæ nobis dat viscera, viscera calentia et inflammata : veris enim servis suis viscera largitur. In illis, inquit, visceribus amo vos : ac si dicat, visceribus non naturalibus, sed iis quæ ardentiora sunt, nimirum, quæ Christi sunt. *Quomodo*, inquit, *vos omnes cupiam.* Omnes desidero, quoniam et omnes tales estis. Modum ergo desiderii non possum consequi oratione : non enim verbis exprimi potest : ideoque Deo cognoscendum relinquo penetranti corda. Quod si illis assentaretur, minime Deum citasset testem : non enim id tutum est. *Et hoc*, inquit, *oro, ut caritas vestra magis, ac magis abundet.* Recte; insatiabile enim est bonum hoc. Vide quomodo, cum adeo amaretur, adhuc magis amari cupiebat. Qui enim hoc modo amat, eum quem amat ita sibi respondere vult, ut in nullo amoris gradu consistere patiatur : nullus enim est hujus boni modus. Idcirco Paulus id semper deberi vult : *Nemini*, inquit, *quidquam debeatis nisi ut invicem diligatis* (*Rom.* 13. 8). Modus et mensura caritatis est, nusquam consistere : *Ut caritas vestra*, inquit, *adhuc magis, ac magis abundet.* Attende verborum dispositionem : *Ut adhuc magis*, inquit, *ac magis abundet in scientia et omni sensu.* Non universe quamvis caritatem admiratur, sed eam quæ ex scientia proficiscitur; id est, ut non erga omnes eamdem caritatem adhibeatis : id enim minime caritatis est, sed insulsitatis. Quid est, *In scientia?* Adhibito judicio, cogitata ratione, delectu quodam ac sensu. Non enim desunt qui inconsulto ac temere ament : ex quo etiam fit, ut hujusmodi amicitiæ parum roboris habeant. *In scientia*, inquit, *et omni sensu, ut probetis potiora :* id est, quæ utilia sunt. Non mea, inquit, sed vestra ipsorum causa hæc dico : periculum enim est ne quis ab hæreticorum amore corrumpatur. Hoc enim totum subindicat, dum ita loquitur. Vide autem quomodo istud injicit : Non mea, inquit, causa isthæc dico, sed, *Ut sitis sinceri*, id est, ne spurium aliquod dogma præ-

textu caritatis admittatis. Quæres, quomodo igitur alibi dixit, *Si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habete* (*Rom.* 12. 18)? Non sane hoc docens, ita vobis amandum esse, ut ex amicitia damnum reportetis : nam *Si oculus tuus dexter scandalizat te*, inquit, *erue eum, et projice abs te* (*Matth.* 5. 29) : sed illud faciendum esse, *Ut sitis*, quod quidem ad Deum pertinet, *sinceri*, quod vero ad homines, *sine offensa :* multis enim sæpe amicitiæ nocent. Nam etsi tibi nihil nocet, inquit, attamen alius interea offenditur. *In diem Christi;* id est, ut tunc reperiamini puri, quippe qui nemini scandalo fueritis ; *repleti fructibus justitiæ per Jesum Christum, in gloriam et laudem Dei;* id est, una cum dogmatibus vitam quoque rectam habentes. Nec quomodocumque rectam esse satis est, sed confertam fructibus justitiæ ; est enim quædam justitia, quæ non secundum Christum est, ut vita illa, quæ virtutem quoquomodo colit; sed *Per Jesum Christum*, inquit, *in gloriam et laudem Dei.* Vides me non gloriam meam curare, sed gloriam Dei? Sæpe autem eleemosynam justitiæ nomine appellat. Ne, inquit, officiat vobis caritas, quominus cognoscatis quæ in rem vestram sunt ; nec quoniam hunc vel illum amas, propterea collabaris. Cupio quidem vestram crescere caritatem, sed non adeo, ut inde damnum feratis; nec quavis præcepta semel opinione vos moveri velim, sed cum perpenderitis, utrum quæ dicimus recte se habeant. Neque dixit, ut mea præponatis, sed, *Ut probetis.* Neque perspicue dixit, Ne cum isto vel illo familiariter versemini; sed, Velim caritas vobis ad utilitatem proficiat; minime vero perinde affecti sitis, ac si sensu careatis. Res enim stultitiæ plenissima est, justitiam operari aliam ob causam, quam propter Christum et per ipsum. Ecce rursus illam loquendi formulam, Per ipsum. Num igitur usus est Deo, tamquam famulo, qui inferiorem in operando locum tenebat? Absit. Inquit igitur, Non ut ego lauder, ita loquutus sum, sed ut glorificetur Deus. 12. *Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt evangelii,* 13. *ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, et in cæteris omnibus.*

2. Verisimile erat illos, cum eum in vinculis esse audissent, dolere, putareque obstructam esse viam prædicationi. Quid igitur facit? Statim hanc suspicionem tollit, atque ita inquit : *Ea quæ circa me sunt magis ad profectum venerunt evangelii.* Est autem et hoc amantis, suas illis res patefacere, utpote quibus curæ sint. Quid ais? in vinculis es, impeditus es : ecquo igitur modo evangelium ipsum progressus facit? *Ut vincula mea*, inquit, *manifesta fierent, quæ sunt in Christo, in omni prætorio.* Id non modo aliis silentium non imposuit, neque timorem incussit, sed etiam hoc ipso fidentiores sunt facti. Quod si illi, qui in mediis periculis versantur, non solum nihil damni tulerunt, sed etiam plus animi ac fidentiæ sumpserunt : multo magis vos fidatis oportet. Nam si ille quidem, qui vinctus est, id miseriæ loco tulisset ac tacuisset, consentaneum erat illos eodem modo affici : nunc vero cum is qui est in vinculis, liberius et fidentius agit, longe magis animum illis addit, quam si vinctus non esset. Sed quomodo vincula ad progressum evangelii fuerunt? Hoc, inquit, gubernavit Deus, ut ne latèrent mea vincula, quæ in Christo, quæ per Christum, *In omni prætorio.* Tunc enim hoc nomine regias appellabant. Neque vero solum inquit, *In prætorio*, sed etiam, In universa civitate. 14. *Et plures e fratribus in Domino confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum loqui.* His verbis ostendit et antea fidenter illos egisse ac libere disseruisse, sed nunc multo magis. Ergo, si alii propter mea vincula fidenter agunt, multo magis ego ; si aliis fidentiæ causa sum, multo magis mihi ipsi. *Et plures e fratribus in Domino.* Quoniam magnum dictu erat, mea illis vincula animum addidisse; propterea occupans dixit, *In Domino.* Vides necessitate etiam ipsi imposita magnifice de se loquendi, quam tamen modestiæ non obliviscatur? *Abundantius auderent*, inquit, *sine timore verbum loqui.* Dum inquit, *Abundantius*, satis indicat, illos jampridem cœpisse. 15. *Quidam quidem propter invidiam et contentionem, quidam vero et propter bonam voluntatem Christum prædicant.* Operæ pretium fuerit cognoscere, quid hoc sit. Cum in vinculis detineretur Paulus, multi ex infidelibus cupientes acre bellum ab Imperatore adversus illum excitare, ipsi quoque Christum prædicabant, ut Imperatoris ira vehementior fieret, disseminari evangelium animadvertentis, et in Pauli caput, quidquid ille furoris concepisset, recideret. Itaque duæ agendi rationes ex vinculis Pauli, tamquam ex causa exstiterunt : aliis enim illa multum animi addiderunt; alios vero in spem perniciei meæ adducendo ad prædicandum Christum invitarunt. *Quidam quidem propter invidiam;* id est, meæ invidentes gloriæ et præclaris initiis, meque perditum cupientes, mecumque pugnantes, adjuvant ac provehunt actiones meas; vel ipsi quoque honoris cupiditate ducti, ac putantes fore ut aliquid de mea gloria decerpant. *Quidam vero et propter bonam voluntatem;* id est, sine simulatione, penitusque ex animo. 16. *Quidam quidem ex contentione Christum annuntiant non sincere ;* id est, non pure atque integre, non propter rem ipsam, sed cur? *Existimantes pressuram suscitare vinculis meis.* Existimantes enim ita mihi majus periculum creari, dolorem dolore cumulant. O crudelitatem! o diabolicum impetum! vinctum cernebant, conjectumque in carcerem, et adhuc invidebant : augere ipsius calamitates, vehementiorique iræ obnoxium reddere cupiebant. Ac recte dixit, *Existimantes;* non enim id illis ex sententia successit. Nam illi quidem hac re putabant dolorem mihi afferre ; ego vero evangelii progressu lætabar. Ita interdum est, cum opus bonum non ex bono proposito fit ; nec modo nulla illi merces est proposita, sed supplicium manet. Nam quoniam ideo Christum prædicabant, quod Christi prædicatorem in majora pericula conjectum vellent; non modo nullam capient mercedem, sed etiam supplicio erunt obnoxii, ac

pœnas dabunt. 17. *Quidam vero ex caritate, scientes quoniam in defensionem evangelii positus sum.* Quid est, *In defensionem evangelii positus sum?* Id est, hoc præstantes, ut ne mihi in rationibus Deo reddendis valde laborandum sit, et quiddam mihi subsidii ad defensionem afferentes. Hoc est, Jussus sum prædicare; rationes mihi reddendæ sunt, ac defensio comparanda pro imposito mihi officio: igitur, ut mea defensio sit facilior, adjumento mihi sunt. Etenim, si multi inventi fuerint qui catechesim acceperint et crediderint, facilis mihi defensio erit. 18. *Quid enim? dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntiatur.* Vide viri philosophiam: non in illos vehementer invectus est, sed factum ipsum narravit. Quid enim mea, inquit, interest, utrum hoc an illo modo? si nihilominus sive occasione, sive veritate Christus interea annuntiatur? Non dixit, Annuntiatur, quasi legem ferens, sed primum eventum ipsum narravit; deinde, etiam si legem ferens hoc dixisset, non propterea hæresibus aditum patefecisset.

3. Rem enim ipsam, si libet, expendamus, et intelligemus profecto, etiam si ad eum modum prædicare jussisset, quemadmodum illi prædicabant; non tamen hac ratione hæresi locum dari. Quomodo? Quoniam illi sanam quidem doctrinam prædicabant, propositum vero ac mens, qua id faciebant, corrupta erat, non tamen ut doctrina prædicata variaretur (*a*). Sed ut eodem modo prædicarent, magna illis imposita necessitas erat. Quapropter? Quoniam, si aliter prædicassent ac Paulus; si aliter docuissent atque ille, profecto Imperatoris iram non auxissent: nunc vero hoc ipso, quod illius prædicationem dilatabant atque eadem docebant, et similes sibi atque ille discipulos comparabant, Imperatorem irritare potuerant, tanta discipulorum multitudine prodeunte in conspectum. Sed importunus quispiam et stolidus hunc locum reprehendens, ita dicet: Imo vero illi contrariam rationem sequuti essent, si Paulum lædere voluissent: non enim fidelium numerum auxissent, sed eos potius qui jam crediderunt, abegissent. Quid igitur respondebimus? Hoc unum illos spectasse, ut Paulum præsentibus periculis circumcingerent, ut ne illum dimitti sinerent; atque hac ratione putabant majorem se illi dolorem allaturos, atque evangelium exstincturos, quam si illos abegissent. Aliter enim faciendo et Imperatoris iram sedassent, et Paulum exire ac rursus prædicare sivissent; hoc autem modo totam se rem evertere existimabant, cum ipsum de medio sustulissent. Neque vero multi huc penetrabant, sed amari quidam homines et improbi. Deinde, *Et in hoc*, inquit, *gaudeo, sed et gaudebo.* Quid hoc est, *Sed et gaudebo?* Etiam si, inquit, magis ac magis id agant. Nam vel inviti actiones meas adjuvant, et laborum quos in hac re impendunt, ipsi quidem pœnam, ego vero qui eo nihil confero, mercedem feram. Estne quidquam diabolo scelestius hoc agente, ut evangelii susceptio iis, quibus suscipere persuaserit, supplicium conciliet? Vides quantis malis undique suos perfodiat? pœnam istis et supplicium ex ipsamet prædicatione et laboribus in ea susceptis fabricatur. Ecquis alius inimicus atque hostis, quidquid ad illorum salutem faceret, sic disposuisset? Intelligis nihil eum posse, qui adversus veritatem bellum gerit, sed potius seipsum vulnerare, quemadmodum qui adversus stimulum calcitrat? 19. *Scio enim*, inquit, *quia hoc mihi proveniet ad salutem per vestram orationem et subministrationem Spiritus Jesu Christi.* Nihil diabolo scelestius: ita ubique infructuosis laboribus suos obruit ac dilaniat: nec solum præmiorum compotes esse minime sinit, sed etiam supplicio novit obnoxios facere. Non enim solum prædicationem, sed etiam ejusmodi jejunia ac virginitatem ipsis injungit, quæ non modo præmiis sit illos privatura, verum etiam magnam calamitatem iis, qui ipsam amplexi fuerint, invectura. De quibus et alibi inquit: *Cauteriatam habentes suam conscientiam* (1. *Tim.* 4. 2). Quamobrem hortor, pro omnibus gratias agamus Deo, qui nobis et labores leves fecit, et mercedes auxit. Quas enim mercedes apud nos ii consequuntur, qui caste utuntur matrimonio, eas apud istos ne illi quidem, qui virginitatem servant, assequi possunt; sed qui apud hæreticos virginitatem colunt, eamdem ac fornicatores pœnam subeunt. Unde? Quod nihil bono consilio ac proposito faciant, sed ut creaturas Dei immensamque illius sapientiam criminentur. Igitur ne torpeamus negligentia: moderata nobis certamina Deus injunxit, nullius fere laboris plena. Nec tamen propterea despiciamus. Nam si hæretici inutilibus laboribus seipsos misere afflictant; quæ nobis excusatio reliqua erit, si neque tanto minores, quibusque maxima est proposita merces, subire voluerimus? Ecquod enim Christi præceptorum grave? ecquod valde molestum est? Non potes in virginitate degere? licet tibi matrimonio jungi. Non potes tuis te rebus omnibus privare? licet tibi ex bonis tuis alteri suppeditare: *Vestra*, inquit, *abundantia illorum inopiam suppleat* (2. *Cor.* 8. 14). Nam ista quidem valde gravia videri possint, pecunias pro nihilo habere, et corporea cupiditate superiorem esse; alia vero ut præstes, nullo sumptu, nulla violentia opus est. Quam enim tibi vim efferas oportet, ut ne maledicas nec crimineris temere? ne cæterorum bonis invideas? ne ambitione capiaris? Tormentis subjici, nec de gradu dejici, patientiæ est; in exercitatione philosophica se continere, patientiæ est; paupertatem ferre, cum fame ac siti luctari, patientiæ est. At ubi nihil horum præstare cogeris, sed licet tibi bonis tuis, quatenus Christianum decet, fruentem, alienis non invidere: quam adhibeas violentiam oportet? Certe invidia aliunde non exsistit, quam quod ex præsentibus rebus pendemus; imo vero neque aliunde omnia mala. Nam si pecuniam et gloriam mundi hujus pro

(*a*) Sic ex Coisliniano et ex Nobilio restituimus. Quæ autem hic dicit Chrysostomus, omnino consonant cum iis quæ protulit in Homilia in hunc Epistolæ ad Philippenses locum, *Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur.* Quæ habetur Tom. III, col. 311-312.

nihilo putes, neutiquam iis quibus suppetunt invidebis.

4. Sed quoniam istis inhias, ista admiraris ac stupes : idcirco invidiæ, idcirco inanis gloriæ stimulis agitaris : ac denique omnia hinc proficiscuntur, ex admiratione, inquam, vitæ præsentis rerumque ad illam pertinentium. Invides illi, quem vides ditescere ? At ille misericordia potius ac lacrymis dignus est. Sed continuo cum risu inquis : Ego lacrymis dignus, non ille profecto. Lacrymis dignus et tu, non ideo quod pauper es, sed quoniam te ipsum miserum duscis. Eos enim, quibus nihil mali adest, ac tamen ægro animo sunt, lacrymis prosequimur, non quod male habeant, sed quod, cum minime male habeant, habere se putant. Etenim dic mihi, si quis a febre liber mœreat valensque decumbat atque in lectulo circumferatur, nonne iste lacrymis dignior quam febri laborantes, non quod febri laboret, sed quod nihil mali habens, habere se putet ? Tu quoque lacrymis dignus, quia te ipsum miserabilem ducis ; minime vero propter paupertatem ; nam paupertas ipsa vel beatissimum te faceret. Quid est quod invideas diviti ? quod seipsum pluribus curis subjecit? quod difficiliori servituti ? quod sexcentis catenis, veluti canis quispiam, suis pecuniis illigatus est ? Advenit vesper, successit nox, huic vero solatii ac requietis tempus fit tumultus, tristitiæ, mœroris, sollicitudinis tempus. Increpuit quid ? continuo proripit se. A latronibus spoliatus est quispiam ? qui nullum damnum habet majore torquetur sollicitudine quam ille qui passus est. Nam ille quidem semel perdidit, ac dolore accepto curam deposuit ; hic vero perpetuo secum illam gerit. Advenit nox, portus malorum nostrorum, nostrarum calamitatum solatium, vulnerum medicamentum ; nam et illi qui in luctu aliquo sunt, amicis quidem et cognatis et familiaribus, ac sæpe etiam patribus consolationem afferentibus, non obtemperarunt, neque morem gesserunt, sed etiam illo ipso sermone ad iracundiam sunt provocati : nullus enim æstus est, qui ut acerbitas doloris, animas nostras cruciet, somno autem requiem indicente, ne oculos quidem contra attollere valuerunt. Quemadmodum igitur corpus valde æstuans et sub ferventioribus radiis fatiscens, diversorio quasi cuidam multis irriguo fontibus, et ex levi aura solatium afferenti commendare solemus : ita nox somno tradit animam nostram ; vel potius neque nox, neque somnus hoc præstat, sed omnia hæc a Deo profecta sunt, qui miseram humani generis conditionem novit.

Divitiarum onera. — Verum non nostri misericordia tangimur ; sed perinde, ac nobis ipsi inimici simus, tyrannidem naturali necessitate et solatio superiorem nobis comparavimus, vigilias, inquam, quæ ex divitiis exsistunt. *Divitiarum* enim, inquit, *cura aufert somnum* (*Eccli.* 31. 1). Ac vide quanta sit Dei providentia. Solatium et requiem hanc non proposito consilioque commisit, somni usum non electionis nostræ esse voluit ; sed naturalis necessitatis vinculis adstrinxit, ut vel inviti beneficium accipiamus : dormire enim naturæ est. Nos autem quasi nos ipsos valde oderimus, quasi non nos, sed alienos bello persequamur ac vexemus, hac ipsa naturali necessitate majorem nobis tyrannidem imposuimus, illam nimirum quæ ex pecuniis est. Dies illuxit ? atque hic sibi metuit a sycophantis. Nox successit ? timet latrones. Imminet mors ? non tantum ex ipsa morte doloris capit, quam quod sua in aliorum manus devenient. Puerulum habet ? tunc vero tanto major cupiditas, tunc se pauperem putat. Non habet ? ægritudine conficitur. Hunc igitur beatum judicas, ad quem nullo ex loco affluere potest voluptas ? huic fluctibus jactato invides, cum tu in tranquillo portu, paupertate, inquam, conquiescas ? Vere et hæc infirmitas est naturæ humanæ, bona generose non ferre, sed ea unde nobis bene est contumeliis incessere. Atque hæc quidem in hoc mundo : verum cum illuc abierimus, audi quid dicat dives ille innumerabilium bonorum dominus, ut quidem tu dicis : neque enim ego bona dixerim, sed indifferentia. Hic igitur innumerabilium bonorum dominus, audi quid dicat, et cujus rei necessitate laboret. *Pater*, inquit, *Abraham, mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quoniam crucior in hac flamma* (*Luc.* 16. 24). Nam etsi dives iste nihil eorum malorum, quæ supra commemorabam, perpessus erat ; etsi omnem vitam sollicitudine et cura liber placidissime egerat ; quamquam, quid dico, omnem vitam egerat ? unicum illud momentum ; momentum enim est unicum, inquit, omnis nostra vita, si cum illo infinito sæculo conferatur : etsi igitur omnia illi ex sententia fluxerant, nonne ex his ipsis verbis, vel potius ex his ipsis rebus miserabilis est ? Annon vino tua undique mensa redundabat ? nunc vero ne guttam quidem aquæ in potestate habes, cum maxime eges. Annon pauperem illum ulceribus deformatum despiciebas ? nunc vero postulas, ut ipsum possis aspicere, ac nemo permittit. Ad fores tuas jacebat ; nunc vero in sinu Abrahæ est : tu sub amplis laquearibus cubabas ; nunc vero in igne gehennæ.

5. Audiant hæc divites, vel potius non divites, sed inhumani : non enim idcirco ille puniebatur, quoniam dives erat, sed quoniam misertus non est. Licet enim diviti, dummodo misericordia se duci sinat, cujusvis boni esse compotem. Ac sane ideo neminem iste alium vidit, quam illum egentem, ut hinc in memoriam rediens factorum suorum intelligeret juste se hujusmodi pœnis affici. An fortasse deerant sexcenti alii pauperes justi ? Sed qui ad fores ipsius jacebat, is illis se spectandum præbet, una erudiens ipsum ac nos, quantum boni sit pecuniis non confidere. Nihil illi paupertas obfuit ad regnum consequendum ; nihil huic divitiæ profuerunt ad vitandam gehennam. Quousque pauperes ? quousque mendici ? Non est, non est pauper ille qui nihil habet, sed qui multa cupit : non est dives qui multa possidet, sed qui nullius eget rei. Quid enim prodest universum quidem terrarum orbem possidere, nihilo vero jucundius iis vivere qui

nihil habent ? Electiones ipsæ et vitæ instituta sunt, quæ divites et pauperes faciunt, non pecuniarum abundantia aut inopia. Vis tu, o pauper, ditescere? Si velis, licet tibi : nemo est, qui prohibeat : contemne mundi pecunias, pro nihilo illas habe, ut revera nihil sunt, abjice divitiarum cupiditatem, et factus es dives. Qui ditari non vult, hic est qui ditatur : qui minime vult in paupertatem incidere, is incidit. Nam ut is vere ægrotat, qui etiam in sanitate languet seque afflictat, non ille qui morbum nihilo difficilius fert quam integram sanitatem : ita etiam pauper est qui paupertatem ferre non potest, atque undique affluentibus divitiis se præ omnibus pauperem putat : non ille qui paupertatem facillime ferens, hilarius vivit quam divites : hic enim longe ditior est. Dic enim mihi, cur paupertatem times? cur tremis? nonne propter famis periculum? nonne propter periculum sitis et frigoris? nonne ob alias hujusmodi causas? At nemo, nemo, inquam, est, qui in tantam inopiam redactus sit. *Respicite* enim *in antiquas generationes, et videte : quis credidit Deo, et derelictus est? vel quis speravit in ipso, et confusus est* (*Eccli.* 2. 11)? et rursus, *respicite volatilia cæli, quæ non serunt neque metunt neque congregant in horrea, et Pater vester cælestis pascit illa* (*Matth.* 6. 26). Nemo nobis quempiam protulerit, qui cito fame aut frigore perierit : cur ergo paupertatem timeas? Nihil habes quod respondeas. Nam si necessaria tibi suppetunt, cur denique illam times? quod non tibi adest famulorum multitudo? Id vero nihil aliud est, quam a dominis esse liberum, quam perpetua quædam beatitudo, quam curarum vacuitas et libertas. An quod vasa, lectos, supellectilem non habes ex argento fabrefacta? Et quid plus habet quam tu, quod ad fruendum pertinet, is cui ista suppetunt? Nihil : usus enim idem est, sive ex hac sive ex illa materia constent. An quod multis non es terrori? Absit, ut id tibi umquam eveniat : quæ enim voluptas, esse qui te metuant ac formident? An quod alios formidas? At licet non formidare. *Vis* enim *non timere potestatem? bonum fac, et habebis laudem ex illa* (*Rom.* 13. 3). At enim dicis, Facile contemnimur, facile malis afficimur? Quinimo id potissimum facit improbitas, non paupertas. Etenim cum multi pauperes vitam agant sine molestia; non defuerunt principes abundantes divitiis, ac dynastæ, qui quovis facinoroso, latrone et sepulcrorum effossore deterius multati discesserunt. Quod enim in te paupertas, id in illo divitiæ faciunt. Nam qui malefacere volunt, ut tibi ex contemptu, ita diviti ex invidia et livore malefaciunt; atque magis invidi quam malefici : hi enim validiore impetu ad malefaciendum impelluntur. Etenim qui invidet, omnem animi vim et facultatem in agendo adhibet : at qui contemnit, sæpe etiam illius quem contemnit miseretur; atque hoc ipsum causa illi salutis fuit, pauperem, inquam, esse, nihil habere virium. Ita enim adversus eum qui pauperi imminet, dicere soliti sumus : Magnum vero quiddam effeceris, si hunc sustuleris, si pauperem unum interfeceris : en quanta et quam ampla consequeris præmia : atque his verbis furorem illius cohibemus. At adversus divites invidia ita insurgit, et non ante desinat, quam quod vult effecerit, suumque venenum evomuerit. Vides non in paupertate aut divitiis sitam esse boni naturam, sed in nostro arbitrio? Hanc igitur componamus, doceamusque philosophari. Si hæc bene se habuerit, neque divitiæ nos excludere a regno poterunt, nec quidquam nobis adimet paupertas; sed æquo ipsam feremus animo, nullum ex ea detrimentum aut ad futura bona consequenda, aut in hac vita reportantes; sed et his fruemur et cælestibus illis potiemur bonis : quibus utinam digni efficiamur, etc.

HOMILIA III.

Cap. 1. v. 18. *Et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.* 19. *Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem per vestram orationem, et subministrationem Spiritus Jesu Christi,* 20. *secundum exspectationem et spem meam, quia in nullo confundar, sed in omni fiducia sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.*

1. Magnam et philosophicam animam nihil, quod in hac vita moleste accidat, lædere potest : non inimicitiæ, non accusationes, non calumniæ, non pericula, non insidiæ. Nam perinde atque si in excelsum quoddam montis cacumen se receperit, nihil ad illam ex iis quæ de inferiore loco de terra jaciuntur, pervenire potest. Talis erat Pauli anima : quovis fastigio altiorem locum prehenderat, locum philosophiæ spiritualis, veræ philosophiæ. Nam ea in quibus ethnici versantur, verba tantum sunt et puerorum lusus. Verum de his nunc sermo non est; sed de Pauli rebus verba facimus. Beatus ille et Imperatorem sibi adversantem habebat, et alios præterea inimicos, qui variis et acerbissimæ calumniæ plenis modis ipsum vexabant : et quid ait? Non modo propterea non doleo neque animo concido, sed etiam gaudeo, et gaudebo : non ad tempus, inquit, sed semper de his gaudebo. *Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem* futuram. Et quomodo non proveniat, quando et inimicitiæ et zelus adversum me susceptus prædicationem juvant? *Per vestram orationem,* inquit, *et subministrationem Spiritus Jesu Christi secundum exspectationem et spem meam.* Vide beati hujus humilitatem : in certationibus laborabat, innumerabilia erant ipsius benefacta, jamjamque coronam ipsam tenebat; Paulus enim erat : nam quid majus dici potest? ac tamen Philippensibus ad hunc modum scribit, Per vestram orationem possum salutem consequi : ille, inquam, cui sexcenta benefacta salutem comparabant. *Et subministrationem,* inquit, *Spiritus Jesu Christi.* Id est, si per vestras preces dignatus fuero gratia. Vox enim ista, *Subministrationem,* hoc significat, Si subministretur, si mihi plus Spiritus

tributum fuerit : *ad salutem ;* id est, ad hoc ut liberer, et ex præsenti periculo perinde atque ex primo eripiar. De primo enim dixit, *In prima mea defensione nemo mihi adfuit : non illis imputetur : Dominus autem mihi adstitit, et confortavit me* (2. *Tim.* 4. 16. 17). Hoc igitur et nunc prophetice prædicit : *Per vestram orationem et subministrationem Spiritus Jesu Christi secundum exspectationem et spem meam.* Ita enim, inquit, spero. Nam ut non ita totum committamus, precibus, quæ pro nobis funduntur, ut nihil ipsi afferamus ; vide quomodo exponat quid ipse attulerit, nimirum spem omnium bonorum causam : quemadmodum propheta inquit, *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te* (*Psal.* 32. 22) ; ut et alibi alius, *Respicite in antiquas generationes, et videte ; quis speravit in Domino, et confusus est* (*Eccli.* 2. 11)? Et rursus beatus hic ait, *Spes autem non confundit* (*Rom.* 5. 5). *Secundum exspectationem,* inquit, *et spem meam, quia in nullo confundar.* Hæc est Pauli spes ; sperare nusquam se confusum iri. Vides quantum valeat sperare in Deo? Quidquid, inquit, eveniat, non confundar : id est, non hi me superabunt. *Sed in omni fiducia sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo.* Sperabant illi dolo suo veluti laqueo quodam hoc se efficere posse, ut Paulum quidem e medio tollerent, prædicationem vero exstinguerent, dolo nempe suo prævalente. Id igitur nunc futurum negat : Non nunc, inquit, moriar ; *Sed sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo.* Quomodo? Sæpe in pericula incidi, in quibus de nobis non modo alii, sed nos ipsi desperabamus ; *Ipsi* enim *in nobismetipsis responsum mortis habuimus* (2. *Cor.* 1. 9) ; ac tamen ex omnibus nos eripuit Deus. Ita et nunc magnificabitur in corpore meo. Verum ne quis ita cogitet, ac dicat : Quid si tu obieris, non magnificabitur? Probe, inquit, novi ; atque ideo non dixi, per solam vitam magnificari Dominum, sed addidi etiam, *Per mortem.* Sed interea, inquit, *Per vitam ;* non enim me tollent : quod si tollant, nihilominus ita etiam magnificabitur Christus. Quomodo? Per vitam quidem, quoniam me eripuit ; per mortem vero, quoniam neque mors, ut illum negarem, mihi persuasit. Quoniam ille tantum mihi alacritatis largitus est, meque morte superiorem fecit : ibi quidem, quoniam me a periculis liberavit ; hic vero, quoniam me a mortis tyrannide metuere non sivit. Ita per vitam et mortem magnificabitur.

2. *Pauli charitas et constantia.* — Hæc vero dicit, non quod mortem esset obiturus, sed ne illi, ubi mortem obierit, humana quædem patiantur. Etenim ne putarent tamquam obiturum hæc dixisse, quod magna illos ægritudine affecisset ; vide quomodo adhibeat consolationem ; talibus prope verbis usus : Hæc autem loquor, inquit, non quasi mihi moriendum sit. Propterea et in progressu illa adjungit, *Et hoc confidens scio, quia manebo, et permanebo omnibus vobis.* Illud autem, *In nullo confundar,* id est, nullam mihi ignominiam, sed magnum lucrum afferet mors. Quare? Immortalis quidem minime sum, sed clarior ero quam si immortalis etiam essem : non enim par laus est, si immortalis mortem contemnat, ac si mortalis. Quamobrem etsi moriendum nunc mihi esset ; nullum hinc subirem dedecus, verumtamen non moriar. *In nullo confundar ;* neque si vivam, neque si moriar : utrumque enim generose feram, sive vivendum, sive moriendum sit. Pulchre : Hoc christianæ animæ est. *Sed in omni,* inquit, *fiducia.* Vides quomodo non confundar? Nam si quidem mortis timor meam mihi ademisset fiduciam, pudendum sane fuisset mori ; nunc vero, cum illa impendens me nihil terruit, nullum profecto in ea dedecus esset. Sed sive vivam, ex vita non confundar ; prædico enim evangelii prædicationem : sive moriar, ex morte non confundar ; non enim coercet me timor ; eamdem fidentiam atque animi libertatem præ me fero. Neque enim, quod vinculorum mentionem feci, rem istam turpem putetis. Tantorum mihi bonorum causa fuerunt, ut cæteris etiam animum addiderint, quo confidant. Non enim vinctum esse pro Christo, sed vinculorum metu prodere quidpiam eorum quæ Christi sunt, id turpe est : quamdiu istud minime accidet, fidentiorem animum vincula faciunt. Non quoniam sæpe ex periculis evasi ; atque inde est, cur adversus infideles glorier : si quid simile non accidat, jam vos ignominia notari existimetis : nam et hoc etiam non minus vobis fidentiæ præbet, quam illud. Vide, quomodo sub persona sua hanc rem pertractet : quod et sæpe alibi facit, quemadmodum erga Romanos, *Non enim erubesco evangelium* (*Rom.* 1. 16) ; ut erga Corinthios, *Hæc autem transfiguravi in me, et Apollo* (1. *Cor.* 4. 6). *Sive per vitam, sive per mortem.* Non hoc veluti ignorans dicit : noverat enim minime tunc sibi moriendum esse, sed in sequenti tempore, attamen jam ipsorum animam præparat : 21. *Mihi enim,* inquit, *vivere Christus, et mori lucrum.* Nam et moriendo, inquit, non moriar, vitam habens in meipso. Tunc me sustulissent, si per metum potuissent ex anima mea fidem exturbare : quamdiu vero Christus mecum fuerit, etiamsi mors ingruerit, vivam. Atque in hac etiam vita, non hoc mihi vivere est, sed Christus. Quod si dum hic vivo, non hoc mihi vivere [1] : *Quod vero nunc,* inquit, *in carne vivo, in fide vivo :* hoc et ibi dico : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* 2. 20). Talem oportet Christianum esse. Non vivo, inquit, communem vitam. Quomodo igitur vivis, beate Paule? non solem aspicis? non communem aerem respirando ducis? non iisdem atque omnes alimentis nutriris? non terram, quemadmodum nos facimus, calcas? non somni eges? non vestium, non calceorum? Quid dicis, *Non vivo?* quomodo non vivis? Quid sibi vult iste verborum tumor? Non sunt hæc ostentationis. Etenim nisi res ipsæ testimonium darent, merito illa quispiam tumori ac vanitati adscriberet : nunc vero

[1] Hic in Græca serie quidpiam desideratur, quod sic exprimit Nobilius : .... *mihi vivere : quid in altero sæculo futurum est?* Manuscripti nostri nihil habent.

cum res ipsæ testimonium dent, quam ostentationis speciem habebunt? Discamus igitur quomodo non vivat : nam et alibi dicit, *Ego crucifixus sum mundo, et mihi mundus* (*Gal.* 6. 14). Quomodo igitur dicit, *Non jam ego vivo*, et quomodo rursus, *Mihi vivere Christus*, audiatis.

Vitæ genera quædam. — Vitæ nomen multiplex est, dilecti : id est multa significat, ut mortis etiam nomen. Est vita hæc corporis; est etiam vita quædam peccati, quemadmodum Paulus alibi dicit, *Si enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo* (*Rom.* 6. 2)? Est igitur vivere peccati vitam : attendite, obsecro, diligenter, ne frustra laboremus : est vita æterna et immortalis, quæ etiam cælestis est : *Nostra* enim, inquit, *conversatio in cœlis est* (*Philipp.* 3. 20). Et etiam vita corporis, de qua dicit, *Per ipsum vivimus, et movemur, et sumus* (*Act.* 17. 28). Non igitur negat naturalem se vitam vivere, sed eam quæ peccatorum est, quam vivunt omnes homines. Et merito quidem negat. Nam qui præsentis vitæ cupidus non est, quomodo hanc vivit? quid ad alteram festinat, quomodo hanc vivit? qui mortem contemnit, quomodo hanc vivit? qui nihil ex iis quæ in mundo sunt concupiscit, quomodo hanc vivit? Nam quemadmodum qui ex adamante constat, ne si millies quidem percutiatur, quidquam commovebitur : ita etiam Paulus : *Vivo autem*, inquit, *non jam ego*, id est, non jam vetus homo : et rursus alibi, *Miser ego homo! quis me liberabit ex corpore mortis hujus* (*Rom.* 7. 24)? Ita qui nihil alimenti, nihil vestium, nihil ullius rei præsentis causa facit, quomodo hic vivit? Hic profecto ne naturalem quidem vitam vivere dicendus est : qui nihil eorum quæ ad vitam faciunt curat, is nec vivit. Nos hanc vitam vivimus, qui pro hac omnia facimus; ille vero non vivebat, neque in rebus ullis inferioribus versabatur. Quomodo igitur vivebat? Ita etiam de quibusdam dicimus, Ille mihi non adest; ubi nihil agat, quod ad me pertineat : ita etiam rursus, Ille mihi non vivit. Quod enim naturalem hanc vitam non rejiciat, alibi his verbis ostendit : *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit seipsum pro me* (*Gal.* 2 20). Id est, novam quamdam vitam vivo atque ab usitata diversam.

3. Hæc sane omnia ad Philippensium consolationem dicit. Ne putetis, inquit, fore ut hac vita spolier : quandoquidem ne vivens quidem hanc vivebam vitam, sed illam, quam volebat Christus. Dic enim mihi, qui pecunias contemnit, qui cibum, qui famem et sitim, qui pericula, qui sanitatem, qui salutem; isne hanc vitam vivit? qui nihil in terris habet, qui sæpe profundere ipsam cupit, si opus sit, neque reluctatur; isne hanc vivit vitam? Neutiquam. Sed istud vobis quasi exemplo quodam perspicuum faciendum est. Esto quispiam divitiis multis, famulis, auro abundans; nulla autem harum rerum utatur : num is divitiis istis dives erit? Minime. Sed videat præterea bona a filiis dissipari temere circumcursantibus, nec quidquam curet; adde etiam si vis, percussus non doleat : an hunc dicemus in divitiis esse? Nequaquam; tametsi ipsius sunt divitiæ. Ad hunc etiam modum se habebat Paulus: *Mihi*, inquit, *vivere Christus.* Si meam velis vestigare vitam, ille mihi est. *Et mori lucrum.* Cur? Quoniam major mihi illius notitia erit, et cum ipso versabor. Quare hoc nihil aliud est quam moriendo ad vitam pervenire? Nihil mihi durius facient qui interfecerint, ad meam me emittentes vitam, et ab hac quæ mihi apta non est liberantes. Quid igitur? dum hic es, Christi non eris? Et valde quidem. 22. *Quod si vivere in carne, hoc mihi fructus operis est, et quid eligam ignoro.* Ne quis dicat : Si igitur illud est vita, cur Christus hic te manere sinit? *Fructus*, inquit, *operis est.* Quamobrem licet præsenti etiam vita eo, quo oportet, modo uti, si ipsam minime vivamus eo modo, quo vulgus vivit. Hoc ideo dicit, ne putes vitam ipsam crimini dari; neque dicas, Si igitur hic nulla nobis comparatur utilitas, quid est cur nos non e medio tollamus et occidamus? Neutiquam, inquit : licet ex hac etiam mansione lucrum reportare, si hanc vitam non vivamus, sed alteram. Sed quispiam fortasse interroget : Hocne tibi fructum affert? Certe, inquit. Ubi nunc hæretici? Vide nunc, *Vivere in carne*, hoc dicit fructum operis : operis enim est. Quomodo fructus operis? *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo.* Hinc fructus operis. *Et quid eligam ignoro.*

Pauli philosophia. — Papæ! quanta est philosophia! Quomodo præsentis vitæ cupiditatem abjecerat, nec tamen illam criminabatur? nam his quidem verbis, *Mori lucrum*, cupiditatem abjiciebat; illis vero, *Vivere in carne fructus operis*, ostendit præsentem quoque vitam esse necessariam. Quomodo? Si ipsa ut oportet utamur, si fructum feramus : etenim si infructuosa sit, neque vita amplius est. Nam et arbores quæ fructum non ferunt, perinde atque aridas aversamur et in ignem conjicimus. Rursus enim vita est ex earum rerum numero, quæ mediæ sunt et indifferentes; bene autem vel male vivere, in nobis est situm. Igitur ne displiceat vita : nam licet etiam honeste vivere : si male vita utamur, non etiam propterea ipsam accusare debeamus. Quare? Quoniam non ipsa causa fuit, sed electio eorum, qui male ipsa sunt usi. Nam Deus quidem ideo te vivere concessit, ut ipsi vivas : tu vero propter vitiositatem peccato vivens, omnem in te hærere culpam voluisti. Quid ais, quæso, Paule? ignoras quid eligas? Hoc loco magnum patefecit mysterium, nempe factam sibi esse potestatem decedendi : quando enim nobis eligendi copia datur, potestatem habemus. *Quid eligam*, inquit, *ignoro.* Ergo in te situm est? Certe, inquit, si a Deo hanc postulare gratiam voluero. 23. *Coarctor enim e duobus, desiderium habens.* Attende beati hujus paternum affectum : hac etiam ratione ipsos consolatur, ubi intellexerint id in ipsius voluntate situm esse, neque ab hominum improbitate, sed a Dei providentia proficisci. Cur ergo, inquit, mors vobis mœrorem affert? multo satius erat jampridem decessisse : *Dissolvi* enim, inquit, *et esse cum Christo multo melius;* 24. *manere autem in carne magis necessarium propter*

vos. Hæc præparabant ad futuram ipsius mortem generose ferendam : hæc philosophiam docebant. Bonum, inquit, est dissolvi, et esse cum Christo : nam et ipsa mors in numero rerum indifferentium est. Non enim mors malum est, sed post mortem pœnas dare, hoc malum est, neque etiam bonum est mors, sed postquam decesseris, cum Christo esse, id bonum est : quæ post mortem, ea demum sunt vel bona vel mala. Igitur non generatim eos qui moriuntur, lugeamus, neque de viventibus generatim gaudeamus ; sed quid ? Lugeamus peccatores non solum morientes, sed etiam viventes : de justis gaudeamus, non solum dum vivunt, verum etiam postquam mortui fuerint. Nam illi quidem etiam dum vivunt, mortui sunt : hi vero etiam cum mortui fuerint, vivunt. Illi etiam dum hic sunt, omnium elicere misericordiam debent, quoniam Deum offendunt : hi vero illuc etiam translati beati sunt, quoniam ad Christum sunt profecti. Peccatores, ubiubi sunt, procul a Rege sunt ; propterea lacrymis digni : justi autem sive hic, sive ibi, cum Rege sunt ; atque ibi quidem multo magis ac propius, non per speciem, non per fidem, sed *Facie*, inquit, *ad faciem* (1. *Cor.* 13. 12).

4. Qui mortui sint lugendi. Exsequiarum modus. Mortuorum memoria in mysteriis. — Non igitur omnes ploremus mortuos, sed eos qui in peccatis ; hi lamentis digni, hi ejulatu, hi lacrymis. Quæ enim, dic mihi, spes est una cum peccatis eo discedere, ubi peccata exuere non licet ? Donec enim hic erant, magna forsitan erat spes, fore ut converterentur, ut meliores evaderent : at si in infernum abierint, ubi nihil lucri ex pœnitentia reportari potest ; nam, *In inferno*, inquit, *quis confitebitur tibi* (*Psal.* 6. 6) ? quomodo non lamentis digni ? Lugeamus eos, qui hoc modo decedunt, non id impedio ; lugeamus, sed non præter decorum, non vellentes capillos, non brachia nudantes, non lacerantes faciem, non pullas vestes induentes ; sed solum in anima lacrymas amaras quiete fundamus. Etenim sine hac etiam pompa licet amare flere, et non tantum ludere. Nam quæ a nonnullis fiunt, a puerorum lusibus nihil differunt. Illi enim fletus forenses non ex dolore, quem quidam naturæ consensus attulerit, proficiscuntur, sed ex ostentatione et ambitione et vanæ gloriæ studio : ideo multæ inveniuntur mulieres, quæ hujus rei artem exercent. Amare fleas, domi plores, nemine videnle ; id misericordiæ fuerit, id tibi etiam profuerit. Nam qui illum hoc modo luget, multo magis ipse studium adhibebit, ne in eadem incidat mala : terrorem tibi posthac peccatum incutiet. Luge infideles, luge eos qui nihil ab infidelibus differunt, qui sine illuminatione, sine signaculo decesserunt : hi vere lamentis digni, hi lacrymis : extra regiam sunt una cum iis, qui pœnæ sunt obnoxii, una cum damnatis. *Amen dico vobis, nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non introibit in regnum cœlorum* (*Joan.* 3. 3). Luge eos qui in divitiis sunt mortui, cum ex divitiis nullum animabus suis solatium comparassent : eos quibus abluendi peccata sua potestas facta erat, et noluerunt. Hos quidem nos omnes et publice et privatim lugeamus, sed ita, ut a decoro ne recedatur, ut gravitatem tueamur, ut ne nos ipsos ludibrio exponamus. Hos lugeamus non unum aut alterum diem, sed per omne vitæ nostræ tempus. Lacrymæ hæ non sunt amentis perturbationis, at veri ac germani amoris ; illæ vero amentis plane affectionis : propterea etiam cito arescunt. Quæ enim ex Dei timore proficiscuntur, semper durant. Hos igitr lugeamus, opem pro viribus feramus, aliquod ipsius auxilium comparemus, exiguum illud quidem, sed quod tamen auxiliari queat. Quomodo, quave ratione ? Cum ipsi preces fundentes, tum alios ut pro ipsis fundant obsecrantes, ac pro ipsis frequenter dantes eleemosynas pauperibus. Affert hæc res aliquid solatii : audi enim Deum ita dicentem : *Protegam urbem hanc propter me, et propter David servum meum* (4. *Reg.* 20. 6). Si sola justi memoria tantum valuit, ubi opera præterea pro mortuo fiant, quid non poterunt ? Non frustra hæc ab apostolis sunt legibus constituta : ut in venerandis, inquam, atque horrificis mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt : noverant hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore, quo universus populus stat manibus passis ac cœtus sacerdotalis, et illud horrorem incutiens sacrificium ; quomodo Deum non placabimus pro istis orantes ? Atque id quidem de iis, qui in fide decesserunt : catechumeni vero neque hac dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti, uno quodam excepto. Quale vero hoc ? Licet pauperibus pro ipsis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis : vult enim Deus, ut nobis mutuum auxilium afferamus. Ecquid enim aliud causæ sit, cur pro pace et bono mundi statu precari jusserit ? cur pro omnibus hominibus ? Nam hic quidem inter omnes sunt etiam latrones, sepulcrorum effossores, fures, atque alii sexcentis scatentes malis : attamen pro omnibus precamur : erit enim fortasse quædam ipsorum conversio. Quemadmodum igitur pro viventibus istis precamur, qui nihil a cadaveribus differunt : ita pro illis etiam precari licet. Job pro filiis sacrificia faciebat, et ipsos a peccatis liberabat ; *Ne quid forte*, inquit, *cogitaverint in cordibus suis* (*Job* 1. 5). Hoc modo consulitur liberis. Non dicebat, quod plerique nunc homines solent, Opes illis relinquam : non dicebat, Gloriam illis comparabo : non dicebat, Mercabor principatum : non dicebat, Agros emam : sed quid ? *Ne quid cogitaverint in cordibus suis.* Quæ enim ex rebus illis utilitas, cum hic restent ? Nulla. Illum, inquit, omnium Regem propitium ipsis reddam ; et nihil ipsis posthac deerit. Inquit enim, *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit* (*Psal.* 22. 1). Hæc est magna opulentia, hic thesaurus est : si Dei timorem habeamus, nullius rei egebimus ; sin minus, tametsi regnum obtineamus, omnibus hominibus magis pauperes sumus. Nihil ei par inveniri potest, qui Deum timet : nam *Timor*, inquit, Domini, *super omnia se superposuit* (*Eccli.* 25. 14). Hunc nobis comparemus, pro hoc omnia

faciamus; etiamsi reddenda anima sit, etiamsi corpus tradendum, non ideo refugiamus; omnia quæ decent faciamus, ut hunc timorem consequamur. Hoc enim modo et omnibus erimus opulentiores, et futura consequemur bona, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri simul cum sancto Spiritu gloria, potentia, et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Cap. 1. 22. *Et quid eligam, ignoro.* 23. *Coarctor autem duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo; multo enim magis melius:* 24. *permanere autem in carne magis necessarium propter vos.* 25. *Et hoc confidens scio quia manebo, et commanebo omnibus vobis ad profectum vestrum et gaudium fidei:* 26. *ut gloriatio vestra abundet in Christo Jesu in me per meum adventum iterum ad vos.*

1. Nihil Pauli anima beatius, quoniam nihil etiam magis generosum. Nunc vero contra de omnibus dici potest: nihil nobis infirmius, nihil miserius. Propterea omnes horremus mortem, partim quidem peccatorum multitudine gravati, quorum ego quoque unus sum; partim vero vitæ cupidi, et mori miserum ducentes: quibus ego utinam numquam adnumerer! animales enim sunt, qui hunc timorem timent. Ergo hoc, quod omnes horremus, ille optabat, eoque incumbebat, ita dicens: *Dissolvi multo magis melius, et quid eligam, ignoro.* Quid ais? cum hinc abiens ad cælum sis migraturus, et cum Christo futurus, ignoras quid eligas? Sed longe hæc absunt a Pauli anima. Quis enim fuerit, cui si hæc vere offeratur conditio, non illam quamprimum arripiat? Certe, inquit, nemo: sed quemadmodum minime nostrum est posse illud dicere, Cupio dissolvi, et esse cum Christo: ita cum id assequi liceat, minime nostrum est, hic manere velle; sed utrumque Pauli est, et illius animæ. Quid est, quod dicis? nosti ac pro comperto habes futurum te esse cum Christo, et hæsitas ac dicis, *Quid eligam nescio?* neque hoc tantum, sed etiam hic manere eligis? Manere, inquam, in carne? Quid ita? nonne acerbam vitam ducebas? in vigiliis, in naufragiis, in fame et siti et nuditate, in curis et sollicitudinibus; cum iis, qui infirmabantur, infirmabaris; propter eos, qui in scandalum incidebant, urebaris. *In multa,* inquit, *patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in jejuniis, in castitate* (2. *Cor.* 6. 4. 5). *Quinquies quadragenas una minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, nocte et die in profundo maris fui; periculis fluminum, periculis latronum, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in falsis fratribus* (2. *Cor.* 11. 24. 26). Nonne cum tota Galatarum gens ad legis observationem reversa esset, clamabas dicens: *Qui in lege justificamini, a gratia excidistis* (*Gal.* 5. 4). Quem tunc luctum non hausisti? atque adhuc fluxam hanc vitam desideras? Nam tametsi nihil horum tibi accidisset, et quibuscumque recte fungebaris, quiete et cum voluptate functus esses: nonne tamen oportebat incerta futuri temporis pertimescentem ad portum aliquem contendere? Ecquis mercator navi vectus innumerabilium thesaurorum plena, si liceat subire portum ac requiescere, mari adhuc jactari malit? ecquis athleta, cum liceat corona potiri, adhuc certare postulet? ecquis pugil, cum coronam possit accipere, malit rursus in certamen descendere, et suum ipsius caput concidendum præbere? ecquis dux, qui a bello cum gloria, et tropæis liberari queat, et cum rege in regia quietus degere seque oblectare, adhuc et sudare præoptet, et in aciem prodire? Quomodo igitur adeo acerbam vitam vivens adhuc vis in terris manere? annon tua sunt ista verba? *Timeo ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (1. *Cor.* 9. 27). Si nihil aliud præterea causæ fuisset, hæc satis erat, quo liberatio desideraretur: si innumerabilibus bonis præsens vita abundasset, ab hac tamen liberari optandum erat, ob Christum, quem desiderabas. O Pauli animam! nihil illi par aut fuit, aut futurum est. Times si in hac vita permaneas, quid futurum sit; innumeris malis implicatus es, et tamen recusas apud Christum esse? Recuso, inquit, idque propter Christum: ut quos illi paravi servos, firmius in illius amore stabiliam: ut ex agro, quem plantavi, fructus decerpi curem. Non audisti, me non quærere quod mihi utile est, sed quod proximis? non audisti, mihi in optatis fuisse anathema fieri a Christo, quo multi ad illum venirent? Qui illud elegi, non multo magis hoc eligam, ut damnum ipse ex hac mora et dilatione patiar, quo illis aliqua ad salutem accessio fiat?

Pauli laudes. — *Quis loquetur potentias tuas* (*Psal.* 105. 2). Domine, qui Paulum minime latere siveris, qui talem virum orbi ostenderis? Laudarunt te omnes angeli uno animo, cum astra fabricatus es et solem (*Job* 38. 7); sed non perinde atque eo tempore, quo nobis totique orbi Paulum ostendisti. Hinc terra facta est splendidior cælo, pulchrior hic solis lumine splendidiores emisit fulgores, lætos effudit radios. Quantum hic nobis peperit fructum, non spicas pinguefaciens, aut arbores nutriens, sed ipsum pietatis fructum et procreans et ad vigorem adducens, et eos qui concidebant, assidue recreans? Jure: nam hic quidem sol, quod semel in arborum fructibus computruerit, restituere nequaquam poterit; Paulus autem eos etiam, qui sexcenta ulcera habebant, a peccatis revocavit: atque hic nocti decedit; ille vero diabolo superior fuit. Nihil illum evertit, nihil superavit. Hic de sublimi loco dum fertur, radios deorsum emittit: Paulus vero de infero loco exoriens, non cæli ac terræ dimidium lumine complevit, sed simul atque os aperuit, angelos etiam ipsos magna replevit voluptate. Nam si uno homine pœnitentiam agente gaudium exsistit in cælis (*Luc.* 15. 10); cum Paulus a prima concione multos venatus fuerit, quo-

modo fieri potuit, ut superas potestates gaudio non impleret?

2. Ecquid dico? satis erat Paulum loqui; et hoc ipso cœli exsultabant et lætabantur (*Psal.* 13. 7). Etenim si Israelitis ex Ægypto exeuntibus, montes exsultarunt ut arietes : quando homines ex terra in cœlum transferebantur, quantum gaudii putas fuisse? Propterea igitur *Permanere in carne magis necessarium propter vos.* Et quæ nobis posthac relicta est excusatio? Fit enim persæpe, ut quispiam parvam ac pauperem civitatem nactus, abire tamen alio nolit, cætera omnia præ sua quiete postputans : Paulo abeundum ad Christum erat, et non voluit Christum; Christum illum, quem ita desiderabat, ut pro ipso gehennam etiam eligeret : sed adhuc voluit manere, ac laborare in pugna pro hominibus. Ecqua nobis erit excusatio? Verum estne universe tantum mentio facienda Pauli? Attende quid egerit. Dixit melius esse abire, ne illi de ipsius morte dolerent; ostendit etiam, si maneat, idcirco manere ut illis prosit : non enim id ex mala insidiantium mente succedere. Igitur ut illi facilius ad hoc credendum adducantur, causam apposuit. Nam si id necessarium est, omnino adhuc manebo; nec tantum manebo, sed etiam vobiscum manebo. Hoc enim sibi volunt verba illa, *Et commanebo*, id est, videbo vos et vobiscum morabor. Quam ob causam? *Ad profectum vestrum et gaudium fidei.* Hoc loco ipsos excitat, ut sibi attendant. Nam si propter vos, inquit, manebo; videte ne mansionem meam dedecoretis. Cum jam Christus mihi videndus esset, elegi propter vestrum profectum manere. Mea enim præsentia et ad fidem vobis facit, et ad gaudium : propterea elegi manere. Quid igitur? Philippensiumne tantum gratia mansit? Non sane illorum tantum gratia mansit, sed his verbis quamdam illis adhibet lenem medicinam. Quomodo autem erant illi profecturi in fide? Ut magis magisque vos confirmem : perinde ac pullos quosdam matris cura egentes, donec ipsis solidiores succrescant alæ. Magnum hoc caritatis indicium. Ad hunc modum a nobis etiam quidam excitari solent, atque ita dicimus : Tua causa mansi, ut te bonum redderem. *Ut gratulatio vestra*, inquit, *abundet in Christo Jesu in me per meum adventum iterum ad vos.* Vides ista voce, *Commanebo*, hoc quod dicebam significatum esse? Considera humilitatem. Quoniam dixit, *Ad profectum vestrum*, ostendit id sibi quoque utilitatem afferre; quod etiam facit ad Romanos scribens his verbis, *Id est, simul consolari in vobis :* antea enim dixerat, *Ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis* (*Rom.* 1. 12. 11). Quid autem hoc est, *Ut gloriatio vestra abundet?* Id est, ut crescat id, quod erat causa gloriandi : hoc autem est corroborari in fide (hæc enim est gloriatio in Christo), recte vivere. Ergo *Gloriatio vestra in me per meum adventum iterum ad vos?* Maxime, inquit, *Quæ enim est spes nostra aut quæ corona gloriationis? nonne et vos* (1. *Thess.* 2. 19)? *Vos* enim *estis gloriatio nostra, quemadmodum et nos vestra* (2. *Cor.* 1. 14); id est, ut habeam quo in vobis majorem in modum glorier. Quomodo? *Ut gloriatio*, inquit, *vestra abundet.* Majorem enim habeo gloriationis materiam, cum vos proficitis. *Per meum adventum iterum ad vos.* Qui igitur? num ad ipsos rediit? Hoc vobis inquirendum relinquo, utrum redierit. 27. *Tantum digne*, inquit, *evangelio Christi conversamini.* Vides omnia quæcumque dixit, huc spectasse, ut ipsos exhortetur ad majores in virtute progressus faciendos? *Tantum digne evangelio Christi conversamini.* Quid est quod inquit, *Tantum?* Idem valet ac si diceret : Hoc solum est, quod requiritur; præterea nihil : si hoc adsit, nihil vobis molesti obtinget. *Ut sive cum venero et videro vos, sive absens audiam de rebus vestris.* Non hæc dicit, quasi mutarit sententiam, neque ad ipsos redire amplius velit; sed, Etiam si hoc accidat, inquit, absens quoque lætari possum. *Si audiero, quia statis in uno spiritu et una anima.*

3. Hoc est, quod maxime fideles conjungit, et caritatem ipsam continet : hinc illa Domini verba, *Ut sint unum* (*Joan.* 17. 11). Nam *Regnum*, inquit, *in se divisum, non poterit stare* (*Matth.* 12. 25). Propterea et Paulus multus ubique est in concordia suadenda : ideo et Christus inquit, *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* 13. 35). Ne igitur, inquit Paulus, mei adventus exspectatione pendentes interea obdormite; ut cum quod exspectabatis, successerit, meque videritis, deinceps diligentiam remittatis ac dissolvamini. Nam etiam ex auditu eamdem capere voluptatem possum. Quid istuc est, *In uno spiritu?* Id est, eadem illa gratia concordiæ, alacritatis. Unus etiam est spiritus : atque id ex eo ostenditur, quod sæpe hoc modo dictum sit : ita enim est et in una stare anima, cum omnes unum spiritum habeamus. Vide voce illa, μιᾷ ψυχῇ, id est, una anima, concordiam esse significatam : vide multas animas unam dici. Ita se habebat antiquitus : Omnium, inquit, *erat cor et anima una* (*Act.* 4. 32). *Collaborantes fidei evangelii.* Num tamquam fide laborante in certamine, mutuo, inquit, collaborantes? qua ratione id stare possit? Non enim inter se pugnabant; sed quod vult Paulus, hoc est : Mutuum, inquit, vobis auxilium afferte, dum fides evangelii in certamine versatur. 28. *Et in nullo territi ab adversariis, quod quidem ipsis est argumentum perditionis, vobis autem salutis.* Optime dixit, *Territi :* talia enim sunt, quæ ab adversariis proficiscuntur : terrent tantummodo. Dicit igitur, *In nullo :* quidquid evenerit, etiam si pericula proposita sint, etiam si insidiæ : hoc enim est recte stantium. Illi enim terrere dumtaxat possunt; præterea nihil. Quia enim verisimile erat illos valde perturbari, cum animadverterent Paulum innumerabiles subire calamitates : Non dico, inquit, Ne fluctuetis, sed, Ne terreamini; sed etiam illos valde contemnatis. Nam si hoc modo animati sitis, hinc jam et ipsorum perditionem, et vestram salutem perspicuam facietis. Etenim cum viderint sexcenta se artificia comminisci, ac ne terrere quidem vos posse, certa sui ipsorum interitus argumenta capient. Quando enim vexatores iis quos

vexant superiores non evadunt, non insidiatores iis quos in potestate habent : nonne ex hoc ipso perspicue intelligent, se ad interitum ruere, nihil posse, sua esse falsa et infirma ? *Et hoc a Deo*, inquit : 29. *quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini*. Rursus illos componit, ut de se modeste sentiant, totum Deo adscribens, et gratiam et charisma et donum esse dicens pati pro Christo. Itaque ne vos pudeat de charismate : est enim longe admirabilius, quam mortuos ad vitam revocare, ac cætera miracula facere. Nam ibi quidem ego sum debitor ; hic vero debitorem habeo Christum. Quare tantum abest, ut probri loco id habendum sit, ut potius sit exsultandum ac gaudendum, quippe qui charisma habeamus. Virtutes vocat charismata et dona, non tamen eodem modo, atque alia : illa enim tota Dei sunt ; hæc vero etiam nostra. Verumtamen quoniam et hic major ac potior pars Dei est, propterea totum ipsius esse inquit, non voluntatis libertatem evertens, sed ipsos apparans ut moderati et grati sint. 30. *Idem certamen habentes, quale vidistis in me.* Id est, Exemplum etiam habetis. Rursus hoc loco ipsos extollit. Ubique enim eos ostendit in iisdem secum certaminibus versari, eosdem impetus ferre, privatim etiam, atque apud seipsos : eo quod easdem atque ipse tolerent tentationes. Non dixit, Audistis, sed, *Vidistis* : nam et illic, id est in Philippensium urbe, certaverat. Hoc igitur magnæ virtutis est. Quamobrem et ad Galatas scribens dicebat : *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa* (*Gal.* 3. 4) ; et Hebræis rursus scribens dicebat, *Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum, et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socii taliter conversantium effecti* (*Hebr.* 10. 32. 33). Et rursus Macedonibus, id est, Thessalonicensibus scribens dicebat, *Ipsi enim de nobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos ;* et rursus, *Nam et ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit* (1. *Thess.* 1. 9. *et* 2. 1). Omninoque de omnibus idipsum similiter testatur, certamina et pugnas. At minime hoc nunc apud nos invenietur : nunc enim satis bene agitur, si quis vel in pecuniis quidpiam detrimenti ferat. Ac sane in pecuniis quoque præclarum de illis testimonium dat Paulus : nam de aliis quidem ita dicit, *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis* (*Hebr.* 10. 34) ; de aliis vero, *Probaverunt Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in pauperes* (*Rom.* 15. 26) ; et iterum, *Vestra æmulatio provocavit plurimos* (2. *Cor.* 9. 2).

4. Vides illius temporis virorum encomia ? Nos vero ne ad alapas quidem et plagas usque sapientiam adhibemus ; imo non contumeliam, non pecuniarum jacturam ferimus. Illi jam omnes æmulatores erant, et martyres in certamen descendentes ; nos vero caritatem in Christum refrigeravimus. Rursus cogor præsentem rerum statum accusare. Et quid faciam ? nollem quidem, sed plane cogor. Nam si fieri posset, ut tacendo, nec quidquam ex iis quæ gesta fuissent commemorando, silentio ipso, ea quæ geruntur e medio tollerentur, tacendum certe erat : sin autem contra fit, et nobis tacentibus non modo non tolluntur, sed graviora etiam fiunt, dicendum necessario est. Nam qui peccata accusat, ut nihil aliud præstet, certe longius ille progredi non sinit. Nulla enim est tam impudens anima ac temeraria, quæ si assidue se reprehendi audiat, non suffundatur pudore, non remittat aliquid de summa illa improbitate. Inest enim, inest etiam in impudentibus paululum quid verecundiæ : naturæ enim nostræ Deus ipse pudorem insevit. Etenim quando non satis poterat timor ad nos componendos, multas alias non peccando rationes apparavit : ut reprehensiones hominum, metum humanarum legum, amorem gloriæ, amicitiarum studium. Omnia enim hæc eo nos adducunt, ut peccandum non putemus. Sæpe enim quæ propter Deum minime fiebant, propter pudorem sunt facta ; et quæ Dei causa, ut velimus non adducimur, ea timore hominum suscipimus. Quod enim petitur, hoc est, primum, ut discamus non peccare ; deinde vero illud etiam, ut Dei causa hoc agamus, consequemur. Alioqui quid causæ fuisset, cur Paulus eos, quibus superandi adversarii per patientiam erant, non a timore Dei cohortatur, sed inde, quod supplicium de illis sumpturi essent ? *Hoc enim faciens*, inquit, *carbones ignis congeres super caput ejus* (*Rom.* 12. 20). Interea enim hanc progressionem fieri vult ad virtutem. Inest igitur, quod antea dicebam, in nobis nescio quid verecundi, multaque naturalia habemus bona ad virtutem : exempli causa, ad misericordiam omnes a natura movemur, nec quidquam aliud in natura nostra æque bonum est atque hoc. Quamobrem merito etiam quispiam quæsierit, quam ob causam id potissimum nostræ naturæ sit insitum, ut frangamur lacrymis, flectamur et ad misericordiam propensi simus. Nemo natura strenuus est, nemo natura ab inanis gloriæ cupiditate liber, nemo natura superior æmulatione : sed misereri omnibus a natura inditum est, quantumvis crudelis sit quis et sævus. Et quid mirum, si erga homines hanc propensionem ostendamus ? ferarum etiam miseremur : adeo nobis indita est misericordia. Vel leonis catulum aspicientes, nonnihil commovemur : quanto igitur magis erga id, quod ejusdem nobiscum generis est ? Hem quot cæci et corporibus mutilatis, sæpe dicimus, non ignorantes id satis aptum esse, quod nos ad misericordiam adducat.

Nihil æque Deum delectat ut misericordia et eleemosyna. — Nihil æque Deum delectat, ut misericordia. Quamobrem sacerdotes, reges, prophetæ oleo ungebantur : oleum enim pro symbolo Dei misericordiæ habebant. Præterea discebant in principe plus misericordiæ requiri : item ostendebatur spiritum propter misericordiam venturum esse in hominem. Deus enim hominum miseretur, et benigne cum ipsis agit : *Misereris enim omnium*, inquit, *quia omnia potes* (*Sap.* 11. 24). Propterea oleo inungebantur. Nam et sacer-

dotium ipsum ex misericordia instituit. Verum reges etiam oleo inungebantur. Et si quis principem laudet, nihil quod æque ipsum deceat afferet, ac misericordiam : principatus enim proprium est misereri. Cogita ex misericordia esse conditum mundum, et imitare Dominum. *Miseratio*, inquit, *hominis circa proximum suum : misericordia autem Dei super omnem carnem* (*Eccli.* 18. 12). Quomodo, *Super omnem carnem?* Sive peccatores, sive justos protuleris, omnes egemus misericordia Dei, omnes ipsa fruimur, sive ipse sit Paulus, sive Petrus, sive Joannes. Atque audi ipsorum verba : quid enim nostris opus est? Quid igitur inquit beatus hic? *Sea misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci* (1. *Tim.* 1. 13). Quid ergo? postea non egebat misericordia? Audi quid dicat : *Abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum* (1. *Cor.* 15. 10); ac rursus de Epaphrodito inquit, *Nam et infirmatus est usque ad mortem, sed Deus misertus est ejus, non solum autem ejus, verum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem* (*Philipp.* 2. 27); et rursus, *Gravati*, inquit, *sumus supra modum, ita ut tæderet nos etiam vivere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui de tantis mortibus eripuit nos, et eripiet* (2. *Cor.* 1. 8. 9-10); et rursus, *Liberatus sum de ore leonis, et liberavit me Dominus* (2. *Tim.* 4. 17. 18). Atque ubique ipsum inveniemus id gloriantem, quod misericordia salutem sit consequutus.

5. Atqui Petrus etiam, eo quod in ipsum misericordia fuisset adhibita, talis erat. Audi enim Christum hoc ipsi verbis illis significantem : *Ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te; ut non deficiat fides tua* (*Luc.* 22. 31. 32). Et Joannes misericordia talis erat; atque omnes omnino apostoli. Audi enim quid Christus dicat : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.* 15. 16). Omnes enim egemus misericordia Dei : *Misericordia enim Dei*, inquit, *super omnem carnem.* Quod si isti quoque egebant misericordia Dei, quid tandem de cæteris dicendum erit? Ecquid enim aliud, dic mihi, causæ est, cur solem exoriri faciat super malos et bonos? Quid? si unum dumtaxat annum pluviam cohibuisset, nonne omnes peremisset? quid vero, si imbres densasset? Sed quid si pluisset ignem? si muscas immisisset; sed quid hoc affero? si tenebras induxisset, quod aliquando fecit, nonne omnes perdidisset? si terram concussisset, nonne periissent omnes? *Quid est homo, quod memor es ejus* (*Psal.* 8. 5)? Opportune nunc dixero : Si vel terræ minitetur tantum, omnes unum sepulcrum fient. *Quasi stilla aquæ de situla*, inquit, *ita gentes coram ipso : quasi spuma reputabuntur, quasi momentum stateræ* (*Isai.* 40. 15). Quemadmodum nobis facile est trutinam movere : ita ipsi omnia perdere, ac de integro facere. Qui igitur tam nos in sua potestate habet, ac videt quotidie peccantes, nec tamen punit, nonne fert ex misericordia? Sed vide etiam jumenta per misericordiam esse et servari. *Homines* enim, inquit, *et jumenta salvabis, Domine* (*Psal.* 35. 7). Respexit terram, et ipsam implevit animalibus. Quamobrem? Propter te : te vero cur fecit? nonne propter bonitatem? Nihil oleo melius : lucis causa est et ibi et hic. *Tunc* enim, inquit propheta, *exorietur mane lumen tuum* (*Isai.* 58. 8), si misericordiam erga proximum præstiteris : ac merito quidem. Quemadmodum oleum hoc lucem præbet navigantibus, ita et eleemosyna magnum illic et admirabile nobis largitur lumen. Talis olei magnam habet rationem Paulus: audi enim interdum quidem dicentem, *Tantum ut pauperum memores essemus* (*Gal.* 2. 10); interdum vero, *Si dignum fuerit, ut ego eam* (1 *Cor.* 16. 4). Omninoque ipsum vides ubique omnibus modis hanc rem sollicite curare. Et rursus, *Discant autem et nostri bonis operibus præesse;* et rursus, *Hæc enim sunt bona et utilia hominibus* (*Tit.* 3. 14. 8.) Audi vero et alium quemdam ita dicentem, *Eleemosyna a morte liberat* (*Tob.* 12. 9); et alium, *Si misericordiam removeris, Domine, Domine, quis sustinebit?* et rursus, *Si intres*, inquit, *in judicium cum servo tuo* (*Psal.* 129. 3. *et* 142. 2); et alius, *Magnum quiddam homo, et præclarum vir misericors* (*Prov.* 20. 6). Hoc enim est hominem esse, vel potius hoc est Deum esse, misereri. Vides quanta divinæ misericordiæ sit potentia? Hæc omnia fecit, hæc mundum condidit, hæc angelos fecit; per solam, inquam, bonitatem. Propterea enim gehennam minatus est, ut regnum assequamur; regnum vero consequimur per misericordiam. Cur enim cum solus esset Deus, tot deos fecit? nonne propter bonitatem? nonne propter b nignitatem atque humanitatem? Si quæsieris, cur hoc, cur illud fecerit, ubique invenies bonitatem. Itaque proximorum misereamur, ut etiam in nos misericordia adhibeatur. Non magis illis, quam nobis ipsis colligimus misericordiam in diem illum. Ubi vehemens fuerit flamma ignis, misericordia hæc ignem quidem restinguit, lucis autem nobis causa est. Ita hujus opera a gehennæ igni liberabimur : cæteroquin unde sua vobis viscera aperiet Deus? unde miserebitur? Ex caritate misericordia exoritur. Nihil adeo irritat Deum, atque immisericordem esse. Oblatus est ei quispiam, qui decem millia talenta debebat, et misericordia motus debitum remisit : at cum hic idem conservum ob debitos sibi centum denarios suffocaret, tunc tradidit eum Dominus tortoribus, quousque redderet debitum. Hæc audientes, misericordes simus erga debitores in peccatis : nemo injuriarum sit memor, nisi seipsum lædere velit. Non enim tantum molestiæ illi affers non remittens, quantam tibi ipsi infers injuriam. Nam te quidem illum persequente, non persequitur Deus : te vero dimittente, aut illum persequitur Deus, aut tua tibi dimittit peccata. Quomodo autem, nisi tu remittas proximo, ad regnum aspiras? Quo quidem damno ne afficiamur, remittamus omnibus; nobis enim ipsis remittimus : condonemus, ut nobis condonet Deus peccata nostra; atque ita futuris potiamur bonis, etc.

HOMILIA V.

Cap. 2. v. 1. *Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera et miserationes : 2. implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes, idipsum sapientes : 3. nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes : 4. non quæ sua sunt, singuli considerate, sed et ea quæ aliorum, unusquisque.*

1. Nihil melius, nihil in amore tenerius doctore spirituali : quovis naturali patre majorem benevolentiam præstat. Attende, obsecro, quam suppliciter petat a Philippensibus ea quæ e re ipsorum erant. Quid enim dicit ad concordiam omnium bonorum causam cohortans ? et vide, quam copiose, quam vehementer, quanto cum affectu · *Si qua ergo consolatio in Christo,* inquit. Id est, Si quid habetis consolationis in Christo; perinde ac si diceret : Si quam mei rationem habes, si qua tibi mei cura, si quid bene umquam de te merui, hoc facito. Hac vero orationis figura in movendo affectu utimur, si quid postulandum sit, quod cæteris omnibus præponamus. Nam nisi omnibus præponeremus, non eo uno impetrato omnium nobis exhaustam esse mercedem vellemus, nec per illud diceremus quidquid nobis debebatur, esse repræsentatum. Sed nos quidem carnalia beneficia commemoramus : ut si pater erga filium diceret, Si qua tibi reverentia erga patrem, si qua educationis, si qua pietatis erga me, si qua honoris quem ex me es consequutus, si qua benevolentiæ memoria, rogo te, ne sis inimicus fratri; hoc est, pro omnibus illis hanc exigo mercedem. Sed non ita Paulus : nihil enim, quod ad carnem pertineat, redigit ad memoriam, sed omnia spiritualia. Quod autem dicit, tale est : Si quid mihi solatii vultis in tentationibus afferre, meque recreare in Christo, si quam consolationem caritatis, si quidquam ejus communionis quæ in spiritu est, vultis ostendere, si qua habetis viscera et misericordiæ sensum, implete meum gaudium. *Si qua viscera et miserationes.* Miserationem sibi exhibitam vocat Paulus discipulorum concordiam, ostendens summum imminere periculum, nisi concordes fuerint. Si quid mihi, inquit, solatii a vobis exspectandum est, si quid consolationis ex vestra caritate reportare licet; si possim vobiscum communicare in spiritu, si communicare vobiscum in Domino; si qua mihi a vobis misericordia et commiseratio præstanda est, omnium harum rerum mercedem in caritate ipsa tuenda repræsentate. Satis mihi a vobis factum esse, omniaque consequutum putabo, si vos mutuo amaveritis. *Implete gaudium meum.* Ne quæ dicit, admonitionis vim habere viderentur, quasi illi jam ab officio decessissent, non ita dicit, Facite mihi, sed, *Implete;* id est, Cœpistis jam in me serere, jam mihi dedistis, ut satis quietus sim, sed ad finem pervenire desidero. Quid desideras, dic mihi ? ut te a periculis liberemus ? ut tibi quidpiam suppeditemus ? Nihil hujusmodi, inquit, sed *Ut vos idem sapiatis eamdem habentes caritatem, in qua cœpistis, unanimes, unum sapientes.* Papæ! quoties idem repetit ex magno quodam affectu ! *Ut idem sapiatis,* inquit, imo vero ut unum sapiatis. Hoc enim progrediens ostendit verbis illis, *Unum sapientes :* quod majus quidquam est, quam idem sapere. *Eamdem caritatem habentes :* id est non tantum in nuda fide, sed in cæteris etiam omnibus rebus. Possumus enim et idem sapere, et caritatem non habere. *Eamdem caritatem habentes :* id est, æque et amare et amari. Noli, cum magna aliorum in te caritate fruaris, minorem ipsis præstare, quasi hac etiam in re plus æquo tibi appetas. Nam si nonnulli sunt qui faciant, tu id in te cadere nullo pacto feras. *Unanimes,* inquit : id est, uni animæ omnium corpora quasi propria accommodantes, non quidem substantia ipsa ; nam id fieri non potest ; sed electione et sententia : quasi ex una anima omnia proficiscantur. Quid est, *Unanimes ?* Hoc declaravit addens, *Unum sapientes :* unicum enim vult esse omnium sensum, perinde ac si ex una anima penderent. *Nihil per contentionem.* Rogat deinde et exponit modum quo id fiat; *Nihil per contentionem vel inanem gloriam,* inquit. Quod ipsum semper dico malorum omnium esse causam : hinc pugnæ et lites, hinc invidia et vincendi studium, hinc caritatis refrigeratio ; cum hominum gloriam amamus, cum honori, qui a multis exhibetur, servimus, tunc omnia hæc accidunt : minime enim fas est gloriæ servientem, Dei etiam germanum esse servum. Qua igitur ratione hoc inanis gloriæ studium fugerimus ? nondum enim illam exposuisti. Audi sequentia : *Sed in humilitate,* inquit, *superiores sibi invicem arbitrantes.* Papæ ! quomodo plenum philosophiæ dogma, et ad nostram salutem mirabiliter conducens exposuit ! Si existimaris, inquit, illum te majorem esse, idque tibi ipsi persuaseris; aut potius si non solum dixeris, sed etiam persuasionis istius plenus, honore quoque fueris prosequutus, minime succensebis, si ipsi ab alio tributum videas. Igitur non tantum existima illum te majorem esse, sed etiam superiorem, quæ vox magnam præstantiam indicat; et non ægre feres neque dolebis, si illum in honore esse videas ; et si contumeliam intulerit, generose feres : ipsum enim majorem te existimasti : et si conviciis appetierit, morem geres ; et si malefecerit, tacitus feres. Quando enim semel hoc sibi anima penitus persuaserit, esse majorem ; non impellitur ad iram, si ab ipso male accipiatur, non ad invidiam. Iis enim qui valde præstant, nemo inviderit : hæc enim omnia præstantiæ illius deberi putat.

2. Iis igitur verbis docet talem animum suscipere. Quod si vicissim illo tanto abs te honore affectus, inquit, eumdem erga te animum susceperit ; cogita duplici quasi muro fultam esse æquanimitatem. Quamdiu enim uterque utrumque honore dignos putatis, nihil umquam accidere molesti potest. Nam si hoc vel ab altero dumtaxat præstitum satis est ad omnem contentionem tollendam ; quando ab utrisque præstatur

quis hanc munitionem perrumpet? Ne ipse quidem diabolus : triplici enim et quadruplici muro, atque eo amplius fulta est arx. Omnium enim bonorum causa est humilitas. Quod ut ita esse discas, audi prophetam dicentem : *Quoniam si sacrificium voluisses, dedissem utique : holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non despiciet* (*Psal.* 50. 18. 19). Non absolute quamvis humilitatem, sed intentionem quamdam humilitatis postulat et exigit. Nam quemadmodum in corporibus quod contritum est, numquam solido corpori reluctabitur, sed quotquot gravia patiatur, prius ipsum interibit, quam in alterum irruat : ita et in anima : eliget enim potius perpetuo male excepta mortem etiam obire, quam irrumpere et ulcisci. Quousque spirabimus spiritus istos ridiculos? Nam sicut pueros si videamus sese efferre et superbire, etiamsi lapidem tollant et jaciant, ridemus : ita humana arrogantia puerilis mentis, infirmi animi proles est. *Quid superbis terra et cinis* (*Eccli.* 10. 9)? Magnos spiritus sumis, homo? quare? quæ utilitas, dic mihi? unde vero magnos spiritus sumis in eos etiam, qui ejusdem sunt ordinis? non ejusdem particeps es naturæ? non ejusdem animæ? non eumdem a Deo honorem accepisti? At sapiens es? Ergo gratias agere, non intumescere debes. Prima ingrati animi nota superbia est; aufert enim beneficentiæ donum. Qui enim sese effert, is, quasi ipse id quod recte factum est, confecerit, se effert : qui autem omnia a se profecta putat, ingratus est adversus eum, qui honorem dedit. Quippiam boni habes? Gratias age ei, qui dedit. Audi quid dicat Joseph, quid Daniel. Nam cum Ægypti rex illum e carcere accersivisset, et in conspectu totius exercitus de eo negotio interrogasset, in quo defecerant Ægyptii, qui in hujusmodi rebus maxime pollebant : cum ipse jam sese illis omnibus superiorem ostensurus esset, longeque sapientior esset habendus astrologis, vatibus, præstigiatoribus, magis, philosophis ejus temporis omnibus, puer ipse ex captivitate et servitute (tunc enim major exsistit gloria : neque enim idem est hominem [jam clarum lucere, atque præter exspectationem; quare quod præter spem id evenerit, admirabiliorem ipsum fecit) : quid igitur iste accedens ad Pharaonem? dixitne, Profecto novi? Nihil minus; sed quid? Nemine ipsum arguente, pro sua ipsa magna grati animi virtute, quid ait? *Numquid non per Deum interpretatio horum est* (*Gen.* 40. 8)? Vide, continuo gloriam Deo tribuit; propterea ipse quoque gloriam accepit. Nam et hoc ad gloriam non leve momentum habet : multo enim majus est, ipsi a Deo esse revelatum, quam ipsum per se hoc confecisse; præterquam quod hinc etiam verbis suis fidem conciliabat, idque firmissimum erat familiaritatis cum Deo argumentum. Nihil enim æque bonum est, ac familiarem fieri Deo. *Si enim ex operibus justificatus est, habet gloriam*, inquit, *sed non apud Deum* (*Rom.* 4. 2). Nam et qui criminibus obnoxius gratiam est consequutus, gloriatur in Deo, nimirum, quod ab illo amatur sibique peccata remissa sunt; et ille qui operatur, habet gloriam, sed non apud Deum, ut ille : nam hoc quidem magnæ infirmitatis nostræ est argumentum : at qui sapientiam a Deo accepit, quanto erit admirabilior? Gloriam Deo tribuit, et vicissim ab illo gloriam accepit : *Glorificantes* enim *me*, inquit, *glorifico* (1 *Reg.* 2. 10). Rursus pronepos hujus, quo quidem nemo fuit sapientior (scriptum est enim, *Numquid tu sapientior es Daniele* [*Ezech.* 28. 3]) ? hic igitur Daniel cum omnes qui erant in Babylone sapientes, atque ipsi rursus astrologi, vates, magi, præstigiatores, atque universa philosophia, non modo convicta jam esset, sed etiam e medio sublata (capitali enim a rege in sapientes lata sententia satis indicabat, antea quoque se ab illis deceptum fuisse) : accedens ergo ad regem, ipsius petitioni jam satisfacturus, neque ipse se magnifice circumspicit, sed primum omnia Deo refert accepta, et inquit : *Mihi vero non in sapientia, quæ est in me plus quam in cunctis hominibus, revelatum est, o rex* (*Dan.* 2. 30). Tunc vero adoravit ipsum rex, ac dixit, Libentur oblationes. Vides humilitatem? vides gratum animum? vides mores a superbia remotos? Audi vero et apostolorum verba, interdum quidem dicentium : *Quid nos intuemini, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare* (*Act.* 3, 12. *et* 14. 14)? Interdum vero, *Et nos mortales sumus, similes vobis homines.* Quod si illi delatos sibi honores adeo repudiabant, homines, qui per eam humilitatem quæ secundum Christum est, ipsiusque potentiam majora quam Christus ipse opera ediderant (nam, *Qui credit in me*, inquit, *majora horum faciet, quæ ego facio* (*Joan.* 14. 12) : quomodo nos non miseri atque infelices sumus, qui ne culices quidem expellere possumus, nedum dæmonas? qui ne uni quidem homini prodesse valemus, nedum universo orbi, et tamen tantos nobis spiritus sumimus, quantos ne ipse quidem diabolus?

3. *Superbia quam aliena ab anima Christiana.* — Nihil æque alienum ab anima Christiana est ac superbia : superbiam dico, non fidentiam, non virilis animi fortitudinem; nam ista quidem convenientia sunt; longe enim ab illa differunt. Quamobrem aliud quidem est humilitas, aliud vero illiberalitas et assentatio] et molles blanditiæ. Ac si vultis, horum omnium ego vobis exempla afferam. Videntur enim quæ contraria sunt inter se, prope quodammodo esse posita, ut frumento zizania, et rosis spinæ; sed pueri quidem fallantur, qui autem vere sunt viri, spiritualis agriculturæ periti, norunt vera bona a malis distinguere. Age igitur exempla vobis ex ipsismet Scripturis proponamus. Quid tandem est assentatio et illiberalitas et mollis blanditia? Siba intempestive Davidi est assentatus, suumque dominum criminatus est; multo autem magis Achitophel Absaloni. At non talis David, sed humilis (2. *Reg.* 16). Qui enim subdoli sunt, assentatores sunt : quemadmodum cum magi dicunt : *Vive, rex, in sæcula* (*Dan.* 2. 4). Ac de Paulo multa hujusmodi inveniemus in Actis, cum Judæis ita disserente, ut non as-

sentetur, sed humiliter agat : novit enim et libere ac fidenter agere ; ut cum inquit : *Viri fratres, nihil adversus plebem faciens, aut mores paternos, vinctus ab Jerosolymis traditus sum* (*Act.* 28, 17). Ut enim intelligas humilitatis fuisse hæc verba, audi quam ipsos objurget in sequentibus, ita dicens : *Bene Spiritus sanctus loquutus est, Aure audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non perspicietis* (*Act.* 25. 26). Vides fortitudinem? Sed Joannis etiam Baptistæ fortitudinem considera, qua erga Herodem usus est, dicens : *Non licet tibi habere uxorem Philippi fratris tui* (*Marc.* 6. 18). Hoc fidentiæ est, hoc fortitudinis : at non verba illa Semei : *Egredere vir sanguinum* (2. *Reg.* 16. 7); quamquam et ille fidenter agebat. At non hoc fortitudo est, sed audacia et contumelia et linguæ intemperantia. Jezabel etiam convicium fecit Jehu, dicens : *Qui interfecit dominum suum* (4. *Reg.* 9. 31); sed hoc audacia erat, non fidentia. Convicium et Helias fecit, sed id fidentia ac fortitudo erat : *Non ego turbo populum, sed tu, et domus patris tui* (3. *Reg.* 18. 18). Rursus erga universum populum fidenter agebat Helias dicens : *Usquequo claudicatis utrisque vestris poplitibus* (*Ib. v.* 21)? Hoc igitur modo tangere fidentia erat et fortitudo : idque prophetæ faciebant; illud autem audacia erat. Vis præterea humilitatis, ac libertatis audire verba? audi Paulum dicentem : *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die : sed neque me ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum* (1. *Cor.* 4. 3. 4). Hujusmodi spiritus Christianum decent. Ac rursus, *Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos* (1. *Cor.* 4. 3. 4)? Vis amentium Judæorum assentationem cognoscere? audi ipsos dicentes, *Nos non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Joan.* 19. 15). Vis cognoscere humilitatem? audi rursus Paulum dicentem, *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum, nos autem servos vestros per Jesum* (1. *Cor.* 4. 5). Vis et assentationem et audaciam videre? considera audaciam quidem Nabal, assentationem vero Ziphæorum (1. *Reg.* 25. *et* 23) : quomodo ille quidem maledicta jaciebat; isti vero, quantum ad ipsorum voluntatem et consilium pertinet, Davidem prodiderunt. Vis non assentationem, sed philosophiam cognoscere? considera Davidem intercepto Saüli parcentem. Vis assentationem cognoscere? considera eos, qui Memphibosten (*a*) interfecerunt : quos ideo etiam David e medio sustulit. Omnino autem, ut summatim describamus, audacia quidem est, si quis irascatur et convicium faciat nullam ob justam gravemque causam, sed aut seipsum ulciscens, aut alio quovis modo injuste effervescens : fidentia autem et fortitudo, cum quis adversus pericula et mortem audet, amicitias et inimicitias despicit pro iis rebus quæ Deo probantur. Rursus assentatio quidem et illiberalitas est, cuivis inservire, non ob eas res quæ opus sunt, sed aliquid quod ad hanc vitam faciat captantem : humilitas vero, si quis ob causas, quæ Deo probantur, id faciat; ideoque a gradu dignitatis suæ descendat, ut magnum quippiam, atque admirabile opus perficiat. Si hæc sciamus, ac præterea factis exprimamus, beati erimus. Non enim satis est scire : *Non enim auditores legis*, inquit, *sed factores legis justificabuntur* (*Rom.* 2. 13). Quinetiam cognitio ipsa condemnat, si factis virtutisque officiis caruerit. Itaque ut condemnationem vitemus, actiones ipsas obeamus : ut promissa consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, etc.

(*a*) Hic Memphiboste pro Isboseth aut lapsu memoriæ, aut amanuensium errore positum est.

HOMILIA VI.

Cap. 2. v. 5. *Hoc enim sentiatur in vobis, quod et in Christo Jesu :* 6. *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo ;* 7. *sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo :* 8. *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

1. Dominus noster Jesus Christus discipulos suos ad magna cohortans, seipsum et Patrem et prophetas pro exemplo proposuit : veluti cum dicit, *Ita enim se gesserunt adversus prophetas, qui fuerunt ante vos* (*Matth.* 5. 12); et rursus, *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (*Joan.* 15. 20); et, *Discite a me quia sum mitis* (*Matth.* 11. 29); et rursus, *Estote misericordes, sicut et Pater vester, qui in cœlis est* (*Luc.* 6. 36). Id beatus etiam Paulus facit : adhortans enim eos ad humilitatem, Christum in medium adducebat; neque hic dumtaxat, sed etiam quando disserit de amore erga pauperes, modo quodam ita loquitur : *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cum esset dives* (2. *Cor.* 8. 9). Nihil enim excelsum ac philosophum animum æque ad bona opera obeunda excitat, ac si intelligat, hac re Deo se similem fieri. Quid enim æque, atque hoc, ad cohortationem valeat? Nihil. Quod sane et Paulus sciens, istos ad humilitatem exhortans, primum quidem obsecravit et supplicavit; deinde cohortantis more dixit, *Quia statis in uno spiritu;* dixit, *Quod illis est argumentum perditionis, vobis autem salutis* (*Philipp.* 1. 27. 28). Nunc vero tandem et hoc affert : *Hoc enim sentiatur in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Attendite, obsecro, atque exsurgite. Etenim quemadmodum gladius quidam utrimque acutus, quocumque inciderit, etiamsi in sexcentas phalangas, facile ipsas perrumpit ac delet; eo quod undique acuta est, nihilque illius aciem ferre potest : ita plane et Spiritus verba. Nam his ipsis verbis et Arii Alexandrini sectatores, et

Pauli Samosateni, et Marcelli Galatæ, et Sabellii Libyci, et Marcionis Pontici, et Valentini, et Manetis, et Laodicensis Apollinarii, et Photini, et Sophronii (*a*), omnesque omnino hæreses prostravit. Ut itaque ad hujusmodi spectaculum invitati, ut una plaga tot phalangum ruinam visuri, excitamini, ne spectaculi jucunditas vos prætervolet. Nam si in curruum atque equorum certaminibus nihil æque spectatu jucundum est, ac cum quis totos currus una cum aurigis impulsu ipso prostraverit, multisque quadrigis resupinatis una cum insistentibus aurigis, solus ad metam calcemque agonis pervenerit; magnusque undique plausus et clamor ad cælum ascenderit: ille vero ex lætitia et plausibus quasi volucris factus totum stadium equis confecerit: quanto major hinc exsistet voluptas, cum omnium hæresum cuneos et diabolica machinamenta una cum aurigis ipsis, Dei gratia, omnia simul confertim prostraverimus? Ac si libet, primum hæreses ipsas ex ordine collocemus.

Errores Sabellii, Marcionis, Marcelli, Photini, Sophronii, Arii, exponuntur; confutantur Sabellius et Arius. — Vultis igitur impietatis, an temporum ordinem? Sed temporum sane sequamur: etenim quænam impietate prior, vel posterior sit, difficile est judicatu. Primus igitur prodeat Sabellius Libycus. Quid iste, inquit? Patrem, Filium et Spiritum sanctum nuda esse nomina uni personæ imposita. Marcion autem Ponticus negat Deum, qui omnia condidit, esse bonum, ac Patrem Christi boni; sed alium quemdam esse fingit, qui justus sit, Filiumque pro nobis sumpsisse carnem negat. Marcellus et Photinus et Sophronius Verbum ipsum inquiunt energiam et efficaciam operationis esse; atque hanc energiam inhabitare in illo qui ex semine David, minime vero substantiam hypostaticam. Arius Filium quidem fatetur, sed tantum nomine: creaturam enim esse, inquit, et Patre longe minorem. Cæteri vero negant habere animam. Vides stantes currus? considera igitur et illorum ruinas, quomodo omnes simul propellens sternit, omnes, inquam, una plaga atque impetu. Quomodo igitur sternit? *Hoc enim sentiatur in vobis*, inquit, *quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Hinc et Paulus Samosatenus corruit, et Marcellus et Sabellius: inquit enim, *Qui cum in forma Dei esset.* Si in forma, quomodo ais tu, o sceleste, a Maria initium habuisse, atque anteà non fuisse? quomodo vero tu rursus dicis energiam fuisse? inquit enim, *In forma Dei, et formam servi accepit.* Forma servi, dic mihi, estne energia servi, an natura servi? Omnino natura servi, respondebis. Ergo et forma Dei natura Dei est, non igitur energia. En et Marcellus Galata et Sophronius et Photinus corruerunt.

2. En quoque Sabellius. *Cum in forma Dei esset, non rapinam*, inquit, *arbitratus est esse se æqualem Deo.* Æquale vero non in una dicitur persona: æquale enim alicui est æquale. Vides duarum personarum hypostasim, non autem nuda nomina, quibus nullæ res subjectæ sint? audisti exsistentiam Unigeniti ante sæcula? Verum hæc quidem adversus illos: sed quid jam adversus Arium dicemus, qui alterius essentiæ Filium facit? Dic mihi, quid hoc est, Formam servi accepit? Homo factus est, inquit. Ergo et in forma Dei exsistens Deus erat: nam et hic, et illic nomen formæ ponitur. Si hoc verum, certe et illud: forma servi est natura homo: ergo forma etiam Dei natura est Deus. Neque hoc solum; sed etiam perinde ac Joannes, de ipsius æqualitate testimonium dat, ostenditque nihilo ipsum Patre minorem esse: *Non rapinam*, inquit, *arbitratus est esse se æqualem Deo.* Sed quænam est arguta illorum oratio? At enim contrarium potius istis verbis ostenditur, inquiunt: dixit enim, cum in forma Dei esset, non hoc rapuisse, ut esset æqualis Deo. Atqui si Deus erat, quomodo poterat rapere? Sed quomodo hoc non inconsiderate dictum fuerit? Quis enim umquam dixerit, aliquem, cum homo esset, non hoc rapuisse, ut esset homo? qui enim fieri potest, ut quispiam rapiat id quod est? Non ita, inquiunt, sed sic intelligas, Filium, cum Deus minor esset, non hoc rapuisse, ut æqualis esset Deo magno et majori. Ergo parvus et magnus Deus est? atque ita in Ecclesiam Græcam dogmata inducitis? Nam apud Græcos quidem est magnus deus et parvus: quod an etiam apud vos, nescio. Nam in Scripturis quidem nullibi invenies, sed magnum quidem ubique, parvum vero nusquam. Etenim si parvus, quomodo etiam Deus? Si non est parvus homo et magnus, sed una natura; et si quid non sit illius naturæ, homo non est: quomodo fuerit parvus et magnus Deus, qui illius naturæ non sit? Qui parvus est, Deus non est: ubique enim in Scriptura magnus dicitur: *Magnus Dominus*, inquit David, *et laudabilis nimis.* Ecce etiam de Filio: Ubique enim eum vocat Dominum. Et iterum, *Magnus es tu, et faciens mirabilia, tu es Deus solus* (*Psal.* 47. 1. *et* 85. 10); et rursus, *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et magnificentiæ ejus non est terminus* (*Psal.* 143. 3). Sed hæc de Patre, inquiunt: Filius vero parvus est. Sed tu es, qui hoc dicis: Scriptura vero contra, quod de Patre, id etiam de Filio dicit. Audi enim Paulum dicentem, *Exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei* (*Tit.* 2. 13). Numquid autem de Patre adventum dixit? Verum ut magis adhuc vos argueret, adventum addidit magni Dei. Num igitur de Patre id dictum est? Neutiquam: non enim id admittit additio illa, *Et adventum magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.* En igitur et Filius magnus est. Quomodo igitur dicis parvum, et magnum? Audi etiam prophetam, qui ipsum vocat magni consilii angelum. Qui est magni consilii angelus, annon magnus est? qui est Deus fortis, an non est magnus, sed parvus? Quid igitur impudentes isti et nefarii verba ista usur-

(*a*) Horum omnium hæresiarcharum errores, quales Chrysostomus refert et confutat, in Diatriba peculiari referemus Tomo XIII. Sophronius Pompeiopolitanus Episcopus Macedonianus esse dicebatur. Ejus mentio frequens est apud Socratem et Sozomenum. Vide etiam Nicephorum.

pant, quod esset parvus Deus? Sæpe illorum verba affero, ut magis ab illis refugiatis : Cum parvus, inquiunt, esset Deus, non hoc rapuit, ut eumdem gradum cum magno obtineret. Quid enim, dic mihi (verumne putetis hæc nostra esse verba), si de illorum sententia parvus erat, et paterna potentia longe inferior; quomodo hoc umquam rapere potuisset, ut Deo æqualis esset? natura enim minor non hoc rapere queat, ut evadat in magnam : quemadmodum homo numquam hoc rapere queat, ut angelo æqualis sit secundum naturam; neque equus hoc rapere queat, etiamsi velit, ut homini æqualis sit secundum naturam. Sed hoc omisso, illud etiam dicam. Quid hoc exemplo molitur Paulus? Omnino, respondebis, ut Philippenses ad humilitatem adducat. Cur igitur, dic mihi, hoc in medium protulit? nemo enim, qui ad humilitatem cohortari velit, ita loquitur. Esto humilis, ac minus magnifice de te sentias, quam de æqualibus tuis : nam et ille cum servus esset, non insurrexit adversus Dominum; illum igitur imitare. Atqui hoc non humilitatis est, sed arrogantiæ. Discite quid sit humilitas vos, qui tumorem habetis diabolicum. Quid igitur humilitas est? Humilia sentire : humilia autem sentit, non qui ex necessitate est humilis, sed qui seipsum humiliat. Planius id exponam, vos autem attendite. Qui cum sublimia sentire posset, humiliter tamen sentit, hic animo humilis est : quicumque vero idcirco humiliter sentit, quoniam magnifice non potest, is profecto humilis non est. Imperator, exempli causa, si legato se subjiciat, humilis animo est, quoniam de sublimi illo gradu descendit : quod si idem legatus faciat, non ideo humilis est; quomodo enim? nam non se ipse de sublimiori gradu demisit. Omnino humili isti sensui locus non est, ubi potestas non adest. Nam si quis etiam invitus necessario humiliatur, jam hoc rectum factum non interni ipsius sensus ac voluntatis est, sed necessitatis : ταπεινοφροσύνη autem sive humilitas, inde dicitur, quod sit interni sensus humiliatio ac demissio.

3. Dic mihi, si quis cui potestas desit rapiendi aliena, sese intra suarum rerum possessionem contineat, hunc justitiæ nomine laudabimus? Minime : quid ita? Quoniam necessitas, ne laudari voluntas queat, impedimento est. Dic mihi si quis, cum tyrannide ac regno potiri nequeat, privatus manserit, hunccne tamquam otii studiosum laudabimus? Minime. Ergo neque hoc etiam loco. Laus enim, o hominum indoctissimi, non in eo versatur, quod ab istis rebus abstineatur, sed in bonis officiis obeundis. Nam illud quidem vituperationis expers est, sed non eo pervenit ut laudem assequatur; hoc autem encomiis dignum est. Vide ergo Christum hoc modo laudantem, cum dicit : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi : esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere* (*Matth.* 25. 34. 35). Non dixit, quoniam alieni appetentes non fuistis, neque, Quoniam non rapuistis; levia enim hæc; sed, Quoniam esurientem me vidistis, et aluistis. Ac sane quis umquam hoc modo vel amicos, vel inimicos laudavit? neque ipsum Paulum. Quid dico Paulum? ne vulgarem quidem hominem quisquam ita laudavit, ut tu Christum laudas, quod sibi non convenientem principatum non usurpaverit. Talia enim admirari nihil aliud est, quam magnæ improbitatis testimonium dare. Quomodo? Quoniam improbis hominibus id laudi solet dari, quale illud est, *Qui furabatur jam non furetur* (*Eph.* 4. 28) : secus autem in bonis viris : non enim qui principatum ad se minime pertinentem non rapuit, is laudandus est. Quanta hæc dementia esset? Alioquin autem (sed attendite, obsecro; longa enim hæc oratio), quis hoc modo quempiam ad humilitatem hortetur? Exempla enim longe majora atque illustriora sint oportet, quam res proposita, ad quam cohortamur : nemo enim sit, qui ex alienis cohortetur. Exempli causa, Christus homines cohortatus est, ut benigne facerent inimicis : magnum exemplum attulit, nimirum Patris : *Qui solem oriri facit super malos et bonos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* 5. 45); Cohortatus est ad lenitatem, ac malorum tolerantiam; seipsum ad exemplum proposuit : *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde* (*Joan.* 13. 14); ac rursus, *Si ego Dominus et Magister hæc facio, quanto magis vos* (*Matth.* 11. 29)? Vides quam non sint inferiora ipsa exempla? non tantillum enim inferiora esse oportet : nam et nos ipsi id observamus. At in re nostra exemplum ipsum ne prope quidem accedit. Quomodo? Quoniam si servus est, minor etiam est, et majori subjectus. Hæc autem non est humilitas : contra enim potius faciendum erat, ut major quispiam minori obtemperans proferretur; verum quoniam id in Deo non inveniebat, majorem, inquam, et minorem; æqualitatem igitur statuit. Quod si minor fuisset Filius, non aptum erat exemplum, unde Paulus ad humilitatem cohortaretur. Quare? Quoniam non hoc humilitas est, non impetum facere adversus majorem, non rapere principatum, obedire usque ad mortem. Alioquin et illud considera, quid allato exemplo subjungat : *Humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. Arbitrantes*, inquit : nam quando et secundum substantiam unum estis, et secundum honorem a Deo acceptum; reliquum est, ut ipsa tantum existimatio locum ibi habere possit. At in majoribus et minoribus, non ita dixit, *Arbitrantes*; sed, Honorate eos, qui vobis præstantiores sunt; quemadmodum et alibi inquit, *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis* (*Hebr.* 13. 17). Illic enim ipsa rei natura postulat subjectionem; hic vero ex nostro judicio proficiscatur, oportet. *Humilitate*, inquit, *superiores sibi, invicem arbitrantes* : quemadmodum et Christus fecit. Et hæretica quidem hoc modo eversa sunt. Deinceps vero nostra afferenda sunt, si antea ad summam quamdam ea, quæ adversus illos faciunt, redegerimus. Cum enim Paulus ad animi humilitatem invitaret, non eum qui minor sit, ac majori obediat, protulisse. Nam si servis, ut dominis obedirent, suasisset, recte id quidem : sed si, ut liberi liberis; quid ad hanc

rem facit servi erga dominum subjectio? quid minoris erga majorem? Non enim dixit, Minores majoribus obediant, sed, Qui æqualem dignitatem obtinetis, vicissim vobis obedite : *Superiores*, inquit, *sibi invicem arbitrantes*. Ecquid vero causæ fuit cur mulierem obedientiam non adduxerit, neque ita dixerit : Quemadmodum mulier viro obedit, ita et vos obedite? Quod si illud, in quo inerat æqualitas et libertas, non attulit, quoniam nonnulla tamen in eo inerat subjectio ; quanto minus servilem obtemperationem protulisset? Verum et illud initio dixi, neminem ideo solere laudari, ac ne commemorari quidem, quod crimina non admittat. Neque enim si quis aliquem temperantiæ nomine laudare velit, ita dicet, illum non esse mœchatum, sed hoc afferet, a propria etiam uxore se continuisse. Nam abstinere tantum a pravis actionibus numquam in laude ponimus ; id enim ridiculum esset. Illud addidi, veram esse servi formam, nihilque minus habere : quare et formam Dei perfectam esse, nihilque minus habere. Cur non dixit, in forma Dei factus, sed, *Qui cum in forma Dei esset?* Idem est ac si diceret : *Ego sum qui sum* (*Exod.* 3. 14). Forma quatenus forma est, eamdem adesse naturam demonstrat ; nec fieri potest ut quod alterius essentiæ est, eamdem formam habeat ; ut nemo hominum est, qui angeli formam habeat, nec brutum animal quod hominis habeat formam : quomodo igitur Filius?

4. Deinde in nobis quidem, quoniam ex pluribus naturis compositi sumus, forma ad ipsum corpus pertinet : at in eo, quod omnino simplex nulloque modo coagmentatum est, ad ipsam sine dubio essentiam. Quod si ex eo, quod sine articulo dictum est ἐν μορφῇ θεοῦ, contendis non indicari Patrem (*a*) ; multis aliis ergo locis ostendam tibi sine articulo dictum esse. Et quid dico multis aliis locis? in hoc ipso statim loco, *Non rapinam*, inquit, *arbitratus est esse se æqualem Deo*, θεῷ : neque dixit, τῷ θεῷ, cum tamen de Patre loqueretur. Vellem nostra etiam adjungere, sed vereor ne mentes vestras obruamus. Interea vero quæ dicta sunt ad illos evertendos, memoria tenete : interea spinas evellamus, et cum evulsæ fuerint spinæ, ac paululum requietis concessum terræ, tunc bonam sementem jaciemus, ut omni quod inde contraxit vitio deposito, magna cum virtute suscipiat divina semina. Gratias agamus pro iis quæ dicta sunt Deo : postulemus ab ipso det nobis ea custodire ac retinere, ut et nobis et vobis gaudium obtingat, hæreticis vero pudore suffundantur. Illum obsecremus, ut ad ea etiam quæ sequuntur os nobis aperiat, ut nostra etiam pari diligentia statuamus. Ab eo precemur, ut vitam quoque ipsa fide dignam nobis præbeat, quo ad ipsius gloriam vivamus, ne ipsius nomen nostra causa blasphemiis appetatur. *Væ vobis* enim, inquit, *propter quos nomen Dei blasphematur*. Etenim si nos filium habentes ; quamquam quid filio nobiscum conjunctius? si filium, inquam, habentes, illius causa blasphemiis appetiti, ipsum repudiamus, aversamur, nec nostrum dici volumus : quanto magis Deus servos, quos ingratos viderit, et a quibus se blasphemiis et contumeliis affici cognoverit, aversabitur atque odio prosequetur? Quem vero Deus oderit atque aversatus fuerit, quis suscipiet ac complectetur? Nemo præter diabolum ac dæmones. Quem vero dæmones ceperint, quam salutis spem habebit? quod vitæ solatium? Quamdiu in manu Dei sumus, nemo rapere nos potest ; robusta enim est : cum primum vero de manu illa deciderimus, atque auxilium illud amiserimus ; periimus, omnibus expositi ad rapinam sumus, omnibus ad conculcandum, tamquam murus inclinatus, et sepes concidens. Etenim cum murus est imbecillis, facile cuivis patet ad irrumpendum. Neque enim quod dicturus sum, ad solam Jerusalem putetis pertinere, sed etiam ad singulos quosque homines. Quid vero de Jerusalem dictum est? *Cantabo dilecto canticum dilecti mei, vineæ meæ. Vinea facta est dilectio in cornu, in loco pingui. Et sepivi eam ac vallo circumdedi, et plantavi vitem Sorech, et ædificavi turrim in medio ejus, et torcular exstruxi in ea, et exspectavi ut faceret uvam, et fecit spinas. Nunc igitur, viri Juda et habitatores Jerusalem, judicate inter me et vineam meam. Quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ, et non feci ei? Quoniam exspectavi, ut faceret uvam ; fecit autem spinas. Nunc ergo ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ : auferam sepem ejus, et erit in direptionem ; et diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem ; et derelinquam vineam meam, et non putabitur et non fodietur ; ascendent in eam, perinde atque in terram incultam, spinæ ; et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. Vinea enim Domini exercituum domus Israel est, et vir Juda germen dilectum. Exspectavi ut faceret judicium ; fecit autem iniquitatem et non justitiam, sed clamorem* (*Isai.* 5. 1 - 7). Id etiam de qualibet anima dicitur. Nam cum omnia quæ oportuerat impleverit benignus Deus, illa vero pro uva, spinas fecerit ; sepem auferet et murum diruet, ac patebimus direptioni. Audi vero et quanto cum fletu alius propheta hæc dicat : *Ut quid destruxisti maceriam ejus ; et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam? Exterminavit eam aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam* (*Psal.* 79. 13. 14)? Ibi quidem de Medo ac de Babylonio loquitur ; hic vero nihil est, quod de illo dicatur ; sed aper et singularis ipse diabolus est, totaque illius manus. Singularem vero illum appellavit, ut ipsius ferociam atque impuritatem ob oculos poneret. Nam Scriptura, cum illius rapacitatem demonstrare vult, ita inquit, *Tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (1. *Pet.* 5. 8) ; cum vero virus illud perniciosum ac letale significat, serpentem vocat et scorpionem : *Calcate*, inquit, *super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici* (*Luc.* 10. 19) : cum simul venenum indicat et robur, draconem nominat, quemadmodum eo loco : *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei* (*Psal.* 103. 26). Et draconem et serpen-

(*a*) Non semel vidimus Arianos vocem θεός cum articulo positam, contendere significare Patrem solum verum Deum : sine articulo autem Filium, quos egregie confutat Chrysostomus.

tem tortuosum et aspidem ubique ipsum vocat. Tortuosa enim ac varia bestia, quæ magnis pollet viribus: omnia movet, omnia turbat, omnia sursum ac deorsum agit. Verum ne timeatis, ne animum despondeatis : tantum vigilate, et erit ut passerculus : *Calcate* enim, inquit, *supra serpentes et scorpiones.* Illum, si voluerimus, ejus ope nostris pedibus conculcabimus.

5. Vide igitur, quam ridiculum, vel potius quam miserum sit eum, qui nobis datus est ad calcandum, intueri stantem supra caput nostrum. Quomodo vero hoc fit? A nobis : si nos velimus, magnus est; si nos velimus, parvus fit. Si nostri ipsorum curam geramus, stemusque una cum Rege nostro, contrahit se, ac nihilo plus parvo infante in pugna adversus nos potest : sin a Rege desciverimus, valde turget, fremit, dentes acuit; quippe qui nos magno illo auxilio destitutos nactus fuerit : non enim aggreditur, nisi permiserit Deus. Nam si in porcorum gregem invadere ausus non est, Deo non permittente; multo minus in animas hominum : permittit autem Deus vel erudiens, vel pœnam exigens, vel clariores faciens. Vides illum non aggredi Job neque audere accedere, sed metuere atque tremere? Et quid dico de Job? nam in Judam invadens non ante totum apprehendere atque in ipsum ingredi ausus est, quam illum Christus a sacro choro secrevisset. Extrinsecus quidem tunc tentabat, sed intus irrumpere non audebat: postquam vero a sacro illo grege abscissum vidit, quovis lupo vehementius impetum fecit; neque ante destitit, quam illum duplici morte mactaret. Hæc ad nostram eruditionem sunt scripta. Nam quid lucri sit novisse Christum, ab uno ex duodecim esse proditum? ecquid emolumenti, ecqua utilitas? Magna, respondebo. Etenim cum didicerimus, qua ille causa impulsus hoc exitiale consilium ceperit; cavebimus ipsi, ne ab eadem nos quoque auferamur. Unde igitur ille huc se contulit? Ex avaritia : fur erat, et hoc morbo ita ebrius fuit, ut triginta argenteis Dominum prodiderit. Quid hac insania deterius? Nihil par ei quem tradidit, nihil tanti : cui gentes si conferantur, quasi nihilum reputatæ sunt ei (*Isai.* 40) : hunc triginta argenteis prodidit. Gravis enim est avaritiæ tyrannis, quæque animam de suo statu deturbare queat. Non perinde quis ex ebrietate demens redditur, atque ex avaritia; non æque ex insania ac stupore, atque ex argenti cupiditate. Ecquid enim aliud causæ fuit, dic mihi, ut proderes? Obscurum atque ignotum te vocavit, unumque ex duodecim fecit : doctrinam impartivit, innumerabilia bona promisit, ut miracula ederes effecit : mensæ, itinerum, colloquii, contubernii, rerum omnium æque ac cæteri particeps eras. Hæccine satis non fuerunt quæ te cohiberent? quam igitur ob causam prodidisti? quid habens, quod queraris, sceleste? vel potius quoniam beneficio affectus non fueras? Noverat mentem tuam; non destitit quæ sua erant præstare; sæpe dixit, *Unus ex vobis tradet me* (*Matth.* 26. 21); sæpe notavit, ac tibi tamen pepercit; et cum talem te esse sciret, ex choro non ejecit : adhuc ferebat, adhuc ut legitimum atque unum ex duodecim, ita honorabat, ita diligebat. Denique, o scelus! linteo etiam sumpto, puris illis manibus impuros pedes tuos lavit; neque id etiam te cohibuit. Furabaris ea, quæ pauperum erant; atque istud etiam, ne ad majus aliquod malum progredereris ferebat : sed nihil animum tuum mutavit. Nam etiamsi fera esses, etiamsi lapis, nonne beneficiis in te collatis, nonne miraculis, nonne doctrina illa flecti te oportebat? Verum usque adeo efferatum adhuc vocabat, et mirandis operibus alliciebat, quamvis lapides ipsos vacuitate sensus exsuperares : sed nihil horum fuit, quod te meliorem redderet. Forsitan miramini tantam proditoris amentiam. Metum igitur vobis incutiat illius vulnus : argenti cupiditas, pecuniarum amor talem reddidit. Evelle hunc affectum; tales enim morbos parit, impios facit : atque eos nos adducit, ut etiamsi sexcentis beneficiis afficiamur, Deum ignoremus. Evelle, obsecro : non est levis morbus, sexcentas acerbissimas mortes afferre novit. Vidimus Judæ morbum : metuamus ne ipsi quoque in eadem incidamus. Ideo scripta sunt, ne iisdem nos quoque malis afficiamur : propterea ab omnibus evangelistis id narratum est, ut nos temperantiam docerent. Procul fuge : non hoc solum avaritia est, multas pecunias cupere, sed etiam pecunias omnino cupere. Gravis avaritia est plus poscere, quam opus sit. Num talenta auri fuerunt, quæ proditorem in hanc mentem impellerent? Triginta solum argentei : triginta argenteis ipsum prodidit Dominum. An memoria tenetis quod antea dicebam, immoderatam habendi cupiditatem non in eo solum se ostendere, quod magna accipiantur, sed magis etiam quod parva? En quantum scelus iste commisit pauculo auro adductus, vel potius non auro, sed argenteis. Nefas, nefas plane est hominem avarum umquam intueri faciem Christi : hoc est unum ex iis, quæ fieri minime possunt. Radix malorum est. Quod si qui vel uni malo obnoxius est, gloriam illam amittit, quis radicem ipsam secum affert ubi collocabitur? Non potest pecuniarum servus germanus esse Christi servus. Christus ipse pronuntiavit rem esse hujusmodi, quæ constare nullo pacto queat. *Non potestis*, inquit, *Deo servire et mamonæ;* et, *Nemo potest duobus dominis servire* (*Matth.* 6. 24). Contraria enim præcipiunt: Christus, inquit, Parce pauperibus; mamona inquit, Exue illos etiam iis quæ habent : Christus dicit, Effunde quæcumque habes; mamona dicit, Ea etiam cape quæ illi habent.

6. Vides pugnam, vides bellum? Vultisne ostendamus quomodo utrique nemo obtemperare potest, sed alterum contemnat oportet? an res ita clara est, ut non egeat oratione? Quomodo? Annon hoc reipsa cernimus, Christum quidem contemni, mamonam vero coli? Sentitis quam vel ipsa verba aspera sint? Quod si verba, quanto magis res ipsæ? Verum in rebus ac factis non æque apparet ipsa asperitas, quoniam nos morbus occupat. Nam nunc quidem, etiamsi hoc morbo non omnino pura sit anima, tamen dum in hoc ipso statu manet, potest recte judicare : at cum febri correpta est, et in ipsa rei voluptate versatur, fa-

cultatem judicandi minime puram habet, non incorruptum tribunal. Christus dicit, *Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non est meus discipulus* (*Luc.* 14. 33); mamona inquit, Eripe esurienti panem: Christus dicit, Vesti nudum; hic vero, Nudum etiam exue: Christus dicit, Domesticos seminis tui ne despexeris; mamona inquit, Domesticorum seminis tui ne misereris; etiamsi matrem videris, etiamsi patrem, sperne. Et quid dico patrem et matrem? Tuam quoque ipsius, inquit, animam perde: attamen auditur. Hei mihi! ei qui adeo sæva, et immitia et fera mandata imponit, dicto audientes potius sumus, quam illi cujus levia nobisque salutaria jussa sunt? Illinc gehenna, hinc ignis, hinc fluvius ignis, hinc vermis finem nesciens. Scio multos esse, qui nos hæc dicentes non jucunde audiant. Nam neque mihi sunt jucunda dictu; quid enim his dicendis consequor? Vellem vobis perpetuo ea quæ regni propria sunt narrare, requiem illam, aquam plene reficientem, viridia ac læta pascua. Inquit enim, *Super aquam refectionis educavit me, et in loco pascuæ ibi me collocavit* (*Psal.* 22. 2). Vellem de loco illo dicere, unde dolor, ægritudo, luctus abest: vellem narrare voluptatem quæ ex Christi consortio capitur; quamquam omnem orationem, omnem cogitationem superat: verumtamen pro viribus in isto argumento versari vellem. Sed quid agam? Non licet ad eum, qui febri laborans male habet, de regno verba facere: etenim, dum ita habet, de sanitate disserendum est. Non recte ei qui pœnæ obnoxius est de honore disseretur: nunc enim hoc unum quæritur, a pœna et supplicio liberari: nisi hoc consequamur, quomodo illud consequemur? Propterea de his assidue loquor, ut ad illa citius veniamus. Nam et Deus ipse ideo gehennam minatus est, ut nemo in gehennam decidat, ut omnes regnum assequamur. Et nos idcirco gehennæ perpetuo mentionem facimus, ut ad regnum vos incitemus, ut mentes vestras timore mollientes, ad ea quæ regno digna sunt facienda, apparemus. Ne igitur ægre feratis verborum gravitatem: horum enim verborum gravitas leves reddit animas nostras a peccatorum pondere. Nam et ferrum grave est, et malleus gravis; attamen faciunt vasa aurea et argentea, et quæ distorta sunt dirigunt: quod nisi gravia essent, distortam materiam dirigere neutiquam possent. Ita etiam gravis sermo noster componere animam potest. Verborum igitur gravitatem plagasque ab illis factas ne fugiamus: non enim ideo infertur plaga ut animam frangat ac laceret, sed ut corrigat. Scimus enim per Dei gratiam quis sit verberandi modus, et quam alte infligamus plagam; ut ne comminuatur vas, sed ut poliatur, ut restauretur, ut aptum reddatur quo utatur Dominus, ut ex sanitate splendidum offeratur, beneque sculptum in illa die, in qua erit flumen ignis; ut ne offeratur pyræ illi, quæ ibi futura est. Nam nisi dum hic estis, vos inflammaverimus, illic omnino inflammemini necesse est, nec fieri aliter potest: *Dies enim Domini in igne revelatur* (*1. Cor.* 3. 13). Satius est ut ad breve tempus nostris sermonibus uramini, quam perpetuo flamma illa. Id enim futuro omnino esse, perspicuum est; ac sæpe vobis rationes attuli, quibus contradici non potest. Ac solas quidem Scripturas plenam vobis fidem facere oportebat; sed quoniam nonnulli proclives ad contentionem sunt, multa etiam ratiocinationibus movimus. Nihil vero impedit quominus et nunc easdem afferamus. Quænam vero illæ erant? Justus est Deus: omnes fatemur, et Græci et Judæi et hæretici et Christiani. At hinc multi qui peccarunt, abierunt impune: multi qui cum virtute vixerant, tum demum abierunt, cum sexcentas subiissent calamitates. Ergo si justus Deus; ubinam his quidem præmia, illis vero supplicia tribuet, si non est gehenna, si non est resurrectio? Hanc igitur rationem et illis et vobis ipsis semper canite, nec sinet vos de resurrectione non credere. Qui vero de resurrectione non dubitat, is sedulo atque attente vitam suam curabit, ut sempiterna bona consequatur: quæ utinam nos omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VII.

Cap. 2. v. 5. *Hoc enim sentiatur in vobis, quod et in Christo Jesu:* 6. *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,* 7. *sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo:* 8. *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* 9. *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen,* 10. *ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum,* 11. *et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloriam Dei Patris.*

1. Exposita a nobis illa sunt quæ ad hæreticos pertinebant: jam vero opportunum est nostra etiam afferre. Illi ita dicunt verba ista, *Non rapinam arbitratus est*, idem valere, ac si dixisset, rapuit: nos vero ostendimus ineptum id atque absurdum esse. Neminem enim esse, qui aut ex hujusmodi loco ad animi humilitatem cohortetur, aut Deum hac ratione celebret, imo nec hominem. Quid igitur est, o dilecti? Attendite ea, quæ nunc dicuntur. Quoniam plurimi homines arbitrantur, si humiliter se gesserint, fore ut propriam amittant dignitatem, et minoris habeantur, atque ad humiliorem locum descendant; hunc metum adimens apostolus, ostendens non ita nobis sentiendum esse, de ipso Deo dicit, Deum illum unigenitum, qui in forma Dei est, qui nihil minus Patre habet, qui ei æqualis est, non rapinam esse arbitratum esse æqualem Deo. Quid vero istud sit

percipe. Quod quisque rapuit, et præter æquum accepit, id deponere nequaquam audet, veritus ne amittatur atque elabatur, sed perpetuo apud se retinet : at qui naturalem quampiam dignitatem habet, is non metuit ab illa etiam dignitate descendere; scit enim se nihil hujusmodi passurum esse. Afferam exemplum : Absalon rapuerat tyrannidem, illamque deponere non audebat Sed aliud etiam exemplum proponemus. Quod si exempla rem totam repræsentare nequeunt, ne moleste feratis : exempla enim sunt hujusmodi, majorem partem menti cogitandam relinquunt. In regem quispiam invasit, regnumque eripuit. Hic deponere, aut occultare auctoritatem suam minime audet : nam si semel occultaverit, statim illa amittitur. Quod exemplum aliis etiam ex rebus peti potest : verbi gratia, si quis aliquid rapuit, id perpetuo retinet : nam cum primum illud deposuerit, amittet. Omninoque quod quisque ex rapina habet, timet deponere atque a se movere, et non perpetuo illud retinere, quod occupavit. Abest vero hic timor ab iis, qui minime ex rapina habent; ut homo dignitatem istam habet ut rationis compos sit. Sed non invenio satis aptum exemplum. Non enim est apud nos principatus naturalis : bonorum quippe nullum nobis naturale est, quandoquidem omnia simul cum natura Dei conjuncta, illiusque propria sunt. Quid igitur dicimus? Dei Filium veritum non esse de gradu dignitatis suæ descendere, quoniam non est arbitratus rapinam ipsam deitatem : non timuit ne quis sibi naturam aut dignitatem eriperet. Quamobrem illam etiam deposuit, non dubitans se recepturum; atque abscondit, non ideo se minorem fieri arbitratus. Propterea non dixit, Non rapuit, sed, *Non rapinam arbitratus est.* Non enim ex rapina habuit principatum, neque etiam ab alio sibi traditum, sed naturalem, stabilem ac tutum. Ideo neque etiam satellitum cunctatur habitum sumere. Tyrannus metuit in bello purpuram deponere; rex vero id fidenter ac tuto facit. Cur? Quia non ex rapina principatum habet. Non ergo ac si rapuisset non deposuit, sed ut qui naturalem haberet eumque amittere numquam posset, occultavit. Hoc inquam, esse æqualem Deo, non ex rapina habuit, sed a natura; quamobrem seipsum exinanivit. Ubi sunt qui dicunt, illum subiisse necessitatem, ac subjectum fuisse. *Seipsum*, inquit, *exinanivit, seipsum humiliavit, obediens factus usque ad mortem.* Quomodo exinanivit? *Formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Hoc loco spectans ad illud, *Superiores sibi invicem arbitrantes* (*Philipp.* 2. 3), hæc verba protulit, *Seipsum exinanivit.* Etenim si subjectus fuisset, ac non sponte atque ex seipso hoc suscepisset, id humilitatis non fuisset. Nam si ignoravit hoc esse faciendum, imperfectus certe fuerit : si vero nesciens tempus præcepti exspectavit, tempus sane non noverit. Quod si et faciendum esse, et quo tempore faciendum scivit; quænam causa est, cur illum subjectum fuisse dicendum sit? Ut Patris, inquiunt, præstantiam indicet. Istud vero non est Patris præstantiam indicare, sed suam utilitatem : Patris enim nomen nonne satis est ad indicandum Patris priorem in origine gradum? Hoc autem uno excepto, quod Pater non est, omnia eadem habet Filius. Ac sane neque aptus est hic honor, qui a Patre perveniat in Filium. Hoc autem excepto, quæcumque Patris sunt, Filio etiam sunt communia.

2. *Contra Marcionistas.* — Hoc loco Marcionistæ, quod dictum est arripientes, inquiunt, Non est factus homo, sed, In similitudine hominum factus. Quomodo vero potest quis in similitudine hominum fieri? umbram indutus? Igitur idolum istud est, minime vero hominis similitudo : hominis enim similitudo alter homo est. Quid autem respondebis Joanni ita dicenti, *Verbum caro factum est* (*Joan.* 1. 14)? Verum et hic ipse beatus alibi inquit, *In similitudine carnis peccati* (*Rom.* 8. 3). *Et habitu inventus ut homo.* Ecce inquiunt, *Et habitu*, et, *Ut homo.* At esse ut hominem, et esse habitu hominem, hoc nequaquam est vere hominem esse : habitu enim hominem esse, aliud est ac natura esse hominem. Videte quam ego ingenue et æquo animo ea, quæ ab adversariis dicuntur, afferam? Tunc enim demum splendida ac redundans victoria parta erit, cum illorum argumenta, quæ aliquid roboris videntur habere, minime absconderimus : abscondere enim, potius dolus est quam victoria. Quid igitur inquiunt? rursus enim eadem repetamus : Aliud est habitu hominem esse, ac natura; atque esse ut hominem, et in similitudine hominis esse, aliud est atque hominem esse. Ergo et formam servi accipere, non est formam servi accipere. Secum igitur hoc ipsum pugnat, et quare tu non prior istud dissolvis? Nam quemadmodum hæc nobis adversari existimas, ita et nos istud tibi adversari ostendimus. Non enim dixit, Ut forma servi, neque, In similitudine formæ servi, neque, In habitu formæ servi, sed, *Formam servi accepit.* Quid igitur hoc est? subestne aliqua in verbis pugna? Nulla pugna, absit; sed est illorum frigidum ac ridiculum dictum. Formam, inquiunt, servi accepit, cum linteo circumcinctus discipulorum pedes lavit. Hoccine forma servi est? Neutiquam forma servi est, sed opus servi : aliud vero est opus servi esse, ac formam servi accipere. Cur enim non ita dixit, Opus servi fecit, quod manifestius erat? Nusquam omnino in Scriptura nomen formæ pro opere est usurpatum. Magna enim differentia intercedit : nam alterum quidem naturæ est, alterum vero operationis. Nec vero umquam in ipso etiam usu loquendi formam pro opere dicimus. Quamquam apud istos ne opus quidem fecit, neque succinxit se. Etenim, si id specie tantum fiebat, nulla erat veritas : si manus non habebat, quomodo lavit? si renes non habuit, quomodo se linteo succinxit? ecqua vero etiam vestimenta sumpsit? nam, *Accepit*, inquit, *vestimenta sua* (*Joan.* 13. 4). Ut igitur nullum hic opus, quod vere factum fuerit, reperitur, sed mera illusio : ita neque discipulorum pedes lavit. Nam si incorporea illa natura non apparuit, neque in corpore fuit.

Contra Paulum Samosatenum.—Quis igitur discipulos

lavit? Quid rursus adversus Paulum Samosatenum afferemus? Quidnam ille dicit? Plane idem : non hoc est exinanitio, cum qui naturam habet humanam, purusque homo est, lavare conservos. Quæ enim adversus Arianos diximus, etiam adversus istos dicendum : nihil enim inter eos interest, nisi breve quoddam temporis intervallum : utrique enim creaturam statuunt Dei Filium. Quid igitur adversus ipsos dicemus? Si homo homines lavit, non inanivit, non humiliavit seipsum : si cum homo esset, non hoc rapuit, nimirum esse æqualem Deo, profecto non est cur laudetur. Nam eum quidem qui Deus sit hominem fieri, magna ineffabilisque humiliatio est; eum vero qui homo sit humana facere, quæ tandem humiliatio? Ubinam vero forma Dei appellatur opus Dei? Etenim si purus homo erat, atque ex operibus appellatur forma Dei, cur non et in Petro id faciamus, qui majora etiam opera edidit? cur non et Paulum inquis Dei formam habuisse? cur non et seipsum ad exemplum proposuit Paulus, qui sexcenta ministeria servilia obiverat, ac nullum recusaverat? ait enim, *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum, nos autem servos vestros per Jesum* (2. *Cor.* 4. 5). Ridicula ac nugæ sunt, quæ ab istis afferuntur. *Exinanivit seipsum*, inquit. Quomodo seipsum humiliavit, dic mihi? quæ est hæc exinanitio? quæ humiliatio? an quoniam miracula edidit? At hoc et Paulus et Petrus præstiterunt : quamobrem non hoc proprium ac peculiare Filii fuerit. Quid igitur sibi volunt verba illa, *In similitudinem hominum factus?* Multa ille quidem nostra habuit, multa vero non habuit; hujusmodi sunt, non esse natum ex commixtione corporum, peccatum non admisisse. Hæc ipsius erant propria, nullique hominum communia. Non hoc solum erat quod apparebat, sed etiam Deus. Etenim apparebat quidem homo, in multis vero non erat similis, tametsi carne similis erat. Hoc igitur ista verba indicant, non fuisse purum hominem : propterea inquit, *In similitudine hominum* (*Rom.* 8. 3). Etenim nos quidem anima et corpus sumus; ille vero Deus, et anima et corpus : propterea inquit, *In similitudine*. Etenim ne audiens voces illas, *Exinanivit semetipsum*, mutationem aliquam suspiceris ac degenerationem et interitum, Manens, inquit, quod erat, assumpsit quod non erat, et caro factus perseveravit esse Deus verbum.

3. Hac igitur ratione Paulus dixit, similem esse homini, atque propterea addit, *Et habitu :* non enim natura degeneravit, neque confusio ulla facta est, sed habitu factus est. Nam cum dixisset formam servi accepisse, fidenter postea istud etiam protulit, nimirum cum illud nemini non os obstruxisset. Etenim et cum ita dicit, *In similitudine carnis peccati*, non hoc dicit, carnem non habuisse, sed carnem illam non peccasse, similem tamen fuisse peccatrici. In quo similis? Secundum naturam, non secundum malitiam : propterea similis animæ peccatrici. Quemadmodum igitur ibi similitudinis nomine usus est, quoniam non omnia æqualiter se habebant : ita et hic similitudo dicitur, eo quod non omnia sint æqualia, utpote quod non ex commixtione corporum, quod sine peccato, quod minime nudus homo. Ac pulchre dixit, *Ut homo :* non enim erat unus ex multis, sed ut unus ex multis. Neque Deus Verbum in hominem degeneravit, neque substantia est mutata; sed tamquam homo apparuit, non simulacris ac visis nos decipiens, sed erudiens ad humilitatem. Cum igitur dicit, *Ut homo*, hoc sibi vult : cæteroquin et hominem alibi ipsum vocat, ut cum dicit, *Unus Deus, et unus mediator Christus Jesus* (1. *Tim.* 2. 5). Ea diximus, quæ adversus istos dicenda erant. Deinceps vero adversus eos, qui negant assumpsisse animam, necessario dicendum. Si forma Dei perfectus Deus est, certe et forma servi perfectus est servus. Iterum contra Arianos agitur. *Cum in forma Dei esset*, inquit, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Hic de divinitate loquens nusquam istis verbis utitur, Factus est, aut Accepit. Sed *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudine hominum factus.* Hic de humanitate dicit, Accepit, et, Factus est. Hoc factus est, hoc accepit : illud vero erat. Igitur nec confundamus, nec divellamus. Unus Deus, unus Christus, Filius Dei. Verum, cum utor ista voce, *unus*, unionem dico, non confusionem : non enim natura hæc in illam versa degeneravit, sed unita est. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* En, inquiunt, factus est obediens, cum ei minime æqualis esset cui obedivit. O stolidi ac dementes, hoc de illo nihil detrahit; nam nos etiam amicis obedimus, neque id tamen nos minores facit. Sponte Filius Patri obedivit, non in servilem conditionem decidens, sed hoc ipso maxime servans admirandam illam germani Filii dignitatem, magnum Patri honorem exhibendo. Honoravit Patrem, non ut ipsum tu honore spoliares, sed ut magis suspiceres, ut vel hinc germanum Filium agnosceres, quod omnium maxime Patrem honoraverit. Nemo Deum ita honoravit : quantum habuit celsitudinis, tantum vicissim humilitatis subiit. Quemadmodum omnibus major est, ac nemo illi æqualis : ita etiam in Patre honorando omnes vicit, non coactus, neque invitus. Sed hoc etiam virtutis ipsius fuit : aut potius desunt mihi verba, quibus utar. Papæ! magnum illud est atque inexplicabile, servum fieri; sed mortem præterea subire, longe adhuc majus. Sed est aliud quiddam hoc majus, magisque opinionem omnem exsuperans. Quid illud? Quod non quævis mors similis sit. Hæc enim, quam Dominus pertulit, omnium turpissima habebatur : hæc plena ignominiæ, hæc exsecrabilis : *Maledictus* enim, inquit, *omnis, qui pendet in ligno* (*Deut.* 21. 23). Propterea etiam Judæi hac ipsum morte afficere studuerunt, quo infamem redderent, ut nisi quis ab eo idcirco deficeret, quod e medio sublatus esset, saltem ideo deficeret, quod sic sublatus esset. Propterea etiam inter duos latrones cruci affixus est, ut eadem de ipso, ac de illis existimatio esset; atque impleretur quod dictum est, *Et cum iniquis reputatus est* (*Isai.* 53. 12). Sed tanto magis

elucet veritas, tanto illustrior redditur. Longe enim pulchrius atqua admiratione dignius spectaculum apparet, cum tot ab hostibus adversus ipsius gloriam artificiis ac machinis adhibitis, splendet tamen illa et magis fulget. Illi enim non solum quod interfecerant, sed etiam quod hoc modo interfecerant, talem se reddidisse putabant, quem homines detestarentur ac maxime quidem detestarentur; nec tamen quidquam profecerunt. Erant vero ambo illi latrones adeo scelesti; nam postea alter mutatus est; ut etiam dum in cruce essent, in ipsum probra jacerent, illorumque furorem non conscientia suorum peccatorum, non supplicium, non ejusdem pœnæ perpessio coerceret: quod etiam unus ipsorum dixit, alterumque increpuit his verbis: *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione sumus* (*Luc.* 23. 40)? Tanta illorum improbitas. Sed nihil hinc detrimenti ipsius gloriæ allatum est: quamobrem inquit: *Et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.*

4. Postquam Paulus carnis mentionem induxit, fidenter deinceps omnia illa commemorat, quæ humilitatem indicant. Antequam enim diceret formam servi sumpsisse, et de divinitate dissereret, vide quam excelse: excelse, inquam, pro viribus; nam illius dignitatem non assequitur; minime enim potest: *Cum in forma Dei esset*, inquit, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo:* at postquam dixit hominem esse factum, fidenter deinde quæ humilia sunt profert, hoc fretus, nullum divinitati damnum importari, quod humilia de ipsius carne commemorantur, ista suscipiente. *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium et terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Christus Jesus in gloriam Dei Patris.* Dicamus adversus hæreticos: Si hæc de non incarnato afferuntur, si de Deo Verbo, quomodo ipsum exaltavit? an quasi plus aliquid ei dederit? Ergo hac quidem ex parte imperfectus erat, et propter nos obtinuit perfectionem. Etenim nisi nobis benefecisset, non honorem istum esset consequutus. *Et donavit*, inquit, *nomen.* Ecce ne nomen quidem, quantum vestra fert opinio, habebat. Quomodo vero, si id quod sibi debebatur accepit, ex dono et gratia accepisse tuebimur; et *Nomen, quod est super omne nomen?* Verum et quale sit istud nomen, videamus. *Ut in nomine Jesu Christi*, inquit, *omne genu flectatur.* Nomen isti gloriam interpretantur. Hæc igitur gloria omnem gloriam superat: gloria autem, inquiunt, omnino hæc est, illum nempe adorare. Longe abestis a Dei magnitudine, vos qui Deum nosse putatis, ut ipse seipsum novit. Atqui vel istud satis indicat, quantum a recta de Deo sententia absitis: cæterum hoc etiam indicabit. Hæc, dic mihi, gloria est? Ergo antequam homines facti essent, antequam angeli, antequam archangeli, non erat in gloria. Etenim si hæc ea gloria est, quæ superat omnem gloriam; hoc enim significant illa verba, *Quod est super omne nomen;* certe tametsi in gloria erat, at saltem in minore quam nunc sit. Huc igitur spectans, et ob hanc causam ut gloriam assequeretur, omnia condidit, non autem bonitate adductus, sed indigus gloriæ, quæ a nobis proficisceretur? Videtis amentiam? videtis impietatem? Itaque si hæc de incarnato dicerent, recte dicerent; sinit enim Deus Verbum de carne hæc dici; non enim divinam naturam tangunt, sed omnia in œconomia, id est in assumpta humanitate hærent: nunc vero ad deitatem ista maligne accommodantibus nulla superest venia. Quamobrem, si quando dixerimus, Hominem Deus fecit immortalem, etiamsi de toto dicam, quid dicam scio. Quid vero illa sibi verba volunt, *Cœlestium et terrestrium et infernorum?* Id est, omnis mundus, et angeli et homines et dæmones: vel hoc significat, et justi et peccatores. *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloriam Dei Patris.* Id est, ut omnes hoc dicant: Id vero gloria Patris est. Vides ubique, cum Filius glorificatur, glorificari Patrem? Itidem vero dedecorato Filio dedecoratur etiam Pater. Nam si apud nos hoc fit, ubi inter patrem et filios multum interest; multo magis in Deo, ubi nihil discriminis, in ipsum et honor et dedecus redundabit. Nam si orbis, inquit, fuerit subjectus Filio, hoc gloria est Patris. Ergo et cum dicimus esse perfectum, non indigentem, nihilo minorem Patre, hæc gloria Patris est. Hoc et potentiæ ipsius magnum indicium et bonitatis et sapientiæ, quod Filium talem genuit, quod nihilo minorem, neque quod ad bonitatem, neque quod ad sapientiam attinet. Cum sapientem esse dico ut Patrem, et nihilo minorem, hoc magnæ Patris sapientiæ indicium est: cum dico potentem æque esse ac Patrem, hoc potentiæ Patris indicium est: cum dico bonum esse item ut Patrem, hoc bonitatis argumentum maximum, qui talem genuerit, se non inferiorem neque minorem, qui nequaquam ipso sit inferior, nequaquam minor atque indigus: cum dico non esse minorem secundum essentiam, sed æqualem, neque alterius esse substantiæ: hinc etiam rursus Deum mirabilem prædico, et potentiam ipsius et bonitatem et sapientiam, qui alium ex se nobis ejusmodi prompserit, hoc excepto, quod Pater non est. Quamobrem, quæcumque de Filio magna dixero, omnia hæc in Patrem redundabunt. Nam si exiguum istud ac leve; exiguum enim ad Dei gloriam est, a mundo illum adorari; ad gloriam Dei pertinet, quanto magis reliqua omnia?

5. *Christum non vere colimus nisi imitemur. Humilitas Christianis competit.* — Credamus igitur ad ipsius gloriam, et vivamus ad ipsius gloriam: alterius enim sine altero nulla utilitas. Nam, cum illum recte quidem glorificamus, sed non recte vivimus, tunc maxime in ipsum contumeliosi sumus, quippe qui illum Dominum ac Magistrum profitentes, nihilominus eum contemnimus, nec terribile illud tribunal pertimescimus. Etenim Græcos quidem impure vivere, neque mirandum est, neque tanto dignum supplicio: at Christianos tantorum mysteriorum

participes, tantæque gloriæ compotes, adeo impuram vitam vivere, hoc est, quod omnem exsuperat improbitatem, nulloque pacto ferendum. Dic enim mihi : Christus usque ad ultima obedientiæ officia descendit; propterea ad excelsum illum honoris gradum pervenit : servus factus est; propterea omnium factus est Dominus, et angelorum et cæterorum omnium. Quamobrem nos etiam ne de statu dignitatis nostræ dejici existimemus, cum nos ipsos humiliaverimus. Tunc enim potius vere in sublime ferimur; tunc maxime digni sumus qui suspiciamur. Quod enim sublimis sit humilis, humilis vero sublimis, sufficit ad fidem faciendam vel una Christi sententia hoc pronuntians : verumtamen ipsam quoque rei naturam perpendamus. Quid est humiliari? annon vituperari? annon accusari, et calumniis peti? Quid vero exaltari? nonne honorari? laudari? in magna gloria esse? Recte. Videamus igitur, quomodo ad hæc perveniatur. Angelus erat satan, seipsum exaltavit : quid igitur? nonne omnium maxime est humiliatus? nonne sedes ipsius terra est? nonne ab omnibus accusatur, omniumque criminationi patet? Homo erat Paulus, humiliavit seipsum : quid igitur? annon suspicitur? annon laudibus atque encomiis celebratur? annon Christi amicus est? annon majora illis edidit, quæ Christus fecerat? annon sæpe diabolo tamquam mancipio imperavit? annon lictorem circumduxit? annon ludibrio habuit? annon contritum illius caput suis subjecit pedibus? annon aliis etiam hoc idem magna cum fidentia a Deo precatus est? Quid hæc affero? Extulit seipsum Absalon, dejecit seipsum David : uter tandem positus in excelso est? uter gloria circumfluxit? Quid enim verbis hisce humilius, quibus beatus hic propheta erga Semei usus est, cum ita diceret, *Dimittite eum, ut maledicat mihi : Dominus enim præcepit ei* (2. *Reg.* 16. 10)? Ipsas quoque res, si placet, examinemus. Humiliavit seipsum publicanus, quamquam ne quidem humilitas erat, sed tamen modeste et verecunde loquebatur. Extulit seipsum Pharisæus : sed, si libet, omissis personis res ipsas examinemus. Statuantur duo aliqui, ambo et divitiis et honoribus abundantes, ac tum in sapientia, tum in potentia et in aliis mundanis bonis de se ipsis magnifice sentientes : deinde alter quidem honores ab omnibus petat, et nisi accipiat irascatur, et plusquam opus est exigat, ac seipsum extollat; alter vero totam rem despiciat, nemini hac de causa succenseat, delatumque sibi honorem repudiet : uter, dic mihi, major est? an qui honorem non accipit, quamvis petat? an qui delatum etiam despicit? Perspicue hic qui contemnit; et jure quidem. Gloriæ enim consequendæ alia ratio non est, quam gloriam fugere. Quamdiu enim ipsam persequimur, fugit nos; cum vero eam fugimus, ipsa nos persequitur. Si vis in gloria esse, gloriam ne concupiscas : si vis celsus esse, ne te ipse in sublime efferas. Atque alia etiam causa est, cur homines colant honoris non appetentem, consectantem vero aversentur : insitum enim hoc est hominum generi contentionis esse cupidum, et cum aliorum desideriis luctari. Itaque despiciamus gloriam : ita enim poterimus humiles fieri vel potius celsi. Ne teipsum extollas, ut ab alio extollaris. Qui a se ipso extollitur, is ab aliis non extollitur : qui seipsum dejicit, is ab aliis non dejicitur. Magnum arrogantia malum est : satius est stolidum esse, quam arrogantem : nam ibi quidem stultitia sola mentis infirmitas est; hic vero stultitia deterior est, et stultitia cum furore conjuncta. Stolidus sibi ipsi nocet, arrogans vero aliorum etiam pernicies est. A dementia hic morbus procreatur : fieri minime potest, ut quis de se magnos spiritus sumat, nisi stultus sit : qui vero valde stultus est, is arrogans quoque est. Audi sapientem quemdam ita dicentem : *Vidi hominem sapientem sibi videri : magis vero illo spem habet insipiens* (*Prov.* 26. 12). Vides me non temere dixisse, gravius esse hoc malum stoliditate? *Magis* enim, inquit, *illo spem habet insipiens.* Propterea Paulus etiam dicebat *Notite esse prudentes apud vosmetipsos* (*Rom.* 12. 16). In corporibus, dic mihi, quænam valere dicimus? utrum valde tumida, ac multo intus referta flatu et aqua; an depressa, et contractam habentia superficiem? Sine dubio hæc. Ergo et in anima, quæ tumet, graviorem hydrope morbum habet : quæ vero depressa est, omni caret vitio. Quot igitur bona parit nobis humilitas? Quid quæris? malarum rerum esse tolerantem, iracundiæ expertem, humanum, sobrium, attentum atque alacrem? hæc omnia bona ab humilitate proficiscuntur; contraria vero ab arrogantia. Nam qui arrogans est, hunc et contumeliosum esse necesse est, et percussorem, et iracundum, et amarum, et tristem, omninoque feram potius quam hominem. Robustus es, ac superbis? Inde potius deprimi debueras : cur enim ex re, quæ nullius ponderis est, magnos tibi spiritus sumis? Etenim et leo te audacior est, et sus robustior; ac præ illis ne culex quidem es : et latrones et sepulcrorum effossores et gladiatores et famuli tui, fortasse vero et qui inter ipsos hebetiores sunt, te robore et viribus superant. Hoccine igitur laude dignum? ac non te ipsum præ pudore abdis, qui ideo superbias? At pulcher es et formosus? Cornicum hæc gloriatio est; non es pavone pulchrior, sive nitorem sive pennas spectes : pennæ avis te longe vincunt, ipsa coma, ipso nitore. Atque olor etiam valde pulcher est, aliæque aves multæ : quibuscum si te contuleris, despicies plane teipsum. Sæpe vero et viles pueruli, et virgines innuptæ, et meretrices mulieres, et molles homines hanc habent gloriationem. Hoccine igitur arrogantia dignum?

6. At divitiis abundas? unde? quibus rebus abundas? auro, argento, lapillis pretiosis? Hæc et latronum gloriatio est et sectorum, et eorum, qui metalla effodiunt. Ergo quod damnatis labor est, id tibi gloriandi causa erit? At ornatu nites? Equos etiam licet cernere pulchre ornatos : apud Persas vero camelos etiam videas mirifice compto : inter homines autem eos omnes, qui ex scena. Non pudet te has ob res

magnos spiritus sumere, in quibus tecum communicant bruta animantia et servi et homicidæ et molles et latrones et sepulcrorum perfossores? At ædes exstruis splendidas? Et quanti hoc? multi graculi splendidius habitant, et magnificentiora habent domicilia. Annon vides ab iis ipsis, qui in divitiis ita insaniunt, in agris ac solitudine exstructas domos, graculorum esse domicilia? At vocis gratia superbis? Olore et luscinia numquam poteris canere suavius. At artium multitudine? Ecquid in his ape sapientius? ecquis variegandi artifex, ecquis pictor, ecquis architectus istius imitari opera poterit? At subtilitate vestis? Sed hic te araneæ vincunt. At velocitate pedum? Rursus primæ brutis animantibus deferendæ, lepori, damæ; et quot jumenta velocitate pedum minime vincuntur. At mutas sedes? Verum nihilo plus avibus; hæ enim facilius peregrinantur, ac sedes mutant: non viatico, non jumentis egent, sed ad omnia illis ala satis est: hæc navis, hæc jumentum, hæc vehiculum, hæc ventus, et quidquid aliud postulari queat. At acute cernis? verum non æque, atque caprea aut aquila. At acute audis? sed asinus acutius. At bene olfacis? verum canis minime se abs te vinci patitur. At parandi victus artificium tenes? verum formicæ cedis. At aurum gestas? verum non item atque Indicæ formicæ. At sanitas te effert? multo melius brutis animantibus est, sive bonitatem habitus, sive parandarum rerum quæ ad vitam faciunt facultatem species: non illa paupertatem timent: *Respicite* enim, inquit, *volatilia cœli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea* (*Matth.* 6. 26). Ergo, inquies, bruta ipsa nobis præstantiora Deus condidit. Vides quanta sit inconsiderantia? vides, quam negligenter res examinentur? vides, quantum illud sit, quod rerum ipsarum pondus examinatum nobis largitur? Ille qui præ omnibus hominibus magnos spiritus sumebat, vel brutis vilior esse convictus est. Sed nos ei parcamus; neque ipsum imitemur, neque quia supra nostræ naturæ conditionem de se magnifice sentit, dejectum illum in brutorum ordine jacere patiamur, sed inde ipsum extrahamus atque evehamus, non quidem ipsius gratia; nam ille quidem, qui hanc conditionem subeat dignus est; sed ut Dei humanitas honosque ab eo nobis tributus demonstretur. Sunt enim, sunt omnino quædam, in quibus nihil brutis animantibus nobiscum commune est. Quænam hæc? Pietas, et vita virtuti congruens. Hic non potes in medium adducere scortatores, non molles, non homicidas; longe enim ab illis distamus. Quid vero hoc est? Deum novimus, ipsius providentiam agnoscimus, de immortalitate philosophamur: hic cedunt bruta. De hujusmodi rebus non hæsitantes sobrie sentimus: hic nihil brutis commune nobiscum est. Nam cum omnibus illis inferiores simus, iis tamen imperamus. In hoc enim exstat imperii magnitudo, quod ipsis inferiores, regnum tamen in ipsa obtinemus; ut discas non te harum rerum esse causam, sed Deum qui te condidit, et rationem largitus est. Retia et laqueos illis tendimus, in quos ipsa impellimus et capimus. Moderatio enim nobis adest, æquitas, lenitas, pecuniarum despicientia. Sed quoniam tu unus ex arrogantibus es, nihilque horum habes, merito vel præ omnibus hominibus magnifice de te sentis, vel præ omnibus brutis humiliter. Talis enim est arrogantia et audacia: vel præter æquum sese effert, vel itidem se dejicit, nusquam modum servans. Hac quidem re æquales sumus angelis; regnum nobis promissum est, et chorea cum Christo. Qui vere homo est vapulat, et non succumbit; mortem despicit, non tremit, non metuit, non appetit plura. Quamobrem qui tales non sunt, brutis sunt deteriores. Quando enim rebus quidem ad corpus pertinentibus alios homines vincis, animi vero ornamentis cares; quomodo brutis non es deterior? Age enim in medium adducamus eorum aliquem, qui cum vitio, qui minime congruenter rationi, qui in deliciis et immoderata rerum abundantia vivunt. Isto equus est pugnacior, sus robustior, lepus velocior, pavo formosior, olor vocis suavitate præstantior, elephas major, aquila perspicacior, omnes aves ditiores. Unde igitur dignus es, qui brutis domineris? ex ratione? Minime id quidem. Quando enim illa, ut oportebat, non uteris, rursus illis es deterior: quando enim ratione præditus minus quam illa congruenter rationi vivis, satius tibi erat neque initio factum esse rationis compotem. Non enim idem est, cum principatum acceperis, illum prodere, atque initio non accepisse. Regi satellitibus suis deteriori satius erat neque purpura se induisse. Idem hac in re evenit. Intelligentes igitur vel brutis ipsis nos esse deteriores, nisi virtutem habeamus, huic exercendæ operam demus, ut homines fiamus, vel potius angeli; promissisque bonis fruamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

Cap. 2. v. 12. *Itaque, carissimi mei, sicut semper obedistis, non in præsentia mei tantum, sed et multo magis nunc in absentia mea, cum timore et tremore vestram salutem operamini.* 13. *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate.* 14. *Omnia autem facite sine murmurationibus et hæsitationibus,* 15. *ut sitis sine querela, et simplices, filii Dei sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo,* 16. *verbum vitæ continentes ad gloriam meam in diem Christi.*

1. Admonitiones laudationibus temperandæ sunt: nam hoc modo in bonam partem accipiuntur, cum eos quos monemus, ad suam ipsorum æmulationem provocamus: quod nunc etiam Paulus fecit. Attende autem quam prudenter. *Itaque, carissimi mei,* inquit. Non hoc nude atque absolute dixit, Obedite; sed postquam illos laudavit, atque ea verba præmisit

Sicut semper obedistis. Id est, hortor atque obsecro vos, ut imitemini non alios, sed vos ipsos. *Non in præsentia mei tantum : sed multo magis in absentia mea.* Cur, *Multo magis in absentia mea ?* Tunc quidem fortasse videbamini omnia facere pro vestra in me reverentia, quodque mihi honorem haberetis ; nunc vero non ita. Quod si nunc majorem etiam animi contentionem ac diligentiam ostenderitis ; illud simul constabit, tunc quoque Dei causa, non mea vos adductos esse. Dic rogo, Paule, quid tibi vis ? Non ut me audiatis, sed ut cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operemini : non potest enim is qui sine timore vivit, præclarum quidpiam et admirandum edere. Neque tantum dixit, *Timore*, sed addidit, *Et tremore*, qui major quidam et vehementior timor est : nimirum id studens, ut illos attentiores reddat. Hunc habebat timorem Paulus : propterea etiam dicebat : *Timeo ne cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar* (1. *Cor.* 9. 27). Nam si quæ ad vitam hanc pertinent, sine timore recte acquiri non possunt, quanto minus spiritualia ? Dic enim, quis literas sine timore didicit ? quis artem tenuit sine timore ? Quod si ubi non imminet diabolus, sed sola negligentia impedimento est, tanto opus est labore, ut solam illam naturalem negligentiam vincamus : ubi tantum impendet bellum, tanta impedimenta, qui fieri umquam poterit ut sine timore salutem consequamur ? Sed qua ratione hic in nobis excitabitur timor ? Si illud in animo habuerimus, ubique adesse Deum, omnia audire, omnia videre, non ea solum quæ fiunt aut dicuntur, sed etiam quæ in cordibus et recessu mentis latent : *Discretor enim est cogitationum et intentionum cordis* (*Hebr.* 4). Si ita nos ipsos præparaverimus, nihil cum improbitate conjunctum faciemus, nihil dicemus, nihil cogitabimus. Dic enim mihi, si tibi perpetuo in conspectu principis standum esset ; nonne cum timore stares ? Et qui fit, ut cum Deo adstes, rideas et osciteris, nec timeas neque contremiscas ? Toleratione illius per contemptum ne abutitor : ideo enim cunctatur, ut te ad pœnitentiam adducat : neque cum quidvis tibi faciendum est, sine hac cogitatione facere adducaris, omnibus factis interesse Deum ; interest enim omnino. Ergo sive comedas, sive dormitum eas, sive irascaris, sive rapias, sive in deliciis agas, sive quidvis aliud facias, crede interesse Deum, ac numquam in risum incides, numquam ira accenderis. Si hanc perpetuo retinueris cogitationem, perpetuo in timore ac tremore eris ; quippe qui in conspectu Regis adstes. Ædificator, etiamsi bene peritus sit ac bonus artifex, cum timore tamen ac tremore stat metuens, ne ab ædificio decidat. Ergo et tu qui credidisti, multis virtutis officiis functus es, ad excelsum quemdam gradum pervenisti, te ipsum in tuto contine, et cum timore sta, atque oculos aperi, ne inde decidas : multa enim sunt spiritualia illa nequitiæ, quæ id student, ut te dejiciant. *Servite*, inquit, *Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* 2. 11). Et quænam esse potest exsultatio cum tremore ? quin hæc ipsa sola est exsultatio. Nam quando aliquod virtutis officium, ac tale omnino quidpiam præstiterimus, quale consentaneum est eos præstare, qui tremorem in faciendo adhibent ; tum solum gaudemus. *Cum timore et tremore vestram salutem operamini.* Non dixit tantum, ἐργάζεσθε, sed, κατεργάζεσθε : id est, non quovis modo operamini, sed accurate magnoque cum studio operamini. Quoniam vero dixit, *Cum timore et tremore*, ac sollicitudinem injecit, vide quomodo illam mitiget. Quid enim ait ? *Deus est qui operatur in vobis.* Ne illud tibi metum incutiat, quod dixit : *Cum timore et tremore :* non enim ideo dixi, ut desperes, ut virtutem difficilem aditu putes, sed ut mentem adhibeas, ac ne te ipsum remittas quasi fatiscas. Si hoc attuleris, Deus omnia operabitur : tu confidito : *Deus enim est, qui operatur in vobis.* Ergo si ipse operatur, nos voluntatem ipsam penitus obsecundantem non remissam, sed in sese collectam exhibeamus oportet : *Deus enim est, qui operatur in vobis et velle et operari.* Si Deus est, qui in nobis hoc operatur, ut velimus, cur nos cohortatur ? Nam si ipse est, qui ut velimus facit, frustra nobis dicis, *Obedistis ;* non enim nos sumus qui obedimus : frustra dicis, *In timore et tremore ;* totum enim Dei est. Minime vero huc spectans istâ verba protuli, *Deus est qui operatur et velle et operari ;* sed ut vestram sollicitudinem sedarem. Si volueris, tunc operabitur, ut velis. Et propensionem voluntatis ne metuas, et nihil agas : ipse nobis dat et operationem. Etenim ubi voluerimus, augebit propensionem voluntatis : veluti, volo boni aliquid operari ; operatur ipsum bonum, operatur per ipsum etiam velle. Aut ex abundantia pietatis hoc inquit, quemadmodum cum nostra recte facta, charismata appellat.

2. Sicut igitur illa nominans charismata, non propterea nos dejicit de liberi arbitrii possessione, sed hanc ipsam liberam ac sui juris potestatem nobis permittit : ita cum inquit Deum esse, qui operatur in nobis velle, minimè nos libero arbitrio privat ; sed ostendit recte faciendo magnam nos acquirere propensionem ad volendum. Nam quemadmodum faciendo illud consequimur, ut faciamus : ita non faciendo hoc comparatur, ut non faciamus. Dedisti eleemosynam ? te ipsum magis incitasti ad dandum. Non dedisti ? magis te ad cessationem comparasti. Sapienter egisti uno die ? habes incitamentum, ut in altero similiter agas. Neglexisti ? auxisti negligentiam : *Impius* enim, inquit, *cum in profundum venerit malorum, contemnit* (*Prov.* 18. 3). Quemadmodum igitur, qui in malorum profundum descendit, contemnit : ita qui in profundum bonorum venit, studiose agit. Nam ut ille desperatione negligentior fit, ita hic bonorum copiam secum cogitans, diligentior fit, ne totum perdat. *Pro bona voluntate*, inquit : id est propter caritatem, ut Deo placeatis, ut quæ illi probantur quæque illius voluntati consentanea sunt, fiant. Hoc loco ostendit, et fiduciam dat, fore omnino ut Deus operetur. Vult enim nos ita ut ipse vult, vivere. Quod si Deus vult, illud autem quod vult, ipse operatur, certe hoc quoque operabitur ac præstabit, ut

recte vivamus : hoc enim ipse vult. Vides a Paulo minime tolli arbitrii libertatem? *Hæc omnia*, inquit, *facite sine murmurationibus et hæsitationibus.* Diabolus ubi nos abducere minime potuerit, quin recte faciamus, alia quadam ratione molitur inanem reddere mercedem nostram. Nam vel vanæ gloriæ amorem, vel arrogantiam induxit, vel si nihil horum, murmurationem, vel saltem hæsitationem. Ac vide quomodo hæc purget Paulus : dixit de animi humilitate quæcumque jam audivistis, arrogantiam abigens; dixit de inanis gloriæ studio, comprimens tumorem; et alibi quidem, *Non in præsentia*, inquit, *mei tantum;* nunc vero nonnulla addit de murmuratione et hæsitatione. Cur autem cum Corinthiis adimeret hunc morbum, Israelitarum etiam mentionem fecit (1. *Cor.* 10. 10); hoc autem loco nihil hujusmodi attulit, sed simpliciter præcepit? Quoniam illi ab hoc morbo jam fuerant occupati : quamobrem altius inferre vulnus necesse habebat, ac vehementius objurgare : hic vero, ne se occupari sinant monet. Igitur erga eos, qui nondum peccarant, supervacuum erat durioribus verbis uti, quo sibi caverent. Nam et ad humilitatem adducens non attulit exemplum illud ex Evangelio, ubi superborum supplicium narratur, sed ab exemplo Dei admonitionem duxit, ipsisque omnino ut legitimis filiis loquitur, non ut famulis. Etenim ad virtutem sequendam is qui bona et generosa mente præditus est, exemplo eorum qui recte se gesserunt adducitur : is vero cui malus animus, eorum exemplo qui virtutis munera non obiverunt : ille honore, hic supplicio. Propterea ad Hebræos etiam scribens, Esaü in medium adduxit, qui propter unam escam vendidit primogenituram (*Hebr.* 12. 16); et rursus, *Si subtraxerit se, non placebit animæ meæ* (*Hebr.* 10. 38). Atqui inter Corinthios quidem multi erant, qui scortati fuerant : propterea dicebat, *Ne iterum cum venero ad vos, humiliet me Deus meus, et lugeam multos ex iis, qui antea peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia et fornicatione et impudicitia, quam gesserunt* (2. *Cor.* 12. 21). *Ut sitis*, inquit, *sine querela, et simplices;* id est, nulli reprehensioni obnoxii, puri atque integri : non enim levem maculam imponit murmuratio. Quid autem significat, *Sine hæsitationibus?* utrum bonum est, an minime? Ne in disputationem, inquit, rem adducatis, etiamsi labor, etiamsi molestia sit quod proponitur. Non dixit, Ut ne puniamini; isti enim rei supplicium est propositum : quod in Epistola ad Corinthios indicavit; sed hic nihil ejusmodi dixit; sed, *Ut sitis, inquit, sine querela et simplices, filii Dei sine reprehensione, in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in diem Christi* (1. *Cor.* 10. 10). Vides hos a Paulo institui ne obmurmurent? Est enim iniqui ac stupidi servi obmurmurare. Ecquis enim, dic mihi, filius est, qui in bonis paternis laborans, ac sibi ipsi laborem capiens, obmurmuret? Cogita, inquit, te tibi ipsi laborare, tibi ipsi colligere. Illorum vero proprium est obmurmurare qui aliis laborant, aliis sudant : qui autem sibi ipse colligit, cur obmurmurat? quod ipsius divitiæ non crescunt? Minime id quidem Qui sponte nulla imposita necessitate facit, cur obmurmurat? Satius est nihil agere, quam murmurando agere : nam et hoc ipsum, quod fit, perit. Annon vides in ipsismet domibus nostris hæc nobis semper in ore esse : Satius est isthæc minime fieri, quam obmurmurando fieri? ac sæpe malumus ministerio, quod nobis exhibetur, carere, quam murmurantem ferre. Gravis enim res, gravis est murmuratio, ac prope ad blasphemiam accedit : alioqui cur tantum de illis supplicii sumptum fuisset? Vitium istud ingrati animi est. Qui murmurat, ingratus est erga Deum : qui vero erga Deum ingratus est, profecto blasphemus etiam est. Ac sane eo maxime tempore continentes tentationes erant, et frequentia pericula; nulla dabatur requies, nulla cessatio; undique innumerabilia ingruebant mala; nunc vero summa pax ac tranquillitas.

3. *Contra murmurantes.* — Cur igitur murmuras? quod pauper es? Job illum cogita. Morbo laboras? Quid igitur faceres, si tantorum tibi bonorum ac sanctus ille rectorumque factorum conscius, in morbum incidisses? Rursus illum cogita, quod per longum tempus perseveraret vermes pullans, in stercore sedens, scabiem fricans. *Multo autem*, inquit, *interjecto tempore, dixit ad eum mulier : Quousque uteris patientia ista, ac perges dicere, Adhuc paulum quiddam temporis exspecto? dic verbum aliquod contra Dominum, ac morere* (*Job.* 2. 9). At filius tibi obiit? Quid igitur, si omnes amisisses, et acerba quidem morte, quemadmodum ille? Nostis enim, nostis, assidere ægrotanti, os ori conferre, oculos claudere, contrectare genas, suprema audire verba; quantum solatii afferat. At horum nullo dignatus est justus ille; sed omnes simul obruti occubuerunt. Et quid hæc dico? si ipse jussus esses filium tuum interimere, et immolare, et combustum spectare, ut beatus ille patriarcha, quid fecisses? Ille autem quanto animo et altare ædificabat, et ligna imponebat, et filium ligabat? At nonnulli sunt, qui te conviciis consectentur? Quid igitur tibi animi esset, si hæc eadem ab amicis, qui consolationis causa advenissent, audires? Nam nunc quidem multa habemus peccata, jureque probris afficimur : tunc vero ille verax, justus, pius, qui sese ab omni crimine abstinebat, secus omnia ab amicis audiebat. Quid vero, dic mihi, si mulierem exprobrantem audires, ac dicentem, *Ego quasi erratica quædam mulier et famula locum ex loco, domum ex domo circumerrans, solis occasum exspectans, ut a doloribus me undique prementibus requiescam* (*a*)? Cur ista inquis, o stolida? num harum rerum tibi causa est vir? Non ille, sed diabolus. *Dic*, inquit, *verbum aliquod adversus Dominum, et morere.* Itane? si decumbens hoc diceret ac moreretur, tibine melius esset? Non est morbus illo gravior, etiam si sexcentos afferas. Talis

(*a*) Hæc, ad librum Jobi pertinentia, noli in Biblia Latina inquirere : in Editis enim Græcis libri Jobi multa adjectitia occurrunt, quæ in Hebræo et in Vulgata non reperiuntur.

ac tantus erat, ut ne domi quidem ac sub tecto manere posset : talis erat, ut omnes deficerent. Non enim, si ullam admisisset medicinam, extra urbem sedisset deteriori conditione, quam illi qui elephantiasi laborant. Nam isti quidem et domos subeunt et inter se congregantur : ille vero sub dio in stercore nudus pernoctabat, ac ne vestem quidem induere poterat : quomodo enim? quin etiam fortasse crevisset dolor. *Macero*, inquit, *glebas terræ saniem scalpens* (*Job* 7. 5). Carnes ipsius saniem ac vermes scaturiebant, idque assidue. Sentis quam quisque nostrum hæc audiens horrescat. Quod si ea sunt auditu intolerabilia, quanto magis perpessu? Attamen perpessus est justus ille non unum aut alterum vel tertium diem, sed perdiu; nec peccavit quidquam in labiis suis. Ecquem hujusmodi morbum potes mihi afferre, tot refertum doloribus? annon iste cæcitate deterior erat? Fœtidos enim sentio cibos meos neque hoc solum, sed neque etiam, quod aliis solet recreationi esse, nox et somnus huic quidquam solatii afferebat, sed quovis tormento gravior erat : idque ex ipsius verbis cognosce. *Cur terres me per somnia, et per visiones errore concutis? Cum advenit diluculum, dico, Quando adveniet vespera* (*Job* 7. 14. 4)? Ac tot tantisque malis affectus non obmurmuravit. Neque vero id solum molestiæ inerat; sed etiam mala quam multi de ipso conceperant opinio : nam ex calamitatibus, quæ illi acciderant, sexcentorum jam criminum reum existimabant : quod et ei dicebant amici, Minora peccatis tuis flagella passus es (*Job* 11. 6). Quamobrem et ipse dicebat, *Et monent me infimi homines, quos canibus pastorum meorum minime dignos existimassem* (*Job* 30. 1). Quot mortibus non erat istud gravius? Verumtamen tantis undique fluctibus pressus, ac tam sæva undique ingruente tempestate in mediis nubibus, procellis, fulminibus, turbinibus ac vorticibus manet ipse immotus, in tanta tamque gravi tempestate, perinde atque in placido quodam portu quietus sedens, neque obmurmuravit : atque hæc ante gratiæ tempus, antequam de resurrectione, de gehenna, de pœna, de supplicio quidquam dictum esset. Nos vero, qui et prophetas et apostolos et evangelistas audimus, et sexcenta cernimus exempla, atque ea, quæ resurrectionem nobis exploratam faciunt, didicimus, adhuc ægre ferimus : quamvis nemo sit, qui tot ac tanta sibi mala accidisse queat dicere. Nam tametsi quis pecunias amisit, at non tot filios filiasque; ac si amisit, fortasse quod peccaverit : ille vero repente in mediis sacrificiis, illo ipso tempore, dum deserviret et cultum tribueret Deo. Quod si filios, ac divitias simul tantas, quod vix fieri potest; at non per totum corpus ulceribus scatet ac saniem effundit. Quod si hoc quoque; at non insultantes nactus est atque exprobrantes : quod quidem omnium maxime nos pungere consuevit, magisque quam calamitates ipsæ. Etenim, si ubi in malis adsunt qui nos consolentur ac dolorem leniant, bonasque nobis spes injiciant, tamen adeo frangimur atque animum despondemus : cogita quantum illud fuerit, exprebrantes habere. Si illud, *Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni* (*Psal.* 68. 21), grave atque intolerabile erat : quantum tandem mali erit pro consolantibus incidere in exprobrantes : *Consolatores*, inquit, *malorum omnes* (*Job.* 16. 2).

4. Si hæc assidue versaremus, si hæc essemus ratiocinati, nulla sane præsentium rerum dolore nos affecisset, in illum intuentes athletam, in adamantinam illam animam, in mentem illam æneam et quæ frangi non posset : perinde quasi æreo, vel lapideo corpore circumdatus esset, ita omnia generose ac patienter ferebat. Hæc cogitantes, omnia sine murmurationibus atque hæsitatione faciamus. Boni quidpiam facis, ac murmuras? cur? num forte imposita tibi necessitas est? Novi, inquit, multos, qui circum vos sunt, vos pene cogere ut murmuretis (hoc enim subindicat illis verbis, *In medio nationis pravæ et perversæ*) : at hoc demum admirabile est, neque etiam cum pungaris atque impellaris, eo adduci. Nam et sidera in nocte fulgent, in tenebris emicant; tantumque abest, ut ullam pulchritudinis suæ jacturam faciant, ut splendidiora etiam appareant : ubi enim lux advenerit, non æque apparent. Ita etiam tu, si inter perversos homines rectus manseris, lucebis magis, longeque admirabilius erit sine reprehensione esse. Ergo ne hoc afferant, occupans ipse id attulit. Quid est, *Verbum vitæ continentes?* Id est, qui ad vitam venturi estis, qui ex numero eorum estis, qui salutem consequuntur. Vide quam continuo subjecerit præmia : Luminaria, inquit, rationem ac facultatem lucis continent. Quid est, *Verbum vitæ?* Semen vitæ in vobis habetis, hoc est, pignora et semen vitæ habentes : hoc vocat verbum vitæ. Ergo cæteri omnes mortui : id enim verbis istis indicavit : alioquin et alii verbum vitæ continuissent. *Ad gloriam*, inquit, *meam*. Quid hoc est? Et ego, inquit, particeps sum vestrorum bonorum. Tanta est vestra virtus, ut non solum salutem det vobis, sed me etiam clarum faciat. Quænam gloria, o beate Paule? Flagellis cæderis, expelleris, contumeliis afficeris nostra causa : propterea inquit, *In diem Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi;* sed semper est unde glorier me non frustra cucurrisse. 17. *Sed etsi immolor*. Non dixit, etiam si moriar : quemadmodum neque ad Timotheum scribens; nam et ibi eadem dicit, *Ego enim jam immolor* (2. *Tim.* 4. 6); partim consolans illos de sua ipsius morte, partim instituens ut mortem pro Christo moderate ferant. Victima, inquit, quædam et hostia evado. O beatam animam! Hostiam vocat institutionem illorum. Multo satius immolare animam, quam bovem immolare. Quapropter si in hoc sacrificio me ipsum tradidero, inquit, quasi victimam; gaudeo, inquit, de mea morte : hoc enim ista verba significant, *Supra sacrificium et obsequium fidei vestræ, gaudeo et congratulor omnibus vobis* : 18. *idipsum autem et vos gaudete et congratulamini mihi*. Quid congratularis? Vides quomodo ostendat gaudendum illis esse? Gaudeo igitur, inquit, me libamen fieri; congratulor

autem quod simul sacrificium offeram. *Idipsum autem et vos gaudete et congratulamini mihi*, quod oblatus sum. Congratulamini, inquit, mihi in mea ipsius morte gaudenti. Non igitur lacrymis dignus est justorum obitus, sed lætitia. Si ipsi gaudent, gaudendum cum ipsis est : absurdum enim fuerit gaudentibus illis nos lugere. Sed consuetudinem requirimus, inquit. Commenta isthæc sunt et prætextus : vide, quid Paulus admoneat Philippenses, *Gaudete et congratulamini mihi* ; et tu consuetudinem requiris? Si tibi quidem ipsi hic manendum sit, recte dicis ; sin autem paulo post ad illum qui abiit perventurus es, quam requiris consuetudinem ? Ille enim merito consuetudinem requirat, qui ab aliquo in perpetuum divellitur ; sed si idem tibi iter conficiendum est, quam consuetudinem requiris ? Eos, qui peregre absunt, cur non lugemus? nonne paucis emissis lacrymis, confestim post unum aut alterum diem a fletu cessamus? Si consuetudinem requiris, tantum dumtaxat fleto, quantum satis sit ad ostendendum, te natura hominem esse : deinde vero gaude, quemadmodum Paulus, qui ita dicebat : Nihil mihi molesti accidit, seu etiam gaudeo ad Christum abiens, *Et vos gaudete*, inquit, *congratulamini mihi*. Gaudeamus igitur et nos cum justum viderimus interiisse, vel potius quando aliquem etiam ex desperatis : nam ille quidem discedit, laborum suorum mercedem accepturus ; hic vero quidpiam de peccatorum suorum numero detraxit. Sed fortasse, inquit, vivens vitam mutasset suam. At non illum rapuisset Deus, si vitam ille mutaturus fuisset. Etenim qui omnia pro salute nostra facit ac disponit, cur non eum sivisset vivere qui aliquando talis futurus esset, ut placeret? si sinit eos qui non convertuntur, multo magis eos qui convertuntur. Undique igitur fletus nobis amputatus sit, undique lamenta sublata : quæcumque eveniant, de omnibus gratias agamus Deo, omnia sine murmurationibus faciamus : lætemur : atque in omnibus illi placeamus, ut futura etiam consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simulque sancto Spiritui gloria, potestas, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

Cap. 2. v. 19. *Spero autem in Domino Jesu Timotheum me cito mittere ad vos, ut et ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt.* 20. *Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus futurus sit.* 21 *Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi.*

1. Dixit quæ sibi evenerant ad evangelii progressum conduxisse, *Ita ut vincula mea manifesta fierent in omni prætorio* (*Philipp.* 1. 13) : dixit, *Sed et ei immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestræ* ; ipsosque per hæc confirmavit. Sed forte suspicari poterant priora ista consolationis causa esse dicta. Quid igitur facit, et quomodo suspicionem adimit ? Timotheum, inquit, mitto ad vos : avebant enim de Paulo omnia cognoscere. Cur vero non dixit, Ut mea cognoscatis, sed, Ut ego cognoscam vestra ? Quoniam Pauli res Epaphroditus ante Timotheum nuntiaturus erat : quamobrem progrediens inquit, *Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem mittere ad vos* (*v.* 25) : Sed vestra, inquit, cognoscere cupio. Verisimile enim est diu illum mansisse apud Paulum ob corporis imbecillitatem. Quamobrem necessario, inquit, vestra cupio cognoscere. Vide autem, quam omnia ad Christum referat, et ipsam quoque Timothei missionem, ita dicens, *Spero autem in Domino Jesu* ; id est, confido ut hoc mihi Deus gratificetur, idque mihi ex sententia succedat. *Ut et ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt.* Quemadmodum, inquit, recreavi vos dum ea audivistis quæ de me precati estis, nimirum evangelium progressus fecisse, dedecus in illos recidisse, et unde mihi nocere putabant, inde lætitiam attulisse : ita cupio de rerum vestrarum statu cognoscere, *Ut et ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt.* His verbis ostendit gaudere illos debuisse de vinculis, eaque subsequi ; multum enim ipsi voluptatis attulisse : nam illud, *Ut et ego bono animo sim*, hoc significat, quemadmodum vos. Papæ ! quanto Macedoniam amore complectebatur ! Idem vero Thessalonicensibus quoque dicit, ut eo loco, *Nos autem desolati a vobis ad tempus horæ* (1. *Thess.* 2. 17). Et hic, *Spero*, inquit, *Timotheum mittere*, ut de rerum vestrarum statu cognoscam : quod quidem maximam indicabat curam. Quando enim ipse adesse non poterat, discipulos mittebat : ita res illorum sibi ignotas esse ne ad breve quidem tempus ferre poterat. Non enim spiritu omnia cognoscebat ; idque jure fiebat. Etenim si hoc sibi discipuli persuasissent, impudentes facti essent ; nunc vero cum sperarent latere, facilius corrigebantur. Hoc ipso vero illos potissimum attentos reddit, quod inquit, *Ut et ego bono animo sim*, illorumque studium ac diligentiam acuit, ita ut, tametsi Timotheus non venerit, alium tamen inventurus sit qui ipsi renuntiet. Hac autem ipse etiam ratione perspicue usus est, suumque adventum distulit, ut Corinthii converterentur. Propterea etiam scribebat, *Parcens vobis nondum veni Corinthum* (2. *Cor.* 1. 23). Non enim hoc solo ostenditur caritas, quod sua nuntiet, sed etiam quod de illorum statu cupiat cognoscere : hoc enim animæ est valde curantis et satagentis, et in perpetua quadam sollicitudine versantis. Simul vero et honore illos afficit Timotheum mittens Quid ais? Timotheum mittis? quapropter? Sane, inquit ; *Neminem enim habeo unanimem* ; id est, qui æque atque ego vestra curet ; *qui sincera affectione pro vobis sollicitus futurus sit.* Neminem ergo secum habebat, qui eumdem atque ipse animum gereret. Neminem. Quid id est? Qui nimirum æque atque ego vos curet, vobisque consulat. Non facile, inquit, quispiam inveniatur qui hac de causa tantum itineris velit conficere : qui æque atque

ego vos amat, Timotheus est : erant autem et alii quos mitterem, sed nemo talis est. Ergo hoc est, unanimem esse, discipulos perinde atque ipse amare. *Qui sincera*, inquit, *affectione pro vobis sollicitus futurus sit ;* id est paterna. *Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi ;* id est, jucunditatem suam ac securitatem : quod etiam ad Timotheum scribebat. Sed cur isthæc conqueritur? Nos docens, dum hæc audimus, ne eodem prolabamur ; docens auditores, ne oblectationem ac requiem quærant. Nam qui requiem quærit, non quæ Christi sunt, sed sua quærit : oportet enim paratos nos esse ad quemvis laborem, ad quamvis miseriam subeundam. 22. *Experimentum autem*, inquit, *ejus cognoscite, quia sicut patri filius mecum servivit in evangelium.* Ne id a me temere dici putetis, vos quoque, inquit, hoc sciatis, illum mihi ut patri filium in evangelium servisse. Merito hic Timotheum commendat, ut apud illos magno in honore habeatur Hoc etiam ad Corinthios scribens facit istis verbis, *Ne quis illum spernat : opus enim Domini operatur, sicut et ego* (1. *Cor.* 16. 10) : non tam illi prospiciens, quam iis qui ipsum recipiunt, ut magnam reportent mercedem. 23. *Hunc igitur*, inquit, *spero mittere, mox ut videro quæ circa me sunt.* Id est, ubi videro quis sit status rerum mearum, quemque sint exitum habituræ. 24. *Confido autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito.* Non propterea illum mitto, quod ipse venturus non sim, sed *Ut bono animo sim, cognitis quæ circa vos :* ut ne interea etiam verser in vestrarum rerum ignoratione. *Confido autem*, inquit, *in Domino ;* id est, si Deus voluerit.

2. Vide quam ille omnibus in rebus de Deo pendeat, et nihil ex sua sententia pronuntiet. 25. *Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem et cooperatorem et commilitonem meum.* Et hunc rursus iisdem ac Timotheum encomiis ornatum mittit. Illum enim duobus his nominibus commendavit, quod et eos amet ; dixit enim, *Qui sincera affectione vestra curaturus sit ;* et quod in evangelio valde se probaverit : hunc igitur et iisdem quam illum nominibus laudat. Quomodo ? Quoniam appellare fratrem et cooperatorem, neque hoc contentum, addere etiam commilitonem, ostendentis est illi quoque secum communia fuisse pericula, atque eadem de illo ac de se ipso testificantis. Quod inquit *Commilitonem*, plus est, quam *Cooperatorem*. Quidam enim fortasse fuerit, qui in levibus quidem negotiis socium se agendi præbeat, in bello autem ac periculis non item : dum vero dixit, *Commilitonem*, hoc quoque significavit. *Vestrum autem*, inquit, *apostolum, et ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos.* Id est, Vestra vobis donamus, dum vel vestrum hominem ad vos mittimus, vel eum qui vos doceat. Rursus multa de illius caritate subjicit dicens, 26. *Quoniam quidem omnes vos desiderabat ; et mœstus erat propterea quod audieratis illum infirmatum.* 27. *Nam et infirmatus est usque ad mortem, sed Deus misertus est ejus, non solum autem ejus, verum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem.* Hoc loco et aliud quiddam agit ostendens, Epaphrodito etiam valde exploratum esse, amari se a vobis. Hoc vero non parum ad amandum solet allicere. Quomodo ? Ægrotavit, inquit, et mœsti fuistis ; convaluit, et vos mœrore liberavit, quem ex ipsius invaletudine capiebatis : nec tamen propterea ipse mœrere desiit, sed dolebat non se, cum valuisset, vos vidisse. Hic et aliud agit, ad sui defensionem causam afferens, ob quam serius ad illos mittat : non enim id ex negligentia fieri, sed Timotheum quidem a se retineri, quoniam neminem habeat ; *Neminem enim*, inquit, *habeo unanimem ;* Epaphroditum vero ob invaletudinem. Deinde ostendens longam ac diuturnam fuisse, addidit : *Nam et infirmatus est usque ad mortem.* Vides quantum studi adhibeat Paulus, ne discipulis suis quidquam loci se ullius negligentiæ ac socordiæ insimulandi relinquat, neque suspicandi ideo, quod ipsos contemneret, non profectum esse ? Nulla enim re æque allici discipulus potest, ac persuasione hac, curæ se esse præceptori, suaque causa illum mœrere, quod exuberantis caritatis est. *Audieratis*, inquit, *illum infirmatum : nam et infirmatus est usque ad mortem.* Ac ne putes ista mihi per simulationem dici, audi sequentia : *Sed Deus misertus est ejus.* Quid ais, hæretice (*a*) ? Hoc loco misericordiam Dei vocat, retinere illum qui abiturus erat, et ad vitam revocare. Quod si mundus esset in malis, non misericordia hæc esset relinquere in malo. Cæterum adversus hæreticum quidem facile est dicere, erga Christianum autem quid dicemus ? Nam hic fortasse hæsitabit, ac dicet : Quid ? si dissolvi et esse cum Christo multo præstabilius, cur inquit ipsum misericordiam esse consequutum ? Ego vero dicam : Quid est, quod ipse inquit, magis necessarium esse manere propter vos ? Nam quemadmodum Paulo hoc necessarium erat, ita et Epaphrodito : quippe qui amplioribus cum divitiis majoreque fidentia ac securitate ad Deum abiturus esset. Etenim illud quidem etiamsi paululum differretur, futurum tamen omnino erat ; lucrari vero animas, postquam illuc abiisset, non poterat. Huc accedit, Paulum multa ex communi audientium sensu proferre, neque ubique philosophari : ad mundanos enim homines sermo ipsi erat institutus, mortem adhuc timentes. Præterea ostendit, quanti Epaphroditum faceret : hincque illi reverentiam quamdam conciliat, utpote cujus salutem adeo sibi utilem esse testetur, ut secum quoque ex illius incolumitate misericorditer actum putet. Præterea vero, ut hoc mittamus, aliam quoque ob causam bona est præsens vita. Nam nisi bonum esset, cur loco suppliciorum numeraret immaturas mortes ? quemadmodum ubi inquit, *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi* (1. *Cor.* 11. 30). Futura enim vita improbi hominis non melior, imo mala est ; probi autem melior. *Ne tristitiam*, inquit, *super tristitiam haberem*, ne ad mœrorem, quem ex ipsius invaletudine capiebam, accederet mœror ex morte. Ita quanti Epaphroditum

(*a*) Videtur hic Manichæos redarguere.

faciat ostendit. 28. *Festinantius ergo misi illum.* Quid est, *Festinantius?* Sine cunctatione, nulla interposita mora, jubens omnia quæcumque obsteut vincentem, quam citissime ad vos venire, ut mœrore liberet. Non enim si eos quos amamus valere audiamus, æque lætamur ac si videamus, maximeque si id præter spem eveniat, quemadmodum tunc in Epaphrodito evenerat. *Festinantius ergo*, inquit, *misi illum : ut viso eo gaudeatis, et ego magis sine tristitia sim.* Quomodo magis sine tristitia? Quoniam si vos gaudetis, et ego gaudebo, et hic ipse de nostra voluptate gaudebit, et ego a mœrore liberior ero. Neque dixit, Sine tristitia, sed, *Magis sine tristitia*, ut ostendat numquam animam suam mœrore vacuam esse. Qui enim ita dicit, *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (2. *Cor.* 11, 29)? quomodo sine mœrore et tristitia sit? Ergo mœrorem, inquit, istum deponam. 29 *Excipite itaque illum in Domino cum omni gaudio. In Domino*, quod idem est ac spiritualiter. Id est, magno cum studio; vel potius hoc significat, Deo volente. Itaque illum excipite pro sanctorum dignitate, ut sanctos excipi par est, *Cum omni*, inquit, *gaudio.*

3 Hæc omnia pro iis facit ad quos mittit, non pro missis. Majus enim facit lucrum, qui beneficium dat, quam qui accipit. *Et ejusmodi homines cum honore habetote.* Id est, Excipite illum ut merentur sancti. 30. *Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium.* Hic communiter a Philippensium civitate missus fuerat, qui Paulo ministraret; aut fortasse etiam ideo venerat, ut quidpiam afferret : allatas enim ab illo esse pecunias in extrema epistola ostendit his verbis, *Acceptis ab Epaphrodito quæ misistis* (*Phil.* 4. 18). Verisimile igitur est illum, cum Romam pervenisset, Paulum in magno hoc gravique periculo reperisse, ut qui adire illum vellent, ipsi quoque minime tuto id possent facere, sed suo periculo accederent : quod evenire maxime consuevit magna commota tempestate, atque ubi regum ira majorem in modum effervescit. Etenim cum quis, quod in regis offensionem incurrerit, in carcerem detruditur, arctæque custodiæ traditur; tunc vel famuli ipsi aditu prohibentur, quod quidem Paulo tunc accidisse verisimile est : Epaphroditum vero, magno atque excelso animo virum, omnia comtempsisse pericula, ut Paulum adiret eique ministraret, atque omnia quæ opus erant faceret. Duo igitur affert Paulus, ex quibus illi auctoritatem ac reverentiam conciliat : unum quidem, ubi dicit, ad mortem usque mea causa periclitatum esse; alterum vero, quod personam civitatis gerens hæc perpessus fuerit : ut in periculo illo iis qui miserant merces deberetur, perinde ac si civitas legatum misisset. Ergo excipere illum cum quodam obsequio eique gratias agere de officiis ejus, ratio quædam erit qua pericula et facta nostra magis adhuc communia vobis facietis. Neque dixit, Mea causa, sed orationi addens auctoritatem ac fidem, inquit, *Propter opus Dei*, Non enim mea causa facit, sed propter Deum. *Usque ad mortem accessit.* Quid enim? tametsi minime obiit, Deo id gubernante, ipse tamen nullam vitæ suæ rationem habuit, ac tradidit seipsum; ut, quidquid subeundum fuit, non a præstando mihi ministerio cessaturus. Quod si ut Paulo ministraret seipsum morti exposuit, multo magis pro prædicatione id subiisset; imo vero pro Paulo mori, idem erat ac pro prædicatione. Licet enim, non tantum ne idolis sacrifices, martyrii coronam consequi, sed ejusmodi etiam occasiones martyrium faciunt; ac, si admirabile quiddam dicendum est, magis hæ quam illæ. Nam qui minore de causa mortem subire audet, multo magis audebit, ubi res major agatur. Quamobrem et nos, cum sanctos in periculis versari viderimus, vitæ ne parcamus. Non potest enim is, qui nihil cum periculo experiri audet, præclari quidpiam facere, sed necesse est præsentis vitæ securitati consulentem amittere futuram. *Ut impleret*, inquit, *id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium.* Quid hoc est? Non aderat civitas, sed per illum omni erga me officio ac ministerio functa est, nimirum quod illum misit. Quidquid igitur vestri ministerii mihi deerat, id ipse explevit, ut hac etiam ratione dignissimus sit qui multum honoris reportet, quoniam quod omnes facere oportebat, hoc ipse pro vobis præstitit. Atque ostendit Paulus priora quoque officia ab ipsis, qui in tuto erant, exhibita periclitantibus esse : nam hæc verba, *Id quod ex vobis deerat erga obsequium*, indicant respectum quemdam ad illius civitatis obsequium. Vides sensum animi ac spiritum apostolicum? Is vero non ex arrogantia proficiscebatur, sed ex magna quam illorum gerebat cura. Etenim ne efferantur, sed modestiam tueantur, neque magnum quiddam se præbuisse existiment, sed ad humilitatem adducantur, officium illud his vocibus appellat, Debitum ministerium, et, *Id quod deerat.* Ergo neque nos magnos spiritus sumamus, cum sanctis aliquid præbemus, neque hac re nos illis beneficium putemus dare : a nobis enim id debetur, nec quidquam illis donamus. Nam quemadmodum iis qui in exercitu sunt ac bellum gerunt, ab iis qui domi in pace vivunt, debentur cibaria, et quidquid illis necessarium est in sumptum; illi enim pro his in acie stant : ita hac in causa. Quis enim Paulum, nisi docendi munus obivisset, conjecisset in carcerem? Quamobrem ministrare sanctis oportet. Qui enim non absurdum sit, ei qui terreno Imperatori militat, omnia suppeditare, et vestimenta et cibaria, non solum quantum necessitas postulat, sed etiam plus quam satis est; ei vero qui militat cælesti Imperatori, atque in acie stat adversus hostes longe graviores (*Quoniam non est colluctatio nobis*, inquit, *adversus sanguinem et carnem* [*Ephes.* 8. 12.]), neque necessaria etiam suppeditare? cujus hoc iniquitatis est? quantum hoc ingrati et parci animi vitium?

4. Cæterum, quantum video, plus apud nos hominum metus potest, quam gehennæ et futurorum sup-

pliciorum. Propterea sane omnia contra quam deceat, se habent, ut civilia quidem negotia singulo quoque die diligentissime administrentur, neque illa unquam omitti videas; spiritualium vero nulla nobis ratio habeatur. Ita, quæ necessitate nobis imposita ac tormentis propositis, omninoque tamquam a servis et invitis exiguntur, magna præstantur cum alacritate: quæ vero a libentibus atque ut a liberis, omnia omittuntur. Non hæc in omnes dico, sed in eos qui hujusmodi sumptus facere recusant. Annon poterat Deus necessitatem faciendi imponere? At non vult: vobis enim magis consulit, quam iis qui aluntur. Ideo non vult isthæc vos ex necessitate facere, quoniam nulla vos maneret merces. Attamen multi eorum qui hic sunt, Judæis sunt inferiores ac viliores. Cogita, quot erant quæ a Judæis dabantur, decimæ, primitiæ, rursus decimæ, et rursus aliæ decimæ, et rursus aliæ decimætertiæ, et siclum: nec quisquam erat, qui diceret, sacerdotes multa devorare. Quo plura accipiunt, eo etiam tibi amplior merces. Non dicebant, Multa sumunt, ventri indulgent; quæ nunc quosdam dicentes audio. Atque isti quidem, qui domos ædificant atque agros emunt, nihil putant se habere: quod si sacerdos quispiam paulo splendidiore veste indutus fuerit, aut necessario alimento non egeat, aut famulum habeat, ne ipse cogatur a decore discedere; hoc illi divitias nominant. Vere divitiis abundamus, idque isti vel inviti fatentur. Nos enim etiamsi pauca habeamus, abundamus divitiis; illi vero etiamsi omnia sibi comparent, inopia laborant. Quousque dementes erimus? non satis vobis videtur ad supplicium vobis comparandum, quod nullum opus editis, nisi damnum illud vobis contrahatis, quod de aliis detrahendo accedit? Etenim si tu etiam esses, qui ea quæ habet sacerdoti dedisses, tamen eo ipso mercedem perdidisses, quod ea in crimen vocares, quæ tu ipse dedisses: omninoque si tu dedisti, quid criminaris? Antea quidem pauperem illum fuisse testaris, Quæ habet, inquis, ego dedi: quid ergo criminaris? Dandum minime fuerat, si eras in crimen vocaturus. At cum alter dedit, ista dicis? Gravius sane delictum, cum tu minime dederis, alterius benefacta criminari. Quantam illos mercedem manere putas, qui isthæc audiunt? Dei enim causa hæc patiuntur. Quid ita? Poterant, si voluissent, caupones fieri, tametsi nihil illis a majoribus relictum esset. Nam et hæc multos impudenter dicentes audio, si quando nos ita dicimus, Hic vel ille pauper est: Poterat, inquiunt, si voluisset, ad divitias pervenire. Deinde contumelias addunt, Avus stius et abavus tales fuerunt, hic vero nunc tali veste indutus est. Sed quid? dic mihi; nudumne illum circumire oportuit? Ergo ista quidem tu subtiliter ad calculos revocas; sed vide ne contra teipsum hæc dicas: atque audi illam Christi admonitionem, *Nolite judicare, et non judicabimini* (*Matth.* 7. 1). Poterat igitur, si voluisset, cauponariam ac mercaturam exercere, omninoque non eguisset; sed noluit. Quid igitur, quæso, lucratur? num sericis induitur vestibus? num sectatorum multitudinem per forum incedens circumducit? num equo vehitur? num ædes exstruit, habens ubi habitet? Si hæc facit, ego etiam reprehendo, neque illi parco, sed sacerdotio indignum esse affirmo. Nam quomodo monere alios poterit, ne rebus istis inutilibus vacent, qui seipsum monere non potest? Sin autem quod rebus tantum ad vitam necessariis non eget, hoc ipso inique agit; an ipsum circumire oportebat, et mendicare? nec quidquam te, o discipule, puderet? Ac si carnalis pater id faciat, dedecus magnum putes; sin spiritualis eo descendere cogatur, non erubesces, neque te tenebris abdendum putabis? *Dedecus enim*, inquit, *filiorum pater sine honore* (*Eccli.* 3. 13). Quid ergo? pereundum illi fame fuerat? Verum neque hoc pii hominis est; neque enim probatur Deo. Cæterum quando hæc adversus istos afferimus, subito philosophantur: scriptum est, inquiunt, *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas, neque æs in zonis vestris, neque virgam* (*Matth.* 10. 9). Ili vero terna et quaterna habent vestimenta, et lectos constratos. Hei mihi! cogor ego nunc suspirare, ac nisi mihi decorum tuendum esset, multas etiam profunderem lacrymas. Cur? Quoniam in aliorum quidem festucas adeo diligenter inquirimus, nostras vero trabes, quas in oculis habemus, ne sentimus quidem. Dic mihi, cur isthæc tibi ipsi non dicis? Quoniam hoc, inquit, magistris dumtaxat præceptum est. Ergo cum Paulus inquit, *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus* (1. *Tim.* 6. 8), ad solos magistros verba facit? Minime; sed ad omnes homines. Idque satis constabit, si a capite locum illum inspexerimus: nam cum dixisset, *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia;* ac deinde addidisset, *Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus;* continuo subjunxit, *Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum, et desideria multa stulta et nociva* (*Ibid. v.* 6. 9).

5. Vides ad omnes orationem haberi? Quid vero, cum rursus inquit, *Carnis curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* 13. 14); nonne omnibus generatim loquitur? quid vero, cum inquit, *Esca ventri, et venter escis: Deus autem et hunc et has destruet* (1. *Cor.* 6. 13)? quid vero, ubi inquit, *Quæ in deliciis est, vivens mortua est*, de vidua loquens? num fortasse et vidua magister est? annon ipse fuit, qui ita dixit, *Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum* (1. *Tim.* 5. 6. *et* 2. 12)? Quod si vidua, ubi et ætas senilis; senectus enim magno eget obsequio, et natura ipsa; muliebre enim genus majore eget solatio, quia infirmum est: igitur, si ubi ætas et natura obstabat, minime tamen illam sinit delicate et molliter vivere, sed etiam mortuam esse inquit (non enim tantum dixit, Ne delicate vivat, sed, *Quæ in deliciis est, vivens mortua est;* eamque e medio removit; nam quæ mortua est, e medio sublata est): quam veniam habebit homo ea faciens, quorum causa mulier vetula

punitur? Verum hæc nemo ne cogitare quidem aggreditur, hæc nemo examinat. Ego vero ista dicere coactus sum, non sane id agens, ut sacerdotes criminibus liberem, sed ut vobis consulam. Nam illi quidem, si cum pecuniæ operam dent, jure ac merito ista audiunt, nullum a vobis detrimentum reportant; sed sive dixeritis, sive tacueritis, rationem illic Judici reddent : quamobrem nihil illis vestra nocent verba. Sin autem falso a vobis dicuntur, illi quidem lucrum etiam reportant, sine causa contumeliis affecti; vos vero vobis ipsis hinc damnum infertis. De vobis vero non ita res habet; sed sive vera, sive falsa sint, quæ adversus illos dicuntur, hoc ipso, quod illis maledicitis, vos ipsos læditis. Quid ita? Quoniam si vera quidem fuerint, vobis nihilominus nocetis, judicium de magistris ferentes, et ordinem disturbantes; nam si de fratre judicare non oportet, multo minus de magistro : sin autem falsa, intolerabile omnino supplicium ac pœna erit. De omni enim verbo otioso rationem reddetis (*Matth.* 12. 36). Quamobrem vestra causa omnia facimus ac laboramus. Cæterum, quod dicebam, nemo hæc examinat, nemo in his curiose satagit, nemo quidquam horum sibi ipsi dicit. Vultis et alia addam? *Omnis ex vobis, qui non renuntiat*, inquit Christus, *omnibus quæ possidet*, non est me dignus (*Luc.* 14. 33). Quid vero, ubi inquit, *Difficile est divitem intrare in regnum cœlorum* (*Matth.* 19. 23)? quid vero, cum inquit, *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram* (*Luc.* 6. 24)? Nemo hoc perpendit, nemo cogitat, nemo secum ipse rationes subducit, sed tantum in res alienas vehementes sumus. At hoc nihil aliud est, quam participes criminum fieri. Verum, ut præterea vestra causa, quibus criminibus affines esse sacerdotes dicitis, ea diluam, audite : hanc enim de illis opinionem induisse, nimirum illos violare legem Dei, non leve habet ad improbitatem momentum. Age igitur, et illa expendamus. Dixit Christus, *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas, neque calceamenta, non zonam, non virgam* (*Matth.* 10. 9). Quid igitur? dic mihi : num Petrus contra præceptum faciebat? quomodo enim non, cum et zonam haberet et vestimentum et calceamenta? audi enim angeli ad ipsum verba, *Præcingere, et calcea te caligas tuas* (*Act.* 12. 8). Quamquam hujusmodi calceorum ne magna tunc quidem aderat necessitas : nam illo quidem tempore vel nudis ire pedibus licet : hieme tantum necessarii sunt : attamen caligas habuit. Quid vero Paulus? Cum ad Timotheum scribens dixisset, *Festina ante hiemem venire* (2. *Tim.* 4. 21), deinde mandata dat, atque inquit, *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas* (*Ib. v.* 13). En penulam memoravit, nec quisquam dixerit, aliam illi non fuisse, quam gestaret. Etenim si omnino solitus erat non gestare, supervacaneum plane erat ut hæc afferretur jubere : sin autem fieri nequit, quin gestarit, aliam quoque illi fuisse manifestum est. Quid vero, quod integrum biennium in mercenario labore continuit? Ergo repugnavit Christo vas illud electionis, ille qui dicebat, *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* 2. 20)? ille de quo testificatus est Christus, ita dicens, *Quoniam vas electionis est mihi iste* (*Act* 9. 15)? Oportebat vos in hacdubitatione relinquere, nullamque afferre quæstionis explicationem, sed hanc a vobis pœnam exigere pro ea, qua in Scripturis utimini, negligentia : inde enim omnia hæc exsistunt. Propterea in aliorum peccatis acerbi inquisitores sumus, de nostris autem ne cogitamus quidem, quoniam Scripturas non tenemus, quoniam in divinis legibus non erudimur. Erat igitur hæc a vobis pœna repetenda. Sed quid agam? Pater sum : multa etiam ultra, quam oportet, filiis gratificantur patres, dum paterna ipsorum incalescunt viscera; et si filium tristem ac tabescentem videant, ipsos quoque plus quam illum pungit dolor, nec quiescunt, donec mœroris causam sustulerint. Cæterum licet hoc evenerit, licet paulisper vos mœrere siverim ex eo quod non acceperitis : nimirum, ut bene nunc accipiatis.

6. Quid igitur dicendum est? Non repugnant, absit, sed valde consentiunt cum præceptis Christi : præcepta enim illa ad tempus erant et non perpetua. Neque id ex conjectura, sed ex divinis Scripturis dico. Quomodo? Narrat Lucas dixisse Christum discipulis, *Quando misi vos sine sacculo et pera et zona et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, Nihil* (*Luc.* 22. 35. 36). Ergo posthac vobis comparate. Sed quid facto opus fuit, dic mihi? unam habere tunicam? Quid ergo? cum lavanda hæc erat, domi nudum sedere oportuit, vel nudum circumire necessitate invitante, nullamque decori habere rationem? Cogita, cujusmodi id fuisset, Paulum qui orbem terrarum ideo peragrabat, ut tot præclara opera ederet, inopia vestis coactum domi sedere, ac tantis rebus impedimentum afferri. Quid vero, si vehemens ingruisset hiems, ac pluisset aut etiam conglaciasset, quomodo eam siccare licuisset? num rursus nudum sedere oportuit? quid vero, si frigoris vi corpus collaberetur, num tabescendum fuit atque obmutescendum? Ne enim putes adamantina illis fuisse corpora : audi quid de Timotheo dicat, *Modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates* (1. *Tim.* 5. 23); ac rursus de altero, *Necessarium existimavi mittere ad vos vestrum apostolum, et ministrum necessitatis meæ. Nam et infirmatus est usque ad mortem : sed Deus misertus est ejus : non solum autem ejus, verum etiam et mei* (*Philipp.* 2. 25. 27). Itaque cuivis morbo atque invaletudini erant expositi. Quid igitur? pereundumne illis erat? Nequaquam. Quid igitur causæ tunc fuit cur id præciperet? Potentiam suam volebat ostendere, idque postea etiam præstari a se posse. Cur non præstitit? Multo erant hi admirabiliores Israëlitis, quorum tamen neque calcei neque vestes usu consumebantur : quamquam solitudinem illam peragrarent, ubi ardentiores incidebant solis radii, qui vel lapides ipsos possent in cinerem vertere. Qua igitur de causa hoc fecit? Tui causa. Nam quoniam futuram erat, ut non perpetuo valeres, sed vulnera acciperes; pro-

ptérea facultatem tibi medicamentorum parandorum præbuit : quod hinc satis constare potest. Dic enim mihi, annon ipse poterat illos nutrire? quomodo qui tibi prævaricanti dedit, Paulo non daret? qui Israelitis dedit murmuratoribus, scortatoribus, idololatris, nonne multo magis Petro permitteret, qui omnia propter ipsum reliquerat? qui scleratis hominibus potestatem habendi fecit, non multo magis Joanni gratificaretur, qui ejus causa patrem quoque ipsum reliquerat? Attamen noluit, sed per te ipsos nutrit, ut tu sanctificeris. Et animadverte mihi benignitatis exsuperantiam. Voluit discipulos suos egere, ut tu aliquantulum respirares. Sed si illos nullius indigos præstitisset, inquit, multo sane admirabiliores futuri erant, multo clariores. At saluti tuæ subsidium detractum esset. Noluit igitur illos fieri admirabiles, sed maluit indigere, ut tu salutem nanciscaris, et egere illos passus est, ut tu salutem consequi posses. Non enim æque se venerandum præbet doctor qui accipit; sed ille potissimum honore afficitur, qui non accipit : verum interea non juvatur discipulus, sed fructum amittit. Vides sapientiam hominum amantis Dei? Nam quemadmodum ipse propriam gloriam non quæsivit, nec sua spectavit, sed cum in gloria esset, voluit tua causa vilis fieri; idem etiam in doctoribus servavit; ut cum eos venerandos præstare posset, maluerit abjectos esse tua causa, ut tu haberes unde ditescere : ut abundares enim in spiritualibus, propterea ille eget in iis, quæ ad hanc vitam pertinent. Potuisse igitur Deum illos nullius indigos præstare, multis argumentis docui : tua tamen causa in egestate relictos esse similiter ostensum est. Hæc igitur cognoscentes, non ad accusationes, sed ad beneficia conferenda nos convertamus : non aliorum mala curiose scrutemur, sed nostra recenseamus : aliorum benefacta cogitemus, de nostris autem peccatis recogitemus, atque ita placebimus Deo. Nam qui aliorum quidem peccata videt, et sua recte facta, duplex damnum reportat : his enim in arrogantiam tollitur, illis in negligentiam incidit. Dum enim cogitabit illum atque illum peccasse, facile et ipse peccabit : dum cogitabit se bene officio functum, facile superbia efferetur. At qui sua quidem recte facta oblivioni mandat, sola autem peccata aspectat, aliorum vero non peccata, sed virtuti consentaneas actiones studiose scrutatur, multis modis lucrum faciet. Quomodo, audi. Nam cum illum recte se gessisse viderit, æmulatione ad imitandum movetur; cum se peccasse animadverterit, demittet animum, ac modestiam tuebitur. Hanc rationem si teneamus, atque hoc modo nostra disponamus, promissa poterimus consequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

Cap. 3. v. 1. *De cætero, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem tutum.* 2. *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.* 3. *Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu Deo servimus, et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes.*

1. Mœrores et sollicitudines, cum præter modum animam distrahunt, suo robore illam privant. Propterea Paulus etiam, cum Philippenses in magno mœrore essent, eos excitat et relevat. Mœrebant autem, quod quomodo se res Pauli haberent ignorabant; mœrebant, quod ipsum obiisse existimabant; mœrebant ob prædicationem, ob Epaphroditum. Igitur de omnibus his rebus animum illis explens, subjungit : *De cætero, fratres mei, gaudete.* Non habetis, inquit, posthac, cur mœreatis : habetis Epaphroditum, ob quem dolebatis; habetis Timotheum; ego etiam advenio; evangelium procedit. Quid jam vobis deficit? *Gaudete.* Ac Galatas quidem filios vocat (*Gal.* 4. 19), hos autem fratres. Nam quotiescumque vel corrigere aliquid vult vel vehementem amoris affectum ostendere, filios vocat : ac cum plus honoris iis, quibuscum verba facit, habendum est, fratres. *De cætero, fratres mei*, inquit, *gaudete in Domino.* Recte dixit, *In Domino*, non mundano gaudio : nam hoc non est gaudere. Ærumnæ, inquit, quæ secundum Christum, ipsæ gaudium habent. *Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem tutum. Videte canes.* Vides non ipso exordio inductam esse admonitionem, sed postquam illos multis nominibus laudavit, postquam suspexit, tunc hoc facit, ac rursus etiam laudat. Videbatur enim hoc orationis genus esse molestius : quamobrem undique lenit. Quos autem dicit canes? Hic erant aliqui, quos in omnibus epistolis subindicat, Judæi, impuri, exsecrandi, turpis lucri et principatus cupidi, qui cum multos ex fidelibus ad se allicere vellent, et Christianismum et Judaismum prædicabant, corrumpentes evangelium. Quoniam igitur difficiles ad deprehendendum erant, propterea inquit, *Videte canes.* Jam non Judæi sunt filii. Olim isto canum nomine ethnici vocabantur, nunc autem illi. Cur? Quoniam, quemadmodum ethnici et a Deo et a Christo alieni erant, ita Judæi nunc se abalienaverunt : atque hinc illorum impudentiam et improbitatem, magnamque a filiis disjunctionem ac dissidium ob oculos ponit. Nam olim quidem ethnicos vocatos esse canes, audi quid Chananæa dicat : *Etiam, Domine : nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum* (*Matth.* 15. 27). Cæterum, ut neque hoc isti assequantur; nam canes quidam sunt, qui circa mensam stant; addit hæc, quibus ipsos omnino abigat : *Videte malos operarios.* Ac mirifice dixit, *Videte malos operarios :* nam operantur quidem, inquit, sed malam in partem; opusque otio longe deterius est, dum quæ recte sunt constituta disjiciunt. *Videte*, inquit, *concisionem.* Honorandum quiddam erat apud Judæos circumcisio, quandoquidem et lex ei decedebat, et sabbatum circumcisione vilius erat. Etenim ut circumcisio

fieret, solvebatur sabbatum : numquam vero ut sabbatum servaretur, solvebatur circumcisio. Atque considera mihi Dei dispensationem : hæc quæ majorem quam sabbatum habebat venerationem invenitur quibusdam temporibus omissa. Cum igitur ipsa soluta sit, multo magis sabbatum. Ideo Paulus ipsius nomen resecat, et inquit, *Videte concisionem.* Neque dixit, Malum est circumcisio, Supervacua est circumcisio, ne viros istos pungeret, sed sapientius idem molitur, a re quidem ipsa abducens, nomen autem illis gratificatus; vel potius rem quoque ipsam studiosius. Verum non ita erga Galatas, sed longe secus. Nam quoniam ibi magnus erat morbus, audacter magna cum auctoritate secat : hic vero, quoniam nihil ejusmodi admiserant, ipsis eam quæ ex vocabulo voluptatem gratificatur, hos interea et illos abigens, et inquit, *Videte concisionem. Nam nos sumus circumcisio.* Quomodo? *Qui spiritu Deo servimus, et non in carne fiduciam habentes.* Non dixit, Examinemus circumcisionem illam et hanc, utra sit melior; sed ne nominis quidem illam participat, sed quid inquit? Circumcisio illa concisio est. Quare? Nihil enim aliud faciunt, quam quod carnem concidunt. Quando enim quod fit, legitimum non est, nihil aliud quam carnis sectio est et concisio. Vel igitur ob hanc causam ita illam appellavit; vel quod Ecclesiam concidere aggrederentur. Nam et nos concisionis nomine utimur in iis, qui temere et sine arte hoc faciunt. Nam si circumcisio quærenda est, inquit, apud nos eam invenietis. *Qui spiritu Deo servimus*, id est, qui spiritualiter servimus.

2. Dic enim mihi, utrum melius, anima an corpus? Evidenter anima. Igitur circumcisio illa non est melior; quinimo hæc sola circumcisio est. Etenim quamdiu quidem typus manebat, merito comparationi locus erat; *Ut circumcidatur*, inquit, *præputium cordis vestri* (*Jer.* 4. 4). Ita et in Epistola ad Romanos ipsam tollit his verbis : *Non enim qui in manifesto, Judæus est, neque quæ in manifesto in carne, circumcisio, sed qui in abscondito Judæus, et circumcisio cordis in spiritu, non litera* (*Rom.* 2. 28). Nunc vero et nomine jam illam privat, negatque circumcisionem esse. Nam typus quidem, donec ventura est veritas, veræ rei nomine vocatur; postquam vero advenit veritas, non amplius. Simile quiddam evenit in delineata pictura : delineavit quispiam regem : lineamenta illa adumbrata, quamdiu pigmentorum flos se in conspectu non dat, regem non vocamus; at ubi iste color accessit, obscuratur veritate typus, neque apparet : tuncque dicimus, Ecce nunc est rex. Nec dicit, In nobis enim est circumcisio, sed, *Nos sumus*; ac merito quidem. Hoc enim est homo, circumcisio virtuti congruens; hoc est vere homo. In illis autem non dixit sic, sed, *Videte concisionem* : ipsi enim posthac versantur in interitu ac vitio. Deinde ostendens non amplius in corpore fieri circumcisionem, sed in corde, inquit : *Et non in carne fiduciam habentes; 4. quamquam et ego habeam confidentiam in carne.* Quid dicit hoc loco, *Confidentiam*, et, *In carne?* Nempe gloriationem, plenam fidentiæ, et gravem orationem : ac scite istud addidit. Nam si fuisset ethnicus et accusaret circumcisionem, neque circumcisionem solum, sed eos qui intempestive ipsam reciperent; videretur sane ideo in illam irruere, quod nobilitatis, quæ Judaismi erat propria, expers esset, quod præclara illa et majestatis plena ignoraret, neque ipsorum esset particeps : nunc vero qui particeps est, et reprehendit, certe non ita reprehendit, tamquam is qui non sit particeps, sed tamquam qui condemnaverit, non ex ignorantia, sed maxime ex cognitione. Vide igitur, quid dicat in Epistola ad Galatas, cum incidisset in necessitatem magna de se ipso dicendi, quomodo et humilitatem præ se ferat : *Audivistis enim*, inquit, *conversationem meam aliquando in Judaismo* (*Gal.* 1. 13); et rursus hic, *Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis*; ac statim adjunxit, *Hebræus ex Hebræis.* Non hoc tamquam id quod sibi per se propositum esset, initio dixit, sed postquam dixerat, *Si quis alius*, ostendens necessitatem, illorumque causa hæc a se dici Si confiditis, inquit, *Ego magis.* Hoc nunc necessario dico, alioqui tacuissem. Attende vero quomodo in arguendo vitet odium, dum non nominatim arguit, et illis locum se recipiendi dat. *Si quis videtur confidere.* Et recte dixit, *Videtur*, vel quod tantum fidentiæ non haberent; vel quod vera fidentia non esset : omne enim hoc necessitatis erat, non electionis. 5. *Circumcisus octavo die.* Primum ponit quod maxime optabant, id est circumcisionem; deinde illud, *Ex genere Israel.* Utraque hæc ostendit, neque proselytum se esse, neque ex proselytis oriundum. Nam ex eo, quod octavo die circumcisus sit, ostenditur non esse proselytum; ex eo autem, quod ex genere Israel, ostenditur neque ex parentibus proselytis esse ortum. Deinde ne putes, *Ex genere Israel*, hoc significare esse ipsum ex decem tribubus, inquit, *De tribu Benjamin*; perinde ac si diceret, Ex probatiore parte : nam quæ sacerdotum erant, in sorte erant hujus tribus. *Hebræus ex Hebræis.* Hinc ostendit se non esse proselytum, sed antiquitus ex claris Judæis : poterat enim quis Israelita esse, nec tamen Hebræus ex Hebræis : multi enim jam et rem ipsam corruperant, et linguam non tenebant, aliis admixti gentibus. Vel hoc igitur, vel magnam nobilitatem hinc demonstrat. *Secundum legem Pharisæus.* Accedit deinde ad ea, quæ ad institutum suum pertinebant : superiora enim omnia non erant consilii vel electionis. Neque enim suum opus erat, circumcisum esse, aut ex genere Israel, aut ex tribu Benjamin. Ex his ergo magis excellebat, etsi in hac re multos habebat socios. Quid ergo est illud, *Magis?* Certe in hoc excellebat, quod non erat proselytus, quod erat ex probatissima tribu, quodque antiquitus id haberet a majoribus, quæ quidem non multi habebant. Sed quoniam hæc omnia ab electione sua minime profecta fuerant, accedit ad ea quæ ipsius sectæ sunt, ubi elucet illud, *Magis secundum legem Pharisæus*, 6. *secundum æmulationem persequens Ecclesiam.* Addit hoc, quoniam illud solum non satis

erat ad probandum illud, *Magis :* nam licet Pharisæum etiam esse, nec tamen vehementi zelo affici. *Secundum justitiam.* Fieri enim potest ut quis pericula contemnat ex principatus amore, ut principes sacerdotum faciebant, non autem ex legis studio. Ille autem non talis erat, sed, *Secundum justitiam*, inquit, *quæ in lege est, conversatus sine querela.* Itaque si et nobilitatis ergo et studii alacritatisque et morum et vitæ omnes antecellebam, cur præclara illa dimiserim, inquit, nisi quod ea, quæ Christi sunt, reperierim majora, ac longe quidem majora? Quamobrem addidit : 7. *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.*

3. *Amor pecuniæ exagitatur.* — Paulus quidem hanc vitæ rationem adeo exquisitam et ab ineunte ætate susceptam, tantam nobilitatem, tanta pericula, tantas insidias, labores, studia projecit ac damna putavit, cum antea lucra essent, ut Christum lucraretur ; nos vero neque pecuniam contemnimus, ut Christum lucremur, sed malumus futuræ vitæ jacturam facere, quam præsentium rerum : quamquam hæc nihil aliud sunt quam damnum. Cedo enim sigillatim expendamus ea, quæ in divitiis insunt : annon damnum censeri illud debet, quod laborem ingentem habet, lucrum vero nullum? Quid enim, dic mihi, utilitatis ex multis ac pretiosis vestibus? atque istis induti quid lucri facimus? Nihil plane, sed damnum dumtaxat reportamus. Quomodo? Quoniam et pauper vilem tritamque vestem ferens in maximis caloribus, nihilo deterius fert æstum quam tu ; quinimo ille facilius : trita enim et unica facilius sinit respirare, ac recreari corpora ; quæ autem recens confecta est, etiam si aranearum telis tenuior, non item. Ac tu quidem nimio elatus fastu, et binas ternasque tunicas, sæpe vero et amiculum et zonam et subligacula habes : illi vero nemo crimini dat, quod unica tegatur tunica, hincque facilius fert æstum. Et ideo divites quidem videmus madentes sudore, pauperes vero minime. Quando igitur homini eumdem vel etiam potiorem usum præbent vestimenta vilia, et nullo prope pretio empta ; illa vero, in quibus necessario multum auri effundendum fuit, nihil plus efficiunt : nonne damnum est nimirum illud ac supervacaneum? Nihil enim plus afferunt, quod ad usum et commodum pertinet ; sed plus auri effusum tibi est, eumdem vero usum et commoditatem habet : tu quidem dives centum, aut forte etiam pluribus aureis emisti ; pauper vero pauculo argento. Vides damnum? Sed fastus videre non sinit. Visne auri etiam, quod et equis et mulieribus circumdant, rationem subducamus? Ad alia enim mala hoc etiam accedit, quod divitiæ amentes faciant. Eodem enim honore et mulieres et equos dignantur : unus est utrorumque ornatus ; atque ex iisdem rebus volunt mulieres splendidiores apparere, ex quibus et vehicula, ex quibus et pelles cortinarum, in quibus vehuntur.

Contra luxum. Ædium ornatus. — Dic mihi, quid lucri est, mulum vel equum auro ornare? mulier vero tanta auri lapidumque mole circumdata, quid amplius habet? At enim aurea, inquit, non consumuntur. Quinimo et hoc illis accidere affirmant, qui ista callent, quod in balneis et alibi sæpe et lapides et aurea multum de pretio perdunt : verum sit ita sane, ut vis, nihilque lædantur ; cedo quid lucri? Quid? cum exciderint ac perierint, annon damnum est? Quid vero, cum invidiam atque insidias in se concitarint, nonne damnum? Nam quandoquidem nihil prosunt circumdatæ mulieri, inflammant vero invidorum oculos et latrones magis excitant : nonne damnum afferunt? Quid vero, dic mihi, cum liceret viro his uti ad negotium magno cum emolumento gerendum, nec tamen potest ob sumptuosæ mulieris luxum, cogiturque ipse cum fame conflictari, et in summas adduci angustias, illam vero spectare auro onustam : nonne hoc damnum est? Propterea enim pecuniæ dictæ sunt χρήματα, id est utilia, non ut ipsis sic nos utamur, quemadmodum utuntur aurificum prothecæ, sed ut ex illis honesti quidpiam agamus. Quando igitur auri cupiditas id minime permittit, annon res tota damnum est? Nam qui ipsis uti non audet, perinde ac si aliena essent, ita non utitur ; sublato autem usu jam non sunt χρήματα, id est utilia. Quid vero, cum ædes splendidas et magnas ædificamus, ipsasque et columnis et marmoribus et porticibus et ambulationibus, modisque omnibus exornamus, idola ubique et statuas collocantes? Multi quidem ex his etiam dæmonas vocant; sed omittamus nunc istud. Quid sibi vult et tectum aureum? nonne eumdem usum sua illi domus præbet, qui sibi aptam ac modicam habet? At habet, inquit, magnam delectationem. Sane unum aut alterum diem, exinde vero minime. Nam si solem ipsum non valde admiramur, quod ei videndo assuevimus, certe multo minus opera artis ; sed nihilo magis quam si lutea essent, attendimus. Quid enim, dic mihi, ad ædificationis commoditatem multitudo columnarum, et signorum pulchritudo, et aurum muris inspersum confert? Nihil, sed omnia luxus, petulantiæ, elationis nimiæ, ac dementiæ sunt. Ubique enim rebus necessariis, quibusque utamur, danda opera est, non inutilibus.

4. Vides rem istam damnum esse? vides supervacaneam et inutilem? Nam si neque majorem usum, neque delectationem affert (procedente enim tempore satietatem parit) : nihil aliud est, nisi damnum. Sed obstans inanis gloriæ studium facit, ne videamus. Ita Paulus quidem quæ lucra esse arbitrabatur, ea reliquit ; nos vero neque ea, quæ damna sunt, pro Christo relinquemus? Quousque tandem humi defixi hærebimus? quousque ad cælum non spectabimus? Non videtis senes, quam nullum rerum præteritarum sensum habent? non videtis morientes, cum senes, tum juvenes? non videtis eos, qui in vita ipsa suis rebus spoliati sunt? Cur rebus instabilibus inhiamus? cur infirmis alligamur? quousque non persequemur manentes ac stabiles? Quid non darent senes, quo liceret deponere senectutem? Et tamen quæ isthæc dementia est ad pristinam velle

juventutem redire, atque hujus rei consequendæ causa facile omnia dare; cum vero liceat consequi juventutem, cui non succedat senectus, juventutem multis cum divitiis conjunctam multoque vivaciorem, nec paulum quiddam velle dare, sed ea retinere, quæ etiam in præsenti nihil prosunt? Ex morte eximere te non possunt, non morbum propulsare, non prohibere senectutem, aut quidquam aliud eorum, quæ necessario et secundum naturæ legem accidunt, et adhuc illis hæres? Ecquid lucri, dic mihi? Hinc ebrietas, edacitas, obscœnæ ac multiplices voluptates, quæ magis quam amari domini nos excruciant? Hæc solum ex divitiis lucrari possumus, aliud vero nihil, quandoquidem ita volumus: nam si liberet, cælum sane ipsum divitiis consequeremur. Ergo bonum, inquit, divitiæ. Non hoc divitiæ præstant, sed possessoris consilium et voluntas. Liberum enim arbitrium esse quod hoc faciat, vel hinc licet animadvertere, quod etiam pauper cæli adire hereditatem possit. Etenim, quod sæpe dixi, non mensuram rerum quæ dantur Deus spectat, sed animum dantium: licet et pauperi, et pauca danti totum consequi. Exigit enim Deus pro cujusque facultate: neque divitiæ regnum conciliant, neque paupertas gehennam, sed utraque bonus, et malus animus. Hunc igitur corrigamus, hunc componamus, hunc talem qualem esse decet præstemus; atque omnia erunt nobis facilia. Nam quemadmodum artifex, sive ferream sive auream securim habeat, æque ligna cædit ac dolat, imo facilius etiam in ferro: ita et hic longe facilius per paupertatem paratur virtus. Nam de divitiis quidem Christus ait, *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum cœlorum* (*Matth.* 19. 24): de paupertate vero nihil hujusmodi pronuntiavit, sed potius contra: *Vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, et sequere me* (*Marc.* 10. 21); utpote cum ex voluntatis electione fiat ut sequatur Dominum.

5. Ergo paupertatem ne fugiamus tamquam malum; est enim conciliatrix regni: neque item persequamur divitias ut bonum; incautos enim perdunt: sed ubique oculos ad Deum intendentes, utamur sicut convenit iis, quæ ab illo nobis tributa sunt, et corporis robore, et abundantia divitiarum, cæterisque rebus omnibus. Absurdum enim plane est, cum ab ipso facti simus, non ei qui nos fecit, sed aliis isthæc utenda præbere. Fecit tibi oculos? Hos ipsi præsta, præbe utendum, non autem diabolo. Quomodo autem Deo præbebis? Opera ipsius considerans et ipsum glorificans, abducens vero a mulierum aspectu. Fecit tibi manus? Has ipsi possideto, non diabolo: non eas ad rapinas ac prædas, sed ad mandata facienda, ad beneficia conferenda atque ad preces assiduas extendens, ad eos qui ceciderunt erigendos. Fecit tibi aures? Has ipsi præbe, non infractis ac mollibus cantilenis, non turpium sermonum auditioni; *Omnis* enim *enarratio tua*, inquit, *in lege Altissimi*; et rursus, *In multitudine*, inquit, *seniorum sta, et si quis sapiens fuerit, ei te adjunge* (*Eccli.* 9. 23. *et* 6. 35). Fecit tibi os? Ex hoc nihil prodeat, quod Deo non probetur, sed psalmodias, hymnos, odas canat spirituales, *Ut det gratiam*, inquit, *audientibus* (*Ephes.* 4. 29), ad fulciendum, non ad evertendum; ad benedicendum, non ad maledicendum; non ad struendas insidias, sed contra omnino. Fecit tibi pedes, non ut properes ad vitiositatem, sed ad bona: fecit tibi ventrem, non ut ipsum rumpas, sed ut philosophicam exerceas sobrietatem: indidit cupiditatem ad liberorum procreationem, sed non ad scortationem et adulterium: dedit tibi mentem, non ut blasphemiam in ipsum jacias, non ut sis conviciator, sed ut bene dicas: dedit et pecunias, ut quo oportet ipsis utamur; eademque de causa vires dedit. Fecit artes, ut vita sustentetur, non ut a rebus ad spiritum pertinentibus nos ipsos avocemus, non ut sordidis artibus operam demus, sed necessariis, ut nobis mutuam opem feramus, non ut insidiemur. Dedit tectum eo dumtaxat ut arceat pluviam, non ut ipsum quidem ornetur auro, pauper vero pereat fame: dedit vestes, ut tegamur, non ut ostentemus, non ut illæ quidem multo auro ditentur, Christus vero nudus pereat: domum dedit, non ut solus habeas, sed ut aliis etiam præbeas: dedit terram, non ut majore illius parte ad te abstracta, in scorta, et psaltrias, et mimos, et tibicines, et citharœdos insumas Dei bona, sed in esurientes atque egenos. Dedit tibi mare, ut navigues, ne itinere faciendo labores, non ut curiose illius fundum scruteris, et lapides et alia hujusmodi inde extrahas, non ut hoc tibi studio habeas. Cur ergo, inquies, sunt lapides? Quinimo dic tu mihi, Quam ob causam lapides illi in tanto pretio sunt? num facultate aliqua? num usu? Quin imo qui e mari non sunt, utiliores sunt. Etenim hi saltem ad ædificationem conferunt, illi vero nusquam: atque hi sunt illis firmiores. At illi, inquit, pulchritudinem afferunt. Quomodo? totum id opinionis est. Sunt candidiores? At non certe marmore valde candido candidiores, quinetiam neque ad illius candorem accedunt. At solidiores? Ne id quidem. At utiliores? at majores? Neutiquam. Unde igitur suspiciuntur? Non aliunde, quam ex sola existimatione. Nam si neque pulchriores sunt; multos enim inveniemus illis lucidiores et candidiores; neque utiliores, neque solidiores: unde, inquam, adeo suspiciuntur? annon ex sola existimatione? Quam igitur ob causam illos dedit? Non ipse dedit, sed tu magnum esse quidpiam putasti. Quid igitur est, inquit, quod Scriptura etiam eos celebrat? Nimirum accommodate ad tuam opinionem loquitur. Nam et præceptor ad pueruluum verba faciens, eadem atque ille sæpe suspicit, ut illum sibi conciliet, ac paulatim subvehat. Quid pulchritudinem expetis vestium? Vestem tibi circumda et calceos: his te orna, hæc tibi satis sint. *Desiderabilia*, inquit David, *super aurum et super lapidem pretiosum multum judicia Dei* (*Psal.* 18. 11). Terrena vero hæc annon parvipendenda? Non sunt hæc, o dilecte, utilia? si utilia essent;

non jussisset contemnere : sed divina Scriptura ad existimationem nostram loquitur. Atque hoc etiam divinæ benignitatis est. Quam igitur ob causam, inquit, purpuram et cætera hujusmodi ? Divinæ magnificentiæ hæc sunt opera. Nam aliis quoque ex rebus suas voluit divitias ostendere. Etenim et frumentum ipse dedit solum ; tu vero ex hoc multa paras, placentas, bellaria varia ac multa, magnam afferentia voluptatem. Alioquin et voluptas et inanis gloriæ amor hæc omnia invexit : videbantur enim hæc tibi omnibus rebus præferenda. Cæteroqui, si peregrinus quispiam aut agricola harum rerum imperitus te interroget, teque illum suspicientem videns, dicat : Cur ista suspicis atque admiraris ? quid habebis quod respondeas ? pulchra esse aspectu ? Sed non ita est. Deponamus igitur hanc opinionem, verisque reapse bonis inhæreamus. Hæc enim minime sunt, sed temere transeunt tantum, instar fluminis dilabentia. Quamobrem, obsecro vos, caveamus ; supra petram nos collocemus, ne facile circumferamur, ut futura etiam consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simulque sancto Spiritui gloria, potestas, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XI.

Cap. 3. v. 7. *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimentum.* 8. *Verumtamen et existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci et arbitror quisquilias esse, ut Christum lucrifaciam,* 9. *et inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Jesu Christi, quæ ex Deo est justitia in fide,* 10. *ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus.*

1. In certaminibus, quæ adversus hæreticos suscipiuntur, vegetam adhibere mentem oportet, atque assidue in ea cogitatione defixam. Ita enim disturbare illorum ordines poterimus, et plenissimam reportare victoriam, nullum illis respirandi spatium dantes. Propterea cum velim vos ex Scripturis ad hujusmodi certamina instruere, ut hinc etiam eos qui contradicunt obmutescere faciatis : hujus, quæ nunc in manibus est, disputationis initium sumam a fine superioris. Quis autem erat ille finis ? Cum collegisset Judaica omnia quæ gloriandi causam dabant, ea quæ a natura, ea quæ a consilio et electione addiderat : *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc existimo detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror quisquilias esse, ut Christum lucrifaciam.* Insultant hoc loco hæretici. Nam et hoc sapientiæ est Spiritus, spes illis victoriæ submittere, ut pugnam capessant. Etenim si aperte loquutus esset, fecissent et in istis, quod in aliis fecerunt : deleverunt enim literas, repudiarunt Scripturam, cum adversos illius radios ferre non possent. Sed quod in piscibus fit, ut illud, unde sunt capiendi, non manifesto illis objiciatur, sed occultetur, ut accurrere non vereantur ; id et hoc loco accidit, ubi a Paulo lex damnum dicta est. Sane, quod Paulus dicit, hujusmodi est : Quisquilias, et damnum legem vocat : non licebat Christum lucrari, nisi hanc damnum putassem. Hæc omnia alliciunt hæreticos, ut locum recipiant, existimantes pro se facere : quando vero receperunt, tunc illos retibus undique constringit. Quid igitur isti dicunt insultantes (*a*) ? En lex est damnum, en quisquiliæ ; quomodo igitur ipsam Dei esse dicitis ? Verum hæc omnia pro lege sunt ; quomodo autem, hinc perspicuum fiet ? Attendamus diligenter, quæ dicuntur : non dixit, Lex est detrimentum, sed ipsam *Arbitratus sum detrimentum :* et de lucro quidem loquens non dixit, Arbitratus sum, sed, *Fuerunt lucra :* de damno autem dixit, *Arbitratus sum :* merito. Illud enim in natura erat : hoc vero jam ex opinione nostra profectum est. Quid igitur ? non est, inquit, damnum lex ? Est certe ; sed propter Christum : at nunc lucrum facta est. Non putabatur lucrum, inquit, sed erat : ac si diceret : Cogita quantum fuerit, homines efferatos jam natura ad humanam vitæ rationem adducere : nisi lex fuisset, neque etiam gratia data esset. Quare ? Quoniam pontis instar fuit. Etenim quoniam minime fas erat de infimo loco in excelsum ascendere, facta est scala. Et quamvis non amplius scala opus sit ; non propterea tamen illam spernit, sed potius ei gratias habet. Ipsa enim fuit, quæ illum eo adduxerit, ut ejus posthac non egeat : ac tamen pro hoc ipso, quod illius non eget, beneficium se illi debere merito fatetur : sine illa enim non ascendisset. Idem de lege dicendum est : evexit nos in sublime ; ergo lucrum erat : sed jam ipsam putamus damnum. Quomodo ? Non quoniam damnum est, sed quoniam longe potior est gratia. Nam quemadmodum fame laborans pauper, quamdiu quidem argentum habet, eo arcet famem ; postquam vero aurum invenerit, si utrumque retinere non liceat, damnum putat retinere argentum, atque illo dimisso aurum capit : dimittit autem, non quod damnum sit argentum, non enim est, sed quoniam utrumque simul habere non licet, sed necessario alterum est relinquendum : ita et hic. Non igitur lex est detrimentum, sed legi inhærentem deficere a Christo. Quamobrem cum nos abducit a Christo, tunc damnum est : quod si adducat, non item. Propterea inquit, *Propter Christum detrimentum.* Si propter Christum, ergo natura non est detrimentum. Cur autem non sinit lex ad Christum accedere ? Ac sane ad hoc, inquit, data fuerat : plenitudo enim legis Christus, et *Finis legis Christus* (*Rom.* 10. 4). Sinit, si dicto audientes esse velimus. Qui ergo legi obedit, ipsam legem relinquit ? Relin-

(*a*) Manichæos significare videtur.

quit, si attendamus : quod si minime attendamus, non sinit. *Verumtamen et existimo omnia detrimentum esse.* Quid hoc, inquit, de lege dico ? nonne bonum est mundus ? nonne bonum est præsens vita ? Verumtamen si abducant a Christo, pro damno habeo. Cur ? *Propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei.* Ubi enim sol illuxit, lychno inhærere damnum est. Itaque ex collatione damnum fit, nimirum ob alterius præstantiam. Vides Paulum comparationem facere. *Propter eminentem*, inquit, non quod alterum alienum sit : nam quod eminet et excellit, in re quæ ejusdem sit generis excellit. Unde igitur per comparationem præstantiam alterius constituit, inde alterius etiam cognationem et similitudinem cognitionis demonstrat. *Propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror quisquilias esse, ut Christum lucrifaciam.* Nondum quidem manifestum est quisquiliarum nomen de lege dici : verisimile enim est Paulum de mundanis rebus dicere. Nam cum dixisset, *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimentum*, addit, *Verumtamen et existimo omnia detrimentum esse.* Dum dicit, *Omnia*, significat et præterita et præsentia. Quod si velis legem significari, neque ideo tamen contumelia afficitur. Quisquiliæ enim ex frumento exsistunt, et quod in frumento quasi robustius est, id est quisquilia, paleam dico. Itaque antequam frumentum exsisteret, utilis erat illa palearum seges, et una cum frumento ipsam colligimus : quod si illa non fuisset, neque hoc exortum esset. Ita et in lege.

2. Vides ubique non rem ipsam vocari damnum, sed propter Christum ? *Verumtamen et omnia existimo detrimentum esse.* Quam ob causam ? Rursus, *Propter eminentem scientiam, propter quem omnia detrimentum feci.* Deinde adjungit, *Omnia existimo detrimentum esse, ut Christum lucrifaciam.* Vides ubique inhærentem firmamento Christi ? nec usquam patitur nudari legem ac plagam accipere, sed undique ipsam munit ? *Et inveniar in illo, non habens meam justitiam quæ ex lege est.* Si is, qui justitiam habebat, quod ea præ hac justitia nihil esset, ad hanc accurrit ; qui nullam habent, quomodo non multo magis accurrere debebunt ? Et recte dixit, *Non habens meam justitiam ;* id est non illam, quam mihi meis laboribus ac sudoribus comparaveram, sed quam ex gratia inveni. Si igitur ille, qui virtutis officia obiverat, ex gratia salutem est adeptus, multo magis vos. Quoniam enim verisimile erat illos dicere, majorem esse justitiam quæ ex laboribus, ostendit hanc præ illa paleam esse : alioqui enim non, cum ad ipsam pervenissem, ea projecta ad hanc alteram accurrissem. Quænam vero hæc est ? *Quæ ex fide Dei ;* id est, hæc ipsa etiam a Deo data est : Dei est hæc ipsa justitia ; donum penitus Dei est : Dei autem dona longo intervallo antecedunt utilitatem bonorum operum, quæ ex nostro studio profecta sunt. Quid autem est fides ? *In fide*, inquit, *ad cognoscendum illum ?* Ergo per fidem cognitio ; nec sine fide illum cognoscere fas est. Quomodo ? Per ipsam enim cognoscenda est virtus resurrectionis ejus. Etenim quæ umquam ratiocinatio resurrectionem nobis demonstrabit ? Nulla, sed sola fides. Quod si Christi secundum carnem resurrectio fide cognoscitur, quomodo generatio Dei Verbi comprehendetur ratiocinationibus ? generatione enim minor est resurrectio. Cur ? Quoniam illius quidem multa exempla exstiterunt, generationis nullum : mortui enim multi resurrexerunt ante Christum, quamvis post resurrectionem rursus obiverint ; nemo autem umquam fuit, quem virgo pareret. Ergo si illud etiam, quod ortu secundum carnem vilius est, fide comprehendendum est ; quod multo majus est, et infinite majus ac ne comparabile quidem est, hoc quomodo ratiocinatione comprehendemus ? Hæc faciunt justitiam. Hoc enim oportet credere, fieri potuisse ; quomodo vero potuerit, non jam potest ostendi : ex fide enim fit ut rerum molestarum coire societatem velimus. Quomodo ? Nisi enim credamus, neque etiam mala patiemur ; nisi credamus fore ut una patientes, simul etiam regnabimus, nullo pacto ad subeunda incommoda adducemur. Ergo fide et generatio et resurrectio comprehenditur. Vides non nudam requiri fidem, sed cum operibus conjunctam ? Is enim potissimum credit resurrexisse Christum, qui similiter se periculis exponit, qui ei se in perpessionibus socium præbet : fit enim socius ei qui resurrexit, ei qui vivit. Propterea dicebat, 9. *Et inveniar in illo, non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est, justitiam in fide,* 10. *ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis, et societatem passionum illius, configuratus morti ejus,* 11. *si quo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis. Configuratus*, inquit, *morti ejus;* id est particeps. Etenim quemadmodum ille ab hominibus male acceptus est : ita et ego : propterea dixit, *Configuratus ;* et rursus alibi, *Et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea* (*Coloss.* 1. 24). Id est, vexationes et calamitates hujusmodi reddunt imaginem quamdam illius mortis. Non enim quod suum est quærebat, sed quod multis prodesset. Quamobrem et vexationes et incommoda et angustiæ tantum abest ut nos perturbare debeant, ut potius inde lætandum sit, quod per hæc conformes reddimur morti ejus : perinde ac si diceret, Ad illius similitudinem fingimur : quod et alibi inquit, ita scribens, *Mortificationem Domini Jesu in corpore circumferentes* (2. *Cor.* 4. 10). Id vero ex magna fide fit. Non enim solum resurrexisse credimus, sed etiam post resurrectionem habere magnam potentiam. Propterea eadem via iter facimus, qua ille : id est, hac etiam ex parte fratres illius efficimur : perinde ac si diceret, Ex hac re efficimur christi quidam. Papæ ! quanta est ærumnarum dignitas ! Credimus conformes nos fieri morti ejus per ærumnas. Nam quemadmodum in baptismo, *Consepulti sumus similitudini mortis ejus :* ita hic eidem morti conformes reddimur. Ibi merito dixit, *Similitudini mortis ejus ;* non enim totam mortem obivimus ; non enim corpore et carne mortui sumus, sed peccato. Quoniam igitur mors utrobique dicitur, sed ille quidem corpore mortuus est, nos autem

peccato; et illic homo mortuus est, quem ipse assumpserat, qui in corpore nostro fuit; hic vero homo peccati : propterea ibi quidem inquit, *Similitudini mortis ejus;* hic vero non jam similitudini mortis, sed ipsimet morti.

3. Paulus enim in vexationibus non jam peccato mortuus est, sed ipso corpore : quamobrem eamdem subiit mortem. *Si quo modo occurram*, inquit, *ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.* Quid ais? omnes enim ad istam perveniunt : nam, *Non omnes quidem dormiemus*, inquit, *sed omnes immutabimur* (1. *Cor.* 15. 51); neque resurrectionis solum omnes participes erimus, sed etiam immortalitatis, hi quidem ad honorem, hi vero ad occasionem supplicii. Ergo si omnes ad resurrectionem perveniunt, neque ad resurrectionem solum, sed etiam ad immortalitatem, quomodo tamquam qui præcipuum quidpiam adepturus esses, dicebas, *Si quo modo occurram?* Propterea, inquit, hæc subeo, *Si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis :* nisi enim mortuus fueris, non resurges. Quid igitur hoc est? Videtur magnum quiddam hoc loco subindicare : adeo enim magnum erat, ut neque asseverare ausus fuerit, sed tantum inquit : *Si quo modo.* Credidi in ipsum, et ipsius resurrectionem; præterea propter ipsum patior : nec tamen adhuc possum omnino confidere fore, ut resurgamus. Quam hoc loco resurrectionem dicit? Eam, quæ ad ipsum ducit Christum. Dixit, Credidi in eum et virtuti resurrectionis ejus, et socium me esse passionum suarum, configuratumque me esse morti ejus; verumtamen post hæc omnia nondum penitus confido : quod alibi dixit, *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (1. *Cor.* 10. 12); et rursus, *Timeo ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (1. *Cor.* 9. 27). 12. *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim : sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu. Non quod jam acceperim.* Quid est, *Jam acceperim?* Bravium, inquit. Quod, si qui tanta perpessus fuerat, qui vexabatur, qui mortificationem habebat, nondum de resurrectione illa fidenti, et securo animo erat : quid tandem dicemus nos? Quid est, *Si comprehendam?* Quod antea dixerat, *Si occurram in resurrectionem, quæ est ex mortuis.* Si comprehendam, inquit, ac teneam ipsius resurrectionem; id est, si tanta pati, si ipsum imitari potuero, si conformis ipsi fieri : quemadmodum multa passus est Christus, sputis fœdatus est, alapis et virgis cæsus, ac demum mortem subiit. Hoc stadium est : per hæc omnia opus est ad illius resurrectionem vos pervenire omnia certamina perferentes. Vel igitur hoc sibi vult, vel istud : Si dignus fuero, qui assequar probatam illam resurrectionem ac fidentiæ plenam, ad ipsius resurrectionem perveniam. Nam si certamina, si labores omnes perferre potuero, illius quoque resurrectionem assequi potero, et cum gloria resurgere. Nondum enim, inquit, dignus sum, *Sequor autem, si quo modo comprehendam.* Adhuc mihi vita in certamine versatur, adhuc a meta longe absum, adhuc a braviis disto, adhuc curro, adhuc sequor. Et non dixit, Curro, sed, *Sequor :* ac merito. Nam qui persequitur, nostis quantam contentionem in sectando adhibeat : neminem intuetur, omnes qui cursum illius interrumpunt, magno impetu propellit; et mentem et oculos et vires et animam et corpus contrahit, solum bravium spectans. Quod si Paulus tantus sectator ac tanta passus, adhuc inquit, *Si quo modo comprehendam*, quid dicemus nos qui concidimus? Deinde ostendens debitum hoc esse, inquit, *In quo et comprehensus sum a Jesu Christo.* Eram, inquit, ex perditorum numero; suffocabar, pereundum mihi omnino erat; comprehendit me Deus : nam et ipse nos sectatus est fugientes ipsum magno cum studio. Per hoc omnia hæc indicat : his enim verbis, *Comprehensus sum*, et studium Dei demonstravit nos comprehendere volentis, et nostrum longinquum recessum atque errationem, nosque omnino ab illo refugisse ostendit.

5. Quamobrem cum illud lacrymis dignum est, omnes ad pristinum statum relabi; tum vero hoc etiam, cum magno simus debito obnoxii, neminem tamen lugere, neminem lacrymari, neminem suspirare. Ac ne putes ironice isthæc a me dici. Nam quemadmodum ante Christi adventum a Deo fugiebamus, ita nunc ab ipso fugimus. Possumus enim fugere a Deo, non quidem loco, nam ubique est, sed operibus. Et quod ab eo fugere non possimus, audi prophetam dicentem, *Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam* (*Psal.* 138. 7)? Quomodo igitur possumus a Deo fugere? Eodem modo, quo possumus procul a Deo proficisci, ac longe abesse. *Qui se elongant*, inquit, *a te, peribunt* (*Psal.* 72. 27), et rursus, *Nonne iniquitates vestræ diviserunt inter me et vos* (*Isai.* 59. 2)? Quomodo igitur fit iste longinquus discessus? et quomodo intercedit intervallum? Electione, et animo : loco enim non possumus : quomodo enim quis ab eo, qui ubique adest, fugiat? Peccator igitur fugit. Hoc est, quod Scriptura inquit, *Fugit impius nemine persequente* (*Prov.* 28. 1). Valde fugimus Deum; tametsi semper ille sectatur nos. Apostolus cursum suum eo intendebat, ut prope ad illum accederet : nos eo intendimus, ut procul discedamus : ergo non hæc digna lamentis? Quo fugis, infelix et miser? quo fugis a vita et salute tua? Si a Deo fugias, ad quem confugies? si a luce fugias, quo respicies? si a vita fugias, unde posthac vives? Fugiamus hostem salutis nostræ. Cum peccamus, a Deo fugimus, fugitivorum more erramus, ad alienam abscedimus terram : quemadmodum ille qui comederat paterna bona, et abierat in alienam terram, qui totum patrimonium consumpserat, atque in fame vivebat (*Luc.* 15). Habemus vero patrimonium et nos. Cujusmodi vero hoc? Liberavit nos a peccatis, donavit nobis vires ad virtutis officia obeunda, donavit nobis alacritatem, patientiam; in baptismo donavit nobis Spiritum sanctum : si hæc absumpseri-

nus, fame posthac laborabimus. Nam quemadmodum ægroti, quamdiu quidem febribus agitantur et succorum vitiositate laborant, neque exsurgere, neque suis muneribus fungi, neque agere quidquam possunt : quod si quis eos a morbo liberet et ad sanitatem adducat, nec tamen adhuc quidquam agant, jam id ex propria socordia fit : ita sane et in nobis. Vexabat nos morbus gravis, ac febris vehemens; decumbebamusque non in lecto, sed in ipsamet malitia; perinde atque in stercore in improbitate volutabamur, scatentes ulceribus, fœtorem spirantes, squalidi, incurvi, idola potius quam homines : circumstabant nos improbi dæmones, princeps mundi hujus ridens, insultans. Venit Dei Unigenitus, emisit radios præsentiæ suæ, et caliginem confestim depulit : venit ad nos ipse Rex, qui erat in throno paterno, thronum relinquens paternum (quando autem reliquisse dico, ne id significare rursus putes mutationem ac transitum; cælum enim terramque ipse implet; sed ob œconomiam id dico) : venit ad hostem, qui ipsum odio prosequebatur, aversabatur, neque ut ad eum oculos converteret adduci poterat, blasphemiis quotidie appetebat. Vidit in stercore jacentem, a vermibus exulceratum, a febri et fame oppressum, nullo non morbi genere laborantem. Nam febris vexabat; hoc enim est improba cupiditas; et inflammationes urgebant; hoc enim arrogantia; et quædam insatiabilis fames occupabat; hoc enim avaritia; et sanies undique; hoc enim scortatio; et cæcitas oculorum; hoc enim idololatria; et surditas et stupor; hoc enim erat lapides et ligna adorare, et cum illis colloqui; et multa deformitas; hoc enim vitiositas, triste nimirum quiddam, et morbus gravissimus. Vidit absurdius, quam insanientes soleant, loquentes, et lignum et lapidem deum vocantes : vidit in tanta nequitia; nec tamen abominatus est, non amarior factus, non aversatus est, non odio prosequutus : Dominus enim erat, et opus suum non oderat. Sed quid facit? Optimi medici more parat pretiosa pharmaca, eaque primus gustat : virtutem enim ipse primus obivit, ac deinceps nobis tradidit. Ac primum pharmacum, quasi antidotum quoddam, lavacrum dedit; ita omnem evomuimus nequitiam, ita omnia simul in fugam se dederunt : inflammatio cessit, febris exstincta est, et sanies exsiccata. Omnia enim et quæ ab avaritia et quæ ab ira, et cætera omnia mala per spiritum evanuerunt : aperti sunt oculi, apertæ aures, piam vocem loquuta est lingua : vires acquisivit anima, acquisivit corpus pulchritudinem, et florem hujusmodi, qualem par est habere pulchritudinem, Dei filium ex Spiritus gratia procreatum; qualem par est habere gloriam filium nuper Regi natum, et in purpura eductum. Hei mihi, quantam nobis donavit nobilitatem! nos vero ergo eum, qui adeo nos amavit, ingrati esse perseveramus. Peperit nos, nutrivit, beneficiis affecit : quid rursus fugimus ab eo, qui tanta tribuit beneficia? Ergo qui hæc omnia fecit, robur etiam dat : non enim dum morbus nos occupabat, ferendo oneri pares eramus, nisi ipse vires nobis dedisset. Tribuit remissionem peccatorum; irritum fecimus donum : dedit nobis divitias; eas dilapidavimus, omnia comedimus : dedit nobis vires; eas consumpsimus : dedit nobis gratiam; ipsam exstinximus. Quomodo? Consumpsimus nulla in re quæ nobis prodesset, atque utilitatem afferret. Hæc nos perdiderunt, atque illud præterea, quod omnium gravissimum est, quod in aliena degentes terra, et comedentes siliquas, non tamen dicimus, Redeamus ad Patrem, et dicamus, Peccavimus in cœlum et in te (*Luc.* 15. 18) : idque cum Patrem adeo amantem, nostrique reditus valde cupidum habeamus. Dummodo a vitio recedamus, dummodo ad ipsum redeamus, ut de præteritis nos objurget, adduci non potest : solum recedamus; satis enim apud illum excusationis est, rediisse. Ecquid dico, ut objurget adduci non potest? non solum ipse non objurgat, verum etiam si alius objurget, silentium imponit : etiamsi ille qui objurgat, apprime sibi acceptus sit. Redeamus ergo : quousque recedimus? sentiamus dedecus, sentiamus vilitatem : vitiositas nos porcos facit, vitiositas famem affert animæ. Recuperemus nos ipsos et resipiscamus, et in pristinam redeamus nobilitatem, et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simulque sancto Spiritui gloria, potestas, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

Cap. 3. v. 13. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse :* 14. *unum autem, quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.*

1. Nihil æque inania reddit bona opera, nihil ita inflat, ut eorum quæ nos recte fecimus memoria. Duo enim parit mala, negligentiores facit, et in arrogantiam tollit. Quamobrem Paulus, quoniam noverat naturam nostram ad socordiam valde esse proclivem, multis autem laudibus Philippenses affecerat : vide quomodo eorum spiritus comprimat, multis quidem aliis antea modis, præcipue autem his nunc verbis. Quid enim dicit? *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse.* Quod si Paulus adhuc non comprehendit, neque fidenti animo de resurrectione ac futuris rebus est; multo igitur minus illis, qui nec minimam illius benefactorum partem assequuti fuerant, id faciendum erat. Quod autem inquit, hoc est : Nondum omnem me apprehendisse virtutem puto : ita loquens, ut de cursore dici solet, Nondum apprehendit. Nondum, inquit Paulus, totum confeci. Quod si alibi dicat, *Bonum certamen certavi* (2. *Tim.* 4. 7); hic vero, *Nondum arbitror me comprehendisse :* qui utrumque

locum accurate leget, probe causam illorum, et horum verborum cognoscet. Non enim assidue oportet eadem versare; nosque omnia docere, admonereque hæc multo antea dicta esse, illa vero versus finem : *Nondum arbitror*, inquit, *me comprehendisse;* sed in hoc uno totus sum, ut ad anteriora me extendam. Hoc enim sibi vult, dum inquit : *Unum autem : quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ priora sunt, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Vide quomodo his verbis ostendit, quid illud sit, quod ipsum faciebat ad anteriora se extendere. Certe qui jam se perfectum putat, nihilque sibi deesse ad virtutis perfectionem, is a cursu cessabit, quasi qui totum jam teneat : at qui se adhuc a meta abesse cogitat, is numquam a cursu cessat. Hoc igitur nos existimare semper debemus, etiam si sexcenta obiverimus virtutis officia. Etenim si Paulus post sexcentas mortes, post tanta pericula hoc secum putabat, multo magis nos. Non animo concidi, inquit, quamvis post tantum cursum nondum pervenerim, non ideo tamen desperavi, sed adhuc curro, adhuc certo : hoc unum specto, ut assidue proficiam. Id nobis etiam faciendum est : oblivioni mandanda sunt benefacta, et omittenda quæ retro sunt. Nam et cursor, non quot spatia confecerit cogitat, sed quot adhuc restent. Ita et nos, non quantum in virtute progressi simus, cogitemus, sed quantum adhuc progrediendum restet. Quid enim nobis proderit, quod progressi sumus, nisi etiam quod restat confecerimus? Neque dixit, Non cogito, aut, Non memini, sed, *Obliviscens*, ita nos attentiores reddens. Tunc enim valde vehementes sumus, cum omnem animi impetum in id quod restat conjecimus, cum præterita oblivioni mandavimus. Extendentes, inquit, nos, antequam accedamus, capere volumus. Is enim extendere se dicitur, qui pedes, licet currentes, reliquo corpore antevertere studet, seque inclinat in interiora, manusque protendit, ut aliquanto etiam plus spatii faciat. Id vero ex multo animi impetu et magno ardore fit. Qui currit, hoc modo currat oportet, tanto cum studio, tanto cum impetu, non autem remisse. Quantum autem inter hunc qui hoc modo currit, et inter eum qui jacet supinus, interest, tantum inter Paulum et nos. Quotidie ille moriebatur, quotidie bene merebatur; nulla erat occasio, nullum tempus, in quo non aliqua illi ad cursum accessio fieret; non volebat capere, sed rapere : ita enim fas est capere. Qui dat bravium sursum est, sursum positum est bravium.

2. Vide quantum spatii sit propositum ad percurrendum; vide quam celsus sit locus, quo volandum est alis spiritus : aliter enim altitudo illa obtineri nequit. Cum corpore illuc properandum est; licet enim : *Nostra* enim, inquit, *conversatio in cœlis est* (*Philipp.* 3. 20) : ibi palma est. Vides eos qui currunt, quam ex lege vivant? quam nihil eorum, quæ vires enervant, attingant? quam quotidie certent in palæstra sub magistro et lege? Hos fac imiteris, ac potius majorem prome animi impetum : longe enim potior est palma, et multi sunt qui impediunt : ex lege vive : multa enim sunt, quæ robur dissolvunt : bonum crus fac pedi tuo; potes enim : non naturæ res est, sed voluntatis. Levem hanc reddamus, ne celeritati pedum reliquum pondus officiat : doce pedes esse firmos : solum enim multis in locis est lubricum; ac si cadas, multa perdidisti. Attamen, et si cecideris, exsurge : licet enim et hoc pacto vincere. Numquam lubricis rebus te committas; et non cades : super solidas et stabiles curre : sursum caput habeas, sursum oculos. Id et currentibus magistri præcipiunt : ita consolidantur vires. Sin deorsum versum nutabis, concides, ac fatisces. Sursum specta, ubi palma est : hic palmæ aspectus auget studium voluntatis; spes adimit laborum et molestiarum sensum; longinquitas facit ut bravium appareat exiguum. Quodnam illud est? Non ramus palmæ; sed quid? Regnum cælorum, requies sempiterna, gloria cum Christo, hereditas, fraternitas, innumerabilia bona, quæ verbis exponi non possunt. Palmæ illius pulchritudinem explicare non possumus : solus ille novit qui obtinet, et qui accepturus est. Non est aurea, non ex lapidibus constat; multo istis est pretiosior : aurum præ illa lutum est; lapides pretiosi præ illa pulchritudine lateres sunt. Si ea potitus in cælum iveris, magno illic cum honore poteris incedere : angeli te reverebuntur palmam illam ferentem : fidenter ad omnes accedes. *In Christo Jesu.* Vide gratum animum : in Christo Jesu hoc, inquit, facio. Non enim sine illius impulsu tantum spatii conficere fas est : multo opus est auxilio. Deorsum te certare voluit, sursum coronat : non ut hic, ubi certamen, est etiam corona illa, sed in splendido loco corona illa est. Non videtis hic etiam eos ex athletis et aurigis, quos maximo affi ciunt honore, non deorsum in stadio, sed sursum vocante Imperatore coronari. Ita etiam et tu hinc in cælo capies palmam. 15. *Quicumque ergo perfecti sumus*, inquit, *hoc sentiamus : et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit.* Quid hoc est? Nimirum quæ retro sunt, obliviscenda esse : ita ut perfecti hominis sit, non se existimare perfectum esse. Quomodo igitur dicis, *Quicumque perfecti?* dic enim mihi, hoccine vis sapiamus quod tu sapis? Nam si non assequutus es, si non es perfectus, quomodo jubes perfectos hoc sapere, quod et tu sapis, qui nondum es perfectus? Hoc enim, inquit, perfectio est. *Et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit.* Id est, si quis autem putat se totum recte esse assequutum. Cavet nimirum illis; at non ita dixit, sed quid? *Et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit.* Vides, quam verecunde. Hoc, inquit, vos Deus docebit : id est, Deus vobis persuadebit, non tantum docebit : nam docebat quidem Paulus, Deus autem inducebat. Et non dixit, Inducet, sed, *Revelabit;* ut ex ignorantia res proficisci videatur. Non hæc de dogmatis dicta sunt, sed de perfectione vitæ, ut nemo se ipse existimet perfectum esse. Etenim qui omnia se putat consequutum, nihil habet. 16. *Verumtamen ad quod pervenimus, in eadem permaneamus*

regula : idem sapiamus. Verumtamen ad quod pervenimus, quid hoc est? Interea, inquit, quod boni consequuti sumus, teneamus, caritatem, concordiam, pacem : hoc nobis recte confectum est. *Ad quod pervenimus, in eadem permaneamus regula, idem sapiamus. Ad quod pervenimus ;* id est, hoc nobis jam recte confectum est. Vides Paulum hoc velle, præcepta esse regulam? Regula neque additionem neque detractionem capit ; alioqui jam non est regula. *In ea dem regula ;* id est, in eadem fide, in eadem constitutione. 17. *Imitatores mei estote, fratres : et observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis nos formam.* Dixit superius, *Videte canes*, hos ab illis abducens : proponit nunc eos, qui sunt imitandi. Si quis, inquit, nos imitari vult, si quis eamdem insistere viam, huic operam date : quamvis ego non adsim, nostis tamen incessus mei rationem et modum, id est, rationem vitæ et morum. Non enim verbis solum docebat, sed etiam factis : quemadmodum in choro et exercitu choragum et ducem reliqui imitentur oportet, ut ita ordinate incedant : nam fieri potest, ut ex illo etiam statu ordo dissolvatur.

3. *Doctoris et discipuli officia.* — Ergo apostoli erant forma et typus, speciem eam retinentes, quæ archetypi et primarii cujusdam exemplaris instar esset. Cogitate, quam accurata esset illis vitæ ratio, ut ipsi propositi essent, quasi archetypus et exemplar et leges animatæ. Quæ enim literæ dicebant, hæc ipsi factis perspicua omnibus faciebant. Hæc optima est docendi ratio : ita discipulum impellere doctor poterit. Sin dicat quidem ac verbis philosophetur, factis vero contraria repræsentet, nondum doctor est. Nam vel discipulo hoc facile est, verbis philosophari ; sed illa admonitio et persuasio accedat oportet, quæ per opera fit : nam hæc et doctori reverentiam conciliat, et discipulo propensionem ad parendum. Quomodo? Quoniam, ubi verbis quidem viderit philosophantem, secum dicet, Ea quæ fieri non possunt magister iste præcepit, idque ipse primus ostendit, qui ea non facit. Sin autem viderit virtutem factis ipsis expressam, non habebit amplius, cur ista dicat. Verumtamen etiam si doctoris vita socordiæ plena sit, nobis ipsis attendamus, et audiamus prophetam dicentem, *Erunt omnes docibiles Dei* (*Joan.* 6. 45) ; et, *Non docebit ultra vir fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum ; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum* (*Jerem.* 32. 34). Non habes doctorem virtute præditum? Sed habes eum qui vere doctor est, quem etiam solum doctorem appellare oportet : ab illo discite : ille dixit, *Discite a me, quia sum mitis* (*Matth.* 11. 29). Non observes magistrum istum, sed illum illiusque disciplinas : inde typum cape : habes effigiem optimam, ad quam teipsum componas. Sexcentæ sunt propositæ in Scripturis vitarum cum virtute actarum imagines : velut, accede, si libet, post magistrum ad discipulos : hic quidem ex paupertate fulsit, ille vero ex divitiis : exempli causa, Elias ex paupertate, Abraham ex divitiis : utram putas leviorem, tibique aptiorem, hanc tene. Rursus hic quidem ex matrimonio, ille vero ex virginitate : Abraham ex matrimonio, Elias ex virginitate : utram libet viam insiste : utraque enim ad cælum ducit. Et Joannes quidem per jejunium, Job vero sine jejuniis. Rursus hic ipse, cum mulieris et filiorum et filiarum et domus cura ipsi gerenda esset, multisque abundaret divitiis : Joannes vero nihil possidebat præter vestimentum ex pilis confectum. Et quid dico domum et divitias et pecunias, quando vel is qui regnum obtinet, potest virtutem consequi? Omni enim privata domo longe occupatior reperietur regia : tamenque David fulsit in regno ; neque illum dissolvit purpura, aut diadema : itemque alter, cui integri populi gubernacula commissa fuerant, Moyses, inquam : quod sane difficilius etiam erat : hic enim plus licentiæ erat, ideoque plus difficultatis et molestiarum. Vidisti probatos in divitiis, vidisti et in paupertate ; vidisti in matrimonio, vidisti et in virginitate. Contra vero considera, et in matrimonio, et in virginitate, et in divitiis, et in paupertate non defuisse qui perirent. Nam in matrimonio quidem multi homines perierunt, ut Samson, non tamen ex ipso matrimonio, sed ex animo voluntateque sua. In virginitate item, ut quinque virgines : in divitiis, dives ille qui Lazarum despiciebat : in paupertate, nunc quoque sexcenti pauperes pereunt. In regno et in populi gubernatione multos possum ostendere qui perierint. Vis autem et in militari ordine videre qui salutem sint consequuti? intuere Cornelium : vis et in rei familiaris administratione? intuere eunuchum Æthiopissæ. Ita undique perspicuum fit, si ut oportet divitiis utamur, nihil esse, quod nos perdat : sin minus, omnia : perdit nos regnum, perdit paupertas, perdunt divitiæ. Attento quidem homini nihil nocere poterit. Dic enim mihi, captivitas an lædit? Minime : cogita ipsum Joseph servum quidem factum, sed nihilominus virtuti addictum : cogita mihi Danielem, et tres illos pueros, cum captivi essent, multo magis fulsisse. Ubique enim virtus lucet, neque expugnari neque impediri ulla ratione potest. Quid dico paupertatem et servitutem? nec fames quidem, nec ulcera, nec morbus quantumvis nocere possunt : morbus enim servitute est gravior. Talis erat Lazarus, talis Job, talis erat et Timotheus crebro pressus infirmitate.

Virtus a nulla re superari potest.—Vides nihil esse, a quo superari virtus queat? non divitias, non paupertatem, non imperium, non servitutem, non rerum administrationem, non morbum, non ignominiam, non exsilium ; sed hæc omnia deorsum, atque humi relinquens virtus ad cælum pervenit : tantum generosa sit anima, tunc prohibere nihil poterit quin virtutis sit compos. Ubi enim valet is, a quo actio promenda est, nullum externæ res impedimentum afferunt. Nam et in artibus, ubi artifex bene peritus fuerit, et tolerans, universamque artem tenuerit, etiamsi morbus adveniat, ipsam retinet ; etiamsi in paupertatem incidat, ipsam retinet : sive instrumen-

tum in manu habeat, sive suo fungatur munere, sive non fungatur, nihil illi ex arte detrahitur : in ipso enim inest scientia. Ita et qui virtute præditus est atque ex Deo pendet, sive illum in divitias conjicias, ostendit virtutem suam ; sive in paupertatem, nihilominus ; sive in morbum, sive in sanitatem, sive in gloriam, sive in infamiam.

4 Annon per ista omnia transierunt apostoli? *Per gloriam*, inquit, *et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam* (2. *Cor.* 6. 8). Hoc est athletam esse, nempe ad omnia esse accommodatum : talis enim est virtutis etiam natura. Quod si dicas, Præesse aliis non possum, solitaria mihi vita agenda est, injuriam fecisti virtuti : ea quidem omnibus uti potest, et ubique splendet, dummodo insit in anima. Fames adest? adest annonæ copia? Virtus suum præ se fert robur : quemadmodum Paulus inquit, *Scio et abundare, et penuriam pati* (*Philipp.* 4. 12). Operandum erat? non erubescebat, sed duos annos operam arti suæ dedit. Erat ferenda fames? non concidebat, nec vacillabat. Moriendum erat? non dejiciebat animum : undique generosum illum animum, atque artem ostendebat. Hunc igitur æmulemur, nec quidquam causæ erit, cur mœreamus. Quid enim, dic mihi, tali viro mœrorem afferre poterit? Nihil sane : quamdiu hanc nobis nemo eripuerit, omnibus hominibus erimus beatiores, et hic et non illic tantum. Sit enim quis virtutis compos ; tunc et uxorem habeat et filios et pecunias, et circumfluat gloria ; in his omnibus similiter virtutem retinebit : aufer hæc; nihilominus virtutem exercebit, non calamitatibus obrutus, non ex prosperitate tumescens ; sed perinde ac petra quædam maritima, sive turgeat mare, sive malacia exsistat, æque manet immobilis, neque a fluctibus fracta, neque a malacia quidquam damni passa : ita etiam solidus animus æque stabilis perstat in fluctibus, et in malacia. Et quemadmodum pueruli navigio vecti turbantur, gubernator autem sedet ridens et immotus, et ex illorum trepidatione voluptatem capit : ita animus philosophicus, dum cæteri omnes turbantur, aut vicissim rident intempestive in rerum mutationibus, ipse quasi ad clavum quemdam pietatis sedens perstat immotus. Quid enim, dic mihi, animam piam perturbare potest? num mors? at hoc melioris vitæ initium. An paupertas? at hoc ipsam provehit in virtutis via. An morbus? Sed pro nihilo habet hanc vitam. Et quid dico morbum? pro nihilo æque habet delectationes, atque ærumnas : anticipavit enim, ac se ipsa jam afflixit. An ignobilitas? sed mundus ipsi crucifixus est. An amissio bonorum? sed non metuit ; cum futuram enim sibi persuasit resurrectionem. Quid evertere illam poterit? Prorsus nihil. At divitiæ extollunt? minime : novit enim pecunias nihil esse. At gloria? sed jam in hac disciplina eruditus est, omnem hominis gloriam esse veluti florem fœni (*Isai.* 40 6). At deliciæ? sed audivit Paulum dicentem, *Quæ in deliciis est, vivens mortua est* (1. *Tim.* 5. 6). Ergo eum neque tumescat, neque deprimatur, quid huic sanitati par inveniri poterit? Verum non tales sunt cæteræ animæ, sed crebrius quam mare et chamæleon mutantur. Quamobrem valde ridicula est illarum conditio : cum videas eumdem nunc ridentem, nunc flentem, nunc sollicitum, nunc præter modum remissum ac torpentem. Propterea Paulus inquit, *Nolite conformari huic sæculo* (*Rom.* 12. 2). In cælo enim degimus, et quasi cives versamur, ubi nulla mutatio. Promissa sunt nobis præmia immutabilia : talem et nos vitæ rationem exhibeamus ; inde jam capiamus bona. Ecquid igitur nos ipsi in curipum projicimus, et in medios fluctus et in procellas et turbines? Amplectamur tranquillitatem : ea non ex divitiis pendet, non ex paupertate, non ex gloria, non ex ignobilitate, non ex morbo, non ex sanitate, non ex infirmitate, sed ex nostro cujusque animo. Si hic solidus fuerit, ac recte in virtutis disciplina eruditus, omnia illi facilia erunt. Atque hinc jam requiem cernet, portumque tranquillum, et illuc profectus innumerabilia bona consequetur : quæ utinam nos omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simulque sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

Cap. 3. v. 18. *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi,* 19. *quorum finis interitus ; quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* 20. *Nostra enim conversatio in cœlis est : unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum,* 21. *qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme fiat corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suæ, qua etiam possit subjicere sibi omnia.*

1. Nihil æque dissentaneum est, alienumque a Christiano, ac requiem et otium quærere : nihil æque a professione nostra et militia, cui nomen dedimus, alienum, ac præsenti vitæ defixum esse. Dominus tuus in crucem actus est, et tu requiem quæris? Dominus tuus clavis confixus est, et tu deliciaris? hæccine militis generosi? Propterea etiam Paulus, inquit, *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi.* Quoniam erant nonnulli, qui Christianismum quidem simulabant, sed in otio ac deliciis vivebant, id vero adversatur cruci ; idcirco ita dicebat. Crux enim propria animæ est in acie stantis mori cupientis, nullam sibi oblectationem postulantis : illi vero contrariam vitæ rationem sequuntur. Quamobrem tametsi dicunt se Christi esse, inimici tamen sunt crucis : alioqui, si crucem amarent, id quoque studerent, ut crucifixam vitam viverent. Nonne in crucem actus est Dominus tuus? Si illius

modum non potes, imitare alia ratione Dominum tuum : ipse te crucifige, etiamsi nemo te crucifigat; crucifige te, inquam, non ut ipse te interimas, absit; impium enim est; sed prout Paulus dicebat, *Mihi* enim, inquit, *mundus crucifixus est, et ego mundo.* (*Gal.* 6. 14).

Crucis signum in baptismo et in manuum impositione. — Si Dominum tuum amas, morte illius morere : disce quanta sit crucis potentia, quot bona fecit, quot faciat, quam in tuto vitam collocet. Per hanc omnia perficiuntur : baptisma per crucem (oportet enim accipere signaculum); manuum impositio per crucem : omninoque, sive in via simus, sive domi, sive ubi vis, magnum bonum est crux, salutaris armatura, clypeus inexpugnabilis adversans diabolo. Cum hoc igitur si bellum geras, tunc gestas crucem, non tantum accepto signaculo, sed etiam quæ crucis propria sunt subiens ac patiens. Consuevit enim Christus passiones nomine crucis appellare : ut cum inquit, *Nisi quis tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* 16. 24); id est, nisi quis recte se comparaverit ad mortem. Isti vero degeneres, vitæ et corporis amantes, profecto crucis sunt inimici : et quisquis deliciarum mundanæque tranquillitatis amator est, inimicus est crucis, in qua Paulus gloriatur, quam complectitur, cui nititur inseri, quod illa verba indicant, *Ego crucifixus sum mundo, et mundus mihi.* Nunc vero ait, *Nunc autem et flens dico.* Cur? Quoniam malum crevit, quoniam tales qui sunt, hi lacrymis digni sunt. Vere lacrymis digni sunt qui in deliciis degunt, et indumentum quidem, id est corpus, pinguefaciunt, futuri vero quod ipsos manet supplicii nullam rationem habent. Esto delicate vivis, esto vino mades; hodie, cras, decem annos, et viginti et triginta et quinquaginta et centum, quod quidem fieri nequit; verum, si vis, demus ita esse : quis terminus? quæ utilitas? Nulla. Talem igitur vitam vivere, nonne lacrymis et lamentis dignum est? Adduxit nos Deus in hoc stadium, ut coronet, et nos abimus nullo præclaro edito facinore? Flet igitur Paulus, quibus de rebus alii rident seque oblectant : tanto alienarum calamitatum sensu tangitur; adeo omnes homines curat. *Quorum*, inquit, *deus venter est.* Propter hoc est deus ipsis : hoc illud est, *Comedamus et bibamus* (1. *Cor.* 15. 32). Vides quantum malum sint deliciæ? Aliis quidem pecunia, aliis vero venter deus est. Nonne hi etiam sunt idololatræ, et illis etiam deteriores ac nequiores? *Et gloria*, inquit, *in confusione ipsorum.* Quidam circumcisionem his verbis significari volunt : ego autem ita interpretor, ac si dictum esset, in quibus oportebat eos pudore suffundi seque occultare, in his se efferunt. Hoc illud est, quod alibi inquit, *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis* (*Rom.* 6. 21)? Grave enim malum est turpia facere; sed si te, cum facias, pudeat, quasi dimidium malum est : sin etiam inde te efferas, summus jam est animi stupor. Ergo de illis tantum hæc dicta sunt, et nemo eorum qui hic adsunt, objurgationi locum reliquit? nemo illi crimini est affinis, neque deum ventrem habet? neque gloriam in confusione? Cupio, et vehementer cupio nihil ejusmodi ad nos pertinere : vellem neminem nosse, cui ea quæ dicta sunt, crimini dari possent; sed valde metuo, ne in nos magis, quam in illos conveniant. Etenim si quis omnem vitam in potationibus et comessationibus insumat, et in pauperes quidem paucos obolos impendat, majorem vero opum partem in ventrem effundat; nonne jure in istum etiam dicentur?

2. Nihil his verbis ad pudorem eliciendum aptius, nihil ad objurgandum vehementius : *Quorum*, inquit, *deus venter est, et gloria in confusione ipsorum.* Quinam isti sunt? *Qui terrena sapiunt*, qui dicunt, Ædificemus domos. Ubi? In terra, inquit : emamus agros; in terra rursum : adipiscamur imperium, rursus in terra : assequamur gloriam, rursus in terra : divitias comparemus, omnia denique in terra. Hi sunt, quorum deus venter est. Qui enim nihil spirituale cum animo suo cogitant, sed omnia sua hic habent, atque hæc sola curant, merito ventrem deum habent, dicentes : *Comedamus et bibamus; cras enim moriemur.* Et corpus quidem doles tibi terrenum esse, quamvis illud tibi, quod ad virtutem pertinet, nihil noceat; animam vero in terram deprimis per delicias, et nullam hujus rei rationem habens, rides, dic mihi, atque animo es remisso? et qualem consequeris veniam, cum tanto te stupore affeceris; cum oporteret ipsum corpus spirituale reddere? licet enim, si velis. Ventrem accepisti ut nutrias, non ut distendas; ut illi domineris, non ut dominum habeas; ut tibi inserviat ad cæteras partes alendas, non ut tu illi inservias, non ut fines transilias. Non tot malorum causa est mare fines supergressum, quot venter corpori animæque nostræ : omnem illud terram, in quam se effuderit, obruit; venter vero universum corpus. Pone illi terminum, quod naturæ satis est; quemadmodum mari Deus posuit arenam : ac si æstuaverit, atque exeanduerit, increpa illum potestate quæ in te sita est. Vide quanto honore te affecerit Deus, ut ipsum imiteris : tu vero minime vis, sed vides illum erumpere, totamque naturam corrumpere atque obruere, nec tamen audes cohibere ac moderari. *Quorum deus*, inquit, *venter est.* Videamus quomodo Paulus servierit Deo : videamus quomodo et edaces isti serviant ventri. Nonne isti sexcentas perferunt mortes? nonne, quæcumque ille jusserit, detrectare formidant? annon etiam in iis, quæ minime fieri possunt, obediunt eique ministrant? nonne mancipiis nequiores sunt? At non Paulus talis : quamobrem dicebat, *Nostra conversatio in cœlis est.* Non igitur hic quæramus requiem, sed ibi velimus clari esse, ubi et vitam colimus. *Unde etiam Salvatorem*, inquit, *exspectamus Dominum Jesum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme fiat corpori claritatis suæ.* Paulatim nos evexit : De cælo, inquit, Salvator noster : a loco, a persona majestatem demonstrans. *Qui transfigurabit*, inquit, *corpus humilitatis nostræ.* Multis modis nunc male accipitur corpus nostrum, vincitur, vapulat, sexcentis

malis afficitur; verum et Christi corpus hæc eadem passum est Hoc ergo subindicavit dicens, *Ut conforme fiat corpori claritatis suæ.* Ergo idem quidem corpus est, sed induitur immortalitate. *Transfigurabit,* inquit. Ergo et figura alia; aut ita mutationem minus proprie vocavit. Dixit autem, *Corpus humilitatis nostræ,* quoniam nunc jacet in humilitate, quoniam interitui ac dolori obnoxium est, quoniam vile videtur esse nihilque amplius cæteris habere. *Ut conforme ipsum,* inquit, *fiat corpori claritatis suæ.* Papæ! illine, quod sedet in dextera Patris? Hoc ipsum corpus conforme illi fit, quod adoratur ab angelis, illi cui assistunt incorporeæ Potestates, illi quod est supra omnem Principatum et Virtutem et Potestatem; illi ipsi conforme fit. Si universus orbis, sumptis lacrymis, eos qui de hac spe deciderunt, fleat; pro rei gravitate flebit, quod hoc promisso nobis proposito, fore ut corpus nostrum illi conforme fiat, cum dæmonibus tamen abeat? Jam mitto gehennam : quodcumque enim dixeris, nihil esse existimo, si cum hoc lapsu comparetur. Quid ais, Paule? illi conforme fit? Næ, inquit. Deinde, ne diffidas, argumentum quoque adjunxit : *Secundum operationem,* inquit, *virtutis suæ, qua etiam possit subjicere sibi omnia.* Potestatem, inquit, habet omnia sibi subjiciendi : ergo et interitum et mortem : potius autem ex eadem ipsa potestate, hoc etiam facit. Quod enim, dic mihi, potentiæ majus opus est, angelos et archangelos et Cherubim et Seraphim subjicere ac dæmonas, an corpus facere immortale et corruptelæ non obnoxium? Illud sane multo majus. Ostendit majora opera potentiæ suæ, ut hæc etiam credas. Quamobrem tametsi mundanos istos videritis exsultantes lætitia, et gloria circumfluentes : vos nihilominus state, non ab illis lædamini, nec turbemini : spes hujusmodi quæ nobis proponuntur, aptæ sunt, quæ valde etiam socordem atque oscitantem excitent atque erigant. (*Cap.* 4) 1. *Itaque, fratres mei,* inquit, *carissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino, carissimi. Sic,* quomodo? Quemadmodum stetistis immoti. Vide post admonitionem encomia : *Gaudium et corona mea.* Non tantum gaudium, sed etiam gloria; non tantum gloria, sed etiam corona : cui gloriæ nihil par inveniatur, quippe cum illi Pauli corona sint. *Sic state in Domino, carissimi;* id est, in spe Dei. 2. *Evodiam rogo, et Syntychen rogo id ipsum sapere in Domino.* 3. *Etiam rogo et te, germane compar, adjuva illas.*

3. Quidam dicunt Paulum his verbis, *Germane compar,* uxorem suam rogare (*a*) : quod minime verum est; sed quamdam aliam mulierem, vel etiam virum alterius istarum hoc vocat nomine. *Adjuva illas,* inquit, *quæ mecum laboraverunt in evangelio cum Clemente et cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.* Vides quantæ virtutis testimonium illis dat? Quod quidem apostolis dicebat Christus, *In hoc nolite gaudere, quia dæmonia vobis subjiciuntur, sed quod nomina vestra sunt scripta in libro vitæ* (*Luc.* 10. 20); hoc Paulus etiam de istis testificatur, dicens, *Quorum nomina sunt in libro vitæ.* Videntur autem mihi hæ mulieres caput fuisse Ecclesiæ quæ ibi erat; easque commendat viro fortasse admirabili, quem comparem etiam vocat : cui fortasse commendare solitus erat, ut auxiliario et commilitoni et participi et fratri. Id vero et in Epistola ad Romanos facit : *Commendo,* inquit, *vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchreis* (*Rom.* 16. 1). *Compar.* Vel fratrem aliquem istarum, vel etiam virum alterius ipsarum ita vocat : perinde ac si diceret, Nunc frater es germanus, nunc vir legitimus; quippe qui membrum factus es. *Quæ mecum laboraverunt in evangelio.* Hinc sollicitudo et cura erga illas, non ob amicitiam, sed ob benefacta. *Mecum laboraverunt.* Quid ais? mulieres tecum laboraverunt? Næ, inquit. Non parum et illæ contulerunt : quamvis enim multi essent, qui Paulo auxiliarentur, tamen inter multos et istæ suas in agendo partes præstabant. Non parum igitur tunc Ecclesiæ augebantur : nam ex eo, quod ii qui probati erant, cum viri, tum mulieres, tanto a cæteris honore afficerentur, multa eveniebant bona. Etenim primum quidem cæteri ad parem zelum adducebantur : deinde in eo etiam, quod honorem deferebant, quæstum faciebant : tertio et illos ipsos alacriores atque ardentiores faciebant. Propterea ubique vides id curantem Paulum ac tales homines commendantem : quod etiam in Epistola ad Corinthios inquit, *Qui sunt primitiæ Achaiæ* (1. *Cor.* 16. 15). Quidam dicunt nomen proprium illis fuisse, Σύζυγος, id est compar : sed parum interest, sive hoc, sive illud sit : non id curiose inquirendum est, sed hoc admirandum, magnum illis deferri honorem jussisse.

4. Omnia, inquit, nobis in cælis sunt, et Salvator et civitas, quicquid aliud quis dixerit : *Unde,* inquit, *et Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum.* Atque hoc etiam est benignitatis suæ. Ipse rursus ad nos venit, non illuc nos trahit, et cum nos receperit, discedit : atque in hoc quoque magno nos honore afficit. Nam si ad nos cum inimici eramus, venit : multo magis nunc cum amici facti sumus. Non hoc angelis committit, neque servis, sed ipse in nubibus venit vocans nos in regiam suam. Fortasse autem et eos qui ipsum coluerint, ipse ad se in nubibus tollet. Nam et nos, inquit, in nubibus rapiemur qui illum colimus; et sic semper cum Domino erimus. Ecquis ergo inventus fuerit fidelis servus et prudens? quinam igitur tantis bonis dignabuntur? quam miserabiles, qui inde cadunt? Nam si per omne tempus illos qui regnum amiserunt lugeamus, quid ea re dignum fecerimus? Etenim, si sexcentas gehennas attuleris, nihil par afferes dolori illi, quo tunc angitur anima, cum universus quatitur orbis, tubæ sonant, primus accurrit angelorum ordo, deinde secundus, deinde tertius, deinde sexcenti ordines in terram se effundunt, tum Cherubim qui innumerabiles sunt, et Seraphim; postremo ipsemet advenit, gloria illa cir-

(*a*) Paulum uxorem habuisse quidam putabant.

cumfluens, quæ nullis verbis exprimi potest, omnes vero festinant adducere in medium electos : deinde Paulus et ii qui Paulum sectati sunt, quique ita probati sunt, coronantur, prædicantur, a Rege in conspectu totius cælestis exercitus honore afficiuntur. Nam etiamsi gehenna non esset, quantum tamen illud est, hos quidem honorem, illos vero ignominiam reportare? Intolerabilis res est gehenna, fateor, et valde quidem intolerabilis; attamen intolerabilius mihi videtur de regno decidisse. Cedo enim, si quis rex vel regis filius, domo profectus multis bellis egregie confectis, magnaque sui admiratione commota, universo comitatus exercitu in civitatem aliquam ingrederetur cum vehiculo, cum tropæis, cum sexcentis militum ordinibus auro onustorum, cum satellitibus omnibus aureos clypeos gestantibus; universa autem civitas coronata esset, omnesque orbis principes cum ipso; a tergo autem ipsum sequeretur omnis quoque ætas exterarum nationum captiva, cum præfectis, satrapis, consulibus, tyrannis, principibus : deinde in præclara illa pompa obviam sibi prodeuntes cives amplexetur, osculetur, manum porrigat, omnem det loquendi libertatem, atque in omnium conspectu cum ipsis ut cum amicis colloquatur, totumque illud iter ipsorum sibi causa susceptum dicat, atque hos quidem in regiam suam perducat, alios vero derelinquat : quantum id omni supplicio majus est, etiam si illi supplicio non afficiantur? Quod si apud hominem adeo amarum est de gloria illa decidisse, multo magis apud Deum, cum superæ potestates una cum Rege adsunt, cum dæmones vincti atque incurvi, diabolus ipse manibus revinctis agitur, omneque adversariorum robur; cum Virtutes cælorum, cum ipse in nubibus advenit? Credite mihi, præ dolore, qui animum meum ex hac narratione occupavit, orationem ad exitum perducere non possum. Cogitemus, quanta privemur gloria, eum in nobis situm sit non privari. Hoc enim est quod maxime angit, hæc pati, cum in nostra potestate sit non pati. Nam cum hos quidem amplectitur, et mittit in cælos ad Patrem, illos vero omittit; angeli quidam illos prehendentes in gehennæ ignem invitos, flentes, incurvos traxerint, ac tum demum, cum universo orbi spectaculo fuerint : quantum putas doloris hauriri? Studium igitur adhibeamus, quamdiu tempus est, nostramque ipsorum salutem sollicite curemus. Quanta dicere possemus, qualia dives ille dicebat : Si quis nunc nos sinat, statueremus ea, quæ in rem nostram essent, sed nullus sinit? Taliaque nos dicturos non solum ex illo, sed etiam ex multis aliis manifestum est. Nam, ut hinc etiam discas, quot fuerunt qui cum febri laborarent, ita dixerunt, Si pristinam valetudinem recuperemus, numquam posthac in hæc eadem mala decidemus? Multa hujusmodi tunc dicemus; sed audiemus, quæ dives ille (*Luc.* 16. 26) magnum hiatum intercedere, hic nos nostra bona accepisse. Obsecro igitur, amare fleamus; aut potius non tantum fleamus, sed etiam virtutem adeamus. Lugeamus nunc ad salutem, ne tunc frustra lugeamus : ploremus nunc, et tunc non plorabimus ex improbitate : fletus hic virtutis est, ille vero inutilis pœnitentiæ : afflictemus nunc nos ipsos, ne tunc afflictemur. Multum interest hic afflictari, et ibi. Nam hic quidem ad breve afflictaris tempus; potius autem ne sensum quidem afflictionis capis, exploratum habens afflictari te, ut bene tibi sit : ibi vero longe durior afflictio; nulla enim spe recreatur, neque exitum invenit, sed infinita ac perpetua est. Utinam vero hinc liberati requiem illam consequamur. Sed quoniam, ut ne peccemus, cum assiduo studio, tum assiduis precibus opus est, studeamus, quæso, requiem illam consequi. Nam si studeamus et precemur, consequemur : si assidue precabimur, dabit Deus. Sin autem neque ab ipso petamus, nec quidquam ejusmodi præstemus, omninoque nihil agamus : qui fieri umquam potest, ut dormientes consequamur? Plane non potest. Satis enim bene nobiscum agetur, si currentes, nosque ipsos extendentes, et conformes facti morti ejus, ut Paulus dicebat, consequi potuerimus; minime vero si dormiamus. *Si quomodo*, inquit, *occurram* (*Philipp.* 3. 11). Quod si Paulus dicebat, *Si quomodo occurram*, quid nos dicemus? Dormientibus enim neque mundana umquam negotia conficiuntur, nedum spiritualia : dormientes ne ab amicis quidem quidquam accipiunt, nedum a Deo : dormientes ne patres quidem in honore habent, nedum Deus. Paululum laboremus, ut in omne ævum requiescamus. Omnino ærumnis angamur necesse est : quod si hic minime angamur, id nos ibi manet. Cur non malumus hic vexari, ut ibi requiescamus? Utinam vero nos omnes digne Christo vitam degentes, et conformes facti ipsius morti, bona illa, quæ oratio assequi non potest, consequamur, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri simulque sancto Spiritui gloria, potestas, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

CAP. 4. v. 4. *Gaudete in Domino semper : iterum dico, Gaudete.* 5. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus prope est:* 6. *nihil solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* 7. *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu.*

1. Cum Christus dicat, *Beati qui lugent*, et, *Væ ridentibus* (*Matth.* 5. 5. *Luc.* 6. 25), quid nunc significans Paulus ita inquit : *Gaudete in Domino semper?* Non sane adversatur Christo, absit. Væ enim dixit Christus, ridentibus risum mundi hujus, qui ex rebus præsentibus oritur : et lugentes beatos prædicavit, non quovis modo lugentes ex rerum suarum amissione, sed eos qui compunguntur, qui sua lugent mala, qui peccata sua expendunt, aut etiam aliena. Non est autem ejusmodi luctui contrarium

hoc gaudium; quinimo a luctu illo gaudium hoc procreatur: nam qui luget sua mala et confitetur, is gaudebit. Præterea vero licet lugere quidem propter peccata sua, gaudere autem Christi causa. Quoniam igitur vexabantur rerum molestarum perpessione; *Vobis* enim *datum est*, inquit, *non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini* (*Philipp.* 1. 29); propterea, inquit, *In Domino gaudete.* Idem enim significat, ac si dixisset: Talem vitæ rationem ostendite, ut gaudendum sit. Quando igitur, quæ ad Deum pertinent, nullum apud vos impedimentum habuerint, gaudete. Ergo vel hoc dicit; vel vocula illa, *in*, valet idem atque, *cum*; id est, cum Domino semper. *Rursus dico, Gaudete.* Hoc valde fidentis est, atque ostendentis, ei qui in Deo est, semper gaudendum esse: etiamsi prematur ac quidvis patiatur, hic semper gaudet. Audi enim Lucam de apostolis dicentem, *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine ejus verberibus cædi* (*Act.* 5. 41). Si verbera et vincula, quæ præ cæteris videntur molesta, gaudium pariunt, quid tandem erit aliud, quod nobis afferre dolorem queat? *Rursus dico, Gaudete.* Recte verba ista geminavit: quia enim rerum natura dolorem pariebat, ex ista repetitione ostendit gaudendum omnino esse. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Dixerat paulo ante, *Quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Quoniam igitur verisimile erat fore, ut hinc Philippenses erga improbos infensum animum susciperent, propterea ipsos jam monet, ut nihil erga illos commune habeant, sed magna cum modestia utantur non fratribus solum, sed etiam inimicis et adversariis. *Dominus prope est: nihil solliciti sitis.* Quid enim causæ est, dic mihi, cur concidere animo debeatis? an quod in vos insurgunt, quodque eos in deliciis degere videtis? *Nihil solliciti sitis.* Jam imminet judicium, non longe erit cum factorum suorum rationem reddent. At vos in angustiis laboratis, illi vero deliciis diffluunt? Jam hæc finem habebunt. At insidiantur ac minantur? At non isthæc ipsis perpetuo ex sententia succedent: jam imminet judicium, tuncque omnia contra erunt; *Nihil solliciti sitis:* jam instat tempus reddendæ mercedis. Quod si erga eos, qui vos molestiis afficiunt, æquitatem animi adhibueritis, omnia evanescent, etsi paupertas, si mors, si quævis alia gravis calamitas urget; omnia cessabunt. *Nihil solliciti sitis; sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Una quidem consolatio est, *Dominus prope est*, et illud, *Ero vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Ecce alia consolatio, pharmacum, quod mœrorem omnem et ægritudinem, molestaque omnia propulsare potest. Quænam hæc est? Precari, in omnibus gratias agere. Quamobrem preces nostras non nudam petitionem esse vult, sed conjunctam cum gratiarum actione pro iis, quæ accepimus. Quomodo enim petet quis futura, qui de præteritis gratiam non habet? *Sed in omni*, inquit, id est, in omni re: *oratione et obsecratione.* Itaque de omnibus gratiæ habendæ sunt, etiam de iis quæ videntur molesta: id enim vere grati hominis est. Illud ipsa rerum natura postulat; hoc vero ab animo grato, valdeque erga Deum affecto proficiscitur. Has preces agnoscit Deus, alias vero ne nosse quidem vult. Hujusmodi igitur res precemini, quæ agnoscantur. Omnia enim ad nostram utilitatem administrat, etiamsi id nos percipiamus. Atque magnam illa nobis afferre utilitatem, id argumento est, quod non percipimus. *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem intellectum, custodiet corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu.* Quid hoc est? Pax Dei, inquit, quam cum hominibus fecit, omnem exsuperat cogitationem. Quis enim exspectavit, quis speravit tanta adventura bona? Humanam omnem excedunt cogitationem, nec tantum orationem, pro inimicis suis, pro iis qui ipsum odio prosequebantur, qui aversabantur, pro iis tradere Filium unigenitum non recusavit, ut pacem nobiscum faceret. Hæc autem pax est, id est liberatio, caritas Dei, *Custodiet corda vestra et intelligentias vestras.*

2. Hoc præceptoris est, non tantum monere, sed etiam precari et per obsecrationem quoque auxiliari, ut neque a tentationibus obruantur, neque ab errore circumferantur: perinde ac si diceret, Qui vos eodem modo liberavit, quem neque mens ipsa assequi potest, is vos custodiat et muniat, ut nihil patiamini. Vel hoc igitur significat; vel istud, Pax illa de qua dixit Christus, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* 14. 27), ipsa vos custodiet. Hæc enim pax superat omnem humanam mentem. Quod si quæras, quomodo? audi. Quando jubet cum inimicis pacem habere, cum iis qui injuriam referunt, qui nos bello persequuntur, qui infestum erga nos animum gerunt; quomodo hoc non superat humanam mentem? Imo vero, si placet, hoc prius attendamus: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem mentem.* Si pax superat omnem mentem, multo magis Deus ipse qui pacem dat, omnem superabit cogitationem, non solum nostram, sed etiam angelorum, et superarum potestatum. Quid autem est, *In Christo Jesu?* In ipso custodiet, ut perseveretis, nec de ipsius fide decidatis. 8. *De cætero, fratres, quæcumque sunt sancta, quæcumque vera, quæcumque justa.* Quid significat, *De cætero?* Id est, omnia jam nobis sunt dicta. Verbum est properantis, et nihil cum rebus præsentibus commune habentis. *De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque sancta, quæcumque justa, quæcumque pudica, quæcumque amabilia, quæcumque honestæ famæ, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate.* 9. *Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me.* Quid sibi vult, *Quæcumque amabilia?* Amabilia fidelibus, amabilia Deo. *Quæcumque sunt vera.* Hæc enim merito dicuntur vera; id est virtus ipsa; vitiositas autem mendacium est: nam et voluptas ipsius comes, et gloria mendacium est, et mundana omnia nihil aliud sunt quam mendacium. *Quæcumque pudica.* Hoc illi opponitur, quod antea dixit, *Qui terrena sapiunt. Quæcumque sancta.* Hoc adversus illud, *Quorum deus ven-*

ter est *Quæcumque justa, quæcumque bonæ famæ*, hæc sunt, inquit, *Si qua virtus, et si qua laus*. Hoc loco vult ipsos ea etiam, quæ ad homines pertinent, curare. *Hæc cogitate*, inquit. Vides hoc Paulum agere, ut omnem pravam cogitationem ex animis nostris ejiciat? ex cogitationibus enim pravæ quoque actiones oriuntur. *Quæ et didicistis, et accepistis*. Hæc optima docendi ratio est, se ipsum in omnibus monitionibus formulam præbere : quemadmodum et alibi inquit, *Sicut habetis nos formam* (*Philipp.* 3. 17) ; et rursus hic, *Quæ et didicistis, et accepistis* ; id est, quæ ego vos docui ; *et audistis, et vidistis in me* ; id est quantum pertinet ad verba, et actiones, et vitæ consuetudinem. Vides ipsum omni de re hæc præcipere? Quando enim minime fas est de omnibus singillatim minuta quædam præcepta dare; de ingressu, de egressu, de verbo, figura, consuetudine familiari ; omnia autem hæc Christiano curanda sunt : breviter, et quasi summatim dixit, *In me audivistis, et vidistis* : perinde ac si diceret, Et factis et verbis vobis præivi. *Hæc agite*; non dicite solum, sed etiam facite ; *et Deus pacis erit vobiscum*. Id est, Si hæc servaveritis, et cum omnibus pacem habueritis, in tranquillo et tutissimo eritis loco; nihil molesti quodque minime velitis patiemini. Quandocumque enim nos cum Deo pacem habuerimus, habemus autem per virtutem, multo magis ipse nobiscum in pace erit. Qui enim ita nos amavit, ut vel ad refugientes accesserit; si accurrentes videat, nonne multo magis suam per se feret amicitiam? Nihil naturæ nostræ magis inimicum est, quam vitium. Quomodo autem inimicum sit vitium et amica virtus, multis argumentis constat : ac si vultis, primum id spectemus in uno ex iis quæ contraria sunt, id est in scortatione. Scortatio nos dedecoris plenos, pauperes, ridiculos facit, ac tales reddit qui ab omnibus contemnamur : hæc vero facere inimicorum est. Sæpe autem hæc et morbos et pericula affert : multi vero etiam scortatorum causa perierunt, et vulnera acceperunt. Quod si scortatio hæc affert; multo magis adulterium. Num igitur eodem modo eleemosyna? Neutiquam, sed perinde atque tenera mater filiolo magnam venustatem, decus, gloriam conciliat, facitque necessariis muneribus obeundis incumbere : non relinquit nos, neque a necessariis abducit, sed animum prudentiorem etiam reddit. Scortatoribus enim nihil imprudentius. Sed visne avaritiam inspiciamus? Et hæc eodem modo erga nos affecta est, quo inimici solent. Quomodo? Odium et hæc nobis ab omnibus conciliat; facitque ut omnes nos exsecrentur, et qui injuriam acceperunt, et qui non acceperunt : nam et illorum vicem dolent, et sibi ipsis metuunt. Quamobrem veluti communes quosdam hostes intuentur omnes, veluti feras, veluti dæmonas : sexcentæ undique accusationes, insidiæ, invidiæ, quæ quidem inimicorum sunt. Contra autem justitia omnes amicos, omnes usu conjunctos, omnes benevolos nobis facit; ab omnibus preces pro nobis funduntur : ita status noster in tuto collocatur; nullum periculum, nulla suspicio, sed et somnus securitatis plenus advenit ; nulla sollicitudo, nullus ejulatus.

3. Vides hanc longe meliorem esse? Quid, dic mihi, satiusne est invidere, an alienæ lætitiæ participem fieri? Hæc omnia expendamus ; ac sane inveniemus virtutem quidem, ut matrem vere amantem, afferre securitatem atque in tuto collocare, vitiositatem vero conjicere in pericula ; res enim omnino est periculorum plena. Audi prophetam dicentem : *Firmamentum est Dominus timentibus eum, et testamentum ipsius ut manifestetur ipsis* (*Ps.* 24. 14). Neminem timet, qui nullius mali sibi est conscius : nemini contra fidit, qui cum improbitate vivit, sed famulos etiam metuit, eosque cum suspicione intuetur. Ecquid dico famulos? conscientiæ ipsius tribunal ferre non potest : non solum quæ externæ sunt, sed internæ etiam ratiocinationes ipsum fodicant, nec quiescere umquam sinunt. Ergo, inquies, ita oportet vivere, ut laudem spectes? Non dixit Paulus, ad laudem specta, sed, Fac laudabilia, non spectans ad laudem. *Quæcumque vera* ; mendacium enim ista sunt, *quæcumque sancta*. Vox ista, σεμνόν, id est gravitas ad externam pertinet virtutem ; ἁγιον vero, id est pudicitia, animæ propria est. Nemini, inquit, date ullam offensionem, neque occasionem. Quoniam dixerat, *Quæcumque bonæ famæ*, ne existimes ad homines tantum spectasse, addit : *Si qua virtus, et si qua laus, hæc cogitate, hæc agite*. Perpetuo vult nos in his esse, hæc curare, hæc cogitare. Nam si nobiscum ipsi pacem servemus, Deus etiam nobiscum erit : sin bellum excitemus, Deus pacis minime nobiscum erit. Nihil enim æque hostiliter adversatur animæ, ac vitiositas; et nihil vicissim æque illam in tuto collocat, ac pax et virtus. Quamobrem incipiamus nostra præstare, tunecque Deum ad nos alliciemus. Deus non est belli et pugnæ deus. Depone igitur bellum et pugnam, cum erga Deum, tum erga proximum : pacificus esto erga omnes : cogita quibusnam Deus salutem det : *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur* (*Matth.* 5. 9). Qui tales sunt, perpetuo Filium Dei imitantur. Eumdem tu quoque imitare : pacem serva : quanto enim magis oppugnabit te frater, tanto major erit merces. Audi prophetam dicentem, *Cum iis, qui oderunt pacem, eram pacificus* (*Psal.* 119. 7). Hoc virtus est, hoc humana ratiocinatione majus, hoc nos prope Deum ponit.

Injuriarum oblivio commendatur. —Nihil æque Deum lætificat, atque injuriarum immemorem esse : hoc te a peccatis liberat, hoc delet crimina : quod si pugnemus ac luctemur, longe a Deo abimus. Ex pugna enim inimicitiæ oriuntur ; inimicitias sequitur injuriarum memoria. Excide radicem, et non erumpet fructus : ita discemus ea, quæ ad præsentem vitam pertinent, despicere. Non enim est, non est in rebus spiritualibus pugna ; sed quidquid ejusmodi videas exoriri, vel pugnas vel invidiam, sive quidvis aliud, rerum ad hanc vitam pertinentium causa exoriuntur. Nam vel ab alieni cupiditate, vel ab invidia, vel ab

inanis gloriæ studio initium sumit omnis pugna. Quare si pacem servaverimus, terrena etiam contemnere discemus. Eripuit quis pecunias? Sed nihil læsit, inquies, dummodo superas illas divitias ne eripiat. Impedivit gloriam tuam? At non eam, quæ apud Deum est, sed hanc nullius pretii : non enim hæc gloria est, sed nomen gloriæ, ac potius obscuritas. Eripuit tibi honorem? Imo non tibi, sed sibi ipsi. Nam sicut qui injuriam facit, non facit, sed accipit : ita qui proximo insidias parat, seipsum primum perdit (*Eccli.* 10. 8) : nam qui fodit proximo suo foveam, in ipsam incidit. Ergo non insidiemur alteri, ut ne nobis ipsi noceamus; cum alterius gloriam intervertimus, cogitemus nos ipsos esse, quibus noceamus atque insidias tendamus. Nam ei quidem, si nos plus potuerimus, apud homines fortasse nocemus; nos autem ipsos apud Deum lædimus, ipsum irritantes. Itaque non nobis ipsis noceamus. Nam ut injuriam proximo facientes, nobis ipsis facimus : ita ei benefacientes, nobis ipsis benefacimus. Cum tibi damnum attulit inimicus, cogitans beneficium potius, si sapias, tibi contulisse, non modo par illi damnum non inferes, sed etiam benefacies. At manet, inquies, vehementer inflicta plaga. Hoc igitur cogita, non illum esse cui benefacias, sed potius de illo quidem te supplicium sumere, tibi vero benefacere, ac cito huc adduceris, ut benefacias. Quid igitur? istumne in benefaciendo scopum proponere tibi debes? Non sane istum; sed quando cor tuum aliter flecti non potest, vel hac ratione ipsum adducito, ac brevi ipsi persuadebis deponere simultatem, et inimico posthac, tamquam amico benefacies, et futura consequeris bona : quibus utinam nos omnes fruamur, in Christo Jesu, etc.

HOMILIA XV.

Cap. 4. v. 10. *Gavisus sum in Domino vehementer, quoniam aliquando tandem refloruistis pro me sentire, sicut et sentiebatis, occupati autem eratis.* 11. *Non quasi propter penuriam dico : ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse.* 12. *Scio et humiliari, scio et abundare; ubique et in omnibus institutus sum, et satiari et esurire, et abundare et penuriam pati :* 13. *omnia possum in eo, qui me confortat, Christo.* 14. *Verumtamen benefecistis, communicantes tribulationi meæ.*

1. *Eleemosyna non accipientium, sed dantium causa inducta fuit.* — Sæpe dixi eleemosynam, non accipientium, sed dantium causa introductam esse : nam illi sunt, qui maximum quæstum faciunt. Hoc et nunc ostendit Paulus. Quomodo? Miserant ad eum quædam longo intervallo Philippenses, eaque ipsa Epaphrodito ad ipsum perferenda dederant. Istum igitur cum hac epistola remissurus, vide quomodo et ipsos laudet, et ostendat non tam ad accipientium, quam ad dantium utilitatem id redundasse. Hoc autem facit, ut neque qui benefaciunt in superbiam extollantur, sed ad benefaciendum alacriores fiant, quippe cum se ipsos magis juvent : et qui accipiunt, non licenter procurrant ad accipiendum, ut ne judicium accipiant : *Beatum* enim, inquit, *est magis dare, quam accipere* (*Act.* 20. 35). Quid ergo significat, dum dicit, *Gavisus sum autem in Domino vehementer?* Non mundi, inquit, atque hujus vitæ more gavisus sum, sed in Domino, non quoniam ego respiravi, sed quoniam vos profecistis : hæc enim mea recreatio est. Propterea etiam inquit, *Vehementer :* quoniam non erat corporeum gaudium, neque pro sua ipsius recreatione gaudebat, sed pro illorum profectu. Et vide, quomodo cum illos nonnihil de præterito tempore objurgasset, continuo id occultaverit, condocefaciens assidue et perpetuo versari in benefaciendo. *Quoniam tandem aliquando*, inquit. Illud, *Tandem aliquando*, longum tempus indicantis est. *Refloruistis*, quasi de arboribus germinantibus, deinde arefactis, ac rursus germinantibus. Hoc vero indicantis est, illos cum antea florerent, ac postea extabuissent, rursus vigere ac germinare cœpisse : quamobrem vox ista, *Refloruistis*, et objurgationem et laudem habet : non enim parum est, cum extabueris, reflorere. Totum vero id ex negligentia illis accidisse ostendit. *Pro me sentire, sicut et sentiebatis.* Hic ostendit consuesse illos in hujusmodi rebus liberaliter se gerere : propterea addit : *Pro me sentire, sicut et sentiebatis.* Ac ne putes ipsos etiam cæteris in rebus, cum promptiores essent, postea extabuisse, sed in hac sola, vide quam cavet, ita dicens : *Tandem aliquando refloruistis pro me sentire.* Perinde ac si diceret, De hac sola re illud, *Aliquando tandem*, accipi volo; in cæteris enim rebus non ita. Sed quæret hic quispiam cur qui dicit, *Beatum est magis dare, quam accipere;* et, *Quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et iis qui mecum sunt, ministraverunt manus meæ* (*Act.* 20. 34); et rursus ad Corinthios scribens, *Bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet* (1. *Cor.* 9. 15); nunc non curet gloriam istam suam evacuari, et ad nihilum recidere. Quomodo? Nimirum, dum accepit. Nam si gloria, inquit, mea hæc est, nihil accipere, quomodo nunc eo adducitur? Quid ergo dicendum est? Ibi jure optimo non accipiebat pseudapostolorum causa, *Ut in quo gloriantur*, inquit, *inveniantur, sicut et nos* (2. *Cor.* 11. 12). Non dixit, Sunt, sed, *Gloriantur;* hinc ostendens illos accipere quidem solitos, sed clam : propterea dixit, *In quo gloriantur.* Accipiebat autem et ipse, tametsi non ibi : propterea ipsemet dicebat, *Non infringetur gloriatio mea* (*Ibid. v.* 10). Et non solum dixit, *Non infringetur*, sed exponit etiam ubi, dicens : *In regionibus Achaiæ;* et rursus, *Alias Ecclesias exspoliavi, accipiens stipendia ad ministerium vestrum* (*Ibid. v.* 8). Hoc enim indicantis est, se accipere solitum. Verum Paulus quidem merito accipiebat, tantum operis habens : sed qui nihil agunt, quomodo possunt accipere? At preces, inquiunt, fundo. Sed non hoc est opus : licet enim id etiam simul cum opere facere. At jejuno. Sed neque hoc opus est. Vide beatum hunc

multis locis prædicantem, et operantem : *Occupati enim eratis*, inquit. Quid est, *Occupati eratis?* Non id, inquit, vestræ negligentiæ erat, sed necessitatis : non enim habebatis in manibus, non abundabatis ; hoc enim significat illud, *Occupati autem eratis*. Idque ex communi loquendi consuetudine accepit : ita enim plerique dicunt, cum non sibi satis ampla res est, sed in angustiis versantur. *Non quasi propter penuriam dico.* Dixi, inquit, *Aliquando tandem*, vosque objurgavi ; non quod rem meam quærerem, neque quod egerem ; non enim propterea quærebam. Sed unde ostendes, Paule, te non magnifice loqui? Corinthiis quidem ita dicebat : *Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legitis, aut etiam cognoscitis* (2. *Cor.* 1. 13). Atque istis etiam non ita dicebat, ut refelli posset. Non igitur, si se magnifice jactare voluisset, hæc diceret ; apud eos enim qui norant dicebat, ubi etiam argui turpius fuisset. *Ego enim didici*, inquit, *in quibus sum, sufficiens esse.* Ergo disciplinæ res est et exercitationis et curæ : non enim facilis est ad consequendum, sed valde difficilis, ac multo cum labore conjuncta. *In quibus sum*, inquit, *sufficiens esse : scio et humiliari, scio et abundare : ubique et in omnibus institutus sum.* Id est, Et paucis contentus esse scio, et famem ferre et egestatem. *Et abundare, et egere.* Næ, inquies ; sed hoc scientiæ non est neque virtutis, abundare. Imo vero maxime virtutis est, nec minus quam illud. Quomodo? Quoniam, quemadmodum egestas ad multa mala facienda adducit, ita et abundantia.

2. Multi enim sæpe, cum ad hanc rerum affluentiam pervenissent, socordes facti sunt, prosperitatemque ferre nescierunt : multis rerum copia occasionem cessandi dedit. Non ita Paulus : nam cum acciperet, in alios insumebat et effundebat. Hoc autem est scire uti re sua. Non remittebat diligentiam suam, non de abundantia sua lætabatur, sed eumdem se præstabat in egestate et abundantia, neque inde oppressus, neque hinc inflatus. *Scio*, inquit, *et satiari, et esurire ; et abundare, et penuriam pati.* Multi sunt, qui nesciunt saturari, quemadmodum Israelitæ ; illi enim comedebant, et calcitrabant (*Deut.* 32. 15). Sed eumdem, inquit, moderationem ac decorum servo. Ostendit neque nunc se voluptatem, neque antea dolorem cepisse, aut si ceperit, non sua ipsius, sed ipsorum causa : ipse quippe eodem se habebat modo. *Ubique enim, et in omnibus institutus sum.* Id est, In hoc longo tempore omnium rerum experientiam cepi, atque hæc omnia mihi bene processerunt. Sed quoniam id magniloquentiam redolebat, vide quo pacto quam primum corrigat : *Omnia*, inquit, *possum in eo, qui me confortat, Christo.* Non hoc, inquit, meum benefactum est, sed ejus qui vires dat. Sed quoniam, qui benefaciunt, si videant eum qui accipit non valde affici, sed despicere ea quæ dantur, negligentiores fiunt ; tunc enim libenter dant, cum putant se gratum accipiendo facere, illumque recreare : ne quis diceret, Si hoc solatium despicit Paulus, necesse est et hos negligentiores fieri ; vide quomodo rursus huic rei medeatur. Nam ex iis quæ dixerat, ipsorum spiritus compresserat ; in sequentibus vero alacritatem ipsorum incitat atque inflammat, dicens : *Verumtamen bene fecistis communicantes tribulationi meæ.* Vides quomodo seipsum segregaverit, et quomodo rursus conjunxerit? Hoc germanæ et spiritualis amicitiæ est. Non enim quia, inquit, necessitate minime premebar, ideo putetis me rebus vestris non eguisse : egeo propter vos. Quomodo igitur ærumnarum ipsius participes fuerant? Per hoc officium : quod etiam cum in vinculis esset, dicebat, *Socios gratiæ meæ omnes vos esse* (*Philipp.* 1. 7). Gratia enim est pati pro Christo, quemadmodum et alicubi ipse inquit : *Quia a Deo vobis gratia data est, non solum ut in eum credatis, sed etiam pro illo patiamini* (*Ibid. v.* 29). Quoniam enim illa nude dicta, apta erant quæ ipsis dolorem facerent ; propterea fovet et complectitur et laudat, verum et hoc moderate. Non enim dixit, Dantes, sed, *Communicantes ;* ostendens ipsos etiam lucrum fecisse, quandoquidem præmiorum facti erant participes. Non dixit, Leves reddentes ærumnas meas, sed, *Communicantes tribulationi meæ ;* quod quidem gravius ac decentius erat.

Pauli humilitas. — Vides Pauli humilitatem? vides animum generosum? Postquam ostendit se illorum opibus sua causa minime egere, tunc jam fidenter humilia etiam profert verba, atque ad ea descendit, quibus mendici utuntur, Quæ tua est dandi consuetudo. Nihil enim recusat vel facere vel dicere, dummodo quod vult recte conficiat. Quid autem hoc est? Ne putetis, inquit, impudentiæ fuisse verba, quod objurgarim ac dixerim, *Aliquando tandem refloruistis ;* neque etiam necessitatis : non enim quod egeam hæc dico, sed quid? Eo quod vobis valde confidam, atque hujus fidentiæ vos auctores estis. Vides quomodo ipsos curet et leniat? In vobis, inquit, causa est, qui ante alios ad hanc rem accurritis, ac nobis fidentiam datis, ut res hujusmodi vobis in memoriam redigamus. Et vide gravitatem : dum non mittunt, minime objurgat, ne videatur suam causam agere ; postquam vero miserant, tunc eos de præterito tempore objurgavit : atque illi æquo animo tulerunt : jam enim minime videbatur suum negotium gerere. 15. *Scitis*, inquit, *et vos Philippenses, quod in principio evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli.* Papæ! quantum encomium! siquidem Corinthii, itemque Romani, eo quod isthæc ab ipso audissent, invitantur : hi vero cum nulla adhuc Ecclesia cœpisset, inquit enim, *In principio evangelii*, tantam erga sanctum hunc ostenderunt animi propensionem ac studium, ut cum nullum exemplum propositum haberent, ipsi primi huic ferendo fructui initium darent. Neque dicendum est hæc illos fecisse, quod Paulus apud se maneret, atque beneficiorum causa quæ ab ipso acciperent : inquit enim, *Quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli.* Quid est, *Accepti?* quid vero est, *Communicavit?* cur non dixit, Nullam sibi Ecclesiam dedisse, sed, *Communi-*

cavit in ratione dati et accepti? Res enim hæc communicatio quædam est. Nam *Si nos*, inquit, *vobis spiritualia seminavimus, quid magnum, si nos carnalia vestra metamus* (1. *Cor.* 9. 11)? et rursus, *Vestra abundantia, ut illorum inopiam suppleat* (2. *Cor.* 8. 14). Vides quomodo communicaverint, in ratione dati, dando carnalia, et in ratione accepti, accipiendo spiritualia? Etenim quemadmodum vendentes et ementes inter se communicant, alter ab altero vicissim accipiens et dans; hoc enim est communicatio. ita sane et in hac re. Nihil enim, nihil hac negotiatione et mercatura est quæstuosius: nam fit quidem in terra, perficitur autem in cælo: et emptores quidem in terra sunt; emunt vero et paciscuntur ea quæ in cælis, terreno deposito pretio.

3. Verum non desperet quispiam: non sunt cælestia pecuniis proposita venalia: non illa pecunæ emunt, sed electio atque animus hominis pecunias projicientis, sed philosophia, sæcularium rerum despectus, humanitas, misericordia. Cæteroqui, si argento emerentur, quæ duo minuta projecit (*Luc.* 21), nihil sane magnum accepissset: nunc quoniam non argentum, sed electio hanc vim habebat, omnem illa animi propensionem afferens, omnia accepit. Itaque ne dicamus pecuniis regnum emi; non pecuniis, sed electione et voluntate, quæ per pecunias exhibetur. Ergo opus est, inquis, divitiis? Non divitiis opus est, sed certa voluntate: si hanc habeas, vel duobus minutis poteris regnum emere; sin minus, neque mille auri talenta tantumdem poterunt, ac duo minuta possunt. Cur? Quoniam cum multa habens pauciora dedisti, eleemosynam quidem fecisti, sed non tantam quantam vidua illa. Non enim tantam adhibuisti alacritatem et animi propensionem, atque illa: illa enim omnia sibi abstulit; potius autem non abstulit, sed omnia sibi ipsi donavit. Non enim aureis talentis regnum pactus est Deus, sed animi propensione; non morte, sed electione: non enim valde magnum est. Quid enim est animam unam dare? Unum hominem dedit; unus autem homo non par pretium est. 16. *Quia et Thessalonicam semel, et bis in usus mihi misistis.* Rursus magnum encomium: quandoquidem, cum in metropoli esset, ab exigua tamen civitate alebatur. Et vide; ne perpetuo se ex necessitate eximens, ipsos, quod antea dicebam, negligentiores redderet, cum tot modis ostendisset se non egere; nunc ex hoc solo id manifestum fecit, ita nimirum dicens, *In usus.* Non enim dixit, Meos, sed tantum, *In usus*, gravitatis scilicet et decori rationem habens, non ex hoc solo, sed etiam ex eo quod sequitur. Nam quoniam id humile quiddam esse non ignorabat, rursus correctione quadam communit: 17. *Non quod quæro*, inquit, *datum*: quod antea dixerat, *Non quasi propter penuriam dico*, idem significans: quamquam illud majus est, quam hoc. Aliud enim est, cum desit, non quærere; aliud, cum desit, ne deesse quidem putare. *Non quod quæro*, inquit, *datum, sed requiro fructum abundantem in rationem vestram*, non meam. Vides fructum illis colligi? Non mea, inquit, causa, sed vestra hæc dico, ad vestram salutem: ego enim dum accipio, nihil lucror; gratia dantium est. Dantibus enim illic est reposita merces, accipientibus vero hic consumuntur quæ accipiunt. Rursus cum encomio, et quodam egestatis sensu. Nam quoniam dixerat, *Non quæro*; ne rursus negligentiores faciat, inquit, 18. *Recepi autem omnia, et abundo.* Id est, per hoc donum quæ etiam omissa fuerant explevistis: quod illorum maxime incitare alacritatem poterat. Nam qui benefaciunt, quanto majores in philosophia progressus fecerunt, eo magis cupiunt eos, quibus benefecerunt, esse gratos. *Recepi omnia, et abundo.* Perinde ac si diceret: non solum quæ præterito tempore omissa fuerant, explevistis, sed etiam majorem in modum explevistis, atque exuberastis. Deinde ne hoc illis exprobrare videatur, vide quomodo locum muniat. Quoniam dixerat, *Non quod quæro datum*, et, *Tandem aliquando*, et ostenderat debitum id fuisse: hoc enim significat, ἀπέχω id est, recipio quasi censum, et fructus ex agro: rursus ostendit ipsos plus quam deberent præstitisse, et inquit: *Recepi autem omnia, et abundo; repletus sum.* Non absque causa, neque ex animi affectu hæc dico; sed quid? *Acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo.* Papæ! quo istorum munus evexit! Non ego, inquit, accepi, sed Deus per me. Quamobrem, etiamsi non egeam, non hoc tamen spectate: nam neque Deus egebat, et tamen accepit: adeo ut divina Scriptura non reformidarit dicere, *Odoratus est Dominus odorem suavitatis* (*Gen.* 8. 2.), quod sane lætantis est. Nostis enim, nostis, quantum ex odoris suavitate afficiatur anima nostra, quantum jucunditatis et voluptatis capiat. Non ergo recusavit Scriptura verbum adeo humanum atque humile Deo tribuere: ut hominibus ostenderet accepta ipsorum dona fuisse: non enim nidor neque fumus accepta faciebat, sed animus qui offerebat; alioqui Cain etiam dona fuissent accepta. Dixit igitur lætatum quoque Deum esse; et quomodo lætetur? non enim aliter homines didicissent. Ergo qui nullius rei est indigus, dicit valde se lætari, ut ne ex eo, quod non egeret, negligentes fiant. Cum vero sequenti tempore cæteræ virtutis obliti, his solis hostiis confiderent, vide quomodo rursus ipsos corrigit, dicens: *Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo* (*Psal.* 49 13)? Hoc et Paulus inquit, *Non quæro*, inquit, *datum* 19. *Deus autem meus impleat omnem necessitatem vestram secundum divitias suas in gloria in Christo Jesu.*

4. Vide quam etiam pauperum more bene precetur. Quod si Paulus bene precetur dantibus, multo minus nos hoc facere erubescamus, cum accipimus. Ne vero accipiamus, tamquam ipsi egeamus, neque nostra causa gaudeamus, sed ipsorum dantium. Ita et nobis erit merces et accipientibus, si ipsorum causa lætemur: ita neque indignabimur, cum non dederint, sed potius illorum vicem dolebimus: ita etiam alacriores reddemus, si doceamus, non nostra causa hæc a nobis fieri. *Deus autem meus*, inquit,

impleat omnem necessitatem vestram, alias πᾶσαν χάριν, vel, πᾶσαν χαρὰν, id est, *omnem gratiam*, vel, *omne gaudium*. Ac si quidem legatur, *Omnem gratiam*, hoc significat, non hanc solam eleemosynam quæ in terra, sed omne benefactum; sin, quod magis puto, *Omnem necessitatem*; hoc est, quod significare vult: quoniam dixerat, *Occupati eratis*, subjungit hic, quod etiam facit in Epistola ad Corinthios dicens, *Qui administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstet, et multiplicet semen vestrum, et augeat germina frugum justitiæ vestræ* (2. *Cor.* 9. 10). Nam et his hoc precatur, ut abundent et habeant unde seminent; et precatur, non ut quovis modo abundent, sed, *Secundum divitias suas*. Quamobrem et hoc moderate fecit. Nam si Paulo similes omnino fuissent, adeo philosophi, adeo crucifixi, non hoc sane effecisset: sed quoniam homines erant opifices, pauperes, uxores habebant, filios alebant, patres familias erant, atque ex tenuitate sua tamen hæc dederant, quadamque rerum præsentium cupiditate minime carebant; ita precatur, ut se ad illorum captum demittat. Iis enim qui hoc modo uterentur, nihil absurdi tantum precari, quantum illis satis sit atque ut abundent. Vide igitur, quid precetur: non dixit, Faciat divites, ac valde opulentos, sed quid? *Impleat omnem necessitatem vestram*, ut ne egeatis, sed habeatis quæ vobis opus sunt: quoniam et Christus formulam nobis precandi tradens, hoc precationi adjecit, docens ita dicere, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Matth.* 6. 11). *Secundum divitias suas*. Quid hoc est? Pro munificentia sua; id est, quod facile et cito possit facere. Ac ne existiment, quoniam dixi, *Necessitatem*, fore ut in angustias concludantur: propterea addidit, *Secundum divitias suas in gloria, in Christo Jesu*. Ita abundabunt, inquit, vobis omnia, ut in gloria ipsius sitis habituri. Vel igitur hoc sibi vult, fore ut nullius rei egeant; *Gratia* enim, inquit, *magna erat in omnibus illis, neque enim quisquam egens erat inter illos* (*Act.* 4. 33. 34): vel ut ad ipsius Dei gloriam omnia faciant; ac si diceret, Ut ad ipsius gloriam copiis suis utamini. 20. *Deo autem et Patri nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Hæc autem gloria non Filii solum, sed etiam Patris est: nam dum tribuitur Filio gloria, tribuitur quoque Patri. Etenim quoniam dixerat in Christi gloriam id fieri, ne quis putet ipsius tantum, addidit, *Deo autem et Patri nostro gloria*: hæc ipsa nimirum, quæ data est Filio. 21. *Salutate omnem sanctum in Christo Jesu*. Non leve et hoc: magnæ enim benevolentiæ est per literas etiam ipsos salutare. *Salutant vos qui mecum sunt fratres*. Attamen dicebas, *Neminem habeo unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit* (*Philipp.* 2. 20); quomodo igitur nunc dicis, *Qui mecum sunt fratres?* Hos qui cum ipso sunt, fratres vocat, ostendens, vel quod antea dixerat, *Neminem habeo unanimem*, non ad eos pertinere qui in urbe erant; quæ enim illis necessitas imposita erat, ut apostolica negotia susciperent? vel se non recusare, quin hos etiam fratres vocet; 22. *Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt.* 23. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis.* Erexit ipsos et confirmavit, ostendens ad Imperatoriam etiam domum pervenisse prædicationem. Nam si qui in regiis omnia propter cælorum Regem despexerant, multo magis id faciendum ipsis erat. Atque hoc etiam indicium erat Pauli caritatis, tam multa et magna de ipsis narrare, ut hinc qui in regia erant ad eos salutandos amore adducerentur, quos numquam viderant. Maxime enim, quoniam vexabantur fideles, magna tunc vigebat caritas. Quomodo? Nam qui longe inter se distabant, sibi tamen vicissim conjuncti erant; et qui procul aberant, perinde ac si prope essent, inter se salutabant, et singuli erga singulos veluti erga sua membra afficiebantur, æque pauper erga divitem, ac dives erga pauperem, neque ulla agnoscebatur præstantia, quod omnes æque in odio essent atque ejicerentur, iisdemque de causis. Quemadmodum enim, si ex diversis civitatibus captivi quidam profecti in eamdem veniant civitatem, valde se invicem complectuntur, communi illos consociante calamitate: ita etiam tunc societate incommodorum et asperitatum eos conjungente, magnam sibi mutuo caritatem præstabant.

5. *Ærumnarum utilitas. Calamitates in aula Imperatoria.* — Ærumna enim et tribulatio vinculum quoddam firmissimum est, caritatis accretio, compunctionis et pietatis occasio. Audi enim dicentem Davidem: *Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas* (*Psal.* 118. 71); et iterum alium prophetam dicentem, *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua* (*Thr.* 3. 27); et rursus, *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine* (*Psal.* 93. 12); et alium quemdam, *Disciplinam Domini ne despicias* (*Prov.* 3. 11); et, *Ascendens ad servitutem Domini, præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* 2. 1). Et Christus rursus discipulis suis dicebat, *In mundo pressuram habebitis, sed confidite* (*Joan.* 16. 33); et rursus, *Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit* (*Joan.* 16. 20); et rursus, *Angusta, et arcta via* (*Matth.* 7. 14). Vides ubique laudari tribulationem? ubique commendari, tamquam eam quæ nobis sit necessaria? Nam si in mundanis certaminibus sine ea nemo coronam accipit, nisi et laboribus et ciborum abstinentia et tota victus ratione, et vigiliis et sexcentis aliis incommodis se munierit; multo magis hic. Quem enim mihi afferes? regemne? At neque ille vitam curis solutam vivit, sed multis molestiis atque angoribus refertam. Non enim ad diadema spectes, sed ad sollicitudinum procellam, unde illi tumultus maximus exoritur; non ad purpuram, sed ad animam illa ipsa purpura nigriorem. Non æque corona ligat caput, atque animam sollicitudo. Non ad satellitum numerum specta, sed ad ægritudinum multitudinem: nullam enim privatam domum tot curis abundantem reperias, quot regiam. Mortes singulo quoque die imminentes a suis etiam ipsis; et ante mensam et ante potum ob oculos ver-

satur sanguis. Noctu vero dici non potest quam sæpe somniis ac visis excitati prosiliant. Atque hæc in pace : quod si bellum ingruat, eo magis sollicitudines intenduntur. Quid igitur tali vita miserabilius esse potest? Qualia autem a suis, sive iis qui sub ditione sua sunt, patiuntur? Etiamque certe cognato sanguine redundat semper regale pavimentum. Ac si vultis narrabo etiam quædam, et fortasse rem ita se habere intelligetis : ac potissimum quidem vetera dicam, quæ tamen adhuc memoria non exciderunt, quippe quæ nostris contigere temporibus. Quidam, ut aiunt, uxorem, de cujus adulterio suspicabatur, nudam alligavit montibus, ac feris exposuit, jam matrem sibi factam regum multorum. Quam illum putatis vitam vixisse? non enim nisi vehementi animi motu ductus, ad tantum supplicium sumendum descendisset. Hic vero idem suum ipsius filium interfecit (*a*); imo et hujus frater seipsum cum filiis suis. Fertur autem hic et fratrem ipsius e medio sustulisse. Atque hic quidem sibi ipse manus attulit a tyranno comprehensus; ille vero sobrinum suum una secum participem regni, quod ipse illi tradiderat. Alius autem uxorem vidit medicamentis e medio sublatam. Quoniam enim parere minime poterat, mulier quædam infelix et misera (infelix enim et misera est, quæ quod a Deo donandum erat, sua se credidit sapientia præstituram) præbitis medicamentis et reginam interemit, et ipsa simul interiit. Alius autem postea pharmacis venenatis sublatus est; poculumque ipsi fuit non jam potus, sed mors : et ipsius etiam filio oculus effossus est, metu sequentis temporis, plane immerenti. Alius vero nec quam ob causam, nec quam miserabiliter e vita excesserit, exponere satis honestum est. Eorum vero qui successerunt, alter quidem, perinde atque infirmus quidam et ærumnosus homo esset, combustus est cum equis et trabibus, cæterisque rebus omnibus; et uxorem viduam reliquit. Quas enim molestias in vita habuerit, ne dici quidem potest, quas ex eo tempore, quo arma sumpsit, subire coactus est. Alter vero, qui nunc rerum potitur, nonne ex quo diadema gestat, perpetuo versatur in laboribus, in periculis, in molestiis, in mœroribus, in calamitatibus, in insidiis (*a*)? At non hujusmodi cælorum regnum; sed postquam ipsum obtinueris, pax, vita, gaudium, lætitia. Cæterum quod dicebam, nulla hic vita est ærumnarum expers. Quod si in rebus etiam publicis regalis illa conditio, quæ omnium beatissima videtur, tot redundat calamitatibus : quid putas in privatis ac domesticis? Profecto quot alia mala exsistant, ne dici quidem potest : multæ hinc sæpe fabulæ compositæ sunt; omnes fere tragœdiæ et fabulæ, quæ aguntur in scena, ex regibus contextæ sunt. Pleraque enim, quæ in fabulis repræsentantur, ex veris rebus constant : ita enim et voluptatem habent : qualia Thyestea convivia (*b*), et quomodo omnis illa domus calamitatibus eversa est.

6. Sed hæc quidem ex ethnicorum libris cognovimus. Verum si vultis, Scripturas etiam, quæ idem doceant, proferemus. Saül primus regnavit : nostis autem et hunc sexcentis pressum ærumnis interiisse. Post illum David, Salomon, Abias, Ezechias, Josias itidem multis modis vexati. Nec omnino potest hæc vita sine laboribus, sine ægritudine, sine ærumnis duci. Sed nos etiam molestiis afficimur, non iisdem ex rebus ex quibus reges, sed unde magnum etiam facere possumus quæstum : *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur* (2. *Cor.* 7. 10). Pro his rebus mœrendum est, pro his dolendum, pro his ægritudo suscipienda : ita mœrebat Paulus, ita lugebat pro iis, qui peccabant : *Ex multa enim*, inquit, *tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas* (2. *Cor.* 2. 4). Nam quando nihil erat, cur pro suis lugeret, pro alienis hoc faciebat : vel potius quantum ad luctum hauriendum pertinet, propria illa ducebat. Cæteri incidebant in scandalum, et ipse urebatur : cæteri languebant, languebat et ipse. Bona est hæc ægritudo; hæc omni mundano gaudio potior. Eum qui ita lugeat, omnibus ego hominibus præpono : atque adeo ipse etiam Dominus hos beatos prædicat, hos qui alienum dolorem ut sibi communem lugent. Non æque ego Paulum ob pericula adita miror; imo non minus miror ob illa ipsa pericula, in quibus quotidie commoriebatur, sed hoc me magis evehit. Ab anima enim Dei amante

(*a*) Hoc loco Chrysostomus cædes et strages in Imperatoria aula et sua et patrum memoria peractas recenset, sed ut rumore terebatur, qui rumor sæpe a rei veritate deflectere solet. Tacitis porro nominibus, Imperatorum gesta memorat. Qui primus autem affertur, uxorem et filium necari tradidit, is est haud dubie Constantinus Magnus, qui filium Crispum, et postea Faustam uxorem interfici jussit. Feris illam nudam exposuisse dicit Chrysostomus. Sed alii scriptores illam in ferventiore balneo inclusam, jussu Constantini suffocatam fuisse narrant. Rem uti gesta fuit videre est apud Scriptores plurimos, accuratius vero apud Tillemontium. Sequentia nec cum historia vera, imo nec secum ipsa consistere possunt. Id vero narrare velle Chrysostomus videtur; nempe Crispi fratrem, scilicet Constantium Augustum, patris sui fratrem Julium Constantium, et filios ejus Dalmatium et Annibalianum interfici curavisse. Hi etenim a militibus occisi fuere, et ut quorumdam fert opinio, instigante Constantio Augusto, Constantini Magni filio. Addit postea fratrem ejus a tyranno comprehensum seipsum interfecisse. Nimirum Constans Augustus, Constantii frater, a tyranno Magnentio, qui imperium usurpaverat, vel potius a legato ipsius comprehensus occisus fuit : uno autem excepto Chrysostomo, nullus dicit ipsum seipsum interfecisse. Adjicit, ipsum nempe Constantium sobrinum suum occidisse. Is erat Gallus, qui a Constantio consors Imperii factus, ejus jussu anno 345 occisus est.

(*a*) Quod hic narravit Chrysostomus, tacitis pro more nominibus, de uxore Augusti cujusdam, quæ sterilis cum esset, pharmacis ad fœcunditatem obtinendam usa est; ipsaque cum illa pariter, quæ pharmaca dederat, interiit : de alio item Augusto, qui venenatis pharmacis sublatus est, et cujus filio oculus effossus fuit; deque alio, qui infausto modo periit : illa, inquam, omnia ad quos pertineant nondum assequi potui. Quod vero subjicit de alio qui cum equis, trabibus cæterisque omnibus combustus est, ad Valentem Augustum spectat. Qui cum, in pugna Hadrianopolitana victus, in domum quamdam se recepisset, cum ipsa domo in cineres redactus est. Quod dicit tandem de illo qui tunc imperabat (is erat Arcadius), verum omnino comprobatur ex historia illius ævi.

(*b*) Apud poetas et mythologos celebratur Thyesteum convivium. Thyestes enim Pelopis filius, cum Atrei fratris uxore concubuit : Atreus vero proprii filii carnes Thyestæ in epulas apposuit. Similes epulas et *OEdipeos concubitus* Christianis ethnici falso objiciebat, ut videas apud Justinum Martyrem, Athenagoram, Theophilum Antiochenum et Tertullianum.

et tenera proficiscebantur, a caritate quam Christus ipse quærebat, ex quodam naturæ consensu fraterno et patrio, ac potius utrisque istis majore. Hoc modo affici oportet, hoc modo flere : hujusmodi lacrymæ magno sunt refertæ gaudio; hujusmodi luctus causa lætitiæ est. Ac ne mihi dicas, Quid utilitatis afferunt meæ lacrymæ iis, pro quibus hoc facio? Nam etsi illis nihil prosimus, ac certe nobis ipsis proderimus. Nam qui sic pro alienis dolet, multo magis pro suis dolebit; qui aliena luget, is certe vitia et delicta sua non sine lacrymis abire sinet; imo non cito peccabit. Nos vero, quod omnium gravissimum est, jussi aliena peccata flere, ne in nostris quidem unum pœnitentiæ signum damus; sed sine ullo doloris sensu cadimus, et omnia curamus magis, omnia magis expendimus quam peccata nostra. Ideo gaudemus gaudium hoc inutile : quod cito perit, quod sexcentas parit ægritudines. Mœreamus igitur mœrore gaudii auctore, et ne gaudeamus gaudio ægritudinis parente : emittamus lacrymas multum voluptatis seminantes, et non rideamus risu, qui stridorem nobis dentium gignat : afflictemus nos afflictatione illa unde requies exsistit, et ne delicias quæramus ex quibus ærumna et dolor. Ad breve tempus in terra laboremus, ut perpetuo nos oblectemus in cælis : in caduca hac vita nos ipsi afflictemus, ut in infinita illa requiem consequamur : non diffluamus deliciis in hac brevi, ne in illa infinita suspiremus. Annon videtis quot homines hic etiam rerum ad hanc vitam pertinentium causa angantur? Existima te quoque unum ex illis esse, et fer ærumnam ac dolorem, spe futurorum bonorum nutritus. Non tu es Paulo melior, non Petro : quibus numquam otium datum est; qui in fame et siti et nuditate totam vitam confecerunt. Si eadem atque illi vis consequi, cur contrariam insistis viam? si ad civitatem illam vis pervenire, qua illi digni facti sunt, illam persequere viam quæ illuc fert. Non illuc otii fert via, sed ærumnæ : illa lata, hæc angusta est. Hac iter faciamus, ut consequamur æternam vitam in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri simulque sancto Spiritui gloria, imperium, honos, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD HOMILIAS S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

Hasce Conciones Constantinopoli habitas fuisse, clare indicat Chrysostomus, cum dicit in fine homiliæ tertiæ se episcopum in throno sedere. Facile quoque videtur esse annum assignare, quo hæc concionatus est sanctus doctor. Ex iis enim, quæ dicit homilia septima, numero 3, indicare omnino videtur Eutropium Eunuchum, licet tacito nomine de illo agat, hoc ipso tempore de gradu dejectum et expulsum. Quis enim alius, quæso, fuerit *ex numero eunuchorum*, qui heri in tribunali sedebat, qui clamantibus et prævils præconibus per forum incedebat, ambitiose sui terrorem incutiens : quique hodie ex tanta fortuna dejectus, ab omnibus desertus, vilis et nudus tamquam pulvis eventilatur? Quis, inquam, alius hic fuerit quam Eutropius Eunuchus, cui isthæc omnia acciderunt? Quia vero de Eutropio ille sic tacito nomine loquitur, tamquam post suum ex tanta fortuna lapsum adhuc in vivis versante; Eutropius vero post tantum casum in Cyprum statim relegatus, haud diu postea inde eductus et capite truncatus fuit anno vertente 399 : hinc sequitur in annum 399 conferendam esse hujus homiliæ prædicationem.

Aliud etiam in homilia secunda, num. 4 occurrit, unde temporis notam expiscari possimus. Dicitur namque isthic : *Quis exspectasset ea, quæ nunc eveniunt in diversis locis, terræ motus et urbium eversiones?* Hi tanti terræ motus in annum 398 referuntur, ut pluribus dicetur in vita Chrysostomi, quam paramus. Neque pugnat illud cum anni 399 nota certa quam modo posuimus. Avertendum namque est, illud quod de Eutropio dicitur in homilia septima occurrere; quod autem de terræ motibus in homilia secunda. Potuit autem homilia secunda aliquanto tempore, imo aliquot mensibus homiliam septimam præcessisse, cujus rei exempla non pauca suppetunt. Ad hæc vero illud, *quæ nunc eveniunt*, non ita ad literam accipiendum est. Illæ enim tantæ calamitates etiam hodierno more diu dicuntur nunc evenire; damna namque importata manent et saltem per annum, nunc, ex recepto more, accidisse dicantur. Adde verisimile esse illos terræ motus et urbium eversiones aliquanto tempore perseverasse.

Harum homiliarum stylus atque dictio multis in locis concisa est, etiamque intricata, vix ut possit intelligi; sed quia ad auditorum captum accommodata erat, nihil dubium est, ea quæ nobis intercisa et captu difficilia videntur, non perinde Constantinopolitanæ plebi, huic dicendi generi assuetæ, obscura fuisse.

In hisce porro concionibus multa discimus de ritu Ecclesiæ Constantinopolitanæ in Liturgia; interque alia dicitur pacem innumeris pene vicibus inter orandum petitam fuisse. Quædam etiam occurrunt de Ecclesiæ opinione atque sententia; exempli causa de angelis custodibus, qui singuli singulis hominibus ad tutelam assignantur.

Ut erat Chrysostomus verax, æqui amans, et ad carpenda vitia pronus, ne Imperatori quidem parcit; sed Theodosium magnum, licet tacito nomine, carpit hom. septima, n. 3, quod Antiochenam civitatem, of-

fensus, perdere ac destruere voluerit. Imperatricem vero, Eudociam nempe, non leviter insectatur hom. decima, num. 4 et 5, ob luxum nimium et profusos in vestes aureas sumptus, qui membris Christi pauperibus tegendis atque fovendis deputandi erant. Ex hac porro tanta dicendi libertate, quid demum sancto doctori acciderit, ignorat nemo, et nos pluribus recensuimus in ejusdem Vita.

Non deerant oratori strenuo, dicaci, æqui bonique cupido, quæ in Constantinopolitanorum moribus carperet et insectaretur. Nam divitum tantus erat luxus, tanti in mensis apparatus atque sumptus, ut non sine stupore legantur ea quæ ille in homilia prima, num. 4 recenset. Plebem autem, imo Constantinopolitanos omnes jure objurgat et incessit; quod multi omnia humana fato ferri dicerent atque putarent, ideoque Dei providentiam nihil curarent; quod plurimi resurrectionem negarent; quod observationes dierum apud illos vigerent: hoc vero genus superstitionis diu multumque in occidentalibus etiam partibus invaluit, ut alibi demonstravimus. Ligamina etiam, quæ græce περίαπτα dicuntur, et alias multas superstitiones apud illos observari dicit hom. octava, num. 5. Morem quoque omnino damnandum insectatur, quod nempe Constantinopolitani meretricum cuneos ad nuptias celebrandas advocarent.

Singulare omnino est id quod dicit hom. septima, num. 5, nempe regem Persarum illo ipso quo Chrysostomus concionabatur tempore, barbam habuisse auream. Prolixam certe, densam et adjectitiam fuisse regum Persarum barbam exemplis et schematibus confirmatur in Antiquitate explanata Tom. 3; hic vero adjicitur eam fuisse auream.

Interpretationem Latinam Gentiani Herveti plurimis in locis castigavimus.

SANCTI PATRIS NOSTRI
JOANNIS CHRYSOSTOMI,

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES COMMENTARIUS (a).

HOMILIA I.

Cap. 1. v. 1. *Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater,* 2. *iis qui sunt Colossis sanctis et fidelibus fratribus in Christo Jesu,* 3. *gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.*

1. Sanctæ quidem sunt omnes Epistolæ Pauli; aliquid autem habent amplius eæ, quæ illo vincto mittuntur, cujusmodi sunt Epistolæ ad Ephesios, ad Philemonem, ad Timotheum, et hæc præsens: nam ea quoque missa est cum esset in vinculis, sicut scribens dicebat: *Propter quod etiam vinctus sum, ut manifestem illud ita ut oportet me loqui* (*Col.* 4. 3. 4). Sed hæc videtur esse posterior Epistola ad Romanos. Nam illam quidem scripsit cum Romanos nondum vidisset, hanc autem cum jam vidisset, et jam esset in fine prædicationis. Illinc autem est perspicuum: dicit enim in Epistola ad Philemonem, *Cum sis talis ut Paulus senex* (*Philem.* 9), et rogans pro Onesimo: in hac autem mittit ipsum Onesimum, sicut dicit, *Cum Onesimo fideli et dilecto fratre* (*Col.* 4. 9); fidelem et dilectum, et fratrem eum vocans. Quamobrem confidenter dicit in hac Epistola: *A spe evangelii quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura quæ sub cælo est* (*Ibid.* 1. 23). Jam enim tempus habebat prædicatio. Hac ergo existimo esse posteriorem Epistolam ad Timotheum, quæ circiter ejus mortem scripta fuit: illic enim dicit, *Ego enim jam delibor* (2. *Tim.* 4. 6). Est vero hæc epistola antiquior illa quæ scripta est ad Philippenses: illic enim tunc erat, vinculorum quæ fuerunt Romæ habens initium. Cur ergo dico has epistolas plus habere quam alias? Propterea, quod eas scriberet cum esset in vinculis: ut si vir fortis scriberet, a cædibus interim desistens et tropæis, sic ipsis quoque faciebat. Sciebat enim ille hoc esse magnum; ad Philemonem enim scribens, dicit, *Quem genui in vinculis meis* (*Philem.* 10). Hæc autem dixit, ne in rebus adversis et asperis dolore afficiamur; sed etiam lætemur. Illic erat apud eos Philemon: etenim illic scribens dicit, *Et Archippo commilitoni nostro* (*Ibid.* 2); et hic, *Dicite Archippo* (*Col.* 4. 17). Videtur porro huic fuisse mandatum aliquod munus Ecclesiæ. Nec hos autem viderat, neque Romanos, neque Hebræos, quando ad eos scribebat. Atque de illis quidem multis in locis id significat: de his autem audi eum dicentem: *Et quicumque non viderunt faciem meam in carne*; et rursus, *Et si absum carne, spiritu tamen sum vobiscum* (*Col.* 2. 1, 5). Ita noverat ubique rem magnam esse suam præsentiam, et se semper etiam absentem tamquam præsentem exhibet et sistit: et quando punit fornicatorem, vide quomodo se judicio tamquam præsentem sistit: nam *Ego quidem,* inquit, *tamquam absens corpore, præsens autem spiritu, jam*

(a) Homiliæ in Epistolam ad Colossenses collatæ sunt cum Codice Regio 1955, et cum Colbertinis 909 et 4122.

judicavi tamquam præsens; et rursus, *Veniam ad vos, et cognoscam non sermonem eorum qui sunt inflati, sed virtutem* (1. *Cor* 5.3 *et* 3.19); et rursus, *Non solum dum adsum apud vos, sed multo magis dum absum* (*Gal.* 4.18). *Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei.* Operæ pretium est autem dicere etiam argumentum quod invenimus ex epistola. Quodnam autem est hoc? Per angelos ad Deum accedebant, observationes habebant multas et Judaicas et Græcas seu ethnicas. Hæc ergo corrigit : propterea et in initio dicit, *Per voluntatem Dei.* Ecce rursus illud, *per*, posuit. *Et Timotheus frater*, inquit. Ergo ipse quoque erat apostolus. Consentaneum autem erat eum quoque fuisse notum *Sanctis qui sunt Colossis*, quæ quidem erat civitas Phrygiæ, idque constat ex eo quod sit propinqua Laodiceæ. *Et fidelibus fratribus in Christo.* Undenam, inquit, dic rogo, factus es sanctus? undenam vocaris fidelis? annon quod per mortem Christi fuisti sanctificatus? annon quod credis in Christum? Undenam factus es frater? non enim in opere, neque in sermone, neque in recta actione apparuisti fidelis. Undenam sunt tibi, dic quæso, tam multa credita mysteria? nonne propter Christum? *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro.* Undenam vobis gratia? undenam pax? *A Deo*, inquit, *Patre nostro.* Atqui in hac non posuit nomen Christi. Dicam eis qui calumniis insectantur Spiritum : undenam Deus Pater servorum? quis ex servis tam magna gessit et præclara? quis te sanctum fecit? quis fidelem? quis filium Dei? Qui te fecit fide dignum, is quoque fuit causa ut tibi omnia crederentur.

2. Fideles enim vocamur, non solum propterea quod credamus, sed etiam quod a Deo credita nobis sint mysteria, quæ ne angeli quidem ante nos noverunt. Sed indiscriminatim hæc sic ponebat Paulus. *Gratias agimus Deo Patri Domini nostri Jesu Christi.* Mihi videtur omnia Patri attribuere, ita ut non statim eis exponat orationem. *Semper pro vobis orantes.* Non sólum per gratiarum actionem, sed et per perpetuam orationem ostendit dilectionem, quod etiam quos non viderat semper apud se habebat. [4. *Audientes fidem vestram in Christo Jesu.* Cum superius dixerit, *Domini nostri*, hic, *Jesu Christi*, ait. Ipse est Dominus, inquit : neque dixit, Servi Jesu Christi : quæ quidem manifesta sunt beneficii symbola : *Ipse enim*, inquit, *salvabit populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* 1. 21)] *Audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem quam habetis in omnes sanctos.* Jam eos sibi conciliat et captat benevolentiam. Epaphroditus est qui hæc renuntiat ; mittit autem epistolam per Tychicum, cum illum apud se detinuisset. *Et dilectionem*, inquit, *quam habetis in omnes sanctos :* non in hunc aut illum : ergo in nos quoque. 5. *Propter spem, quæ reposita est vobis in cœlis.* Futura, inquit, bona. Hoc adversus tentationes, ne hic quoque quærant quietem et otium. Nam ne quispiam diceret : Et quid lucri ad eos redit ex dilectione in sanctos, cum ipsi angantur et dolore afficiantur? Lætamur, inquit, quod in cœlis magna et præclara vobis conciliatis. *Propter spem*, inquit, *repositam.* Rem ostendit firmam et stabilem. *Quam audiistis in verbo veritatis.* Hoc dicto carpit illos, quod cum longo tempore eam habuerint, desciverint et sint mutati. *Quam prius*, inquit, *audiistis in verbo veritatis evangelii.* Et jure verbo fert testimonium veritatis, quod in eo nihil sit falsi. *Evangelii.* Non dicit, Prædicationis, sed vocat evangelium, perpetuo eis in memoriam revocans Dei beneficia ; et cum eos prius laudasset, tunc hæc revocat in memoriam. 6. *Quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo.* Jam eis gratificatur. *Quod pervenit* autem, dicit metaphorice. Non enim accessit et recessit, sed mansit et est illic. Deinde quoniam maxime confirmantur multi ex eo, quod multos habeant dogmatum socios, propterea subjunxit : *Sicut et in universo mundo.* Ubique adest, inquit, ubique dominatum obtinet, ubique stat. *Et fructificat et crescit, sicut in vobis.* Fructificat per opera, augetur quod multos assumat, quod magis firmetur ac stabiliatur. Etenim plantæ quoque tunc densæ fiunt, quando planta fuerit firmata ac stabilita. *Sicut in vobis.* Auditorem laudibus præoccupat, ut ne invitus recedat. *Ex ea die qua audivistis.* Est mirabile quod cito accessistis et credidistis, et statim a principio fructus ostendistis. *A quo die audivistis, et cognovistis gratiam Dei in veritate.* Non in sermone, inquit, neque in deceptione, sed in ipsis factis. Hoc ergo dicit *Fructificat;* vel signa et miracula quod simul accepistis, et gratiam Dei cognovistis. Cum ergo suam statim ostenderat virtutem, quomodo non est difficile ut ei nunc non credatur? 7. *Sicut didicistis ab Epaphra carissimo conservo nostro.* Eum verisimile est illic prædicasse : didicistis evangelium. Deinde ostendens eum esse fide dignum, dicit : *Conservo nostro. Qui est fidelis pro vobis minister Christi*, 8. *qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu.* Ne dubitetis, inquit, de spe futura : videtis orbem terrarum converti. Et quid opus est dicere quæ fiunt inter alios? quæ sunt inter vos ipsos, sunt ipsa quoque sine illis fide digna. *Cognovistis* enim *Dei gratiam in veritate;* hoc est, in factis. Quamobrem duo sunt quæ futura confirment, et quod omnes crediderint, et quod vos : et non alia quidem facta sunt, alia autem dixit Epaphras. *Qui est*, inquit, *fidelis ;* hoc est, verax. Quomodo, *Pro vobis minister?* Quod ad ipsum accesserit, et nobis, inquit, ostenderit vestram dilectionem in spiritu ; hoc est spiritualem in nos. Si hic est Christi minister, quomodo dicitis vos adduci et conciliari per angelos? *Qui nobis etiam*, inquit, *manifestavit dilectionem vestram in spiritu.* Hæc est admirabilis firmaque et stabilis dilectio : nam aliæ quidem solum habent nomen dilectionis. Sunt autem aliquæ non hujusmodi ; sed non est hoc amicitia : quamobrem ea est facile dissolubilis.

3. *Amicitiarum varia genera.* — Multæ sunt occasiones conciliandæ amicitiæ : et turpes quidem prætermittemus : nemo enim nobis objiciet illas non esse malas ; sed si vultis, in medium adducamus naturales et quæ ad hanc vitam agendam pertinent. Atque hæ quidem ad hanc vitam pertinent : verbi gratia, cum de aliquo quispiam est bene meritus, cum amicum

paravit a majoribus, cum fuit socius mensæ aut peregrinationis, aut est vicinus : sunt hæ quoque pulchræ et honestæ : aut est ejusdem artis : atque hæc quidem non est sincera; habet enim æmulationem quamdam et invidiam. Naturales autem, ut puta patris erga filium, filii erga patrem, fratris erga fratrem, avi erga nepotem, matris erga filios ; si vultis autem, uxoris quoque erga maritum : omnes enim matrimoniales sunt ad vitam pertinentes et terrestres. Hæ quidem videntur illis esse vehementiores : videntur autem, dixi, quia sæpe a memoratis superantur. Et aliquando quidem visi sunt amici melius et sincerius affecti quam fratres, et quam filii in parentes : et qui fuit quidem genitus, non opem tulit; qui autem eum non cognovit, adfuit et opem tulit. Dilectio autem spiritualis est omnium suprema, veluti quædam regina, quæ in suos dominatum obtinet, honestaque est specie pulchroque habitu : nihil enim terrestre eam parit sicut illam, non consuetudo, non beneficium, non natura, non aurum, sed a supernis descendit e cælo. Et quid miraris, si beneficio non eget ut consistat, cum ne si mali quidem quidquam accipiat evertatur? Quod autem hæc sit illa major, audi Paulum dicentem : *Optarem ego ipse esse anathema a Christo pro fratribus meis* (*Rom.* 9. 3). Quis hoc pater optaverit, esse in malis? Et rursus : *Resolvi, et esse cum Christo longe est melius; manere autem in carne est magis necessarium propter vos* (*Philipp.* 1. 23. 24). Quænam mater hæc voluisset dicere, ut sua despiceret? Et rursus audi eum dicentem : *Orbati enim a vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde* (1. *Thess.* 2. 17). Et hic quidem pater contumelia affectus, solvit amicitiam; illic autem non itidem, sed et ad illos qui lapidibus appetebant abiit, eos beneficio affecturus. Nihil est enim, nihil æque validum, ut vinculum spiritus. Qui enim quod sit beneficio affectus, evasit amicus; si hoc perpetuo non fiat, erit inimicus : qui ex consuetudine erat individuus, interrupta consuetudine exstinxit amicitiam. Mulier rursus, si fuerit lis ac dissensio, dimittit maritum et solvit amorem : filius, si diu viventem viderit patrem, ægre fert. In spiritu autem ejusmodi nihil est : nullo enim horum solvitur, quoniam iisdem non constat ; neque tempus, neque vitæ longitudo, nec malum pati vel audire, non ira, non contumelia, neque quidquam aliud invadit, neque eam potest dissolvere. Et ut scias, lapidibus appetebatur Moses, et pro ipsis rogabat (*Exod.* 17). Quis pater hoc fecisset pro eo qui lapidibus appeteret, et non ipsum obruisset lapidibus? Has persequamur et quæramus amicitias quæ sunt ex spiritu : sunt enim fortes et solutu difficiles; non eas quæ ex mensis oriuntur : nam illas vetamur inducere. Audi enim Christum dicentem in Evangelio : *Non invitaveris amicos tuos, neque vicinos tuos, si feceris convivium, sed claudos et mancos* (*Luc.* 14. 12. 13); et merito : est enim magna pro his merces. At non potes, non sustines convivari cum claudis et cæcis ; sed existimas hoc esse grave et molestum, et recusas? Certe id vitare non oporteret, sed id facere non est necesse. Si non feceris eos tecum considere, e mensa tua ad eos mitte cibum. Nam qui amicos invitat, nihil magnum facit ; hic enim accepit mercedem suam : qui autem invitat mutilum et pauperem, habet Deum debitorem. Ne ergo ægre feramus quando non hic acceperimus, sed quando hic acceperimus ; nam illic non accipiemus. Similiter, si homo reddiderit, Deus non reddit; si hic non reddet, tunc reddet Deus. Ne ergo illos quæramus beneficio afficere qui possunt nobis reddere ; neque hac spe eis benefaciamus : frigida est hæc cogitatio. Si amicum invitaveris, ad vesperam usque est gratia : propterea temporanea hæc amicitia citius solvitur, quam expensæ diffluunt. Pauperem autem et mancum si invitaveris, numquam peribit gratia : Deum enim qui semper meminit, et numquam obliviscitur, habes ipsum debitorem. Quam pusilli autem et mollis, dic quæso, est animi, non posse considere cum pauperibus? Quid dicis? Est immundus, inquit, et sordidus. Lava eum, et duc ad tuam mensam. At sordida habet vestimenta? Muta, et da mundam vestem.

4. *Mensa pauperum divitum mensæ anteponenda est. Luxuriosæ mensæ descriptio.*—Non vides quantum sit lucrum? Christus per ipsum accedit, et tu pro hoc parcus es? Regem ad mensam invitans, pro his times? Ponantur duæ mensæ; et altera quidem his repleatur, et habeat cæcos, debiles et claudos, manibus et tibiis mutilatos, nudis pedibus et absque calceis, una tunica indutos eaque detrita : altera autem habeat potentes, exercituum ductores, toparchas, magnos principes, pretiosis indutos vestibus subtilibusque telis lineis, zonisque cinctos aureis. Rursus hic in mensa pauperum nec sit argentum, nec vini multum, sed quod satis sit et possit exhilarare : pocula autem et vasa relicta confecta sint ex vitro solo. Illic autem in mensa divitum vasa quidem omnia sint ex argento et auro, et ne unus quidem ferat semicircularem mensam (*a*), sed duo adolescentes vix eam moveant : sit et phiala aurea pondo dimidii talenti, quam vix duo juvenes movere possint; et ordine sitæ sint amphoræ longe melius quam argento, nempe auro splendentes : sit etiam semicircularis mensa, molli stragula undique strata. Rursus hic quidem sint multi ministri accumbentium, non minus ornati vestibus et splendide amicti, et anaxyridas seu quas braccas vocant laxas habentes, visu quidem pulchri, in ipso autem flore ætatis luxuriantes et bene curata cute, et bonæ habitudinis; illic autem sint duo soli ministri omnem hunc fastum conculcantes : et sint quidem illis cibi lauti et opipari; his autem quantum satis sit ad satiandum appetitum et se recreandum. Satisne dixi?

(*a*) Hic agitur de mensa illa semicirculari, crescentem lunam referente, quam Martialis et quidam alii Sigma vocant, quia literam C. sigma refert : sigma enim sic Martialis tempore ut plurimum exarabatur. Isthæc mensæ forma diu post Martialis ævum in usu fuit. Guillelmus enim Dux Normanniæ, qui anno 1066 Angliam subegit, ad hujusmodi mensam accumbens repræsentatur in Monumentis Monarchiæ Francicæ Tomi secundi initio. Vide quæ de hujusmodi mensa dicta sunt in Antiquitate explanata Tom. 3, pag. 111

an exacte et accurate structæ sunt ambæ mensæ ? deestne aliquid ? Ego quidem non opinor : nam et invitatos recensui, exposuique quam pretiosa et magnifica essent vasa, stragula et cibaria. Sed et si quidquam prætermisimus, in oratione progredientes id inveniemus. Age ergo, quoniam quod oportuit et decuit decus et ornamentum accepit utraque mensa, videamus ubinam vos accumbetis. Nam ego quidem vado ad mensam cæcorum et claudorum : plures autem ex vobis eligent hanc fortasse mensam ductorum exercitus quæ est splendida et hilaris. Videamus ergo utra sit majori repleta voluptate ; nondum enim futura inquiramus : nam in illis quidem hæc mea est superior. Quare ? Quoniam hæc quidem Christum habet accumbentem ; illa autem homines : hæc Dominum, illa servos. At de his nondum agitur ; sed videamus utra majorem habeat voluptatem in præsentia. Et in hac quidem major est hæc voluptas : nam cum rege accumbere majorem affert voluptatem, quam cum servis. Sed hoc quoque mittamus, et rem ipsam per se examinemus. Ego itaque, et qui mecum hanc mensam elegerunt, cum magna libertate et animi tranquillitate et delectatione, et dicemus, et audiemus omnia ; vos autem trementes et formidantes, et eos qui accumbunt reverentes, ne manum quidem audebitis extendere, tamquam in pædagogi ludum literarium ingressi, non ad prandium, tamquam sævos dominos horrescentes. Sed non sic illi. At magna, inquit, res est honor. Atqui ego quidem majori sum in honore : nam vestra major apparet vilitas, cum etiam ejusdem mensæ participes, proferatis verba servorum. Etenim tunc maxime apparet servus, cum accubuerit cum domino : nam ille quidem est ubi ei esse non conveniebat, ex familiaritate non tantum habens honorem, quantam dejectionem ; tunc enim valde humilis redditur et abjectus. Servum enim per se videris esse splendidum, et per se splendidum esse pauperem, at non quando ambulat cum divite : humile enim quando fuerit prope sublime, tunc apparet humile ; et comparatio humile reddit humilius, non altius. Ita vos quoque humiliores reddit et abjectiores cum illis accumbere : sed non nos. In duobus quidem illos superamus, nempe in libertate et honore, cum quibus nihil potest conferri, quod attinet ad voluptatem. Nam ego quidem malim solum panem sumere cum libertate, quam innumerabiles cibos cum servitute. *Melius est vocari ad olera cum caritate, quam ad vitulum saginatum cum odio* (*Prov.* 15. 17). Nam quidquid illi dixerint, necesse est ut qui adsunt laudent, vel offendant, se gerentes tamquam parasitos, imo vero illis pejus. Nam eis quidem, et si cum probro et ignominia contumelia afficiantur, non deest tamen libertas loquendi : vobis autem ne hoc quidem adest. Sed ejusmodi quidem est vilitas et dejectio ; extimescitis enim et trepidatis : nullus autem habetur honor. Ergo illa quidem omni voluptate est privata, hæc autem plena est omni animi delectatione.

5. *Crapulæ malum et dedecus.* — Sed et ipsarum escarum naturam examinemus. Nam illic quidem necesse cuique est, etiamsi nolit, multo vino disrumpi : hic autem licet non comedere, nec bibere, si nolit. Quamobrem illic eam, quæ ex ciborum conditione oritur voluptatem, et præcedens adimit dedecus, et quæ satietatem sequitur molestia. Non minus enim quam fames, corpora corrumpit nobis et dolore afficit repletio et saturitas ; imo vero gravius : et quemcumque mihi dare volueris, cum facilius disrumpam repletione, quam fame. Re vera enim hæc est illa tolerabilior : quoniam famem vel viginti dies quispiam tulerit, repletionem autem ne duos quidem : et cum fame quidem assidue luctantes qui ruri degunt, sani sunt, nec egent medicis ; hanc autem, repletionem inquam, non illi tulerint nisi perpetuo accersant medicos ; imo vero illorum quoque auxilium sæpe superat hujus tyrannis Ergo, quod attinet ad voluptatem, hæc primas habet partes. Nam si honor quidem est jucundior, quam probro et contumelia affici ; et potestatem habere, quam esse subjectum ; et confidere, quam timere et tremere ; et frui iis quæ sufficiunt, quam supra modum immergi in fluctus deliciarum : hæc mensa illa est melior, etiam quod attinet ad voluptatem. Quinetiam quod ad sumptum attinet, hæc quoque est melior : nam illa quidem multum consumit, hæc vero nequaquam. Sed quid ? num iis solum qui accubant jucundior est hæc mensa, an etiam ei qui invitat, majorem affert quam illa voluptatem ? Hoc enim est, quod a nobis magis quæritur. Qui ergo illos invitat, multis ante diebus sese apparat ; et necesse est ut habeat negotia, curas et sollicitudines, ut qui neque nocte dormiat, neque interdiu quiescat, sed apud se multa confingat, loquens cum coquis, cum obsonatoribus, cum mensæ structoribus. Deinde cum ipse dies advenerit, videris ipsum magis timentem quam eos qui sunt pugnis decertaturi, ne quid fiat præter rationem, ne invidiæ fascino feriatur, ne inde multos accusatores sibi pariat. Hic autem est liber ab omni cura et negotio, mensam ipse per se parans, et non multis ante diebus de eo sollicitus. Et postea hic quidem statim amisit gratiam : ille autem habet Deum debitorem, et bona spe alitur, singulis diebus ex illa mensa convivans. Nam cibi quidem consumuntur, gratia autem non consumitur ; sed quotidie magis lætatur et exsultat, quam qui multo vino se ingurgitaverunt. Nihil enim animam æque nutrit atque bona spes et bona exspectatio. Sed videamus ea quæ postea sequuntur. Illic quidem sunt tibiæ et citharæ et fistulæ ; hic autem nullus dissonans modus ; sed quid ? hymni, psalmodiæ. Illic quidem hymnis celebrantur dæmones ; hic autem Deus omnium Dominus. Vides quidem quantæ sit hæc gratiæ ; in illam autem quantum cadat ingrati animi vitium, stuporque et sensus egestas ? Dic enim mihi, te Deus aluit suis bonis, et cum oporteret Deo gratias agere cum sis nutritus, tu introducis dæmones ? nam quæ canuntur fidibus non sunt aliud, quam dæmonum cantica. Et cum te oporteret dicere, Benedictus es, Domine, quia me nutrivisti ex bonis tuis ; tamquam infamis quidam canis ne meministi quidem, sed introducis dæmones ? Imo vero etiam

canes tam qui acceperunt quam qui non acceperunt, blandiuntur domesticis; tu autem ne hoc quidem facis. Canis, etiam non accipiens, blanditur domino; tu autem, etiam cum acceperis, adversus eum latras. Rursus canis, etiamsi alienus ei benefaciat, ne sic quidem desinit esse inimicus, neque allicitur ad amicitiam; tu autem mala innumerabilia patiens a dæmonibus, etiam ad prandia eos introducis. Quamobrem es duplo cane deterior. Recte autem in memoriam revocavi canes apud eos, qui tunc solum agunt gratias, cum affecti fuerint beneficio. Revereamini, rogo, canes, qui etiam fame laborantes adulantur dominis : tu autem, si audieris quod dæmon curavit quempiam, statim dimittis Dominum, o ratione minus prædite quam canes! At meretrices, inquies, dum aspiciuntur, voluptatem exhibent. Quam voluptatem? quam non infamiam et ignominiam? Lupanar facta est tua domus, furorque et œstrum : non te pudet ea vocare voluptatem? Atqui si liceat omni uti voluptate, majus est illud probrum, et major quæ ex ea accipitur molestia. Quomodo? Annon grave est te lupanar facere domum tuam, in qua homines veluti sues in cœno volutentur? Si autem non eo usque progrediatur, ecce rursus major est dolor; aspectus enim non est voluptas, quando non fuerit usus, sed majus desiderium et flamma vehementior. Sed vis scire finem? Illi quidem a mensa surgentes sunt insanis similes et furore percitis, audaces, iracundi, etiam mancipiis ridiculi : et famuli quidam discedunt sobrii, isti vero ebrii. O dedecus! Illic autem nihil ejusmodi, sed domum recedunt, cum mensam concluserint gratiarum actione, læti dormientes, læti expergiscentes, ab omni probro ac crimine liberi.

6. Si vis autem videre eos etiam qui sunt invitati, videbis hos quidem intus esse tales, quales illi extrinsecus, nempe cæcos, mutilos, claudos; et qualia sunt horum corpora, tales sunt illorum animæ, aqua intercute laborantes et inflammatione. Ejusmodi enim res est et arrogantia : nam post delicias fit mutilatio : res enim ejusmodi est repletio et ebrietas, claudos reddens et mutilos. At hos videbis tales habere animas, qualia isti corpora, splendidas, ornatas. Nam qui vivunt cum gratiarum actione, qui nihil amplius requirunt quam quod satis sit, qui sic philosophantur, in perpetua sunt lætitia. Videamus autem et hic et illic finem. Illic quidem est voluptas intemperans, risus effusus, ebrietas, scurrilitas, verborum obscœnitas; nam quia pudet loqui turpia, per meretrices pudor tollitur : hic autem est humanitas, benignitas, et mansuetudo. Atque illum qui dissolutos invitat, armat inanis gloria; alium autem humanitas, benignitas et mansuetudo. Nam illam quidem mensam constituit humanitas ac benignitas; hanc vero inanis gloria et crudelitas, ex injustitia et avaritia. Et illa quidem desinit in ea quæ dixi, in arrogantiam, in mentis emotionem, in insaniam; tale enim est germen vanæ gloriæ : hæc autem in gratiarum actionem, et Dei gloriam. Porro huic quoque major laus datur ab hominibus : nam illi quidem invident; hunc autem omnes habent tamquam communem patrem, etiam ii qui non sunt affecti beneficio. Ac sicut ii qui non sunt injuria affecti, condolent iis qui injuria affecti sunt, et communes hostes fiunt : ita etiam beneficio affectis junguntur ii qui beneficium non acceperunt, ac beneficium una laudant et mirantur. Illic multa est invidia, hic autem multa geritur cura, et bene precantur omnes. Et in hoc sæculo res ita se habent : illic autem cum Christus advenerit, hic quidem stabit cum magna fiducia, et audiet præsente toto orbe terrarum, *Esurientem me vidisti, et enutriisti; nudum, et induisti; hospitem, et hospitio excepisti* (*Matth.* 25. 35), et quæ sunt hujusmodi : ille autem contra audiet, *Serve male et ignave;* et rursus, *Væ qui molliter deliciantur in cubilibus suis, et qui dormiunt in lectis eburneis, qui bibunt vinum defæcatum* (*Amos.* 6. 4); et primariis unguentis uncti hæc tamquam stantia reputarunt, et non tamquam fugientia. Hæc a nobis non temere dicta sunt, sed ut vestram mentem immutem, et vos nihil faciatis quod non lucrum afferat. Quid vero, inquit, si et hæc et illa facio? Hoc passim est in ore omnium. Et quid, hic quæso, necesse est, cum omnia liceat facere utiliter, dividere, et alia quidem non solum ad inutilia, sed etiam temere consumere; alia autem utiliter? Dic mihi, si seminans alia quidem jaceres supra petram, alia autem in terram optimam, hocne tibi sufficeret, et diceres : Quid obest, si alia quidem temere, alia vero in terram optimam jecerimus? Nam cur non omnia in optimam? cur lucrum minuis? Et si pecunias quidem oporteat congerere, non hoc dices, sed undique congeris; illic autem non sic : et si fœnerari oporteat, non dices, Cur alias quidem pauperibus, alias vero dabimus divitibus; sed illis omnes : hic autem, ubi est tantum lucram, cur hoc non reputas, nec cessas tandem temere impendere et consumere? At habet, inquis, hoc quoque lucrum. Quodnam, dic quæso? Amicitias auget. Nihil est frigidius hominibus qui ex his fiunt amici, ex mensa et saturitate parasitorum; nihil ingratius amicitia hinc orta. Ne contumelia afficeris rem adeo admirabilem, nempe caritatem : neque dixeris hanc esse ejus radicem. Ut si arboris aurum ferentis et lapides pretiosos, radicem non diceret quispiam esse talem, sed nasci ex putredine : hoc tu quoque facis : nam si hinc nata fuerit amicitia, nihil ea fuerit frigidius. Sed illæ mensæ conciliant amicitiam, non apud homines, sed apud Deum, eamque uniformem, cum mensæ fuerint uniformes Nam qui alia quidem hic, alia vero illic consumit, etiamsi multa dederit, nihil magnum facit : qui autem omnia hic consumit, etiamsi pauca dederit, totum efficit. Nam quod quæritur, non est, multane dederit an pauca; sed an non minus quam ferre possint vires. Cogitemus eum qui quinque lucratus est talenta et qui duo : cogitemus eam quæ duos misit obolos : cogitemus viduam quæ fuit tempore Eliæ. Non dixit illa quæ duos misit obolos : Quid enim obest, si unum quidem obolum apud me retinuero, unum autem dedero? sed totas suas dedit facultates. Tu autem, cum tantæ tibi suppetant copiæ, es illa parcior. Ne

ergo nostram negligamus salutem, sed aggrediamur eleemosynam. Nihil est enim ea melius et præstantius : idque ostendet tempus futurum; interim autem ostendit etiam præsens. Ad Dei ergo vivamus gloriam, et quæ ei placent ea agamus, ut digni habeamur promissis bonis : quæ detur nobis omnibus consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria, imperium, honos, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

Cap 1. v. 9. *Ideo et nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, et postulantes ut implcamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spirituali :* 10. *ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei.*

1. *Ideo*, quare? Quia audivimus fidem vestram et caritatem. Quoniam bonam spem habet, bonam quoque spem habemus, ut et de futuris postulemus. Sicut enim in certaminibus illos maxime excitamus, qui sunt propinqui victoriæ : ita etiam Paulus eos maxime hortatur, qui se amplius recte gesserunt. *Ex qua die*, inquit, *audivimus, non cessamus pro vobis orantes.* Non unum diem pro vobis oramus, aut duos aut tres. Hic etiam ostendit caritatem, et paulatim subindicat eos nondum pervenisse ad finem : hoc enim, *Ut impleamini*, hoc significat. Vide autem mihi hujus beati prudentiam : nusquam dicit eos toto esse privatos, sed ubique eos deficere : hoc significat illud, *Ut impleamini.* Et rursus, *Per omnia placentes, in omni opere bono ;* et iterum, *In omni virtute confortati ;* et rursus, *In omni patientia et longanimitate.* Illud enim, *Omni*, est ejus qui suo testimonio aliquid tribuit iis qui se recte gerunt, etiamsi non universim. *Ut impleamini*, inquit, non, Ut accipiatis ; acceperunt enim ; sed ut impleamini eo quod vobis deest. Ita et reprehensio non fuit gravis, nec sinit encomium ut dejiciant animum, et reddantur supini, cum fuerit integrum. Quid est autem, *Ut impleamini agnitione voluntatis ejus?* Id est, per Filium vos ad ipsum adduci oportet, non utique per angelos. Atque quod oporteat quidem adduci, novistis : restat autem vobis ut hoc discatis, cur miserit Filium. Si enim per angelos nos oporteret esse salvos, non misisset nec tradidisset Filium. *In omni sapientia*, inquit, *et intellectu spirituali.* Nam quoniam ipsos decipiebant philosophi, Volo vos, inquit, esse in sapientia spirituali, non secundum sapientiam hominum. Si autem ut discamus Dei voluntatem, spirituali opus est sapientia : ut essentia quid sit discamus, opus est continuis precibus. Et hic ostendit, quod ex illo tempore oret Paulus, et nondum perfecit, nec destitit : illud enim, *Ex qua die audivimus*, hoc significat. Illis autem affert condemnationem, si ex illo tempore etiam precibus adjuti, se non emendaverint. *Et postulantes*, inquit, id est cum magno studio : hoc enim ostendit illud, *Cognovistis.* Sed oportet etiam aliquid agnoscere. *Ut vos*, inquit, *ambuletis digne Deo.* Hic de vita dicit et operibus : nam hoc quoque facit ubique ; fidei semper conjungit vitæ agendæ rationem. *Per omnia placentes.* Quomodo autem, *Per omnia placentes? In omni opere bono fructificantes, et crescentes in agnitione Dei.* Sicut enim se totum vobis revelavit, et sicut tantam accepistis cognitionem : ita et vitæ vestræ institutionem ostendite fide illa dignam ; ea enim opus habet magna vitæ agendæ ratione, et longe majori quam vetus. Nam qui Deum novit, et dignus est habitus qui Dei esset servus, imo vero filius, vide quanta opus habeat virtute. 11. *In omni virtute confortati.* Hic dicit de tentationibus et persecutionibus : Oramus ut impleamini corroborati, ne torpescatis, neque animum despondeatis. *Secundum potentiam claritatis ejus.* Ut accipiatis, inquit, eam animi alacritatem, quam ejus gloriæ fortitudinem decet dare. *In omni patientia et longanimitate.* Quod dicit, est hujusmodi : Breviter, inquit, oramus ut vos vitam agatis ex virtute, dignamque vestro vivendi instituto, fortiterque ac firmiter stetis corroborati, ut oportet eos, qui a Deo sunt corroborati. Propterea nondum attingit dogmata, et in vita versatur, ubi nihil habet quod reprehendat ; et cum eos laudasset in quo laudandi erant, tunc accedit ad accusationem. Hoc ubique facit, quando scribit ad aliquos. Si habeat aliquid quod reprehendat, et aliquid quod laudet; prius laudat et tunc descendit ad crimina. Prius enim sibi conciliat et benevolum reddit auditorem ; accusationem liberat ab omni suspicione, et ostendit se quidem velle omnino laudare, sed ad ea dicenda impelli a necessitate. Hoc etiam facit in priori ad Corinthios (1. *Cor.* 5). Nam cum eos plurimum laudasset ut qui ipsum diligerent, tunc ab eo qui fuerat fornicatus descendit ad accusationem. In Epistola autem ad Galatas (*Galat.* 1) non ita, sed contra : imo vero si quispiam examinaverit, illa quoque est ex laude accusatio. Nam quoniam nihil poterat dicere quod ipsi recte gessissent, et crimen erat vehemens, omnesque corrupti erant, et ferre poterant cum essent fortes, incipit ab accusatione dicens : *Miror* (*Ibid.* v. 6). Quamobrem hoc quoque est encomium. Postea autem eos laudat, non propter præsentia, sed propter præterita, dicens : *Si fieri potuisset, oculos vestros erutos mihi dedissetis* (*Ibid.* 4. 15).

2 *Fructificantes*, inquit : hoc de operibus. *Confortati :* hoc de tentationibus. *In omni patientia et longanimitate :* longanimitate seu lenitate inter se, patientia erga externos. Longanimis enim ac lenis est quispiam in eos quos etiam potest ulcisci ; tolerat vero eos quoque quos non potest ulcisci. Propterea in Deo quidem numquam dicitur ὑπομονή seu patientia ; longanimitas autem et lenitas sæpe dicitur : sicut hic ipse quoque beatus scribit alibi, dicens : *An divitias bonitatis ejus et tolerantiæ et longanimitatis contemnis*

(*Rom.* 2. 4)? *In omni.* Non nunc quidem, postea autem minime. *In omni*, inquit, *sapientia et intellectu spirituali.* Aliter enim non licet ejus agnoscere voluntatem. Atqui existimabant se ejus habere voluntatem; sed non erat spiritualis sapientia. *Ut ambuletis digne Deo.* Hoc enim est via optimi vitæ instituti et rectæ conversationis: nam qui Dei didicerit benignitatem; discet autem si viderit traditum Filium; habebit majorem animi alacritatem. Alioqui autem non solum oramus, ut discatis, sed etiam ut in factis ostendatis: nam qui novit nec tamen fecit, est etiam puniendus. *Ut vos*, inquit, *ambuletis.* Hoc est, semper, non semel, sed perpetuo. Sicut enim ambulare nobis est necessarium, ita etiam recte vivere; et id semper vocat ambulationem, et merito, ostendens hanc esse vitam quæ est nobis proposita: sed mundana non est hujusmodi. Magna autem est laus. *Ut ambuletis*, inquit, *digne Domino*, et *In omni opere bono*, ut semper crescatis, et nusquam sistatis; et metaphorice, *Fructum ferentes, et crescentes in agnitione Dei*; ut sic corroboremini secundum potentiam Dei, quantum homo potest. *Per potentiam ejus.* Magna consolatio. Non dixit, Virtutem aut potestatem, sed *Potentiam*, quod est majus. *Per potentiam*, inquit, seu dominatum, *gloriæ ejus*; quia ubique gloria ejus imperium obtinet. Jam consolatus est, quod cum in probro et dedecore essetis, rursus ambulastis digne Domino. De Filio dicit illud, quod ipse ubique imperium et dominatum obtineat et in cælo et in terra, quod ejus gloria ubique regnet. Non dixit tantum, Confortamini, sed ut par est eos qui Domino tam forti serviunt. *In Dei agnitione.* Simul etiam attingit rationem cognitionis: error quippe est, Deum non ut oportet nosse. Aut ut crescatis, inquit, in Dei agnitione. Nam si qui Filium nescit, nec Patrem quidem scit, merito opus est agnitione: etenim absque illa nil prodest vita. *In omni patientia et longanimitate*, inquit, *cum gaudio*, 12. *gratias agentes Deo.* Deinde eos exhortaturus, non meminit eorum quæ sunt eis recondita: sed hoc quidem tacite significavit, dicens initio, *Propter spem quæ reposita est vobis in cælis*: hic autem meminit eorum quæ jam fuerunt: hæc enim sunt causæ illorum. Hoc porro facit in multis locis. Nam quæ jam fuerunt, fidem faciunt, et magis excitant auditorem. *Cum gaudio*, inquit, *gratias agentes Deo.* Hæc est consequentia: Non cessamus orare pro vobis, et gratias agere de prioribus. Vides quomodo ipse aggrediatur loqui de Filio? Nam si cum magno gaudio gratias agimus, magna sunt quæ dicuntur. Nam et gratiæ agi possunt propter solum metum; possunt etiam agi gratiæ ab eo qui est in mœrore: ut puta, Job quidem agebat gratias, sed dolore affectus: ideoque dicebat, *Dominus dedit, Dominus abstulit* (*Job* 1. 21). Ne dicas, non dolore eum affecisse ea quæ facta fuerant, neque eum injecisse in animi ægritudinem, ne justi magnum auferas encomium. Cum autem hæc sint hujusmodi, non propter metum, neque propter dominatum tantum, sed etiam propter ipsam rerum naturam, *Gratias agimus ei, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Magnam rem loquutus est. Talia sunt quæ data sunt, inquit, ut non solum dederit, sed etiam fortes fecerit ad accipiendum. Quod autem dixit, *Ei qui dignos nos fecit*, magnum pondus ostendit. Ut si quispiam infimæ conditionis rex factus fuerit, potest cui velit dare præfecturam; et hanc solam ei potest dare dignitatem, sed non idoneum reddere ad gerendum magistratum (sæpe etiam talem quempiam ridiculum facit honor): si autem dignitatem dederit, et aptum fecerit ad honorem, et idoneum ad administrationem, tunc ea res est honor. Hoc ergo hic quoque dicit, quod non solum nobis dederit honorem, sed etiam fortes fecerit ad accipiendum.

3. Duplex ergo est hic honor, quod et dederit, et accipiendo dono fecerit aptos. Non dixit solummodo, *Qui dedit*, sed etiam, *Qui sufficientes et idoneos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Hoc est, qui nos collocavit cum sanctis. Sed non solum dixit, Qui collocavit, sed etiam, Qui præbuit ut iisdem fruaremur: pars est enim illud, quod unusquisque accipit. Potest enim fieri ut quispiam sit in eadem civitate, non autem fruatur iisdem: ut autem eamdem habeat partem, et non fruatur iisdem, minime esse potest. Fieri potest ut sit in eadem sorte, et non eamdem habeat partem: exempli causa, in sorte sumus omnes, sed non eamdem habemus partem. Hic autem non hoc dicit, sed etiam partem cum sorte. Cur sortem vocat? Ostendens neminem ex bonis suis actibus et recte factis regnum assequi: sed ut sors ex bono eventu potius accidit, ita hic quoque. Nullus enim tale vitæ suæ institutum exhibet, ut dignus habeatur regno, sed totum est ex Dei dono. Propterea dicit, *Cum feceritis omnia, dicite, Servi inutiles sumus: nam quæ debuimus facere, fecimus* (*Luc.* 17. 10). *In partem sortis sanctorum in lumine*; hoc est, in cognitione. Videtur autem mihi simul dicere et de præsentibus et de futuris. Deinde ostendit ea, quibus digni sumus habiti. Neque enim hoc solum mirabile est, quod regno dignati fuerimus; sed etiam addendum est, quinam cum essemus: non sunt enim paria. Quod quidem facit etiam in Epistola ad Romanos: *Vix enim pro justo quis morietur: pro bono enim fortasse quis audet mori* (*Rom.* 5. 7). 13. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum*, inquit. In illo totum situm est, et hæc dare et illa: nusquam enim nostrum est quod recte geritur. *De potestate tenebrarum*, inquit; hoc est ab errore, a diaboli tyrannide. Non dixit solum, De tenebris, sed, *De potestate*: in nos enim magnam habuit potestatem, et in nos dominatum obtinuit. Est enim grave vel solum esse sub diabolo; cum potestate autem, est hoc quoque gravius. *Et transtulit*, inquit, *in regnum Filii dilectionis suæ.* Non ergo solum in liberatione a tenebris ostendit suam benignitatem: magnum quidem est liberasse a tenebris, in regnum autem etiam introduxisse, est multo majus. Vide ergo quam multiplex sit donum; quod in imo jacentes nos liberaverit; quod non solum liberaverit, sed etiam in regnum transtulerit. *Qui eripuit nos.* Non dixit, Ejecit, sed, *Eripuit*, ostendens ma-

gnam nostram afflictionem et miseriam, et illorum captivitatem. Deinde potentiæ Dei facilitatem : *Et transtulit*, inquit ; ac si quis militem a loco in locum transferat. Non dixit autem, Traduxit, neque, Transposuit ; totum enim fuisset ejus qui transposuerat, non ejus qui transierat : sed, *Transtulit*, inquit. Quamobrem et nostrum est, et ejus. *In regnum Filii dilectionis suæ.* Non dixit solum, Regnum cælorum, sed splendidiorem et graviorem reddidit orationem, dicens : *Regnum Filii ;* eo enim non est majus encomium : quod etiam dicit alibi, *Si sustineamus, et conregnabimus* (2. *Tim.* 2. 12). Iisdem nos dignatus est, inquit, quibus Filium : nec hoc solum, sed additur, Dilectum. Inimicos, qui obtenebrati erant, repente transtulit ubi erat Filius, et in eumdem in quo ille erat honorem. Nec hoc solo fuit contentus ; sed ut magnum ostenderet donum, non satis habuit dixisse regnum, sed addidit etiam, *Filii :* nec hoc solum, sed etiam, Dilecti ; nec hoc tantum, sed etiam honorem et decus naturæ. Quid enim dicit ? *Qui est imago Dei invisibilis.* Sed non statim ad id venit, sed interjecit collatum in nos beneficium. Nam, ne audiens quod totum sit Patris, existimes extra esse Filium, dat totum Filio, et totum Patri. Nam ille quidem transtulit, sed hic causam præbuit. Quid enim dicit ? *Qui eripuit nos ex potestate tenebrarum.* Idem autem est quod illud : 14. *In quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum.* Si enim remissa non essent peccata, non essemus hinc translati. Ecce rursus hic illud, *in quo.* Et non dicit, λύτρωσιν, redemptionem, sed ἀπολύτρωσιν, id est, plenam et perfectam redemptionem ; ne amplius corruamus, neque efficiamur mortales. 15. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ ?* In quæstionem incidimus hæreticam : propterea hodie differemus, et crastina die rem afferemus vestris audiendi cupidis auribus. Si quid autem oportet amplius dicere, majus est opus Filii Quomodo ? Illud enim fieri non potest, ut manentibus in peccatis det regnum ; hoc autem est facilius : quamobrem ad donum viam muniit. Quid dicis ? Ipse tibi peccata remisit : ergo te quoque adduxit. Jam tamquam fundamentum jecit radicem dogmatis.

4. *Ad regnum Filii Dei vocari quantum sit beneficium. Vita præsens quasi nidus. Terræ motus et urbium eversiones.* — Interim autem cum illud dixerimus, finem imponemus huic orationi. Quidnam autem hoc est ? Quod tantum assequuti beneficium, ejus semper debemus meminisse, et Dei donum in nobis perpetuo versare, a quibusnam liberati, et quænam adepti sumus cogitare ; et sic grati erimus, sic caritatem in eum augebimus. Quid dicis, o homo ? vocatus es ad regnum, ad regnum Filii Dei, hiasque totus et oscitas, fricasque et scalpis, et torpescis ? Si enim vel in mille mortes te oporteret insilire quotidie, annon essent omnia sustinenda ? Sed ut magistratum quidem assequaris, nihil non facis ; Unigeniti autem regni futurus particeps, non in mille enses insilis, non in ignem te injicis ? Et hoc nondum ita grave est, sed quod etiam excessurus, lamentaris, et hic lubenter versaris, cum sis amator corporis. Quid vero ? etiamne mortem censes esse terribilem ? Hujus rei causa sunt deliciæ et otium : nam qui vitam degit acerbam, vel alatus esse cuperet et hinc discedere. Nunc autem hoc ipsum nobis usuvenit, quod pullis, qui molles redduntur et teneri in nido volentes manere perpetuo. Sed quo diutius manserimus, eo erimus imbecilliores.

Nidus enim est vita præsens, conglutinata ex paleis et luto. Etiamsi mihi magnas ædes ostenderis, et ipsas regias multo auro et gemmis fulgentes, existimabo eas nihil differre a nidis hirundinum. Nam cum hiems advenerit, omnia sua sponte cadent : hiemem autem appello illum diem, qui non est hiems omnibus. Nam Deus quoque noctem et diem illud tempus appellat, illud quidem, respiciens ad peccatores ; hoc vero, ad justos. Ita ego nunc quoque eum voco hiemem. Si æstate non fuerimus bene enutriti, ut possimus volare cum hiems advenerit, non accipient nos matres, sed nos fame sinent enecari, aut nido cadente interire. Nam sicut nidum, imo vero eo facilius, omnia nunc expurgat Deus, omnia destruens reparansque et componens. Involucres autem, et qui non possunt ei obviam venire in aere, sed adeo sordide et illiberaliter sunt educati ut leves pennas habere non possint, ea patientur quæ consentaneum est eos pati qui sic sunt affecti. Atque hirundinum quidem nidus cum ceciderit, cito perit : nos autem non perimus, sed perpetuo punimur. Hiems erit quod tunc erit tempus, imo vero hieme gravius ac molestius. Non enim trahuntur torrentes aquæ, sed fluvii ignis : non sunt tenebræ e nubibus, sed tenebræ indissolubiles, et luce penitus carentes ; adeo ut nec cælum videant nec aerem, sed in majores redigantur angustias, quam qui infossi sunt in terra. Hæc sæpe dicimus, sed non persuademus aliquibus. Sed non est mirum, si nobis, qui sumus viles homines, concionantibus hæc accidunt, cum hæc etiam acciderent prophetis, non de his solum rebus disserentibus, sed et de bello et captivitate. Et Sedechias arguebatur a Jeremia, nec afficiebatur pudore. Propterea dicebant prophetæ : *Væ qui dicunt, Appropinquent cito quæ faciet Deus, ut videamus, et veniat consilium Sancti Israel, ut cognoscamus* (*Isai.* 54. 19). Ne hoc miremur. Nam et qui erant tempore arcæ, non credebant, sed crediderunt, quando nullum erat lucrum fidei : neque qui erant Sodomis, exspectarunt, sed ipsi quoque crediderunt, quando nihil eis profuit. Et quid dico de futuris ? quis exspectasset ea quæ nunc fiunt in diversis locis, terræ motus, et urbium eversiones (*a*) ? Atqui hæc erant illis magis credibilia, quam arca, inquam. Undenam hoc constat ? Quod illi quidem non potuerint aliud exemplum aspicere, neque Scripturas audierunt : hic autem sunt innumerabilia, quæ et nostris facta sunt tem-

(*a*) De terræ motibus et urbium eversionibus, quæ tunc acciderunt, vide quæ diximus in Monito.

poribus et præcedentibus. Sed undenam processit eorum incredulitas? Ex molli et ignava anima : bibebant et comedebant, et propterea non credebant. Nam quæ vult quispiam, ea et putat, ea et exspectat: qui autem contradicunt, nugaces habentur.

5. Sed ne hoc nobis accidat : non enim erit amplius diluvium, neque ad mortem usque punitio; sed suppliciorum initium est mors non credentium quod sit judicium. Et quis, inquit, inde veniens hæc narravit, et hæc dixit? Si ludens quidem hæc dicis, ne sic quidem recte; non est enim ludendum in rebus hujusmodi; non enim ludimus in ludicris, sed in rebus periculosis : si autem cum revera ita te habeas, non existimas post hæc esse aliquid, quomodo dicis te esse Christianum? nulla enim a me habetur ratio externorum. Cur lavacrum accipis? cur ecclesiam ingrederis? num pollicemur principatus et magistratus? tota spes nobis est in futuris. Quid ergo accedis, si non credis Scripturis, si non credis Christo? Non dixerim eum esse Christianum; absit; sed vel ethnicis deteriorem. Qua de re? Eo quod Christum existimans esse Deum, non credis ipsi tamquam Deo. Nam illi quidem opinioni adjuncta est impietas : Eum enim qui Christum non existimat esse Deum, necesse est nec credere : hæc autem impietas ne habet quidem consequentiam, Deum confiteri, et existimare eum non esse fide dignum in iis quæ dixit. Ebrietatis sunt hæc verba, deliciarum et libidinosæ intemperantiæ : *Comedamus et bibamus; cras enim morimur* (1. *Cor.* 15. 32). Non cras, sed quando hæc dicitis, jam estis mortui. Nihil ergo differemus a porcis et asinis, dic quæso? Si enim non est judicium, neque merces ac remuneratio, neque tribunal, cur sumus hoc ornati dono, nempe ratione, et omnia habemus subjecta? cur nos quidem imperamus, illa autem parent? Vides quomodo undique urget et incitat diabolus, ut nobis persuadeat Dei donum ignorare? Servos miscet cum dominis; sicut quidam plagiarius, et servus ingratus, nititur ingenuum ad eamdem deducere vilitatem et abjectionem, ad quam deductus est is qui offendit : et videtur quidem de medio tollere judicium, tollit autem quod sit Deus. Semper enim talis est diabolus; fraudibus dolisque et insidiis, non directe proponit omnia, ut cavcamus. Si non est judicium, Deus non est justus; secundum hominem dico : si Deus non est justus, nec est Deus : si Deus non est, temere feruntur omnia, nihil est virtus, nihil vitium. Sed nihil horum dicit aperte. Satanicæ cogitationis vidisti animum, quomodo ex hominibus velit nos bruta facere, vel potius feras ac bestias, imo vero dæmones? Ne ergo persuadeamur. Est enim judicium, o miser et infelix! Scio undenam venias ad hæc dicenda : a te multa admissa sunt peccata, offendisti, non est tibi dicendi libertas et fiducia, existimas rerum naturam tuis esse verbis consequentem. Interim, inquit, non cruciabo animam gehennæ exspectatione; et si sit, ei quod non sit persuadebo : interim hic me dedam deliciis. Cur peccatis addis peccata? Si cum peccatis crediderit esse gehennam, abibis luens pœnam peccatorum : sin autem hoc quoque impium addideris, et impietatis et hujus cogitationis ultimum feres supplicium; et quæ tibi brevis et frigida fuerit consolatio, erit tibi argumentum perpetui supplicii. Esto, peccasti : quid alios quoque hortaris ad peccandum, dicens non esse gehennam? quid decipis simpliciores? cur popali manus dissolvis et enervas? Quantum quidem in te est, omnia sunt eversa : neque viri probi erunt meliores, sed ignavi ac desides; neque mali desistent a vitio. Num si alios corrumpamus, habemus veniam peccatorum? Non vidisti quomodo diabolus aggressus sit prosternere et dejicere Adamum? an ei data est venia? Major quidem certe hinc fuit occasio supplicii. Ut enim non pro nostris tantum, sed etiam pro alienis peccatis puniamur, omnia machinatur. Ne ergo existimemus, quod alios convertamus ad eumdem nobis paratum interitum, nos nobis mitius facere judicium : hoc ipsum quidem certe faciet gravius et asperius. Quid nos ipsos protrudimus et perdimus? Hoc totum est satanicum. Homo, peccasti? Benignum et clementem habes Dominum, roga, supplica, lacrymare, ingemisce, et alios terre, et pete ne in eadem incidant. Si quis servus eorum qui dominum offenderunt, dicat filio suo, Fili, ego offendi dominum : tu da operam ut ei placeas, ne eadem tibi accidant : non aliquam, quæso te, assequetur veniam? non franget et flectet dominum? Sin autem his missis verbis dicat fere talia, dominum non pro merito singulis redditurum esse, omnia tum bona tum mala misceri et confusa esse, nullamque in hac domo haberi gratiam : quid existimas dominum de illo sentire? annon ille peccatorum suorum majores dabit pœnas? Merito certe : nam illic quidem excusabit animi motus et perturbatio, etsi debiliter; hic autem nihil. Si ergo nullum alium, eum quidem certe imitare divitem qui in gehenna dicebat, *Pater Abraham, mitte Lazarum ad cognatos meos, ne veniant in hunc locum* (*Luc.* 16); quoniam ipse abire non poterat; ne in illa ipsa incidant. Abstineamus ab his verbis satanicis.

6. Quid ergo, inquies, quando nos interrogant Græci seu ethnici, Non vis illos curare? Sed cum Christianum injeceris in dubitationem, obtentu curandi Græci, vis dogma confirmare satanicum. Nam quoniam ipse ex solo loquens animo hæc non persuades, alios testes vis adducere. Si autem cum Græco oportet disserere, non hinc sumendum initium disputationis, sed an Christus sit Deus et Dei Filius; an dæmones sint qui sunt apud illos dii. Sin hæc probata fuerint, alia omnia sequuntur. Priusquam autem positum sit principium, vanum est disserere de fine : priusquam prima elementa didiceris, supervacaneum et inutile est ad finem venire. Non credit Græcus judicio, et illi idem quod tibi accidit. Nam ipse quoque multos habet qui ea de re sunt philosophati; etiamsi hoc dixerint de corpore separato ab anima, sed tamen judicium constituerunt. Et res est tam clara ut nemo fere hoc ignoret, sed et

poetæ et omnes inter se consentiant et de tribunali et de judicio. Itaque nec Græcus suis fidem negat, nec Judæus de his dubitat, nec quivis homo. Quid ergo nos ipsos decipimus? Hæc mihi dicis : quid Deo dices qui sigillatim finxit corda nostra, qui quæ sunt in cogitatione novit omnia, qui vivit et operatur; et magis incidit quam quivis gladius anceps (*Hebr.* 4. 12)? Nam, dic mihi per veritatem, non tu teipsum peccantem condemnas? an quisquam homo est qui seipsum segniter agentem non reprehendat? Et quomodo casu orta est sapientia, ut ipse qui peccat seipsum condemnet? hoc enim est magnæ sapientiæ. Tu teipsum condemnas; qui autem hanc tibi dat mentem et cogitationem, sinet omnia ferri temere? Sit ergo hæc regula et definitio in genere, et universe : nullus ex iis qui vivunt in virtute, non credit sermoni de judicio, etiamsi sit Græcus, etiamsi hæreticus : nullus ex iis qui in multo versantur vitio, præter paucos, admittit sermonem resurrectionis. Et hoc est quod dicit psalmographus : *Auferuntur judicia tua a facie ejus* (*Psal.* 9. 27). Quare? Quoniam profanantur viæ ejus in omni tempore : *Comedamus* enim, inquit, *et bibamus; cras enim morimur.* Vides quod hæc dicere sit vilium et abjectorum? Ab esu et potu oriuntur hæc verba quæ evertunt resurrectionem. Non fert enim, non fert anima judicium conscientiæ; et perinde est atque si homicida cum prius sibi suggesserit fore ut non capiatur, deinde sic occidat : nam, eum judicante conscientia, non cito venisset ad audendum suscipere facinus. Et scit ergo, et præ se fert se ignorare, ne torqueatur a conscientia et metu : alioquin enim evasisset imbecillior ad cædem. Ita certe et qui peccant sciunt peccatum rem esse malam; et qui quotidie volutantur in ipsis malis, nolunt scire, quamquam eorum conscientia rem comprehendente. Sed ne illis attendamus; erit enim omnino judicium et resurrectio, neque tam multa opera frustra dimittet Deus. Quamobrem rogo, abstinentes a vitio, virtutem amplectamur, ut verum accipiamus sermonem in Christo Jesu Domino nostro.

Fati opinio rejicitur. — Quamquam quid est facilius, admitterene quod dicitur de resurrectione, an quod dicitur de fato? Hoc plenum est injustitia, plenum insipientia et egestate rationis, plenum inhumanitate; illud est plenum justitia, distribuens pro meritis; et tamen ipsum non admittunt. Causa autem est segnities : nullus enim qui sapiat, hoc admittit. Nam et inter Græcos, qui voluptatem definientes, finem esse dicunt, illi ipsum admiserunt : qui autem virtutem amaverunt, nequaquam, sed expulerunt, tamquam quod careat ratione. Si hoc autem ita habet inter Græcos, multo magis ita habet in ratione resurrectionis. Considera autem mihi, quomodo duo contraria introduxerit diabolus : nempe ut virtutem negligamus, necessitatem induxit; et ut prompto et alacri animo colamus dæmones per duo etiam contraria persuasit. Quamnam ergo poterit dare rationem qui non credit rei adeo admirabili, et credit iis qui illa nugantur? Ne ergo, ne hæc te consolatio nutriat, quod veniam consequeris; sed nos conversi ad virtutem excitemur, ac vere Deo vivamus; in Christo, etc.

HOMILIA III.

Cap. 1. v. 15. *Qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturæ :* 16. *quoniam in ipso condita sunt universa, in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni sive Dominationes, sive Principatus sive Potestates; omnia per ipsum, et in ipso creata sunt.* 17. *Et ipse est ante omnia, et omnia in ipso constant :* 18. *et ipse est caput corporis Ecclesiæ.*

1. *De Filii Dei natura, et quod non sit creatura.* — Hodie necesse est reddere debitum, quod heri distuli, ut id discendi cupidis animis vestris et cogitationibus subjiciam. De Filii dignitate disserens Paulus hæc dicit, sicut etiam ostendimus : *Qui est imago Dei invisibilis.* Cujus ergo vis eum esse imaginem? Si Dei quidem, pulchre; Deus enim est et Dei Filius; Dei autem imago perfectam similitudinem ostendit : ergo secundum hoc æqualis est : si autem imago hominis, dic mihi, et a te tamquam ab insano discedam. Cur autem nusquam neque imago, neque filius appellatus est angelus, sed homo utrumque? Quare? Quoniam illic quidem naturæ sublimitas cito multos injecisset in hanc impietatem : hic autem vilitas et abjectio spondet rem fore in tuto, et ne volentes quidem sinit tale quid suspicari, et sermonem deprimere. Propterea ubi multa quidem erat humilitas, confidenter Scriptura ponit honorem : ubi autem major est natura, non item. Sed *Imago est invisibilis*, inquit. Ergo, si ille est invisibilis, est ipsa quoque invisibilis, et similiter invisibilis; alioquin imago non esset. Nam imaginem, quatenus est imago, etiam apud nos oportet esse æqualem, et a characteribus et similitudine. Sed hic quidem hoc nequaquam potest fieri; ars enim humana sæpe non assequitur, imo vero numquam, si accurate examines : ubi autem est Deus, numquam excidit et aberrat, neque ullus umquam est lapsus. Si autem est creatura, quomodo est imago ejus qui creavit? neque enim equus est imago hominis. Si ejus qui est invisibilis similitudinem non ostendit imago, quid prohibet etiam angelos esse imaginem? nam ipsi quoque sunt invisibiles, sed non sibiipsis. [1] [At anima est invisibilis; sed ex eo quod est invisibilis, est quodammodo imago; at non sicut ipse est. *Primogenitus omnis creaturæ.*]

2. Quid vero, inquit? ecce est creatus? Unde id colligis, dic quæso? Quoniam dixit, *Primogenitus.* Atqui non dixit, Primocreatus, sed *Primogenitus.* Deinde si

[1] Locum uncinis clausum sic habent Commelin. et Reg. 1955 : *Sed anima quoque est invisibilis : num ex eo solo quod sit invisibilis, sequitur illam esse imaginem? Num etiam Angeli imagines sunt, eodem modo quo Christus?*

quia primogenitus est, illum creatum dixeris, quid dices quando illum audieris fratrem vocari? Etenim fratrem illum vocat Scriptura secundum omnia nobis assimilatum. Ergo ne ideo illum Creatorem esse negabimus, et nec dignitate neque alio quopiam nobis anteponere dignabimur? ecquis mente valens hoc dixerit? Nam illud, *Primogenitus*, non dignitatem et honorem, sed tempus tantum exprimit. Si ergo primogenitus nihil plus habet quam nos; atque hac ratione primogenitus est omnium, consubstantialis erit Deus Verbum lapidibus, lignis et reliquis: nam ait, *Primogenitus omnis creaturæ*. At primogenitus, inquies, dictus est; ergo creatus est. Bene quidem, si res ita se haberet, et nisi alia similia haberet, ut *Primogenitus ex mortuis*, et, *Primogenitus in multis fratribus* (*Col.* 1. 18. *Rom.* 8. 29). Dic quæso, primogenitus ex mortuis quid significat? Non quod primus resurrexit, dices: non enim dixit simpliciter quorumdam mortuorum, sed, Primogenitus ex mortuis: neque dixit eum primum esse mortuum, sed primogenitum surrexisse ex mortuis. Quamobrem nihil aliud significat, quam eum fuisse primitias resurrectionis a mortuis. Ergo nec hic aliquid probatur. Deinde aggreditur ipsum dogma. Nam ne existimarent eum esse recentiorem eo quod olim quidem adduceretur per angelos, nunc autem per ipsum; ostendit primum eos nihil potuisse; non enim ipse eduxisset e tenebris: secundum autem, quod sit ante ipsos. Quod autem sit ante ipsos, hoc probat argumento, quod ipsi per eum sint creati: *Quoniam in ipso*, inquit, *condita sunt omnia.*

Paulus Samosatenus.—Quid hic dicunt asseclæ Pauli Samosateni? Omnia in ipso facta esse: dictum enim fuit, *In ipso condita sunt omnia*. Sed quæ sunt in cælis et quæ sunt in terra primo dixit. De quo erat quæstio hoc primo ponit. Deinde subjungit, *Visibilia et invisibilia*. Invisibilia animam dicit, visibilia, omnes homines. Et quod in confesso est, relinquit; ponit autem id de quo dubitatur. *Sive Throni*, inquit, *sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates*. Illud, *sive*, comprehendit universum. Spiritus autem non numeratur cum Potestatibus, sed a majori ad minora ostendenda proceditur. *Omnia*, inquit, *per ipsum, et in ipso creata sunt*. Ecce illud, *In ipso*, est per ipsum: nam cum dixisset, *In ipso*, subjunxit, *Per ipsum*. Illud autem, *In ipso*, quid est? Hoc est, in ipsum pendet omnium substantia. Non solum ipse ea ex nihilo ad hoc ut essent deduxit, sed ipse quoque ea nunc continet: quamobrem si essent divulsa ab ejus providentia, interiissent. Sed non dixit, Continet, quod erat crassius; sed quod est subtilius, In ipsum pendet. Solum ad eum annuere et inclinari, sufficit ad continendum et constringendum. Sic etiam, *Primogenitus*, tamquam fundamentum dicitur. Hoc autem non significat creaturas esse ejusdem essentiæ, sed in ipso esse omnia, et per ipsum. Nam alibi quoque, quando dicit, *Fundamentum posui* (1. *Cor.* 3. 10), non dicit de essentia, sed de operatione. Nam ne existimes ipsum esse ministrum, dicit ipsum ea continere: quod non est minus quam fecisse. Quamquam in nobis est etiam majus: nam illud quidem ars inducit, hoc vero nequaquam; neque enim continet quod interit. *Et ipse est ante omnes*, inquit. Hoc est Deo conveniens. Ubi est Paulus Samosatenus? *Et omnia in ipso constant*: hoc est, In ipsum sunt condita. Assidue eadem versat, verborum continuatione, tamquam crebris quibusdam ictibus, perniciosum dogma evertens radicitus. Nam si et tam multa dicta sunt, et post tantum tempus exortus est Paulus Samosatenus; quanto magis, si hæc non fuissent prædicta? *Et omnia*, inquit, *in eo constant*. Quomodo constant in eo qui non est? Quamobrem et quæ per angelos fiunt, ejus sunt. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ*. Postquam dixerat de dignitate, deinceps dicit de benignitate: *Ipse est*, inquit, *caput corporis Ecclesiæ*. Non dixit autem, Plenitudinis, idem quidem significans, sed volens ostendere eum nobis esse conjunctiorem, quod qui et sic est supra et superior omnibus, iis se conjunxit qui sunt infra omnia. Ubique enim primus est: supra primus, in Ecclesia primus; est enim caput; in resurrectione primus. Hoc enim sibi vult illud, *Ut sit ipse primus*.

3. Quamobrem in generatione quoque est primus. Et hoc est quod Paulus maxime studet ostendere. Nam si hoc fuerit probatum, quod esset ante omnes angelos; illud quoque simul infertur, quæ erant illorum opera ipsum fecisse imperantem. Et quod est admirabile, in posteriori generatione contendit ipsum primum ostendere. Quamquam alibi primum dicit Adam, sicut est re vera; sed accepit Ecclesiam pro universo genere hominum. Est enim Ecclesiæ primus; et hominum quidem tamquam creationis primus est secundum carnem: et propterea hic ponit primogenitum. Quid est hic primogenitus? Qui primus est creatus, aut qui resurrexit ante omnes; sicut et illic, Qui est ante omnes. Et hic quidem posuit primitias, dicens [1]: *Qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens;* ostendens quod alii quoque sunt ejusmodi: illic autem non est primitiæ creaturæ. Et illic quidem est, *Imago Dei invisibilis*, et tunc, *Primogenitus*. 19. *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare*, 20. *et per eum reconciliare omnia in ipso; pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*. Quæcumque, inquit, sunt Patris, ea quoque sunt Filii, idque majori studio, quod et fuerit mortuus, et nobis seipsum conjunxerit. Primitias autem dixit tamquam de fructu aliquo. Non dixit, Resurrectio, sed, Primitiæ; ostendens quod nos omnes sanctificarit, et tamquam sacrificium obtulerit. Plenitudinem de divinitate dixit, sicut dicebat Joannes: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus* (*Joan.* 1. 16). Hoc est, Sive Filius erat, sive Verbum, illic

[1] Hic locus sic habetur in Colb. 909, nunc 743... *Secundum carnem: propterea et illic et hic etiam Primogenitus vocatus est. Quid est autem* Primogenitus omnis creaturæ? *hoc est pro*, Primus creator; *quemadmodum*, Primogenitus ex mortuis, *est pro*, Qui ante omnes resurrexit: *et sicut illic ponit*, Qui est ante omnes, *sic etiam hic posuit primitias dicens*, etc.

habitavit, non operatio aliqua, sed essentia. Non potest ullam dicere causam, nisi Dei voluntatem : hoc enim est, *In ipso complacuit, et per eum omnia reconciliare in ipso.* Ne existimes quod servi partes susceperit, *In seipso*, inquit. Atqui alibi dicit quod Deo reconciliet, sicut in Epistola ad Corinthios scribens, dicebat. Recte autem dixit, *Per eum reconciliare* (2. *Cor.* 15). Jam enim erant reconciliati, sed perfecte oportebat, ut non essent amplius ei inimici. Quomodo id fiat, declarat postea. Non enim data est solum reconciliatio, sed etiam modus reconciliationis. *Pacificans per sanguinem crucis ejus.* Inimicitias quidem ostendit illud, *Reconciliare;* bellum autem illud, *Pacificans. Per sanguinem*, inquit, *crucis ejus in ipso, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Magnum quidem est reconciliare; per ipsum autem, majus; et eo majus est, per sanguinem ejus. Et non solum per sanguinem, sed quod est eo majus, per crucem. Quamobrem quinque sunt admirabilia, Deo reconciliavit, per seipsum, per mortem, per crucem. Papæ! quomodo rursus miscuit? Nam ne existimares unum esse, neque crucem esse aliquid per se, dicit, *Per seipsum.* Quomodo novit hoc esse magnum? Cum non verbis, sed seipso dato pro reconciliatione, sic omnia effecit. Quid est autem illud, *Quæ in cœlis?* nam quæ in terra quidem sunt, merito; repleta enim erat inimicitiis, et divisa erat in multa, et unusquisque nostrum secum dissidebat et cum multis : quæ autem sunt in cœlis quomodo pacificavit? illic quoque erat bellum et pugna! et quomodo oramus dicentes, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* 6. 10)? quid ergo est? Abscissa erat terra a cœlo, bellum gerebant angeli adversus homines, videntes suum Dominum probro et contumelia affectum. Dicit omnia instaurari in Christo, quæ sunt in cœlis, et quæ sunt in terra (*Ephes.* 1. 10). Quomodo? Ea quæ sunt in cœlo sic : transtulit illuc hominem, inimicum qui odio habebatur illis reddidit. Non solum quæ sunt in terra fecit pacem agere, sed ad ipsos sustulit hostem et inimicum. Hoc pax profunda. Angeli rursus cernuntur in terra, quoniam homo quoque apparuit in cœlo. Mihi autem videtur ea de causa fuisse raptus Paulus, et ut ostenderet quod Filius quoque illuc sit assumptus. Nam in terra pax est duplex, et cum cœlestibus, et inter se; in cœlis autem simplex. Nam si propter unum peccatorem pœnitentiam agentem lætantur angeli, multo magis propter tam multos. Hæc omnia effecit Dei virtus. Cur ergo, inquit, angelis confiditis? Tantum enim abest, ut illi vos adducant et accessum præbeant, ut etiam bellum gesserint, et nisi vos Deus ipse illis reconciliasset, pacem non habituri eratis. Quid ergo ad illos accurritis? Vis scire quantum angelorum esset in nos odium, et quomodo nos semper aversabantur? Mittuntur ad supplicium adversus Israelitas, adversus David, adversus Sodomitas, in valle luctus. Sed non nunc; imo contra, in terra canebant valde lætantes; et hos deduxit ad ipsos, et homines illuc sustulit.

4. *In decursu hujus numeri mentio fiet de Angelis custodibus; pax et concordia commendabuntur, redarguentur lites et dissidia.* — Et mihi contemplare rem mirandam. Hos primos huc deduxit; et tunc hominem ad eos sustulit : cœlum facta est terra, quoniam quæ erant terræ, cœlum erat suscepturum. Propterea gratias agentes dicimus : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, hominibus bona voluntas* (*Luc.* 2. 14). Ecce, inquit, apparuerunt etiam homines de cætero bene placentes. Quid est bene placitum? Reconciliatio : non est amplius cœlum paries intermedius. Primo secundum numerum gentium erant angeli (*Deut.* 32. 8. *in Græco*); nunc autem non secundum numerum gentium, sed secundum numerum fidelium. Unde hoc constat? Audi Christum dicentem : *Videte ne despiciatis unum ex istis pusillis. Angeli enim eorum perpetuo vident faciem Patris mei qui est in cœlis* (*Matth.* 18. 10). Unusquisque enim fidelis habet angelum : nam etiam ab initio unusquisque vir probus habebat angelum, sicut dicit Jacob: *Angelus qui pascit me et liberat me a juventute mea* (*Gen.* 48. 16). Si ergo habemus angelos, modeste nos geramus tamquam nobis adsint quidam pædagogi : nam adest etiam dæmon. Propterea oramus, et dicimus petentes angelum pacis, et ubique pacem petimus. Nihil enim potest ei æquiparari : in Ecclesiis pacem, in supplicationibus, in salutationibus; et semel et bis et ter, et sæpe eam dat is qui præest Ecclesiæ, dicens : *Pax vobis.* Quare? Quoniam ipsa est mater omnium bonorum, ipsa est gaudii materia et argumentum. Propterea Christus quoque apostolos domos ingredientes hoc jussit statim dicere tamquam aliquod bonorum symbolum : *Intrantes* enim, inquit, *domos, dicite : Pax vobis* (*Matth.* 10. 12). Nam si ea non sit, omnia sunt supervacanea. Et rursus dicebat discipulis : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* 14. 27). Ipsa viam munit ad caritatem. Et non dicit qui præest Ecclesiæ, Pax vobis, solummodo, sed, *Pax omnibus.* Quid enim, si cum hoc quidem pacem habeamus, cum illo autem bellum et pugnam, quid lucri referemus? Neque enim in corpore, si ex elementis alia quidem quiescant, alia vero seditionem agitent, fieri potest ut umquam consistat sanitas, sed per bonum omnium ordinem et consensum et pacem : et si non omnia quiescant, et in suis propriis maneant terminis, omnia evertentur. In nostra quoque mente nisi omnes quiescant cogitationes, pax non erit. Tantum bonum est pax, ut filii Dei vocentur ejus effectores et conciliatores (*Matth.* 5. 45) : et merito. Nam Dei Filius ideo quoque venit in terram pacificaturus quæ in terra, et quæ in cœlis. Si autem pacifici sunt filii Dei, qui res novas moliri student sunt filii diaboli. Quid dicis? lites et pugnas immittis? Et quis est, inquies, adeo infelix? Sunt enim multi lætantes malis, et Christi corpus magis discerpentes, quam milites id lancea dissecabant, et Judæi clavis dissolvebant. Illud hoc minus est malum : illa membra dissecta rursus coaluerunt; hæc autem avulsa, nisi hic rursus fuerint conjuncta, non conjungentur amplius, sed manent extra Ecclesiæ plenitudinem. Quando voles cum fratre bellum ge-

rere, cogita te bellum gerere cum membris Christi, et desine furere. Quid enim, si is est abjectus, si vilis, si contemnendus? *Non est*, inquit, *voluntas coram Patre meo, ut pereat unus ex his pusillis* (*Matth.* 18. 14); et rursus, *Angeli eorum perpetuo vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Ib. v.* 10). Deus propter ipsum et servus factus, et occisus est: tu autem eum nihil esse existimas? Ergo in hoc quoque cum Deo pugnas, contrariam ei ferens sententiam. Cum ingressus fuerit is qui præest Ecclesiæ, statim dicit, *Pax omnibus;* quando sermonem facit ac concionatur, *Pax omnibus;* quando benedicit, *Pax omnibus;* quando jubet salutare, *Pax omnibus;* quando peractum fuerit sacrificium, *Pax omnibus;* et rursus in medio, *Gratia vobis et pax.* Quomodo ergo non absurdum, si toties audientes nos habere pacem, inter nos bellum habeamus, et accipientes et reddentes, cum eo qui dat pacem bellum geramus? Dicis, *Et spiritui tuo*, et cum foris calumniaris? Hei mihi, quæ sunt Ecclesiæ honesta ac veneranda, facta sunt figuræ tantum rerum, sed non aliqua veritas! hei mihi, usque ad verba manent symbola horum castrorum! Unde etiam ignoratis cur dicatur, *Pax omnibus.* Sed audite deinceps, quid dicat Christus, In quamcumque autem civitatem aut vicum ingressi fueritis, *Intrantes domum salutate ipsam: et si domus quidem sit digna, veniat pax vestra super ipsam; sin autem non sit digna, pax vestra ad vos revertatur* (*Matth.* 10. 12. 13). Propterea nescimus, quia verborum figuram hæc esse existimamus, et non mente assentimur. Num ego do pacem? Christus est, qui per nos loqui dignatur. Etiamsi omni alio tempore sumus vacui gratia, non tamen sumus nunc propter vos. Nam si in asinum et in vatem operata est Dei gratia propter dispensationem et Israelitarum utilitatem, liquidum est quod nec in nos recusabit operari, sed hoc quoque propter nos sustinebit.

5. Nemo ergo dicat, me esse imperfectum vilemque et abjectum et nullius pretii, et ita mihi attendat. Sum enim talis; sed semper solet Deus propter multitudinem iis etiam adesse qui sunt hujusmodi. Et ut rem sciatis ita se habere; dignatus est loqui cum Cain propter Abel, cum diabolo propter Job, cum Pharaone propter Joseph, cum Nabuchodonosor propter Danielem, cum Balthasar propter eumdem. Magi quoque assequuti sunt revelationem; et prophetavit Caiphas cum esset Christi occisor et indignus, propter dignitatem sacerdotii. Dicitur etiam Aaron propterea non fuisse lepra infectus. Nam cur, dic quæso, cum ambo murmurassent, soror sola dedit pœnas? Ne mireris: nam si in externis dignitatibus, etiamsi innumerabilium criminum accusetur quispiam, non prius ducitur in judicium, quam deposuerit magistratum, ne ille simul cum ipso probro afficiatur: multo magis in magistratu spirituali, quicumque is sit, operatur Dei gratia; alioquin omnia perirent: quando autem eum deposuerit, sive cum e vita excesserit, sive hic quoque, tunc graviores dabit pœnas. Ne putetis hæc a nobis dici: Dei est gratia quæ operatur in indignum, non propter nos, sed propter vos. Audite ergo quid dicat Christus: *Si domus sit digna, veniat pax vestra ad ipsam.* Quomodo autem fit digna? Si vos, inquit, susceperint. *Sin autem vos non susceperint, neque sermonem vestrum audierint, amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii quam illi civitati* (*Matth.* 10. 13-15). Quid ergo prodest quod nos suscipitis, et non auditis ea quæ a nobis dicuntur? quid lucri ad vos redit si non colitis, et non attenditis ea quæ vobis dicuntur? Ille est nobis honor, ille cultus est admirandus, qui vobis et nobis prodest, si nos audiatis. Audite et Paulum dicentem, *Nesciebam, fratres, quod sit pontifex* (*Act.* 23. 5): audi et Christum dicentem, *Omnia quæ dixerint vobis ut servetis, servate et facite* (*Matth.* 23. 3). Non me contemnis, sed sacerdotium: si me eo videris nudatum, tunc me contemne: tunc nec ego imperare pergam. Quamdiu autem in hac sede sedemus, quamdiu præsidemus, habemus et auctoritatem et virtutem, etiamsi simus indigni. Si Moysis thronus erat adeo venerandus, ut propter illum audiretur, multo magis Christi thronus: illum nos accepimus, in illo loquimur, ex quo Christus in nobis posuit ministerium reconciliationis. Legati, quicumque ii fuerint, propter dignitatem legationis multum honorem assequuntur. Vide enim: veniunt in mediam barbarorum regionem soli inter tot hostes; et quoniam magnam vim habet jus legationis, omnes eos intuentur, omnes eos tuto emittunt. Et nos ergo suscepimus munus legationis, et a Deo venimus: hæc est enim dignitas episcopatus. Venimus ad vos legatione fungentes, rogantes ut bello finem imponatis, et dicimus quibusnam conditionibus, non civitates vobis daturos pollicentes, neque tot et tot frumenti modios, neque mancipia, neque aurum, sed regnum cælorum, vitam æternam, cum Christo consuetudinem, et alia bona quæ neque a nobis verbis possunt exprimi, neque a vobis audiri, quamdiu fuerimus in hac carne et vita præsenti. Legatione ergo fungimur: honore autem frui volumus, non propter nos, absit; scimus enim quam sit vilis; sed propter vos, ut vos quæ dicimus diligenter audiatis: ut utilitatem accipiatis, ut non cum socordia et negligentia ea quæ dicuntur, attendatis. Non videtis quomodo legatos cuncti circumstant et observant? Nos autem Dei legationis munus obimus apud homines. Si autem hoc vobis durum videtur; non nos, sed ipse episcopatus; non ille aut ille, sed episcopus. Nemo me audiat, sed dignitatem. Omnia ergo faciamus, ut Deo placet, ut vivamus ad Dei gloriam, et digni habeamur bonis promissis iis qui ipsum diligunt, gratia et benignitate, etc., etc.

HOMILIA IV.

Cap. 1. v. 21. *Et vos cum esseti aliquando alienati et inimici sensu in operibus malis,* 22. *nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso.*

1. Hic deinceps ostendit, quod etiam cum essent indigni reconciliatione, eos reconciliavit. Dicere enim quod essent sub potestate tenebrarum, ostendit calamitatem in qua erant. Sed ne, cum audieris potestatem tenebrarum, existimes esse necessitatem, subjunxit : *Et vos cum essetis alienati.* Quamobrem videtur quidem idem dicere, non est autem idem : non sunt enim paria, eum qui ex necessitate perpessus est, et eum qui sua sponte et volens est passus, a malis liberasse. Nam ille quidem dignus est misericordia ; hic autem dignus est qui odio habeatur. Sed tamen vos, inquit, non invitos, nec necessitate compulsos, sed lubentes et voluntarie ab ipso resilientes, cum essetis indigni, liberavit. Et quoniam meminit eorum quæ sunt in cælis, ostendit omnes inimicitias hinc, non illinc duxisse initium. Nam illi jam olim volebant, et Deus voluit ; vos autem noluistis. Et omnino ostendit fore, ut in inferioribus temporibus nihil possent angeli, si mansissent inimici ; et neque possent persuadere, neque persuasos liberare a diabolo. Neque enim persuasisse aliquid profuisset, si qui detinebat non fuisset ligatus ; neque esse ligatum aliquid profuisset, si qui detinebantur nollent redire. Sed utrumque oportebat, quorum illi quidem nihil, Christus autem fecit utrumque. Itaque mirabilius erat persuadere, quam mortem solvere. Nam illud quidem totum erat in ejus solius potestate ; hoc autem non in ejus solius potestate, sed etiam erat in nostra : facilius autem efficimus ea quæ sunt in nostra potestate. Ergo tamquam majus, id ponit posterius. Neque solum dixit, *Cum inimici essetis,* sed etiam, *Alienati :* quod magnam præfert inimicitiam : neque solum alienati, sed neque exspectantes reverti. Et inimicos dicit sensu seu animo ; hinc declarans eorum alienationem non in proposito tantum stetisse ; sed quid ? *Et in operibus malis.* Et inimici, inquit, eratis ; et agebatis quæ sunt inimicorum. *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso.* Hic ponit etiam modum reconciliationis : quod in corpore non solum percussus, flagellatus et venditus, sed etiam turpissima morte mortuus sit. Rursus meminit crucis ; et rursus aliud ponit beneficium. Non solum enim liberavit, sed etiam quod superius dicit, *Qui nos fecit idoneos et sufficientes,* hic quoque tacite significat. *Per mortem ejus,* inquit, *exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso.* Non solum enim liberavit a peccatis, sed etiam in proborum ac bonorum numerum retulit. Non enim tanta passus est solum ut nos liberaret a malis, sed etiam ut primas partes assequeremur : ut si quis reum non solum liberaret a supplicio, sed etiam ad honorem eveheret. Et retulit in numerum, non solum eorum qui nihil peccarunt, sed etiam eorum qui res gesserunt maximas et præclarissimas : et quod majus est, dedit sanctitatem quæ est coram ipso. Illud autem, irreprehensibilem, majus est, quam inculpatum : irreprehensibiles enim dicimur, quando nec reprehensione nec criminatione dignum quid fecimus. Sed quoniam totum ei attribuit, dicens, quod per mortem hæc gesserit, ne quis dicat, Nulla ergo re egemus, propterea subjunxit : 23. *Si tamen permanetis in fide fundati, et stabiles, et immobiles a spe evangelii.* Eorum socordiam hic perstringit : et non solum dixit, *Permanetis :* potest enim esse ut permaneat labans et seditionem agitans ; potest etiam esse ut stet et maneat circumactus : *Si tamen permanetis,* inquit, *fundati et stabiles, et immobiles.* Papæ ! quanta usus est metaphora ac translatione ! Non solum, inquit, non labantes, sed ne moti quidem. Vide autem ; nihil interim ponit grave nec laboriosum, sed fidem et spem. Hoc est, Si maneatis credentes quod vera sit spes futurorum. Nam hic quidem potest fieri ; in virtute autem non licet ne vel parum quidem commoveri : ita non est grave. *A spe,* inquit, *evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura quæ sub cælo est.* Quænam est autem alia spes evangelii, quam Christus ? ipse enim est spes nostra, et qui hæc omnia est operatus. Quamobrem qui eam aliis adscribit, est transmotus ac transmutatus : omnia enim perdidit, nisi credat in Christum. *Audivistis,* inquit. Eos rursus citat testes, deinde totum orbem terræ. Non dicit, Quod prædicatur, sed *Quod est* jam creditum et *prædicatum,* quod etiam fecit in principio : a multorum testimonio eos volens stabilire. *Cujus factus sum ego Paulus minister.* Et hoc quoque confert ad hoc ut sit fide dignus. *Ego,* inquit, *Paulus minister.* Erat enim magna ejus auctoritas, ut qui ubique jam celebraretur et esset doctor orbis terræ. 24. *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

2. Et quænam est hæc consequentia ? Videtur quidem sejunctum, sed magnam habet consequentiam. Et *Minister,* inquit ; id est, Nihil a me afferens, sed quæ sunt alterius annuntians. Ita credo quod et pro ipso patior ; et non solum patior, sed etiam lætor patiens, ad spem futuram aspiciens ; et patior non pro me, sed pro vobis. *Et adimpleo,* inquit, *quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Videtur quidem magnum esse quod est loquutus, sed non est arrogantiæ, absit, sed magnæ in Christum benevolentiæ : non enim vult esse suas, sed illius passiones. Ita vero loquutus est, eos ipsi volens conciliare. Et quæ ego, inquit, patior, propter illum patior : quamobrem non mihi, sed illi habete gratias ; ipse enim hæc patitur. Ut si quis missus ad aliquem alium, roget dicens, Rogo te, pro me ad illum vade : deinde ille dicat, Propter hunc

hæc facio. Quamobrem non erubescit has quoque ejus appellare passiones. Non solum enim pro nobis est mortuus, sed etiam postquam fuit mortuus, paratus fuit pro nobis affligi. Contenditque et acriter conatur ostendere ipsum quoque nunc periculum subire pro Ecclesia per proprium corpus; et illuc respicit dicens, Non per nos adducimini et accessum habetis, sed per ipsum, etiamsi nos hæc faciamus : non enim nostrum opus suscepimus, sed opus illius. Et perinde est, ut si quispiam exercitus, cui obtigisset dux belli qui eum defenderet ac protegeret, in bello staret; deinde cum ille excessisset, ejus vices gerens legatus illius vulnera susciperet, donec peractum esset bellum. Deinde quod propter ipsum hoc faciat, audi : *Pro corpore ejus*, inquit; hoc volens dicere, Non vobis gratificor, sed Christo : nam quæ illum oportebat pati, ego pro ipso patior. Vide quam multa probet et confirmet. Ostendit magnum amorem; sicut in secunda Epistola ad Corinthios dicebat : *In nobis posuit ministerium reconciliationis.* Et rursus, *pro Christo legatione fungimur tamquam Deo hortante per nos* (2. Cor. 5. 18. 20); hoc hic quoque dicit, Pro ipso patior, ut ipsos magis attraheret. Hoc est, etiamsi is qui vobis debet, abiit, ego tamen reddo. Propterea enim dicit etiam, *Quæ desunt;* ut ostendat putare se ipsum nondum totum pro nobis esse passum. Dicit etiam eum post mortem pati, siquidem adhuc manserunt quæ desint. Hoc in Epistola ad Romanos aliter facit, dicens : *Qui etiam interpellat pro nobis* (*Rom.* 8. 34); ostendens eum non sola morte fuisse contentum, sed etiam postea facere innumerabilia. Non ergo seipsum extollens hæc dicit, sed volens ostendere Christum eorum adhuc curam gerere. Et rem facit fide dignam, subjungendo, *Pro corpore ejus.* Nam quod ita se habeat, et non sit improbabile, est perspicuum ex eo quod hæc fiant pro corpore ejus. Vide quomodo nos sibi conjunxit. Cur ergo in medium angelos adducitis? *Cujus factus sum ego*, inquit, *minister.* Quid alios, inquit, introducitis angelos? ego sum minister. Deinde ostendit se nihil fecisse, siquidem est minister. 25. *Cujus*, inquit, *factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vobis, ut impleam verbum Dei. Dispensationem.* Aut hoc dicit, quod sic voluit cum ipse abiisset, nos suscipere dispensationem, ne efficeremini tamquam deserti; ipse enim est qui est passus, ipse qui legatione fungitur : aut hoc dicit : Me qui omnium maxime eram persequutor, propterea sivit persequi, ut prædicans sim fide dignus : aut dicit dispensationem, quoniam non quæsivit opera, neque actiones, neque præclara facinora, sed fidem et baptisma. Non enim aliter verbum suscepissetis. *In vobis*, inquit, *ut impleat verbum Dei.* Dicit de gentibus, ostendens eos adhuc labare, dicendo, *Ut impleam.* Nam quod gentes disjectæ potuerint dogmatum tantam suscipere altitudinem, non erat Pauli, sed Dei dispensationis : Nam ego, inquit, non potuissem. Cum autem ostendisset, quod majus est, suas perpessiones esse Christi, tunc apertius subjungit, hoc quoque esse Dei, quod verbum in eis impleverit. Et hic ostendit, licet non manifeste, hoc quoque, quod dictum est, quum audire potestis, ex dispensatione esse, non autem ex incuria, sed ut sitis capaces. Deus enim non repente facit omnia, sed utitur sui demissione propter magnam suam humanitatem. Et hæc est causa, quod nunc Christus advenerit, non olim. Sic etiam ostendit in Evangelio quod servos miserit primos, ne ad cædem filii venirent. Si enim ne filium quidem Dei sunt reveriti, qui post servos venerat, multo magis antea : si minora præcepta non audierunt, quomodo majora audivissent? Quid ergo dicit? Annon sunt nunc quoque Judæi et Græci imperfectius affecti? Ea vero est summa socordia : nam post tantum tempus, post tot documenta, adhuc manere imperfectos, est magnæ hebetudinis.

3. Quando ergo dixerint Græci, Cur nunc venit Christus? ne sinamus eos hoc dicere, sed rogemus num recte se gesserit. Ut enim si venisset ab initio, et se non recte gessisset, non suffecisset tempus ad excusationem : ita quoniam se recte gessit, non est æquum ut temporis a nobis exigatur ratio. Neque enim a medico qui morbum curarit, et sanitati ægrotum restituerit, exigit quispiam rationem curationis; neque ducem exercitus victoria potitum examinat, cur in hoc tempore, et cur in illo vicerit. Nam si non rem recte gessisset, erat interrogandus; cum autem rem recte gesserit, cum laude est excipiendus. Quæ est enim, dic, quæso, fide dignior, tuane ratiocinatio et calumnia, an rei perfectio? vicitne annon? hoc ostende : Superiorne fuit annon? ad finemne perduxit quæ dixit, annon? Hæc sunt de quibus reddenda est ratio. Dic mihi, Deum omnino fateris esse, si non Christum? ex te autem sciscitor : Deusne est sine principio? Dices, Sane. Dic autem mihi : Cur non ante decies mille annos fecit homines? vixissent enim longiori tempore. Nam si bonum est esse, multo magis esse diutius. Nunc autem damnumne acceperunt ejus temporis quo non fuerunt, annon? Sed damnum non acceperunt : quomodo autem, ipse scit qui fecit? Rursus ex te quæro, cur non omnes repente et simul fecit? et illius quidem qui primus est natus, anima, tot habet annos, altera autem cum nondum sit facta, minus habet? cur illum quidem primum, hunc vero posteriorem in hunc mundum induxit? Et hæc quidem vere digna sunt, de quibus quæratur, at non quæ curiose indagentur : nam hoc ne est quidem quærendum. Ego enim dicam causam quam dixi : pone mihi quidem humanam naturam esse veluti quamdam ætatem; et primis quidem temporibus adolescentis locum habere nostrum genus; iis autem qui sequuntur, juvenis; iis vero qui sunt prope senium, senis. Jam vero cum in flore et vigore fuerit anima, laxatis membris corporis, et bello finito, tunc ducti sumus ad philosophiam. Atqui contra, inquies, res se habet : eos qui sunt adolescentes docemus, sed non magna dogmata, verum rhetoricam et dicendi facultatem; hæc vero quando florent ætate. Vide autem Deum quoque hæc facere apud Judæos.

Judæis enim tamquam pueris Deus Mosem præfecit ludi magistrum, et ut pueris hæc fecit ille, adumbrans sicut nos elementa : *Umbram enim*, inquit, *habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem* (*Hebr.* 10. 1). Sicut nos pueris et placentas emimus, et nummulos damus, unum ab eis exigentes ut nunc eant ad ludum literarium : ita Deus tunc quoque et divitias dedit et delicias, multa concedendo unum ab eis emens, ut audirent Moysem. Propterea dedit eos doctori ac magistro, ne ipsum despicerent, sed ut patrem benevolum exciperent. Vide quomodo illum solum timuerint. Non enim dixerunt, Ubi est Deus, sed, Ubi est Moyses? et cum solum adesset, erat terribilis. Quando igitur male fecerunt, vide quomodo eos puniit. Nam Deus quidem volebat eos abdicare, ipse vero non permittit; imo vero totum fuit Dei, illo tamquam patre minante, magistro autem rogante ac deprecante dicenteque, Mihi condona, et ab inde in me suscipio. Sic desertum fuit ludus literarius. Et sicut pueri cum in ludo literario fuerint longo tempore, volunt recedere : ita illi quoque tunc assidue quærebant Ægyptum, et flebant, dicentes, Periimus, consumpti sumus, interiimus. Et tabulam eorum contrivit Moyses, cum veluti quædam nomina eis scripsisset. Quod etiam fecerit magister, cum accepta tabula eam viderit male scriptam, ipsam quoque jacit tabulam, magnam iram volens ostendere; et si confregerit, pater non irascitur. Nam ipse quidem ei scribendæ incubuerat; illi autem non ad eum aspicientes, sed alio conversi, se immodeste et insolenter gerebant : et sicut in ludo literario pueri se invicem pulsant, ita tunc quoque jussit eos se mutuo verberare et interimere. Et rursus sicut dans disciplinas, deinde exigens, et non inveniens, ita puniebat. Ut verbi gratia : literæ erant Dei potentiam indicantes quæ in Ægypto gesta sunt. Sane inquit; sed illæ literæ significabant plagas. Sed et quod puniat inimicos; et erant eis ludus literarius accuratus. Quid enim erat aliud punitio inimicorum, quam vestrum beneficium? Alioqui autem vos quoque afficiebat beneficio; et perinde fuit, ut si quispiam dicat quidem se nosse literas, sparsim autem interrogatus, non inveniat, et verberetur. Ita illi quoque dicebant quidem se nosse Dei potentiam; si sparsim autem ab eis exigeretur ipsa cognitio, ne præbebant quidem, et ideo verberabantur. Vidisti aquam? debes recordari aquæ quæ fuit in Ægypto. Nam qui ex aqua fecit sanguinem, poterit ipse quoque hoc facere. Sicut nos sæpe dicimus pueris, Cum videris in libro elementum, A, recordare quod id habebas in tabella. Vidisti famem? recordare quod is ipse erat qui germina perdidit. Vidisti bella? recordare diluvii. Vidisti magnos esse qui terram habitant? sed non majores Ægyptiis. Qui ex eorum medio te exemit, annon multo magis te cum sis extra servaverit? Sed non norant se de sparsis interrogari elementis; propterea verberabantur. Comederunt et biberunt et recalcitrarunt. Oportebat in manna non quærere voluptatem, cum inde ortum malum didicissent. Et idem faciebant quod puer ingenuus missus ad ludum literarium, qui quærat degere cum servis, et eis ministrare; et cum necessarios ac ingenuo dignos cibos in mensa patris sedens sumere possit, malit frui fœtida et tumultu ac perturbatione plena servorum mensa. Ita et illi Ægyptum quærebant. Et dicebant Moysi, *Certe, Domine : omnia quæcumque dixeris faciemus, et audiemus* (*Exod.* 24. 7). Et ut patre inemendabiles filios interimere volente, magister assidue deprecatur, id tunc sæpe factum est.

4. Cur hæc a nobis dicta sunt? Quod a pueris nihil differamus. Vis audire eorum quoque dogmata puerorum esse? *Oculum*, inquit, *pro oculo, et dentem pro dente* (*Lev.* 24. 20). Merito : nihil enim ad ultionem æque incitatur atque pueri animus. Nam quoniam rationis egestas est et animi motus ac perturbatio, magna autem egestas rationis et considerationis est in illa ætate, merito ab iræ tyrannide opprimitur puer; et tanta tyrannide, ut sæpe cum ad terram se alliserit et surrexerit, aut irascens genu pulset, aut scabellum evertat, et ita dolorem sedet et iram exstinguat. Tale quid etiam Deus fecit, oculum pro oculo dans exsculpendum, et dentem pro dente, et Ægyptios perimens, necnon Amalecitas qui ipsos molestia affecerant. Et talia eis promittit, ut si quis dicat : Pater, ille me percussit; deinde dicat pater, Ille homo malus est, illum habeamus odio. Ita etiam Deus : Eis qui tibi sunt inimici ero inimicus, inquit, et eos qui te oderint, odero (*Exod.* 23. 22). Et rursus quando precabatur Balaam, puerilis erat quæ ipsis facta est animi demissio. Sicut enim pueri, cum quidpiam non formidabile vident, ut lanam et similia, statim timent; tuncque ne timere pergant, id ad manus illorum adducimus, et nutrices jubemus ostendere quid sit : ita etiam fecit Deus : quoniam vates erat terribilis, timorem illis convertit in audaciam. Et sicut infantes qui ablactantur, omnia habent in parvis calathis : ita illis quoque dabat omnia, et multas delicias. Sed sicut infans requirit mammam, ita isti quoque Ægyptum, et quæ illic erant carnes.

Laus Moysis. Cur Christus in mundum tardius venerit. — Quamobrem non aberraverit, qui Moysem et doctorem et altorem et pædagogum appellaverit, et ejus magnam dixerit esse sapientiam. Non sunt enim paria viris jam philosophis præesse, et pueris imperare, ratione minus præditis. Et, si aliud quoque vultis audire, sicut nutrix dicit infanti, Quando es egesturus, vestes tuas collige et compone, et quamdiu considebis : ita etiam faciebat Moyses. Et sicut omnes animi motus et perturbationes tyrannidem exercent in pueris (nondum enim habent aurigam), inanis gloria, cupiditas, rationis egestas, ira, invidia : ita etiam in Judæis hæc omnia dominatum obtinebant : conspuebant Moysem, verberabant. Et sicut puer accipit lapidem, et omnes clamamus, O ne jeceris : ita illi quoque lapides capiebant adversus patrem; ille vero fugiebat. Et sicut si ornamentum aliquod habeat pater, ab eo petit puer ornamenti cupidus : ita etiam fecerunt Dathan et Abiron, insurgentes adversus sa-

cerdotium (*Num.* 16). Erant autem omnium maxime invidi, rixosi et imperfecti in omnibus. Tunc ergo, dic mihi, quæso, oportuit Christum apparere; tunc hæc præcepta dare philosophica, quando furebant libidine, quando erant equi in feminas insanientes, quando serviebant pecuniæ et ventri? Sed effudisset documenta philosophiæ disserens cum insipientibus; et neque hæc, neque illa didicissent : et sicut is qui ante elementa docet legere, numquam ne elementa quidem docebit; ita tunc quoque. Sed non nunc : nam per Dei gratiam multa mansuetudo et multa virtus ubique est plantata. Pro omnibus ergo gratias agamus, et ne simus nimium curiosi. Nam tempus nos nescimus, sed scit Effector temporis, et Opifex sæculorum. Omnibus ergo illi cedamus : hoc est enim Deum glorificare, de iis quæ facit, rationem non exigere. Sic et Abraham dedit gratiam Deo : *Persuasum habens*, inquit, *quod id quod promisit potens est etiam facere* (*Rom.* 4. 21). Ille ne de futuro quidem est sciscitatus : nos autem etiam de præteritis rationem inquirimus. Vide quanta sit amentia, quantum ingrati animi vitium. Sed de cætero desistamus : nihil enim ex eo lucri accipitur, sed magnum damnum : et grato simus animo in nostrum Dominum, et Deo gloriam emittamus, ut pro omnibus offerentes gratiarum actionem, ejus misericordia dignemur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simulque sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

Cap. 1. v. 26. *Mysterium, quod fuit absconditum a sæculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus,* 27. *quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus in nobis spes gloriæ :* 28. *quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.*

1. Cum dixisset ea quæ sumus assequuti, et ostendisset Dei benignitatem et honorem, ex magnitudine eorum quæ data sunt, rursus adducit aliam amplificationem, nempe quod nec ante nos quispiam eum novit. Quod etiam facit in Epistola ad Ephesios, dicens : Neque angeli, neque Principatus, neque ulla alia creata virtus, sed solus Dei Filius novit (*Ephes.* 3. 5). Ideo non solum dixit, Conditum, sed etiam, *Absconditum;* et quod etiamsi nunc factum sit, est tamen vetus; et quod Deus hæc ab initio volebat, et sic erat constitutum; cur autem, nondum dicit. *A sæculis*, inquit, *ab initio.* Et mysterium jure vocat quod nemo noverat nisi Deus. Et ubi absconditum? *In Christo :* sicut dicit Epistola ad Ephesios (*Ephes.* 3. 9); aut sicut quando dicit propheta : *A sæculo et usque in sæculum tu es* (*Psal.* 89. 2). *Nunc autem manifestatum est sanctis ejus*, inquit. Quamobrem totum est Dei dispensationis. *Nunc autem manifestatum est*, inquit. Non dixit, Factum est, sed, *Manifestatum est sanctis ejus.* Itaque nunc quoque adhuc absconditur, siquidem manifestatum fuit solis sanctis. Ne illi ergo vos decipiant : nesciunt enim cur solis iis, *Quibus voluit*, inquit. Vide quomodo ubique reprimit eorum interrogationes. *Quibus voluit Deus*, inquit, *notas facere.* Ejus autem voluntas non caret ratione. Hoc vero dixit, eos gratiæ magis reddens obnoxios, quam si ipsos sineret de rebus a se recte gestis gloriari. *Quidnam sint divitiæ gloriæ mysterii hujus in gentibus.* Graviter dixit et præclare, et ex magno affectu pondus addidit, amplificationum quærens amplificationes : est enim hoc quoque amplificationis indefinite dicere, *Divitiæ gloriæ mysterii hujus in gentibus.* Nam maxime apparet in gentibus, sicut etiam dicit alibi, *Gentes pro misericordia glorificare Deum* (*Rom.* 15. 9) : apparet vero etiam in aliis, multo magis autem in his magna gloria mysterii. Homines enim sensu minus præditos quam lapides, repente deduxisse ad dignitatem angelorum, solummodo per nuda verba et fidem solam, absque omni operatione, revera est gloria et divitiæ mysterii. Ut si quis canem fame et scabie perditum, turpem et deformem, et qui ne moveri quidem posset, sed jaceret, repente et hominem fecerit, et in sede regia ostenderit. Vide namque : lapides adorabant et terram; didicerunt quod et cælo et sole sint meliores, et universus mundus eis serviat : erant captivi, et in vinculis diaboli; repente fuerunt supra caput ejus, eique imperabant et eum flagellabant. Cum dæmonum essent captivi et servi, corpus Domini angelorum et archangelorum facti sunt : qui ne quid esset quidem Deus sciebant, mox in eodem cum Deo throno consederunt. Vis videre innumerabiles gradus supra quos exsilierunt? Oportebat primum discere quod lapides non sint dii, secundo autem, quod non solum non sint dii, sed etiam minores hominibus; tertio, quod et brutis minores; quarto, quod et plantis; quinto, quod extrema simul collegerunt; quod non solum lapides, sed nec terra, nec animantia, neque plantæ, nec homo, nec cælum; vel, quod excelsius est, quod non lapides, non animalia, non plantæ, non elementa, non superna, non inferna, non homo, non dæmones, non angeli, non archangeli, non aliqua alia ex supernis illis Potestatibus, debet coli ab humana natura. Tamquam ex profundo aliquo haurientes discere oportebat, quod qui est omnium Dominus, is est Deus; quod eum solum oportet colere, quod res pulchra et bona sit admiranda vitæ institutio; quod mors præsens non sit mors, quod vita non vita; quod corpus resurgat, quod incorruptibile fiat, quod ascendat in cælos, quod assequatur immortalitatem, quod stet cum angelis, quod illuc transferatur. Sed hunc qui illic erat in imo, cum hæc omnia superasset et transiliisset, superius collocavit in throno : illum qui erat infra lapides, effecit superiorem angelis et archangelis et Thronis et Dominatio-

nibus. Revera bene dixit, *Quæ sint divitiæ gloriæ hujus mysterii.* Ac si quis philosophum quempiam stultum esse statim ostenderet : imo vero quidquid dixeris, nihil dices : Pauli namque verba indefinita sunt : *Quæ sint divitiæ*, inquit, *gloriæ mysterii hujus in gentibus, quod est Christus in vobis.* Rursus oportebat scire, quod qui est superior omnibus et imperat angelis, et in alias omnes potestates obtinet dominatum, descendit infra, et factus est homo, et passus est innumerabilia, et resurrexit et est assumptus.

2. Hæc omnia erant illius mysterii : et cum encomio id ponit dicens, *Quod est Christus in vobis.* Si est autem in vobis, cur angelos quæritis doctores ? *Mysterii hujus :* est enim aliud quoque mysterium. Sed hoc est revera mysterium, quod nemo novit, quod est admirabile, quod est præter communem exspectationem, quod abscondebatur. *Quod est*, inquit, *Christus in vobis, spes gloriæ, quem nos annuntiamus*, a superis eum ferentes : quem nos, non angeli : *docentes et corripientes*, non imperando, neque cum necessitate : nam hoc quoque est Dei benignitatis, non adduci tyrannice. Quoniam illud, *Docentes*, erat magnum, subjunxit, *Corripientes*, quod magis erat patris quam doctoris et magistri. *Quem nos*, inquit, *annuntiamus, corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem in omni sapientia :* id est, cum omni sapientia et prudentia ; vel omnia in sapientia dicentes. Itaque omni sapientia est opus : talia enim posse discere non est quorumvis. *Ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.* Quid dicis, *Omnem hominem ?* Certe, inquit, nostrum studium in eo ponimus. Quid enim ? etiamsi hoc non fiat, studuit tamen beatus Paulus perfectum facere. Igitur hoc est perfectio ; illud autem res est imperfecta : quo fit ut si quis non omnem habeat sapientiam, sit res imperfecta. *Perfectum in Christo Jesu.* Non in lege, neque in angelis : illud enim non perfectum. *In Christo ;* hoc est, in cognitione Christi. Qui scit quid Christus fecerit, plus sapit quam angeli. *In Christo Jesu ;* 29. *in quo et laboro certando.* Non leviter nec quomodocumque, inquit, studeo, sed, *Laboro certando*, cum multo studio, id est, cum multis vigiliis. Si ego pro vestris bonis adeo vigilo, multo magis vos debetis. Deinde rursus ostendit rem esse divinam : *Secundum operationem ejus, quæ operatur in me in virtute.* Ostendit hoc esse opus Dei. Qui ergo me ad hoc facit fortem et robustum, palam est quod hoc velit. Et ideo dicit initio, *Per voluntatem Dei.* Quamobrem non solum hoc posuit utens modestia, sed et vere dicens, *Certando.* Hoc dicens, ostendit esse multos qui cum eo pugnant. Deinde rursus magna est benevolentia : (*Cap.* 2) 1. *Volo enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis, et pro iis qui sunt Laodiceæ.* Deinde, ne hoc videatur esse eorum imbecillitatis, conjunxit etiam alios, et nondum reprehendit. *Et quicumque non viderunt faciem meam in carne.* Divine hic ostendit se eos assidue videre in spiritu. Suo autem testimonio eis tribuit multam dilectionem ; ideoque infert : 2. *Ut consolentur corda ipsorum, instructi in caritate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus in agnitione mysterii Dei Patris et Christi Jesu :* 3. *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.* Jam dogma aggredi contendit et enititur ; neque accusans, neque eos liberans ab accusatione. Certamen, inquit, habeo, seu contendo et laboro. Quare ? Ut sint compacti. Hoc est quod dicit : ut stent firmi et stabiles in fide. Sed non sic ponit, verum resecat quæ sunt accusationis ; hoc est, ut sint uniti cum caritate ; neque cum necessitate, neque cum violentia. Nam sicut dixi, absque molestia illos semper hortatur ; et propterea dicit : Angor, quia cum dilectione, et lubentes agere volo. Non ore solum, neque temere et inconsiderate fieri volo congregationem, sed ut corda eorum accipiant consolationem : *Instructorum in caritate in omnes divitias plenitudinis intellectus.* Hoc est, ut non de ulla re dubitent, ut de omnibus sint plene persuasi. Plenitudinem autem dixit eam quæ est per fidem : est enim etiam persuasio per ratiocinia, sed illa nihili est æstimanda. Scio vos credere, sed volo vos esse plene persuasos ; non in divitias solum, sed, *In omnes divitias ;* ut sitis in omnibus et plene persuasi. Vide autem beati hujus prudentiam. Non dixit, Male facitis quod non plenam habetis persuasionem, nec eos accusavit ; sed, Nescitis quomodo studeam, ut plene persuasum habeatis cum intelligentia, non temere nec leviter. Nam quoniam dixit fidem, Ne existimetis, inquit, quod temere dixerim et inutiliter, sed cum intelligentia, cum caritate. *In agnitione mysterii Dei Patris et Christi.* Quamobrem hoc est Dei mysterium, per Filium adduci. Et *Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.* Si autem sunt in ipso, sapienter quoque nunc venit. Cur ergo stulti quidam criminantur ? Vide quomodo loquitur cum simplicioribus : *In quo sunt omnes thesauri.* Ipse novit omnia. *Absconditi.* Nam ne jam existimetis vos habere universum : sunt enim absconditi etiam ab angelis, non a vobis solis : quamobrem sunt ab eo omnia petenda : ipse dat sapientiam et cognitionem. Dicendo ergo, *Thesauros*, ostendit multitudinem ; dicendo vero, *Omnes*, eum nihil ignorare ; dicendo autem, *Absconditi*, quod solus sciat 4. *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum.*

3. Vides, inquit, me hæc dixisse, ne quæratis ab hominibus. *Decipiat*, inquit, *in sublimitate sermonis.* Quid tum enim, si dicit probabiliter ? 5. *Nam et si in corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum.* Consequens erat dicere : Nam si carne absum, novi tamen deceptores ; nunc autem desiit in encomium. *Gaudens et videns ordinem vestrum, et firmamentum ejus, quæ in Christo est, fidei vestræ.* Ordinem, bene constitutum dicit ordinem. *Et firmamentum fidei, quæ in Christo est.* Hæc magis sunt laudis : et non dixit, Fidem, sed, *Firmamentum*, tamquam militibus ordinate firmiterque stantibus. Quod est firmum ac solidum non dolus labefaciat, non tentatio. Non solum, inquit, non cecidistis, sed nec ordinem vestrum confudit aliquis. Se ipsis stitit et exhibuit, ut timerent

tamquam præsentem : sic enim servatur ordo. Ex firmamento sequitur densitas. Sic enim fit firmamentum, quando multa coacta ac congregata dense et indivulse conglutinaveris, ut fit in muro. Hoc autem est opus caritatis : eos enim qui apud se sunt, quando exacte conglutinarit ac conjunxerit, fortes reddit ac solidos. Fides quoque rursus hoc ipsum facit, quando non sinit ingredi ratiocinia. Nam sicut ratiocinia dividunt et concutiunt, ita consolidat fides et condensat. Quia enim Deus nos majoribus affecit beneficiis, quam quæ possit humana ratio assequi, merito fidem introduxit. Fieri enim non potest ut sit firmus ac solidus, qui exigit rationes. Ecce enim quæ graviora et majora sunt apud nos, ratiociniis vacua soli adhærent fidei : Nusquam est Deus, et est ubique. Quid est hoc magis a ratione alienum ? Unumquodque per se est perplexum et refertum hæsitatione. Non est enim in loco ; neque est ullus in quo sit locus. Non est genitus, non seipsum fecit, non cœpit esse. Quænam ratio hæc susceperit, si non sit fides ? annon videtur esse ridiculum, et nullum habere finem magis quam ænigma ? Atque quod sit sine principio et ingenitus et incircumscriptus et infinitus, ita est dubium et perplexum : quod sit autem incorporeus, videamus num possimus indagare ratione. Deus est incorporeus. Quid est incorporeus ? Solum verbum nudum : mens enim nihil suscepit, neque sibi figuram impressit : nam si figuram impresserit, venit ad naturam, et ea quæ constituunt corpus. Quamobrem dicit quidem ore, sed quid dicat non novit cogitatio, nisi unum solum, nempe quod non sit corpus, hoc solum novit. Et quid dico de Deo ? in anima enim quid est incorporeum, quæ est facta, quæ inclusa, quæ circumscribitur ? dic, ostende. Sed non potes. Est aer ? Sed aer est corpus, etiamsi non solidum, et ex multis constat quod sit corpus laxum. Ignis est ? Sed ignis est corpus, operatio autem animæ est incorporea. Quare ? Siquidem omnia pervadit. Si autem ipsa est corpus, in loco est incorporeum : ergo circumscribitur ; quod autem circumscribitur, est in figura ; figuræ autem ex linea ; lineæ autem sunt corporum. Rursus quod est expers figuræ, quamnam habet notionem ? Non habet figuram, non formam, non locum. Vides quomodo mens caligat ? Rursus natura illa non est capax malorum : sed et sua sponte quispiam est bonus : ergo est capax. Sed dici non potest ; absit. Rursus ad hoc ut esset, volens deductus est, an nolens ? Sed nec hoc dici potest. Rursus circumscribit orbem terræ, annon ? Si non circumscribit, ipse circumscribitur : si autem circumscribit, est infinitus natura. Rursus circumscribit seipsum ? Si circumscribit seipsum, non est ergo sibi sine principio, sed nobis : non est ergo natura sine principio. Ubique oportet dare contraria. Vides quanta sit caligo, et quod ubique opus sit fide ? Ipsa est firma ac solida. Sed si vultis, veniamus ad his minora. Habet operationem illa essentia. Et quid est in eo operatio ? motusne aliquis ? Non est ergo immutabilis : nam quod movetur, non est immutabile : nam ex immobilitate movetur. Sed tamen movetur, et numquam stat. Quonam autem motu, die quæso ? apud nos enim sunt septem, sursum, deorsum, intra, foras, sinistra, dextra, circulariter : aut si non hoc, augmentum, diminutio, ortus, interitus, alteratio. Sed nullo horum, verum eo motu quo mens, movetur ? Sed nec hoc quidem ; absit : in multis enim etiam absurde mens movetur. Velle est operari ? omnes autem homines vult esse bonos et salvos : quomodo non fit ? Sed aliud est velle, aliud operari ? Ad operationem ergo non sufficit velle : Quomodo ergo dicit Scriptura, *Omnia quæcumque voluit fecit* (*Psal.* 113. 11)? et rursus leprosus dicit Christo, *Si velis, potes me mundare* (*Matth.* 8. 2) ? Vultis aliud quoque dicam? Quomodo ex iis quæ non erant, facta sunt quæ sunt ? quomodo in nihilum dissolvuntur ? Quid est cælo altius? illo autem altius quid ? et illo quid ? et quid post illud ? et hoc in infinitum. Quid infra terram est ? mare : et post ipsum quid ? et rursus post illud ? Sed in dexteris et sinistris nonne eadem est dubitatio ?

4. Sed hæc quidem sub aspectum non cadunt. Vultis in iis quæ cernuntur deducamus orationem ? in iis quæ jam evenerunt ? Dic mihi quomodo bellua Jonam habebat in ventre, et is non peribat ? annon id expers est rationis ? annon temere movetur ? quomodo justo pepercit ? quomodo calor non eum suffocavit ? quomodo non putrefecit ? Nam si in profundo solum esse, periculosum est ; esse etiam in visceribus, et in illo calore, longe periculosius. Quomodo illinc spirabat aerem ? quomodo duobus animantibus sufficiebat respiratio ? quomodo autem eum evomuit illæsum ? quomodo et loquebatur ? quomodo et apud se erat et precabatur ? annon sunt hæc incredibilia ? Incredibilia, si ratione exquiramus ; si autem fide, valde credibilia. Dicam et quod est hoc amplius ? Frumentum in sinu terræ corrumpitur et resurgit. Vide miracula contraria, et quæ alterum ab altero vincuntur : est mirandum quod non putruerint ; est mirandum quod putrefacta resurrexerint.

Contra eos qui resurrectionem negabant. — Ubi sunt qui non credunt resurrectioni, et dicunt : Hoc os quomodo huic conglutinatur ? et ejusmodi fabulosa introducunt. Dic mihi, Elias quomodo ascendit in curru ignis (4. *Reg.* 2. 11) ? Ignis solet urere, non sursum tollere. Quomodo vivit tantum tempus ? in quo est loco ? quare hoc factum est ? Quo autem translatus est Enoch ? cone cibo vescitur quo nos ? et quid vetat quominus sit hic ? At non vescitur ? et cur fuit translatus ? Vide Deum paulatim nos erudientem. Transtulit Enoch : hoc non est magnum. Hoc nos docuit in Eliæ in altum evectione. Rursum inclusit Noe in arca : neque hoc est ita magnum. Hoc nos docuit in prophetæ inclusione in ceto. Sic vetera quoque præcursoribus opus habuerunt et figuris. Sicut enim in scalis primus gradus transmittit ad secundum ; a primo autem non licet venire ad quartum, et iste ad illum, ut ille ad istum sit via ; neque ante primum fieri potest ut veniatur ad secundum : ita hic quoque. Et vide signa signorum : et videbis

hoc in scala quam vidit Jacob : Superius quidem, inquit, firmus et stabilis stabat Dominus ; inferius autem angeli ascendebant et descendebant. Prophetice nuntiabatur quod Filium haberet Pater : oportebat hoc credi. Undenam vis ostendam illius signa? ab alto infra, ab imo supra? Ostendendum erat quod gignat impatibiliter : propterea genuit primum sterilis. Imo vero ab alto petitum ducamus sermonem : credi oportebat, quod ex ipso : quid ergo? Hoc fit, sed obscure, utpote in umbra et figura ; sed fit : et procedendo fit quodammodo manifestius. Ex homine solo est mulier, et ille manet integer. Rursus conceptionis ex Virgine oportebat esse aliquod signum. Parit sterilis, non semel, sed bis et ter et sæpe. Generationis ergo ex Virgine sterilis fuit quidem typus, et illa mentem transmittit ad fidem. Iloc rursus fuit typus quod solus Deus possit gignere. Si enim quod est præstantius homo, etiam absque eo paritur ; multo magis generatur ex eo quod est illo præstantius. Est alia quoque generatio typus veritatis ; nempe nostra ex Spiritu. Hujus rursus typus est sterilis, quoniam non ex sanguinibus : hæc supernæ generationis typus est. Atque illa quidem ostendit ejus impatibilitatem ; hæc vero ex solo posse generari. Est Christus superne in omnes dominatum obtinens : oportebat hoc credi. Fit hoc in terra in homine : *Faciamus hominem*, inquit, *ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* 1. 26), ut brutis omnibus imperet. Ita non verbis, sed rebus etiam nos docuit. Naturæ separationem significat paradisus, et omnium optimum et præstantissimum esse hominem. Christus erat resurrecturus. Vide jam quot signa : Enoch, Elias, Jonas, quæ facta sunt in fornace, quæ tempore Noe facta est inundatio, semina, plantæ, nostra, et omnium animalium generatio. Nam quoniam in hoc omnia periclitabantur, hoc maxime omnium multas habuit figuras. Quod omnia non sine providentia gerantur, ex iis quoque quæ apud nos fiunt potest conjici : nullum enim eorum sine providentia manet. Sed et greges, et alia omnia opus habent ut regantur. Et quod casu non facta sint omnia, ostendit gehenna, ostendit etiam diluvium quod fuit tempore Noe, ignis, demersio Ægyptiorum, quæ facta sunt in deserto. Oportebat et baptismum multa præcedere : facta sunt illa, quæcumque in aqua, atque alia innumerabilia, ut quæ facta sunt in Veteri, quæ in piscina ; quod qui sanus non erat mundaretur, ipsum diluvium, baptisma Joannis. Oportebat credi, quod Filium suum tradat Deus : hoc prius fecit homo. Quis ille? Abraham patriarcha. Horum ergo omnium typos, si velimus, inveniemus, si quæramus in Scriptura. Sed ne defatigemur, verum in his nos componamus. Firmam et stabilem habeamus fidem : exactam et accuratam ostendamus vitæ nostræ institutionem ; ut cum per omnia Deo gratias egerimus, promissis etiam iis qui diligunt eum dignemur bonis, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simulque sancto Spiritui gloria, potestas, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Cap. 2. v. 6. *Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum nostrum, in ipso ambulate,* 7. *radicati et superædificati in ipso, et confirmati in fide, sicut et didicistis, abundantes in illa in gratiarum actione.*

1. Prius illos proprio prævenit testimonio, dicens, *Sicut accepistis.* Nihil alienum, inquit, introducimus ; ergo neque vos. *In eo ambulate :* ipse enim est via quæ adducit ad Patrem : non in angelis ; non illuc ducit hæc via. *Radicati ;* hoc est, fixi ac stabiles, non aliquando quidem hanc, aliquando vero illam, sed radicati : quod est autem radicatum seu quod radices egit, non poterit transmoveri. Vide quam proprias et appositas ponit dictiones. *Et superædificati,* inquit ; hoc est, mente ad ipsum pertingentes. *Et confirmati* in ipso ; hoc est, ipsum tenentes, tamquam super fundamentum ædificati. Ostendit eos cecidisse : hoc enim indicat illud, *Ædificati.* Revera enim ædificium est fides : et opus est forti fundamento, stabilique et tuta ædificatione. Nam si quis in tuto non ædificaverit, labascit ; et si in tuto, et non firmetur, non stat amplius. *Sicut et didicistis.* Rursus, *Sicut,* significat nihil novum dici. *Abundantes,* inquit, *in illa in gratiarum actione.* Hoc est enim eorum qui sunt memores beneficii : non solum, inquam, gratias agere, sed cum magna abundantia, plus quam didicistis, si fieri potest, cum magna animi contentione. 8. *Videte ne quis vos decipiat.* Vides quomodo ostenderit esse furem, et alienum, et sensim ingredientem? jam enim statuit ipsum ingredientem. Et pulchre dixit συλαγωγῶν, suffurantem. Ut si quispiam aggerem inferne suffodiens, sui sensum non præbeat, illud vero labatur : sic ille facit. Videte ergo : hæ sunt enim illius partes ne sensum quidem sui præbere. *Per philosophiam.* Deinde, quoniam veneranda videtur esse philosophia, addidit : *Et inanem fallaciam.* Est enim bona quoque deceptio et bonus dolus, quo multi sunt decepti, quem non fallaciam quidem aut deceptionem oportet vocare : de qua dicit Jeremias, *Decepisti me, Domine, et deceptus sum* (*Jer.* 20. 7). Nam quod est hujusmodi, ne deceptio quidem dicendum est. Nam et patrem suum decepit Jacob, sed non erat deceptio, verum dispensatio. *Per philosophiam,* inquit, *et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum.*

Observationes dierum. — Jam attingit reprehensionem dierum observationis (*a*), elementa mundi dicens solem et lunam : sicut etiam dicebat in Epistola ad Galatas : *Quomodo convertimini ad infirma et egena*

(*a*) De dierum observationibus, quæ magna fuit olim superstitio, et ad infima usque sæcula protracta fuit, multa dicta sunt in Supplemento ad Antiquitatem explanatam : quæ adeat qui voluerit.

mundi elementa (*Gal.* 4. 9)? Et non dixit, Dierum observationes, sed omnino mundi præsentis, ut ostendat quam sit res vilis : nam si mundus nihil est, multo magis elementa. Cum ergo ostendisset quam multis affecti fuerint beneficiis, tunc affert accusationem, ut majorem ostendat, et arguat auditores. Hoc etiam semper faciunt prophetæ : prius ostendunt beneficia, et tunc augent accusatione ; sicut dicit Isaias, *Filios genui et exaltavi, ipsi vero me spreverunt* (*Isai.* 1. 2) ; et rursus, *Populo meus, quid feci tibi, aut in quo te dolore affeci, et tibi molestus fui* (*Mich.* 6. 3)? et David ut quando dicit, *Exaudivi te in abscondito tempestatis* (*Psal.* 80. 8); et rursus, *Aperi os tuum, et implebo illud.* Et ubique sic invenies. Ergo etiamsi illi quidquam dicerent, non persuaderi oporteret ; nunc autem, etiam absque beneficiis, illa oportet fugere. *Et non secundum Christum.* Nam etsi ita res se haberet ut possetis et huic et illi servire, ne sic quidem oporteret : nunc autem non sinunt illa vos esse secundum Christum : ea vos inde abducunt. Cum prius Græcas labefactasset observationes, tunc etiam evertit Judaicas. Nam et Græci et Judæi plura observabant ; sed illi quidem ex philosophia, hi vero ex lege. Prius ergo accedit ad eos, apud quos majora erant accusanda. Quomodo, *Non secundum Christum?* 9. *Quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter ;* 10. *et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis.*

2. Vide quomodo in eorum accusatione illud confodit, prius ponens solutionem, et tunc objectionem. Minime enim suspecta est hæc solutio, et magis admittit auditor, utpote eum qui dicit, non ad id studium conferat. Nam illic quidem etiam contendit ne vincatur ; hic autem minime. *Quia in ipso habitat.* Hoc est, quia Deus in ipso habitat. Sed ne existimes eum esse conclusum tamquam in corpore, dicit : *Omnis plenitudo divinitatis corporaliter ; et estis in illo repleti.* Alii aiunt eum dicere Ecclesiam ab ejus divinitate repletam, sicut alibi dicit, *Qui omnia implet in omnibus* (*Ephes.* 1. 23) ; corporaliter autem, tamquam corpus in capite. Quomodo ergo non subjunxit, Quæ est Ecclesia? Quidam aiunt eum de Patre dicere, divinitatis plenitudinem in ipso habitare ; sed perperam. Primum quidem, quia habitare non proprie dicitur de Deo : secundo quia plenitudo non est quæ suscipitur ; nam *Domini est terra, et plenitudo ejus* (*Psal.* 23. 1) ; et rursus apostolus, *Donec plenitudo gentium advenerit* (*Rom.* 11. 25). Totum dicitur plenitudo. Deinde quid sibi vult illud, *Corporaliter?* Sicut in capite. Cur autem rursus idem dicit, *Et estis in illo repleti?* Quid ergo illud est? Quia nihil minus habetis quam ille : sicut in illo habitavit, ita etiam in vobis. Semper enim contendit Paulus ut nos adducat prope Christum : ut quando dicit, *Conresuscitavit, et consedere fecit* (*Ephes.* 2. 6) ; et, *Si sustinuerimus, et conregnabimus* (2. *Tim.* 2. 12) ; et, *Quomodo non etiam cum ipso omnia nobis donabit* (*Rom.* 8. 32) ; vocans etiam coheredes. Deinde de dignitate : *Et ipse est caput omnis principatus et potestatis* (*Ibid. v.* 17). Qui est superior omnibus, et causa omnis principatus et potestatis, annon est consubstantialis? Deinde admirabiliter subjunxit beneficium, et multo admirabilius quam in Epistola ad Romanos. Nam illic quidem dicit, *Circumcisio cordis in spiritu, non litera* (*Rom.* 2. 29) ; hic autem, *In Christo.* 11. *In quo et circumcisi estis circumcisione non manu facta, in exspoliatione corporis peccatorum carnis, sed in circumcisione Christi.* Vide quomodo proxime ad rem accedit. Dicit, *In exspoliatione ;* non dixit, In spoliatione. *Corporis peccatorum :* veterem dicit vitam. Eadem assidue et varie versat, sicut superius dicebat : *Qui eripuit nos a potestate tenebrarum, et abalienatos reconciliavit ut essemus sancti et inculpati* (*Col.* 1. 13). Non amplius, inquit, in gladio est circumcisio, sed in ipso Christo : non enim manus infert, sicut illic, hanc circumcisionem, sed spiritus : non partem, sed totum hominem circumcidit. Corpus est et hoc, et corpus est illud ; sed illud quidem carne, hoc vero spiritualiter circumciditur, sed non sicut Judæi : non enim carnem, sed peccata exuistis. Quando et quomodo? In baptismate. Et quod vocat circumcisionem, vocat etiam sepulcrum. Vide quomodo rursus transit ad justificationes. *Peccatorum,* inquit, *carnis,* quæ fecerunt in carne. Dicit majus circumcisione : non enim jecerunt id quod est circumcisum, sed perdiderunt, sed corruperunt. 12. *Consepulti ei,* inquit, *in baptismo, in quo et consurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis.* Sed non est solum sepulcrum : vide enim quid dicat, *In quo et consurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis.* Recte dixit ; totum enim est fidei. Credidistis quod Deus potest suscitare ; et ita suscitati estis. Deinde et quod est fide dignum : *Qui suscitavit,* inquit, *illum a mortuis.* Jam ostendit resurrectionem : 13. *Et vos cum mortui essetis in delictis et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo.* Eratis enim morti obnoxii. Quod si etiam mortui essetis, non frustra, sed utili morte essetis mortui. Vide quomodo rursus ostendit quænam erant meriti, per ea quæ subjunxit : *Donans nobis omnia delicta,* 14. *delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis ; et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci ;* 15. *et exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso. Donans nobis,* inquit, *omnia delicta.* Quænam? Quæ efficiebant mortalitatem. Et quid? sivitne ea manere? Nequaquam, sed delevit, non solum expunxit, sed delevit, ita ut non apparerent. In decretis, inquit, seu dogmatibus. In quibusnam? In fide. Sufficit ergo credere. Non operibus opera, sed opera fidei addidit. Et quid postea? Remissioni rursus subjungit deletionem. *Et ipsum,* inquit, *tulit de medio.* Et ne sic quidem servavit, sed et id disrupit, *Affigens cruci. Exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso.* Nusquam loquutus est tam magnifice.

3. Vides quantum posuerit studium ut deleretur chirographum? Nempe eramus omnes obnoxii pec-

cato et pœnæ; ipse punitus solvit et peccatum et pœnam; punitus autem fuit in cruce. Illic ergo ipsum affixit: deinde ut qui haberet potestatem, ipsum disrupit. Quodnam chirographum? Aut id dicit, quod dicebant Moysi, *Quæcumque dixit Deus faciemus et audiemus* (*Exod.* 24. 3): aut si non hoc, quod Deo debeamus obedientiam: aut si non hoc, id quod tenebat diabolus, chirographum quod Deus fecit Adamo, dicens, *Quo die e ligno comederis, morieris* (*Gen.* 2. 17). Hoc ergo chirographum tenebat diabolus. Nec id nobis dedit Christus, sed ipse id scidit; quod quidem est ejus qui lætus remittit. *Exspolians principatus et potestates.* Diabolicas dicit potestates: vel quia eas induerat humana natura, aut quoniam eas habebat tamquam ansam, homo factus amovit ansam. Hoc sibi vult illud, *Traduxit.* Recte dixit, *Traduxit:* numquam enim tam turpiter et indecore se gessit diabolus. Nam cum eum se habiturum exspectaret, etiam quotquot habuit perdidit: et corpore affixo mortui resurgebant. Illic vulnus accepit diabolus, cum id lethale accepisset a corpore mortuo. Et sicut athleta existimans se percussisse adversarium, letale vulnus accipit: ita etiam hic ostendit quod secure et confidenter mori, est probrum et dedecus diaboli. Ille enim omnia fecisset, si potuisset, ut persuaderet hominibus eum non esse mortuum. Nam quoniam totum quod postea futurum erat tempus, erat signum et indicium resurrectionis; mortis autem, si non illud fuisset, non futurum erat aliud tempus: propterea mortuus quidem est publice, omnibus videntibus; non resurrexit autem publice, ut qui sciret tempus quod postea erat futurum, veritati laturum testimonium. Nam quod mundo vidente supra in ligno occisus sit serpens, hoc est admirabile. Quid enim non fecit diabolus ut clam moreretur? Audi Pilatum dicentem: *Tollite ipsum vos, et crucifigite: ego enim nullam invenio in eo causam* (*Joan.* 19. 6). Et rursus ipsi dicebant Judæi: *Si Filius Dei es, descende de cruce* (*Matth.* 27. 40). Jam vero quoniam letale vulnus accepit, et non descendit; propterea etiam mandatus est sepulturæ: quoniam fieri poterat ut statim resurgeret; sed ut res crederetur. Atqui in morte quidem privatorum licet eam imputare animi deliquio; hic autem non ita. Nam etiam milites non fregerunt ejus crura, sicut aliorum, ut manifestum esset eum esse mortuum. Et manifesti sunt etiam qui ejus corpus sepelierunt: propterea ipsi Judæi cum militibus obsignant lapidem. Hoc enim erat, in quo maxime omnium ponebatur studium, ne id adumbraretur ac tegeretur. Et testes ab inimicis, a Judæis. Audi ipsos dicentes Pilato: *Dixit seductor ille adhuc vivens, Post tres dies resurgam. Jube ergo a militibus custodiri sepulcrum* (*Matth.* 27. 63. 64): quod ipsi fecerunt. Audi ipsos quoque postea dicentes apostolis, *Vultis inducere super nos sanguinem viri hujus* (*Act.* 5. 28). Ipsius crucis modum non sivit contumelia affici. Nam quoniam angeli nihil tale sunt passi, propterea facit omnia; ostendens quod rem magnam et præclaram mors gesserit: ea enim fuit tamquam singulare certamen. Percussit Christum mors; sed Christus percussus eam postea sustulit: mortuo corpore solutus est qui videbatur esse immortalis: et hoc vidit orbis terræ. Et quod est admirabile, hoc alteri non commisit; sed factum est rursus aliud chirographum, non tale quale prius.

4. Videte ergo ne ex eo arguamur et convincamur, postquam dixerimus: Abrenuntiamus satanæ, et tecum conjungimur, Christe. Vel potius non est hoc vocandum chirographum, sed fœdus et pactum conventum. Est enim chirographum quando quispiam est debito obnoxius: hoc autem est fœdus et pactum: non continet pœnam, neque dicit, Si hoc, si non hoc: quod dixit Moyses aspergens sanguinem testamenti, et Deus quoque vitam promisit æternam. Hæc omnia sunt pactum conventum. Illic servus agit cum domino, hic amicus cum amico. *Quo die,* inquit, *comedes, morieris* (*Gen.* 2. 17). Statim minæ. Hic autem nihil hujusmodi. Hic nuditas, et illic nuditas; sed illic quidem cum peccasset, nudatus fuit, quoniam peccavit; hic autem nudatur ut liberetur. Exuit tunc ille gloriam quam aliquando habuit; nunc hic veterem exuit hominem, et priusquam ascendat, tam facile exuit quasi vestimenta. Ungitur sicut athletæ stadium ingressuri. Simul enim nascitur, et non sicut primus ille qui paulatim, sed statim; non sicut olim sacerdotes solo capite, imo vero amplius. Nam ille quidem capite, aure dextera, manu, ut et ad obedientiam et bona opera eum excitaret: hic autem totus ungitur. Non solum enim venit ut doceatur, sed etiam ut decertet et exerceatur. Ad alteram reducitur creaturam. Nam quando confessus fuerit vitam æternam; confessus est aliam creaturam. Accepit pulverem e terra, et finxit hominem. De cætero autem non pulverem, sed Spiritum sanctum: hoc fingitur, hoc componitur, sicut et ipse in utero Virginis. Non dixit, In paradiso, sed, In cælo. Non enim, quoniam subjecta est terra, existimes esse in terra: illuc translatus es in cælum; illic hæc fiunt inter angelos. Sursum animam tuam sumit Deus, sursum eam componens et concinnans: te sistit ad sedem regiam. Fingitur ac formatur in aqua, animæ respondentem accipit spiritum. Postquam autem homo fuerit formatus, non ducit ad eum bestias, sed dæmones, et eorum principem: et dicit, *Calcate super serpentes et scorpiones* (*Luc.* 10. 19). Non dicit, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* 1. 26); sed quid? Dat eis filios Dei fieri: Qui non ex sanguinibus, sed ex Deo, inquit, nati sunt. Deinde ne audias serpentem, statim doceris dicere: Abrenuntio tibi; id est, Quidquid dixeris, te non audiam. Deinde ne per alios te expugnet, dicit, Et pompæ tuæ et cultui tuo et angelis tuis. Posuit eum, non ut custodiret paradisum, sed ut versaretur in cælo. Cum primum enim ascenderit, hæc verba loquitur: *Pater noster qui es in cælis, fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra* (*Matth.* 6. 9. 10). Non in faciem cadit puer, non lignum vides, neque fontem; sed ipsum Dominum

statim amplecteris, commisceris cum corpore, conspergeris cum corpore, quod supra situm est, quo diabolo non licet accedere. Non est mulier ut accedat, et decipiat tamquam imbecilliorem : *Non est* enim, inquit, *femina, nec masculus* (*Gal.* 3. 28). Nisi tu ad ipsum descenderis, non poterit ubi es ascendere : tu enim es in cælo: cælum autem non patet diabolo. Non habet lignum, quo cognosci potest bonum et malum, sed solum lignum vitæ. Non amplius a latere tuo mulier, sed omnes unum sumus a latere Christi. Nam si qui sunt uncti ab hominibus, nihil patiuntur a serpentibus ; neque tu patieris aliquid, quamdiu fueris unctus, ut possis serpentem tenere et suffocare, calcare super serpentes et scorpiones. Sed sicut magna sunt dona, ita quoque magnum est supplicium : non licet ei qui cecidit e paradiso, habitare ex adverso paradisi, neque reverti eo unde excidimus. Sed quid postea? Gehenna et vermis non desinens. Sed absit, ut quispiam ex nobis sit obnoxius huic supplicio ; sed ex virtute viventes, studeamus ea agere quæ ei recta videntur et sunt grata : Deo placeamus, ut possimus et a suppliciis liberari, et æternis bonis perfrui, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VII.

CAP. 2. V. 16. *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi aut neomeniæ aut sabbatorum :* 17. *quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* 18. *Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ :* 19. *et non tenens caput: ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.*

1. Cum prius dixisset ænigmatice, *Videte ne quis vos decipiat secundum traditionem hominum* ; et rursus superius, *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in probabili sermone* ; et præoccupasset animum, et effecisset sollicitum ; deinde interposuisset beneficia, et id amplificasset : tunc subjungit reprehensionem, et dicit, *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi aut neomeniæ aut sabbatorum.* Vides quomodo ea deprimit? Si ea, inquit, assequuti estis, cur vos parvis redditis obnoxios? Et extenuat dicens, *Aut in parte diei festi* : non enim tenebant omnia priora. *Aut neomeniæ aut sabbatorum.* Non dixit, Ne ergo servetis ; sed, *Ne quis vos judicet.* Ostendit ipsos transgredi et solvere ; in alios autem crimen transtulit. Ne sustineatis, inquit, eos qui judicant. Sed ne hoc quidem ; verum cum eis solum disserit, non eis os obstruens ac eos reprimens, dicendo, Non debetis dijudicare. Sed hos non reprehensurus erat. Non dixit, In mundis et immundis ; neque dixit, In scenopegiis et azymis et pentecoste ; sed, *In parte diei festi.* Non enim audebant totum servare ; et si servabant, non ita ut festum agerent. *In parte,* inquit ; ostendens quod magna ex parte sit solum : nam etsi sabbatum agebant, non tamen exacte et accurate. *Quæ sunt umbra futurorum.* Novi, inquit, testamenti. *Corpus autem Christi.* Alii quidem sic puncto distinguunt : *Corpus autem, Christi ;* veritas autem in Christo fuit : alii vero, *Corpus Christi bravium nemo vobis intervertat,* seu intercipiat. Καταβραβευθῆναι enim (quo verbo Paulus utitur) est quando aliorum quidem est victoria, aliorum vero bravium seu præmium ; quando victoriam assequuto intercipitur præmium. Stas supra diabolum et peccatum ; quid peccato te rursus subjicis? Propterea dicebat, *Quoniam debitor est totius legis implendæ* : et rursus, *Num inventus est Christus minister peccati* (*Gal.* 5. 3. *et* 2. 17)? quod dicebat scribens ad Galatas. Quando igitur eis iram moverat dicendo, *Præmium intervertat,* tunc incipit : *Volens,* inquit, *in humilitate et religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ.* Quomodo, *In humilitate?* aut quomodo, *Inflatus?* Ostendit totum esse inanis gloriæ. Quid est autem omnino quod dicitur? Erant quidam qui dicerent non oportere nos per Christum adduci, sed per angelos : illud enim est, inquiunt, majus quam ut possimus assequi. Propterea susque deque versat quæ dicta sunt de Christo : *Per sanguinem crucis ejus* reconciliati sumus (*Coloss.* 1. 20) ; *Quia pro nobis passus est* (1. *Petr.* 2. 21) ; *Quia nos dilexit* (*Ephes.* 2. 4). Et in hoc ipso rursus confixi erant. Nec dixit, Adductionem, sed, Religionem. *Quæ non vidit ambulans.* Non enim vidit angelos, sed ita est affectus tamquam si vidisset. Propterea dicit, *Inflatus sensu carnis suæ temere.* Neque enim propter rem aliquam veram, sed propter dogma fuit inflatus. Et humilitatis præ se fert speciem. Ac si diceret, Ob mentem carnalem, non spiritualem humana est cogitatio. *Et non tenens caput,* inquit, *ex quo totum corpus.* Id est, hinc habet ut sit, et ut recte sit. Quid ergo dimisso capite hæres membris? si illinc excideris, periisti. *Ex quo totum corpus.* Quicumque sit, non solum inde habet ut vivat, sed etiam ut illi conjungatur. Universa Ecclesia quamdiu habuerit caput, augetur. Non enim arrogantiæ et vanæ gloriæ est affectio, inventum humanæ mentis. Ecce illud, *Ex quo,* dicitur de Filio. *Per nexus et conjunctiones,* inquit, *subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei.* Quod est secundum Deum, inquit, et ex optimo vitæ instituto. 20. *Si ergo mortui estis cum Christo.* Medium illud ponit, et quod est vehementius utrimque. *Si mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid tamquam viventes in mundo decernitis?* Non habet consequentiam : oportebat enim dicere, Quomodo tamquam viventes subjicimini elementis? Sed hoc dimisso, quid dicit? 21. *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis :* 22. *quæ*

sunt omnia in interitu ipso usu secundum præcepta et doctrinas hominum.

2. Non estis, inquit, in mundo : quomodo subjicimini elementis? quomodo hominum observationibus? Et vide quam illos ludificetur : Ne tangas, inquit, ne contrectes, ne gustes; quasi illi quibusdam magnis abstinerent. *Quæ sunt omnia in interitu ipso usu.* Multorum dejecit tumorem, et subjunxit : *Secundum præcepta et doctrinas hominum.* Quid dicis? etiamsi legem dicas, ea jam est doctrina hominum post tempus. Aut ita dixit, quia eam adulterabant ac depravabant; aut tacite significat ea quæ sunt Græcorum. Totum, inquit, est dogma seu decretum humanum. 23. *Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione et humilitate, et non ad parcendum corpori, nec in honore quodam ad saturitatem carnis. Rationem*, inquit, non vim; ergo nec veritatem. Quamobrem etiamsi rationem habeas sapientiæ, aversamur. Nam videtur aliquis esse pius et modestus, et corpus despicere; neque tamen talis est. *Non in honore aliquo ad saturitatem carnis.* Deus enim dedit honorem; ipsi autem non usi sunt cum honore. Sic quando fuerit dogma seu decretum, id scit vocare honorem. Dedecore, inquit, afficiunt carnem, eam privantes et potestatem adimentes; non permittens ut voluntariæ dominetur : Deus carnem honoravit. (*Cap.* 3) 1. *Igitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* Eos conciliat, cum superius probasset eum esse mortuum. Propterea dicit : *Igitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* Non est illic observatio. *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Papæ! quo mentem nostram evexit? quomodo eos magno implevit spiritu! Non satis habuit dixisse quæ sursum sunt, neque ubi Christus est; sed quid? *In dextera Dei sedens.* Illinc de cætero effecit ut in terram non aspiciatur. 2. *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram :* 3. *mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* 4. *Cum autem Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* Vita, inquit, hæc non est vestra; est quædam alia vita vestra. Jam urget ut eos transferat, et contendit ostendere eos sedere superne, etiamsi sint mortui, ex utrisque probans non esse quærenda quæ hic sunt. Nam sive mortui estis, non debetis quærere; sive superne estis, non debetis quærere. Neque apparet Christus; ergo neque vita vestra : in Deo est apud superos. Quid ergo? quando vivemus? Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc gloriam quærite, tunc vitam, tunc delicias. Hæc sunt quibus iter munit, ut eos abducat a deliciis otioque et requie. Hic est mos ejus, ut alia probans et confirmans, ad alia transiliat : ut de iis loquens qui cœnam anticipabant, repente delapsus est ad observationem mysteriorum. Magnum enim quidpiam reprehensio, cum facta fuerit citra suspicionem. *Abscondita est*, inquit, a vobis. *Tunc vos quoque cum eo apparebitis.* Quamobrem nunc non apparetis. Vide quomodo eos transfert in ipsum cælum. Nam sicut dixi, semper contendit ostendere eos eadem habere quæ Christus; et per omnes suas epistolas hoc agit, ut ostendat eos societatem et communionem cum eo habere in omnibus. Propterea et caput dicit et corpus, et omnia facit, ut hoc repræsentet et exhibeat. Si ergo tunc apparebimus, ne doleamus quando honorem non assequimur : si hæc vita non est vita, sed est absconsa, tamquam mortui debemus hanc vitam vivere. *Tunc et vos*, inquit, *cum ipso apparebitis in gloria. In gloria* dixit non abs re, nec inconsiderate. Nam et margarita est absconsa, quamdiu fuerit in ostreo. Sive ergo contumelia afficiamur, ne doleamus; sive quodvis patiamur : non est enim nostra vita hæc vita : hospites enim et peregrini sumus; *Mortui enim*, inquit, *estis.* Quis adeo desipit ut mortuo corpori sepulto aut servos emat, aut domos ædificet, aut pretiosas vestes comparet? Nullus. Nec nos ergo; sed sicut unum solum quærimus, ne simus nudati : ita hic quoque unum quæramus. Sepultus est noster primus homo, sepultus est non in terra, sed in aqua; non morte ipsum dissolvente, sed eo qui mortem dissolvit, ipsum sepeliente; non lege naturæ, sed jussu fortiore quam sit et natura et dominium. Nam quæ facta sunt a natura, dissolverit etiam quispiam; quæ autem ab ejus jussu, nequaquam. Hac sepultura nihil est beatius, qua omnes lætantur, et angeli et homines et Dominus angelorum : huic sepulturæ non opus est vestibus, non loculo, nec ulla re alia ejusmodi. Vis videre symbolum seu signum? Ostendam tibi piscinam, in qua alius quidem est sepultus, alius vero resurrexit : in mari Rubro demersi sunt Ægyptii, ascenderunt et pervaserunt Israelitæ. Res eadem alium quidem sepelit, alium vero generat.

3. Ne mireris, si ortus et interitus sit in baptismate. Nam, dic mihi, solvere et conglutinare nonne sunt contraria? Cuivis est perspicuum. Hoc facit ignis : nam ceram quidem dissolvit et perdit, terram autem metallicam conglutinat, et aurum facit. Ita hic quoque, ceream statuam cum vis ignis deleverit, pro ea aurum reddit : eramus enim plane lutei ante lavacrum, aurei autem postea. Unde hoc constat? Audi ipsum dicentem : *Primus homo e terra, terrenus; secundus homo e cælo, cælestis* (1. *Cor.* 15. 47). Ego quidem dixi quantum intersit inter lutum et aurum; inveni autem majorem differentiam cælestis et terreni : non tantum autem interest inter lutum et aurum, quantum inter terrena et cælestia. Cerei eramus et lutei : nos enim liquefecit flamma cupiditatis, multo magis quam ceram ignis; et quævis nos confregit tentatio, multo magis quam luteos lapis. Et, si vultis, describamus vitam priorem, ut videamus num omnia essent terra et aqua, et hujusmodi ut instar Euripi fluerent et refluerent, essentque veluti pulvis, plane instabilia et diffluentia. Et, si vultis, examinemus non priora, sed præsentia, num omnia instar pulveris et aquæ esse reperiamus. Quid enim vis nos dicere? magistratus et principatus? nihil enim in hac vita videtur esse magis æmulandum. Sed magis inveneris pulverem in aere stantem, quam hæc, nunc

maxime. Cui enim non sunt subjecti? Iis qui ipsos amant, eunuchis, iis qui pecuniæ gratia faciunt omnia, iræ populi, potentiorum indignationi. Qui heri sublimis in tribunali, habebat præcones alta voce clamantes, et multos præcurrentes, et in foro superbe et gloriose incedentes, est hodie vilis, humilis, abjectus, ab omnibus illis desertus et nudus, tamquam pulvis eventilatus, tamquam unda quæ præteriit (*a*). Sicut autem pulvis excitatur a nostris pedibus : ita etiam pariuntur magistratus ab iis qui versantur in pecuniis, et in tota vita locum et ordinem habent pedum : et sicut pulvis quidem cum extollitur, magnam partem tenet aeris, ipse autem est modicus : ita etiam magistratus : et sicut pulvis excæcat oculos, ita etiam fastus principatus orbat mentis oculos.

Quomodo divitiæ vanæ sint et nos aliquando ignominia afficiant. Theodosii imperatoris in Antiochenos ira. — Sed quid? vis excutiamus rem valde optandam, nempe divitias? Age, eas sigillatim examinemus. Habent delicias, habent honores, habent potentiam. Atque primum quidem, si vis, examinemus delicias : annon eæ sunt pulvis? imo vero citius pulvere transeunt : nam ad linguam usque pertingit voluptas deliciarum; cum autem impletus fuerit venter, ne ad linguam quidem usque. At ipsi honores, inquit, sunt res suavis et jucunda. Et quid est illo honore insuavius, cum habeatur propter usum pecuniæ? Cum non habeatur ex libera electione, neque ex aliqua animi alacritate, non tu frueris honore, sed divitiæ. Quamobrem hoc ipsum facit divitem maxime omnium inhonoratum. Nam, dic quæso, si te habentem amicum omnes honorarent, faterentur autem te quidem nullius esse pretii, necesse autem esse ut propter illum te honorent, quomodo te ignominia aliter magis affecissent? Itaque ignominiæ causa sunt nobis divitiæ, ut quæ ipsis possessoribus sint magis honoratæ, et imbecillitatis indicium potius quam potentiæ. Quomodo ergo non est absurdum, terra et cinere (hoc enim est aurum) nos non existimari esse dignos, sed nos propter illud honorari? Et merito. Non ita vero affectus est divitiarum contemptor; melius est enim non honorari quam sic honorari. Nam dic, quæso, si quis tibi diceret, Nullo te honore dignum esse existimo, sed propter famulos tuos te honoro; an hac ignominia potest quidquam esse pejus? Si autem propter servos turpe est honorari, qui sunt participes ejusdem cujus nos animæ et naturæ : multo magis propter ea quæ sunt his viliora, domorum, inquam, parietes et atria, et vasa aurea et vestes. Hæc vere sunt ridicula et pudenda : melius est mori quam sic honorari. Dic enim mihi, si te in hoc fastu periclitantem vilis quispiam et despuendus ab hoc periculo vellet liberare, quidnam hoc esset pejus? Quod autem de civitate inter vos dicitis, volo vobis dicere. (*b*) Eum qui rerum potiebatur aliquando offendit nostra civitas, et jussit eam everti funditus, cum viris, pueris et domibus. Tales enim sunt iræ regum: potestati quantum volunt indulgent : tantum malum est potestas. Erat ergo in extremis periculis. Hæc autem vicina civitas maritima rogavit pro nobis Imperatorem : qui autem nostram habitabant civitatem, dicebant hoc esse pejus quam dirui civitatem. Adeo sic honorari pejus est, quam ignominia affici. Vide enim undenam radices agat honor. Coquorum manus faciunt ut nos honoremur; quamobrem illis debemus habere gratiam : et subulci lautam præbentes mensam, et textores et lanifici, et qui metalla operantur, et qui placentas condiunt, qui et mensas sternunt.

4. Annon ergo melius est non honorari, quam talis honoris illis habere gratiam. Præter hæc autem quod ditescere plenum sit ignominiæ, ego aperte conabor ostendere. Turpem facit animam : quid est autem hoc ignominiosius? Nam, dic quæso, si corpus esset speciosum, et omnes superans pulchritudine; accedentes autem divitiæ pollicerentur se id turpe facturas, et pro sano ægrotum, pro bene composito tumidum et inflammatum; et omnibus membris intercute repletis inflassent quidem faciem, et omni ex parte tumidam redderent, pedes quoque inflassent et trabibus fecissent graviores, inflassent et ventrem, et effecissent majorem quovis dolio; postea vero ne iis quidem, qui vellent curare, se permissuras profiterentur (ea enim est nimia potestas), sed se tantam daturas esse libertatem, ut si quis accederet ad ipsum liberandum a noxiis, eum essent punituræ : an quid immanius, quæso, esset? Cum ergo divitiæ sic animam afficiant, quomodo res pulchra fuerint? Sed nimia potestas est ipso morbo gravior : ægrotantem enim ne medicorum quidem parere legibus, est gravius quam ægrotare. Quod habent et divitiæ, facientes omni ex parte intumescere et inflammari animam, et prohibentes medicos accedere. Quamobrem propter nimiam potestatem ne eos beatos pronuntiemus, sed eorum misereamur. Neque enim, si aqua intercute jacentem viderim, et neminem vetantem quominus potu impleatur quantum velit et noxiis carnibus, eum beatum dixerim propter eam potestatem. Potestas enim non est semper bona, sicut nec honores : nam eæ superbia implent et arrogantia. Si autem nolles corpus morbum suscipere cum divitiis, quomodo despicis animam, non hanc solum, sed aliam quoque suscipientem punitionem? Undique enim æstuat febribus et inflammationibus; febrem illam nemo potest exstinguere : non sinunt enim divitiæ, utpote quæ detrimenta persuadent esse commoda : velut, neminem sustinere, et per summam licentiam omnia agere. Non enim aliam in-

(*a*) De Eutropio Eunucho actum fuit in Monito supra. Nam de eo prorsus loqui videtur.

(*b*) In sequentibus carptim agit de seditione Antiochenorum, qui Imperatricis statuas everterunt. Qua de re indignatus Theodosius, civitatem male mulctare, imo perdere parabat; sed tandem ira sedata Antiochenis pepercit. Hic quæritur quæ sit illa urbs Antiochiæ vicina ad oram maris sita, quæ Imperatorem rogavit, ut Antiochenis parceret. Quidam putant Seleuciam fuisse : sed res in incerto versatur. Quod autem singulare omnino videtur; malebant, inquit Chrysostomus, Antiocheni perire, quam istius urbis rogatu a tanto periculo eripi.

venies animam tot et tam nefariis plenam desideriis, ut eorum qui volunt ditescere. Quas enim nugas non sibi depingunt? Magis quam qui hippocentauros effingunt et chimæras et serpentipedes, et Scyllas, et monstra, videris eos effingentes. Et si quis velit eorum unam effingere cupiditatem, nihil videbuntur, nec Scylla nec chimæra neque hippocentaurus, si cum portento illo conferantur, sed videbis illam habere omnes simul belluas. Et forte existimabit quispiam me fuisse in multa divitiarum copia, ut qui in iis quæ dicuntur tam sim verax. Fertur quidam: prius enim confirmabo orationem ex iis quæ decantantur apud Græcos: fertur, inquam, quidam rex apud eos delicians eo venisse luxus, ut auream sibi fecerit platanum, cælumque superne, et ita sedisse, idque cum bellum gereret adversus belli peritos. Annon est hæc cupiditas hippocentaurorum? annon Scyllæ? Alius rursus injecit homines in bovem ligneum. Annon est Scylla? Quemdam autem ex prioribus regem, bellatorem ex viro divitiæ fecerunt mulierem (*a*); ex muliere, quid dicam? bestiam rationis expertem, et his adhuc pejus. Bestiæ enim si sint sub arboribus, suam sustinent naturam, et nihil quærunt amplius: iste autem etiam ferarum naturam longe superavit. Quid ergo divitibus fuerit insipientius? Hoc autem fit ex nimia desideriorum vi. At nonne multi eum admirantur? Fiunt itaque sicut ipse ridiculi. Hoc non ostendebat divitias, sed amentiam. Aurea illa platano quanto est terrestris platanus melior et præstantior? nam quæ sunt secundum naturam, sunt jucundiora iis quæ sunt præter naturam. Quid tibi volebat cælum aureum, o fatue? Vides quomodo insanientes faciant divitiæ? quomodo intumescant et æstuent? Existimo ipsas etiam mare non nosse, et fortasse velle etiam in ipso ingredi. Annon hæc sunt chimæra? annon hippocentaurus? Sed sunt nunc quoque qui ab ipso nihil distant; sunt etiam multo insipientiores. Quid enim, dic quæso, ab aurea platano differunt, quod attinet ad amentiam, qui amphoras faciunt aureas et ollas et alabastra? quid vero mulieres (pudet quidem, sed tamen necesse est dicere), matulas facientes argenteas? Oporteret vos pudere quæ hæc facitis. Christo esuriente tu ita indulges deliciis, imo vero desipis? quasnam hæ non luent pœnas? Deinde rogas cur latrones, cur parricidæ, cur mala, cum diabolus vos ita agitet ac discerpat? Nam discos habere argenteos, ne hoc quidem animo convenit philosophico, sed totum est plane deliciarum, immunda autem vasa facere argentea, an aliquid habet deliciarum? non dixerim deliciarum, sed insaniæ, imo vero pejus insania.

5. *Contra luxum vehementer invehitur. Vasa immunda ex argento facta. Barba aurea Persarum regis.* — Scio multos me propter hoc habere ludibrio; sed non curo, modo aliquid prosim. Revera amentes et furentes faciunt divitiæ. Si penes ipsos esset, vellent et terram esse auream, et parietes aureos, fortasse et cælum et aerem ex auro. Quis furor? quæ iniquitas? quæ febris? Alius perit frigore, qui est factus ad Dei imaginem; tu autem hæc fabricaris? O fastum et arrogantiam! quid amplius fecisset insanus? excrementa tanti facis ut ea argento excipias? Scio vos audientes obtorpescere; sed obtorpescere debent quæ hæc faciunt, et viri qui morbis hujusmodi deserviunt: est enim hoc intemperantia et crudelitas et inhumanitas et feritas et lascivia. Quæ Scylla, quæ chimæra, quis draco, vel potius quis dæmon, quis diabolus hoc fecerit? quid prodest Christus? quid prodest fides, cum toleratur aliquis ex gentibus, imo vero non ex gentibus, sed ex dæmonibus? Si caput non est ornandum auro et margaritis; qui argento utitur ad tam immundum ministerium, quamnam assequetur veniam? non sufficiunt reliqua, quamvis nec illa sunt toleranda: cathedræ et scabella ex argento tota? atqui hæc quoque sunt amentiæ. Sed ubique est fastus supervacaneus; ubique inanis gloria: nusquam usus habetur ratio, sed ubique sunt supervacanea. Ego vereor ne ab hac insania procedens sexus muliebris monstrorum formam suscipiat: verisimile est eas cupere pilos quoque habere aureos. Aut fateamini vos eo quod dictum est nihil esse affectos et excitatos, et incidisse in concupiscentiam; et nisi pudor retinuisset, non recusavissetis. Nam si audetis ea quæ sunt his absurdiora, multo magis existimo eas pilos aureos esse desideraturas, et labra, et supercilia, et totas auro liquefacto se velle illinire. Si autem non creditis, et existimatis me ridentem dicere, ego narrabo quod audivi; imo vero nunc quoque est. Rex Persarum barbam habet auream, iis qui harum rerum sunt periti, veluti subtegmine, illius pilis auri laminas involventibus: et jacet tamquam monstrum. Gloria tibi, Christe! quam multis nos implevisti bonis, ut sani essemus! a quam multis monstris et amentiis liberavisti! Ecce prædico, non amplius suadeo, sed impero et denuntio: audiat qui velit; qui non vult autem, non pareat: quod si pergatis hæc facere, non tolerabo neque vos excipiam, neque sinam ut hæc limina transeatis. Quid enim mihi opus est ægrotantium multitudine? quid vero, si vos erudiens non prohibeo quæ non sunt supervacanea? Atqui Paulus prohibuit et aurum et margaritas. Ridemur a Græcis: res nostræ videntur esse fabulæ. Et viris hæc suadeo: accedis ad ludum literarium, philosophiam discens spiritualem? aufer illum fastum. Hoc et viris suadeo et feminis; et si quispiam aliter faciat, non amplius patior. Duodecim erant discipuli: et audi quid Christus eis dicat: *Num et vos vultis abire* (*Joan.* 6. 68)? Nam si semper adulemur, quando vos recreabimus? quando proficiemus? At sunt, inquit, aliæ hæreses, et transmutantur. Frigida est hæc oratio: *Melior est unus faciens voluntatem Domini quam mille iniqui* (*Eccles.* 16. 3). Nam tu quoque, dic mihi, utrum malis,

(*a*) Exempla isthæc carptim enarrata, haud accurate posita sunt. Quis sit ille rex qui sibi platanum fecit auream, ut sub ejus umbra sederet, nescio, neque uspiam me legere memini. (De hac re vide Herodot. 7, 27.) Alius qui homines injiciebat in bovem est Phalaris. Sed hic in bovem æneum conjiciebat. Antiquior vero ille alius rex, quem ex viro divitiæ fecerant mulierem, Sardanapalus fuit.

innumeros habere servos fugitivos et fures, an unum benevolum? Ecce suadeo et jubeo ut et faciei ornamentum et ejusmodi vasa conteras, et des pauperibus, et ne sic insanias. Qui vult resiliat, qui vult accuset et reprehendat : nullum patior. Quando sum judicandus stans ad tribunal Christi, procul vos statis, et gratia vestra in nihilum cedit, me reddente rationem. Hæc verba omnia corrumpunt : discedet, inquit, et ad aliam hæresim deficiet : est imbecillus : te demitte, et te ei aliquantisper accommoda. Quo usque? semel, et bis, et ter, non perpetuo. Ecce rursus denuntio, et cum beato Paulo protestor : Quod si rursus venero, non parcam (2. *Cor.* 13. 2) : quando autem vos recte gesseritis, tunc scietis quantum lucrum, quanta sit utilitas. Certe rogo et obsecro, neque genua quidem vestra dubitem apprehendere, et pro eo supplicare. Quæ est hæc mollities, quæ deliciæ, quæ contumelia? contumelia enim est, non deliciæ. Quæ amentia? quæ insania? Tot pauperes circumsistunt ecclesiam; et tam multos filios habens Ecclesia, tam divites, nulli pauperi potest opem ferre; sed alius quidem esurit, alius vero est ebrius, alius in argento egerit, alius ne panem quidem habet quo vescatur. Quænam est hæc insania, quænam tanta feritas? Absit ut sit nobis faciendum periculum ulciscendi eos qui non obediunt, ita ut indignatione moti illos plectamus; sed lubentes et patientes illi hæc omnia obeant : ut in gloriam Dei vivamus, ut a supplicio quod illic est liberemur, et bona assequamur promissa iis qui ipsum diligunt, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA VIII.

Cap. 3. v. 5. *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idolorum servitus :* 6. *propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis :* 7. *in quibus ambulastis aliquando cum viveretis in illis.*

1. Scio multos esse offensos ea quæ hanc præcessit disceptatione; sed quid agam? audivistis quid jusserit Dominus. Num ego sum causa? quid faciam? Non videtis quomodo qui debitum exigunt, si solvere recusent debitores, eos in vincula conjiciunt? Audivistis quid hodie exclamarit Paulus : *Mortificate*, inquit, *membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idolorum servitus.* Quid est illa avaritia deterius? Hoc est gravius quam quod dicebam, nempe stoliditas illa circa argentum. *Et avaritiam*, inquit, *quæ est idolorum servitus.* Videtis ubinam malum desinat? Ne ægre feratis : non enim lubens neque temere volo habere inimicos; sed velim vos eo venire virtutis, ut ego de vobis audiam quæ oportet. Quamobrem non sunt quæ dixi auctoritatis neque imperii, sed tristitiæ et doloris. Ignoscite, ignoscite; nolo me indecore gerere de iis disserens, sed cogor. Non pro dolore pauperum hæc dico, sed pro vestra salute : peribunt enim, peribunt qui Christum non aluerunt. Quid enim, si alis pauperem? sed quamdiu sic luxui et deliciis indulges, sunt omnia supervacanea. Non enim quæritur multane dederis, sed num minus dederis quam ferant facultates : hoc enim est ludentis. *Mortificate ergo*, inquit, *membra vestra, quæ sunt supra terram.* Quid dicis? nonne tu dixisti : Sepulti estis, consepulti estis, circumcisi estis, exuimus corpus peccatorum carnis (*Rom.* 6. 4. *Col.* 2. 11. *et* 3. 9)? quomodo ergo rursus dicis, *Mortificate?* Ne ludas : hæc dicis ac si hæc sint in nobis? Non est contradictio, sed velut si quis cum a sordibus abstersisset statuam, vel potius eam denuo fudisset et conflasset, eamque de integro fulgentem reddidisset et nitidam, dicat quidem esse exesam et periisse rubiginem, suadeat autem rursus operam dare, ut deponatur rubigo, non utitur contradictione : non enim quam abstersit rubiginem, sed quæ postea adnascitur, suadet deponere. Sic neque priorem dicit mortificationem, neque illas fornicationes, sed quæ postea accedunt. Sed ecce, inquiunt hæretici, res creatas Paulus calumniatur : dixit enim superius, *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram;* rursus dicit, *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* Sed illud, *Super terram*, hic significat peccatum, nec res creatas calumniatur. Sic enim ea quæ super terram sunt vocat peccata, sive quod ex terrena cogitatione et in terra patrentur, sive quod peccatores terrenos esse ostendant. *Fornicationem, immunditiam*, inquit. Res prætermisit quas ne honestum quidem est dicere, et per immunditiam omnia ostendit. *Libidinem*, inquit, *concupiscentiam malam.* Ecce totum dixit in genere : omnia enim sunt mala cupiditas, invidia, ira, tristitia. *Et avaritiam*, inquit, *quæ est idolorum servitus. Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis.* Per multa eos abduxit : per ea quæ fuerunt beneficia; per mala futura a quibus sumus liberati; quinam cum essemus, et quare : et omnia illa; ut, quinam fuerimus, et in quibus; et quod ab eis simus liberati, quo pacto et quomodo, et propter quæ. Hæc sufficiunt ad avertendum : sed hoc est omnium vehementissimum, dictu quidem injucundum, non tamen inutile, sed etiam utile. *Propter quæ*, inquit, *venit ira Dei super filios incredulitatis.* Non dixit, Super vos, sed, *Super filios incredulitatis. In quibus ambulastis aliquando, cum viveretis in illis.* Pudorem incutiens dicit, *Cum viveretis in illis;* simul et cum laude, ut qui nunc non vivant in illis : tunc licebat ita loqui. 8. *Nunc autem deponite et vos omnia.* Et universe semper dicit et sigillatim : hæc sunt autem ex affectu. *Iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.* 9. *Nolite mentiri invicem. Turpem sermonem*, inquit, *ex ore vestro*, cum emphasi, quoniam id maculat et polluit. *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis*, 10. *et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum.* Operæ pretium est hic quærere cur membra, et hominem, et

corpus vocet vitam corruptam et depravatam ; et rursus de virtute prædito similiter agat. Et si homo sunt peccata, quomodo dicit, *Cum actibus suis ?* Semel enim dixit veterem hominem, ostendens quod hoc non sit homo, sed illud. Liberum enim animi arbitrium magis obtinet principatum quam essentia ; et hoc magis est homo, quam illud. Non enim essentia injicit in gehennam, neque inducit in regnum, sed ipsum liberum arbitrium ; et neminem amamus, neque odimus quatenus est homo, sed quatenus talis aut talis homo. Si ergo corpus quidem est essentia, ipsa autem in utrisque non est obnoxia reddendæ rationi, quomodo ipsum dicit esse malum ?

2. Quid vero dicit, *Cum suis actibus ?* Liberum arbitrium cum operibus. Veterem autem ipsum vocat, ejus volens ostendere turpitudinem et deformitatem et imbecillitatem ; et novum inquit, tamquam diceret, Ne exspectetis futurum ut ei idem accidat, sed contra : nam quo magis processerit, non tendit ad senium, sed ad majorem priore juventutem. Nam quando majorem acceperit cognitionem, majora quoque consequitur, et magis viget et majorem vim habet, non solum ob juventutem, sed etiam ob formam ad quam refertur. Ecce creatura optima vitæ institutio dicitur. Ad imaginem Christi : hoc enim est illud, *Ad imaginem ejus qui creavit ipsum.* Nam nec Christus senex mortuus est, sed erat adeo pulcher ut dici non possit. *Ubi non est masculus nec femina*, 11. *gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia, et in omnibus Christus.* Ecce tertium hujus viri encomium, quando nec gentis, nec auctoritatis, neque majorum ingreditur discrimen, cum nihil habeat externum, neque his opus habeat : talia enim omnia sunt externa. Circumcisio et præputium, servus et liber, Græcus, hoc est proselytus, et Judæus a majoribus. Si hunc solum habeas, eadem assequeris quæ alii qui habent. *Sed omnia*, inquit, *et in omnibus est Christus ;* id est, omnia nobis erit Christus, et dignitas et genus, et in vobis omnibus ipse. Aut aliud dicit, nempe : Omnes unus Christus facti estis, cum sitis ejus corpus. 12. *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti.* Ostendit facilitatem virtutis, ut et eam perpetuo habeant, et ut tamquam maximo utantur ornamento. Et est cum laude suasio : tunc enim vim habet maximam. Fuerunt enim sancti, sed non electi : nunc autem et electi et sancti et dilecti. *Viscera misericordiæ.* Non dicit, Misericordiam, sed cum majori emphasi per duo. Et non dixit, Tamquam fratribus, sed, Tamquam filiis patres. Ne mihi enim dixeris quod peccavit : propterea dixit *Viscera.* Et non dixit, Misericordiam, ne eos vilipenderet, sed, *Viscera misericordiæ. Benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam ;* 13. *supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habeat querelam : sicut et Christus donavit vobis, ita et vos.* Rursus dicit per speciem : nam a benignitate oritur humilitas, et ab ea patientia. *Supportantes*, inquit, *invicem ;* hoc est sustinentes, et alter alteri dimittentes. Et vide quomodo ipsum nihil esse ostenderit, ut qui vocarit querelam. Et adjicit, *Sicut et Christus donavit vobis.* Magnum exemplum : quod semper facit, a Christo ipsos adhortans. *Querelam* dicit. Illic quidem parvum illud esse ostendit ; quando autem adduxit exemplum, persuasit quod, etiamsi de magnis possimus accusare, oportet condonare ; illud enim, *Sicut Christus*, hoc significat : nec hoc solum, sed etiam quod ex toto corde ; neque hoc tantum, sed etiam quod oporteat diligere. Christus enim in medium adductus hæc omnia adducit : et quod etiamsi sint magna, etiamsi prius eos nulla affecerimus injuria, etiamsi nos quidem magni ; illi vero pusilli ; etiamsi sint nos postea affecturi contumelia : et quod anima pro ipsis sit ponenda ; illud enim, *Sicut*, hæc postulat : et quod nec ad mortem usque solum stare oporteat, sed si fieri possit, etiam postea.

Sine caritate nihil bonum. — 14. *Super omnia autem hæc caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Vides quod hoc dicat. Nam quoniam fieri potest ut qui condonet non diligat, Certe, inquit, oportet etiam diligere ; et ostendit viam per quam fieri potest ut condonetur. Fieri enim potest ut sit aliquis benignus et mitis et humilis et lenis, et diligat. Quamobrem in principio dixit, *Viscera misericordiæ*, et caritatem et misericordiam. *Super omnia autem hæc caritatem, quæ est vinculum perfectionis.* Hoc est autem quod vult dicere : Illa nihil prosunt ; dissolvuntur enim illa omnia ; nisi fiant cum caritate : hæc omnia illa constringit. Quodcumque bonum dixeris, si ea absit, nihil est, sed diffluit. Et sicut in navi, etiamsi magna sint instrumenta, et non sint quæ eam succingant tabulata, nihil prodest ; et in domo si non sint contignationes ; et in corpore, etiamsi magna sint ossa, non sint autem ligamenta, nihil juvat. Cujusmodicumque enim quispiam bona habeat opera et recte facta, evanescunt omnia, nisi sit caritas. Non dixit, Est fastigium, sed quod est majus, *Vinculum :* hoc enim est magis necessarium, quam illud. Nam fastigium quidem est intentio perfectionis ; vinculum autem est complexus et comprehensio eorum quæ perfectionem efficiunt, tamquam radix ; 15. *Et pax Dei exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore, et grati estote.*

3. Pax Dei est ea quæ est firma et stabilis. Si propter hominem quidem pacem habeas, ea cito dissolvitur ; sin autem propter Deum, non itidem. Quamquam dixit universe, *Caritatem*, rursus tamen venit ad id quod est singulare : est enim etiam immoderata caritas : ut, quando quispiam ex multa caritate temere accusat, depugnatque et aversatur. Non dicit, Hoc nolo ; sed sicut Deus vobiscum fecit pacem, ita vos quoque facite. Quomodo fecit ? Cum ipse voluisset, nulla re a nobis accepta. Quid est, *Pax Dei exsultet in cordibus vestris ?* Si pugnent duæ cogitationes, ne statuas iram nec insultationem tenentem bravium et præmium, sed pacem : exempli causa, sit quispiam injuste affectus contumelia : a contumelia enatæ sunt duæ cogitationes, una quidem jubens ulcisci, altera vero tolerare ; et inter se

luctantur. Si steterit pax Dei præmium distribuens, dat præmium ei quæ jubet tolerare, et illum pudore afficit. Quomodo? Persuadens Deum esse pacem, et pacem nobiscum fecisse. Non abs re nec temere ostendit rei magnum esse certamen. Ne ira, inquit, præmium distribuat, non contentio, non pax humana : pax enim humana fit ex eo quod non ulciscamur, ex eo quod nihil grave patiamur. At non hanc, inquit, volo, sed illam quam Christus reliquit. Stadium intus fecit, in cogitationibus, certamenque et præmii distributorem. Deinde rursus adhortatio : *In qua et vocati estis ;* hoc est, Propter quam vocati estis. Revocavit in memoriam quam multorum bonorum causa sit pax. Propter eam te vocavit, ejus causa vocavit, ut fide dignum acciperes præmium. Nam cur unum fecit corpus? nonne ut ipsa dominatum obtineret? nonne ut in pace degendi haberemus occasionem? Cur omnes sumus unum corpus? quomodo autem sumus unum corpus? Propter pacem unum corpus sumus, et propterea quod sumus unum corpus, in pace agimus. Cur autem non dixit, Pax Dei vincat, sed, *Exsultet*, sive præmium distribuat? Eam effecit fide digniorem : non sivit ut cum ea luctaretur mala cogitatio, sed staret inferius. Et nomen præmii excitavit auditorem. Nam si dederit præmium bonæ cogitationi, quantumcumque illa, nempe mala, sit impudens, ei de cætero nihil proderit. Alioqui autem sciens illa, quod quidquid fecerit, præmium non sit acceptura, quidquid spirarit et vehementius irruere aggressa fuerit, ut quæ inutiliter laboret, desistet. Recte autem addidit, *Et grati estote.* Hoc est enim esse gratum, et ad incutiendum pudorem valde appositum, ut conservis similiter utatur, sicut ipso Deus, domino cedat, pareat, pro omnibus gratias agat, seu contumelia affecerit quispiam, seu percusserit. Qui enim Deo agit gratias pro iis quæ passus est, non eum qui fecit ulciscetur : nam is quidem qui ulciscitur, non agit gratias. Sed ne simus sicut ille qui centum exigebat denarios, ne audiamus, *Serve nequam* (*Matth.* 18. 32) : hoc enim ingrati animi vitio nihil est pejus. Itaque ingrati sunt qui ulciscuntur. Cur autem venit ad fornicationem primam? nam cum dixisset, *Mortificate membra vestra quæ sunt supra terram*, statim dicit, *Fornicationem :* et hoc fere facit ubique. Quoniam hoc vitium maxime dominatur : scribens enim in Epistola ad Thessalonicenses, hoc fecit. Et quid mirum, cum etiam dicat Timotheo, *Teipsum castum custodi* (1. *Tim.* 5. 22); et rursus alibi : *Pacem sectemini cum omnibus et sanctificationem, sine qua nullus videbit Dominum* (*Hebr.* 12. 14). *Mortificate*, inquit, *membra vestra.* Quod est mortuum quale sit non ignoratis, exosum, abominandum, diffluens. Si mortificaveris, non manet mortuum, sed statim corrumpitur et interit sicut corpus. Exstingue ergo calorem, et nihil manet mortuum. Ostendit ipsum hoc facere, quod Christus in lavacro : propterea etiam membra vocat : tamquam aliquem virum fortem introducens, et ad majorem deducens emphasim. Et recte dixit, *Quæ sunt super terram :* hic enim manent, et hic multo magis corrumpuntur et intereunt, quam hæc membra. Quamobrem non est sic corpus a terra, sicut peccatum est terrestre : nam corpus aliquando quidem pulchrum cernitur : illa autem numquam. Et omnia quæ sunt super terram concupiscunt hæc membra. Si talis sit oculus, non videt quæ sunt in cælis, si auris, si manus, si quodvis membrum dixeris. Oculus videt corpora, et pulchritudines, et figuras has quæ sunt ex terra ; his delectatur ; auris molli cantu, cithara et fistula, et turpi sermone : hæc autem sunt circa terram. Postquam ergo superius eos collocarit juxta thronum, tunc dicit, *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* Non licet stare superius cum his membris : non est enim illic in quod ea operari oportet. Et hoc lutum est illo pejus : nam illud quidem lutum fit aurum ; *Oportet enim*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem* (1. *Cor.* 15. 53) : hoc autem lutum non potest rursus fundi et conflari. Quamobrem hæc magis sunt supra terram, quam illa. Propterea non dixit, Quæ sunt e terra, sed, *Quæ supra terram :* fieri enim potest ut hæc non sint e terra. Nam hæc quidem necesse est esse super terram ; illa autem nequaquam est necesse. Nam auris quidem cum nihil audit ex iis quæ hic dicuntur, sed ex iis quæ sunt in cælis ; quando oculus nihil videt ex iis quæ sunt hic, sed quæ supra, non est super terram ; quando os nihil loquitur ex iis quæ hic sunt, non est super terram : quando manus nihil fecerit ex iis quæ sunt mala, non est ex iis quæ sunt supra terram, sed ex iis quæ sunt in cælis.

4. Hoc etiam dicit Christus : *Si oculus tuus dexter te scandalizet*, id est, si aspicis impudice, *exscinde eum* (*Matth.* 5. 29); hoc est, malam cogitationem. Mihi autem videtur fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam, significare fornicationem, per hæc omnia nos ab ea re abducens. Id enim est revera animi morbus ; et sicut corpus patitur, aut febri laborat, aut vulneratur : ita hic quoque affectus. Et non dixit, Reprimite, sed, *Mortificate*, ut de cætero non possit resurgere, et auferte. Mortuum auferimus : velut, si calli sint in corpore, corpus est mortuum, et id auferimus. Sed si vivum secueris, affert dolorem ; sin autem morte affectum, ne sentimus quidem. Ita etiam in animi affectibus et morbis ; ea animam efficiunt patibilem, quæ est immortalis. Quomodo idololatria dicta sit avaritia sæpius diximus. Quæ enim in humanum genus tyrannidem maxime exercent, hæc sunt, avaritia et intemperantia et concupiscentia mala. *Propter quæ venit ira Dei super filios inobedientiæ.* Filios dicit inobedientiæ, eos privans venia, et ostendens eos in his esse, quod non paruerint. *In quibus*, inquit, *et vos ambulastis aliquando, et persuasi estis.* Ostendit eos adhuc esse in iis, et laudat, dicens : *Nunc autem deponitis et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem.* Non ad illos, sed orationem deducit ad alios, ne feriat. Blasphemias dicit maledicta et convicia, sicut iram dicit malitiam. Alibi autem

ad incutiendum pudorem dicit, *Alter alterius membra sumus* (*Ephes.* 4. 25). Illos facit hominum veluti opifices, alterum quidem repellentium, alterum vero suscipientium. Illic *Membra* dicit; hic *Omnia*, cor, iram; os, blasphemiam; oculos, fornicationem, avaritiam; manus et pedes, mendacium, cogitationem ipsam et mentem veterem. Unam habet formam regiam, nempe Christi. Videntur isti mihi magis esse ex gentibus, quos respicit, ostendens membra sive majora sive minora unam regiam formam habere. Sicut enim terra, cum sit arena, sua prius perdita forma, postea fit aurum; et lanæ, qualescumque sint, alteram formam accipiunt et priorem occultant: ita etiam fidelis. *Supportantes*, inquit, *invicem*. Ostendit quod justum est: tu illum patere, et ille te: quod quidem dicit in Epistola ad Galatas: *Alter alterius onera portate* (*Gal.* 6. 2). *Et grati*, inquit, *estote* (*Col.* 3. 15). Maxime enim ubique hoc quærit, ut quod sit summa bonorum.

5. *Gratias agere quando oporteat. Ligamina superstitiosa.* — Gratias ergo agamus in omnibus quidquid evenerit: hoc enim est gratiarum actio. Nam in rebus secundis hoc agere, non est magnum; ipsa enim rerum natura nos ad hoc impellit: quando autem cum ad extrema ventum est, gratias agimus, tunc est admirandum. Quando enim propter ea quæ alii maledictis insectantur et ægre ferunt, gratias agimus, vide quanta sit philosophia. Primo Deum exhilaras: secundo diabolum pudore afficis; tertio et quod factum est nihil esse pronuntias: simul enim tu gratias agis, et Deus dolorem amputat, et recedit diabolus. Nam si ægre tuleris, is, ut qui quod volebat effecerit, adest; et Deus, ut qui sit blasphemia et maledicto affectus, relinquit, et malum intendit et auget: sin autem gratias egeris, ut qui nihil proficiat, recedit; et Deus, ut qui sit honore affectus, honorem magis rependit. Nec fieri potest ut homo qui propter mala agit gratias, mala sentiat. Lætatur enim anima, ut quæ recte se gerat: statim læta est conscientia, et suis gestit et exsultat laudibus: quæ vero læta est, non potest esse tristis. Illic autem cum calamitate urget etiam flagellans conscientia; hic coronat et tamquam præconio proclamat. Nihil est lingua illa sanctius, quæ in malis Deo agit gratias: revera ea nihil distat a lingua martyrum: similiter et ipsa et ille coronatur. Nam eam quoque urget lictor, qui cogit Deum negare per blasphemiam: instat et diabolus cogitationum urgens carnificinis, et tenebras offundens animo ægritudinibus. Si quis ergo dolores tulerit, et gratias egerit, coronam accipit martyrii: exempli gratia, infans ægrotat, et Deo agit gratias; hoc matri corona est. Quo tormento non est deterior animi ægritudo? sed ea non cogit verbum acerbum emittere. Moritur: rursus agit gratias? Facta est filia Abrahami. Nam etsi propria manu non occidit, sed tamen lætata est propter sacrificium, quod par est: non succensuit cum donum auferretur. Rursus ægrotavit: non fecit ligamina? Reputatur ei martyrium; mente enim sacrificavit filium. Quid enim, si illa nihil prosunt, sed sunt fallaciæ et ludibria? Sunt tamen qui suadent ea prodesse; et maluit infantem videre mortuum, quam pati idololatriam. Ut ergo ipsa est martyr, sive in seipsa, sive in filio hoc faciat, sive in marito, sive in aliquo qui est ei carissimus: ita altera est cultrix idolorum; est enim perspicuum quod diis sacrificasset, si licuisset sacrificare: imo vero jam fecit quod est sacrificii. Ligamina enim, etsi de iis millies philosophentur qui iis utuntur, dicentes, Deum invocamus, et nihil amplius facimus; et quæ sunt hujusmodi; et, Christiana est vetula et fidelis: ea res est idololatria. Es fidelis? signa te: dic, Hæc arma habeo sola, hoc medicamentum; aliud autem nescio. Dic mihi, si quis accesserit medicus, et medicinæ dimissis medicamentis incantet, eumne dicemus medicum? Nequaquam: medicinæ enim non videmus pharmaca. Ita nec hic christianismi. Aliæ autem rursus alligant nomina fluviorum, et alia audent innumerabilia. Ecce dico et prædico vobis omnibus: quod si quispiam fuerit deprehensus, non parcam iterum, sive ligamen, sive incantationem, sive hujus artis aliquid aliud faciat. Quid vero? morietur, inquit, infans. Si sic vixerit, tunc morietur; sin autem absque illis mortuus fuerit, tunc vivit. Nunc autem si videris quidem filium versantem cum meretricibus, optas eum in terra infossum, et dicis, Quid ei prodest vivere? videns autem eum in periculo salutis, vis videre eum vivum? Non audivisti Christum dicentem, *Qui perdidit animam suam, inveniet eam; qui autem invenit, perdet eam* (*Matth.* 16. 25)? credis iis quæ dicta sunt, an tibi videntur esse fabulæ? Dic mihi, si quis dixerit, Duc in templum idolorum, et vivet, patieris? Non, inquit, Quare? Quia cogit colere idola: hic autem non est idololatria, sed solum, inquit, incantatio. Hæc est cogitatio satanica, hæ sunt diabolicæ insidiæ, tegere errorem, et in melle dare venenum. Quoniam novit se illa hac via non persuasurum, ingressus est ad amuleta et aniles fabulas: et crux quidem affecta est ignominia, literæ autem in majori honore sunt habitæ: Christus fuit ejectus, et introducitur anus ebria et delirans: conculcatum est nostrum mysterium, et choros ducit fraus diaboli. Cur ergo non arguit, inquit, Deus? Quod ab iis datur auxilium sæpe arguit, et tibi non persuasit: jam dimittit errantem. *Tradidit* enim, inquit, *ipsos Deus in reprobum sensum* (*Rom.* 1. 28). Hæc ne ethnicus quidem, qui sapit, toleraverit. Dicitur quidam orator populi Athenis aliquando hæc sibi applicasse: deinde cum quidam philosophus, illius magister eum vidisset, reprehendisse, conquestum esse, momordisse, traduxisse. Nos autem adeo misere affecti sumus, ut his credamus.

Cur miracula non fiant. Quarumdam superstitionum descriptio. — Cur non sunt, inquies, qui mortuos suscitent, et curationes peragant? Cur, non dico: cur nunc non sunt qui vitam despiciant præsentem? cur mercede Deo servimus? Quando imbecillius affecta erat humana natura; quando oportebat plantari fidem erant multi hujusmodi; nunc autem non vult

nos pendere ab his signis, sed paratos esse ad mortem. Cur ergo vitæ præsenti inhæres? cur futura non aspicis? et pro hac quidem etiam idola colere sustines, pro illa autem ne subire quidem aliquam animi ægritudinem? Propterea non sunt nunc tales, quoniam turpis nobis visa est illa vita; siquidem pro illa nihil agimus, pro hac autem nihil recusamus perpeti. Quid vero aliud quoque ridiculum, cinis et fuligo et sales? et rursus in medium prodit anicula. Res plane ridicula et pudenda. Et oculus, inquit, rapuit infantem.

6. Quousque hæc satanica? quomodo non ridebunt Græci? quomodo non subsannabunt, quando eis dicemus magnam esse virtutem crucis? quomodo id eis persuadebitur, cum videant nos opus habere iis quæ ipsi irridenl? propterea Deus dedit medicos et medicamenta? Quid vero, si illi non curent, sed puer excedat? Quo abit, dic quæso, infelix et miser? ad dæmonesne abit et ad tyrannum? annon abit in cælum? annon ad suum Dominum? quid ergo doles? quid fles? quid luges? quid infantem magis diligis quam Dominum? nonne propter illum eum habes? cur est ingratus, qui donum plus ames quam illum qui dedit? At sum, inquit, imbecillus, et non fero Dei timorem. Nam si in malis corporalibus majus tegit minus, multo magis in anima timor solvit timorem, et dolor dolorem. Erat puer pulcher? Sed cujusmodicumque esset, non erat Isaaco pulchrior: erat ille quoque unicus. In senectute tibi natus est? Et ille. Sed est venustus et elegans? Verum cujusmodicumque sit, non est Moyse venustior et elegantior, qui etiam barbaricos oculos illexit ad sui amorem, idque eo tempore ætatis, in quo nondum apparet venustas et elegantia; sed tamen eum dilectum in fluvium jecerunt parentes. Tu quidem et vides jacentem, et mandas sepulturæ, et abis ad monimentum: illi autem nesciebant num piscibus esca esset futurus, an canibus, an alicui alii bestiæ ex iis quæ pascuntur in mari: et hæc faciebant, cum nihil adhuc scirent de regno, neque de resurrectione. At non est unicus, sed ipse quoque post multos excessit? Sed non tam repentina et tam accumulata tristisque fuit calamitas, quam quæ Jobo accidit: non tecto dejecto, non inter prandendum, non calamitatibus prius annuntiatis. At a te diligebatur? Sed non magis quam Joseph devoratus a bestia; sed tamen tulit calamitatem, et quæ post illam exstitit, et quæ post hanc. Pater flevit, sed non impie se gessit; luxit, sed non intolerabiliter tulit, sed usque ad hæc verba constitit, dicens, *Joseph non est, Symeon non est, et Benjamin auferetis? in me facta sunt omnia* (*Gen.* 42. 36). Vides quomodo illi persuaserit famis tyrannis ut filios despiceret; apud te autem non tantum potest Dei metus, quantum fames? Lacrymare, non veto; sed nihil blasphemum dixeris nec feceris. Cujusmodicumque sit filius, non est cum Abele conferendus: sed nihil tale dixit Adam. Atqui gravis erat illa calamitas: quid enim gravius, quam quod frater fratrem interfecerit? Sed enim aliorum quoque fratricidarum opportune subit memoria: velut quando Absalon Ammon interfecit primogenitum (2. *Reg.* 13): et David rex amabat puerum, et in sacco quidem jacebat et cinere. Non vero adduxit divinatores, neque incantatores, etsi tunc erant; idque ostendit Saül: at Deo supplicabat. Tu quoque id fac: quod justus facit, fac tu quoque; eadem dic verba, quando mortuus fuerit infans: Ego ad ipsum abibo, ipse vero non veniet ad me. Hoc est philosophiæ, hoc est benevolentiæ. Ut ames infantem, non tantum amas, quantum ille tunc, etiamsi esset natus ex adulterio: tenebatur autem tunc ille beatus summo matris desiderio. Scitis autem fœtus amoris parentum participes esse. Et tantus erat amor, ut et si propter eum male audiret, vellet tamen eum vivere: sed tamen Deo egit gratias. Quomodo affectam existimas fuisse Rebeccam, quando Jacobo minatus est frater? maritum non affecit molestia, sed jussit cum amandare. Cogita quæ sunt his pejora, cum grave aliquid pateris, et sufficientem habebis consolationem; et apud te reputa, quid si in bello esset mortuus? quid si in igne? et quidquid passi fuerimus, graviora cogitemus, et sic sufficientem habebimus consolationem; et eos qui graviora passi sunt, semper consideremus; necnon si ipsi graviora aliquando passi sumus. Sic etiam hortatur Paulus, ut quando dicit, *Nondum usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum decertantes* (*Hebr.* 12. 4); et rursus, *Tentatio vos non apprehendit, nisi humana* (1. *Cor.* 10. 13). Iis ergo quæ passi fuerimus graviora consideremus; inveniemus enim; et sic erimus grati. Ante omnia autem, propter omnia assidue gratias agamus: sic enim et hæc cessabunt, et nos ad Dei gloriam vivemus, et bona promissa assequemur: quæ detur nobis assequi gratia et benignitate, etc.

HOMILIA IX.

Cap. 3. v. 16. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes et commonentes vos ipsos in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Domino:* 17. *et omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.*

1. *Quomodo grati in Deum fieri possimus. Scripturæ sacræ legendæ.* — Cum suasisset esse gratos, viam ostendit. Quam illam? De qua nos vobiscum prius disseruimus. Quid dicens? *Verbum Christi habitet in vobis abundanter.* Imo vero non hanc solum, sed etiam aliam. Nam ego quidem dixi, quod oportet eos etiam recensere qui graviora passi sunt, et animo versare eos qui sustinuerunt ac tolerarunt graviora quam nos, et gratias agere quod illa non evenerint: ipse vero quid dicit? *Verbum Christi habitet in vobis abundanter;* hoc est, doctrina, dogmata, admonitio,

in quibus vitam præsentem nihil esse dicit, neque ejus bona. Si enim hæc viderimus, nulli ex iis quæ sunt aspera et difficilia cedemus. *Inhabitet*, inquit, *in vobis abundanter*. Non solum dixit, Habitet, sed etiam cum magna abundantia. Audite quicumque estis mundani, et uxori præestis et liberis, quomodo vobis quoque maxime mandet legere Scripturas, et non leviter nec temere, sed magno studio ac diligentia. Nam sicut qui est dives in pecuniis, ferre potest damnum et condemnationem : ita etiam qui est dives in dogmatibus philosophiæ, facile ferre potest non solum paupertatem, sed etiam alias calamitates, etiam illo facilius. Nam illic quidem dum damnum exsolvitur, necesse est ut qui est dives detrimentum accipiat et arguatur; et si hoc ei sæpe acciderit, non poterit amplius ferre : hic autem non sic; non enim sanas et rectas consumimus cogitationes ac rationes, cum ferre oporteat aliquid quod nolumus, sed manent perpetuo. Vide autem hujus beati prudentiam. Non dixit, Verbum Christi sit in vobis, solummodo; sed quid? *Inhabitet*, et, *Abundanter : In omni sapientia docentes et commonentes vosmetipsos*. Virtutem dicit sapientiam; et merito : humilitas enim est sapientia, itemque eleemosyna, et quæ sunt hujusmodi : ut et contraria sunt insipientia; est enim crudelitas ex insipientia. Unde multis in locis omne peccatum vocat insipientiam : *Dixit* enim, inquit, *insipiens in corde suo, non est Deus;* et rursus, *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* 13. 1. *et* 37. 6). Quid enim, dic quæso, est eo stultius, qui vestimentis quidem vestitur, fratres autem suos despicit nudos? qui canes quidem alit, Dei autem imaginem in fame contemnit? cui plane est persuasum nihil esse res humanas, et eis est affixus, tamquam sint immortales? Sicut ergo nihil est tali viro insipientius, ita nihil est eo sapientius qui ex virtute se recte gerit. Vide enim, inquit, quomodo sit sapiens : facultates suas impertit, est misericors et benignus, agnovit communem esse naturam, agnovit usus pecuniæ nullam esse habendam rationem, suis corporibus magis esse parcendum, quam pecuniis. Quamobrem quicumque gloriam despicit, est philosophus : novit enim res humanas. Divinarum et humanarum rerum cognitio est philosophia. Ergo novit quidem quæ sint res divinæ, et quæ humanæ; et ab his quidem abstinet, illas vero exercet et operatur : scit autem etiam in omnibus Deo agere gratias : vitam præsentem nihil esse existimat : propterea nec lætatur rebus secundis, neque propter adversas dolore afficitur. Neque alium exspectes doctorem : habes Dei eloquia : nullus te docet sicut illa. Nam ille quidem sæpe se occultat propter vanam gloriam et propter invidiam. Audite, quæso, vos omnes, quibus curæ sunt quæ ad hanc vitam pertinent, et parate vobis libros medicamenta animæ. Si nullum alium vultis, novum Testamentum vobis parate, apostolorum Actus, Evangelia, magistros perpetuos. Si dolor acciderit, tamquam in medicamentorum apothecam aspice, illinc mali accipe consolationem; si damnum, si mors, si tuorum amissio : imo vero non aspice, sed omnia suspice, et mente tene. Hoc est omnium malorum causa, nescire Scripturas. Absque armis imus ad bellum; et quomodo oportet esse salvos? Præclare nobiscum agitur, si cum his salvi simus; tantum abest ut absque his salvi esse possimus. Ne omnia in nos conjiciatis : oves estis, sed non rationis expertes, verum ratione præditæ : multa vobis quoque mandat Paulus. Qui docentur, non semper tempus terunt in discendo, quoniam non docentur : si semper discas, numquam disces. Ne ita accedas tamquam futurum sit ut semper discas; alioqui numquam scies; sed tamquam discendi finem assequuturus, et alium docturus. Dic mihi, annon definita tempora in disciplinis exspectant omnes, et in omnibus artibus? Sic omnes certum tempus definimus : sin autem semper discas, est signum quod nihil didiceris.

2. Hoc Deus exprobravit Judæis, *Qui tolluntur ex utero, et erudiuntur usque ad senium* (*Isai.* 46. 3. 4). Si non semper hoc exspectavissetis, non sic omnia retro abiissent. Si res ita haberet ut alii quidem didicissent, alii vero essent erudiendi, opus nobis profecisset; aliis cessuri eratis, et nobis opem tulissetis. Dic mihi, quæso, si aliqui irent ad literatorem, deinde manerent semper discentes elementa, annon magistro multum laboris essent exhibituri? Quousque vobiscum de vita disseremus? Apud apostolos non ita erat, sed assidue transiliebant, eos qui prius discebant constituentes magistros aliorum qui discebant. Sic potuerunt obire orbem terræ, quod uni loco non essent alligati. Quam multos nostros fratres qui sunt in agris, et eorum magistros existimatis egere doctrina? Sed vos me tenetis affixum. Nam priusquam caput recte sit affectum, supervacaneum est ire ad reliquum corpus. Omnia in nos congeritis. Oporteret vos a nobis solum discere; uxores autem a vobis, filios a vobis; sed nobis omnia relinquitis. Propterea magnus est labor. *Docentes*, inquit, *et commonentes vosmetipsos in psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus*. Vide quam non importunus et molestus sit Paulus. Quoniam lectio est laboriosa, et valde molesta et gravis, non deduxit ad historias; sed ad psalmos, ut simul et animum oblectes canens, et fallas laborem. *Hymnis*, inquit, *et canticis spiritualibus*. Nunc autem satanica quidem cantica, et saltationes vestri deligunt pueri, sicut coqui et obsonatores, et qui choros agunt : nemo autem ullum novit psalmum, sed revidetur esse pudenda, ridicula et subsannanda. Illinc conservantur omnia mala. In quali enim terra steterit planta, talem fert fructum : si in arenosa et salsa, talem; si in dulci et pingui, rursus similem. Sic fons quidam sunt documenta. Doce eum canere psalmos illos plenos philosophia : nempe statim de moderatione et temperantia, imo vero ante omnia de consuetudine non habenda cum malis, statim ab ipso initio libri (propterea enim hinc quoque incepit propheta, dicens, *Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum* [*Psal.* 1. 1]; et rursus, *Non sedi cum concilio vanitatis;* et rursus, *Nihil factus est in conspectu eius*

malignus : timentes autem Dominum glorificat [*Psal.* 25. 4. *et* 14. 4]) : de consuetudine habenda cum bonis (et hæc et multa alia ibi invenies) ; quod ventri imperandum sit, de continendis manibus : quod plura habendi cupiditate teneri non oporteat : quod nihil sint pecuniæ, nec gloria ; et quæ sunt hujusmodi. Quando ab ineunte ætate puerum his instruxeris, paulatim duces ad altiora. Psalmi habent omnia, hymni autem rursus nihil humanum : quando in psalmis didicerit, tunc etiam sciet hymnos, utpote rem diviniorem. Superiores enim potestates hymnos canunt, non psallunt : *Non est* enim, inquit, *speciosus hymnus in ore peccatoris* (*Eccli.* 15. 9) ; et rursus, *Oculi mei super fideles terræ, ut ipsi mecum sedeant ;* et rursus, *Non habitat in medio domus meæ qui facit superbiam ;* et iterum, *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat* (*Psal.* 100. 6. 7. 2). Adeo ut caveatis non solum ne cum amicis, sed ne cum servis quidem se misceant. Mala enim innumera liberis importantur, quando servos corruptos eis præfecerimus. Si enim patris fruentes tanta et benevolentia et philosophia, vix salvi evadunt ; si illos tradamus servis bonum nihil curantibus, quales futuri sunt? Illis tamquam inimicis utuntur, existimantes illos moderatiores fore dominos, si insanos illos, improbos et nullius pretii reddant. Ante alia ergo omnia hæc curemus, et his operam demus. *Dilexi*, inquit, *eos qui diligunt legem tuam.* Hunc ergo nos quoque æmulemur et hos diligamus. Ut rursus autem temperantes et moderati sint pueri, audiant prophetam dicentem : *Lumbi mei impleti sunt illusionibus ;* et rursus, *Perdes omnes qui fornicantur abs te* (*Psal.* 37. 8. *et* 72. 27). Et quod ventri oporteat imperare, rursus audiant : *Et occidit*, inquit, *plures eorum, cum esset adhuc esca in ore eorum* (*Psal.* 77. 30. 31). Et quod oporteat non vinci a muneribus : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere* (*Psal.* 61. 11). Et quod gloriæ sit dominandum, hoc quoque ibi invenient : *Neque cum eo descendet post ipsum gloria ejus* (*Psal.* 48. 18) : quod maligni non sint æmulandi : *Noli æmulari in malignantibus* (*Psal.* 36. 1) quod principatus et potestates nihili oporteat existimare : *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani ; et transivi, et ecce non erat* (*Ib. v.* 35. 36) : quod præsentia nihili sint facienda : *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt ; beatus est populus, cujus est Dominus Deus adjutor* (*Psal.* 143. 15) : quod non impune peccamus, sed sit remuneratio : *Tu reddes unicuique secundum opera sua.* Cur autem non reddat quotidie? *Deus judex justus, et fortis, et patiens* (*Psal.* 61. 13. *et* 7. 12). Quod bonum sit humilitas : *Domine*, inquit, *non est exaltatum cor meum* (*Psal.* 130. 1) : quod malum sit superbia : *Propterea*, inquit, *tenuit eos superbia in finem* (*Psal.* 72. 6) ; et rursus, *Dominus superbis resistit* (*Prov.* 3. 34. *in Græco*) ; et rursus, *Egredietur tamquam ex adipe iniquitas eorum* (*Psal.* 72. 7). Quod bonum sit eleemosyna : *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum* (*Psal.* 111. 9) : quod laudandum sit misereri : *Bonus est vir qui miseretur et commodat* (*Ib. v.* 5). Et his longe plura illis invenies philosophiæ dogmata : ut, quod non sit maledicendum : *Detrahentem*, inquit, *clanculum proximo suo hunc persequebar* (*Psal.* 100. 5). Quis sit hymnus supernorum, quid superne dicunt Cherubim, sciunt fideles. Quid dicebant angeli infra positi? *Gloria in excelsis Deo* (*Luc.* 2. 14). Propterea post psalmodias hymni, utpote res quædam perfectior. *In psalmis*, inquit, *hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* Aut hoc dicit, quod propter gratiam hæc nobis dedit Deus ; aut canticis quæ sunt in gratia ; aut admonentes nos ipsos et docentes in gratia ; aut quod in gratia habebant hæc dona ; aut hæc est explicatio. A gratia, inquit, spiritus. *Cantantes in cordibus vestris Deo.* Non solum, inquit, ore, sed cum attentione.

3. Hoc enim est Deo canere, illud vero aeri ; vox enim temere diffunditur. Non ad ostentationem, inquit. Etiamsi sis in foro, potes teipsum convertere, et Deo canere nemine audiente. Nam sic quoque orabat Moyses, et fuit auditus : dicit enim, *Quid ad me clamas?* Atqui nihil dicebat, sed mente clamabat cum corde contrito : quamobrem Deus solus exaudiit. Nihil enim vetat quominus et ambulans corde oret, et sursum sit. *Omne quodcumque facitis*, inquit, *in verbo aut in opere, omnia facite in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.* Nam si sic faciamus, nihil erit scelestum, nihil immundum, ubi Christus invocatur. Si comedas, si bibas, si uxorem ducas, si peregre proficiscaris, in nomine Dei fac omnia ; hoc est, eum vocans adjutorem : in omnibus eum prius orans, res aggredere. Vis aliquid loqui? hoc præpone. Et ideo nos quoque in epistolis nomen Domini præponimus. Ubi fuerit nomen Domini, omnia sunt fausta et felicia. Nam si Consulum nomina efficiunt ut firmatæ et validæ sint tabellæ, multo magis nomen Christi. Aut hoc dicit, Secundum Deum omnia et dicite, et agite : nolite angelos introducere. Comedis? Deo age gratias, et itidem postea id facturus. Dormis? age gratias, et itidem postea idem facturus. Vadis ad forum? fac idem, nihil mundanum, nihil quod ad vitam præsentem pertineat. Fac omnia in nomine Domini, et omnia tibi recte succedent. Ubicumque positum fuerit Dei nomen, omnia sunt fausta et felicia. Si dæmones expellit, si morbos propulsat, multo magis rebus affert facilitatem. Quid est, Facere in verbo aut in opere? Vel exeuntem, vel quidvis facientem. Audi quomodo Abraham famulum suum in nomine Dei misit : David in nomine Dei Goliath interemit. Admirabile est nomen ejus et magnum. Et rursus Jacob filios suos mittens, dicit : *Deus autem meus det vobis gratiam coram homine* (*Gen.* 43. 14). Nam qui hoc facit, Deum habet adjutorem, sine quo nihil ausus est facere. Utpote ergo honoratus, cum fuit invocatus, vicissim honorabit rebus afferens facilitatem. Invoca Filium, gratias age Patri. Nam dum invocatur Filius, invocatur et Pater ; et dum ei aguntur gratiæ, Filio quoque gratiæ aguntur. Hæc discamus non verbo tenus, sed per facta implere. Huic nomini nihil potest æquipa-

rari : hoc ubique est admirabile : *Unguentum*, inquit, *effusum nomen tuum* (*Cant.* 1. 2). Qui hoc dixit, statim bono odore fuit repletus. *Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (1. *Cor.* 12. 3). Hoc nomen tam multa operatur. Si dixeris, *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, cum fide, hæc perfecisti. Vide quam multa fecisti : creasti hominem, et alia omnia operatus es ex baptismate. Sic morbis imperans nomen fit terribile. Propterea diabolus introduxit ea quæ sunt angelorum, honori nostro invidens. Dæmonum tales sunt incantationes. Etiamsi sit angelus, etiamsi archangelus, etiamsi Cherubim, ne patiaris : nam ne hæ quidem Potestates excipient, sed excutient cum viderint Dominum contumelia affectum. Ego te honoravi, inquit, et dixi, Tu me invoca : et tu eum dedecore afficis? Si hoc carmen cum fide cantaveris, et morbos et dæmones fugabis : et si morbum non propulsaris, non id fit propter imbecillitatem, sed eo quod expediat. Secundum magnitudinem tuam, inquit, sic et laus tua. Per hoc nomen orbis terræ fuit conversus, fracta est tyrannis, conculcatus fuit diabolus, aperti sunt cæli. Et quid dico, cæli? nos per hoc nomen sumus regenerati. Si hoc habeamus, resplendemus. Hoc et martyres facit et confessores : hoc pro magno dono teneamus, ut in gloria vivamus, et Deo placeamus, et digni habeamur bonis promissis iis qui ipsum diligunt, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA X.

Cap. 3. v. 18. *Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet in Domino.* 19. *Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse erga illas.* 20. *Filii, obedite parentibus per omnia : hoc enim placitum est in Domino.* 21. *Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* 22. *Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum.* 23. *Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, et non hominibus,* 24. *scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis : Domino Christo servite.* 25. *Qui autem injuriam facit, recipiet id quod inique gessit; et non est personarum acceptio apud Deum.* Cap. 4. v. 1. *Domini, id quod justum est et æquum, servis præstate, scientes quod et vos Dominum habetis in cælo.*

1. Cur non ubique et in omnibus epistolis hoc præcipit, sed hic, et in Epistola ad Ephesios, et in Epistola ad Timotheum, et ad Titum? Quoniam verisimile est in his civitatibus fuisse seditiones : aut verisimile est eas in aliis se recte gessisse, in his vero minus recte, adeo ut oporteret eos de his audire. Vel potius quod iis dicit, dicit omnibus. Magnam autem similitudinem habet hæc epistola cum Epistola ad Ephesios in his quoque. Alibi vero id non facit : aut quod ad viros jam pacem agentes, quos oportebat sublimia, quæ eis adhuc deerant, dogmata discere, non oportebat de his scribere : aut quod cum consolationem jam accepissent in tentationibus, supervacaneum esset de his audire. Quamobrem conjicio hic jam firmam et stabilem esse Ecclesiam, et hæc dici in fine. *Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet in Domino.* Id est, Subditæ estote propter Deum : quoniam hoc, inquit, vos ornat, non illos. Non enim hero debitam subjectionem, neque eam solum quæ est a natura, sed eam etiam dico quæ est propter Deum. *Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas.* Vide rursus quomodo suaserit quod alteri ab altero est præstandum. Sicut illic ponit metum et caritatem, ita hic quoque : potest enim esse, ut qui diligit sit acerbus. Hoc est ergo quod dicit : Ne pugnetis : nihil est enim hac pugna acerbius, quando viri fuerit pugna adversus uxorem. Nam quæ adversus personas quæ diliguntur sunt pugnæ, eæ sunt acerbæ; et ostendit hoc fieri ex magna acerbitate, cum alicui adversus suum membrum est dissidium. Atque diligere quidem est virorum, illarum vero cedere. Si ergo unusquisque quod suum est afferat, stant omnia firma et stabilia. Ex eo enim quod diligatur, fit mulier amica et benevola; ex eo autem quod sit subdita, vir fit mitis et clemens. Vide autem quod hoc quoque natura sic sit comparatum, ut vir quidem diligat, mulier autem obediat. Nam quando is qui imperat, diligit eum qui paret imperio, tunc consistunt omnia. Non tam ab eo qui paret quæritur dilectio, quam ab eo qui imperat erga eum qui paret : ab illo enim est obedientia. Nam quod mulieri est pulchritudo, viro autem cupiditas et desiderium, nihil aliud ostendit quam quod sic fiat propter dilectionem. Ne ergo, quoniam subjecta est mulier, sis insolens; neque tu, quoniam vir diligit, intumesce. Neque viri amicitia extollat mulierem; neque mulieris subjectio inflet virum. Propterea tibi eam subjecit, o vir, ut magis ametur : propterea te fecit amari, o mulier, ut facile feras quod sis subjecta. Ne timeas quod sis subjecta; ei enim qui amat esse subjectum, nullam habet difficultatem : ne timeas amans; habes enim ipsam cedentem. Non alias ergo esset vinculum. Habes necessarium a natura imperium; habe etiam vinculum quod est ex caritate : eam enim quæ est imbecillior, sinit esse tolerabilem. *Filii, obedite parentibus per omnia : hoc enim placitum est in Domino.* Rursus posuit, *In Domino*, et leges ferens obedientiæ, et pudorem incutiens, ac deprimens. *Hoc enim*, inquit, *est placitum Domino.* Vide quomodo non ex sola natura, sed ante eam ex iis quæ Deo placent, vult nos omnia agere, ut etiam mercedem habeamus. *Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Ecce hic quoque rursus est subjectio et amor. Et non dixit, Diligite filios; esset enim supervacaneum; ipsa quippe cogit natura; sed correxit quod oportuit, quod et amor hic

esset vehementior, quoniam et major est obedientia. Nusquam enim ponit exemplum viri et mulieris; sed quid? Audi prophetam dicentem : *Sicut pater miseretur filiorum, misertus est Dominus timentium eum* (*Psal.* 12. 13). Et rursus dicit Christus : *Quis est ex vobis homo, a quo si petierit filius panem, num lapidem dabit ei? et si petierit piscem, non serpentem dabit ei* (*Matth.* 7. 9)? *Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, ne pusillo animo fiant.* Quod sciebat idoneum ut maxime eos morderet, hoc posuit, et amantius dixit eis imperans, et nusquam ponit Deum : fregisset enim parentes, inflectens eorum viscera. Illud autem, *Nolite provocare*, hoc est, Ne reddite eos contentiosiores; est enim, ubi debetis illis aliquid concedere. Deinde venit ad tertium imperium, *Servi*, inquiens, *obedite dominis carnalibus.* Est hic quoque amor quidam, sed non ita naturalis sicut superius, sed consuetudinis et ab ipso imperio et a factis. Quoniam ergo hic quidem id quod est amoris, est succisum ac diminutum : quod est autem obedientiæ, intensum et amplificatum, in eo vult immorari, et quod primi habent a natura, hoc eis dare ex obedientia. Quamobrem non pro dominis cum solis loquitur famulis, sed etiam pro ipsis, ut se dominis reddant desiderabiles. Sed non hoc ponit aperte : alias enim eos supinos effecisset. *Servi*, inquit, *obedite per omnia dominis carnalibus.*

2. Vide autem quomodo semper ponit nomina, *mulieres, filii, servi*, ut jus obediendi, quod debetur. Sed ne doleret, subjunxit, *Dominis carnalibus.* Quod est tui, inquit, optimum, nempe anima, libera est; ad tempus est servitus. Corpus ergo subde, ne necessitatis amplius sit servitus. *Non ad oculum servientes tamquam hominibus placentes.* Fac, inquit, servitutem quæ est ex lege, esse ex metu Christi. Nam etsi illo non vidente facis quæ oportet, et quæ pertinent ad honorem domini ; id plane facis propter illum insomnem oculum. *Non ad oculum*, inquit, *tamquam hominibus placentes.* Quo fiet ut vos damnum subeatis. Audi enim prophetam dicentem, *Dissipavit Dominus ossa eorum qui hominibus placent* (*Psal.* 52. 6). Vide ergo quomodo eis parcit, et eos componit : *Sed in simplicitate*, inquit, *cordis, timentes Deum.* Nam illud quidem non est simplicitas, sed hypocrisis et simulatio ; aliud in animo habere, et aliud facere ; alium quidem videri præsente domino, alium vero absente. Non dixit ergo solum, *In simplicitate cordis*, sed, *Timentes Deum.* Hoc enim est timere Deum, quando nemine vidente nihil mali facimus : sin autem facimus, non Deum, sed homines timemus. Vides quomodo illos componat? Quodcumque facitis, inquit, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus. Non solum ab hypocrisi, sed etiam ab otio et desidia eos vult liberari. Eos liberos fecit pro servis, cum non opus habeant ut adsint domini. Hoc enim est illud, *Ex animo*, cum benevolentia, non cum servili necessitate, sed libere et ex animi instituto. Et quænam est merces? *Scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis : Domino Christo servite.* Ab ipso enim, inquit, accipietis mercedem. Et quod Domino servitis, ex hoc est perspicuum. *Qui enim*, inquit, *injuriam facit, recipiet id quod inique gessit.* Hic confirmat quod prius dictum est. Nam ne viderentur verba esse assentationis : *Recipiet*, inquit, *id quod inique gessit :* hoc est, luet pœnas : *Non est enim personarum acceptio apud Deum* (*Rom.* 2. 11). Quid enim, si es servus? non dedecore afficeris. Atqui oportebat ad dominos hoc dicere, sicut etiam in Epistola ad Ephesios; sed hic mihi videtur tacite significare Græcos dominos. Quid enim, si ille quidem Græcus, tu autem es Christianus? Non personæ, sed res examinantur. Quamobrem sic cum benevolentia, et ex animo est serviendum. (*Cap.* 4) 1. *Domini, quod justum est et æquum servis præstate.* Quid est autem *Justum?* quid *Æquum?* Efficere ut sit eis rerum omnium abundantia, et non sinere ut aliis egeant, sed pro laboribus eos remunerari. Non enim quia dixi eos a Deo habere mercedem, propterea tu eos prives. Alibi autem dicit, *Remittentes minas* (*Ephes.* 6. 9), volens eos facere mitiores : illi enim erant perfecti. Hoc est, *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (*Matth.* 7. 2). Et illud, *Non est personarum acceptio,* illis dictum est : illis autem tribuitur, ut hi hoc excipiant. Quando enim alteri dixerimus quod alteri congruit, non tantum illum correximus, quantum eum qui est reus. Et vos cum illis, inquit. Hic communem effecit servitutem : *Scientes* enim, inquit, *quod et vos Dominum habetis in cœlo.* 2. *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Nam quoniam orationi instare et in ea perseverare, sæpe reddit pigros et ignavos, propterea dicit, *Vigilantes*, hoc est, sobrii, non vagantes et errantes. Scit enim, scit diabolus quantum bonum sit oratio; et ideo graviter instat : scit etiam Paulus quod multi precantes sint desides et segnes. Quamobrem dicit, *Orationi instate*, tamquam de re laboriosa. *Vigilantes in ea in gratiarum actione.* Hoc, inquit, sit vestrum munus et officium, in precibus agere gratias, et pro manifestis et pro non manifestis, et pro iis quæ volentibus et pro iis quæ invitis benefecit, et pro regno et pro gehenna, et pro afflictione et pro recreatione. Sic enim mos est sanctis orare, et gratias agere pro communibus beneficiis.

3. *Viri cujusdam sancti precatio.*—Scio ego quemdam virum sanctum sic orasse. Præ hoc verbo nihil aliud dicebat, quam : Gratias agimus pro omnibus beneficiis tuis, quæ a primo die usque ad præsentem diem nobis indignis sunt collata : pro iis quæ scimus et nescimus, pro manifestis, pro non manifestis, quæ opere facta sunt et quæ sermone, quæ voluntarie facta sunt et involuntarie, pro omnibus quæ facta sunt nobis indignis, pro afflictionibus, pro recreationibus, pro supplicio, pro regno cælorum. Rogamus ut conserves animam nostram sanctam, puram habentem conscientiam, finem dignum tua clementia. Qui sic dilexisti nos ut unigenitum Filium dares, dignare nos esse dignos caritate : da in sermone tuo sapientiam, et in timore tuo, unigenite Christe; tuam

inspira fortitudinem : qui pro nobis dedisti Unigenitum, et sanctum tuum emisisti Spiritum in remissionem peccatorum nostrorum, si quid volentes vel inviti peccavimus, condona, et ne reputes : recordare omnium qui invocant nomen tuum in veritate ; recordare omnium qui bene et secus nobis volunt : omnes enim sumus homines. Deinde adjecta fidelium oratione, veluti quadam coronide et pro omnibus colligatione, facta prece, hic cessabat. Multa enim nobis bona facit Deus etiam invitis, multa quoque et majora nescientibus. Nam quando contraria precamur, ipse autem facit contraria, palam est ipsum nescientibus bene facere. 3. *Orantes simul et pro nobis.* Vide humilitatem : post illos seipsum ponit. *Ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.* Aditum, inquit, et loquendi libertatem. Papæ! tantus athleta non dixit, Ut liberer a vinculis, sed cum esset in vinculis, alios rogabat, et propter rem magnam rogabat, nempe ut acciperet loquendi libertatem. Res duæ magnæ, nempe et personæ qualitas, et rei. Papæ! quanta auctoritas. *Mysterium,* inquit, *Christi.* Ostendit nihil esse sibi desiderabilius quam hoc loqui. *Propter quod etiam vinctus sum,* 4, *ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui.* Cum magna, inquit, fiducia et dicendi libertate, nihil reticentem. Vides, vincula eum manifestum reddunt, non in obscuro collocant. Cum multa, inquit, fiducia et dicendi libertate. Dic mihi, tu vinctus es, et alios consolaris? Maxime : majorem loquendi libertatem dant mihi vincula : sed Dei rogo auxilium, audivi enim Christum dicentem, *Quando vos tradent, nolite esse solliciti, quomodo aut quid loquamini* (*Matth.* 10. 19). Et vide quomodo dixit metaphorice, *Ut Deus aperiat nobis ostium sermonis?* Vide quam sit a fastu alienus, et cum esset in vinculis quam humiliter loquatur. Hoc est, Ut molliat corda ipsorum. Non sic autem dixit, sed, Ut nobis det fiduciam et loquendi libertatem ; sic loquens humiliter et modeste se gerens : et id quod habebat rogat ut accipiat. Ostendit autem in hac epistola, cur tunc non venerit Christus, eo quod illa umbram vocarit : *Corpus autem,* inquit, *Christi* (*Col.* 2. 17). Quamobrem oportebat eos umbræ assuescere. Simul etiam suæ in eos caritatis maximum indicat argumentum : Ut vos, inquit, audiatis, Ego autem vinctus sum. Rursus vinculum adducit in medium, quod valde amo, quod cor meum excitat, et desiderium semper affert videndi Paulum in vinculis, et scribentem, et prædicantem, et baptizantem, et catechesi instituentem. De omnibus quæ ubique erant Ecclesiis ad eum vinctum referebatur : vinctus supra modum ædificabat. Tunc magis erat solutus. Audi enim eum dicentem : *Ut plures e fratribus confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui* (*Philipp.* 1. 14). Ipse quoque rursus hoc confitetur dicens : *Quando enim infirmor, tunc potens sum* (2. *Cor.* 12. 10). Propterea dicebat etiam, *Sed verbum Dei non est alligatum* (2. *Tim.* 2. 9). In vinculis erat cum maleficis ac sceleratis, cum captivis, cum homicidis, doctor orbis terrarum : qui in tertium ascendit cælum, qui verba audivit arcana et ineffabilia, erat vinctus. Sed tunc velocior erat ejus cursus. Qui erat vinctus, erat solutus ; et qui non erat vinctus, erat vinctus. Nam ille quidem agebat quod volebat : hic autem ipsum non prohibebat, neque suum implebat propositum. Quid facis, o stolide? num est cursor corporalis? num in stadio quod est apud nos certat? In cælis versatur : eum qui currit in cælo, non possunt ea quæ sunt in terris alligare et retinere. Non vides hunc solem? Radiis injice vincula, siste ejus cursum : sed non poteris. Nec ergo Paulum, et multo minus hunc quam illum : majorem enim Dei curam ac providentiam est hic quam ille consequutus, ut qui non nobis talem, sed veram ferat lucem. Ubi sunt qui nihil volunt pati propter Christum? quid autem dico pati, cum ne pecunias quidem velint profundere? Vinciebat quoque aliquando Paulus, et conjiciebat in carcerem : sed postquam factus est Christi servus, non quod agat gloriatur, sed quod patiatur. Et hoc est miraculum prædicationis, quando per ipsos patientes, non autem per male agentes, sic excitatur et augetur. Ubinam vidit quispiam ejusmodi certamina? Qui male patitur, vincit : et qui male agit, vincitur. Ille hoc præclarior : prædicatio introivit per vincula. Non erubesco, inquit, sed etiam glorior, crucifixum prædicans. Sic autem cogita : Universus orbis terræ iis dimissis qui sunt soluti, accedit ad vinctos : eos qui vinciunt aversans, honorat eos qui sunt circumdati catenis ; eos odio habens qui in crucem egerunt, adorat crucifixum.

4. Neque solum est mirandum, quod prædicatores et idiotæ erant piscatores, sed etiam quod alia, quæ naturæ impedimenta erant, non fuerunt impedimenta, et major facta est accessio. Non solum nihil impediit ruditas et imperitia, sed etiam hoc ipsum effecit ut manifesta fieret prædicatio. Audi enim Lucam dicentem : *Et cum comperissent,* inquit, *quod homines essent illiterati et rudes, mirabantur* (*Act.* 4. 13). Non solum nihil prohibebant vincula, sed ea ipsa efficiebant eos confidentiores. Non adeo confidebant discipuli cum Paulus esset solutus, quam cum vinctus. *Ut abundantius,* inquit, *audeant sine timore sermonem Dei loqui* (*Col.* 1. 14). Ubi sunt qui dicunt divinam non esse prædicationem? ruditas et imperitia non sufficiebat ad efficiendum ut ipsi condemnarentur? oportebat ergo eos hic quoque terrere? Scitis enim his duobus animi morbis teneri multitudinem, inani gloria et abjecti animi vitio. Ruditas et imperitia non sinebat eos suffundi pudore ; pericula eis debebant injicere timorem. At faciebant, inquit, miracula. Creditis ergo eos fecisse miracula. At non faciebant? Hoc est majus miraculum quam facere, si adducebantur homines absque miraculis.

De Socrate.—Vinctus etiam fuit apud Græcos Socrates : quid ergo? annon statim Megaram fugerunt discipuli? Maxime : non enim admiserunt quæ dicebantur de immortalitate. Sed hic vide : vinctus et

Paulus, et magis confidebant discipuli : et merito : videbant enim non impediri prædicationem. Num potes impedire linguam ? per eam currit maxime. Ut enim cursorem, nisi pedes vinxeris, a cursu non prohibueris : ita etiam evangelistæ nisi linguam ligaris, non prohibueris quominus is currat. Sed sicut ille si lumbos ligaris, magis currit et portatur : ita hic quoque, vinctus magis prædicat, liberiusque et confidentius. Extimescit vinctus, quando solum fuerit vinculum : qui autem mortem despicit, quomodo fuerit ligatus? Perinde faciebant atque si Pauli umbram vinxissent, et os ejus obturassent. Erat enim pugna umbratilis : nam et suis magis erat desiderabilis, et inimicis magis reverendus; ut qui magni et fortis animi ferret præmia, nempe vincula. Corona ornat caput, non pudore afficit, sed etiam præclarum efficit. Inviti eum coronabant catena. Nam dic mihi, possetne ferrum formidare qui audebat adamantinas frangere mortis portas ?

Vincula Pauli quam pretiosa. — Veniamus, o dilecti, ad vinculorum horum zelum et æmulationem. Quæcumque mulieres aurea induistis monilia, Pauli desiderate vincula. Non sic vobis circa collum fulget collare, ut in ejus anima fulgebat ornamentum ferreorum vinculorum. Si quispiam illa desiderat, hæc odio habeat. Quid enim est commune ignaviæ cum magni animi virtute, corporis ornamento cum philosophia? Illa vincula reverentur angeli ; hæc vero etiam ludificantur : illa vincula solent a terra ad cælum tollere ; hæc vincula a cælo deducunt ad terram. Revera enim hæc sunt vincula, non illa : illa ornamentum, hæc vincula : hæc cum corpore animam quoque opprimunt : illa cum corpore ornant etiam animam. Vis scire quod illa sint ornamentum? Dic mihi, quis magis spectatores attraxit, tu, an Paulus? quid te dico? ipsa Imperatrix tota auro circumdata, eos qui vident non magis attraxerit : sed si contigerit et Paulum eo tempore vinctum, et Imperatricem ingredi ecclesiam, omnes ab illa in eum converterent oculos : et merito. Videre enim hominem humana natura superiorem, et qui nihil habet hominis, sed est angelus in terra, est admirabilius quam videre ornatam mulierem. Nam hæc quidem licet videre et in spectaculis, et in pompis, et in balneis, et multis in locis et ubique : hominem autem circumdatum vinculis, et existimantem se maximum habere ornamentum, et vinculis non cedentem, fieri non potest ut qui cernit, terrenum aspiciat spectaculum, sed illud cælis dignum. Qui est his circumdatus animus, circumspicit quis videat, quis non videat : est fastu plenus, curis tenetur et sollicitudinibus, vinctus est aliis innumerabilibus animi affectibus : qui est autem illis circumdatus, est exspers fastus, exsultat animus, et liber est ab omni sollicitudine, lætus cælum supicit. Si quis mihi daret optionem, mallemne videre Paulum e cælo exserentem caput, et vocem emittentem, an ex carcere; mallem ex carcere : e cælo enim ad ipsum veniunt, cum sit in carcere. Colligatio prædicationis sunt vincula Pauli : fundamentum est illa catena. Vincula illa desideremus.

5. Et quomodo, inquit, fieri potest? Si hæc contriverimus et perfregerimus. Nullus usus, sed potius damnum est nobis ex his vinculis. Hæc nos illic ostendent vinctos; Pauli autem vincula illa solvent vincula : quæ est his hic vincta, immortalibus illic vinculis vinctas habebit manus et pedes; quæ Pauli vincta fuerit vinculis, habebit veluti ornamentum ei tunc circumdatum. Solve et teipsam a vinculo, et pauperem a fame. Cur peccatorum catenas connectis ? Quomodo ? inquit. Quando tu aurum gestas, alius autem perit ; quando tu quidem ut inanem assequaris gloriam, tantum auri accipis, alius autem non habet quod edat, annon peccata connectis ? Indue Christum, et non aurum : ubi est mamona, illic non est Christus : ubi est Christus, illic non est mamona. Non vis indui ipso Rege universorum? Si quispiam tibi daret purpuram et diadema, non id potius acciperes quam quodvis aurum? Ego tibi non ornamentum regium do, sed ipsum Regem præbeo tibi quo induaris. Et quomodo, inquit, Christo induetur quispiam? Audi Paulum dicentem : *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* 3. 27) : audi Apostolicam admonitionem : *Carnis*, inquit, *curam ne feceritis ad concupiscentiam* (*Rom.* 13. 14). Sic quispiam Christo induitur, si carnis curam non gerat ad concupiscentiam. Si Christo induaris, ipsi te formidabunt dæmones ; sin autem auro, etiam homines irridebunt : si Christo induaris, etiam te reverebuntur homines.

Contra nimium mulierum ornatum. — Vis videri pulchra et decora ? tibi sufficiat formatio Creatoris. Quid aurea inducis ornamenta, tamquam id quod Deus effinxit correctura ? Vis videri decora ? induere eleemosyna, induere benignitate, induere modestia et temperantia, et a te absit fastus. Hæc omnia sunt auro pretiosiora : hæc etiam speciosam reddunt magis decoram : hæc etiam non formosam efficiunt formosam. Quando enim quis cum benevolentia conjunctam viderit formam, ex caritate fert sententiam : pravitatem autem, ne si sit quidem pulchra, potest quispiam dicere pulchram : sauciatus enim animus non rectam fert sententiam. Ornata quondam fuit Ægyptia, ornatus quoque fuit Joseph : uter erat formosior? non dico quando illa erat in regia, hic autem in carcere. Hic erat nudus, sed erat indutus vestimentis temperantiæ et continentiæ : illa erat induta, sed erat nuda turpior ; non habebat enim temperantiam. Quando te impense ornaris, o mulier, tunc nuda facta es turpior ; exuisti enim modestiam. Erat etiam Eva nuda, sed quando fuit induta, tunc erat turpior : nam quando erat nuda, gloria Dei fuerat ornata ; quando autem induit vestem peccati, tunc erat turpis. Et tu cum mundano indueris ornatu, tunc appares turpior. Nam quod nimius sumptus et luxus non sufficiat ad ostendendam pulchritudinem, sed fieri possit ut induta minus sit honesta quam nuda, ego dicam. Si quando induisti vestimenta tibicinis aut chorauli, an id non erat inhonestum et indecco-

rum ? Atqui indumenta sunt aurea ; sed propterea est dedecus ac turpitudo quod sint aurea. Scenæ enim sumptus ac luxus convenit tragœdis, histrionibus, mimis, saltatoribus, et iis qui pugnant cum bestiis : fideli autem mulieri aliæ dantur a Deo vestes, nempe ipse unigenitus Dei Filius. *Quotquot enim*, inquit, *in Christum baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* 3. 27). Dic quæso, si quis regiam dedisset vestem, tu autem mercenarii vilem vestem accepisses, annon eo quod te turpior geras et indecore, etiam punireris ? cæli et angelorum Dominum induta es, et circa terram versaris ? Hæc a me dicta sunt, ut ostendam quod per se magnum sit malum nimius ornamentorum appetitus et desiderium, etiamsi nullum aliud inde nasceretur, sed citra periculum id liceret habere (nam ad inanem gloriam fastumque parat et instruit) : nunc autem multa etiam alia mala nascuntur ex nimia ornandi sui cura, manifestæ suspiciones, sumptus intempestivi, blasphemiæ, avaritiæ et plura habendi cupiditatis occasiones. Quid enim, dic quæso, ornaris ? ut placeas marito ? Hoc ergo fac domi. Hic autem fit contrarium. Nam si vis tuo placere marito, noli placere aliis ; si autem placeas aliis, marito tuo placere non poteris. Quamobrem omnem ornatum oporteret deponere cum vadis ad forum, cum prodis in ecclesiam. Alioqui autem, ne ex iis placeas marito ex quibus et meretrices, sed ex eo potius ex quo mulieres liberæ. In quo enim, dic quæso, differt uxor a meretrice ? Quod hæc quidem unum solum spectat, ut corporis pulchritudine alliciat eum quem amat : illa vero et præest domui, liberorumque et aliorum omnium habet societatem. Habes filiolam ? vide ne damnum accipiat : solent enim mores componere ex educatione, et matrum mores imitari. Sis filiæ exemplum modestiæ et temperantiæ ; illo ornatu ornare, et vide ut hunc despicias. Revera enim illa sunt ornamentum ; hæc vero magis dedecus afferunt, quam ornant. Sufficiunt quæ dicta sunt. Deus autem qui mundum fecit, et nobis dedit mundum animæ, nos mundet et exornet et sua gloria induat : ut omnes in bonis operibus resplendentes, et ad ejus gloriam viventes, gloriam emittamus Patri et Filio et Spiritui sancto.

HOMILIA XI.

Cap. IV. v. 5. *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes.* 5. *Sermo vester semper in gratia, sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.*

1. Quod Christus dicebat discipulis, hoc nunc quoque monet Paulus. Quid autem dicebat Christus ? *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Sitis ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* 10. 16). Hoc est, Cauti estote, nullam eis adversus vos dantes ansam et occasionem. Propterea autem adjicitur, *Ad eos qui foris sunt ;* ut discamus, quod adversus nostra membra non tanta nobis opus est cautione, quanta adversus extraneos. Ubi namque fratres sunt, ibi multa condonantur, ibi caritas magna. Oportet etiam hic esse securitatem, majorem vero foris : non sunt enim paria, esse inter inimicos et hostes, et inter amicos. Deinde postquam terruit, vide quomodo rursus eis addit animum. *Tempus*, inquit, *redimentes.* Hoc est, præsens tempus est breve. Hæc autem dicebat, non quod vellet eos esse varios et hypocritas ac simulatores ; hoc enim non est sapientiæ, sed amentiæ ; sed quid ? In iis, inquit, in quibus non lædunt, nullam eis date ansam nec occasionem. Quod etiam dicit ad Romanos, *Reddite omnibus debita : cui debetis tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui honorem, honorem.* (*Rom.* 13. 7). Propter prædicationem solum esto, inquit, tibi bellum : nullum aliud initium accipiat hoc bellum. Nam si etiam propter alia essent nobis cum eis gerendæ inimicitiæ, neque nobis esset merces, et ipsi futuri sunt deteriores, et videbuntur nos jure accusare : velut si vectigalia non solvamus, si honores quos convenit non reddamus, si non simus humiles. Vides quantum se demittat Paulus, ubi nihil lædit prædicationem ? Audi enim ipsum dicentem Agrippæ : *Beatum me existimo, hodie apud te causam acturus, qui es maxime peritus consuetudinum et quæstionum quæ sunt apud Judæos* (*Act.* 26. 2. 3). Si autem existimasset oportere contumelia afficere principem, omnia evertisset. Audi et beatum Petrum, quam leniter et mansuete respondet Judæis, dicens : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* 5. 29). Atqui homines qui animum desponderant, et vitæ spem abjecerant, potuissent contumelia afficere, et quidvis facere : sed propterea animum desponderant, et vitæ spem abjecerant, ut ne inanem gloriam captarent (hoc est enim inanis gloriæ) ; sed ut prædicarent, et ut libere et confidenter omnia loquerentur : illud autem, nempe inanem captare gloriam, est immodestiæ. *Sermo vester semper in gratia, sale sit conditus.* Hoc est, ne sermonis gratia eo deveniat, ut eo utantur citra discrimen. Licet enim, licet urbane et lepide loqui, sed cum ea qua par est honestate et decore. *Ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Quamobrem non oportet similiter loqui cum omnibus, cum Græcis, inquam, et fratribus. Nequaquam : hoc enim est extremæ amentiæ. 7. *Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, carissimus frater, et fidelis minister, conservus in Domino.* Papæ ! quanta est Pauli sapientia. Non omnia inserit in epistolis, sed quæ sunt necessaria et urgentia : primo quidem nolens eas in nimiam extendere longitudinem : secundo autem, eum qui proficiscitur reddens magis reverendum, ut habeat aliquid quod narret : tertio, ostendens quantum in eum sit affectus ; non enim alias ei hæc mandasset. Deinde erant quædam quæ non oportebat significari literis. *Carissimus*, inquit, *frater.* Si carissimus, scivit omnia, et eum nihil celabat, *Et fidelis minister et conservus in Domino.* Si fidelis, nihil mentietur ; si conservus, fuit socius et particeps tentationum. Undique ergo collegit id quod fidem faceret. 8. *Quem*

misi ad vos ad hoc ipsum. Hic multam ostendit dilectionem, siquidem eum ideo misit, et ea fuit causa cur peregre sit profectus : quod etiam dicebat scribens ad Thessalonicenses : *Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis solis remanere Athenis, et misimus Timothcum fratrem nostrum* (1. *Thess.* 3. 1. 2). Ad Ephesios quoque cum ipsum mittit, et propter eamdem causam : *Ut cognoscat quæ circa vos sunt et consoletur corda vestra* (*Ephes.* 6. 22). Vide quid dicat : Non ut vos res meas discatis, sed ut ego vestras : ita nusquam quod suum est ponit. Ostendit eos quoque esse in tentationibus, dicendo, *Ut consoletur corda vestra.* 9. *Cum Onesimo, carissimo et fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia, quæ hic aguntur, nota facient vobis.* Hic est Onesimus, de quo ad Philemonem scribens dicebat, *Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis evangelii : sine consilio autem tuo nihil volui facere.* (*Philem.* 13). Addit etiam encomium civitatis, ut etiam gloriarentur, nec solum non afficerentur pudore, dicens : *Qui est ex vobis. Omnia, quæ hic aguntur, nota facient vobis.* 10, *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus.*

2. Hoc encomio nullum est majus. Hic est qui cum ipso abductus fuit Jerosolymis. Majus dixit quam prophetæ : nam illi quidem seipsos dicunt hospites, advenas et peregrinos; hic autem etiam captivum. Tamquam enim captivus sic agebatur et ferebatur, et ad male patiendum sic erat omnibus propositus; imo vero illis pejus. Nam illos quidem postquam ceperunt hostes, eos valde curant ut sibi proprios; hunc autem ut hostem et inimicum omnes agebant et ferebant, verberantes, flagris cædentes, contumeliis afficientes, calumniantes. Hoc illis etiam erat consolationi : cum enim præceptor in iisdem versatur, majorem consolationem accipiunt discipuli. *Et Marcus consobrinus Barnabæ.* Hunc quoque jam laudavit ex cognatione : erat enim Barnabas vir magnus. *De quo accepistis mandata : si venerit ad vos, suscipite illum.* Quid vero? non aliter suscepissent? Maxime; sed, Cum magno, inquit, volo studio : et hoc magnum virum ostendit. Undenam autem acceperint mandata, non dicit. 11. *Et Jesus, qui dicitur Justus.* Iste fortasse erat Corinthius. Deinde dat omnibus commune encomium, cum dixisset quod erat uniuscujusque proprium : *Qui sunt ex circumcisione : hi soli sunt adjutores mei in regno Dei : qui mihi fuerunt solatio.* Postquam dixit, *Concaptivus*, ne auditorum animum simul dejiciat, vide quomodo hoc ponat, et eos excitet : *Adjutores*, inquit, *mei ad regnum Dei.* Quamobrem cum sint socii tentationum, sunt etiam regni socii. *Qui fuerunt mihi solatio.* Ostendit eos esse magnos, siquidem Paulo fuerunt solatio. Sed videamus Pauli prudentiam. *In sapientia*, inquit, *ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes.* Hoc est, Non est vestrum tempus, sed illorum : nolite ergo dominium et auctoritatem vobis vindicare, sed tempus redimite. Neque dixit solummodo, Emite, sed, Redimite, significans quod, sic affecti, aliter ipsum vestrum efficite. Summæ enim fuerit amentiæ, bellorum et inimicitiarum excogitare occasiones. Nam ad hoc, quod pericula sustinemus superflua et quæ nihil habent lucri, aliud quoque damnum accedit, quod ad nos Græci non accedant. Nam quando fueris inter fratres, merito confidis : foris autem non sic oportet. Vides quomodo ubique eos qui sunt foris dicit Græcos. Propterea dicebat etiam scribens ad Timotheum : *Oportet ipsum et ab iis qui foris sunt bonum habere testimonium* (1. *Tim.* 3. 7); et rursus, *Quid enim mea refert de iis qui foris sunt judicare* (1. *Cor.* 5. 12)? *In sapientia*, inquit, *ambulate ad eos qui foris sunt.* Foris enim sunt, etsi eumdem quem nos mundum habitent, ut qui sint extra regnum et domum patris. Simul etiam eos consolatur, illos vocans extraneos : quod quidem dicebat superius, *Vita vestra absconsa est cum Christo in Deo* (*Col.* 3. 3). Tunc, inquit, gloriam quærite, tunc honores, tunc alia omnia; nunc autem nequaquam, sed illis præbete. Deinde, ne putes eum de pecuniis loqui, addit : *Sermo vester semper in gratia, sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Ut non sit plenus hypocrisi, inquit : hoc enim non est gratia, neque, Sale est conditum. Ut puta, absque periculo colere oporteat, ne recuses : si tempus sit placide loquendi, ne eam rem existimes assentationem : fac omnia quæ ad honorem attinent, ita ut non lædatur pietas. Non vides quomodo Daniel hominem colit impium? non vides quomodo tres pueri cum sapientia regi offerantur et animi ostendentes fortitudinem et dicendi libertatem, non autem temerariam audaciam et asperitatem? hoc enim non est loquendi libertatis et fiduciæ, sed inanis gloriæ. *Ut sciatis*, inquit, *quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Aliter enim principi, aliter ei qui alterius paret imperio; aliter diviti, aliter pauperi. Quare? Quoniam divitum et principum animi sunt imbecilliores, ut qui tumeant et diffluant : quo fit ut apud eos se magis demittere et accommodare oporteat : pauperum autem et eorum qui sunt subjecti alteri, solidiores et prudentiores : quare et hic utendum est majori loquendi libertate, unum spectando, nempe ædificationem. Non quoniam hic quidem est pauper, ille vero dives, ille ideo plus honoretur, hic vero mimus; sed propter imbecillitatem hic quidem feratur, ille vero non item. Exempli causa, nisi sit causa, Græcum ne voces exsecrandum, neque sis contumeliosus; sed si de dogmate quidem rogeris, responde id esse exsecrandum et impium : si nemo autem roget, neque cogat dicere, non oportet temere inimicitiam suscipere. Quid enim necesse est supervacaneas sibi comparare inimicitias? Rursus, si quempiam catechesi instituas, dic ut postulat subjectum argumentum; alioqui tace. Si sermo sit sale conditus, etiamsi in diffluentem inciderit animam, mollem restringit; etiamsi in asperam, levigat duritiem. Sis gratiosus, nec molestus; nec rursus mollis, sed et austeritatem habeas et voluptatem. Nam si quis sit supra modum austerus, magis lædit quam prodest; sin autem sit supra modum urbanus, magis est mo-

lestus quam juvat. Quamobrem oportet ubique esse modum. Nec sis tristis et torvo vultu; est enim injucundum: neque diffusus ac dissolutus; est enim despectui obnoxium; sed utriusque accepta virtute, fuge vitium, sicut apis hujus quidem lætitiam et alacritatem, illius vero carpens gravitatem. Nam si medicus non similiter omnibus utitur corporibus, multo magis magister: quamquam non convenientia medicamenta magis tulerint corpora, quam anima sermonem. Verbi gratia, accedit Græcus, et tibi fit amicus? de illa re cum ipso nihil disseruerit, donec cum eo tecum magna fuerit amicitia; et cum fuerit, paulatim.

3. Vide quando Paulus venit Athenas, quomodo cum eis disserebat. Non dicebat, O scelerati et plane exsecrandi! sed quid? *Viri Athenienses, vos per omnia video esse tamquam superstitiosiores* (*Act.* 17. 22). Rursus quando probris oportebat afficere, non recusavit, sed cum magna vehementia dicebat Elymæ: *Plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ* (*Ibid.* 13. 10). Nam sicut illos probro affecisse insipientiæ fuisset, ita hunc non affecisse fuisset pusilli et abjecti animi. Rursus, ad magistratum es adductus propter negotium? exhibe quos par est honores. *Omnia*, inquit, *quæ hic sunt, vobis nota facient.* Cur non, inquit, simul venerim. Quid est autem, *Omnia vobis nota facient?* Hoc est, vincula, et alia omnia quæ me retinent. Non ergo qui vos opto videre, et mitto alios, ipse tardassem, si non me magna retineret necessitas. Atqui non erat hoc insimulantium. Imo vero valde insimulantium. Discere enim quod et inciderit in tentationes, et eas fortiter et generose tulerit, ejus erat qui rei fidem faciebat, et erigebat eorum animos.

Pauli modestia. — 9. *Cum Onesimo*, inquit, *carissimo et fideli fratre.* Servum Paulus dicit fratrem: et merito, cum et ipse se servum nominet fidelium. Deprimamus omnes fastum, conculcemus arrogantiam: servum se nominat Paulus, qui est instar orbis terrarum et cælorum innumerabilium, et tu altum sapis? Qui omnia ut volebat, agebat et ferebat; qui in regno cælorum primas tenebat, qui fuit coronatus, qui in tertium ascendit cælum, servos fratres vocat et conservos. Ubi est insania? ubi arrogantia? Adeo fide dignus fuit Onesimus, ut hæc ei crederentur. 10. *Et Marcus*, inquit, *consobrinus Barnabæ. De quo accepistis mandata: suscipite illum.* Fortasse a Barnaba mandata acceperant. *Qui sunt ex circumcisione.* Comprimit tumorem Judæorum, erigit eorum animos, quod pauci essent ex circumcisione, plures autem ex gentibus. 11. *Qui fuerunt*, inquit, *mihi solatio.* Ostendit se esse in magnis tentationibus. Itaque non est hoc parvum, quando sanctos consolamur et præsentia et sermone et assiduitate, quando simul cum eis affligimur: Cum vinctis enim, inquit, tamquam simul vincti (*Hebr.* 13 3): quando illorum perpessiones nostras esse ducimus, in coronis quoque socii erimus. Non es tractus in stadium? non descendisti ad certamen? alius ad luctandum se exuit, alius luctatur. Sed si velis, tu quoque eris socius: unge illum certaturum, ejus sis amicus et studiosus, foris magna voce exclama, excita vires, recrea animum. Hæc in aliis omnibus fieri est consentaneum. Paulus enim non opus habebat, sed illos excitans dicebat hæc omnia. Tu ergo in aliis omnibus, eorum qui volunt vituperare, ora obstrue, procura ut sint qui eum ament, exeuntem officiose et diligenter excipe: sic eris particeps ac socius coronarum, sic gloriæ. Etiamsi nihil aliud egeris, lætatus es autem ob ea quæ facta sunt, sic quoque non parum fuisti socius: attulisti enim caritatem, quæ est summa bonorum omnium. Nam si qui flent, videntur esse luctus participes, et iis qui lugent multum gratificantur, ac doloris multum adimunt; multo magis etiam qui lætantur majorem afferunt voluptatem. Quantum enim sit malum non habere qui simul doleant, audi prophetam dicentem, *Et exspectavi si quis contristaretur, et non fuit* (*Psal.* 68. 21). Propterea Paulus quoque dicit, *Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus* (*Rom.* 12. 15). Auge lætitiam: si vides fratrem esse in existimatione, ne dixeris, Est illius bona existimatio, cur ego gaudeam? hæc non sunt verba fratris, sed hostis. Si velis, non sunt illius, sed tua: est in tua potestate eam facere majorem, si non sis mœstus, sed læteris, si fueris alacris, exsultesque et gestias. Quod hoc autem ita se habeat, illinc est perspicuum, qui invident non illis solis invident, qui in bona sunt existimatione, sed iis etiam qui bona illorum existimatione lætantur: ita sciunt quod hi quoque sint in bona existimatione; et ii sunt qui maxime gloriantur. Nam ille quidem etiam erubescit cum valde laudatur: iste etiam cum multa voluptate gloriatur. Non videtis quomodo athletarum alter quidem coronatur, alter vero non coronatur? dolor autem et lætitia est eorum qui amant et eorum qui oderunt: illi saltant, illi tripudiant. Vide quanta res sit non invidere: alterius est labor, et tua est voluptas: alteri imponitur corona, et tu saltas, tu gloriaris. Nam dic mihi, quæso: alius vicit, tu quid saltas? Sed illi quoque recte sciunt quod commune sit quod factum est. Propterea hunc quidem non vituperant qui invident; tentant autem deprimere victoriam, et audis eos hæc verba dicentes: Te delevi, te dejeci: etiamsi alterius sit opus, tua tamen est laus. Si ergo in externis tantum bonum est non invidere, sed aliorum bona sibi accommodare et sua ducere, multo magis in nostra de diabolo victoria; tunc ille magis contra nos spirat, ut qui magis lætemur. Etsi est sceleratus, exacte novit hanc magnam esse voluptatem. Vis eum molestia afficere? gaude et lætare. Vis eum exhilarare? esto tristis. Dolorem qui ex victoria fratris ei accidit, levas per tuam animi ægritudinem: cum illo stas a fratre abscissus: majus quam ille malum facis. Non sunt enim paria, cum sis inimicus, facere quæ sunt inimicorum, et cum sis amicus, stare cum inimicis: iste est inimicis pejor et sceleratior. Si frater sibi bonam paravit existimationem, vel dum loquitur, vel dum orat, vel aliquid recte gerit, esto particeps

laudis et bonæ existimationis, ostende eum esse tuum membrum.

4. *Quomodo cum inimicis agendum.*— Et quomodo, ait? ego enim non sum bonam assequutus famam. Ne hoc verbum dixeris, labia comprime. Si prope me esses tu qui hæc loqueris, imposuissem manum labris tuis, ne audiret inimicus. Sæpe inter nos intercedunt inimicitiæ, et inimicis non ostendimus: tu vero ostendis diabolo. Ne hoc dixeris, ne hoc cogitaveris; sed contra, est meum membrum: ad corpus transit gloria. Cur ergo, inquit, non ita sunt affecti qui sunt foris? Quoniam tu es causa. Nam cum viderint te ejus lætitiam alienam esse dicentem, ipsi quoque alienantur: quod si viderint te eam ducentem esse propriam, non audent; sed tu quoque es similiter clarus. Non es dicendo laudem assequutus; sed tu dum ei gratularis, majorem es laudem adeptus quam ille. Si enim caritas est res magna et caput omnium, tu eam, quæ ex ipsa paratur, accepisti coronam: ille eam quæ acquiritur ex arte dicendi, tu eam quæ ex vehementi amore: ille ostendit vim verborum; tu per facta dejecisti invidiam, et conculcasti livorem. Quamobrem jure magis quam ille fueris coronatus: certamen tuum est præclarius: non solum conculcasti invidiam, sed etiam aliquid fecisti. Ille unam solum habet coronam, tu autem duas, et duas illas una splendidiores. Quænam sunt hæ? Unam suscepisti adversus invidiam; altera est qua fruisti redimitus ex caritate. Non enim collætari solum est indicium quod sis mundus ab invidia, sed etiam quod habeas caritatem quæ radices egerit. Illi sæpe molestiam exhibet humana aliqua animi perturbatio, ut inanis gloria: tu autem es mundus ab omni perturbatione animi: haud enim inani gloria laborans, lætaris propter bona alterius. Erexit, dic quæso, Ecclesiam, cœtum amplificavit? rursus lauda: habes duplices coronas; dejecisti invidiam, caritate es redimitus. Etiam rogo et obsecro. Vis et tertiam audire coronam? ei applaudunt qui inferne sunt homines, tibi autem qui superne sunt angeli. Non enim sunt paria, pulchram et elegantem ostendere dictionem, et motus animi superare: hæc laus est temporalis, illa vero æterna: hic est ex hominibus, ille ex Deo: hic aspicitur coronatus, tu autem in occulto coronaris, ubi Pater tuus te videt. Si dissecto corpore liceret uniuscujusque videre animam, ostendissem tibi hunc esse honestiorem et magis resplendentem. Invidiæ stimulos proteramus: nobis ipsis prosimus, o dilecti! ipsis nobis coronam imponemus.

Invidia propulsanda.— Qui invidet, cum Deo pugnat, non cum illo: nam cum illum videt habere gratiam, et dolet et vult destruere Ecclesiam, non pugnat cum illo, sed cum Deo. Nam dic quæso, si quis ornaret puellam regis, et in bona esset existimatione eam exornans decoramque reddens, vellet autem aliquis eam se turpiter et indecore gerere, et ipsum non posse eam ornare; cuinam insidiaretur, huicne an illi et ejus patri? Ita nunc quoque tu invidens, pugnas cum Ecclesia, cum Deo bellum geris. Nam quoniam cum fratris laude connexa est utilitas Ecclesiæ, si hæc corruat, ut ille quoque corruat necesse est. Quamobrem in hoc opus facis satanicum, ut qui corpori Christi insidieris. Adversus eum dolore stimularis, qui tibi nullam fecit injuriam; multo autem magis adversus Christum. Quam tibi fecit injuriam, ut non sinas ejus corpus ornari pulchritudine? ut non sinas sponsam decorari? Considera autem mihi quantum sit supplicium; inimicos tuos lætitia afficis; et illum ipsum qui est in bona existimatione, quem vis molestia afficere, magis exhilaras, et invidens magis ostendis eum laudari et bene audire: nam alioqui non invidisses; vel potius ostendis quod crucieris. Atque me quidem pudet ex his adhortari: sed quoniam tanta est nostri animi imbecillitas, vel ex his castigati, ab hoc pernicioso vitio liberemur. Doles quod laudetur et in bona sit existimatione? cur ergo invidens auges ejus laudem? Vis eum cruciare? cur ergo ostendis te dolere? cur de te ipso prius exigis pœnas, quam de eo quem non vis laudari? Ei inde est duplex voluptas et lætitia, et tibi cruciatus: non solum quod magnum eum ostendis, sed etiam quod alteram ei procreas voluptatem, dum teipsum cruciaris; et rursus de iis de quibus doles, ille lætatur te invidente. Vide quam graves nobis plagas infligimus, et non sentimus. Est inimicus. Atqui cur inimicus? quam tibi fecit injuriam? sed tamen inimicum reddimus illustriorem, et nos ipsos magis punimus. Hoc rursus nos ipsos cruciamus, si senserimus quod ille cognoverit. Nam ille quidem fortasse non lætatur, nos autem putantes eum lætari, rursus propterea dolemus. Cessa ergo invidere: cur tibiipsi imponis vulnera? Hæc cogitemus, o dilecti, nempe duplices coronas eorum qui non invident: laudes scilicet ab hominibus, laudes a Deo, et mala quæ oriuntur ex invidia; et sic feram poterimus exstinguere, et coram Deo laudari, et in bona esse existimatione, et eadem assequi quæ ii quorum est bona existimatio: fortasse enim assequemur: quod si non assequamur, non assequemur quod non expediat: poterimus tamen et sic, cum ad Dei gloriam vixerimus, bona promissa consequi iis qui ipsum diligunt, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

Cap. 4. v. 12. *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, et pleni in omni voluntate Dei.* 13. *Testimonium enim illi perhibeo quod habet multum zelum pro vobis, et pro iis qui sunt Laodiceæ et qui Hierapoli.*

1. Etiam in initio epistolæ, virum commendavit a caritate; caritatem autem ostendit, et quod laudet:

quod quidem dixit ab initio, *Qui etiam manifestavit nobis caritatem vestram in spiritu* (*Col.* 1. 8). Dilectionem ostendit et amabilem reddit, quod pro aliis oret. Ipsum autem commendat, aperiens ostium sermone ejus (nam quod reverendus sit magister, id est utile discipulo), et rursus quod dixerit, *Ex vobis*, ut etiam de viro glorientur, ut qui tales viros ferant. *Et semper*, inquit, *sollicitus pro vobis in orationibus.* Non solum dixit, Orans, sed, *Sollicitus*, tremens et timens. *Testimonium enim*, inquit, *illi perhibeo quod habet multum zelum pro vobis.* Est testis fide dignus. *Quoniam habet*, inquit, *multum zelum pro vobis.* Hoc est, Vos valde diligit et magno vestri flagrat amore. *Et pro iis qui sunt Laodiceæ, et qui Hierapoli.* Illis quoque eum commendat. Sed hoc unde erant sciturі? Verisimile est illos audivisse; sed etiam dum epistola legeretur discebant. *Facite* enim, inquit, *ut et in Laodicensium Ecclesia legatur* (*Col.* 4. 16). *Ut stetis*, inquit, *perfecti.* Simul et eos reprehendit, et non acerbe eos admonet et consilium dat. Fieri enim potest ut et quispiam sit perfectus et non stet; ut si quis omnia noverit, adhuc autem vacillet: fieri potest etiam ut non sit perfectus, nec consistat; ut si quis sciat quidem partem, nec stet firmiter. Sed hic utrumque optat. *Ut stetis*, inquit, *perfecti.* Vide quomodo eos rursus admonuerit sermonis de angelis, et de vita. *Et pleni*, inquit, *in omni voluntate Dei.* Non enim solum sufficit facere Dei voluntatem. Cui enim est plene aliquid persuasum, non sinit aliam in se esse voluntatem: alioqui non plene persuasum haberet. *Testimonium*, inquit, *illi perhibeo, quod habet multum zelum.* Et zelum, et multum; utrumque auget et amplificat: sicut et ipse dicit, scribens ad Corinthios: *Æmulor enim vos Dei zelo* (2. *Cor.* 11. 2). 14. *Salutat vos Lucas medicus carissimus.* Hic est ille evangelista. Non eum autem deprimens ponit ultimum, sed illum extollit, Epaphram. Verisimile est fuisse etiam alios qui vocarentur hoc nomine. *Et Demas.* Cum dixisset, *Salutat vos Lucas medicus*, adjecit, *Carissimus.* Hoc quoque non parvum est encomium, sed valde magnum, esse Paulo carissimum. 15. *Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, et Nympham, et quæ in domo ejus est Ecclesiam.* Vide quomodo eos conglutinat, et inter se conjungit, non solum quod salutaverit, sed etiam quod epistolas dederit. Deinde rursus gratificatur, eum seorsum appellans. Hoc autem facit non sine causa, sed alios ad eamdem adducens æmulationem. Neque enim est parvum, quod non connumeratur cum cæteris. Vide ergo quam magnum eum ostendit esse virum, si quidem domus ejus erat ecclesia. 16. *Et cum lecta fuerit apud vos epistola, facite ut et in Laodicensium Ecclesia legatur.* Mihi videntur esse quædam ex iis quæ illic scripta sunt, quæ hos etiam oportebat audire. Et his major erat utilitas, cum illis reprehensis sua peccata agnoscerent. *Et ea quæ Laodicensium est, ut et vos legatis.* Quidam dicunt non Pauli ad ipsos missam, sed quæ ab ipsis ad Paulum: non enim dixit, Eam quæ est ad Laodicenses, sed, *Quæ* scripta *est a Laodicea.* 17. *Et dicite Archippo, Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas.* Cur non scribit ad ipsum? Fortasse non opus erat, sed sola nuda admonitione, ut fieret diligentior, 18. *Salutatio mea manu Pauli.* Hoc est indicium sinceritatis et amicitiæ, quod et viderent literas, et in eas essent affecti. *Memores estote vinculorum meorum.* Papæ! quanta consolatio Hoc enim sufficit ad eos ad omnia adhortandos, et ad reddendos fortiores ad certamina: non solum autem fortiores, sed et eos reddebat magis familiares. *Gratia vobiscum. Amen.*

2. Magnum encomium, et majus aliis omnibus, dicere de Epaphra, *Qui est ex vobis servus Christi.* Et ministrum ipsum pro ipsis dicit, sicut et se dicit ministrum Ecclesiæ: ut quando dicit, *Cujus enim fui Paulus minister* (*Col.* 1. 25). Ad eamdem dignitatem virum effert, conservum eum superius vocat, et hic servum. *Qui ex vobis est*, inquit; tamquam cum matre disserens, et dicens, Qui est ex tuo utero. Sed invidiam attulisset hoc encomium. Propterea non ex his solis eum commendat, sed et ex iis quæ ad ipsos pertinent: et illic solvit invidiam, et hic quoque. *Semper*, inquit, *pro vobis sollicitus.* Non nunc solum apud nos ut nobis ostendat, neque apud vos solum ut vobis ostendat. Magnum exhibuit animi studium et alacritatem dicendo, *Sollicitus.* Deinde ne videretur eis blandiri, subjunxit: *Habet multum zelum pro vobis, et pro iis qui sunt Laodiceæ et qui Hierapoli.* Et illud, *Ut stetis perfecti*, non est assentationis, sed reverendi præceptoris. Et repleti, inquit, et perfecti. Illud quidem dedit, hoc autem dixit deficere. Nec dixit, Ut non labetis, sed, *Ut stetis.* Quod autem a multis salutentur, hoc eos recreat, quando non solum qui sunt ex eis familiaritate et necessitudine conjuncti, sed etiam alii eorum meminerunt. *Et dicite Archippo: Vide ministerium quod accepisti in Domino.* Eos maxime ipsi subjicit. Non poterant enim amplius illum arguere ipsos increpantem, quando ipsi universum susceperint. Non est enim rationi consentaneum, ut discipuli dicant de præceptore. Sed eis os obstruens hoc dicit: *Dicite*, inquit, *Archippo: Vide.* Hoc verbum semper est terrentis: ut quando dicit, *Videte canes* (*Philipp.* 3. 2): *Videte ne quis vos seducat: Videte ne aliquo modo ista vestra libertas sit offendiculum infirmis* (*Col.* 2. 8. 1. *Cor.* 8. 9). Et semper sic dicit quando terret. *Vide*, inquit, *ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas.* Neque sinit eum esse dominum, sicut ipse dicebat: *Si enim volens hoc facio, mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi est credita* (1. *Cor.* 9. 17). *Ut ipsum impleas:* semper studio utens: *Quod accepisti in Domino.* Rursus illud, *in*, est, per Dominum. Ipse tibi dedit, non nos. Et illos ei subjicit, quando ostendit id ipsi fuisse traditum a Domino. *Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen.* Solvit metum. Etsi enim doctor est in vinculis, gratia tamen eum solvit. Et hoc quoque est gratiæ, concedere ut ipse vinctus: audi enim Lucam dicentem: *Revertebantur apostoli a facie concilii gaudentes, quod digni essent habiti pro nomine ipsius contumeliam pati.*

(*Act.* 5. 41). Revera enim dignum esse habitum est, et contumeliam esse passum, et vinctum esse. Nam si qui amat quempiam, lucrum esse putat si propter amatum passus sit; multo magis propter Christum.

Paulus exemplum virtutum omnium. — Ne ergo ægre feramus afflictiones propter Christum, sed vinculorum Pauli nos quoque simus memores; et hoc sit nobis adhortatio. Verbi gratia, suades aliquibus, ut pauperibus dent propter Christum? reminiscere vinculorum Pauli, et te et illos pronuntia miseros, si ille quidem et corpus dedit vinculis propter ipsum, tu autem ne cibum quidem impertiaris. Extolleris propter bona opera? recordare vinculorum Pauli, et quod nihil tale sis passus, nec ultra te extolles. Bona proximi concupivisti? memento vinculorum Pauli, et videbis quam sit absurdum illum quidem esse in vinculis, te autem in deliciis. Rursus deliciarum teneris desiderio? tibi veniat in mentem carcer Pauli: es illius discipulus, es illius commilito. Quomodo est rationi consentaneum, ut commilito quidem sit in vinculis, tu autem in deliciis? Es in afflictione, existimas te esse derelictum? audi verba Pauli, et videbis quod esse in afflictione, non est indicium derelictionis. Vis vestes ferre sericas? recordare vinculorum Pauli, et ea videbuntur viliora pannis sordidis et cœnosis. Vis aureis indui? tibi veniant in mentem vincula Pauli, et nihilo tibi videbuntur meliora esse, quam vetus juncus. Vis capillos ornare, et videri pulchra? cogita squalorem Pauli in carcere, et ad illam accenderis pulchritudinem, et hoc existimabis esse deformitatem, atque acriter ingemisces, illa vincula cupiens. Vis tritos fucos et pigmenta tibi illinire, et similia? cogita illius lacrymas: triennium noctu et diu non cessabat flere. Hoc mundo orna tuas genas: hæ lacrymæ illas reddunt splendidas. Non dico ut pro aliis fleas; volo quidem, sed hoc est te altius; verum suadeo ut hoc facias pro peccatis tuis. Jussisti vinciri puerum, et irata es? memento vinculorum Pauli, et statim sistes iram: reminiscere nos esse ex iis qui vincti sunt, non ex iis qui vinciunt; ex iis qui sunt contriti corde, non autem ex iis qui conterunt. Diffusa es, et magnum edidisti cachinnum? tibi veniant in mentem illius fletus, et ingemisces: multo splendidiorem te reddunt hæ lacrymæ. Vidisti se deliciis dedentes et saltantes? recordare ejus lacrymarum. Ex quonam fonte tanta emanarunt fluenta, ut ex illius oculis lacrymæ? *Memores estote*, inquit, *lacrymarum mearum* (*Act.* 20. 31), sicut hic vinculorum. Et merito illis hæc dicebat, cum eos Epheso Miletum accersivisset. Dicebat enim doctoribus; ab illis quidem exigens etiam ut congregent, ab his autem solum ut pericula subeant.

3. Quemnam fontem vis comparare cum his lacrymis? eumne qui erat in paradiso, qui irrigabat universam terram? Sed nihil dices æquale: hic enim fons lacrymarum animas irrigabat, non terram. Si quispiam nobis ostenderit Paulum lacrymantem et gementem, annon multo esset melius eum videre, quam innumerabiles choros eleganter et belle coronatos? De vobis non loquor: sed si quis a theatro et a scena abducto aliquo incontinente et impudico, qui amore corporum flagret et bacchetur, ostenderet puellam virginem in ipso flore ætatis, et quæ cum in aliis superet æquales, et vultu plus quam membris cæteris, et quæ teneros mollesque habeat oculos, leniter insidentes, leniter se volventes, flexibiles, mites, serenos, subridentes, multo pudore compositos et multa gratia; nigris palpebris inferne et superne sit coronata, et animatam, ut ita dicam, habeat pupillam, nitidam frontem; inferne autem genam ad concinnum ruborem venientem, instar marmoris sublectam planam et æquam: deinde mihi ostenderit Paulum lacrymantem, ea dimissa ad ipsum spectandum exsilirem: ab ejus enim oculis resplendebat pulchritudo spiritualis. Nam illa quidem juvenum erigit animos, accenditque et urit; hæc autem contra comprimit. Hujus qui videt oculos, oculum animæ efficit pulchriorem, ventrem comprimit, replet philosophia et multa commiseratione, et adamantinam mollire potest animam. His lacrymis rigatur Ecclesia, his plantantur animæ. Etiamsi sit ignis, hæ lacrymæ possunt exstinguere, et sensibilem et corporalem: hæ lacrymæ sagittas maligni ignitas exstinguunt. Meminerimus ergo ejus lacrymarum, et irridebimus omnia præsentia. Has lacrymas Christus beatas pronuntiabat, dicens, *Beati qui lugent, et beati qui flent, quoniam ipsi ridebunt* (*Matth.* 5. 5). Has lacrymas emittebant et Isaias et Jeremias. Et ille quidem dicebat, *Dimittite me, flebo amare* (*Isai.* 22. 4): hic autem dicebat. *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontes lacrymarum* (*Jer.* 9. 1)? ac si non sufficiat fons naturalis. Nihil est his lacrymis jucundius: quovis risu sunt hæ jucundiores. Sciunt qui lugent, quantam hæc res habeat consolationem. Ne existimemus rem esse deprecandam, sed etiam valde optandam. Non ut alii peccent, sed ut ipsis peccantibus nos conteramur, harum recordemur lacrymarum, horum vinculorum. Ergo et super vincula descendebant lacrymæ: quæ autem ex vinculis percipitur, voluptatem non sinebat sentire mors eorum, qui peribant, vincientium. Pro illis quippe dolebat: erat enim discipulus illius qui flebat sacerdotes Judæorum, non quod ipsum essent in crucem acturi, sed quod ipsi perirent. Nec ipse solus hoc facit, sed etiam alios sic exhortatur, dicens, *Nolite*, inquit, *flere super me, filiæ Jerusalem* (*Luc.* 23. 28). Viderunt paradisum isti oculi, viderunt tertium cælum; sed eos non tam censeo beatos propter hoc spectaculum, quam propter lacrymas per quas viderunt Christum. Hoc quidem revera est beatum: nam ipse quoque de eo gloriatur, dicens: *Nonne Jesum Christum Dominum nostrum vidi* (1. *Cor.* 9. 1)? sed est beatius ita flere. Illius spectaculi multi fuerunt participes; et eos qui non fuerunt participes, rursus beatos pronuntiat Christus, dicens, *Beati qui non viderunt et crediderunt* (*Joan.* 20. 29): hoc autem non multi sunt assequuti. Si enim hic manere propter Christum, est magis necessarium quam dissolvi ut sit cum ipso,

propter aliorum salutem ; ergo et propter ipsos ingemiscere, est magis necessarium quam ipsum videre. Nam si propter ipsos esse in gehenna, est magis desiderandum quam esse cum ipso ; et propter ipsos est magis desiderandum ab ipso separari, quam esse cum ipso (hoc enim est quod dicebat, *Optabam ipse ego anathema esse a Christo* [*Rom.* 9. 3]) : multo magis flere propter ipsum. *Non cessavi*, inquit, *cum lacrymis unumquemque admonens* (*Act.* 20. 31). Quare? Non timens pericula ; sed, ut si quis ægrotanti assidens, et nesciens morbi finem, lacrymetur propter desiderium, metuens ne e vita excidat : ita ipse quoque cum videret infirmum, nec posset increpare, de cætero lacrymabatur. Hoc quoque fecit Christus, ut vel revererentur lacrymas : verbi causa, peccabat aliquis, increpabat : conspuebat eum et resiliebat qui increpabatur : lacrymabatur ille, ut vel sic attraheret.

4. Meminerimus harum lacrymarum : sic nostras educemus filias, sic filios, lacrymantes cum viderimus eos esse in malis. Quæcumque volunt amari, meminerint lacrymarum Pauli, et gemant : quæcumque beatæ censemini, quæcumque estis in thalamis, quæcumque in voluptate, earum recordemini : quicumque estis in luctu, lacrymas lacrymis commutate. Ille non lugebat mortuos, sed eos qui peribant et vivebant. Dicam etiam alias lacrymas? Flebat quoque Timotheus : erat enim ejus discipulus : et ideo ad eum scribens dicebat : *Memor lacrymarum tuarum, ut gaudio adimplear* (2. *Tim.* 1. 4). Multi etiam flent ex voluptate. Ita etiam res est voluptatis, et voluptatis ingentis : ita non sunt graves ac molestæ lacrymæ quæ proficiscuntur ex hoc mœrore ; sed multo meliores illis quæ sunt propter mundanam voluptatem. Audi prophetam dicentem, *Audivit Dominus vocem fletus mei* (*Psal.* 6. 9). Ubi non sunt utiles lacrymæ? in precibus, in admonitionibus? Nos autem eas reprehendimus, ut qui non utamur ad ea ad quæ datæ sunt. Quando fratrem peccantem consolamur, flere te oportet lugentem et ingemiscentem : quando alicui suademus, ille autem mentem non adhibet, sed perit, flendum est. Hæ sunt lacrymæ philosophiæ. Quando autem quispiam pauper fuerit, quando in morbo corporali, quando mortuus fuerit, nequaquam : hæc enim non sunt digna lacrymis. Sicut ergo risum reprehendimus, eo importune utentes : sic etiam lacrymas, intempestive eas usurpantes. Tunc enim cernitur uniuscujusque virtus, quando ducitur ad opportunam sui muneris functionem : quando autem ad alienam, nequaquam. Exempli causa, vinum datum est ad lætitiam, non autem ad ebrietatem : panis ad nutritionem, coitus ad liberorum procreationem. Sicut ergo ea vituperantur, si abusus fuerit : ita etiam lacrymæ. Lex feratur ut in solis precibus et admonitionibus iis uti liceat : et vide quomodo res erit etiam optanda. Nihil ita purgat peccata, ut lacrymæ. Et pulchram ostendit faciem corpoream : eum enim qui videt attrahunt ad misericordiam : eam nobis faciunt gravem et honestam. Nihil est jucundius oculis lacrymantibus. Hoc enim est membrum omnium in nobis nobilissimum et speciosissimum, atque adeo ipsius animæ membrum. Tamquam ergo ipsam videntes deflentem animam, ita flectimur. Hæc a nobis non temere dicta sunt, sed ut vos nec nuptiis, nec saltationibus, nec choris adsitis satanicis. Vide enim quid invenerit diabolus. Nam quoniam a scena, et iis quæ illic sunt turpia et indecora, ipsa natura abduxit mulieres, quæ sunt theatri abduxit in gynæceum, molles, inquam, et meretrices. Hanc pestem invexit lex nuptialis, imo vero non lex nuptialis, absit, sed lex nostræ mollitiei. Quid facis, o homo? nescis quid agas. Mulierem ducis ad temperantiam et liberorum procreationem : quid ergo sibi volunt meretrices? Ut sit, inquit, major lætitia. Annon hæc sunt insipientiæ? Probro afficis sponsam, probro afficis invitatas. Nam si his delectantur, res est probrum et contumelia. Nam si videre meretrices se turpiter et indecore gerentes aliquam affert magnificentiam, cur non attrahis sponsam ut illa quoque spectet? Omnino turpe est et indecorum, viros molles et saltantes, et omnem pompam satanicam domum introducere. *Memores estote*, inquit, *vinculorum meorum*. Matrimonium est vinculum, vinculum a Deo constitutum : solutio est meretrix et dissolutio. Licet aliis exhilarare nuptias, ut lautis mensis et vestimentis : hæc non amputo, ne videar esse valde agrestis ; quamquam Rebeccæ satis fuit solum theristrum : sed non amputo. Licet exhilarari vestibus; licet in præsentia venerandorum virorum et reverendarum mulierum. Quid ludibria illa, quid monstra inducis? Dic quæ audis ab ipsis. At erubescis dicere? Tu erubescis, et illos cogis id facere? Si pulchrum est et honestum, cur non ipse quoque facis? si autem est turpe, cur alium cogis? Omnia oportet esse plena temperantia ac modestia, gravitate et honestate : nunc vero contrarium video, saltantes tamquam camelos, tamquam mulos. Virgini solus est aptus thalamus. At est, inquit, pauper. Quoniam est pauper, debet etiam esse modesta et honesta : habeat mores pro divitiis. Non potest dare dotem? cur eam etiam alias reddis contemnendam ex hac perversione? Laudo quod adsint virgines æqualem suam honorantes ; quod adsint mulieres eam honorantes, quæ in suum numerum est relata : hoc recte est constitutum. Sunt enim hi duo chori : chorus virginum, et chorus earum quæ nupserunt : illæ tradunt, hæ suscipiunt. Sponsa est inter eas, neque virgo, neque mulier : nam illinc quidem egreditur, in hanc autem ascendit classem.

Meretrices in nuptiis admixtæ. — Cur autem meretrices? Cum oporteret eas præ pudore tegi, dum nuptiæ celebrantur, cum oporteret eas infodi (matrimonii enim corruptio est scortatio), nos autem eas ducimus ad nuptias. Et quando aliquid quidem facitis, etiam verbis tenus contraria omnia deprecamini : ut quando seminas, quando vinum hauris ex torcularibus, ne responderis quidem quæ vappam significant : hic autem, ubi decent moderatio et temperan-

tia, vappam introducitis; hoc enim est meretrix. Quando unguentum componitis, nihil male olens sinitis appropinquare. Matrimonium est unguentum : cur cœni fœtorem inducis in compositionem unguenti? Quid dicis? saltat virgo, et non eam pudet suæ æqualis? Oportet enim ipsam hac esse honestiorem et graviorem : ex ulna quippe egressa est, non ex palæstra. Non oportet enim omnino virginem apparere in nuptiis.

5. Non vides quod in regia qui sunt quidem honorati, sunt intus circa regem; ii autem qui non in honore sunt, stant foris? Sis itaque intus circa sponsam. Sed casta mane domi : ne in pompam ducas virginitatem. Adstat uterque chorus; ille quidem qualem det ostendens, hic autem, ut eam conservet : cur dedecore afficis virginitatem? Nam si tu es talis, talia sponsus de illa suspicabitur : si tu velis amari, ea sunt copæ, olerum venditricis et opificis. Annon sunt hæc probrum et dedecus? Probrum enim est et dedecus se indecore gerere, etiam si sit filia regis. Num prohibet paupertas? num vitæ studium et institutum? Etiamsi serva sit virgo, maneat in pudicitia : *In Christo* enim *Jesu non est servus, nec liber* (*Gal.* 3. 28). Theatrumne est matrimonium? Est mysterium et rei magnæ typus : et si ipsum non reverearis, reverere id cujus est typus. *Sacramentum,* inquit, *hoc magnum est : ego autem dico in Christo et Ecclesia* (*Ephes.* 5. 32). Ecclesiæ est typus et Christi, et meretrices introducis? Si ergo, inquit, neque virgines saltant, neque quæ nupserunt, quis saltabit? Nullus : saltationis enim quænam est necessitas? In mysteriis Græcorum sunt saltationes; in nostris autem silentium et honesta gravitas, pudor et modestia. Magnum peragitur mysterium, foras meretrices, foras profani. Quomodo est mysterium? Conveniunt, et duo faciunt unum. Cur quando ingreditur quidem, non est saltatio, non sunt cymbala, sed multum silentium, multa quies; quando autem conveniunt, non inanimatam imaginem, non alicujus ex iis quæ sunt in terra, sed ipsius Dei facientes imaginem et similitudinem, tantum introducis tumultum, et eos qui adsunt perturbas, et dedecore animam afficis et conturbas? Veniunt futuri unum corpus : ecce rursus mysterium caritatis. Si duo non facti fuerint unum, non faciunt multos, quamdiu duo manserint; quando autem venerint ad unitatem, tunc faciunt. Quid ex hoc discimus? Quod unionis magna sit vis. Solers Dei artificium unum in duo divisit ab initio; et volens ostendere quod etiam postquam sit divisus manet unum, non sinit unum sufficere ad generationem. Non est enim unus, qui nondum est junctus, sed dimidium unius : et hinc palam est quod filios nondum procreet. Vidisti mysterium nuptiarum? Fecit ex uno unum, et rursus cum hos duos fecisset unum, sic facit unum. Quamobrem ex uno quoque nascitur homo. Mulier enim et vir non sunt duo homines, sed homo unus : idque potest probari ex multis : ex Jacobo, et ex Maria matre Christi, ex eo quod dicat, *Masculum et feminam fecit eos* (*Gen.* 1, 27). Si ille quidem est caput, illa vero corpus, quomodo duo? Propterea hæc quidem discipuli, ille vero locum tenet magistri : ille principis, hæc ejus quæ paret principi. Ex ipsa quoque corporis formatione videris esse unum : facta est enim ex latere, et tamquam duo ex dimidio dissecta sunt. Propterea eam quoque vocat adjutricem, ut ostendat eos esse unum. Ideo et patri et matri profert conjunctionem et cohabitationem, ut ostendat quod sint unum. Et pater similiter lætatur et filia et filio junctis matrimonio, quod corpus properet ad suum membrum : fitque tantus sumptus et pecuniæ detrimentum, et tamen id ferre nequit, ut non conjugatum videat. Tamquam enim ipsa abscissa carne, uterque est imperfectus ad liberorum procreationem, uterque est imperfectus ad præsentis vitæ constitutionem. Propterea dicit etiam propheta, *Reliquum spiritus tui* (*Malach.* 2. 15). Quomodo autem sunt etiam in carne una? Ut si auri ademeris quod est purissimum, et alteri auro admiscueris : ita hic quoque, id quod est pinguissimum, tamquam fundente voluptate, suscipiens mulier alit et fovet, et cum ea quæ sunt sua contulerit, viro reddit. Et est infans instar pontis. Quamobrem tres fiunt una caro, infante utrimque utrosque conjungente. Sicut enim si cum duæ sint civitates, et fluvius eas omnino dividat, una fit civitas ponte utrimque conjungente : ita est hic quoque, et magis, quando ipse pons est ex utriusque essentia, ea ratione ut corpus et caput sint unum corpus : collo enim dividitur; sed non magis dividuntur quam conjunguntur [1] : nam cum sit medium, utrumque conjungit. Et perinde fit ut si chorus distractus, una quidem ejus parte hinc accepta, altera autem a dextera, unum fecerit : aut sicut qui fuerint in unum contracti, etiam manus extendentes sunt unum : manus enim extensæ non sinunt esse duos. Propterea exacte et accurate dixit, non, Erunt una caro, sed, *In unam carnem*, nempe ab infante conjuncti. Quid vero, quando non fuerit infans, non erunt duo? Erunt; hoc enim facit coitus : confundit et commiscet amborum corpora, et sicut qui in oleum injecit unguentum, totum facit unum : ita hic quoque.

6. Scio multos pudore affici iis quæ dicentur; causa autem eorum quæ dixi est libido et impudicitia. Quod sic fiant nuptiæ, quod corrumpantur et depraventur, id rem reddit odiosam : Nam *Honorabiles sunt nuptiæ, et cubile immaculatum* (*Hebr.* 13. 4). Quid te pudet ejus quod est honorabile? quid erubescis ob id quod est immaculatum? Hæc sunt hæreticorum; hæc sunt eorum qui introducunt meretrices. Propterea volo ipsum expurgare matrimonium, ut reducam ad suam nobilitatem, ut obturem ora hæreticorum. Probro affectum est Dei donum, radix nostræ generationis : nam multum fimi et cœni injectum est radici. Hoc ergo ratione expurgemus : sustinete igitur parum; nam et qui cœnum

[1] Hic locus sic habetur in margine Savil..... *ea ratione ut omnia membra in ordine ad caput coaptata unum sunt corpus, quamvis collo dividantur : siquidem non magis hi dividuntur quam conjunguntur :* etc.

tenet, fœtorem sustinet. Volo ostendere quod non propter hæc oporteat pudore suffundi, sed propter ea quæ facis : tu vero, illum mittens pudorem, hoc suffunderis. Deum ergo condemnas qui sic decrevit. Dicam quomodo est sacramentum Ecclesiæ? Christus venit ad Ecclesiam, illa ex ipso est orta, et cum ea congressus est congressu spirituali. *Despondi enim vos*, inquit, *uni viro virginem castam* (2. *Cor.* 11. 2). Quod autem ex ipso simus, et ex membris ejus et ex carne ejus, audi quomodo dicat. Hæc autem omnia mente versantes, ne tantum mysterium pudore afficiamus. Christi præsentiæ typus est matrimonium, tu vero inebriaris? Dic mihi, si regis videres imaginem, num eam probro afficeres? Nequaquam. Videntur quidem res esse indifferentes quæ fiunt circa matrimonium; sunt autem magnorum causæ malorum. Omnia sunt plena iniquitate. *Turpitudo et stultiloquium, et scurrile verbum*, inquit, *ex ore vestro non exeat* (*Ephes.* 5. 4). Omnia autem illa sunt turpitudo et stultiloquium et scurrilitas, non leviter, sed supra modum. Ars enim est hoc, et magnam affert laudem iis qui eam exercent : ars facta sunt peccata. Non leviter ea tractamus, sed adhibito studio et scientia, et de cætero diabolus est copiarum suarum dux et imperator. Ubi est enim ebrietas, est et lascivia; ubi sermo obscœnus, adest diabolus sua efferens. Cum his convivans, dic quæso, Christi mysterium peragis, et diabolum invocas? Me forte existimatis gravem et importunum. Nam hoc quoque est multæ perversitatis, quod qui increpat ludibrio habeatur tamquam austerus. Non auditis Paulum dicentem, Quidquid faciatis, *Sive comedatis, sive bibatis, sivè aliquid faciatis, omnia ad gloriam Dei facite* (1. *Cor.* 10. 31)? Vos autem ad maledicentiam et ignominiam. Non auditis prophetam dicentem, *Servite Domino in timore, et exsultate ei in tremore* (*Psal.* 2. 11)? Vos autem diffundimini et luxu diffluitis. Annon vero licet etiam tuto lætari? Vis audire pulchros modos? Certe ne oporteret quidem; sed me tibi accommodo, si vis : non audias satanicos modos, sed spirituales. Vis videre saltantes? vide chorum angelorum. Et quomodo fieri potest ut videam? Si hæc abegeris, veniet Christus quoque ad has nuptias : si adsit autem Christus, adest etiam chorus angelorum. Si velis, nunc quoque faciet miracula sicut et tunc : faciet nunc quoque aquam vinum, et multo admirabiliora : dissolutam convertet lætitiam et frigidam cupiditatem, et transferet ad spiritualem. Hoc est ex aqua vinum facere. Ubi sunt tibicines, nequaquam est Christus; sed et si fuerit ingressus, eos primum ejicit, et tunc facit miracula. Quid satanica pompa est injucundius, ubi sunt omnia articulis non distincta, ubi omnia non signata, nec notata? si quid sit autem etiam articulis distinctum, rursus omnia turpia, omnia injucunda.

7. *Qualis sponsus quærendus virgini.* — Nihil est virtute jucundius, nihil moderatione suavius, nihil honestate desiderabilius. Faciat quispiam nuptias quales ego dico, et videbit voluptatem : quales autem nuptias, attendite. Primum quidem virum quære virgini, qui vere sit vir tutorque ejus et defensor, tamquam corpori caput impositurus, ut qui non mancipium, sed filiam ei sis traditurus. Ne quæras pecuniam, non generis splendorem, non patriæ magnitudinem; sunt hæc omnia supervacanea; sed animi pietatem, mansuetudinem, veram prudentiam, Dei timorem, si vis filiam vivere cum voluptate et lætitia. Quærens enim ditiorem, non solum eam non juvabis, sed etiam lædes; servam facies pro libera. Non tanta enim ex aureis fruetur voluptate, quanta molestia ex servitute. Sed hæc ne quæras, sed illum qui sit paris conditionis; si fieri autem non possit, pauperiorem magis quam ditiorem, si non domino vendere, sed marito vis tradere filiam. Quando viri virtutem exacte examinaveris, et eam es traditurus, roga Christum ut adsit; non enim illum pudebit; mysterium quippe est suæ præsentiæ. Atque tunc roga ut talem det sponsum. Ne sis servo Abrahæ deterior, qui ad tantam missus peregrinationem, novit quo esset confugiendum, et ideo omnia est consequutus. Quando tu es sollicitus, et virum quæris, precare, dic Deo, Quem tu velis provide; rem totam ei trade et committe : hoc autem a te ornatus honore, te remunerabitur. Duo certe oportet facere, nempe rem illi committere, et talem quærere qualem ipse vult, nempe probum et honestum. Quando es facturus nuptias, ne domos obeas, specula et vestes commodato accipiens : res enim non fit ad ostentationem, neque filiam adducis ad pompam; sed iis quæ in ea sunt domum exhilarans, voca vicinos et amicos et cognatos; quos nosti quidem bonos et probos, eos voca, et ut iis quæ adsunt contenti sint admone. Ex iis qui sunt ex orchestra adsit nullus; illic enim est sumptus supervacaneus et indecorus. Ante alios omnes voca Christum : scis per quem eum vocabis. Qui fecerit, inquit, uni ex minimis, mihi fecit (*Matth.* 25. 45). Ne putes rem esse gravem et molestam, pauperes vocare propter Christum : res est gravis et molesta vocare meretrices. Pauperes enim vocare, ea res est occasio divitiarum, illud autem eversionis et exitii. Orna sponsam non aureis ornamentis, sed mansuetudine et pudore et consuetis vestibus; pro quovis mundo aureo et implicaturis et intexturis induens pudorem et verecundiam, et illa ut ne quærat. Nullus sit tumultus, nulla perturbatio : vocetur sponsus, accipiat virginem. Prandia et cœnæ non sint plena ebrietate, sed spirituali voluptate. Innumera enim bona ex talibus nuptiis emergent, et quæ ad vitam pertinent in tuto erunt. Ex iis autem quæ nunc fiunt nuptiis (si nuptiæ et non potius pompæ sunt dicendæ), vide quot mala. Soluta sunt cœnacula, et statim incessit cura et metus, ne quid interciderit ex iis quæ commodato accepta erant, et voluptatem excipit intolerabilis animi ægritudo. At hic angor et hæc molestia est procuratricis; imo vero ne ipsa quidem sponsa est ab his libera : eo quidem certe quæ succedunt postea sponsæ sunt omnia. Videre enim dissolvi omnia, est argumen-

tum tristitiæ : videre domum desertam, est mœroris occasio. Illic Christus, hic satanas ; illic lætitia, hic cura ; illic voluptas, hic dolor ; illic sumptus, hic nihil tale ; illic probrum et dedecus, hic modestia ; illic invidia, hic nulla plane est invidia ; illic ebrietas, hic sobrietas, hic salus, hic temperantia. Hæc autem omnia cogitantes, hactenus malum sistamus, ut Deo placeamus, et digni habeamur qui consequamur bona quæ sunt promissa iis qui ipsum diligunt, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD HOMILIAS S. JOANNIS CHRYSOSTOMI IN PRIMAM ET SECUNDAM EPISTOLAS AD THESSALONICENSES.

Has quoque Chrysostomi in Epistolas ad Thessalonicenses homilias Constantinopoli habitas fuisse ipse concionator insinuat cum dicit homilia octava in primam Epistolam circa finem : *Ego autem obnoxius sum reddendæ rationi hujus præfecturæ ; ita ut ego omnium maxime effugere nequeam.* Homilia vero quarta ad secundam ad Thessalonicenses Epistolam idipsum clare enuntiat his verbis : *Adversum nos diabolus armatur vehementius : in bellis enim ante alios omnes belli ducem sternere conatur adversarius.*

Constantinopolitanorum ergo vita passim perstringit, in illosque maxime invehitur, qui incantationibus, ligaminibus ac divinationi operam dabant. Theatralia spectacula proscribit ; nec injuria certe : talia enim oblectamenta in perniciem et juvenum et virorum semper cedunt ; maxime vero Constantinopoli, ubi nudæ mulieres in scena comparebant. Quam pestem ut amoveat, nihil non agit sanctus antistes homilia quinta et in aliis etiam quæ præmissæ fuere concionibus.

Carpit etiam illos, qui nimio luctu defunctos prosequebantur : illos vero cum primis qui resurrectionem nullam fore credebant. Quos alibi etiam, sicubi occasio feratur, exagitat. Verisimile namque est multos Constantinopolitanorum putavisse animam ipsam exstingui cum corpore : qua semel concepta sententia, ad scelera quævis aperitur ostium vel maximum.

De Sodomorum lacu, quem Asphaltiten vocant, et de fructibus qui circum visuntur, singularia quædam recenset, omniaque quasi certissima atque explorata enuntiat.

Homilia autem quarta in secundam Epistolam Neronem Antichristi typum esse dicit, putatque a Paulo prædici proximam Romani imperii eversionem.

Homilia quinta in secundam dicit se semel aut bis tantum in mense concionari et aliquando ne semel quidem. Quod de Homiliis in Epistolam ad Colossenses diximus, nempe stylum et intercisum et obscurum esse, hoc etiam in his concionibus observamus. Instante quippe tanta negotiorum mole, quantam experiri par erat Ecclesiæ Constantinopolitanæ antistitem atque præfectum, multa in promptu ac sine delectu proferre cogebatur orator.

Interpretationem Latinam Gentiani Herveti multis in locis castigavimus.

SANCTI PATRIS NOSTRI JOANNIS CHRYSOSTOMI,

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

IN EPISTOLAM PRIMAM AD THESSALONICENSES COMMENTARIUS (a).

HOMILIA I.

CAP. 1. v. 1. *Paulus et Silvanus et Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre et Domino Jesu Christo, gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.* 2. *Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris,* 3. *sine intermissione memores operis fidei vestræ, et laboris caritatis, et sustinentiæ spei Domini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum.*

1. Quamnam ob causam ad Ephesios quidem scribens, et secum habens Timotheum, eum secum non

(a) Hæ homiliæ collatæ fuere cum tribus Colbertinis Codicibus, in quibus omnibus initium deest. In duobus autem finis desideratur. Initio memoria labitur Chrysostomus, cum dicit, *ad Ephesios scribens :* non enim ea quæ subjungit Ephesiis scribit, sed Philippensibus, ut ibidem in margine notatur.

conjunxit, etsi eis esset notus et haberetur in admiratione (*Experimentum enim ejus cognoscitis*, inquit, *quod sicut patri filius mecum servivit*; et rursus, *Neminem habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sit sollicitus* [*Philipp.* 2. 22. 20]); hic autem eum sibi conjungit? Mihi videtur quod statim eum esset missurus, et supervacaneum esset ut is scriberet qui mox literas erat excepturus: dicit enim, *Hunc spero mittere ad vos proxime* (*Ib. v.* 23). Hic autem non ita; sed erat reversus, quamobrem merito scribebat: num *Cum nuper*, inquit, *ad nos venisset Timotheus a vobis* (1. *Thess.* 3. 6). Cur autem ei præponit Silvanum, etiamsi suo testimonio innumerabilia ipsi bona tribuat, et omnibus eum præponat? Forte quidem quod ipse ob magnam humilitatem hoc vellet et rogaret. Nam cum videret magistrum adeo se humiliter gerere, ut secum conjungeret discipulum; multo magis hoc ipse quæsierit et contenderit. *Paulus* enim, inquit, *et Silvanus, et Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium.* De se hic nihil ponit, non apostolus, non servus. Mihi videtur non ponere dignitatem, propterea quod ii essent catechesi recens imbuti, et nondum accepissent ipsius experientiam: alioquin etiam adhuc initium prædicationis apud ipsos erat. *Ecclesiæ*, inquit, *Thessalonicensium.* Pulchre. Quia enim verisimile erat illos esse paucos, et nondum consistere, propterea eos consolatur per nomen Ecclesiæ: nam ubi multum tempus præterierat, et magnus erat cœtus Ecclesiæ, hoc non ponit. Quoniam autem nomen multitudinis ut plurimum nomen Ecclesiæ, et cœtus jam collecti et consistentis, ideo eos sic vocat. *In Deo*, inquit, *Patre et Domino Jesu Christo.* Ecclesiæ, inquit, Thessalonicensium quæ est in Deo. Ecce rursus illud, *In Deo*, dictum est in Patre et in Filio. Illud autem, *In Deo*, dicit, quia multæ erant ecclesiæ et Judaicæ et Græcæ. Magna est dignitas, et cui nihil est æquale, si est in Deo. Faxit ergo Deus ut hæc quoque Ecclesia sic vocetur: vereor autem ne longe sit ab hac appellatione. Nam si quis est servus peccati, non potest dici in Deo. *Gratia vobis et pax.* Vidisti proœmium Epistolæ statim esse a laudibus? *Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris.* Nam pro ipsis Deo agere gratias, est ejus qui suo testimonio ipsis multum tribuit profectum, quando non solum ipsi laudantur, sed Deo quoque aguntur gratiæ, ut qui ipse omnia operetur. Docet eos quoque se modeste gerere, propemodum dicens universum esse Dei virtutis. Atque gratias quidem agere, est propter recte facta; meminisse autem in orationibus, est suæ in ipsos dilectionis. Deinde, quod multis in locis facit, ut non solum meminerit in orationibus, sed etiam absque orationibus; *Sine intermissione*, inquit, *memores operis fidei vestræ, et laboris caritatis, et sustinentiæ spei Domini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum.* Quid est illud, *Sine intermissione memores?* Vel memores ante Deum et Patrem; vel laboris caritatis memores ante Deum et Patrem nostrum. Non solum autem dixit, *Sine intermissione memores*, sed addidit, *Vestri.* Deinde, ne putes illud, *Vestri*, sine causa dici, subjunxit, *Ante Deum et Patrem nostrum.* Quia enim nullus hominum laudabat quæ fiebant, nemo reddebat mercedem, hoc etiam addit: ac si diceret, Confidite: coram Deo laboratis. Quid est, *Operis fidei?* Institutum vestrum et instantiam nemo flexit: hoc est enim opus fidei. Si credis, omnia patere: si autem non pateris, non credis. Annon enim sunt ejusmodi quæ sunt promissa, ut vel mille mortes pati electurus sit qui credit? Proponitur regnum cælorum et immortalitas et vita æterna. Qui ergo credit, omnia patietur. Ergo fides per opera ostenditur. Merito igitur dixit, Eam non utcumque, sed per opera ostendite, per instantiam, per animi alacritatem. *Et laboris caritatis.* Quisnam est labor utcumque diligere? Nullus labor: germane autem et sincere diligere, multus est labor. Quando enim, dic quæso, moventur innumerabilia quæ nos volunt abducere a caritate, nos autem omnibus resistimus, annon est labor? Quid enim non passi sunt isti, ut a caritate non discederent? nonne ad Pauli hospitem venerunt (*Act.* 17. 5), qui bellum gerebant cum prædicatione; et cum eum non invenissent, ipsum Iasonem trahebant ad magistratus civitatis? Hicne est, dic quæso, parvus labor, cum semina nondum concrevissent, tantam ferre tempestatem, tantas tentationes? *Et cautionem ab eo exegerunt* (*Ibid. v.* 9). Qua data, inquit, emisit Paulum. Estne hoc parvum, dic quæso? nonne seipsum pro illo subjecit periculo? Hunc laborem dicit caritatis, quoniam sic fuerunt alligati.

2. Vide autem: primum dicit quæ illi recte gesserunt, deinde quæ ipse, ne videretur de se loqui magnifice, neque eos anticipando diligere. *Et sustinentiæ*, inquit, id est, tolerantiæ. Neque enim uno tempore fuit illa persequutio, sed perpetuo: neque solum bellum gerebant cum Paulo magistro, sed etiam cum discipulis. Si enim ita erant affecti in eos, qui faciebant miracula, viros plane reverendos: quomodo existimas fuisse affectos in eos qui cum ipsis habitabant, eorumque cives erant, et repente abscedebant? Quod quidem de ipsis quoque testatur, dicens, *Imitatores fuistis Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa* (1. *Thess.* 2. 14). *Spei*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum.* Recte sic dixit: hæc enim omnia sunt a fide et spe. Quamobrem non solum fortis et magni animi virtutem ostendebant quæ fiebant, sed etiam quod cum certa persuasione credebant præmiis repositis. Propterea permittebat Deus ut statim fierent persequutiones, ne quis diceret casu et adulatione constare prædicationem, et ut ostenderetur eorum fervor; et quod non esset humana persuasio, sed Dei virtus quæ credentium persuabebat animis, ut vel ad mille mortes essent parati. Quod quidem non fuisset, nisi statim in profundo coaluisset, et confirmata fuisset prædicatio, et stetisset immobilis. 4. *Scientes, fratres dilecti, a Deo electionem vestram*, 5. *quod evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu*

sancto, et in plenitudine multa : sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. Quid est quod dicit, *Scitis quales fuerimus in vobis?* Hic etiam tangit quæ a se recte gesta, sed tecte et adumbrate : vult enim primum eorum laudes persequi. Quod autem dicit, est hujusmodi : Scivimus quod sitis ex fortibus et magnis viris, et quod ex electis : propterea nos quoque propter vos omnia sustinemus. Illud enim, *Quales fuerimus in vobis*, hoc significat, quod cum magna animi alacritate et multa vehementia parati essemus animas nostras dare propter vos; hujusque non est nobis habenda gratia, sed vobis, quod sitis electi. Propterea alibi quoque dicit : *Et hæc patior propter electos* (2. *Tim.* 2. 10). Nam pro Deo dilectis quid non patiaris? Et cum dixisset quod suum erat, dicit propemodum : Si enim estis et dilecti et electi, omnia merito sustinemus. Non enim laudando eos solum confirmabat eisque animum addebat, sed etiam revocando in memoriam, quod ipsi ostendissent virtutem et fortitudinem eorum animi alacritati respondentem. Dicit itaque, 6. *Et vos imitatores nostri facti estis et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti.* Papæ! quantum encomium! discipuli repente facti sunt magistri : non solum audierunt verbum, sed etiam ad idem pervenerunt fastigium ad quod Paulus. Sed hoc nihil est : vide enim quomodo postea eos extollat : *Imitatores facti estis Domini.* Quomodo? *Excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti.* Non solum cum tribulatione et afflictione, sed cum multa. Hoc autem licet discere ex Actis Apostolorum (*Act.* 17), quomodo excitarunt in eos persequutionem : Conturbaverunt, inquit, magistratus omnes civitatis, et civitatem concitaverunt in ipsos. Neque dici potest, afflicti quidem estis et credidistis, sed dolentes; imo vero gaudentes. Quod quidem faciebant etiam apostoli : *Gaudentes*, inquit, *quod digni essent habiti pro nomine Christi contumelia affici* (*Ibid.* 5. 44). Hoc enim est admirabile : esti ne illud quidem est parum, quomodocumque ferre afflictiones; at hoc jam est eorum qui humanam naturam superant, et habent corpus tamquam impatibile. Quomodo autem fuerunt imitatores Christi? Quoniam ipse quoque multas sustinuit perpessiones, nec dolebat, sed gaudebat : lubens enim et sponte eo veniebat. Propter nos seipsum exinaniit, sputa et colaphos passurus, in crucem agendus; et adeo gaudebat hæc patiens, ut Patri diceret, *Glorifica me* (*Joan.* 17. 1). *Cum gaudio*, inquit, *Spiritus sancti.* Ne quis diceret, Quomodo dicis in tribulatione? quomodo in gaudio? quomodo possunt utraque convenire? subjunxit, *Cum gaudio Spiritus sancti.* Afflictio est in corporalibus, et gaudium in spiritualibus. Quomodo? Ea quidem quæ fiunt sunt molesta; quæ autem ex eis oriuntur, nequaquam : non sinit enim id Spiritus. Quamobrem fieri potest ut et patiens non lætetur, quando patitur pro peccatis; et flagris cæsus lætetur, quando patitur propter Christum.

5. Hoc est enim gaudium Spiritus : pro iis quæ videntur esse gravia et molesta, educit lætitiam. Afflixerunt vos, inquit, persequuti sunt; sed vos ne in illis quidem dimisit Spiritus. Sicut in igne rore aspergebantur tres pueri (*Dan.* 3), ita vos quoque in afflictionibus. Sed sicut illic non est naturæ ignis rore aspergere, sed sibilantis Spiritus : ita hoc quoque non est naturæ afflictionis gaudium procreare, sed passionis propter Christum, et rore perfundentis Spiritus, constituentisque in quiete et recreatione per fornacem tentationum. *Cum gaudio*, inquit; non simplici, sed multo : hoc enim est *Spiritus sancti.* 7. *Ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia et Achaia.* Atqui postremo venit ad eos : Sed ita, inquit, resplenduistis, ut fieretis doctores eorum qui præcesserant. Et hoc est apostolicum. Non enim dicit, Ut facti sitis forma ad credendum, sed iis qui jam credebant facti estis forma : id est, Quomodo oporteat in Deum credere, vos docuistis, qui ab exordio ad certamina descendistis. *Et in Achaia*, inquit; hoc est, in Hellade. Vides quanta res sit animi alacritas? Non eget tempore, neque cunctatione, neque dilatione; sed sufficit se solum exhibere, et confecta sunt omnia. Sic ergo isti cum posteriores accessissent ad prædicationem, fuerunt priorum doctores et magistri. Nemo igitur animum despondeat : etiamsi multo consumpto tempore nihil effecerit, licet ei vel parvo tempore tantum efficere, quantum ne priori quidem tempore. Nam si qui nondum crediderat tantum in initio resplenduit, multo magis ii qui jam crediderunt.

Vigilantia quam necessaria. — Nullus rursus hoc cogitans sit piger et segnis, ut qui didicerit quod liceat brevi tempore totum parare : futurum enim est incertum; et fur est dies Domini (1. *Thess.* 5. 4), repente invadens nos dormientes; sed si non dormiamus, non tamquam fur nos invadet, neque abducet imparatos. Nam si vigilemus, et sobrii simus, non amplius tamquam fur nos invadet, sed tamquam Regis nuntius nos vocans ad bona nobis parata : sin dormiamus, tamquam fur accedit. Nullus ergo dormiat, nullus sit piger ad virtutem : hoc enim est somnus. Nescitis, quando dormimus, quam nostra non sint in tuto, quam facile eis parentur insidiæ? quando autem vigilamus, non opus est nobis tanta custodia. Quando dormimus, etiam cum multa custodia sæpe perimus : sunt et ostia et vectes et custodes et vigiles; et tamen fur ingreditur[1]. Cur hæc dico? Quoniam si vigilemus, non egebimus aliorum auxilio : sin autem dormiamus, nihil nobis prodest aliorum auxilium, sed etiam cum illo perimus. Bonum est frui sanctorum precibus, sed cum ipsi quoque fuerimus intenti operi. Et quid mihi, inquit, opus est aliorum precibus, cum fuero intentus operi, nec me eo redigam, ut opus habeam? Nec ego quidem hoc volo; sed opus semper habemus, si sapiamus. Paulus non

[1] In Colb. legitur..... *non opus est nobis tanta custodia. Quot et quanta quidam, custodiæ causa, excogitarunt? Verbi gratia, ostia, vectes, custodes et vigiles : et tamen, cum tanta custodia, fur ingreditur.* Quæ lectio quadrat ad seriem; sed nostra est editorum omnium, eamque secutus est Gentianus Hervetus.

dicebat, Quid mihi opus est precibus ? etiamsi qui precabantur non essent illo digni, imo vero ne pares quidem : et tu dicis, Quid mihi opus est precibus ? Petrus non dixit, Quid mihi opus est precibus? *Oratio* enim, inquit, *fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo* (*Act.* 12. 5) : et tu dicis, Quid mihi opus est precibus ? Propterea tibi opus est, quoniam existimas te non opus habere. Etiamsi fueris sicut Paulus, opus habes precibus. Ne te extollas, ne reddaris humilis. Sed, ut dixi, si simus quidem intenti operi, preces pro nobis emissæ juvant. Audi Paulum dicentem : *Scio enim quod hoc mihi proveniet ad salutem per vestram orationem et subministrationem Spiritus Jesu Christi* (*Philipp.* 1. 19); et rursus, *Adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis. Ut ex multis personis ejus quæ in nobis est donationis per multos gratiæ agantur pro nobis* (2. *Cor.* 1. 11). Et tu dicis, Quid mihi opus est oratione? Sin autem simus pigri, nemo nobis prodesse poterit. Quid profuit Jeremias Judæis ? nonne ter ad Deum accessit, et ter audivit : *Ne preceris nec roges pro populo isto , quoniam non te exaudiam* (*Jer.* 7. 16) ? Quid Saüli profuit Samuel ? nonne eum luxit usque ad extremum diem, nec solum pro eo oravit ? Quid profuit Israelitis ? nonne dicebat, *Absit ut peccem intermittens orare pro vobis* (1. *Reg.* 12. 23) ? nonne omnes perierunt? Nihil ergo prosunt, inquies, preces ? Imo vero valde prosunt ; sed quando nos quoque aliquid agimus : nam simul agunt preces et opem ferunt : simul autem agit quispiam et opem fert ei qui ipse operatur ; sin autem maneas piger et otiosus, ex eis non magnam accipies utilitatem.

4. Nam si valerent preces nos otiosos in regnum introducere, cur non omnes Græci fiunt Christiani ? nonne oramus pro toto mundo ? nonne hoc quoque faciebat Paulus ? nonne rogamus ut omnes convertantur ? Dic enim, cur mali non fiunt boni ? annon, ut palam est, quia nihil possunt ex se afferre ? Valde ergo prosunt preces, cum nos quoque a nobis quæ sunt nostra attulerimus. Vis scire quantum prosint preces ? cogita Cornelium, Tabitham (*Act.* 10. 3. *et* 9 36); audi etiam Jacobum dicentem Labano : *Nisi timor patris mei esset mihi, vacuum me dimisisses :* audi Deum quoque rursus dicentem, *Protegam hanc civitatem propter me, et propter David servum meum* (*Gen.* 31. 42. 4. *Reg.* 19. 34). Sed quando? Tempore Ezechiæ qui erat justus. Nam si valerent preces etiam tempore valde sceleratorum, cur non etiam quando venit Nabuchodonosor, hoc dixit Deus, sed tradidit civitatem ? Quoniam plus valuit scelus et vitium. Rursus ipse Samuel oravit pro Israelitis, et impetravit ; sed quando ? Quando ipsi quoque Deo grati erant et accepti, tunc fugavit inimicos. Et quid opus, inquit, alterius precibus, quando ego Deo sum gratus? Ne hoc umquam dixeris, o homo. Opus est et valde opus est multis precibus : audi enim Deum dicentem de amicis Jobi : *Et orabit*, inquit, *pro vobis, et dimittetur vobis peccatum* (*Job* 42. 8) ; quoniam peccarant quidem, sed non magnum admiserant peccatum. Sed hic ipse justus, qui per preces tunc amicos suos servavit, in tempore Judaico non potuit servare Judæos pereuntes. Et ut id scias, audi Deum dicentem per prophetam : *Si steterit Noe, et Job, et Daniel, non eripient filios suos et filias, quoniam prævaluit vitium* (*Ezech.* 14. 16) ; et rursus, *Si steterit Moyses, et Samuel* (*Jer.* 15. 1). Et vide quomodo hoc dicitur duobus prophetis : quoniam ambo pro ipsis rogarant, et non erant assequuti. Dicit enim Ezechiel, *Hei mihi, Domine ! deles tu reliquias Israelis* (*Ezech.* 9. 8). Deinde ostendens Deus quod hoc juste faciat, nec ipsum despiciat, cum precationem ejus non excipit, ipsorum peccata ipsi declarat, ac si diceret : Hæc per se satis sunt ut tibi persuadeant me, non quod te despiciam, sed ob peccata ipsorum, non acceptam habere supplicationem : sed tamen subjungit et dicit, *Si steterit Noe, et Job, et Daniel :* et merito illi magis hæc dicit, quoniam ipse est qui est multa passus. Dixisti, inquit, mihi ut super stercora comederem, et comedi ; dixisti ut me raderem, et sum rasus ; jussisti, et dormivi super unum latus ; jussisti onustum exire per foramen, et exii ; accepisti uxorem meam, et præcepisti mihi ne lugerem, et non luxi, sed tuli fortiter : innumerabilia alia feci propter ipsos ; et ego pro ipsis te rogo, nec exaudis ? Ut ostendat ergo Deus se, non quod ipsum contemnat id facere, dicit : *Si Noe et Job et Daniel pro filiis et filiabus oraverint, non persuadeor.* Jeremiæ quoque qui pauciora quidem patiebatur a Dei jussis, plura autem ab eorum vitio et scelere, quid dicit ? *Annon vides quid isti faciunt* (*Jer.* 7. 17) ? Certe, inquit, faciunt, sed fac propter me. Propterea dicit ei : *Si steterit Moyses et Samuel :* Moyses, primus legislator, qui sæpe ipsos eripuit a periculis, qui dixit, *Si dimittas quidem peccatum, dimitte ; sin minus, me quoque dele* (*Exod.* 31. 32). Si hic ergo nunc esset, et hæc diceret, non impetraret : et si rursus Samuel, qui ipse quoque eos eripuit, qui ab incunte ætate habitus fuit in admiratione. De illo enim dixi, quod tamquam amicus cum amico sim loquutus, et non per ænigmata : de hoc autem dixi, me in prima ætate ei visum esse, et ab ipso placatum, exclusam aperuisse prophetiam. *Etenim verbum*, inquit, *erat pretiosum ; et non erat visio distincta* (1. *Reg.* 3. 1). Si isti ergo steterint, nihil proficient. Et de Noe dicit, *Justus perfectus in generatione sua erat Noe* (*Gen.* 6. 9) : et de Jobo, *Irreprehensibilis, justus, verus, pius* (*Job* 1. 1). Hos itaque stantes et Danielem, quem etiam deum Chaldæi existimarunt, non potuisse liberare inquit filios ipsorum et filias. Cum hæc ergo sciamus, neque preces sanctorum contemnamus, neque totum in eas conjiciamus, tum ut ne pigri simus et socordes, et ne temere vitam ducamus ; tum ut ne a magno lucro excidamus ; sed et hortemur ad orandum pro nobis et ad manus nobis porrigendas ; et ipsi virtutem sectemur, ut bona quæ sunt promissa iis qui ipsum diligunt consequi possimus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

CAP. 1. v. 8. *A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia et in Achaia, sed et in omni loco fides vestra quæ est ad Deum profecta est, ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui.* 9. *Ipsi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos; et quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero,* 10. *et exspectare Filium ejus de cœlis, quem suscitavit ex mortuis, Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura.*

1. Quemadmodum bene olens unguentum non in se conclusum bonum habet odorem, sed procul emittit, et aerem odore complens, sic etiam immittit eum in sensus propinquorum : sic etiam viri præclari et admirandi non in se conclusam tenent virtutem, sed plurimos per famam suam juvant et meliores reddunt. Quod et tunc factum est. Quocirca dicebat : *Ut facti sitis forma omnibus credentibus in Achaia et Macedonia. A vobis enim,* inquit, *diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia et Achaia, sed et in omni loco fides vestra quæ est ad Deum profecta est.* Eruditione ergo implevistis omnes proximos, miraculo autem orbem terræ : hoc enim sibi vult illud, *In omni loco.* Neque dixit, Jactata est fides vestra, sed, *Diffamata est.* Nempe sicut tuba clare resonante repletur totus locus viciniæ : ita vestræ virtutis fama, sicut illa resonans, sufficit ad implendum orbem terræ et pari sono perveniendum ad omnes ubique. Nam res magnæ, ubi quidem gestæ fuerint, canuntur clarius ; procul autem canuntur quidem, sed non adeo : a vobis vero non sic, sed insignis sonus exiit per totam terram. Ne quis vero putet esse hæc verba hyperbolica : hæc enim gens Macedonum ante Christi adventum erat insignis, et ubique canebatur magis quam Romanorum ; et Romani ideo sunt admirandi, quod eos subjugarint.

De Alexandro Magno quædam. — Nam quæ gessit rex Macedonum superarunt omnem dicendi facultatem, ut qui a parva profectus civitate, occupavit totum orbem terræ. Propterea et Pardum volucrem eum videt propheta, significans velocitatem et vehementiam et ardorem, et quod repente totum orbem terræ pervolarit cum tropæis et victoria. Aiunt autem quod etiam cum quemdam philosophum audiisset dicentem infinitos esse mundos, vehementer ingemuerit, quod cum infiniti essent, ne unum quidem expugnasset : adeo magni et excelsi erat animi, et ubique terrarum canebatur. Simul autem cum fama regis gentis etiam ascendebat gloria : dicebatur enim Alexander ille Macedo. Quamobrem ejus volante fama, merito quæ illic gesta fuerant ubique canebantur : nihil enim insigne potest latere. Non minus ergo erant insignes res Macedonum quam Romanorum. *Fides vestra,* inquit, *quæ est ad Deum profecta est.* Vide quomodo quasi de re animata loquens, illud, *Profecta est,* posuerit : hoc autem ex eorum vehementia oritur. Deinde declarans ipsos fidem suam vehementem et efficacem ostendisse, subjungit : *Ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos.* Non exspectant ut de vobis audiant, sed eos qui aderant et res a vobis præclare gestas viderant, ii qui non aderant nec viderant, præoccupant : adeo ubique evulgata res erat. Quo fit ut non sit nobis opus vestra narrando eos ad parem deducere zelum et æmulationem : nam quæ ipsos oportebat a nobis audire, ea ipsi priores dicunt. Quamquam in iis quæ sunt hujusmodi sæpe invidia intervenit : sed hanc quoque vicit excellentia, et ipsi sunt præcones vestrorum certaminum. Quamvis ipsi sint inferiores, ne sic quidem tacent, sed præveniunt. Nobis autem, cum tales sint, non licet fidem negare. Quid est illud, *Qualem introitum habuerimus ad vos?* Quod plenus fuerit periculis, quod miraculis innumerabilibus, quod nihil ex his vos conturbaverit ; sed ac si nihil accidisset, ita nobis adhærebatis ; tamquam mali nihil perpessi, sed bona assequuti innumerabilia, ita nos excepistis postea. Secundus enim hic fuit ingressus. Abierunt Berrhœam ; passi sunt persequutionem : et postea cum venissent, eos ita exceperunt, ut ab ipsis honorarentur, et animas suas pro ipsis ponerent. Illud ergo, *Qualem introitum habuerimus ad vos,* est conjunctum et horum et ipsorum encomium : sed ipse id convertit in laudem ipsorum. *Et quomodo conversi,* inquit, *estis ad Deum a simulacris, ut serviatis Deo vivo et vero.* Hoc est, facile, et magna cum vehementia, neque multo opus habuistis negotio ut serviretis Deo vivo et vero. Hic etiam intulit adhortationem : quod est minus gravem orationem reddentis. *Et ut exspectaretis Filium ejus de cœlis, quem suscitavit ex mortuis, Jesum, qui liberat nos ab ira ventura. Et ut exspectaretis,* inquit, *Filium ejus de cœlis,* qui in crucem fuit actus, qui sepultus : ideoque hæc declarans subjungit, *Quem suscitavit e mortuis.* Vidisti simul omnia, resurrectionem, ascensionem, secundum adventum, judicium, justorum remunerationem, malorum supplicium? *Jesum,* inquit, *qui nos eripuit ab ira ventura.* Et hoc est illis solatium, consolatio et adhortatio. Nam si excitavit e mortuis, et est in cælo, et illinc venturus est (et credidistis ; nisi enim vos illa credidissetis, non essetis tam multa perpessi) : sunt hæc quoque sufficiens consolatio. Isti, inquit, dabunt pœnas (quod quidem in secunda quoque dicit epistola [*Cap.* 1. *v.* 9]). *Et alienam vos habebitis consolationem non parvam. Et ut exspectetis,* inquit, *filium e cœlis ;* ostendens ea quæ sunt gravia et aspera, esse in manibus, bona autem in exspectatione, quando Christus veniet e cælis. Vide quanta spe sit opus, quod Christus in crucem actus, sit suscitatus et assumptus in cælos ; quod venturus sit ad judicandos vivos et mortuos. (*Cap.* 2) 1. *Nam et ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quod non inanis fuit ;* 2. *sed ante passi multa, et contumeliis affecti, sicut scitis, in Philippis, fiduciam habuimus in*

Deo nostro loqui ad vos evangelium Dei in multa sollicitudine.

2. Magna quidem et præclara sunt quæ gessistis; sed nec nos humano sermone usi sumus. Sed id quod superius, hic quoque dicit, quod utrimque ostendatur qualis sit prædicatio, et ex signis, et ex eorum qui prædicant instituto, et ex fervore et studio eorum qui suscipiunt. *Ipsi* enim, inquit, *scitis et nostrum ad vos introitum, quod non fuit inanis :* hoc est, non humanus, neque levis ac vulgaris. A magnis enim erepti periculis et mortibus et plagis, incidimus rursus statim in pericula. *Sed ante*, inquit, *passi multa, contumeliis affecti, sicut scitis, in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro.* Vides quomodo rursus totum Deo attribuit? *Ad loquendum*, inquit, *ad vos evangelium Dei in multa sollicitudine.* Dici non potest quanto illic in periculo fuimus, hic vero non : scitis enim et vos quantum fuerit periculum, cum quanta sollicitudine fuerimus apud vos. Quod ad Corinthios quoque scribens dicit, *In infirmitate et labore et in timore et tremore multo fui apud vos* (1. *Cor.* 2. 3). 3. *Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo;* 4. *sed sicut probati sumus a Deo ut crederetur nobis evangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra.* Vides quod, sicut dixi, ex eorum instantia sumit argumentum, quod divina sit prædicatio. Nam si hoc non ita esset, si esset deceptio, non tam multa passi essemus pericula, quæ ne concedebant quidem ut respiraremus. Quidnam est ergo? Si non futurorum, inquit, aliquid nos excitaret, si non persuasum nobis esset quod bona sit spes, non ita alacriter in ærumnis affecti fuissemus. Quis enim eligeret pro iis quæ hic sunt tam multa sustinere, et vita vivere sollicita et laboriosa et plena periculis? cuinam enim persuaserint? nam hæc ipsa annon sufficiunt ad perturbandos discipulos, cum præceptores videant in periculis? Sed hoc vobis non accidit : *Exhortatio enim nostra*, hoc est doctrina, *non est de errore.* Non est, inquit, res dolus neque deceptio, ut cedamus : non est, pro rebus odiosis et exsecrandis, non pro præstigiatoribus, et magis; hoc enim sibi vult illud, *De immunditia;* neque in dolo, neque affectantes imperium, quod fecit Theudas; *Sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis evangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo.* Vides quod non sit inanis gloria? *Sed Deo*, inquit, *qui probat corda nostra.* Nihil, inquit, agimus ut hominibus placeamus : quanam enim de causa hoc fecissemus? Deinde, cum ipsos laudasset dicendo, Non tamquam volentes hominibus placere, neque honores quærentes ab hominibus; subjungit : *Sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis evangelium Dei.* Ac si diceret, Nisi nos novisset liberos ab omni re quæ ad hanc vitam pertinet, non nos elegisset : quales ergo probavit, tales manemus. *A Deo probati sumus*, inquit; id est, nos probavit, et credidit nobis evangelium : ut ergo Deo nos probi visi sumus, sic manemus. Nostræ virtutis signum est et argumentum, quod nobis sit creditum evangelium : si quid malum fuisset in nobis, Deus nos non probavisset. Illud autem, Probavit, hic significat, Invenit probos et credidit; non, Scrutatus est : nos enim sic probando agimus, ille sine tali probatione. Sic ergo loquimur, ut par est eos qui a Deo sunt probati, et crediti sunt esse digni evangelio : et, *Loquimur, non quasi hominibus placentes;* hoc est, non propter vos hæc omnia facimus Quoniam prius ipsos laudavit, ne quod dicit vocaret in suspicionem, ait : 5. *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut nostis; neque in occasione avaritiæ : Deus testis est :* 6. *neque quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, cum possemus esse oneri tamquam Christi apostoli. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis*, inquit : hoc est, Non adulati sumus, quod quidem est eorum qui decipiunt, qui volunt possidere et dominatum obtinere. Non potest dici quod adulati simus ut dominatum obtineamus, neque quod propter pecuniam eo venerimus. Hujus rei, sane evidentis, testes ipsos compellat : An adulati simus, ves scitis, inquit : quod autem non erat evidens, an per modum avaritiæ, Deum citat testem. *Neque quærentes ab hominibus gloriam, neque a nobis, neque ab aliis; cum possemus esse oneri, tamquam Christi apostoli.* Hoc est, neque honores quærentes, neque gloriantes et nos jactantes, nec stipati satellitibus. Quamquam si hoc fecissemus, nihil fecissemus alienum : nam si quidam missi a regibus, sunt tamen in honore, multo magis nos. Neque dixit, Contumelia affecti sumus, neque, Honorem non sumus consequuti, quod quidem exprobrantis fuisset; sed, Non quæsivimus. Qui ergo non quæsivimus, cum liceret quærere, hoc etiam exigente prædicatione, quomodo fecissemus aliquid propter gloriam? Quamquam etiamsi quæsivissemus, ne sic quidem essemus accusandi : æquum esset enim ut qui a Deo missi sunt ad homines, tamquam a cælo nunc venientes legati, magno fruerentur honore. Sed his neglectis nos horum nihil fecimus, ut obstruamus ora adversariorum.

3. Neque dici potest quod erga vos quidem sic, erga alios autem non sic nos geramus : ita enim ad Corinthios quoque scribens dicebat : *Sustinetis enim, si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit* (2. *Cor.* 11. 20); et rursus, *Præsentia vero corporis infirma, sermo contemptibilis :* et rursus, *Donate mihi hanc injuriam* (*Ibid.* 10 10. *et* 12. 13). Illic quoque ostendit se valde esse humilem, ex eo quod tam multa conculcaret. Hic autem dicit etiam de pecuniis : *Cum possemus vobis esse oneri ut Christi apostoli.* 7. *Sed facti sumus parvuli in medio vestrum : tamquam si nutrix foveat filios suos,* 8. *ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis, non solum evangelium Dei, sed etiam animas nostras : quoniam carissimi nobis facti estis. Sed facti sumus*, inquit, *parvuli :* id est, Nihil importunum, nihil molestum nec grave neque quod fastum habeat ostendimus. Illud autem, *In medio vestrum*, tale est, ut si quis dicat, Non ex vobis locum et sortem superiorem et eminentiorem accipientes.

Doctoris officium. — *Tamquam si nutrix foveat*, inquit, *filios suos.* Ita oportet esse doctorem. Num nutrix adulatur ut gloriam consequatur? num pecuniam petit a parvis pueris? num est illis gravis et molesta? annon illæ sunt benigniores et mitiores quam matres? Hic ostendit amorem et benevolentiam. *Ita desiderantes vos*, inquit : ita vobis devincti sumus, et non solum nihil accipimus, sed si oporteat etiam ipsas impertiri animas, non recusabimus. Hoccine est, dic quæso, humanæ mentis? et quis adeo desipit ut hoc dicat? *Cupide volebamus tradere vobis, non solum evangelium Dei, sed etiam animas nostras.* Quamobrem hoc est illo majus. Et quodnam est lucrum? Ex evangelio quidem lucrum; dare autem animam, quod ad difficultatem attinet, est illo majus. Non sunt enim paria prædicare et dare animam : nam illud quidem est honorabilius, hoc autem est majoris difficultatis. Vellemus, inquit, si liceret, etiam animas vobis effundere. Quoniam ergo laudavit et laudat, propterea inquit, Non pecunias quærentes, non vobis adulantes, non gloriam appetentes hoc facimus. Vide enim : si multa confecerant certamina, et impense oportebat eos laudari et haberi in admiratione, ut fortiores evaderent, habebat laus suspicionem. Propterea, hæc omnia dicit, amovens suspicionem, dicit pericula. Et rursus, ne putetur pericula dicere, tamquam pro ipsis laborans, et tamquam ab ipsis debens honorari; ideo postquam pericula memoravit, subjunxit : *Quoniam carissimi nobis facti estis;* atque ideo animas nostras lubenter vobis dedissemus, eo quod vobis valde simus devincti. Atque evangelium quidem, quoniam Deus jussit, annuntiamus; tantum autem vos diligimus, ut si liceret, etiam animas dedissemus. Sic oportet diligentem diligere, ut si ab eo petatur anima, et fieri possit, non vetet. Non dico, si petatur solum imo vero ut ipse ad hoc donum accurrat. Nihil enim, nihil hujusmodi amore fuerit jucundius, nihil illic contigerit molestum. Fidelis amicus revera est vitæ medicamentum : fidelis amicus est validum tegumentum.

Quis sit verus amicus. Christianæ amicitiæ exemplum. — Quid enim non fecerit verus et germanus amicus? quam non attulerit voluptatem? quam non utilitatem? quam non securitatem? Etiamsi thesauros dixeris innumerabiles, nihil vero et germano amico potest æquiparari. Primum autem dicamus quantam voluptatem habet amicitia : gestit gaudio amicum videns et diffunditur : cum eo conjungitur quadam conjunctione, quæ ineffabilem animo habet voluptatem : et si solum ejus meminerit, mente assurgit et attollitur. De germanis loquor amicis, qui sunt unanimes, qui pro amicis mori elegerint, qui ardenter amant. Ne mihi, cogitantes eos qui leviter amant, et sunt mensæ socii, et amici nomine, existimetis arguere id quod dicitur. Si quis habet amicum qualem dico, verba agnoscet : et si eum quotidie viderit, non satiatur : eadem ipsi quæ sibiipsi optat et precatur. Novi ego quemdam qui pro amico viros sanctos rogabat ut pro ipso primum orarent, deinde pro se. Tanta res est bonus amicus, ut et loca et tempora propter ipsos amentur. Sicut enim a splendidis corporibus flos emanat in loca vicina : ita etiam amici ad loca, ad quæ accesserint, suam emittunt gratiam : et sæpe cum absque amicis in illis locis fuerimus, flemus, recordantes dierum in quibus cum illis versati sumus, et gemimus. Verbis explicari non potest quantam affert voluptatem et lætitiam præsentia amicorum : soli autem sciunt qui experiuntur. Et gratiam petere, et gratiam accipere ab amico licet citra suspicionem. Quando nobis imperant, tunc eis habemus gratiam : quando dubitant et verentur, tunc tristitia afficimur. Nihil habemus quod non sit illorum. Omnia quæ hic sunt sæpe despicientes, propter illos nolumus hinc emigrare : et luce ipsa illi sunt magis desiderabiles.

4. Revera enim ipsa etiam luce est amicus desiderabilior : loquor de sincero et germano. Nec mireris : melius enim est ut sol nobis exstinguatur, quam ut privemur amicis; melius est degere in tenebris, quam amicis privari : et quomodo, ego dicam. Multi solem videntes sunt in tenebris; amicis autem instructi, numquam in ærumnis versantur : de amicis loquor spiritualibus, qui nihil præferunt amicitiæ. Talis erat Paulus, qui animam suam libenter dedisset, nec rogatus etiam in gehennam libenter ivisset : ita ardenti diligendum est affectione. Volo exemplum amicitiæ dare : patres et filios superant amici, amici, inquam, secundum Christum. Ne mihi enim hodiernos amicos dicas; nam cum aliis hoc quoque bonum recessit; sed cogita quod tempore apostolorum, non loquor de coryphæis et principibus, sed de iis qui crediderunt; *Omnium*, inquit, *erat anima una et cor unum, et nemo quidquam ex iis quæ habebat dicebat esse proprium; et distribuebatur singulis prout opus habebant* (*Act.* 4. 32. 35). Non erat tunc meum et tuum. Hoc erat amicitia, ne quis quæ sua erant sua existimaret, sed quæ erant proximi : quæ autem sua, aliena; utque illius animæ æque parceret atque suæ; et ille similiter eumdem animi affectum ostendat. Et ubi, inquit, fieri potest ut talis inveniatur? Etiam; sed quia nolumus, fieri non potest : potest enim facile fieri, si velimus. Nam si fieri non posset, ne jussisset quidem Christus, nec tam multa dixisset de caritate. Magna res est amicitia, et quam sit magna, nec discere quisquam, nec oratio ulla explicare potest, præter ipsam experientiam. Hoc fecit hæreses, hoc Græcos adhuc facit esse Græcos. Qui diligit, non vult imperare, nec magistratum gerere, sed majorem habet gratiam si obediat et jussa exsequatur : vult magis gratificari quam gratiam accipere : diligit enim et quasi non exsatiato suo desiderio, sic afficitur. Non tam lætatur beneficium accipiens, quam benefaciens : mavult enim eum habere sibi obnoxium, quam ipsi debere; imo mavult et ipsi debere, et ipsum habere debitorem; et vult gratificari et non vult videri gratificari, sed esse potius debitor. Multos ex vobis existimo forte ignorare quod dictum est; necesse igitur est ut repetam. Vult prior beneficio afficere, et non vi-

deri prior beneficio afficere, sed reddere : quod quidem Deus quoque fecit in hominibus. Erat Filium suum pro nobis donaturus, sed ne videretur nobis donare, sed nobis debere, jussit Abraham dare filium suum, ut rem magnam faciens, nihil magnum videretur facere. Nam si non fuerit quidem amicitia, et exprobramus beneficia, et parva extollimus, si autem fuerit amicitia, et ea celamus, et quæ sunt magna parva volumus ostendere, ne videamur amicum habere debitorem, sed ipsi esse debitores in eo quod eum habeamus debitorem. Scio multos non intelligere quod dicitur : causa autem est quod loquar de re, quæ nunc cælum habitat. Quemadmodum ergo si loquerer de aliqua planta quæ nascatur in India, cujus nemo experientiam haberet, ne posset quidem rem explicare oratio, etiamsi infinita dicerem : ita etiam quæcumque nunc dixero, frustra dicam : nemo poterit scire. In cælo plantata est hæc planta, ramos habens non onustos margaritis, sed vita virtute ornata, quæ est his multo jucundior. Quamnam vis dicere voluptatem? an turpem, an honestam? sed omnes exsuperat voluptas amicitiæ, etiamsi mellis voluptatem dixeris. Nam id quidem affert satietatem, amicus autem numquam, dum fuerit amicus; sed augetur potius desiderium, et satietatem numquam affert voluptas. Vita quoque præsente amicus est jucundior : multi certe post mortem amicorum ne optarunt quidem amplius vivere. Cum amico etiam exsilium libenter tulerit quispiam : absque amico autem ne suam quidem patriam habere voluerit. Cum amico etiam paupertas est tolerabilis : absque illo autem et sanitas et divitiæ sunt intolerabiles. Alterum habet seipsum. Angor quod non possim exemplo rem ostendere : revera enim planum fecissem, quæ dicta sunt esse multo minora quam oporteat. Et hæc quidem hic ita habent : a Deo autem tanta est merces amicitiæ, quanta ne dici quidem potest. Nobis dat mercedem ut alter alterum diligamus : Ama enim, inquit, et accipe mercedem, pro qua re debemus mercedem : Ora, inquit, et accipe mercedem, pro quo mercedem debemus, quia bona petimus : Pro eo quod petis, inquit, accipe mercedem : jejuna, et accipe mercedem : sis virtute præditus, et accipe mercedem, etiam si mercedem debeas : sed sicut parentes quando fecerint ut filii vivant in virtute, tunc etiam eis dant mercedem : sunt enim debitores, quod se constituerint in voluptate : ita etiam Deus. Mercedem, inquit, accipe, si sis virtute præditus; nam patrem lætitia afficis, et hujus rei tibi mercedem debeo : sin autem malus, nequaquam; irritas enim eum, qui te genuit. Ne itaque Deum irritemus, sed lætitia afficiamus, ut regnum cælorum assequamur, in Christo Jesu Domino nostro, etc.

HOMILIA III.

Cap. 2. v. 9. *Memores enim estis, fratres, laboris nostri et fatigationis : nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis evangelium Dei.* 10. *Vos testes estis et Deus, quam sancte et juste et sine querela vobis qui credidistis fuimus;* 11. *sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum, sicut pater filios suos, deprecantes vos et consolantes,* 12. *testificati sumus ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in regnum suum et gloriam.*

1. Doctorem nihil oportet onerosum putare eorum quæ tendunt ad salutem discipulorum. Nam si beatus Jacob nocte et die laborabat in ovium custodia : multo magis eum cui creditæ sunt animæ, etiamsi sit opus laboriosum et vile, omnia oportet facere, unum solum spectantem, nempe salutem discipulorum, et quæ inde Deo affertur gloriam. Vide ergo quomodo Paulus præco, apostolus orbis terræ, tali suscepto honore, operabatur manibus, ne gravaret discipulos. *Memores enim estis*, inquit, *fratres, laboris nostri et fatigationis.* Prius dixerat, *Poteramus oneri esse, tamquam Christi apostoli :* quod etiam dicit in Epistola ad Corinthios : *Nescitis quod qui sacris operantur, e sacro comedunt* (1. *Cor.* 9. 13)? Sic et Christus constituit ut qui evangelium annuntiant, ex evangelio vivant. Sed ego, inquit, nolui, sed laboravi. Neque solum operatur, sed cum multo studio et diligentia. Et vide quid dicat : *Memores*, inquit, *estis*, non beneficiorum meorum, sed, *Laboris nostri et fatigationis. Nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus, sic prædicamus vobis evangelium Dei.* Corinthiis autem aliud dicit : *Alias Ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum* (2. *Cor.* 11. 8). Atqui illic quoque operabatur, sed non revocavit in memoriam, sed aliud posuit quod magis pungeret; perinde atque si diceret : Ab aliis sum nutritus vobis inserviens; hic autem non sic, sed quid? *Nocte et die operantes.* Et illic quidem dicit, *Et cum essem apud vos et egerem, nullum gravavi* (*Ibid.* v. 9); et, *Accepi stipendium ad ministerium vestrum :* hic autem ostendit eos esse in paupertate; illic vero non ita. Propterea assidue eos adducit testes : *Vos enim*, inquit, *testes estis et Deus;* sermonem fide dignum faciens, et hoc ponens, quod eos maxime reddebat certiores : nam illud est incertum ignorantibus, hoc autem nihil dubii relinquit. Et ne mireris : non advertebat se Paulum esse, qui hæc diceret; sed admodum vult eos certiores facere. Ideo dicit : *Vos testes estis et Deus, quam sancte et juste et sine querela vobis fuimus qui creditis.* Oportebat eos rursus laudare : ideo ea proponit quæ satis erant ad persuadendum. Nam qui illic, inquit, laborabam egestate, et non accepi, multo magis nunc. *Quam sancte et juste et sine querela fuimus vobis qui creditis; sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum, sicut pater filios suos, vos deprecantes et consolantes.* Cum superius dixisset id quod erat conversationis, hic dicit quod est caritatis; quod majus est, et sine fastu dictum. *Sicut pater filios*

suos, deprecantes vos et consolantes et testificantes ut ambuletis digne Deo, qui vocat vos in regnum suum et gloriam. Quando dicit : *Et testificantes*, tunc meminit patrum. Sed et testificati sumus, hoc quoque non vehementer, sed sicut pater, *Unumquemque vestrum.* Papæ ! in tanta multitudine neminem prætermisit, non parvum, non magnum, non divitem, nec pauperem. *Deprecantes*, inquit, ad quid? Ad ferendum omnia. *Et consolantes et testificantes. Deprecantes :* non ergo quærebant gloriam : *Et testificantes :* non ergo adulabantur. *Ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam.* Vide rursus quomodo narrans, et docet et consolatur : si enim vocavit ad regnum, oportet omnia ferre. Hortamur vel rogamus, non ut nobis aliquid donetis, sed ut regnum cælorum assequamini. 13. *Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione, quod cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis.* Non licet, inquit, dicere, quod nos quidem impune omnia agimus, vos autem facitis indigna nostra conversatione : non enim nos audientes affecti estis tamquam audientes homines, sed tamquam ipso Deo admonente, ita attendistis. Undenam id liquet? Sicut enim, quod non in adulatione neque in inani gloria prædicaverit, ostendit ex suis tentationibus, et illorum testimonio, et ex iis quæ agebat : ita etiam quod illi verbum recte acceperint, a tentationibus. Quomodo enim, inquit, nisi tamquam Deum dicei tem audivissetis, talia ferretis pericula? Vide autem auctoritatem : 14. *Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa in Christo Jesu, quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judæis,* 15. *qui et Dominum occiderunt Jesum et prophetas, et nos persequuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur ;* 16. *prohibentes nos gentibus loqui ut salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper. Pervenit autem ira Dei super illos usque in finem.*

2. *Vos*, inquit, *imitatores facti estis Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa.* Magna est consolatio. Non est, inquit, mirum, si ipsi hæc vobis faciant, cum hoc etiam faciant suis contribulibus. Hoc autem non parvum quoque est indicium quod vera sit prædicatio, cum et Judæi omnia ferre sustinerent. *Quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judæis.* Plus aliquid habet in eo quod dixerit, Et illi in Judæa : ostendit enim eos ubique lætari, ut qui decertassent. Dicit ergo, Vos quoque eadem passi estis. Et quid mirum, si vobis quoque fecerunt, cum eadem quoque ausi fuerint in Dominum. Vides quomodo hoc induxerit quod magnam habet consolationem? Et hoc versat assidue, et in omnibus propemodum epistolis hoc inveneris, accurate examinans quomodo in tentationibus semper Christum diverse afferat. Vide ergo ; hic quoque accusans Judæos, eos revocat in memoriam Domini, et ejus perpessionum. Adeo sciebat rem maximam habere consolationem. *Qui et Dominum occiderunt*, inquit. Sed fortasse cum ignoraverunt. Imo maxime noverunt. Quid vero? annon etiam suos prophetas occiderunt, et lapidibus obruerunt, quorum etiam libros circumferunt? Et hæc fecerunt non propter veritatem. Non est ergo solum consolatio in tentationibus, sed etiam admonitio, ne existimemus quod hæc faciant propter veritatem, et ideo conturbemur. *Et nos*, inquit, *persequuti sunt.* Et nos, inquit, passi sumus mala innumerabilia. *Et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur, prohibentes nos gentibus loqui ut salvæ fiant. Omnibus*, inquit, *hominibus adversantur.* Quomodo? Si enim toti orbi terræ loqui oportet, isti autem vetant, sunt communes inimici orbis terræ. Christum occiderunt et prophetas, Deum contumelia afficiunt, sunt orbis terræ communes inimici, nos expellunt qui ad salutem accessimus : quid mirum, si in vos quoque ita se gesserint, cum etiam in Judæa hoc fecerint? *Prohibentes nos gentibus loqui ut salvæ fiant.* Est ergo invidia, omnium impedire salutem. *Ut impleant peccata sua semper. Pervenit autem super illos ira Dei usque in finem.* Non sunt amplius talia qualia erant priora ; non est amplius reditus, non amplius finis : sed prope instat ira. Unde id patet? Ex eo quod prædixit Christus. Non hoc enim solum habet consolationem, quod acceperint socios afflictionum, sed et quod eos qui affligebant audierint plexos fuisse. Si autem molestia afficit dilatio, consoletur quod non amplius sursum aspiciant. Imo vero dilationem quoque contraxit, dicendo, *Ira*, rursus osdendens eam deberi, esseque præstitutam et prædictam. 17. *Nos autem, fratres, desolati a vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio.* Non dixit, Separati, sed quod majus erat. Superius dixit de adulatione, ostendens se non adulari, non quærere gloriam : hic dicit de caritate. Quoniam superius dixit, *Sicut pater filios, Sicut nutrix ;* hic aliud dicit, *Orbati*, quod est filiorum patres quærentium. Quid vero, illine erant orbati? Non inquit, sed nos. Nam si quis desiderium examinaverit, sicut parvi pueri, quorum nullus curam gerit, immaturam subeuntes orbitatem, in magno sunt parentum desiderio, non solum propter ipsam naturam, sed etiam propter solitudinem : ita nos quoque. Hinc quoque ostendit suam animi ægritudinem, in qua erat propter separationem. Et hæc, inquit, non licet dicere, quod multum tempus exspectavimus, sed, *Ad tempus*, idque *Facie, non corde :* semper enim vos habemus in mente. Vide quanta sit dilectio : quamvis eos haberet perpetuo in corde, quærebat tamen eorum in aspectu seu facie præsentiam. Ne quis mihi supervacaneam hanc dicat philosophiam : hoc plane est ardentis dilectionis, videre, et audire, et dicere, et hoc multum contulerit. *Abundantius*, inquit, *festinavimus.* Quid est, *Abundantius?* Vel hoc sibi vult, quod vos magni faciebamus : vel ut est verisimile, cum hora abfuissemus, studuimus videre faciem vestram. Vide beatum Paulum, cum per se non posset suum implere desiderium, hoc facere per alios : sicut cum mittit Timotheum ad Philippenses, et eumdem rursus

ad Corinthios, per alios cum eis versans, cum per se non posset : erat enim amans furore correptus, et cujus impetus ad amicitiam cohiberi non poterat. 18. *Quoniam voluimus venire ad vos.* Quod quidem est dilectionis. Etiamsi, inquit, nullo alio mihi opus est, quam ut vos videamus. *Ego quidem Paulus, et semel et iterum ; sed impedivit nos satanas.*

3. Quid dicis, *Satanas impedit?* Certe : non enim hoc erat opus Dei. Ad Romanos quidem dicit Deum prohibuisse (*Rom.* 15. 22); et alibi dicit Lucas, Spiritus prohibuit ipsos venire in Asiam (*Act.* 16. 6); Corinthiis autem dicit opus esse spiritus : hic autem solum satanæ. Quamnam autem dicit fuisse satanæ cohibitionem? Inexspectatas quasdam et vehementes tentationes. Nam cum ei fuissent structæ a Judæis insidiæ (*Act.* 20. 3), retentus est in Hellade tres menses. Aliud autem est certo consilio et propter dispensationem manere, et sua sponte; aliud cohiberi. Nam illic quidem dicit, *Quare non amplius locum habens in his regionibus* (*Rom.* 15. 23); et, *Vobis parcens, nondum veni Corinthum* (2. *Cor.* 1. 23) : hic autem nihil tale; sed quid? *Satanas impedivit. Ego quidem, Paulus, et semel et bis.* Vide quantum gloriatur, volens ostendere se eos maxime omnium diligere. *Ego quidem Paulus;* ac si diceret : Etsi non alii. Et illi quidem volebant tantum, ego autem aggressus sum. 19. *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus?* Macedones sunt, dic quæso, spes tua, o beate Paule? Non ii, inquit, soli : propterea subjunxit, *Annon vos quoque? Quænam est enim*, inquit, *nobis spes, aut gaudium, aut corona gloriæ?* Agnoscitisne verba esse mulierum visceribus valde incalescentium, loquentium cum infantibus? *Et corona*, inquit, *gloriæ.* Non sufficiebat enim coronæ nomen ad ostendendum splendorem, sed etiam addidit, *Gloriæ.* Quanti est hoc ardoris! Numquam pater et mater, si simul essent congressi, et suum miscuissent desiderium, potuissent ostendere suum desiderium ex æquo respondens Paulo. *Gaudium*, inquit, *et corona.* Magis, inquit, exsulto propter vos quam propter coronam. Cogita enim quantum sit integram adesse Ecclesiam, quæ a Paulo fuit plantata, et egit radices : quis non exsultet propter tam bonam et numerosam prolem? Quamobrem nec hoc est adulationis. Non dixit enim tantum, Vos, sed, Vos cum aliis. 20. *Vos enim estis gloria nostra et gaudium.* (*Cap.* 3) 1. *Propter quod non sustinentes amplius, placuit, nobis remanere Athenis solis. Placuit*, id est, Elegimus. 2. *Et misimus Timotheum fratrem nostrum, et ministrum Dei in evangelio Christi.* Et hoc dicit, non Timotheum extollens, sed ipsos honorans, ut qui adjutorem et ministrum evangelii miserit ipsis; quasi diceret, Avulsum ab operibus misimus ad vos ministrum Dei, et adjutorem nostrum in evangelio Christi. Tum causam addit : *Ad confirmandos vos et exhortandos vos pro fide vestra,* 3. *ut nemo moveatur in tribulationibus istis.* Quid autem hic dicit? Quoniam magistrorum tentationes conturbant discipulos; ille autem tunc in multas inciderat tentationes, ut et ipse dicit, *Impedivit nos satanas;* ipsos recreans ita loquutus est; ac si diceret : Et semel et bis volui venire, et non potui : quod quidem magnæ erat violentiæ. Verisimile autem est hoc eos conturbasse. Non tam enim suis discipuli quam magistrorum conturbantur tentationibus : neque enim miles adeo suis conturbatur tentationibus, ut quando viderit sauciatum ducem exercitus. *Ad confirmandos vos*, inquit. Ergo ut ne turbarentur misit, non tamquam quibus fidei deesset aliquid, neque ut qui deberent aliquid discere. *Et exhortandos vos pro fide vestra, ut nemo moveatur in tribulationibus istis : ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus.* 4. *Nam et cum apud vos essemus, prædicebamus vobis, passuros nos tribulationes, sicut et factum est, et scitis.* Non oportet, inquit, conturbari : nihil enim novum neque præter spem accidit : quod quidem satis erat ad ipsos excitandos. Vides quod propterea Christus quoque prædicebat discipulis? audi enim eum dicentem : *Et nunc dixi prius quam fiat, ut cum factum fuerit credatis* (*Joan.* 14. 29). Magna enim, magna res est ad aliorum consolationem, audisse quæ fiunt a magistris. Sicut enim ægrotans, si a medico audiverit quod hoc fiat et illud, non valde conturbatur; sin autem ex inopinato aliquid evenerit, cum et ille dubius sit ac perplexus, et morbus artem superet, tristitia afficitur et conturbatur : ita hic quoque. Quæ præsciens Paulus, prædixit eis futurum ut affligerentur, *Sicut*, inquit, *et factum est, et scitis.* Non quod hoc factum sit solum dicit, sed quod multa prædixerit, et evenerint. *In hoc positi sumus.* Quamobrem non solum de præteritis non oportet perturbari neque confundi, sed neque de futuris, si tale quid contigerit. *In hoc enim positi sumus.*

4. Audiamus quibus sunt aures ad audiendum : In hoc positus est Christianus. Hoc, *In hoc positi sumus*, de omnibus dicit fidelibus. *In hoc positi sumus*, et nos quasi in otium et requiem simus positi, alieno modo afficimur. Imo vero quanam de causa alieno modo afficimur? neque enim tempus afflictionis, neque tentatio apprehendit nos nisi humana. Opportunum est vobis quoque dicere : *Nondum ad sanguinem usque restitistis contra peccatum decertantes* (*Hebr.* 12. 4). Imo ne opportunum quidem est hoc vobis dicere; sed quid? nondum pecunias despexistis. Nam illis quidem qui sua omnia perdiderant, merito hæc dicebantur; iis autem qui sua habent, hoc, Cuinam sunt raptæ pecuniæ propter Christum? cui sunt impacti colaphi? quis contumelia affectus est? usque ad verba, inquam. Undenam est gloriatio? undenam potes habere fiduciam? Tam multa passus est Christus propter nos qui eramus inimici : quidnam possumus ostendere quod propter ipsum passi simus? Quod passi quidem sumus nihil est; sunt autem bona innumerabilia quibus ab ipso afficimur. Undenam erit nobis illo die fiducia? Nescitis quod miles quando mille plagas et vulnera ostendit, tunc poterit esse illustris apud regem? sin autem nihil possit ostendere

recte et fortiter gestum, etiamsi nihil offenderit, inter extremos collocabitur? At non est, inquies, tempus belli. Nam si esset, dic quæso, quis decertasset? quis ad pugnam prosiliisset? quis phalangem fudisset? Fortasse nullus : nam cum video te propter Christum pecunias non despicere, quomodo credam futurum ut plagas despicias? Dic mihi, fortiterne fertis eos qui probro et contumelia vos afficiunt, et eis benedicitis? Hoc non facis, et non obedis. Quod nihil habet periculi non facis, et plagas, dic quæso, feres, in quibus multum est tristitiæ et doloris? Nescitis quod in pace se ad bellum oportet exercere? non videtis hos milites, qui etiam nullo urgente bello, et vel in summa pace, abstersis armis, cum magistris, qui struere aciem et ordines collocare eos docent, in patentes et latos campos quotidie fere exeuntes, rem militarem exercent accuratissime? Quis hoc facit militum spiritualium? Nullus. Propterea in bellis molles sumus et ignavi, et ab omnibus facile capimur et expugnamur. Quam hebetis autem est ingenii, existimare præsens tempus non esse belli, cum clamet Paulus : *Omnes autem, qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* (2. *Tim.* 3. 12); et dicat Christus, *In mundo afflictionem habebitis* (*Joan.* 16. 33); et rursus beatus Paulus clara voce clamet et dicat, *Non est nobis lucta adversus sanguinem et carnem;* et rursus, *Stetis ergo succincti lumbos vestros in veritate* (*Ephes.* 6. 12. 14). Et nullus illo tempore dixit, Quid nos armas, dic quæso, cum non sit bellum? cur nobis temere negotia exhibes? loricis induis milites, cum quiescere liceat et recreari? sed si quis hæc dixisset, responsum illi fuisset : Maxime quidem, etsi non esset bellum, oporteret de bello curam gerere et sollicitudinem. Nam qui in pace de prælio est sollicitus, erit terribilis in tempore prælii : qui autem est rei bellicæ imperitus, etiam in pace magis conturbabitur. Quamobrem? Quoniam flebit pro iis quæ habet, et tristitia afficietur quod pro iis non possit pugnare. Timidi enim et imperiti et pugnæ ignari bona et possessiones sunt omnium fortium et qui sciunt bellare. Quamobrem propterea primum vos armo. Deinde vero belli quoque tempus est totum tempus vitæ nostræ. Quomodo et quanam ratione? Imminet semper diabolus. Audi quid de illo dicat : Circuit rugiens ut leo (1. *Petr.* 5. 8), volens arripere. Innumerabiles corporis affectiones nos invadunt, quas quidem necesse est recensere, ne nos temere decipiamus. Quid enim, dic quæso, non nobiscum bellum gerit? divitiæ, pulchritudo, deliciæ, potestas, invidia, gloria, arrogantia. Non solum enim nostra bellum gerit gloria, prohibens ne nos demittamus ad humilitatem, sed aliorum quoque gloria educens nos ad invidiam. Sed quid contraria, paupertas, ignominia, despici, abjici, nullas habere vires? Hæc quidem in nobis : quæ autem sunt ab hominibus, pravitates, insidiæ, doli, calumniæ, mille circumventiones. Similiter quæ sunt a dæmonibus, principatus, potestates, mundi rectores tenebrarum hujus sæculi, spiritualia nequitiæ. Alii sumus lætantes, alii dolentes : utraque sunt declinatio. Sed sanitas, sed infirmitas. Undenam non peccabit quispiam? Vultis ut et ab ipso Adamo incipiens, dicam statim ab initio? quid protoplastum cepit et expugnavit? Voluptas et cibi et imperandi desiderium. Quid illius filium qui eum est sequutus? Invidia et livor. Quid eos qui fuerunt tempore Noe? Corporum voluptates, et quæ ex eis nascuntur mala. Quid ejus filium? Petulantia et nimia licentia. Quid Sodomitas? Libido et salacitas et panum saturitas. Sæpe autem hoc quoque facit paupertas : propterea dicebat quidam sapiens : *Divitias et paupertatem ne dederis mihi* (*Prov.* 30. 8). Imo vero nec divitiæ nec paupertas, sed quod his utrisque uti non possit liberum arbitrium. *Agnosce*, inquit, *quod transis in medio laqueorum* (*Eccli.* 9. 18).

5. Admirabiliter dixit beatus Paulus : *In hoc positi sumus.* Non dixit solum, Tentamur, sed, *In hoc positi sumus;* ac si diceret, In hoc nati sumus. Hoc est nostrum munus et officium, hæc est vita nostra, et tu quæris quietem? Non instat lictor latus lacerans, et cogens sacrificare; sed instat vehemens pecuniæ cupiditas et avaritia, nobis effodiens oculos. Nullus miles nobis accendit rogum, nec nos imponit craticulæ; sed corporum inflammatio magis quam illa accendit animam. Non adest rex bona promittens innumerabilia, et pudore afficiens; sed adest insanus amor gloriæ quæ plus quam ille titillat et allicit. Magnum revera bellum, et valde magnum si sapiamus et simus sobrii : habet coronas præsens quoque tempus : audi Paulum dicentem : *De cætero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus Judex; non solum autem mihi, sed et omnibus qui dilexerunt adventum ejus* (2. *Tim.* 4. 8). Quando amiseris dilectum unicum filium, in magnis nutritum opibus, et qui bonam de se spem concitabat, et tibi solus futurus erat heres, non luge, sed Deo age gratias, et glorifica eum qui accepit; et in hoc Abrahamo nihilo eris inferior. Ut enim ille Deo dedit qui jusserat, ita tu, cum ipse accepisset, non gemuisti.

Incantationes et ligamina pro morbis curandis adhibita. Divinatores. — In morbum gravem incidisti; et multi adsunt qui cogunt, alii quidem incantationibus, alii vero ligaminibus, alii vero quibusdam aliis sedare malum? tu vero propter Dei metum forti et magno tulisti ac immobili animo, et maluisti quidvis pati quam sustinere ut aliquid ageres ex iis quæ pertinent ad cultum idolorum? hoc tibi affert coronam martyrii; nec dubita. Quomodo aut quanam ratione? Ego dico : quia sicut ille magno et forti animo fert dolores tormentorum, ut non adoret simulacrum; ita tu quoque fers dolores morbi, ut nullo opus habeas eorum quæ ille præbet, neque facias quæ jubet. At sunt dolores illi vehementiores? Sed isti longiores : quamobrem par est eorum exitus. Sæpe autem sunt etiam vehementiores. Quid enim, dic quæso, cum ardens febris te intus vexat et urit, et aliorum suadentium excutis incantationem, annon es redimitus corona martyrii? Rursus amisit quispiam pecuniam? multi sunt qui suadent ut eat ad divinatores : maluisti tu

propter Dei metum, quoniam est vetitum, pecunias non accipere, quam Deo non obedire? parem habes mercedem atque ille qui eas erogavit pauperibus, si iis amissis gratias egeris, et cum posses ire ad divinatores, sustinuisti eas potius non accipere, quam sic accipere. Nam sicut ille propter Dei metum eas effudit in egenos : ita tu quoque propter Dei metum, cum illi rapuissent, non recepisti. In nostra est potestate ut vel nos ipsos injuria afficiamus, vel non : in nullius autem alterius. Et si vultis, in ipso furto rem agitemus. Fur murum perfregit, thalamum est ingressus, vasa exportavit aurea magni pretii, et gemmas pretiosas; et ut semel dicam, integrum amovit thesaurum, nec fuit comprehensus. Grave quidem est quod factum est, et damno esse res videtur, nondum est autem; sed in te situm est ut id sit tibi vel damno vel lucro. Et quomodo, inquit, potest hoc esse lucro? Ego tentabo ostendere quomodo. Te volente erit magnum lucrum, et si nolueris, majus damnum quam quod fuit. Nam sicut in artificibus, subjecta materia, is quidem qui est peritus artis, ea ad quod oportet utitur; imperitus autem perdit et corrumpit, et ut sibi damno sit efficit : ita etiam in his rebus. Quomodo ergo erit lucrum? Si Deo gratias egeris, si non lugeas nec ejules, si Jobi verba dicas : *Dominus dedit, Dominus abstulit : nudus sum egressus ex utero matris meæ, nudus etiam abibo* (*Job* 1. 21). Quid dicis, Dominus abstulit? fur abstulit, et quomodo poteris, inquit, dicere, Dominus abstulit? Ne mireris : etenim Job quæ diabolus abstulit, Ea, dixit, *Dominus abstulit*. Si autem ille sic ausus est dicere, quomodo quæ fur accepit, non dices abstulisse Dominum? Quem miraris, dic quæso, eumne qui sua effudit in pauperes, an Jobum propter hæc verba? num ille qui tunc non dedit, minus habet quam qui dederunt? Ne dicas, Non habeo gratiam; non ex mei animi sententia res fuit : me nec sciente nec volente fur accepit : quænam erit merces? Neque sciente nec volente Jobo hæc accepit : quomodo enim? sed tamen decertavit. Licet autem tibi tantam accipere mercedem, quantam si eas tua sponte abjecisses. Et merito hunc magis admiramur qui injurias grato fert animo, quam eum qui dat sua sponte. Quare? Quoniam hic quidem laudibus alitur et conscientia, et bonam habet spem, et cum pecuniæ privationem prius fortiter tulisset, tunc eam abjecit : ille vero, cum eis adhuc esset alligatus, vi fuit spoliatus. Non sunt autem paria, cum prius fueris persuasus ut a pecuniis discederes, eas ita effudisse, et cum eas adhuc possideres, eis esse privatum. Si hæc verba dixeris, accipies multiplicata, et longe plura quam Job. Nam ille quidem hic accepit duplicia (*Job* 42); tibi autem Christus hic pollicitus est centuplum. Non blasphemasti propter metum Dei, non usus es divinatoribus, gratias egisti malis affectus? es similis ei qui despexit : etenim hæc non fiunt nisi prius despexeris. Non sunt autem paria, multo tempore meditari despicere pecunias, et ferre damnum quod repente acciderit. Sic damnum efficitur lucrum, et nihil te lædet, sed etiam tibi proderit diabolus.

6. Quomodo autem fit etiam grave damnum? Quando damnum acceperit anima. Dic enim mihi : fur te privavit pecuniis? tu cur te ipsum privas salute? quare dolens propter mala quæ passus es ab aliis, ipse te in plura mala injicis? Ille te fortasse conjecit in paupertatem; tu te autem maxime lædis in præcipuis : ille te externis privavit facultatibus, et quæ vel te invito sunt postea resilituræ; tu autem divitias æternas tibi ipsi adimis. Te diabolus modestia affecit ablatis pecuniis? ipsum tu quoque molestia affice gratias agens; ne ei lætitiam afferas : si eas ad divinatores, lætitia afficis; si Deo agas gratias, letalem plagam ei infligis. Vide autem quid fiat : neque ipsas invenies, si iveris ad divinatores; non potest enim esse ut illi sciant; quod si etiam aliquando casu dixerint, et animam præterea perdis, et a fratribus tuis irrideberis, et eas rursus male perdes. Dæmon enim sciens te non æquo animo ferre damnum, sed pro his etiam Deum tuum negare, rursus dat pecunias, ut habeat occasionem te decipiendi et efficiendi ut deficias. Quod si etiam dicant divinatores, ne miremini : dæmon est incorporeus, omnis obit orbis partes, ipse armat latrones : non enim hæc fiunt absque dæmone. Si ergo eos armat, scit etiam ubi illæ sunt repositæ : non ignorat suos ministros. Non est autem hoc mirum : si te viderit damnum ægre ferentem, et alterum afferet : si te viderit irridentem et despicientem, ab hac via recedet. Sicut enim nos iis afficimus inimicos quibus eos pungimus; sin autem viderimus eos non dolere, deinceps desistimus, ut qui non possimus mordere : ita etiam diabolus.

Pecunias contemnere suadet. — Quid dicis? annon vides eos qui in mari navigant, quomodo pecunias non curent si orta sit tempestas, sed etiam suas abjiciant facultates? et nemo dicit, Quid facis, o homo? tu cum tempestate facis et naufragio? priusquam fluctus tibi ademerit divitias, tu tuis manibus hoc facis? cur ante naufragium te in naufragium injicis? Sed hæc quidem dixerit rusticus, et maris procellarum ignarus : rei autem nauticæ peritus, et qui scit accurate quid efficiat tranquillitatem, quid tempestatem, eum qui hæc dicit etiam irridebit : Propterea enim, inquit, jacio, ne fluctus obruant. Ita etiam rerum et tentationum quæ in hac sunt vita peritus, cum viderit imminere tempestatem, et spiritualia nequitiæ quæ volunt facere naufragium, abjicit quod est reliquum pecuniæ. Admissum est in te furtum? fac eleemosynam, et levius reddis navigium. Rapuerunt latrones? tu Christo da reliquias : sic eam quæ prius exstitit solaberis paupertatem. Levius redde navigium, ne retineas ea quæ manserunt, ne scapha obruatur. Illi ut servent corpora, ejiciunt supellectilem, nec exspectant dum ingruens fluctus evertat scapham : tu ut serves animas, non reprimes naufragium? Periculum facite rogo, si non credatis, et videbitis gloriam Dei. Quando tibi aliquid molesti contigerit, da statim eleemosynam, gratias age quod contigerit; et videbis quantum subeat gaudium. Lucrum enim spirituale,

etiamsi sit parvum, tantum est ut omne abscondat et obscuret damnum corporale. Quamdiu habes quod des Christo, es dives. Dic quæso, si tibi spoliato rex accedens manum tendat, rogans ut a te aliquid accipiat, annon te existimaveris omnium ditissimum, si ne post tantam quidem paupertatem tui pudeat regem? Ne abripiaris; te solum supera, et superabis insidias diaboli. Licet tibi magna lucrari. Despiciamus divitias, ut ne despiciamus animam. Quomodo autem despexeris? Non videtis præclara corpora, et eos qui capti sunt eorum amore, quamdiu quidem sunt in conspectu, accenditur ignis, exsurgit splendida flamma; postquam autem quispiam ea procul abduxerit, exstincta sunt omnia et sopita? Ita etiam in divitiis: nemo aurum sibi comparet, nemo lapides pretiosos, nemo torques et monilia: ea dum videntur, inescant oculos. Si vis esse dives ut veteres, non in auro ditescas, sed in rebus necessariis, ut etiam parata aliis distribuenda habeas; ne ornamentis delecteris: ejusmodi divitiæ patent insidiis latronum, et nobis præbent sollicitudines. Non vasa aurea et argentea posside; sed sint apothecæ frumenti, vini et olei: sint, non ut rursus venditæ pecuniam conficiant, sed ut erogentur egentibus. Si nos abduxerimus ab illis supervacaneis, assequemur bona cælestia, quæ nobis omnibus consequi detur in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri simulque sancto Spiritui gloria, potestas, et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

CAP. 3. v. 5. *Propterea et ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram, ne forte tentaverit vos is qui tentat, et inanis fiat labor noster.* 6. *Nunc autem veniente ad nos Timotheo a vobis, et annuntiante nobis fidem et caritatem vestram, et quod memoriam nostri habetis semper, desiderantes nos videre, sicut et nos quoque vos* : 7. *ideo consolati sumus, fratres, in vobis, in omni necessitate et tribulatione nostra per fidem vestram:* 8. *quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino.*

1. Proponitur nobis hodie quæstio, quæ a multis quæritur, et undique colligitur. Quænam est autem quæstio? *Propterea et ego*, inquit, *amplius non sustinens, nisi Timotheum ad cognoscendam fidem vestram.* Quid dicis? qui tam multa scit, qui audivit verba arcana, qui ad tertium usque cælum ascendit, is non novit, idque cum sit Athenis? quamquam nec magnum intercedat intervallum, neque ita pridem ab eis sit separatus? *Orbati* enim, inquit, *a vobis ad tempus horæ* (*Supra* 2. 17). Non novit igitur talis homo res Thessalonicensium, sed necesse habet mittere Timotheum ad cognoscendam fidem eorum: *Ne forte*, inquit, *tentaverit vos is qui tentat, et inanis fiat labor noster?* Quid igitur dixerit aliquis? non omnia nosse sanctos? Id autem ex multis didiceris, nempe et a primis, et iis quæ sunt postea consequuta: velut Elisæus ignoravit de muliere (4. *Reg.* 4): velut Elias dicebat Deo, *Ego relictus sum solus, et quærunt animam meam* (3. *Reg.* 19. 10. 18). Propterea audivit a Deo, *Reliqui mihi septem millia virorum* (1. *Reg.* 16. 7). Et Samuel rursus quando missus fuit a David ungendum: *Dixit*, inquit, *ei Dominus: Ne attendas ejus speciem, neque habitum magnitudinis ejus, quoniam eum nihili feci: quoniam non tamquam homo videbit Deus: homo enim vultum aspiciet, cor autem Deus.* Hoc autem fit magna Dei cura et providentia. Quomodo et quanam ratione? Et propter ipsos sanctos, et propter eos qui ipsis credunt. Sicut enim ipse permittit fieri persequutiones, ita etiam ipse permittit eos multa ignorare, ut ad modum quemdam reducantur. Propterea Paulus quoque dicebat: *Datus est mihi stimulus carni, angelus satanæ ut me colaphizet* (2. *Cor.* 12. 7), ne nimium extollar; et rursus, ne alii magna de illis imaginarentur. Si enim ex signis eos esse deos existimarunt (*Act.* 14. 10), multo magis si perpetuo mansissent scientes omnia. Et ipse rursus dicit: *Ne quis de me cogitet supra id quod videt esse me, aut ex me audit aliquid* (2. *Cor.* 12. 6). Et rursus audi Petrum dicentem, quando curavit claudum: *Quid nos fixis aspicitis oculis, tamquam nostra virtute aut pietate fecerimus eum ambulare* (*Act.* 3. 12)? Si autem his hæc dicentibus et facientibus, vel ex parvis sic oriebantur pravæ suspiciones; multo magis ex magnis. Porro alia quoque de causa hæc permittebantur. Nam ne quispiam posset dicere, ipsos, quod homines non essent, res tantas gessisse, atque ita omnes fierent desides et supini: propterea ostendit eorum imbecillitatem, ut ingratis animis impudentiæ omnem amputaret occasionem. Propterea ignorat; propterea etiam cum sæpe proposuisset venire, non venit, ut discant eum multa nescire. Ex hoc ergo multum capiebatur lucrum. Alioquin enim etiam sic erant adhuc qui dicerent, hunc esse magnam Dei virtutem, et alii eum esse hunc et illum. Si hæc non facta essent, quid non existimassent? Videtur autem hic esse quædam eorum reprehensio; sed si quis attente consideret, multo magis indicat eos esse admirabiles, et ostenditur tentationum exsuperatio. Quomodo, attende. Nam si eis prius dixisti, *In hoc positi sumus*, et, Nemo conturbetur, cur rursus mittis Timotheum, timens ne quid fiat ex iis quæ non vis? Hoc quidem facit ex multa dilectione: nam qui diligunt, etiam quæ sunt tuta, suspecta habent ex magno fervore: facit etiam propter multas tentationes. Nam dixi quidem *In hoc sumus positi;* magnitudo autem malorum me terruit. Quamobrem non dixit, Ut qui vos condemnarim mitto; sed, *Non amplius sustinens*, quod magis erat amicitiæ. Quid est, *Ne forte tentarit vos is qui tentat?* Vides quod in tentationibus labare est diabolicum, et ex diabolica seductione ortum? Nam quando nos ipsos non potuerit, alio modo per nos labefacit imbecilliores: quod quidem est maxime imbecillitatis, et quæ nullam habet excusationem: sicut fecit in Job, incitata uxore: *Dic*, inquit, *aliquod verbum contra Dominum, et morere*

(*Job* 2. 9). Vide quomodo ipsam tentaverit. Cur autem non dixit, Labefecerit, sed, *Tentaverit?* Quoniam tantum, inquit, suspicatus sum vos esse tentatos : non enim ejus tentationem vocat commotionem. Nam qui ejus admittit incursum et irruptionem, is est labefactatus et commotus. Papæ! quanta est Pauli benevolentia! non fuerunt ei curæ afflictiones, nec insidiæ. Opinor enim eum tunc illic mansisse. Sicut dicit Lucas, eum in Hellade mansisse tres menses, cum ei structæ fuissent insidiæ a Judæis (*Act.* 20. 3).

2. Non ergo ei curæ erant pericula, sed discipuli. Vides quod quemvis naturalem patrem exsuperaverit. Nam nos quidem in afflictionibus et periculis memoriam omnium expellimus : ipse autem de filiis adeo timebat et tremebat, ut quem consolatorem solum habebat Timotheum et adjutorem, eum in ipsis periculis mitteret ad eos. *Et inanis fiat labor noster.* Quare? nam etsi eversi essent, non tua culpa, non tua socordia id accidisset. Sed tamen rebus ita se habentibus, inanem fuisse existimo mihi laborem ex multo fraterno amore. *Ne forte tentaverit vos is qui tentat.* Tentat autem nesciens an sit prostraturus. Deinde ille quidem, etiam ut non sciens aggreditur; nos autem, scientes nos eum longe superaturos esse, vigiles non sumus? Quod autem nesciens nos aggrediatur, in Job ostendit. Deo enim dicebat malignus ille dæmon : *Nonne tu res ejus quæ et intus et foris sunt muniisti? Aufer ejus facultates, certe in faciem tibi benedicet* (*Job* 1. 10. 11). Tentat. Si viderit aliquid imbecillum, invadit; si validum, recedit. *Et inanis fiat*, inquit, *labor noster.* Audiamus omnes, quomodo laboraverit Paulus. Non dixit. Opus, sed, *Labor;* non dixit, Et vos peribitis; sed, *Labor noster.* Quamobrem si aliquid accidisset, verisimiliter eventurum erat : quoniam autem non accidit, valde est admirandum. Hæc quidem, inquit, exspectavimus, evenerunt autem contraria : non solum enim nullam afflictionis accessionem a vobis accepimus, sed etiam consolationem. *Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, et annuntiante nobis fidem et caritatem vestram. Annuntiante*, inquit. Vides magnam Pauli lætitiam. Non dixit, ἀπαγγείλαντος, id est, nuntiante, sed εὐαγγελισαμένου, id est, fausta nuntiante : tantum existimabat bonum illorum firmitatem, et caritatem. Necesse est enim illa firma manente et stabili, hanc quoque esse firmam ac stabilem. Lætabatur autem et propter ipsorum caritatem, quod ea esset signum fidei, *Et quod*, inquit, *memoriam nostri habetis semper bonam, desiderantes nos videre, sicut et nos quoque vos.* Hoc est cum laudibus : non quando aderamus, neque quando miracula faciebamus; sed nunc quoque, quando procul absumus, et flagris cædimur et mala patimur innumerabilia, memoriam nostri habetis bonam. Audite quomodo in admiratione habentur discipuli, de magistris bonam habentes memoriam, quomodo beati prædicantur : eos imitemur : nos enim ipsos juvabimus, non eos qui diliguntur. *Desiderantes nos videre, sicut et nos vos.* Hoc quoque ipsos lætitia afficiebat. Nam quod qui diligit didicerit eum qui diligitur hoc nosse, nempe se diligi, magna est consolatio et recreatio. 7. *Ideo consolati sumus, fratres, in vobis in omni necessitate et tribulatione nostra, per fidem vestram : quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino.* Quid Paulo possit æquiparari, qui propinquorum salutem existimabat esse suam; tanquam corpus erga membra, sic erga omnes affectus? quis nunc poterit in hanc vocem erumpere? imo vero quis poterit sic umquam sentire et cogitare? Nolebat eos ipsi habere gratiam de susceptis pro ipsis tentationibus; sed eis habebat gratiam, quod non labaverant propter ejus tentationes : quasi diceret, Vobis magis quam nobis damnum accidit ex tentationibus : vos magis quam nos tentati estis : vos qui nihil passi estis, quam nos qui passi sumus. Postquam, inquit, hæc nobis annuntiavit Timotheus, nihil molestum sentimus, sed *Consolati sumus in omni afflictione*, non hac solum, sed etiam, *In necessitate nostra*, inquit; et merito. Bonum enim magistrum nihil de cætero offenderit, quamdiu res discipulorum ei processerint ex sententia. Per vos, inquit consolationem accepimus : id est, Vos nos corroborastis. Atqui contrarium erat : nam quod passi non cesserint, sed fortiter restiterint, sufficit ad confirmandos discipulos. Sed totum facit contrarium, et laudem in illos convertit : Vos, inquit, nos unxistis et intruxistis; vos nobis dedistis ut respiraremus; vos non permisistis ut sentiremus tentationes. Neque dicit, Respiravimus, neque, Consolationem accepimus, sed quid? *Nunc vivimus;* ostendens quod et tentationem et mortem nihil aliud existimat quam illorum offensionem, ubi et illorum profectum existimat esse vitam. Quomodo ullus alius dolorem propter discipulorum imbecillitatem, aut gaudium ita significaverit? Non dixit, Lætamur, sed, *Vivimus*, vitam indicans futuram.

3. Quamobrem absque hoc ne vivere quidem vivere esse existimamus. Sic affectos oportet esse magistros, sic discipulos; et nihil umquam erit absurdum. Deinde hoc augens, vide quid dicat : 9. *Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio quo gaudemus propter vos, ante Deum,* 10. *nocte et die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram, et compleamus ea quæ desunt fidei vestræ?* Non solum, inquit, fuistis nobis vitæ auctores et causæ, sed etiam multi gaudii, et tanti, ut ne possimus quidem, ut par est, Deo gratias agere. Quod vos recte gessistis, Dei, inquit, donum esse existimamus : nos talibus affecistis beneficiis, ut existimemus ea esse Dei, vel potius etiam esse opus Dei : neque enim humanus animus, nec studium et industria hæc potest concipere. *Nocte*, inquit, *et die abundantius orantes.* Hoc quoque est signum gaudii. Sicut enim agricola audiens agros a se cultos esse refertos fructibus, desiderat coram tantam videre lætitiam : ita etiam Paulus Macedoniam. *Abundantius orantes.* Vide hyperbolen. *Ut videamus faciem vestram, et compleamus ea quæ desunt fidei vestræ.* Hic magna est quæstio. Si enim nunc vivis quoniam stant, et Timotheus tibi

annuntiavit ipsorum fidem et caritatem, et tanta es plenus lætitia, ut ne possis quidem, ut par est, Deo agere gratias, quomodo hic dicis esse fidei defectus? annon sunt illa verba adulationis? Nequaquam, absit. Nam prius testatus est eos multos sustinuisse labores, et non minus esse affectos quam Ecclesiæ in Judæa. Quid ergo est? Non omnem perceperant doctrinam, neque didicerant quæcumque oportuit discere: et hoc significat in fine. Fortasse quærebatur ab eis de resurrectione; et multi erant qui eos conturbabant, non amplius tentationibus nec periculis, sed simulantes se esse doctores et magistros. Ideo hoc dicit, *Defectus fidei.* Et non dixit, Ut confirmemus, sed, *Ut compleamus.* Nam ubi de ipsa quidem fide timuerat, *Misi,* inquit, *Timotheum ad confirmandos vos;* hic autem ad complendum defectus, seu ea quæ desunt: quod magis est doctrinæ, quam confirmationis: sicut et alibi dicit, *Ut sitis perfecti ad omne opus bonum* (1. *Cor.* 1. 10). Perfectum autem est, cui parum quid deest: hoc enim perficitur. 11. *Ipse autem Deus et Pater noster, et Dominus noster Jesus Christus dirigat viam nostram ad vos.* 12. *Vos autem Dominus multiplicet, et abundare faciat caritatem vestram invicem et in omnes, quemadmodum et nos in vobis.* Hoc est summæ dilectionis, non solum apud se optare, sed etiam votum epistolæ inserere: hoc est ferventis animi, et qui plane non potest cohiberi: hoc est etiam indicium precum quæ illic factæ fuerant, et simul excusatio ac defensio, quod non lubentes, nec per socordiam non adsint. Quasi diceret, Ipse autem Deus amputet tentationes quæ nos in omnem partem trahunt, ut recta ad vos veniam. *Vos autem Dominus multiplicet, et abundare faciat.* Vides dilectionis fervorem qui non potest cohiberi, qui et verbis ostenditur? *Multiplicet,* inquit, *et abundare faciat:* pro eo quod est, augeat. Quasi dixeris, ex superabundantia quodammodo desiderat ab eis diligi. *Quemadmodum et nos,* inquit, *in vobis.* Id est, Jam quidem est nostrum, volumus autem ut fiat vestrum. Vides quantum vult extendi caritatem? non inter nos solum, sed etiam ubique. Nam hoc plane est caritatis secundum Deum, omnes complecti: si autem hunc quidem diligis, illum vero minime, est amicitia secundum hominem. Sed nostra non est hujusmodi. *Quemadmodum et nos in vobis:* 13. *ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate ante Deum et Patrem nostrum in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus.* Ostendit dilectionem eis afferre lucrum, non iis qui diliguntur. Volo, inquit, abundare hanc caritatem, ut nulla sit reprehensio. Non dixit, Ad vos confirmandos, sed, *Corda vestra: Ex corde enim exeunt malæ cogitationes* (*Matth.* 15. 19). Fieri enim potest ut qui nihil agit sit malus: ut si habeat invidiam, incredulitatem, dolum, lætetur malis, non sit propensus ad amandum, dogmata habeat perversa: hæc omnia sunt cordis. Hoc vero est sanctitas, ab his esse puros. Nam proprie quidem dicitur sanctitas temperantia quæ est per excellentiam, siquidem immunditia est fornicatio et adulterium: in summa autem omne peccatum est immunditia, et omnis virtus puritas et mundities. *Beati* enim, inquit, *mundi corde* (*Matth.* 5. 8). Mundos dicit eos qui omni ex parte sunt mundi.

4. Scio enim alia quoque non minus inquinare animam. Nam quod vitium polluat animam, audi prophetam dicentem: *Ablue a vitio cor tuum, Jerusalem* (*Jer.* 4. 14); et rursus, *Lavamini, mundi estote, auferte pravitates ab animabus vestris* (*Isai.* 1. 16). Non dixit, Fornicationes: quocirca non fornicatio solum, sed etiam alia inquinant animam. *Ad confirmanda,* inquit, *corda vestra sine querela in sanctitate coram Deo et Patre nostro, in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis suis.* Judex ergo tunc erit Christus: non ante ipsum autem, sed etiam ante Patrem adstamus, dum judicamur. Aut hoc dicit, nulli reprehensioni affines esse oportere ante Deum: quod quidem semper dico, coram Deo (hæc enim virtus est pura et sincera), non coram hominibus. Caritas ergo efficit nulli affines reprehensioni: et vere inculpatos reddit. Cum ego aliquando cuidam narrarem et dicerem quod caritas reddat nulli affines reprehensioni, nec sinat ea, quæ cum proximo intercedit amicitia, aliquod delictum irrepere, et alia omnia recenserem et verbis persequerer, quidam ex meis familiaribus respondens, dixit: Quid ergo scortatio? annon licet et amare et scortari? et hoc quidem fit ex amicitia. Certe avaritia quidem et adulterium[1] et invidia et insidiæ, et quæ sunt ejusmodi, possunt avertere a propinquorum dilectione; scortatio autem, inquit, quomodo? Ego vero dixi, quod hoc quoque potest reprimere et impedire caritas. Nam si quis amet mulierem quæ scortatur, ab aliis viris eam tentabit abducere, neque ipse ad peccatum admittet. Quamobrem qui scortatur, meretricem admodum odit; qui autem valde diligit, eam abducet ab illa abominanda actione. Non est, non est ullum peccatum, quod non tamquam ignis consumat vis caritatis et dilectionis. Facilius enim resistit vile sarmentum magno ignis rogo, quam natura peccati potestati caritatis. Hanc ergo plantemus in nostris animis, ut stemus cum omnibus sanctis: illi enim omnes placuerunt et accepti fuerunt ex dilectione proximi. Unde accidit quod interemptus sit Abel, et non interemerit? Ex eo quod fratrem valde diligeret: neque sustinuit ut illa ejusmodi ei in mentem veniret cogitatio. Undenam invidiæ perniciem suscepit Cain? non enim eum de cætero dixerim fratrem Abelis. Quoniam apud eum non satis firmiter erant jacta caritatis fundamenta. Undenam boni et probi sunt existimati filii Noe? annon quoniam patrem diligebant, neque sustinuerunt ejus videre nuditatem? Undenam autem alter diram perpessus est exsecrationem? annon ex eo quod non diligeret? Abraham autem unde est assequutus laudem et existimationem? annon ex dilectione, ut qui res fratris sui filii curavit?

[1] In Colb. et marg. Savil. sic legitur: *Quid autem de scortatione dicere potes? annon licet amare et scortari? absit: maxime vero ad amorem pertinet non scortari. Ille autem: Equidem avaritia, inquit, et adulterium,* etc.

annon etiam ex ejus supplicatione pro Sodomitis? Valde enim, valde amantes erant sancti, et propensi ad commiserationem. Cogita enim quali caritatis affectu esset Paulus ille, qui vel adversus ignem erat audens, ille adamantinus, ille firmus, immobilis, ille omni ex parte constans, ille timore Dei confixus, ille inflexibilis. *Quis* enim, inquit, *nos separabit a caritate Christi? afflictio, an angustia, an persequutio, an fames, aut nuditas, aut periculum, aut gladius* (*Rom.* 8. 35)? Ille qui adversus hæc omnia summa erat audacia, et adversus terram et mare, qui adamantinas inferorum portas irridebat, cui nihil omnino resistebat : is postquam vidit quorumdam sibi dilectorum lacrymas, adeo confractus et contritus fuit ille adamas, ut ne animi quidem celaret motum, sed statim diceret : *Quid facitis flentes, et cor meum conterentes* (*Act.* 21. 13)? Quid dicis, quæso? animum illum adamantinum conterere potuit lacryma? Certe, inquit : omnibus resisto præter caritatem; ea me superat, et in me obtinet dominatum. Hoc Deo placet. Abyssus aquarum eum non conterit, et exiguæ conterunt lacrymæ. *Quid facitis flentes, et cor meum conterentes?* Magna est enim caritatis potentia. Vis rursus videre illum flentem? audi illum dicentem : *Triennium nocte et die*, inquit, *non cessavi cum lacrymis admonere unumquemque vestrum* (*Act.* 20. 31). Ex multa caritate verebatur ne aliqua intraret pernicies. Et iterum : *Ex multa afflictione et angustia cordis scripsi ad vos per multas lacrymas* (2. *Cor.* 2. 4). Quid vero, dic quæso, fortis ille Joseph, qui contra tantam stabat tyrannidem, qui adversus tantam amoris pyram se fortis et excelsi animi ostenderat, qui tantam dominæ suæ insaniam ita superaverat? quid enim non tunc deliniisset? decora facies, fastus dignitatis, vestium elegantia et magnificentia, aromatum fragrantia (etenim sciunt hæc quoque emollire animum), verba omnium mollissima.

5. *Josephi castitas. Contra injuriarum memoriam.*— Scitis enim, quod quæ amabat, et tam vehementer amabat, nihil abjectum et humile esset recusatura, supplicis suscepto habitu. Adeo enim fracta erat mulier aureas gestans vestes, et quæ erat collocata in dignitate regia, ut ad servi captivi genua forte procubuerit, et forte etiam flens rogarit et tangens genua : neque id semel aut bis, sed etiam sæpius tentarit. Licebat tunc etiam videre oculum maxime fulgentem : non est enim verisimile eam se leviter et utcumque, sed curiose ornasse, ut quæ multis retibus vellet agnum Christi capere. Hic quoque adjunge mihi multas magicas incantationes. Sed tamen ille inflexibilis, ille fortis ac rigidus, et quavis petra solidior, postquam vidit fratres qui vendiderant, qui in cisternam jecerant, qui tradiderant, qui volebant occidere, qui fuerant causæ et carceris et honoris; postquam ab eis audivit quomodo affectus esset pater; *Dicamus* enim, inquit, *quod unus fuerit a fera devoratus* (*Gen.* 37. 20); fractus fuit, mollitus, contritus, ac flevit; et animi motum non ferens, ingressus *Se continuit*, hoc est abstersit. Quid fles, o Joseph? Atqui præsentia non sunt digna lacrymis, sed ira, indignatione, magno supplicio et ultione : habes in manibus inimicos, fratricidas, potes animum exsatiare. Quamquam ne hoc quidem est injustitia; non enim prior infers manus injustas, sed eos ulcisceris qui te injuria affecerant. Nam ad tuam ne mihi aspexeris auctoritatem: non id ex eorum factum est animi sententia, sed a Deo qui tibi effudit gratiam. Quid fles? Sed dixerit ille : Absit, ut qui in omnibus in bona fuerim existimatione, illa omnia evertam per hanc injuriæ acceptæ recordationem; lacrymarum vere est tempus; non sum feris crudelior. Illæ cum natura fœdus ineunt, quodcumque mali passæ fuerint. Fleo, quod omnino sic me affecerint. Hunc nos quoque imitemur, et lugeamus eos qui injuriam fecerunt; ne eis irascamur : sunt enim revera digni lacrymis, quod seipsos reddant obnoxios supplicio et damnationi. Non ignoro quomodo nunc fleatis, et quomodo gaudeatis, et Paulum admirantes et Joseph stupentes, ac beatos pronuntiantes. Sed si quis habeat inimicum, eum nunc in memoria habeat, eum mente agitet, ut dum adhuc cor fervet in memoria sanctorum, possit iræ solvere duritiem, mollireque asperitatem et rigorem. Scio quod postquam hinc abieritis, postquam ego cessaro loqui, etiamsi quid remanserit caloris et fervoris, non tantum est quantum nunc, dum auditis. Si quis ergo, si quis sit frigore concretus, solvat pruinam : pruina enim revera et glacies est injuriæ acceptæ recordatio. Sed invocemus solem justitiæ, rogemus eum ut immittat radios; et non erit amplius crassa pruina, sed aqua potabilis. Si ignis solis justitiæ nostram tetigerit animam, nihil relinquet concretum, nihil durum, nihil quod vim habeat urendi, nihil quod fructu careat : omnia ostendet matura, omnia dulcia, omnia plena multa voluptate. Si alter alterum diligamus, veniet ille quoque radius. Date mihi rogo, ut cum prompto et alacri animo hæc dicam : facite ut audiam vos his verbis aliquid profecisse, et quod abiens quispiam protinus inimicum sit complexus, ambas conseruerit manus, ei circumfusus sit, osculatus et illacrymatus. Etiamsi ille sit fera, etiamsi lapis, etiamsi quodvis, ab hac benignitate mitigabitur et mansuescet. Nam cur est tuus inimicus? te contumelia affecit? sed nullam fecit injuriam. Sed propter pecunias despicis fratrem gerentem inimicitias? ne facias rogo. Omnia solvamus, nostrum est tempus : eo utamur ut oportet. Funes peccatorum concidamus : priusquam abeamus ad judicium, ipsi alter alterum judicemus. *Sol*, inquit, *ne occidat super iracundiam vestram* (*Eph.* 4. 26). Nemo differat : dilationes pariunt moras et cunctationes. Si hodie distuleris, magis erubescis; et si crastinum addideris, major est pudor; et si diem tertium, adhuc major. Ne nos ipsos pudore afficiamus, sed remittamus, ut nobis remittatur. Si autem remissum fuerit, omnia cælorum bona consequemur in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri simul cum sancto Spiritu gloria, potestas, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

CAP. 4. v. 1. *De cætero ergo, fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis ut abundetis magis.* 2. *Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Jesum Christum.* 3. *Hæc est autem voluntas Dei, sanctificatio vestra.*

1. Postquam in iis quæ urgebant et quæ erant in manibus immoratus est, ea deinceps aggressurus quæ sunt perpetua, et quæ semper audire oportet, præmittit hoc verbum, *De cætero.* Hoc est, Semper quidem et perpetuo vos rogamus et obsecramus in Domino. Papæ! ne ad rogandum quidem se dicit esse fide dignum : quamquam quis erat adeo fide dignus? sed Christum assumit. Per Deum, inquit, vos rogamus et obsecramus : hoc enim sibi vult illud, *In Domino.* Quod etiam dicebat ad Corinthios : *Deus*, inquit, *vos obsecrat per nos* (2. *Cor.* 5. 20). *Ut quemadmodum accepistis a nobis.* Illud, *Accepistis*, non est solum verborum, sed etiam rerum. Illud, *Quomodo oporteat vos ambulare*, in hoc ostendit omnem vitæ conversationem. *Et Deo placere, ut abundetis magis;* hoc est, Ut ex majori abundantia non sistatis usque ad mandata, sed ea exsuperetis : hoc est enim illud, *Ut abundetis.* Nam in præcedentibus solidæ eorum fidei gratam et acceptam habet admirationem ; hic autem vitam componit. Hoc enim est profectus, etiam exsuperare mandata et præcepta : non enim amplius ex doctrinæ necessitate, sed ex liberi arbitrii electione fit universum. Sicut enim terram non solum oportet ferre jacta sementa : sic etiam animam oportet non usque ad ea subsistere quæ sunt sparsa, sed etiam exsuperare. Vides eum merito dixisse exsuperare? Nam in hæc duo divisa est virtus, nempe declinare a malo, et facere bonum. Non enim sufficit recessus a malo ad adeptionem virtutis, sed est quidem via et initium illuc ferens; opus est autem nobis etiam magna animi alacritate. Quæ sunt quidem fugienda dicit eis tamquam præcepta et merito : nam hæc quidem si fiant, afferunt supplicium; si non fiant autem, nullam laudem. Quæ autem ad virtutem pertinent, ut effundere pecunias, et quæcumque sunt hujusmodi, non sunt, inquit, in præceptis constituenda; sed quid? *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* 19. 12). Est ergo verisimile eum cum multo timore et tremore eis præcepisse, et per has literas eis in memoriam revocasse illam pietatem. Quamobrem ea non ponit, sed illis revocat in memoriam. *Scitis enim*, inquit, *quæ præcepta vobis dederim per Dominum nostrum Jesum Christum. Hæc est autem voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Vide autem quomodo de nulla re alia tam vehementer obscure et ænigmatice loquitur, quam de hac re : sicut etiam alicubi scribens dicit : *Pacem sectemini cum omnibus et sanctificationem, sine qua nemo Dominum videbit* (*Hebr.* 12. 14). Et quid miraris si discipulis de hoc ubique scribit, cum etiam ad Timotheum scribens diceret : *Teipsum castum custodi?* (1. *Tim.* 5. 22). In secunda quoque Epistola ad Corinthios scribens, dicebat : *In tolerantia multa, in jejuniis, et castitate* (2. *Cor.* 6. 5. 6). Et multis in locis hoc inveneris, et in Epistola ad Romanos, et ubique, et in omnibus epistolis. Revera enim omnibus exitium affert hoc malum : et sicut porcus luto plenus, quocumque ingressus fuerit omnia implet fœtore, et sensus implet stercore : ita etiam scortatio; est enim malum quod difficile potest elui. Quando autem hoc etiam faciunt aliqui qui habent uxores, quanta est deformitas? 3. *Hæc est autem*, inquit, *voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis ab omni fornicatione.* Multa sunt enim genera intemperantiæ, multiplices et variæ voluptates lasciviæ et libidinis, quas ne dicere quidem est tolerabile. Cum autem dixisset, *Ab omni fornicatione*, eam relinquit iis qui norunt : 4. *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore :* 5. *non in passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum. Ut sciat*, inquit, *unusquisque vestrum vas suum possidere.* Res est ergo disciplinæ, atque adeo magnæ, ne lasciviamus. Nos ergo id possidemus, quando manserit mundum et est in sanctificatione : cum autem est immundum, possidet peccatum; et merito. Non enim facit ultra quæ volumus, sed quæ illud imperat. *Non in passione*, inquit, *desiderii.* Hic ostendit etiam modum quo oportet esse temperantes, ut amputetur motus desiderii. Deliciæ enim et divitiæ, socordia, segnities, otium, et hæc omnia, nos ad absurdum et pravum deducunt desiderium. *Sicut et gentes*, inquit, *quæ ignorant Deum.* Nam illæ quidem sunt tales, exspectantes futurum ut dent pœnas. 6. *Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum.*

2. Recte dixit, *Ne supergrediatur :* unicuique enim Deus tribuit uxorem, et naturæ constituit terminos, nempe cum una concubitum. Quamobrem si cum altera concubitus est transgressio, et latrocinium, et fraus; imo vero est gravior quoque latrocinio. Non enim adeo dolemus si nostræ auferuntur pecuniæ, ut si nostrum matrimoniale perfodiatur cubile. Fratrem vocas, et per avaritiam damno afficis, etiam in iis in quibus non oportet? Hic loquitur de adulterio; superius autem de omni scortatione seu fornicatione. Nam quoniam erat dicturus fratrem non esse supergrediendum, neque per avaritiam damno afficiendum, sic præfatur : Ne existimes, inquit, quod hæc solum dicam de fratre; sed neque aliorum uxores, neque eas quæ carent maritis, neque communes habere oportet. Ab omni fornicatione abstinere oportet : ideo dicit : *Quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* Rogavit eos primum, et pudorem incussit, dicens, *Sicut et gentes :* deinde rationibus quam prava et absurda res sit ostendit, quod per avaritiam frater damno afficiatur. Deinceps subjungit id quod est caput et summa rei : *Quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis et testificati*

sumus. Neque enim impune hæc agemus, neque tanta fruemur voluptate quantum subibimus supplicium. 7. *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem*. Quoniam dixerat, *Fratrem*, et subjunxerat Deum esse vindicem, ostendens quod etiamsi hoc passus fuerit infidelis, pœnas dabit is qui fecit, ita dixit : Non illum vindicans te punit, sed quoniam ipsum contumelia affecisti : ipse te vocavit : eum qui te vocavit affecisti contumelia. Propterea subjunxit : 8. *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis*. Quamobrem seu reginam corruperis, seu ancillam tuam quæ viro nupsit, par est crimen. Quare? Quoniam non personas quæ injuria afficiuntur ulciscitur, sed seipsum : tu enim similiter es pollutus; Deum similiter affecisti contumelia. Nam et hoc et illud est adulterium, quia et hoc et illud est matrimonium. Etiamsi non adulterium admiseris, sed sis scortatus, etiamsi maritum non habeat meretrix, Deus tamen vindicat, quoniam seipsum vindicat : non enim tam illum quam Deum despiciens hoc facis. Id autem hinc palam est, quod illum quidem latens facis, Deum autem non videre præ te fers. Nam dic mihi, si quis purpura ab Imperatore dignatus, et alio honore plurimo, et jussus vivere pro honoris dignitate, recedens aliquam vitiasset mulierem, quemnam affecisset contumelia? illamne, an Imperatorem qui dedit? Contumelia quidem affecta est et illa, sed non similiter. Quamobrem, rogo, caveamus hoc peccatum. Sicut enim nos uxores punimus, quando nobiscum habitantes seipsas aliis dederint : ita nos quoque punimur, si non a legibus [Romanorum], a Deo quidem certe. Etenim hoc quoque est adulterium. Adulterium est enim, non solum si viro conjuncta mœchetur, sed etiam si ille alligatus sit uxori. Exacte attende quod dico : etiamsi quod dicitur multis sit grave ac molestum, necesse est tamen dicere, ut in posterum corrigaris. Non solum est adulterium, quando viro conjunctam corrumpimus mulierem, sed et si liberam et solutam ipsi alligati uxori, ea res est adulterium. Quid enim, si quæ mœchatur non est alligata? At tu es alligatus, legem es transgressus, injuria affecisti carnem tuam. Nam cur, dic mihi, uxorem punis, si scortata fuerit cum homine libero, nec habente uxorem? Quoniam est adulterium. Atqui qui cum ea est scortatus, non habet uxorem; sed ipsa viro est alligata. Ergo tu quoque alligatus es uxori. Quamobrem et quod a te fit, est similiter adulterium. *Qui dimisit*, inquit, *uxorem suam præterquam fornicationis causa, facit eam mœchari; et qui dimissam ducit, mœchatur* (*Matth.* 5. 32). Si is qui dimissam ducit uxorem, mœchatur : qui est cum sua uxore, si illam corrumpit, annon multo magis mœchatur? Cuivis certe palam est. Sed vobis quidem viris hæc satis dicta sunto : nam de iis qui sunt hujusmodi Christus quoque dicit, *Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur* (*Marc.* 9. 44). Propter juvenes autem vobis dicere est necesse; imo non tantum propter illos, quantum propter vos : non illis enim, sed vobis ista conveniunt; et quomodo, jam dicam. Qui non didicit scortari, ne adulterium quidem sciet admittere; qui cum meretricibus volutatus est, ad hoc quoque cito veniet; etiamsi non cum viro conjunctis, sed cum solutis stupri habebit consuetudinem.

3. Quid ergo suadeo? Ut radices exscindatis, quicumque filios habetis juvenes, et ad mundanam vitam eos educitis, cito eos jungite jugo matrimonii. Nam quando adhuc juveni molestiam exhibent desideria; eo quidem tempore quod præcedit matrimonium, illos continete admonitionibus, minis, terroribus, promissis, et aliis innumerabilibus : in tempore autem matrimonii nemo differat (ecce loquor verba pronubæ) filios conjungere et copulare. Sed me non pudet hæc dicere : nam nec puduit Paulum dicere, *Ne fraudetis vos invicem* (*1. Cor.* 7. 5), quod videtur majorem quam hoc afferre pudorem; sed eum non puduit. Non enim verba attendit, sed res et facta quæ a verbis proficiscuntur.

Juvenes cito connubio jungendi. — Cum ergo puer creverit, antequam sectetur militiam et ullum aliud vitæ genus, de ejus matrimonio curam gere. Et si ille viderit quod sponsam cito ad eum adducis, et quod breve tempus intercedat, fortiter poterit ferre flammam : sin autem in mentem ei venerit quod sis socors et negligens, cunctarisque et exspectes, donec magnos possideat proventus, ut tunc ei pares nuptias, ob temporis longitudinem animum despondens, cito labetur ad scortationem. Sed hei mihi! radix malorum est hic quoque avaritia. Nam quoniam nulli est curæ quomodo temperans et modestus fiat filius, sed tenentur omnes insano auri amore, hac de causa huic rei nemo studet. Quamobrem rogo primum, ut eorum animos componatis. Si enim ad castam sponsam accesserit, si illius solum corpus viderit, et vehemens erit desiderium, et major Dei metus : et vere honorabile matrimonium, munda et impolluta corpora suscipiens; et quæ nascentur erunt plena multa benedictione; et alter alteri cedent sponsus et sponsa : nam cum morum alienorum utrique sint imperiti, subjicientur alter alteri. Junior autem incipiens lascivire et se dedere libidini, et morum meretriciorum accipiens experientiam, usque ad primam et secundam vesperam laudabit suam uxorem; postea autem cito dilabetur ad illam lasciviam, ad risum effusum et immodestum, quærens verba multa illiberalitate plena, molles et fractos gestus, et omnem aliam turpitudinem, quam ut dicamus, minime est tolerandum. Ingenua autem non sustinet hæc exhibere, neque se ipsam inquinare. Ad vitæ enim societatem et liberorum procreationem viro fuit desponsa, non ad turpitudinem et risum : ut domum custodiat, ut illum quoque erudiat esse honestum, non ut ipsi exhibeat fomenta scortationis. At jucundi tibi videntur gestus meretricii. Scio : nam hoc quoque dicit Scriptura : *Mel distillat a labiis meretricis* (*Prov.* 5. 3). Propterea enim hæc omnia facio, ne illius mellis capias

experientiam : in fel enim statim vertitur. Et hoc quoque dicit Scriptura : *Quæ ad tempus tuum guttur impinguat ; postea autem felle amarius invenies, et ancipiti gladio magis acutum* (*Prov.* 5. 4).

Chrysostomi cautio, cum de rebus impudicis loquitur. — Quid dicis ? Ferte me aliquid etiam immundum, ut ita dicam, loquentem, et impudenter me gerentem, pudoremque et ruborem exuentem : non enim lubens hæc patior, sed propter eos quos rerum non pudet, cogor verba dicere. Multa autem videmus ejusmodi etiam in Scripturis. Nam Ezechiel quoque Jerusalem exprobrans multa dicit ejusmodi, nec erubescit ; et merito : non enim ea dicebat ex sua animi affectione, sed ex cura et providentia. Nam etsi verba videntur esse decora, non est tamen scopus indecorus, sed etiam valde conveniens ei qui vult expellere animi immunditiam : nam nisi ipsa verba audierit impudens animus, pudore non suffunditur. Etenim medicus quoque volens ejicere putredinem, digitos prius immittit in vulnus, et nisi prius inquinet manus quæ medentur, non poterit mederi. Ita ego quoque, nisi prius os inquinem quod vestris medetur vitiis, non potero vobis mederi. Imo vero nec hoc inquinatur, nec illæ manus. Quare ? Quoniam non est naturalis immunditia, neque ex nostro corpore, sicut nec illic ex manibus illius, sed ex alienis membris. Si autem ubi est alienum corpus, non recusat ille suas manus tingere : ubi nostrum, dic quæso, recusabimus ? corpus enim nostrum estis vos, imbecillum quidem et immundum, sed tamen nostrum.

4. Quid est ergo quod dico, et cur hanc feci admonitionem? Vestem quidem quam habet servus, numquam ferre in animum induxeris, eam abhorrens propter sordes ; sed malueris esse nudus, quam illa uti : corpore autem immundo et sordido, et quod non solum servo tuo, sed etiam aliis innumerabilibus est usui, abuteris, et non abhorrebis ? Pudore affecti estis audientes ? Sed in factis pudore afficimini, non in verbis. Alia omnia prætermitto : mores perversos et impuros, reliquæ vitæ agendæ servilem et illiberalem rationem. Dic mihi, tu eamdem inis et servus tuus ? et utinam solus servus tuus, et non etiam carnifex publicus. Et carnificis quidem manus tenere non tuleris : eam autem, quæ unum cum illo corpus facta est, amplecteris et exoscularis, et non horres, non extimescis, non pudore afficeris, non erubescis, non angeris ac conturbaris ? Dixi quidem parentibus vestris ut vos cito ducerent ad nuptias : sed tamen nec vos quidem estis non obnoxii supplicio. Nam si non alii essent multi adolescentes pudice et caste viventes, et olim et nunc, esset vobis fortasse aliqua excusatio ac defensio : si autem sunt, quomodo poteritis dicere non potuisse vos cohibere flammam cupidinis ? Illi vos accusant qui potuerunt, quod sint ejusdem naturæ participes. Audite Paulum dicentem : *Sectemini pacem et sanctificationem, sine qua nemo videbit Dominum* (*Hebr.* 12. 14). Non sufficiunt hæ minæ ad vos terrendos ? Vides alios perpetuo esse pudicos, casteque et honeste degere ; et tu ne ad juventutis quidem tempus te fortiter geris ? vides alios cum voluptate esse millies colluctatos ; et tu ne semel quidem sustines ? Si vultis, dicam causam. Non enim causa est juventus : alioqui omnes juvenes futuri erant impudici et incontinentes : sed nos ipsos in rogum injicimus. Quando enim in theatrum ascenderis, et sederis nudis mulierum membris pascens oculos, ad tempus quidem lætaris ; postea autem illinc magnam alis febrem. Cum videris mulieres tamquam in specie corporis apparentes, et spectacula et cantica, quæ nihil aliud habent quam amores nefarios ; nempe : Illa, inquit, hunc amavit, et non est potitus, et se suffocavit ; et ad matres nefarios devolutos esse amores : quando et auribus hæc acceperis, et per mulieres, et per gestus, habitus et figuras, jam vero etiam per viros senes ; multi enim larvis sibi impositis illic agunt mulieres : quomodo poteris jam esse pudicus et temperans, cum illa spectacula, illæ auditiones animum tuum occupent ac detineant, et postea talia somnia excipiant ? a natura enim est insitum ut animus multa ejusmodi visione apprehendat, cujusmodi interdiu vult et concupiscit. Cum ergo illic et res obscœnas videas, et verba audias obscœniora, et vulnera quidem accipias, medicamenta autem non imponas : qui fieri potest ut non augeatur putredo, et morbus non intendatur, et multo magis quam in nostris corporibus ? Facilius enim, si vellemus, quam corpora, liberum arbitrium susciperet correctionem. Nam illic quidem et medicamentis et medicis et tempore opus est : hic autem sufficit, si volueris, et bonus esse et malus. Quamobrem morbum magis accepisti. Cum ergo ea quæ lædunt quidem congerimus, eorum autem quæ juvant nullam ducimus rationem, quando erit ulla sanitas ? Propterea Paulus quoque dicebat : *Sicut gentes quæ Deum non norunt.* Pudore suffundamur, terrore afficiamur, si gentes quæ Deum non norunt sæpe sunt pudicæ et temperantes ; erubescamus cum illis fuerimus deteriores. Facile est in pudicitia et temperantia nos recte gerere, si velimus, si nos ipsos abducamus ab iis quæ lædunt : alioqui nec scortationem facile est fugere, si nolimus. Quid est enim facilius quam ire ad forum ? sed ob nostram ignaviam et mollitiem fit difficile, non solum feminis, sed etiam viris. Quid facilius quam dormire ? sed hoc quoque effecimus difficile. Multi quidem certe divites tota nocte circumaguntur, eo quod non exspectent usum somni, et tunc dormiant. Et in summa nihil est difficile, si nos velimus ; nihil facile, si nolimus : omnia enim sunt in nostra potestate. Propterea dicit quoque Scriptura, *Si velitis*, inquit, *et me audiatis* (*Isai.* 1. 19) ; et rursus, *Si nolitis, nec me audiatis.* Totum ergo situm est in eo quod est velle et nolle : propterea et punimur et laudamur. Faxit autem Deus, ut cum fuerimus ex iis qui laudantur, assequamur bona promissa, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA VI.

CAP. 4. v. 9. *De caritate autem fraternitatis non habuimus necesse scribere vobis : ipsi enim vos a Deo didicistis ut diligatis invicem.* 10. *Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia.*

1. Quamnam ob causam, cum de temperantia et pudicitia tam vehementer disseruisset, et quod oporteat operari esset disceptaturus, et quod non oporteat dolore affici ob eos qui decesserunt : quod bonorum omnium est caput, nempe caritas, hoc ponit aliis derelictis. *Non necesse*, inquit, *habemus ad vos scribere?* Idque ex multa prudentia et spirituali doctrina. Duo enim hic indicat : unum quidem, quod res est adeo necessaria, ut ne doctrina quidem egeat; nam quæ sunt valde magna, sunt omnibus manifesta : secundum autem, eis majorem pudorem incutit, quam si admonuisset hoc dicens. Nam qui existimat eos se recte gessisse, et ideo non admonet; si se non recte gessissent, magis induxisset. Vide autem : non dicit de caritate in omnes, sed de caritate in fratres. *Non opus habemus ad vos scribere.* Oportet ergo silere et nihil dicere, si non opus sit. Nunc autem dicendo, *Non opus est*, plus fecit quam si dixisset. *Ipsi enim vos a Deo didicistis.* Vide autem cum quanta laude Deum ejus ipsis doctorem constituit : Non opus est, inquit, ut vos discatis ab homine. Quod propheta quoque dicit : *Et erunt*, inquit, *omnes a Deo docti. Vos*, inquit, *omnes a Deo didicistis, ut diligeretis invicem. Etenim illud facitis in omnes fratres, qui sunt in tota Macedonia :* et in omnes alios, inquit. Hæc valde pudorem incutiunt ad hoc ut id faciant. Et non absre dico, quod a Deo didicistis, sed illud novi ex iis quæ facitis. De hac re eis multa præbet testimonia. *Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis*, 11. *et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis.* Hic ostendit quam multorum malorum causa sit otium, quam multorum autem bonorum operatio; idque efficit manifestum ex iis quæ sunt apud nos, ut facit multis in locis; et prudenter sane : his enim magis inducuntur plures, quam spiritualibus. Est enim caritatis in proximos, non ab illis accipere, sed illis præbere. Vide autem prudentiam : cum esset rogaturus et admoniturus, id quod recte fit ponit in medio, ut et a priori admonitione respirent et a minis, quando dicebat : *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum;* et ut hac ratione ne resiliant. Hoc autem fit ex operatione, ut neque accipiant, neque sint otiosi, sed operantes aliis præbeant. *Beatius est* enim, inquit, *dare quam accipere. Et operemini*, inquit, *manibus vestris* (*Act.* 20. 35). Ubi sunt ergo qui quærunt opus spirituale? Vides quomodo eis omnem ademerit ejus rei occasionem, dicens, *Manibus vestris.* Jejunium operatur aliquis manibus? num nocturnas vigilias? num humicubationes? Nemo hoc dixerit; sed de opere dicit spirituali : est enim revera spirituale, operantem aliis præbere, et nullum opus ei potest æquiparari. *Ut honeste*, inquit, *ambuletis.* Vides quomodo eos tangat. Non dixit, Ne inhoneste vos geratis mendicantes; sed idipsum quidem tacite significavit, mitius autem ponit, ut et pungat, et non vehementer hos gravet. Nam si ii qui sunt apud nos, his offenduntur, multo magis externi, invenientes mille accusandi et reprehendendi ansas, quando vident hominem sanum, et qui sibi potest sufficere, mendicare et aliis opus habere. Et ideo nos appellant Christemporos, hoc est Christi mercatores : *Propterea*, inquit, *blasphematur nomen Dei.* At nihil horum posuit, sed id quod maxime eos poterat tangere, nempe dedecus et turpitudinem : 12. *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et cæteri qui spem non habent* (*Rom.* 2. 24). Hæc duo maxime eos pessumdabant, paupertas et animi ægritudo, ut reliquos etiam homines. Vide autem quomodo ea curet. Paupertas autem hinc orta est, quod fuerint raptæ eorum pecuniæ. Si autem eos quorum pecuniæ rapiebantur propter Christum, jubet operantes ali, multo magis alios. Nam quod raptæ fuerint eorum pecuniæ hinc liquet : *Imitatores*, inquit, *fuistis Ecclesiarum quæ sunt in Judæa* (1. *Thess.* 2. 14). Quomodo? Quia illis scribens dicebat : *Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis* (*Hebr.* 10.34). Hic autem de resurrectione agitat sermonem. Quid vero? annon de eo cum ipsis disseruerat? Sed hic quoddam alterum subindicat mysterium.

2. Quodnam autem hoc est? *Quia nos qui vivimus, qui residui sumus*, inquit, *in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt* (*v.* 14). Atque nobis quidem sufficit sermo resurrectionis ad eum consolandum qui cruciatur dolore : sufficit etiam quod nunc dicitur maxime fide dignam faciens resurrectionem. Primum autem illud, ut ipse, dicamus : *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et cæteri qui spem non habent.* Vide quam hic quoque loquatur leniter et placide. Non dixit, Estis adeo stulti (*Gal.* 3. 3), sicut ad Corinthios, adeo insipientes, quod cum scialis resurrectionem, sicut ii qui non credunt, dolore afficiamini; sed ita placide, *Nolo*, dixit, aliam eorum virtutem reverens. Et non dixit, De mortuis, statim a procœmiis jaciens fundamentum consolationis.

Mortui non plangendi.—Ut non contristemini, inquit, *sicut et cæteri qui spem non habent.* Plangere ergo propter eos qui excesserunt, non est eorum certe qui spem habent; et merito. Anima enim quæ nihil scit de resurrectione, sed hanc mortem mortem esse putat, merito plangit et lamentatur et luget intolerabiliter tamquam de iis qui perierunt : tu autem qui exspectas resurrectionem, cur lamentaris? Ergo lugere est

eorum qui spem non habent. Audite, o mulieres, quæ lubenter lamentamini, quæ estis proclives et propensæ intolerabiliter ad luctus, quod ea faciatis quæ ethnici. Si autem dolere propter eos qui excesserunt, est ethnicorum, plangere et genas lacerare quorumnam est, dic quæso? Cur lamentaris, si credis eum esse resurrecturum? si credis cum non periisse, si eam rem esse somnum et dormitionem? Propter consuetudinem amissam, inquit, tutelamque et rerum curam, et omne aliud officium. Quando ergo amiseris filium in immatura ætate, qui nondum potest aliquid agere, cur lamentaris? quid requiris? Bonam, inquit, spem ostenderat, et sperabam fore ut mei curam gereret. Propterea quæro virum, propterea filium, propterea plango et lamentor, non quod non credam resurrectioni, sed quod sim destituta ab auxilio, et amiserim curatorem et defensorem, qui mecum habitabat, qui rerum omnium erat socius, qui me consolabatur: hæc lugeo. Scio fore ut resurgat, sed intermediam non fero separationem: affluit multa rerum turba, sum exposita injuriæ omnium qui voluerint: qui prius timebant famuli, nunc despiciunt et insultant: si cui benefecit, is est oblitus ejus beneficiorum: si quis ab eo male affectus, recordatur injuriæ, iram in me convertit. Hæc non sinunt me ferre viduitatem, nec placide lugere: propterea plango, propterea lamentor. Quomodo ergo eas consolabimur? quid dicemus? quomodo earum luctum arcebimus? Primum eas conabor convincere, quod hæc verba non sint lamentationis, sed inconsideratæ animi perturbationis. Si enim hæc luges, oporteret eum qui excessit perpetuo lugere: si autem cum annus præterierit, obliviscerisperinde atque si nihil accidisset, non eum qui excessit lamentaris, nec ejus tutelam et defensionem. At non fers separationem, et consuetudinis interruptionem? Quid dixerint quæ ad secundas convolarunt nuptias? Non enim priores requirunt et desiderant. Sed ne orationem ad eas dirigamus, sed ad eas quæ iis qui excesserunt conservant benevolentiam: cur luges infantem? cur maritum? Quoniam illo quidem frui non est concessum; hoc vero exspectavi fore ut amplius fruerer. Hoc autem quantæ est infidelitatis, existimare quod aut maritus aut infans te in tuto collocet, non autem Deus? Quomodo non putas te eum irritare? Propterea enim eos sæpe accipit, ne eis ita sis affixa, ut ab illis spem abducas. Deus enim est zelotes, et maxime omnium vult a nobis diligi; idque quoniam nos valde diligit. Scitis enim hunc esse morem eorum qui insano capti sunt amore: sunt enim valde zelotypi, et maluerint animam prodigere, quam ab ullo ex suis rivalibus existimatione superari. Propter hæc Deus eum accepit, propter hæc, inquam, verba.

3. Nam cur, dic quæso, olim non fuerunt viduitates, nec immaturæ orbitates? cur Abraham et Isaac sivit vivere longum tempus? Quoniam, eo etiam vivente, Abraham Deum prætulit. Dixit quidem, Occide, et occidit. Cur Sarram ad tantum provexit senium? Quoniam ea etiam viva, Deum magis audivit quam ipsam. Propterea dicebat ei Deus: *Audi Sarram uxorem tuam* (*Gen.* 21. 12). Neque propter mariti amorem, neque propter uxoris, neque propter infantis curam Deum quisquam ad iram provocabat. Nunc autem quoniam adeo deorsum tendimus et dilabimur, et mariti uxores plus quam Deum diligimus, et uxores maritos Deo præferimus; ideo nos vel invitos ad sui trahit desiderium. Ne diligas maritum plus quam Deum, et numquam senties viduitatem: imo vero etiamsi acciderit, ejus nullum sensum capies. Quare? Quoniam defensorem habes immortalem qui magis diligit. Si Deum magis diligis, ne lugeas: nam qui magis diligitur est immortalis; nec sinit ut accipiatur sensus ejus qui minus diligitur. In exemplo faciam hoc tibi perspicuum. Dic mihi: si habeas maritum omnia facientem ex animi tui sententia, qui sit in bona existimatione, qui te claram ubique reddat, nec contemnendam, qui sit apud omnes celebris, prudens, sapiens, qui te diligat et propter eum beata reputeris, et cum eo parias quoque filium; deinde priusquam ad maturam veniat ætatem, excedat, sentiesne luctum? Nequaquam: nam is qui magis diligitur, illum obscurat et abscondit. Et nunc, si Deum quidem plus ames quam maritum, forte illum non tam cito auferet: quod si auferat, non tantum senties luctum. Propterea beatus Job nihil tam grave passus est, cum repentinam, et simul illatam audiisset mortem filiorum: quoniam Deum plus amabat quam ipsos. Eo ergo vivente qui diligebatur, illa eum nullo erant dolore affectura. Quid dicis, o mulier? maritus et filius te defendebat, et tui curam gerebant; Deus autem tibi non parcit? illum ipsum quis tibi dedit? annon ipse? te autem quis fecit? annon ipse? Qui ex nihilo ad hoc ut esses adduxit, et animam inspiravit, et mentem indidit, et sui cognitionem tibi largiri dignatus est, et Filio suo unigenito propter te non pepercit, tibi non parcit, conservus autem tibi parcit? quam non iram excitant hæc verba? Quid tale habuisti a marito? Nihil possis dicere. Nam etiamsi te aliquo affecit beneficio, sed id fecit, cum tu prior incepisses: de Deo autem nihil tale dixerit quisquam. Non enim Deus nobis benefecit, sic prius beneficio affectus; sed cum nullius egeat, ex sola bonitate benefacit hominum generi. Regnum tibi est pollicitus, dedit vitam immortalem, gloriam, fraternitatem, filiorum adoptionem, fecit coheredem Unigeniti: tu autem post tot et tanta bona adhuc meministi mariti? Quid ille donavit ejusmodi? Solem suum fecit oriri, pluviam dedit, annuis pascit alimentis. Væ nobis ob tam ingratum animum! Propterea tuum maritum accipit, ut eum non quæras: tu autem eum qui excessit, adhuc sectaris. Deum vero dimittis cum oporteret gratias agere, cum oporteret totum in ipsum conjicere? Quid enim est quod accepisti a marito? partus dolores, labores et contumelias, et sæpe maledicta, increpationes, indignationes. Nonne hæc omnia a maritis? Sed sunt adhuc, inquit, bona alia. Quænam hæc? Me splendidis et pretiosis ornavit vestimentis, faciei aurum imposuit, me fecit omnibus re-

verendam. Sed si velis, longe meliori te decorabit ornamento, quam is qui excessit : longe enim admirabiliorem quam aurum reddit honestas. Habet hic Rex vestes, non tales, sed longe præstantiores : illis, si velis, induere. Quænam autem sunt illæ? Est vestitus aureas habens fimbrias : eo si velis indue animam. At effecit ut non contemptui habereris ab hominibus? Et quid hoc magnum? viduitas certe non sivit ut contemptui habearis a dæmonibus. Tunc dominatum obtinebas in tuos famulos, si modo omnino obtinebas : nunc autem pro famulis dominatum obtines in incorporeas virtutes, principatus, potestates, rectorem hujus mundi tenes. Molestias autem non dicis, in quibus simul cum eo versabaris, si quando vexabat metus magistratuum, si quando vicinorum melior existimatio. Ab his omnibus nunc es liberata, a terrore et metu. Sed sollicita es quis relictos tibi nutriet filios? Pater orphanorum. Quis enim ipsos dedit, dic quæso? non audis Christum dicentem in Evangelio : *Nonne anima est plusquam esca, et corpus quam indumentum* (*Matth.* 6. 25).

4. Vides lamentationem non esse ex consuetudine, sed ex incredulitate? At filii non sunt æque clari et illustres, cum pater decesserit. Quare? Deum habent Patrem, et non sunt clari et illustres? quam multos tibi ostendam a viduis educatos, qui fuerunt bonæ existimationis? quam multos autem a patribus educatos, qui perierunt? Si enim eos educas, ut oportet, a prima ineunte ætate, majori fruentur beneficio, quam ex cura paterna. Quod enim hoc sit viduarum munus, nempe filios alere, audi Paulum dicentem : *Si filios educavit*; et rursus, *Salvabitur autem per filiorum generationem* (non dixit, Per maritum), *si permanserint in fide et caritate et sanctificatione cum temperantia* (1. *Tim.* 5. 10. *et* 2. 15). Indite eis Dei timorem ab ineunte ætate, et is eos magis custodiet quam quivis pater : hic erit murus infractus. Quando enim intus fuerit residens custos, nihil nobis externis opus est munitionibus : si autem non sit, frustra sunt quæcumque externa. Hoc erit eis et divitiæ et gloria et ornamentum : hoc eos faciet claros et illustres, non in terra, sed etiam in cælis. Ne mihi enim ad illos aspexeris qui cincti sunt zonis aureis, nec ad eos qui vehuntur equis, nec ad eos qui splendent in regia propter patres, nec ad eos qui asseclas habent et pædagogos. Hæc enim fortasse viduas inducunt ut plangant propter orphanos, sic cogitantes : Hic meus filius, si pater ei fuisset superstes, tantam adeptus esset beatitudinem; nunc autem est in mœrore et contemptu, et in nulla existimatione. Ne hæc cogites, o mulier, sed cogitatione aperi cæli portas, disce eam quæ illic est Regiam, reputa an ii qui sunt in terra, possint esse clariores filio tuo qui illic est, et tunc ingemisce : si autem in terra sint aliqui illustres, ejus rei nulla est habenda ratio : licet si velis ipsum militare in cælis, in illius exercitus numerum eum referre. Nam qui in illum numerum referuntur, non equis vehuntur, sed feruntur in nubibus; non humi gradiuntur, sed rapiuntur in cælum : non habent famulos qui ipsos præcedant, sed ipsos angelos; non assistunt regi mortali, sed immortali, Regi regum, et Domino dominantium; non habent circa lumbos zonam pelliceam, sed gloriam illam ineffabilem, et regibus fiunt splendidiores; et iis qui aliquando fuerunt in honore et existimatione. In illa enim regia non quæruntur divitiæ, neque nobilitas, neque quidquam aliud, sed solum quæritur virtus; et si ea adsit, nihil deest ad primas partes obtinendas. Nihil est nobis difficile si velimus philosophari. Suspice in cælum, et vide quantum regum fastigio hoc sit præclarius. Si autem supernorum regum pavimentum est inferiorum regum pavimento tanto magnificentius, ut hoc præ illo cœnum existimetur : si quispiam dignus si habitus qui exacte et accurate videat regiam, quanam non erit dignus beatitudine? *Quæ autem*, inquit, *est vere vidua, et desolata, sperat in Deum* (1. *Tim.* 5. 5). Hoc quibusnam a me dictum est? iis quæ habent filios, quod longe probatiores sint, et majorem habeant occasionem placendi Deo; quod eis omnia soluta sint vincula, nemo sit qui retineat, neque qui cogat illas trahere catenas. Separata es a viro, sed unita es Deo : non habes conservum tecum habentem consuetudinem, sed habes Dominum. Quando oras, nonne cum Deo loqueris, dic quæso? quando legis, audi eum tecum loquentem. Quid autem dicit? Verba viri verbis multo magis desiderabilia. Nam vir quidem, etiamsi aduletur, non magnus est honor; est enim conservus : quando autem Dominus famulæ adulatur, tunc magna est cura et observantia. Quomodo ergo nos curat et observat? Audi per quænam hæc facit : *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* 11. 28). Et rursus per prophetam clamat, dicens, *Num obliviscetur mulier miserari fœtuum ventris sui? quod si etiam oblita fuerit mulier, sed ego non oblivisear, dicit Dominus* (*Isai.* 49. 15). Quanti amoris sunt hæc verba? Et rursus, *Convertimini ad me*; et rursus alibi, *Convertere ad me, et salvus eris* (*Isai.* 4. 5. 22. *et* 44. 22). Si quis autem etiam ex Canticis velit excerpere, audiet, magis mystica excipiens : *Pulchra mea, columba mea* (*Cant.* 2. 10); audiet cum unaquaque sibi conveniente anima disserentem. Quid his verbis jucundius? Vides Dei cum homine colloquium? Quid autem, dic quæso? non vides quam multi beatarum illarum mulierum filii decesserunt, et sunt in sepulcris? quot mulieres graviora passæ sunt, et cum maritis filios quoque amiserunt? His attendamus, de his simus solliciti; et nihil erit nobis molestum, sed totum tempus peragemus degentes cum gaudio spirituali, et bonis fruemur æternis : quæ nobis omnibus detur consequi gratia et benignitate, etc.

HOMILIA VII.

CAP. 4. v. 12. *Nolo autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent.*

1. Multæ res sunt nobis molestæ ex sola ignorantia : quod si eas recte didicerimus, dolorem propulsabimus. Hoc ergo Paulus quoque indicans, dicebat : *Nolo vos ignorare, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent.* Quid non vis ipsos ignorare? Sermonem, inquit, de resurrectione. Cur vero non dicis supplicium quod est repositum ac paratum ignorantibus verbum resurrectionis? Quia hoc est inde manifestum, et in confesso est : interim autem erit quoque inde non parum lucri. Nam quoniam resurrectioni quidem fidem habebant, sed tamen lamentabantur, propterea sic dicit. Aliter quidem loquitur cum non credentibus, aliter vero cum his : nam eos qui quærebant de temporibus palam est hoc scivisse. 13. *Si enim credimus*, inquit, *quod Jesus mortuus est et resurrexit et vixit : ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* Ubi sunt qui carnem reprobant et rejiciunt? Nam si carnem non accepit, nec est mortuus : si non est mortuus, nec resurrexit. Quomodo ergo nos ex his adhortatur ad fidem? annon, quod ad eorum attinet sententiam, est potius nugator et impostor? Nam si mortuum esse est peccati, Christus autem non peccavit, quomodo nos nunc adhortatur? Quorsum vero etiam dicit, *Sicut reliqui qui spem non habent?* Quasi diceret, Quosnam defletis, o homines? pro quibusnam mœrore afficimini? pro peccatoribus, an pro iis tantum qui moriuntur? illi igitur quosnam deflent? Certe sunt illis omnia inania. *Primogenitus*, inquit, *ex mortuis* (*Col.* 1. 18); id est, primitiæ. Ergo et cæteros esse oportet. Vide autem quomodo hic nihil adstruat rationibus, quoniam erant mites et placidi : ad Corinthios autem scribens, multa agitavit rationibus, et tunc subjunxit : *Insipiens tu, quod seminas non vivificatur* (1. *Cor.* 15. 36). Hoc enim est firmius et aptius, sed quando disputat cum fidelibus : apud externos autem quam vim hoc habuerit? *Ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* Rursus, *Qui dormierunt :* nusquam dicit, Mortui sunt. Sed in Christo quidem posuit, *Mortuus est*, quoniam dixit eum resurrexisse : hic vero, *Eos qui dormierunt per Jesum.* Vel hoc dicit, quod in fide Jesu mortui sint; vel quod per Jesum adducturus sit eos qui dormierunt, id est, fideles. Hic hæretici significari dicunt eos qui sunt baptizati. Illud vero, *Ita*, quomodo consistit? Jesus enim non dormivit per baptismum. Cur ergo dicit : *Qui dormierunt?* Itaque non de generali, sed de singulari seu particulari loquitur resurrectione. *Eos qui dormierunt per Jesum adducet*, inquit : et multis in locis ita dicit. 14. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quod nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt.* Loquens de fidelibus dicit, *Eos qui dormierunt;* et rursus, *Mortui resurgent.* Deinde non solum agit de resurrectione, sed et de resurrectione et honore in gloria. Atque resurrectione quidem omnes fruentur, inquit; non omnes autem erunt in gloria, sed, *Qui in Christo.* Quoniam ergo ipsos vult consolari, non ex hoc solum consolatur, sed et ex multo honore et ex velocitate, quoniam illud sciebant. Nam quod ex honore ipsos velit consolari, dicit procedens : *Et semper cum Domino erimus*, et, *In nubibus rapiemur* (*Cor.* v. 16). Quomodo autem fideles per Jesum dormiunt? Hoc est, Christum in se habentes. Illud autem, *Adducet cum eo*, ostendit adduci ex multis locis. *Hoc enim vobis*, inquit, *dicimus in verbo Domini.* Hoc novum et inauditum erat dicturus; propterea efficit ut sit fide dignum. *In verbo*, inquit, *Domini.* Hoc est, Non a nobis ipsis, sed a Christo edocti, dicimus. *Quod nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt.* Quod quidem dicit in Epistola ad Corinthios : *In momento, in ictu oculi* (*Ibid.* 52). Hic fide dignam constituit resurrectionem ex modo quoque.

2. Nam quoniam videbatur res esse difficilis, dicit, Ut est facile ut qui vivant sustollantur, sic etiam ut ii qui decesserunt. Illud autem, *Nos*, non de seipso dicit : non enim erat mansurus usque ad resurrectionem; sed dicit fideles. Propterea addit, *Qui sumus residui in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt.* Quasi diceret : Ne existimes esse aliquam rei difficultatem, dum audis, quod qui tunc vivunt, non prævenient eos qui sunt dissoluti, qui putrefacti, qui sunt mortui plus quam decem abhinc annorum millibus : Deus est qui facit. Sed sicut facile est adducere illos qui sunt perfecti et integri, ita etiam eos qui sunt dissoluti. Sed sunt quidam qui rem non credunt, quoniam Deum nesciunt. Quid enim est, dic quæso, facilius, an ex nihilo ad hoc ut sint deducere, an dissoluta excitare et restituere?

Argumentum quorumdam qui resurrectionem non credebant. Metempsychosis Græcorum. — At quid dicunt? Ille passus est naufragium, et cum cecidisset, multi eum exceperunt pisces; et quilibet piscis membrum comedit. Deinde ex his ipsis alius quidem in hoc sinu, alius vero in illo est comprehensus, et ab alio devoratus. Et isti rursus in aliis locis sunt mortui, et ipsi fortasse a belluis exesi, qui comederunt pisces, qui virum exederant. Cum tanta autem fuerit confusio et dispersio, quomodo vir ille iterum resurget? quis pulverem reduxerit? Cur hoc dicis, o homo, et nugarum contexis catenam, et tamquam rem ponis plane inexplicabilem? Nam, dic mihi, si non in mare ceciderit, si piscis eum non comederit, neque rursus fuerit piscis devoratus ab hominibus innumerabilibus, sed justis factis fuerit vir ille positus in urna, et neque vermes, neque aliquid aliud ei fuerit molestum, quomodo resurget quod fuit dissolutum; quomodo pulvis et cinis conglutinabitur?

undenam erit flos et vigor corporis? hoc autem non est inexplicabile? Si sint quidem Græci qui de his dubitant, eis dicemus innumerabilia. Quid enim? sunt enim apud ipsos qui animas ad plantas deducunt, ad frutices et canes : dic mihi, quid est facilius, suum corpus accipere, an alienum? Alii rursus dicunt ab igne consumi, vestiumque et calceorum in integrum fieri restitutionem, et non irridentur : alii inducunt atomos. Sed adversus illos nulla est nobis disputatio : fidelibus autem, si fideles sunt appellandi qui interrogant, dicemus tamen illud apostolicum : Omnis vita a corruptione et interitu nascitur (1. *Cor.* 15. 36), omnes plantæ, omnia semina. Non vides quantum truncum habeat ficulnea, quot stipites, quot folia, quot ramos, quot frondes, quot radices tantum spatii occupantes et se insinuantes? Ipsa quæ est tanta et talis ex illo nascitur grano, quod fuit dejectum, ipsumque primo corruptum interiit : et nisi fuerit putrefactum et dissolutum, ex his nihil erit. Dic mihi unde hoc fit? Ipsa quoque vitis, quæ et ad videndum et ad fruendum tam est pulchra, nascitur ex illo tam deformi acino. Quid vero, dic quæso, annon est aqua illud unum quod defertur a superis? quomodo autem in tam multa mutatur? Hoc enim est admirabilius resurrectione. Nam illic quidem idem subjectum est semen et eadem planta, et magna est cognatio : hic autem, dic mihi, quomodo unam habens qualitatem et unam naturam, in tam multa vertitur? In vinea fit vinum, non solum vinum, sed et folia et succus : etenim non solum botrus, sed et quod reliquum est vineæ, in ipsa alitur : rursus in olea oleum, et quæcumque sunt alia. Et quod est mirabile, hic humidum, illic siccum; hic dulce, illic acre; illic acerbum et adstringens, alibi amarum. Quomodo, dic quæso, vertitur in tam multa? dic rationem : sed non poteris. In teipso autem dic quæso; est enim hoc propius; semen quod dejicitur, quomodo in oculos, quomodo in aures, in manus, in cor, quomodo in tam multa concinnatur et efformatur? Annon in corpore innumerabiles sunt differentiæ, figurarum, magnitudinum, qualitatum, situum, facultatum, numerorum et harmoniarum? quomodo nervi, venæ, carnes, ossa, membranæ, arteriæ, articuli, cartilagines, et quæcumque sunt his plura, de quibus medici exacte et accurate disserunt, quæ nostram continent naturam, eaque ab uno semine? Annon hoc videtur tibi esse multo perplexius et inexplicabilius, quomodo quod est humidum et molle concrescit in os durum et frigidum? quomodo in calidum et humidum, nempe sanguinem unitum? quomodo in frigidum et molle, nempe nervum? quomodo in frigidum et humidum, nempe arteriam? Quomodo de his, quæso, non dubitas? Non vides quotidie resurrectionem et mortem fieri in ætatibus? quo abiit juventus? undenam venit senectus? quomodo qui consenuit, seipsum quidem non potest juvenem facere, infantem autem procreat maxime juvenem, et quod sibi præbere non potest, præbet alteri?

3. Hoc licet videre et in arboribus, et in animantibus. Quamquam quod præbet alteri, sibi prius debet præbuisse. Sed hoc postulat humana ratio : quando autem Deus est opifex, cedant omnia. Si hæc sunt adeo inexplicabilia, et summe inexplicabilia, venit mihi in mentem eorum qui insaniunt, et de incorporea Filii generatione curiose inquirunt. Ea quæ quotidie fiunt, et subjecta sunt manibus, etiam millies quæsita nemo unquam potuit invenire. Quomodo ergo de illa ineffabili et inexplicabili generatione, dic quæso, curiose inquirunt? annon est defessa mens eorum qui talia scrutari audent? annon est in mille conversa vertigines? annon plane hæret et stupet? Et tamen ne sic quidem castigantur. Cum de uvis et ficubus ne possint quidem dicere, de Deo curiose investigant. Nam dic mihi quomodo acinus ille resolvitur in folia et stipites? quomodo in eo antea non erant nec cernebantur? At non est, inquit, hoc acinus, sed totum est terræ. Et quomodo absque eo ipsa ex se nihil fert? Sed ne desipiamus; nec terræ nec grani est quod fit, sed ejus qui est Dominus et terræ et seminum. Propterea et absque his et cum his fecit ut hæc gignerentur, partim quidem suam ostendens potentiam, quando dicebat, *Producat terra herbam fœnî* (*Gen.* 1. 11); partim autem cum eo quod suam ostendit potentiam, nos quoque erudiens ut simus laboriosi et lubenter operemur. Cur autem hæc a nobis dicta sunt? Non abs re; sed ut et credamus resurrectionem : et quando aliquid volentes rationibus comprehendere, si non possimus, non ægre feramus, neque succenseamus, sed cogitationem prudenter avertentes, et reprimentes, ad hoc confugiamus, quod nihil sit quod Deus non possit et non facile faciat. Hæc ergo cum sciamus, cogitationes nostras refrenemus, neque terminos transgrediamur, et modos cognitionis nobis datos. *Nam Si quis*, inquit, *putat se scire aliquid, nondum quidquam novit quomodo scire oportet* (1. *Cor.* 8. 2). Non de Deo, inquit, dico, sed de re qualibet. Quid enim vis de terra discere? quid nosti, dic mihi? quanta sit ejus mensura, quænam magnitudo, qualis situs, quænam essentia, qualis locus, ubinam stet et cui innitatur? Nihil ex his poteris dicere : sed quod sit quidem frigida, sicca et nigra, hæc poteris dicere, ulterius autem nihil. At de mari? Sed similiter incides in perplexitatem, ex qua te nulla ratione poteris extricare : ut qui nescias ubinam incipiat, ubi desinat, cui innixum feratur, quid fundum ejus portet, quisnam sit ei locus, utrum post ipsum sit terra continens, an in aquam desinat et aerem. Sed et ex iis quæ in ipso sunt quid nosti? Sed de aere dicam? sed de elementis? Verum nihil dices. Hæc relinquam. Vis ex plantis id quod est minimum eligamus? Gramen illud fructum non ferens, quod scimus omnes, dic quomodo nascatur? annon ejus subjectum est aqua et terra et fimus? quid est quod facit ut appareat tam pulchrum, et colorem habeat admirabilem? undenam illa marcescat pulchritudo? Non est aquæ, non terræ opus. Vides quod ubique fide sit opus? Quomodo producit terra? quomodo parturit, dic quæso? Sed nihil horum potes

dicere. Erudiaris, o homo, in iis quæ sunt infra, et in iis quæ hic sunt, nec curiose scruteris nec investiges cælum : atque utinam cælum, et non cæli Dominum. Terram non nosti, dic mihi, ex qua natus, in qua es nutritus, in qua habitas, quam calcas, sine qua ne respirare quidem potes ; et de iis quæ sunt adeo remota es curiosus ? Revera homo est vanitas. Et si quis jubeat te descendere in profundum et investigare quæ sunt in fundo maris, jussum non feres : nemine autem cogente, ipse vis comprehendere abyssum quæ nequit investigari? Ne hoc facias rogo. Sed in superficie navigemus, non natemus ratiociniis : cito enim defatigabimur, et undis obruemur : sed divinis utentes Scripturis, tamquam aliquo navigio, pandamus vela fidei. Si in his navigemus, gubernator nobis aderit sermo Dei : sin autem in humanis natemus rationibus, nequaquam. Quinam enim ex iis qui sic natant adstat gubernator? Quamobrem duplici de causa est periculum, et quod non sit navigium, et quod absit gubernator. Nam si in periculo est scapha absque gubernatore, quando abest utrumque, quænam est spes salutis ? Neque nos in manifestum conjiciamus periculum, sed tuto incedamus, a sacra nos suspendentes anchora. Sic enim in tranquillum portum navigabimus cum multis mercibus et magna securitate ; et assequemur bona reposita iis qui ipsum diligunt, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri simul cum sancto Spiritu, gloria, etc

HOMILIA VIII.

Cap. 4. v. 14. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quod nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non prævenienus eos qui dormierunt.* 15. *Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cælo : et qui mortui in Christo sunt, resurgent primi.* 16. *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in aera, et sic semper cum Domino erimus.*

1. Prophetæ quidem, volentes ostendere quam sint fide digna quæ dicuntur, ante alia omnia hoc dicunt : *Visio quam vidit Isaias* (*Isai.* 1. 1) ; et rursus, *Verbum Domini quod factum est ad Jeremiam* (*Jerem.* 1. 2) ; et rursus, *Hæc dicit Dominus*, et similia. Multi etiam ipsum videbant sedentem Deum, quoad ejus fieri poterat ut viderent. Paulus vero cum non videret sedentem, sed in seipso haberet Christum loquentem, vice illius, *Hæc dicit Dominus*, dicebat : *An experimentum quæritis ejus qui in nobis loquitur Christi* (2. *Cor.* 13. 3) ; et rursus, *Paulus apostolus Jesu Christi*, ostendens nihil esse suum : apostolus enim ea loquitur quæ sunt ejus qui misit. Et rursus, *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam* (1. *Cor.* 7. 40). Atque illa quidem spiritu loquebatur omnia ; hoc autem quod nunc dicit, disertis verbis a Deo audivit : sicut etiam illud quod dicebat disserens cum senioribus Ephesiorum, *Beatius est dare, quam accipere* (*Act.* 20. 35), secreto audierat. Videamus itaque quid nunc quoque dicat. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quod nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non prævenienus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu et voce archangeli, et in tuba ultima descendet de cælo.* Quod etiam Christus tunc dixit, *Virtutes cælorum movebuntur* (*Matth.* 24. 29). Quare autem in tuba? Etenim in monte Sinai hoc videmus, et illic quoque angelos. Quid autem sibi vult vox archangeli? Sicut dicebat de virginibus : Exsurgite, venit sponsus (*Matth.* 25. 6). Aut hoc dicit, aut quod sicut fit erga regem : ita etiam tunc erit, angelis ministrantibus ad resurrectionem. Dicit enim, Resurgant mortui ; et fit opus, non angelis ad hoc vim habentibus, sed verbo ejus : ac si rex jusserit et dixerit : Exeant qui sunt conclusi, et ministri educant, non utique hoc jam faciunt ex sua virtute, sed ex illa voce. Hoc alibi quoque dicit Christus : *Mittet angelos suos cum tuba magna, et congregabunt electos ipsius a quatuor ventis, ab extremis cælorum* (*Matth.* 24. 31) ; et ubique vides discurrentes angelos. Archangelum ergo arbitror esse eum qui præest, et hoc clamat iis qui missi sunt : Facite ut sint omnes parati : adest enim Judex. Quid est, *In ultima tuba?* Hic ostendit multas esse tubas, et in ultima descendere Judicem. *Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in aera, et sic semper cum Domino erimus.* 17. *Itaque consolamini invicem in verbis istis.* Si est descensurus, cur rapiemur? Honoris causa. Rege enim civitatem ingrediente, qui sunt in honore, exeunt obviam : qui sunt autem rei et condemnati, intus exspectant judicem. Et cum benevolus quidem adventarit pater, filii quidem, et qui digni sunt filii, in curru educuntur, ut videant et exosculentur : qui autem offenderunt famuli, eum intus exspectant. In vehiculo ferimur Patris : Etenim ipse eum excepit in nubibus, et nos rapiemur in nubibus. Vides quantus sit honor? et ei descendenti obviam procedimus, et quod est omnium beatissimum, sic cum eo erimus. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudationes ejus* (*Psal.* 105. 2)? Quam multis bonis dignatus est genus humanum? Primi resurgunt qui excesserunt, et sic simul fiet occursus. Abel qui ante omnes decessit, tunc simul ibit obviam cum omnibus. Quamobrem in hoc aliis nihilo erunt superiores ; sed qui interiit, qui tot annos fuit in terra, cum illis ibit obviam, et omnes alii. Nam si illi quidem nos exspectassent ut coronaremur, sicut alibi dicit scribens, *Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consummarentur* (*Hebr.* 11. 40) ; multo magis nos quoque illos. Vel potius illi quidem exspectarent, nos autem minime : in momento enim

fit resurrectio, in ictu oculi. Quod autem dicitur quod congregantur, id est, ubique quidem resurgunt, congregantur autem ab angelis. Atque quod resurgant, est Dei potentiæ jubentis terram dimittere depositum, nec est ullus qui inserviat : sicut tunc vocavit Lazarum, *Lazare, veni foras* (*Joan.* 11. 43) : adducere autem est ministrorum. At si congregant et discurrunt angeli, quomodo ipsi hic rapiuntur? Rapiuntur postquam descenderint, postquam fuerint congregati : hoc enim simul fit sciente nemine. Nam quando viderint terram moveri, pulverem misceri, ex æquo undique excitari corpora, nemine ad hoc inserviente, sed jussu sufficiente ad terram repletam exinaniendam; cogita enim quantum sit omnes ab Adamo usque ad ejus adventum tunc illic stare cum uxoribus et filiis : quando, inquam, in terra tantum viderint tumultum, tunc scient. Sicut ergo in ea quæ secundum carnem fuit dispensatione nihil prævideranl, ita et tunc.

2. Quando ergo hæc facta fuerint, tunc erit et vox archangeli præcipientis angelis et clamantis, et tubæ, vel potius tubarum sonitus. Qualis ergo tremor, qualis metus invadet eos qui vivent in terra? Una enim rapitur, et una dimittitur; et unus assumitur, et unus dimittitur (*Matth.* 24. 40. 41; *et Luc.* 17. 34. 35). Quis erit eorum animus, cum illos quidem in altum tolli, se vero dimitti viderint? annon quavis gehenna terribilius poterunt hæc perterrere? Ponamus ergo verbis jam hoc adesse. Si enim mors repentina, vel in urbibus terræ motus, et minæ ista nostros afficiunt animos : quando viderimus effractam terram, et illis omnibus repletam; quando tubas audierimus, quando archangeli vocem quavis tuba clariorem, quando viderimus cælum contrahi, quando ipsum adesse omnium Regem Deum, quis erit nobis animus? Horreamus, rogo, et extimescamus, tamquam hæc jam fiant. Ne dilatione et mora nos ipsos consolemur : nam cum omnino fieri oporteat, nihil juvat dilatio. Quantus tunc est tremor, quantus metus? Vidistis aliquando eos qui abducuntur ad mortem? quo animo eos esse putatis ingredientes viam usque ad portam, quot mortibus non pejorem? quid non eligant et agere, et pati ut ab illa liberentur caligine et nube? Ego multos audivi qui Imperatoris clementia, postquam abducti fuerant, erant revocati, quod nec homines viderint tamquam homines : adeo erat turbatus et stupefactus et emotus animus. Si nos ita terret mors corporalis; quando advenerit æterna, quomodo erimus affecti? Et quid dico de iis qui ad mortem abducuntur? tunc eos circumsistit turba, plures ipsos ignorantes. Si quis tamen illorum animos circumspexerit, nemo est adeo sævus, nemo tam forti et magno animo, qui non ipsam habeat animam consternatam ac dejectam, et metu et ægritudine dissolutam. Si autem aliis hanc mortem suscipientibus quæ a somno nihil differt, ita afficiuntur qui ejus non sunt participes : quando nos ipsi in majora inciderimus, quomodo nos habebimus? Non potest, non potest, credite, verbis explicari quomodo afficiemur. Certe, inquit; sed Deus est clemens et misericors, et horum nihil erit, Ergo hæc frustra scripta sunt? Non inquit, sed usque ad minas solum procedet, ut sapiamus. Si ergo non sapiamus, sed mali esse pergamus, non inferet, dic mihi, supplicium? Ergo nec bonos remunerabitur. Certe, inquit : illum enim decet etiam supra merita afficere beneficiis. Quamobrem illa quidem vera, et omnino erunt; quæ ad supplicia autem attinent, non erunt omnino, sed sunt solum propter minas et metum? Quomodo sim vobis persuasurus, nescio. Si dixero quod vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur (*Marc.* 9. 45); si dixero quod descendent in ignem æternum; si adduxero divitem qui jam punitur, minas ea esse dicetis omnia. Quomodo ergo vobis persuadebo? Hæc est enim satanica cogitatio, inutilem præbens gratiam, ignavosque reddens et desides. Quomodo eam eximemus? Quæcumque dicemus ex Scripturis, ea dicetis esse minas. Sed hoc quidem dixeris de futuris; sed de iis quæ evenerunt et ad fidem pervenerunt, minime. Audivistis omnes de diluvio : num illa quoque dicta sunt propter minas? annon et evenerunt et facta sunt? Ejusmodi multa illi quoque dicebant, et cum centum annorum spatio fabricaretur arca, et compingerentur ligna, et justus clamaret, nemo erat qui crederet : sed quoniam non crediderunt minis quæ fiebant verbis, rebus ipsis subierunt supplicium. Hoc ipsum quoque nobis accidet, si non crediderimus. Propterea ejus quoque adventum comparat diebus Noe; quoniam sicut illi diluvio quidam non crediderunt, ita etiam diluvio gehennæ. Illane sunt minæ, annon revera facta sunt? Deinde qui tam repente intulit supplicium, non multo magis nunc quoque inferet? non enim quæ nunc fiunt, sunt minora iis quæ tunc fiebant. Quomodo? Tunc ingressi, inquit, sunt filii Dei ad filias hominum (*Gen.* 6. 2); et res gravis erat ille concubitus : nunc autem nullum est genus vitii et sceleris quod non admittatur. Creditisne fuisse diluvium, an id vobis videtur esse nugæ? Atqui et montes in quibus stetit arca, id testantur, montes, inquam, Armeniæ.

3. *De Sodomorum lacu.*—Sed ex multa, quæ mihi suppetit, copia ad alterum hoc manifestius deducam orationem. Peregrinatusne est ex vobis quispiam umquam in Palæstina? Jam enim non amplius verba dicam, sed facta : quamquam etiam priora erant rebus ipsis evidentiora : nam quæ dixerit Scriptura, ea sunt iis, quæ videntur, credibiliora. Peregrinatusne est ergo ex vobis quispiam in Palæstina? ego quidem opinor. Quid ergo? Vos qui illa loca vidistis, ferte mihi testimonium apud eos qui illic non fuerunt. Supra Ascalonem et Gazam, ubi desinit Jordanis fluvius, est magna regio et fertilis; imo vero erat; nunc enim non est : ipsa ergo erat ut paradisus : *Vidit* enim, inquit, *Lot universam circa Jordanem regionem, et erat irrigua sicut Dei paradisus* (*Gen.* 13. 10). Ipsa ergo quæ erat adeo florida, et cum omnibus certabat regionibus, quæ fertilitate æquabat Dei paradisum, est nunc qui-

busvis desertis desertior : et stant arbores, et habent fructum : fructus autem est iræ Dei monimentum. Stant enim mala punica ; lignum, inquam, et fructus ; quæ præclaram habent speciem et exteriorem superficiem, et ignoranti præbent bonam spem : si sumptæ autem fuerint in manus, fractæ nullum quidem fructum, sed multum ostendunt pulverem et cinerem intus repositum. Talis est universa terra : et si inveneris lapidem, invenies oppletum cinere. Et quid dico lapidem et ligna et terram, cum et aer et aquæ sint participes calamitatis ? Sicut enim exusti corporis figura quidem et typus manet in aspectu ignis, et magnitudo et proportio, virtus autem minime : ita hic quoque terram quidem licet videre, sed quæ nihil habeat terræ, sed omnia cinerem ; arbores et fructus, sed quæ nihil habeant arborum et fructuum ; aerem et aquam, sed quæ nihil habeant aeris nec aquæ ; nam ea quoque sunt oppleta cinere. Atqui quomodo aer potuerit aliquando comburi, et aqua quomodo manens aqua ? nam uri quidem possunt ligna et lapides ; aer autem et aqua minime possunt. Nobis quidem non possunt ; ei autem qui ipsa fecit, possunt. Nihil est ergo aliud aer quam fornax, fornax aqua : omnia infrugifera, omnia non genitalia, omnia iræ pristinæ imagines, futuræ indicia. An hæc quoque sunt minæ ? an sonus tantum verborum ? Nam mihi quidem neque priora sunt incredibilia, sed similiter atque quæ videntur quæ non videntur sunt credibilia ; infideli autem hæc saltem satis sunt ad faciendam fidem. Si quis non credit gehennam, cogitet Sodoma, veniat ei in mentem Gomorrha, supplicium quod fuit et adhuc manet. Hoc est indicium quod æternus sit cruciatus. Gravia sunt hæc : illa autem non sunt gravia, quando dicis non esse gehennam, sed Deum solummodo esse minatum ? quando manus populi relaxas ac dissolvis ? Tu me hæc cogis dicere qui non credis. Si verbis Christi credidisses, non necesse habuissem ex rebus fidem facere : quoniam autem illa refugisti, velis nolis illis jam persuadeberis. Quid enim habes quod dicas de Sodomis ? Vis etiam scire causam propter quam hæc tunc facta sunt ? Unum erat peccatum, grave quidem et exsecrandum, sed tamen unum : puerorum insano capti erant amore, ii qui tunc erant ; et propterea has dederunt pœnas. Nunc autem innumerabilia et paria, et his majora admittuntur peccata. Itane qui pro uno peccato tantam effundebat iram, et neque preces Abrahami respexit, neque Lot incolam, qui pro honore quem ejus habuit servis, suas filias probro afficiendas permisit, cum tot sint peccata, parcet ? Hæc plane sunt ridicula, nugæ et error et deceptio diabolica. Vis aliam quoque subjungam ? Pharaonem audis regem Ægyptiorum : nosti ergo et quas dedit pœnas : quomodo cum curribus et equis et toto exercitu demersus fuit in Rubro mari. Vis etiam alia discere ? ille quidem fortasse erat impius, imo non fortasse, sed revera erat impius. Vis etiam ex iis qui Deo credebant, et Deum quidem sequebantur, non erat autem recta eorum vitæ institutio, videre punitos ? audi Paulum dicentem : *Neque fornicemur, sicut quidam eorum sunt fornicati, et ceciderunt uno die viginti tria millia : neque murmuremus sicut quidam eorum murmurarunt, et perierunt ab exterminatore : neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentarunt, et perierunt a serpentibus* (1. *Cor.* 10. 8-10). Si autem tantum potuit scortatio, si murmuratio, quid nostra non efficient ? Si autem non nunc sumit pœnas, ne mireris : nam illi quidem non norant gehennam ; ideo e vestigio afficiebantur supplicio : tu autem quidquid peccaris, etiamsi nullas des pœnas, illic lues omnia. Itane illos quidem qui erant puerilliores, et tam multa peccata non admiserant, tam graviter puniit, nobis autem parcet ? Non est rationi consentaneum. Nam etiamsi eadem quæ illi peccata admittamus, majorem pœnam meremur. Quamobrem ? Quoniam majorem gratiam sumus assequuti. Quando autem majora et plura quam illi peccata admittimus, quas non luemus pœnas ? Illi (neque vero quis existimet me aut eos admirantem, aut eis ignoscentem hoc dicere ; absit : quando enim Deus punit, qui contrariam fert sententiam, hoc mente facit diabolica : non ergo eos laudans, neque eis ignoscens hoc dico, sed nostrum ostendens vitium), illi, inquam, etsi murmurabant, at veniebant in desertum ; nos autem cum et patriam habeamus, et simus in nostris ædibus, murmuramus. Illi etsi scortabantur, id tamen faciebant cum recens discessissent ab Ægyptiacis moribus, et hanc legem non audiissent ; nos autem a majoribus acceptis salutaribus decretis, majus meremur supplicium. Vis etiam alia audire quæ passi sunt in Palæstina, famem, pestem, bella, captivitatem, tam apud Babylonios, quam apud Assyrios, mala quibus sunt affecti, a Macedonibus, sub Adriano et Vespasiano ? Volo tibi, o dilecte, aliquid enarrare, sed ne resilieris : imo vero ante hoc dicam aliud. Fuit aliquando fames, et rex ambulabat super murum : deinde accedens mulier hæc illi dixit verba : *Rex, hæc mulier dixit mihi : Assemus filium tuum hodie et comedamus, et cras meum ; et assavimus, et comedimus ;* illa vero suum nondum dedit (4. *Reg.* 6. 26-29). Quid est hac calamitate gravius ? Rursus alibi dicit propheta : *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos* (*Thren.* 4. 10). Judæi quidem has dederunt pœnas : nos autem non majores his dabimus ?

4. Vis etiam eorum aliam audire calamitatem ? lege Josephum, et disces totam illam tragœdiam ; ex hisne tibi persuadebimus esse gehennam ? Cogita enim : si illi puniebantur, cur nos non punimur ? aut quomodo est consentaneum nos non puniri, qui gravius quam illi delinquimus ? annon scilicet quia repositum est nobis supplicium ? Si vis autem, dicam etiam in qualibet persona quomodo sint puniti. Fratrem occidit Cain. Grave quidem peccatum : quis neget ? sed dedit pœnas, et graves, et mille mortibus comparandas ; maluisset enim millies mori : audi enim eum dicentem : *Si me ejicias a terra, et abscondar a facie tua, et erit, omnis qui me inveniet, occidet me* (*Gen.* 4. 14). Dic mihi ergo, nonne eadem nunc multi faciunt quæ ille ? quando enim non carnalem, sed spiritualem

fratrem interemeris, non idem fecisti? Quid tum enim, si non ense, sed alio modo? quando cum possis sedare famem, neglexeris. Quid ergo? Nullus invidit nunc fratri? nemo conjecit in pericula? sed hic non dederunt pœnas. Verum dabunt. Deinde qui non legem quidem audiit scriptam, neque prophetas, neque magna signa vidit, tantum dat supplicium : alter autem qui eadem fecit, et neque tam multis castigatur exemplis, abibit impune? Et ubi est Dei justitia? ubi bonitas? Rursus quidam qui sabbato ligna collegerat (*Num.* 15. 32), lapidibus est obrutus : etsi mandatum est leve, et circumcisione minus. Qui ligna collegerat in sabbato lapidatus est; qui autem sæpe innumerabilia admiserunt contra leges, abibunt impune? Si ergo non est gehenna, ubi est justitia? ubi est quod dicitur, non esse acceptionem personarum? Atqui multorum ejusmodi eos insimulant, quod sabbata non custodiant. Rursus quidam alius filius Charmi anathema suffuratus, cum toto genere obrutus fuit lapidibus. Quid ergo, nemo ex illo tempore fuit sacrilegus? Saül rursus, qui præter Dei voluntatem pepercit, tantum sustinuit supplicium : nullus ergo ab illo tempore pepercit? Utinam quidem ita esset, et non nos magis quam feræ, alter alterum comederemus, contra quam Deo placeat; et nemo in bello cecidisset. Rursus filii Eli quoniam comedebant ante incensum, gravissimas pœnas dederunt cum patre. Nullus ergo pater fuit negligens et indulgens in filios; neque filii improbi et scelerati? at nemo dedit pœnas. Quando ergo dabunt, si non sit gehenna? Rursus potueris recensere innumerabilia. Quid vero? Ananias et Sapphira, quoniam suffurati erant ex iis quæ Deo obtulerant et consecrarant, nonne statim puniti sunt? Nullus ergo hæc fecit ex illo tempore? Quomodo ergo non easdem luerunt pœnas? Tibine persuademus esse gehennam, an pluribus tibi opus est exemplis? Veniemus ergo etiam ad ea quæ non sunt scripta, quæ nunc fiunt : necesse est enim hanc notionem undique nobis colligi, ne temere nobis indulgentes, nos ipsos lædamus. Non vides multos in calamitatibus corporis mancos ac mutilatos, mala pati innumerabilia, alios autem florere et in bona esse existimatione? quare alii quidem dant pœnas cædis; alii vero non? Audi Paulum dicentem : *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium; quorumdam autem subsequuntur* (1. *Tim.* 5. 24). Quam multi evaserunt qui cædem fecerant? quam multi sepulcrorum effossores? Sed hæc missa fiant. Quot sunt quos non vides gravi puniri supplicio? alii quidem gravi morbo traditi sunt, alii vero perpetuis tormentis, alii autem malis innumerabilibus. Quando ergo videris quempiam, qui eadem quæ ipsi admiserit, et multo plura, et non dat pœnas, annon vel invitus gehennam fateberis? Elige eos qui hic ante te sunt graviter puniti; cogita quod Deus personas non respicit, nec earum habet rationem; quod et cum mala feceris innumera, nihil ejusmodi passus es, et tibi in mentem veniet gehenna. Ita enim nobis Deus eam insevit, ut nemo unquam hoc ignoraverit. Nam et poetæ et philosophi et fabularum scriptores, et omnes, ut semel dicam, homines, de remuneratione quæ illic fit, sunt philosophati, et multos dixerunt puniri apud inferos. Si illa autem sunt fabulæ, sed non ea quæ sunt apud nos. Hæc dixi volens vos non temere terrere, non gravare vestros animos, sed moderatos et leniores reddere. Vellem ipse quoque non esse supplicium, et maxime omnium ego. Quamobrem? Quoniam unusquisque quidem ex vobis de sua timet anima : ego autem sum obnoxius reddendæ rationi hujus præfecturæ; ita ut ego omnium maxime effugere nequeam. Sed fieri non potest ut non sit gehenna et supplicium. Quid agam? Rursus dubitant et dicunt : Ubi est ergo Dei clementia? Ubique. Sed magis de hoc disseram alio tempore, ne sermonem qui fit de gehenna confundamus. Interim autem non effluat quod ex dictis lucrati sumus : non est enim parum lucri de gehenna certam habere persuasionem. Horum enim verborum memoria, tamquam acre aliquod medicamentum, omne vitium poterit abstergere, menti nostræ assidue insidens. Ergo utamur illo, ut inde mundum cor habentes digni habeamur, qui videamus quæ neque oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt : quæ detur nobis omnibus consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simulque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

Cap. 5. v. 1. *De temporibus autem et momentis, fratres, non indigetis ut scribamus vobis.* 2. *Ipsi enim diligenter scitis quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.*

1. Nihil, ut videtur, est æque curiosum et ad ea quæ sunt obscura et occulta ediscenda cupidum, atque humana natura. Hoc autem ei solet accidere, quando habet mentem minus perfectam et cultam. Pueri enim simpliciores non cessant obtundere educatores, pædagogos ac parentes crebritate quæstionum, in quibus nihil est aliud, quam, Quando hoc est, et quando illud. Hoc autem accidit et ex eo quod vivatur in deliciis, et ex eo quod nihil habeant quod agant. Atque multa quidem jam discere et comprehendere contendit mens nostra, maxime autem tempus consummationis. Et quid mirum, si hoc nobis accidat? nam etiam ipsis illis sanctis apostolis hoc omnium maxime accidit : et ante Christi quidem perpessionem accedentes dicunt Christo : *Dic nobis quando hæc erunt? et quod est signum adventus tui et consummationis sæculi* (*Matth.* 24. 3)? post perpessionem autem et resurrectionem a mortuis, dicebant ipsi : *Dic nobis, an in hoc tempore restituis regnum Israel* (*Act.* 1. 6)? et nihil ante hoc ipsum rogarunt. Sed non sic postea. Nam quando sancto Spiritu digni sunt habiti, ipsi non solum non interrogant, neque ægre ferunt ignorationem, sed eos etiam reprimunt qui hac laborant intempestiva curiositate. Audi ergo qualia nunc dicit beatus Paulus : *De temporibus autem aut momentis*,

fratres, non indigetis ut scribamus vobis. Cur non dixit, Nemo novit? cur non dixit, Non revelatum est; sed, *Non indigetis ut scribamus vobis?* Quoniam illos sic majori affecisset molestia; sic autem illos consolatus est; illud enim, *Non indigetis*, et tamquam supervacaneum, et tamquam inutile non sinit quærere. Quid enim, dic quæso, hinc lucri accedat? Ponamus fore consummationem post viginti annos, post triginta, post centum; quid hoc ad nos? nonne uniuscujusque consummatio est finis vitæ suæ? quid de communi fine curiose es sollicitus et veluti parturis? Sed quod in aliis, in hoc quoque nobis accidit. Sicut enim in aliis, propriis dimissis, curamus communia, dicentes: Ille est scortator, hic est adulter, ille rapuit, alius fecit injuriam; rerum autem suarum nemo ullam habet rationem, sed omnia curat magis quam sua: ita hic quoque, mittentes unusquisque suum finem curare, volumus communem scire dissolutionem. Quid enim tibi est cum illa commune? Si hunc finem recte præparaveris, ab illo fine tibi grave nihil accidet. Sit longe, sit prope; hoc nihil ad nos. Propterea non dixit Christus, quoniam non expediebat. Quomodo non expediebat, inquit? Ipse qui celavit, novit cur non expediret: audi enim ipsum dicentem apostolis: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* 1. 7). Quid curiose scrutamini? hoc audivit cum suis Petrus apostolorum princeps et coryphæus; ut qui desiderarent majora quam eos decebat. Maxime, inquit, sed sic licebat ora Græcorum obstruere. Quomodo, dic quæso? Quoniam illi dicunt hunc mundum esse deum: si autem sciremus tempus dissolutionis, ora eorum obstrueremus. Plane: hocne est illorum ora obstruere, discere quod aliquando dissolvitur vel quando dissolvatur? Si eorum ora obstruere vultis, dicite eis eum finem habiturum: si hoc non credant, neque illud credent. Audi Paulum dicentem: *Ipsi enim diligenter scitis, quod dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Non communis solum, sed etiam singulis proprius: hic enim illum imitatur, quoniam est ipsi cognatus. Quod enim ille simul et acervatim, hoc hic facit sigillatim; et tempus consummationis ab Adamo accepit initium; et finis cujusque nostrum vitæ est imago consummationis, nec erraverit, qui dixerit consummationem. Nam cum quotidie moriantur innumeri, et illum diem exspectent, et ante illum nullus resurgat, non illius est opus? Si vultis autem scire cur ipse sit occultus, et cur tamquam fur veniat in nocte, ego dicam, ut ipse recte se habere existimo. Nemo umquam virtutis per totam vitam curam gesserit, si dies ille sciretur, nec occultus esset; sed cum sciret extremum diem, post mille patrata scelera, ad lavacrum tunc veniret, atque ita hinc migraret. Nam si nunc, cum diei incerti metus omnium concutit animos, omnes, præcedente vita in vitiis consumpta, in extremo halitu se dant baptismati: si eum sibi esse extremum plane habuissent persuasum, quis umquam curam gessisset virtutis? Multi excesserunt absque illuminatione, nempe baptismate, et ne hic quidem metus eos erudiit, ut curam gerant eorum quæ Deo placent: si hic etiam ablatus esset metus, quis umquam esset modestus? quis bonus et æquus? Nemo. Alium rursus nunc continet et reprimit metus mortis, et amor vitæ: si autem sciret unusquisque futurum, ut cras moreretur, nihil ante eum diem recusaret facere, sed et interficeret quos vellet, mille scelera patraret ulciscens inimicos.

2. *Finis vitæ ignoratur ad utilitatem viventium.* — Homo enim impurus et sceleratus, qui hujus vitæ spem abjecit, ne ejus quidem habet rationem qui est indutus purpura. Qui ergo habet persuasum fore ut omnino excedat, et ulciscetur inimicum et suo prius satiato animo, sic mortem accipit. Dicam etiam aliquid tertium: qui vivendi sunt cupidi, et quæ sunt hic valde appetunt, animi ægritudine et dolore perirent. Si quis enim juvenis sciret se extremum diem clausurum ante senectutem, sicut debilissima et languidissima animalia, postquam fuerint comprehensa, magis deficiunt, finem exspectantia: sic ille esset affectus. Neque viri fortes habuissent mercedem. Si enim scirent quod omnino post tres annos oporteret excedere, nec ante illos possent quid facere, quam haberent mercedem, si res graves et asperas auderent aggredi? Eis enim quispiam dixerit: Quoniam pro tribus annis bono et fidenti estis animo, propterea aditis pericula, scientes vos antea mori non posse. Qui enim exspectat fore ut ex quovis periculo moriatur, et scit fore quidem ut vivat, si non præceps et temerarium capiat consilium; ut moriatur autem, si ea temere et audenter aggrediatur, maximum protulit indicium animi sui alacritatis, et quod hanc vitam despiciat. Exemplo autem hoc vobis faciam manifestum. Si patriarcha Abraham præsciens fore ut filium non occideret, eum sursum duxisset, habuissetne aliquam mercedem? Quid vero, si Paulus, cum præscivisset fore ut non moreretur, pericula despexisset, quonam modo fuisset admirandus? Sic enim vel ignavissimus in ignem desilierit, si aliquem fide pignum haberet sponsorem quod tutus sit futurus. Sed tres pueri non sunt ejusmodi, verum quid? Audi eos dicentes: *Rex, est Deus in cælo qui nos eripiet e manibus tuis, et ex hac fornace. Quod si non, tibi notum sit quod diis tuis non servienus, et auream statuam, quam statuisti, non adorabimus* (*Dan.* 3. 17. 18). Videte quam multa sint lucra, et his plura, ex eo quod ignoretur decessus? Interim autem sufficit hæc didicisse. Propterea tamquam fur, sic venit in nocte, ne nos in vitium præcipites demus, ne in socordiam, ne merces nobis amputetur. *Ipsi enim*, inquit, *exacte et accurate scitis.* Quid ergo curiose scrutamini, si id est vobis persuasum? Quod autem futurum sit incertum, disce ex eis quæ dixit Christus: quod enim propterea hoc dixerit, audi quid dicat: *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora fur veniat* (*Matth.* 24. 42). Propterea Paulus quoque dicebat: 3. *Cum enim dixerint, Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, et non effugient.* Hic id subindicavit, quod etiam in se-

cunda Epistola. Nam quoniam isti quidem erant in afflictione, illi autem in otio et deliciis, qui cum illis bellum gerebant : subinde mala præsentia consolatur hoc sermone de resurrectione. Illi insultabant ex avorum loquentes cogitationibus, et dicentes : Quando erit? (quod quidem carpebant etiam prophetæ : *Væ dicentes, Cito appropinquent quæ faciet Dominus, ut videamus ; et veniat consilium sancti Israel, ut cognoscamus* [*Isai.* 5. 19] ; et rursus, *Væ qui desiderant diem Domini* [*Amos.* 5. 18] « non enim absolute dicit eos qui desiderant, sed eos qui desiderant eo quod non credant ; » et, *Dies Domini*, inquit, *tenebræ, et non lux* [*Ibid.*]) : ideo hoc dicit. Vide ergo quomodo eos consolatur Paulus, quasi diceret : Non ex eo, quod in voluptate vivant et deliciis, conjiciant quod non adveniat judicium : nam sic quoque advenit. Operæ pretium est autem illud quoque quærere : Si Antichristus venit, et Elias venit, quomodo quando dicunt, *Pax et securitas*, tunc eis repentinus supervenit interitus? hæc enim non sinunt diem ignorari, cum sint indicia ejus adventus. Sed non hoc tempus Antichristi subindicat, neque illum diem ; quoniam illud erit signum adventus Christi, ipse autem non habebit signum, sed statim et repente veniet et ex inopinato. At enim prægnanti, inquit, tempus non clam supervenit ; scit enim post novem menses partum futurum. Imo vero valde incerta res est : nam aliæ pariunt septimo mense, aliæ nono : alioquin etiam et dies et hora partus est incerta. Hic ergo est Pauli scopus. Et accurata est similitudo : non sunt enim multa partus indicia : nam multæ etiam in viis pariunt et extra domum, cum non præscivissent. Non solum autem hic innuit tempus incertum, sed etiam doloris acerbitatem. Sicut enim illa ludens, ridens, nihil omnino prævidens, repente inexplicabilibus arrepta doloribus, in pariendo labore discerpitur : ita etiam animæ illæ, cum dies advenerit. *Et non effugient.* Deinde ostendens se de illis non loqui, subjungit : 4. *Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies ille tamquam fur comprehendat.*

3. Hic tenebricosam et impuram dicit vitam. Tamquam enim in nocte omnia agunt impuri et scelerati homines, omnes latentes, et se in tenebris includentes. Nam dic mihi, nonne vesperam observat adulter, nonne fur noctem? et qui sepulcra effodit, annon nocte id totum operatur? Quid vero ; annon tamquam fur eos comprehendit? annon eis clanculum advenit? Sed ipsis scientibus? Quomodo ergo dicit, *Non indigetis ut scribamus vobis?* Hic loquitur non respiciens ad incertum tempus, sed ad calamitatem : hoc est, non veniet in malum ipsorum. Nam obscure et clam eis etiam veniet, sed eos in nullam conjiciet molestiam. *Ut dies*, inquit, *vos tamquam fur comprehendat.* Nam apud eos qui vigilant et sunt in luce, etiamsi ingressus fuerit latro, nihil damni afferre poterit : ita etiam in iis qui recte vivunt ; sed illis qui dormiunt omni re spoliatis et nudatis recedit, iis, inquam, qui his nimium confidunt. Deinde aliud subjungit : 5. *Omnes enim vos*, inquit, *filii lucis estis, et filii diei.* Et quomodo fieri potest ut sint filii dici? Tamquam filii perditionis, tamquam filii gehennæ. Ideo Christus dicebat Pharisæis : *Væ vobis, quoniam circuitis mare et aridam ut faciatis unum proselytum ; et cum factus fuerit, facitis eum filium gehennæ* (*Matth.* 23. 15) ; et Paulus, *Propter quæ venit ira Dei super filios inobedientiæ* (*Col.* 3. 6) ; hoc est, qui quæ sunt gehennæ faciunt, qui quæ sunt inobedientiæ. Ut ergo filii Dei sunt qui agunt quæ Deo placent, ita etiam filii diei et filii lucis, qui agunt quæ sunt lucis. *Non sumus noctis neque tenebrarum.* 6. *Igitur non dormiamus, sicut et cæteri, sed vigilemus et sobrii simus.* 7. *Qui dormiunt, nocte dormiunt ; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt :* 8. *nos autem, qui diei sumus, sobrii simus.* Hic ostendit quod in die esse, sit nostrum. Nam hic quidem, dico de hac die et nocte, non est nostrum, sed vel nobis invitis venit nox, et nobis nolentibus adest somnus : in illa autem nocte et somno non est ita, sed licet perpetuo vigilare, licet perpetuo diem agere. Nam animæ claudere oculos, et a vitio somnum inducere, non est naturæ, sed liberi abitrii. *Sed vigilemus*, inquit, *et sobrii simus.* Licet enim ei qui vigilat dormire, nihil boni agendo : propterea subjunxit, *Et sobrii simus.* Etenim in die si quis vigilet, non sit autem sobrius, in mala incidet innumerabilia. Quamobrem vigiliæ intensio est sobrietas.

Omne vitium est ebrietas animæ. — *Qui dormiunt*, inquit, *noctu dormiunt ; et qui inebriantur, noctu inebriantur.* Ebrietatem hic dicit, non eam solum quæ est a vino, sed eam etiam quæ est ab omnibus malis. Ebrietas enim animæ sunt divitiæ, et pecuniæ cupiditas, et amor corporum ; et quodcumque dixeris, est ebrietas animæ. Cur autem vitium vocavit somnum? Quoniam primum quidem qui est ejusmodi, caret omni actione virtutis : deinde visione et phantasia omnia apprehendit, nihil verum videt, sed est plenus somniis et absurdis sæpe rebus : si quid autem boni viderit, nihil habet firmum nec solidum. Talis est vita præsens : est plena somniis et visione. Divitiæ sunt somnium, et gloria, et quæcumque sunt hujusmodi. Qui dormit, ea quæ sunt et quæ vere consistunt non videt : quæ autem non sunt, tamquam quæ sint visione apprehendit. Tale est vitium, et quæ in vitio agitur vita : non videt quæ sunt, hoc est, spiritualia, cælestia, manentia ; sed quæ fluunt et avolant, et cito a nobis resiliunt. Non satis est autem vigilare, et esse sobrium, sed etiam oportet armari. Nam etiamsi quis sit vigilans et sobrius, non habeat autem arma, latrones cum cito conficiunt. Cum ergo nos oporteat et vigilare, et esse sobrios, et armari ; simus autem inermes et nudi, et dormiamus ; quis vetabit quominus in nos defigat ensem? Quare significans armis opus esse nobis, subjungit : 8. *Nos autem qui diei sumus, vigilemus, induti loricam fidei et caritatis, et galeam spem salutis. Fidei*, inquit, *et caritatis.* Hic vitam innuit et recta dogmata. Vide quomodo ostendit quid sit vigilare et esse sobrium, nempe habere loricam

fidei et caritatis. Non quamvis dicit fidem, sed ferventem, sinceram, quæ tutos servare possit ea utentes. Sicut loricam nihil facile dissecuerit, sed est occultus murus pectori : ita etiam tu fidem et caritatem adige animæ, et nullum ex ignitis telis diaboli poterit infigi. Ubi enim armis caritatis protecta et munita est vis animæ, omnia temere ac frustra struunt et parant qui insidiantur : neque enim malitia, nec inimicitiæ, nec invidia, non assentatio, non hypocrisis, aut quid ejusmodi animam poterit attingere. Non solum dixit caritatem, sed tamquam loricam validam indui oportere dixit. Deinde subjungit, *Et galeam spem salutis.* Sicut enim galea conservat id quod est præcipuum in nobis, nempe caput, amplectens et undique tegens : ita etiam spes non sinit rationem concidere, sed rectam constituit tamquam caput, nihil externum in ipsum sinens cadere. Quamdiu autem nihil in eam cadit, nec ipsa labitur : is enim qui est his armis munitus, fieri non potest ut cadat. *Manent enim fides, spes, caritas, tria hæc* (1. *Cor.* 13. 13). Deinde cum dixisset, Induite, et circumponite, ipse apparat arma, et ostendit unde prodeant fides, spes, et caritas, et fiant arma fortiora : 9. *Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum,* 10. *qui mortuus est pro nobis.*

4. Quamobrem non ad hoc vocavit ut perderet, sed ut servaret. Quod autem hoc velit, undenam constat? Filium suum dedit pro nobis : adeo desiderat ut nos salvi simus, ut Filium suum dederit, et non solum dederit, sed dederit ad mortem. Ex his cogitationibus et considerationibus spes nascitur. Ne de te enim desperes, o homo, ad Deum veniens, qui propter te ne Filio quidem suo pepercit : ne propter mala præsentia animum despondeas. Qui Unigenitum dedit ut te servaret, et eriperet a gehenna, cui nam de cætero parcet pro tua salute? Quamobrem oportet omnia bona sperare. Si enim iremus ad judicem nos judicaturum, et qui pro nobis tantam ostendisset dilectionem ut filium suum mactaret, non extimesceremus. Bona ergo speremus et magna : caput enim et summam accepimus, si credimus. Vidimus enim exemplum; diligamus : extremæ enim esset amentiæ, eum non diligere qui ita est affectus. *Ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus.* 11. *Propter quod consolemini invicem et ædificate alterutrum, sicut et facitis.* Et rursus alibi, *Sive vigilemus, sive dormiamus* (*v.* 6) [*a*]. Sed alterum illic dicit somnum, et hic alterum : hic enim mortem dicit corporalem, illic vero incuriam circa vitam. Hoc est, Pericula ne formidetis; etiamsi mortui fuerimus, vivemus : ne desperes, quoniam es in periculo; habes pignus certum et validum : si non nostri amore valde arderet, Filium suum non dedisset. Quamobrem etiamsi mortuus fueris, vives : nam ipse quoque est mortuus. Sive ergo mortui fuerimus, sive vivamus, cum ipso vivemus. Hoc est indifferens; nihil mea refert vivamne an moriar; cum illo enim vivemus. Omnia ergo agamus pro illa vita, omnia operemur ad illam aspicientes. Tenebræ est vitium, o dilecte, mors est, nox est, nihil videmus eorum quæ oportet, nihil agimus eorum quæ convenit. Sicut mortui sunt deformes et fœtidi, ita animæ eorum qui sunt in vitio, sunt plenæ multa immunditia : clausi sunt eorum oculi, os est compressum, immobiles manent in lecto vitii; imo vero sunt miserabiliores iis quibus hæc accidunt. Nam isti quidem ad utraque sunt mortui; illi autem ad virtutem quidem nullo sunt sensu præditi, viventes autem ad vitium. Mortuum si quis percusserit, non sentit nec ulciscitur, sed sicut lignum aridum, ita etiam anima revera est arida, ut quæ vitam amiserit : innumerabilia quotidie accipit vulnera, et nihil sentit, sed nullo dolore afficitur ad omnia. Non aberraverit si quis eos comparet furiosis, ebriis et delirantibus. Hæc autem omnia habet vitium, et omnibus adhuc graviora. Furioso multum ignoscitur a videntibus; non laborat enim morbo liberi arbitrii, sed solius naturæ : et autem qui degit in vitio quomodo ignoscetur? Unde ergo vitium? unde fit quod plures sunt mali? Undenam, interrogas tu? dic mihi undenam est vitium morborum? unde morbi? unde est phrenesis? undenam est gravis somnus? annon ex segnitie et ignavia? Si morbi naturales habent initium ab eligente voluntate, multo magis qui sunt liberi arbitrii. Unde ebrietas? annon ex animi intemperantia? phrenesis, annon ex nimia febris vi? febris autem, annon ex elementis quæ abundant in nobis? eorum autem quæ sunt in nobis nimia elementorum abundantia, annon ex segnitie et ex eo quod non attendatur? Quando enim vel defectu vel exsuperatione eduxerimus humorum nostrorum immoderationem, ignem illum accendimus. Rursus, si accensam flammam pergamus despicere, rogum in nobis efficimus, quem ne possumus quidem exstinguere. Ita etiam fit in vitio, quando ipsum incipiens non prohibemus nec exscindimus, neque ad finem ejus deinceps possumus pervenire, sed id nostras vires superat. Quamobrem rogo omnia ita agamus ut numquam dormitemus. Non videtis quod cum custodes sæpe somno se parum dederint, eis magna custodia nihil profuit? nam per illud paucum universum perdiderunt, magna data licentia ac securitate ei qui voluerit suffurari. Nam sicut nos non ita videmus fures sicut illi nos, ita etiam diabolus omnium maxime instat et insidiatur et stridet dentibus. Ne igitur dormitemus : ne dicamus, Nihil mali ex hoc accidit, nihil ex illo. Unde non exspectavimus, sæpe fuimus spoliati. Ita etiam in vitio, unde non exspectavimus, periimus. Omnia diligenter, et accurate circumspiciamus : ne inebriemur, et non dormiemus; ne nos expleamus deliciis, et non dormiemus; ne ad ea quæ sunt externa insaniamus, et perseverabimus in sobrietate : nos omni ex parte componamus; et sicut eos qui super funem intensum gradiuntur, ne

(*a*) Melius legeretur, *non dormianus, sea vigilemus et sobrii simus*, ut habetur in textu quem citavimus et certe in mente habuit Chrysostomus. Menda subrepserit.

parum quidem licet esse socordes; nam quod parum est, magnum affert damnum; eversus enim, statim præcipitatur et perit : ita nec licet nos esse socordes et desides. Angustam ingredimur viam, præcipitiis undique circumdatam, quæ simul duos non capit pedes. Vides quanta sit nobis opus diligentia? Annon vides eos qui inter duo præcipitia pergunt, non solum pedes munire, sed etiam oculos? Nam si alibi videtur attendere, etiamsi pes firmo hæreat vestigio, a profundo caligans oculus universum dejicit. Sed sibi oportet et suo gressui attendere : propterea dicit : Neque ad dexteram, neque ad sinistram. Magnum est vitii profundum, magna præcipitia, magnæ inferius tenebræ, angusta via : attendamus cum timore, cum tremore ambulemus. Nullus via ejusmodi ingrediens est in risum effusus, neque gravatur ebrietate, sed in sobrietate et jejunio ea via ingreditur : nullus hac via incedens aliquid affert superfluum; præclare enim cum eo agitur si succinctus et expeditus possit evadere : nullus suos impedit pedes, sed liberos dimittit et solutos.

5. Nos autem cum nos ipsos curis alligemus innumerabilibus, et onera innumerabilia quæ ad hanc vitam pertinent gestemus, hiantes et effusi, quomodo exspectamus angustam hanc viam ingredi? Non simpliciter dixit, Est angusta, sed cum admiratione, *Quam angusta* illa *via* (*Matth.* 7. 14)! hoc est, valde angusta. Hoc nos quoque facimus in iis quæ habentur in magna admiratione. Et rursus, *Arcta*, inquit, *via quæ ducit ad vitam* (*Ibid.*). Et recte dixit, *Arcta*. Quando enim et verborum et cogitationum et actionum et omnium debemus rationem reddere, revera est angusta. Angustiorem autem eam facimus, dum nos ipsos extendimus et dilatamus, et pedes effundimus. Nam quæ est angusta quidem, est cuilibet difficilis, maxime autem ei qui est obesus : nam qui seipsum quidem macerat, ne sentit quidem angustias. Quamobrem qui meditatus fuerit comprimi et affligi, ne ægre quidem feret si comprimatur.

Deliciæ nihil prosunt. — Ne ergo exspectet quispiam fore ut in otio et quiete cælos videat; fieri enim non potest : nemo speret cum deliciis viam angustam ingredi; non potest enim hoc esse : nemo in lata via incedens, vitam speret. Cum ergo videris balneas, mensam sumptuosam habentem quempiam et magno stipatum satellitio, esse in deliciis, ne te miserum pronunties quod ea tibi non suppetant, sed illum defle, quod perdita via incedat. Quid enim prodest hæc via, cum desinat in afflictionem? quid autem lædunt illæ angustiæ, cum veniant ad quietem et animi relaxationem? Dic quæso, si quispiam vocatus ad regiam per angustos ingrediatur angiportus et præcipitia, alius autem abductus ad mortem trahatur per medium forum, quem beatum dicemus? quem deflebimus? annon cum qui per viam angustam ingreditur? Ita nunc quoque non eos beatos pronuntiemus qui vivunt in deliciis, sed eos qui non deliciantur : hi properant ad cælum, illi ad gehennam. Et fortasse multi ex ipsis etiam ridebunt quæ a nobis dicuntur : ego autem ideo maxime fleo et lugeo, quod nesciant propter quænam ridere oporteat, et pro quibus maxime oporteat flere et lamentari, sed omnia confundunt et turbant. Propterea ego ipsos defleo. Quid dicis, o homo? es resurrecturus, et eorum quæ gesseris rationem redditurus, et ultimum daturus supplicium; horumque nullam habes rationem, meditaris autem ventri indulgere et inebriari, et ad hæc rides? Sed ego te defleo, ut qui sciam quæ mala te maneant, et supplicium quod te est exceptorum; et ideo magis fleo quod tu rides. Luge mecum, tu mala mecum deplora. Dic mihi, si quis ex tuis necessariis tibi perierit, annon eos qui propter ejus decessum rident aversaris et inimicos reputas; eos autem qui flent et tecum lugent, diligis? Itane si jaceat uxor mortua, risum avertis; tibi autem morte affecta anima, lacrymantem aversaris, ipse autem rides? Vides quomodo nos affecerit diabolus, ut nobis ipsis simus inimici et hostes? Tandem resipiscamus, circumspiciamus, vigilemus, vitam æternam apprehendamus, profundum somnum excutiamus : est judicium, est supplicium, est resurrectio, et examinatio eorum quæ gesta sunt : Dominus venit in nubibus, *Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu procella vehemens* (*Psal.* 49. 3), inquit; fluvius ignis ante ipsum trahitur, vermis qui non exstinguitur, tenebræ exteriores, stridor dentium. Etiamsi millies hæc ægre feratis, ego non cessabo dicere. Nam si lapidibus appetiti prophetæ non silebant, multo magis nobis ferendæ sunt inimicitiæ; et non est vobiscum loquendum ad gratiam, ne si vos deceperimus, ipsi discindamur. Illic est supplicium immortale, cujus nullum afferri poterit solatium; nullus est ibi qui defendat. *Quis miserebitur*, inquit, *incantatoris morsi a serpente* (*Eccli.* 12. 13)? Cum nos nostri ipsorum non miscreamur, quis, dic quæso, miserebitur? Si videris quempiam se ense transadigentem, eine poteris umquam parcere? Nequaquam : multo magis cum adsit recte gerere, et non recte geramus, quis nobis parcet? Nemo. Nostri miscreamur : cum Deum precemur, dicentes, Miserere mei Domine, nobisipsis dicamus, Et nostri ipsorum misereamur. Est in nostra potestate, ut Deus nostri misereatur : ipse hoc nobis donavit. Si agamus quæ sunt digna misericordia, quæ digna sunt ejus benignitate et clementia, Deus nostri miserebitur : si autem nostri non misereamur, quis nobis parcet? Miserere proximi, et Deus ipse tui miserebitur. Quam multi quotidie accedunt dicentes : Miserere mei, et ne converteris quidem? quot nudi, quot manci et mutilati, et non inflectimur, sed amandamus eorum supplicationes? Quomodo ergo vis misericordiam consequi, cum ipse nihil facias dignum misericordia? Simus clementes et benigni, simus misericordes, ut sic Deo placeamus, et assequamur bona promissa iis qui ipsum diligunt, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, potestas, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

Cap. 5. v. 12. *Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos,* 13. *et habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum; pacem habete cum eis.*

1. Necesse est ut qui præest multas habeat simultatum occasiones : et sicut medici necesse habent in multis molesti esse ægrotis, et cibos et medicamenta parantes quæ voluptatem quidem non habent, sed multam utilitatem; et sicut patres crebro filiis sunt molesti : ita etiam doctores, et multo magis. Nam medicus quidem etiamsi ab ægrotis habeatur odio, a cognatis tamen et propinquis ejus placide excipitur ; et sæpe ab eo qui ægrotat : et pater quoque tam natura quam externis fretus legibus magna facilitate utitur suo in filios imperio; et si invitum castigaverit et increpaverit, nemo est prohibiturus, sed nec ille ipse eum audebit ex adverso aspicere : in sacerdote autem magna est difficultas. Atque primum quidem debet imperare ac præesse volentibus, qui ei gratiam habeant quod imperet : fieri autem non potest ut hoc cito accidat. Nam qui arguitur et reprehenditur, cujusmodicumque sit, omnino mittens habere gratiam, est infensus : similiter etiam faciet is cui suadetur, qui monetur et rogatur. Si itaque dixero, Pecunias tuas effunde in egentes, dixi quid grave et molestum : si dixero, Seda iram, animi exstingue furorem, nefariam compesce libidinem, ex deliciis aliquam partem amputa, sunt omnia gravia et molesta. Et si castigavero socordem et ignavum, aut abduxero ab ecclesia, aut ei communibus precibus interdixero, dolet, non quod ab iis exciderit, sed propter commune probrum ac dedecus. Nam hoc quoque est morbi incrementum, quod prohibiti a spiritualibus, non dolemus propter bonorum tantorum privationem, sed propter eorum qui vident pudorem : rem ipsam non horremus, nec extimescimus. Propterea de his Paulus multa susque deque disserit. Et Christus quidem eos cum tanta subdidit necessitate ut diceret : *Super cathedram Mosis sederunt scribæ et Pharisæi. Quæcumque ergo vobis dixerint ut servetis, servate : secundum opera autem eorum nolite facere* (*Matth.* 23. 2). Et rursus, quando curavit leprosum, dicebat : *Vade, ostende te sacerdoti, et offer munus tuum quod præcepit Moyses eis in testimonium* (*Ibid.* 8. 4). Atqui tu dicis : Facitis eum filium gehennæ duplo magis quam vos. Propterea dixi, inquit : *Quæ faciunt nolite facere.* Omnem ergo exclusit prætextum et occasionem ei qui est subjectus imperio. Hic etiam ad Timotheum scribens dicebat : *Qui recte præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur* (1. *Tim.* 5. 17). Ad Hebræos quoque scribens dicebat : *Obedite præpositis vestris, et eis cedite* (*Hebr.* 13. 17) ; et hic rursus, *Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino.* Nam quoniam dixit, *Ædificate alterutrum ;* ne existimarent quod ad doctoris dignitatem eos provexerit, hoc subjunxit : ac si diceret : Sed videte quod vobis permiserim alter alterum ædificare : fieri enim non potest ut doctor dicat omnia. *Eos qui laborant,* inquit, *inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos.* Quomodo ergo, inquit, non est absurdum? Quid dicis? tu quidem, si homo patrocinium suscipiat et te defendat apud hominem, omnia agis, et omnem ei habes gratiam : hic autem apud Deum tui patrocinium suscipit et te defendit, et ei non habes gratiam? Et quomodo, inquit, me defendit? Quoniam pro te precatur, et dono quod per baptismum datur tibi inservit, visitat, hortatur et monet, et media nocte si vocaveris venit ; is vero nihil aliud quam perpetuo tibi adstat ad os, et quæ tu in eum congeris fert maledicta. Quænam eum pressit necessitas? rectene fecit an male? Tu quidem et habes uxorem, et te exples deliciis, et vitam sectaris deditam mercaturæ : sacerdos autem in hoc suum contulit negotium ; nulla est ei alia vita quam ut versetur in Ecclesia. *Ut habeatis,* inquit, *illos abundantius in caritate propter opus illorum : et pacem habete cum ipsis.* Vides quomodo noverit ea quæ oriuntur dissidia? Non solum, diligite, inquit, sed abundantius, sicut filii patres. Per eos enim generati estis æterna generatione; per ipsos estis regnum assequuti, per manus ipsorum fiunt omnia, per ipsos vobis portæ cælestes aperiuntur. Nemo seditionem agitet, nemo contendat. Qui Christum diligit, cujusmodicumque sit sacerdos, eum diliget, quod per eum sit veneranda assequutus sacramenta. Dic mihi, si velles videre regiam multo auro splendentem, et gemmarum fulgore coruscantem, inveneris autem eum qui habet claves; ille vero rogatus statim aperuerit, et intromiserit : annon ipsum omnibus præponeres, non æque atque oculos amares, non osculareris? Hic cælum tibi aperuit, et non oscularis, non amplecteris? Si uxorem habeas, non eum maxime diligis qui eam tibi conciliavit? Ita si Christum diligis, si diligis regnum cælorum, agnosce per quos id habueris. Propterea, inquit, *Propter opus illorum : pacem habete cum eis.* 14. *Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.*

2. Hic alloquitur eos qui præsunt : Corripite, inquit, inquietos; id est, Ne ex potestate, inquit, increpate, nec ex arrogantia; cum æquitate, cum mansuetudine. *Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.* Nam qui acriter reprehensus de se desperat, fit audacior despiciens : propterea oportet admonitione dulce reddere medicamentum. Quinam autem sunt inordinati? Ii plane qui agunt præter quod Deo videtur. Est enim militari ordine ipse Ecclesiæ ordo concinnior et convenientior. Quamobrem et maledicus est inordinatus, et ebriosus inordinatus, et avarus, et omnes qui pec-

cant : non enim ordinate incedunt in acie, sed prave; ideo evertuntur. Cæterum est aliud quoque genus malorum, non tale quidem, sed ipsum quoque vitium, nempe dissensio : nam ipsa quoque similiter perdit atque socordia et segnities. Qui non fert contumeliam, est pusilli animi : qui non fert tentationem, est pusilli animi : hic est qui supra petram est seminatus. Est et aliud genus, nempe infirmitatis. *Suscipite*, inquit, *infirmos*. Infirmos dicit circa fidem : circa illam enim infirmitas esse potest. Sed vide quomodo non sinat eos haberi despicatui. Alibi quoque scribens dicebat : *Infirmos in fide suscipite* (*Rom.* 14. 1). Etenim in nostris corporibus infirmam partem non sinimus perire. *Patientes*, inquit, *estote ad omnes*. Quid ergo? etiam erga inordinatos? Et valde quidem : nullum enim medicamentum doctori magis quam hoc convenit : nullum est magis aptum ei qui paret : plane potest pudorem incutere ei etiam, qui est omnium ferissimus et impudentissimus.

Vera ultio quæ. — 15. *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat*. Si malum pro malo non est reddendum, multo minus malum pro bono; multo magis, si nullum prius fuerit malum, non est malum reddendum. Sed iste, inquit, est improbus, et me multis affecit injuriis. Vis illum ulcisci? ne ei par pari referas : sine abeat impune. Satisne est huc usque? Nequaquam. *Sed semper quod bonum est sectamini, et invicem, et in omnes*. Hæc major est philosophia, non solum mala malis non rependere, sed bona : hæc enim revera est ultio, et illi damnum afferens, et tibi utilitatem; imo illi quoque magnam, si velit, utilitatem. Et ne existimes hoc dictum esse de fidelibus solum, propterea dicit, *Et invicem, et in omnes*. 16. *Semper gaudete*. Hoc de tentationibus quæ pariunt afflictionem. Audite quicumque incidistis in paupertatem, et qui in res adversas; ex his enim nascitur gaudium. Quando enim hoc sumus animo, ut nullum ulciscamur, sed omnes afficiamus beneficio, quomodo, quæso, poterit subire stimulus doloris? Qui enim dum male afficitur sic lætatur, ut beneficiis se lædentem ulciscatur, quomodo de cætero poterit mœrore affici? Et quomodo potest, inquit, hoc fieri? Si velimus, fieri potest. Deinde etiam viam ostendit : 17. *Sine intermissione orate;* 18. *In omnibus gratias agite : hæc est enim voluntas Dei*. Semper gratias agere, hoc est animi philosophici. Passus es aliquid mali? Sed si velis, non est malum : age Deo gratias, et mutatur malum in bonum : dic tu quoque sicut Job : *Sit nomen Domini benedictum in sæcula* (*Job* 1. 21). Quid enim, dic mihi, tale passus es? invasit morbus? sed non est novum nec alienum; est enim nobis corpus mortale et passibile. At tibi accedit egestas pecuniæ? sed ea et acquiri et amitti potest, et hic manet. At tibi insidias pararunt inimici, et te sunt calumniati? sed nos in his injuriam non accepimus, sed illi qui fecerunt : *Anima* enim, inquit, *quæ peccat, ipsa morietur* (*Ezech.* 18. 20). Peccavit autem non qui male est passus, sed qui male fecit. Eum ergo qui est mortuus non oportet ulcisci, sed pro eo orare, ut ipse a morte liberetur. Non videtis quod apis in stimulo moriatur? Per hoc animal nos erudit Deus, ne propinquos molestia afficiamus. ipsi enim prius mortem accipimus. Illos quidem fortasse parum molestia affecimus; ipsi autem non amplius vivemus, sicut nec illud animal. Atqui Scriptura id laudat dicens, *Quam operatrix est apis :* cujus opus reges et privati ad sanitatem adhibent : sed nihil eam protegit ut non moriatur, sed omnino pereat oportet. Si eam autem male facientem non liberant reliqua, quibus præcellit, multo magis nos.

3. Ferarum enim sævissimarum est illud, quod, cum nullus te injuria afficiat, tu prior injurium facias; imo ne ferarum quidem illud est. Nam si illas siveris pasci in solitudine, et non in angustum adductas adegeris ad necessitatem, numquam te lædent, neque accedent, neque mordebunt, sed viam suam abibunt : tu autem, cum sis homo ratione præditus, tantoque imperio, honore et gloria ornatus, ne feras quidem imitaris in eos qui sunt ejusdem generis, et fratrem injuria afficis et exedis? Et quomodo te poteris defendere? non audis Paulum dicentem : *Cur non potius injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis et fraudatis : et hoc fratribus* (1. *Cor.* 6. 7. 8). Vides quod in male faciendo sit male pati, et in male patiendo beneficio affici? Nam, dic quæso, si quis maledicto appeteret magistratus, si quis contumelia afficeret eos qui dominatum obtinent, cuinam facit injuriam? sibine, an illis? Est perspicuum quod sibi faciat. Itane qui magistratum quidem afficit contumelia, non illum, sed seipsum contumelia afficit; qui autem hominem contumelia afficit, in ipso Christum non afficit contumelia? Nequaquam, inquit. Quid dicis? qui imagines Imperatoris appetit lapidibus, quosnam appetit lapidibus? annon seipsum? Si is qui regis terrestris imaginem lapidibus appetit, seipsum appetit lapidibus : qui Christi autem imaginem contumelia afficit (est enim homo Dei imago), non seipsum afficit injuria? Quamdiu pecunias amabimus? non enim cessabo adversus eas clamare : hæ enim sunt malorum omnium causæ. Quousque nulla nos capit satietas inexplebilis hujus cupiditatis? quidnam pulchri bonive habet aurum? Totus plane stupeo : hoc plane quædam sunt præstigiæ, aurum et argentum a nobis in tanto honore haberi. Atque animarum quidem nostrarum nos nullam habemus rationem, inanimas autem imagines valde colimus. Undenam orbem terræ invasit hic morbus? quis eum poterit exterminare? quænam ratio immanem hanc belluam exscindere et penitus delere poterit? Insita est in animis hominum cupiditas, etiam eorum qui videntur esse pii ac religiosi. Evangelicorum nos pudeat præceptorum : verba sita sunt solum in Scriptura, factis autem nusquam apparent. Sed quid speciose dicitur a multis? Habeo, inquit, filios, et metuo ne ipse veniant in necessitatem famis et egestatis, ne aliis egeam : pudet me mendicare. Propterea ergo facis ut alii mendicent? Non possum, inquit, esurire. Propterea alios in famem

conjicis? Scis quam grave sit mendicare, quam grave fame perire? parce fratribus tuis. Te pudet esurire, dic mihi, nec te pudet rapere? times ne fame pereas, alios autem non vereris perimere? Atqui esurire quidem nec probrum habet nec crimen; in ea autem alios conjicere, non solum affert probrum, sed etiam ultimum supplicium. Hæc omnia sunt prætextus, verba et nugæ. Nam quod filiorum causa hæc non faciatis, testantur qui filios quidem non habent, nec habebunt, non secus tamen vexantur et misere agunt, et tantas complectuntur divitias, quantas si eas relicturi essent mille filiis. Non est sollicitudo de filiis, quæ reddit pecuniæ avidum, sed morbus animi. Propterea et multi qui non habent filios, laborant insano amore pecuniæ: alii autem numerosam habentes sobolem, etiam quas habent facultates despiciunt: illi in illo die te accusabunt. Nam si susceptorum filiorum necessitas vim afferret ad colligendas pecunias, oporteret illos idem habere desiderium, eamdem cupiditatem: si autem non habemus, furimus, non propter filiorum multitudinem, sed propter avaritiam et pecuniæ cupiditatem. Et quinam sunt, inquit, qui cum filiis pecunias despiciunt? Multi, et crebro. Si vis autem, dicam etiam de veteribus. Annon Jacob habuit duodecim filios? annon vitam egit mercenarii? annon injuria afficiebatur a socero? num magnus liberorum numerus coegit eum ut quod non debuit caperet consilium? Quid vero Abraham? annon cum Isaac alios quoque multos habuit filios? quid ergo? annon ea quæ habebat peregrinis possidebat? Vides quod non solum injuriam non faciebat, sed suis etiam bonis cedebat, non solum bene faciens, sed etiam sua sponte injuria affectus a filio fratris? Nam propter Deum ferre, dum tua tibi rapiuntur, multo est majus quam bene facere. Quare? Nam hoc quidem est fructus animi et liberi arbitrii; unde etiam fit facile: illud vero est insultus et violentia, et facilius quispiam sua sponte decies mille prodegerit talenta, et existimabit se nihil grave esse passum, quam si ei invito rapti fuerint tres oboli, placide feret. Quamobrem hoc est magis animæ philosophia. Hoc autem videmus Abrahamo usuvenisse: *Vidit* enim, inquit, *Lot circumcirca sitam regionem, et irrigabatur sicut paradisus Dei, et eam elegit* (*Gen.* 13. 10. 11). Ille autem non contradixit. Vides quod non solum non faciebat injuriam, sed etiam injuria afficiebatur? Quid tuos filios accusas, o homo? Non propterea nobis Deus dedit filios, ut aliena raperemus. Vide ne hoc dicens Deum irrites. Nam si dicis eos esse tibi auctores et causas rapinæ et avaritiæ, timeo ne eis priveris, ut qui lædant et insidientur. Deus dedit tibi filios ut tui curam gerant in senectute, ut virtutem a te discant.

4. Nam propterea genus hominum ita Deus voluit consistere, duo maxima apparans: unum quidem, patres magistros et doctores constituens; alterum autem, magnam ingenerans dilectionem. Si enim temere gignerentur homines, nullus adversus alium affectum haberet. Nam si nunc cum sint patres et filii et nepotes, multi multos non curant, multo magis tunc. Propterea filios tibi dedit Deus: ne accuses ergo filios. Si autem ii quibus sunt filii, nullam habent defensionem et excusationem, ii qui nullos habent, et cruciantur in colligendis divitiis, quidnam habent quod dicant? Sed ii quoque dicunt aliquid quod caret omni defensione. Quidnam autem hoc est? Ut pro filiis, inquit, monimentum habeamus divitias. Plane res est valde ridicula. Pro filiis, inquit, domus erit immortalis memoria gloriæ meæ. Non tuæ gloriæ, o homo, sed tuæ avaritiæ erit memoria. Non vides quomodo nunc multi præclaras domos obeuntes hæc dicunt inter se: Quam multa iste nefarie circumveniendo acquisivit, quam multa rapuit ut hanc domum ædificaret? et nunc ille quidem factus est pulvis et cinis; ipsa vero hereditaria sorte alii obtigit. Non tuæ ergo gloriæ, sed avaritiæ relinquis memoriam. Et corpus quidem tuum humi est conditum; avaritiæ autem memoriam, quæ diuturnitate temporis latere poterat, non sinis, sed ut eruatur et effodiatur per domum efficis. Quamdiu enim ea steterit a te habens denominationem, et tua esse dicatur, plane necesse est ut omnium ora adversus te sint aperta. Vides quod melius sit nihil habere, quam talem sustinere accusationem? Et hæc quidem hic: illic autem, dic quæso, quid faciemus, tam multorum dominium hic assequuti, ex iis autem quæ habemus, vel nihil vel pauca admodum impertiti? quomodo quæ injuste et per avaritiam a nobis sunt acquisita exuemus? Nam qui vult avare parta exuere, non pauca dat ex multis, sed multis partibus plura iis quæ rapuit, et desistit rapere.

Contra eos qui aliena rapiunt. — Audi quid dicat Zacchæus, *Et eorum quæ rapui reddo quadruplum* (*Luc.* 19. 8). Tu autem decies mille rapiens talenta, si paucas vix dederis drachmas, te totum reddidisse existimas, et ita es affectus tamquam plura dederis. Atqui oportet et illa ipsa reddere, et ex iis quæ domi tuæ sunt alia addere. Sicut enim fur non illa sola reddens se defendit, sed sæpe etiam addit animam, sæpeque transigit longe pluribus datis: ita etiam avarus. Avarus enim est fur et latro, illo multo sævior et immanior, quo etiam magis accedit ad naturam tyranni. Nam ille quidem, quod et clanculum et noctu aggrediatur, ex audacia sceleris multum amputat, ut qui et erubescat et timeat peccare: iste autem omnem exuens pudorem, nudo capite in medio foro bona omnium rapit, ut qui simul sit fur et tyrannus: non muros fodit, non lucernam exstinguit, nec aculam aperit, nec signacula evertit; sed quid? Ea facit quæ sunt his juveniliora: videntibus iis quibus fit injuria, per portam ejicit, proterve omnia aperit, cogit hos ipsos sua exponere: adeo vehemens et exsuperans est ejus violentia. Iste est illis longe impurior ac sceleratior, quo est impudentior et magis tyrannicus. Nam qui dolo quidem aliquid est passus, dolet quidem, sed non parvum habet solatium, quod ille ipse qui injuria afficit extimescat; iste autem qui male passus, etiam despectui habetur, vim ne ferre

quidem poterit : magis enim irridebitur. Dic mihi, si quis clanculum cum muliere admitteret adulterium, alius autem vidente marito hoc fecisset : quis majori dolore affecisset, et ad mordendum fuisset aptior ? nonne hic ? Nam hic quidem cum eo quod male fecit etiam illum habuit despectui : ille autem, si nihil aliud, ostendit se timuisse eum qui fuerat affectus injuria. Ita etiam in pecuniis, qui clam quidem accepit, eo ipso honoravit, quod clam acciperet : qui autem aperte et publice, cum damno probrum etiam intulit et dedecus. Cessemus ergo aliorum bona rapere et pauperes et divites : non solum enim hæc loquor divitibus, sed etiam pauperibus. Nam ipsi quoque eorum bona rapiunt qui sunt se pauperiores, et ditiores et potentiores opifices eos venumdant, qui sunt egentiores et pauperiores, caupones caupones, et omnes qui sunt in foro. Itaque omnium volo injustitiam eliminare. Non enim in mensura eorum quæ rapiuntur et furto auferuntur, sed in furantis voluntate et arbitrio consistit injuriam facientis maleficium. Quod autem isti sint magis fures, et plura habendi cupiditatis magis laborent vitio ii, qui nec parva despiciunt, scio et memini me apud vos dicere, si vos meministis. Sed de his nihil accurate dicamus : sint ii quoque perinde atque divites. Eruditamus animum ut deinceps non majora concupiscat, quod est nimis non appetat. In cælestibus numquam habeat terminum illud amplius desiderium, sed plus semper unusquisque appetat : in terra vero ad usum et sufficientiam consistat unusquisque, et nihil quærat amplius, ut sic possimus quæ vere bona sunt assequi, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XI.

Cap. 5. v. 19. *Spiritum nolite exstinguere :* 20. *prophetias nolite spernere.* 21. *Omnia autem probate ; quod bonum est tenete.* 22. *Ab omni specie mala abstinete vos.*

1. Crassa quædam caligo tenebræque et nubes offusa est universæ terræ, idque significans dicebat Paulus : *Fuimus enim aliquando tenebræ* (*Ephes.* 5. 8) ; et rursus, *Vos, fratres, non estis in tenebris, ut dies vos tamquam fur comprehendat* (1. *Thess.* 5. 4). Quoniam ergo nox est, ut ita dicam, luna carens, et in hac nocte ambulamus ; dedit nobis Deus præclarum lampadem, ut qui Spiritus sancti gratiam in nostris animis accenderit. Sed hanc lucem alii quidem acceptam splendidiorem fecerunt lætamque et hilarem, ut Petrus, ut Paulus, ut omnes illi sancti : alii autem etiam exstinxerunt, ut quinque virgines, ut illi qui circa fidem fecerunt naufragium, ut qui Corinthi est scortatus, ut Galatæ aversi. Propterea nunc dicit Paulus : *Spiritum nolite exstinguere ;* hoc est, gratiam : ita enim mos est ei vocare gratiam Spiritus. Eam autem exstinguit vita immunda. Ut enim si quispiam in hanc lucernæ lucem et aquam et terram infuderit, lucernam exstinguit, et si vel nihil horum fecerit, sed oleum tantum exemerit : ita etiam in charismate, seu dono gratiæ, si terrena et diffluentium rerum curas insperseris, spiritum exstinguis ; et si nihil tale feceris, alicunde autem adveniens irruerit tentatio vehemens tamquam spiritus aliquis, et flamma non sit vehemens, aut multum habens olei, aut foramen non obstruxeris, aut ostium non clauseris, pereunt omnia.

Altercationis vitandæ modus. — Quid est autem foramen ? Sicut in lucerna, ita etiam in nobis, oculus et auris. Ne sinas ut in eos irruat vehemens spiritus nequitiæ, quoniam lucernam exstinguit, sed obtura timore Dei. Os est ostium : claude et obsera, ut et lucem præbeat, et externam repellat irruptionem. Exempli causa, te contumelia affecit quispiam, maledicto appetivit ? os claude : nam si aperueris, ventum excitas. Non vides in ædibus, quando ex adverso et directe steterint duæ januæ, sitque ventus vehemens, si alteram clauseris, et adversus non fuerit flatus, nihil potest ventus, sed magna pars ejus virium præciditur ? Ita nunc quoque, duæ sunt januæ, os tuum, et ejus qui te contumeliis afficit et conviciis : si tuam clauseris, et flatum adversum non dederis, exstinguis totum spiritum ; sin autem aperueris, non potest cohiberi. Ne igitur gratiam exstinguamus. Sæpe autem contingit, ut esti nihil irrumpat, exstinguatur flamma : cum defecerit oleum, cum eleemosynam non facimus, exstinguitur spiritus. Etenim ad te venit a Dei eleemosyna et misericordia : deinde videt apud te non esse hunc fructum, et avolat ; non manet enim in anima immisericordi. Exstincto autem spiritu, reliqua scitis quotquot ambulastis in nocte illuni. Si autem viam quæ fert a terra in terram noctu ire est difficile, quomodo est totum ingredi via quæ a terra ducit in cælum ? Ne scitis quam multi sint dæmones in hoc spatio, quam multæ feræ, quam multa spiritualia nequitiæ ? Atque si illam quidem habeamus lucem, nihil nos poterunt lædere ; sin autem illam exstinxerimus, nos cito consumunt, cito omnia nostra auferunt quandoquidem et latrones exstincta lucerna demum latrocinantur. Nam illi quidem vident in his tenebris, quoniam agunt quæ sunt tenebrarum ; nos autem non sumus assueti illi luci. Ne ergo hanc exstinguamus. Omnis mala actio exstinguit hanc lucem, et maledictum, et contumelia et quidquid dixeris. Sicut enim in igne, quidquid est ab eo alienum, illum perimit ; id autem eum accendit quod est illi cognatum : sic et in luce, si quid est siccum, si quid calidum, si quid ignitum, id accendit flammam spiritus. Nihil ergo frigidum inferamus, nec humidum : hæc enim illud perimunt. Est etiam alia expositio. Multi apud ipsos, alii quidem vere prædicebant, alii vero falsum dicebant. Hoc etiam dicit in Epistola ad Corinthios, Deum propterea dedisse discretionem spirituum (1. *Cor.* 12. 10). Nam cum sceleratus sit diabolus, voluit per hoc donum prophetiæ evertere universitatem Ecclesiæ.

Nam quia ambo futura prædicebant, et dæmon et spiritus, sed ille quidem falsum dicens, hic autem verum; nusquam poterat alterutrius accipi signum et indicium, sed sine discrimine eventus utrique dicebant, ut Jeremias et Ezechiel : cum venisset tempus, probati fuerunt et deprehensi; dedit enim discretiones spirituum. Quoniam ergo tunc quoque apud Thessalonicenses multi prophetabant, quos etiam alibi innuit dicens, *Ne terreamini, neque per sermonem, neque per epistolam, tamquam per nos, quasi instet dies Domini* (2. *Thess.* 2. 2); cum hic dixisset, *Spiritum nolite exstinguere*, opportune adjecit sequentia, *Prophetias nolite spernere.* Hoc est, Ne quoniam sunt apud vos aliqui pseudoprophetæ, hos quoque prohibeatis et aversemini : nolite eos exstinguere; hoc est, *Prophetias nolite spernere.*

2. Vides quod hoc sit quod dicit : *Omnia probate?* Quoniam autem dixit, *Prophetias nolite spernere*, ne existimarent eum omnibus aperuisse suggestum, *Omnia*, inquit, *probate;* hoc est, eas quæ vere sunt prophetiæ; *quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete :* non ab hac aut illa, sed, *Ab omni :* et vera et falsa, ut cum examinatione discernatis, et ab illis abstineatis, his vero adhæreatis. Ita enim et illorum vehemens erit odium, et horum amor, quando non leviter et citra examen, sed exacte et accurate omnia fecerimus. 23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, et integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* Vide doctoris benevolentiam : post admonitionem preces quoque subjungit, non solum sermone, sed etiam in literis : opus est enim et consilio et precibus. Propterea nos quoque prius consulentes, tunc pro vobis preces fundimus : et hoc sciunt qui sunt sacris initiati mysteriis. Sed Paulus quidem merito hoc faciebat, magnam apud Deum habens fiduciam et loquendi libertatem : nos autem et pudore suffusi sumus, et fiduciam non habemus; sed quoniam ad hoc constituti et ordinati sumus, hoc agimus, cum indigni quidem simus et adsistere, et vel ultimorum discipulorum locum tenere; quoniam autem etiam per indignos operatur gratia, non propter ipsos, sed propter eos quibus sunt profutura, nostra afferimus. *Sanctificet vos*, inquit, *per omnia, et integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* Spiritum quid hic dicit? Charisma seu donum gratuitum. Nam si recesserimus splendidas habentes lampades, ingrediemur in sponsi thalamum : sin autem exstinctas, nequaquam. Propterea dicit, *Integer vester spiritus :* illo enim manente integro, et is manet. *Et anima*, inquit, *et corpus.* Neque enim ipsa aliquid malum accipit, nec illud. 24. *Fidelis est qui vocavit vos, qui etiam faciet.* Vide humilitatem : nam postquam precatus est, Ne existimetis, inquit, quod hoc fiat ex meis precibus, sed ex proposito quo vos vocavit. Si enim vocavit ad salutem, est autem verus, omnino salutem dabit cum velit. 25. *Fratres, orate pro nobis.* Papæ, quanta humilitas! Sed ille quidem hoc dicebat propter humilitatem; nos autem non propter humilitatem, sed propter multam utilitatem, et a vobis magnum aliquod lucrum volentes accipere, dicimus : Orate etiam pro nobis. Nam etsi non magnam nec admirandam a nobis accipitis utilitatem, sed tamen propter ipsum honorem, propter ipsam appellationem. Habuit quispiam aliquando filios, et tamen etiamsi ipse eos nihil juverit, sed tamen quoniam fuit pater, hoc forte eis improperat, dicens : Uno die non sum a vobis vocatus pater. Propterea nos quoque dicimus : Orate etiam pro nobis; non temere hoc dicens, sed vestras preces valde desiderans. Si enim sum obnoxius omnium vestrum curam gerere, et sum redditurus rationem : multo magis debeo vestras assequi preces. Propter vos sum magis obnoxius reddendis rationibus, et vos ergo mihi debetis majus dare auxilium. 26. *Salutate, fratres, omnes in osculo sancto.* Papæ, quantus ardor! papæ, quæ mens et quis animus! Quoniam, cum esset absens, osculo eos salutare non poterat, per alios eos salutat. Sic nos facimus, ut quando dicimus : Pro me eum osculare. Ita vos quoque tenete ignem caritatis : non enim sustinet locorum intervalla, sed etiam per medias vias seipsam extendit, et adest ubique. 27. *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.* Hoc quoque maxime est desiderii, non adeo doctrinæ : ut illos quoque, inquit, alloquar. 28. *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen.* Non leviter præcepit, sed adjurans, et hoc quoque ex ferventi animo, ut etiamsi ipsum despexerint, propter adjurationem faciant quod fuerit præceptum. Ejus rei magnum habebant metum; nunc autem hoc quoque est conculcatum. Et sæpe contingit ut puer flagris cædatur et Deum adjuret et Christum ejus, et dicat, Ita Christianus moriaris, et nemo attendat, nemo advertat et curet : sin autem per proprium adjuret filium, statim et invitus et stridens dentibus, iram remittit. Alius rursus dum trahitur; et in medio foro abducitur, adstantibus et Græcis et Judæis, maxime horrendis eum qui abducit adjurat sacramentis, et nemo attendit. Quid non dicent Græci, quando fidelis adjurat fidelem et Christianum, et nulla ejus habetur ratio, sed etiam despicimus?

3. *Historia cujusdam ancillæ.* — Vultis rem vobis narrem, quam ipse audivi? neque enim rem fingens dico, sed auditam a viro fide digno. Ancilla quædam cuidam viro improbo et impure fugitivo conjuncta, ipsa, cum vir ejus multum peccasset, et a domina esset vendendus : majora enim erant peccata quam ut ei dari posset venia; et mulier erat vidua, et eum castigare, cum ejus domum perderet, non poterat; sed statuerat vendere : deinde esse nefarium existimans domina virum ab uxore separare, maluit illam mulierem quamvis frugi et utilem simul cum eo vendere, quam illam separationem. Videns ergo puella se esse redactam in magnam animi perplexitatem, veniens ad reverendam personam dominæ suæ familiarem, quæ et mihi narravit, et genua prehendens, multumque lacrymans et ejulans, rogavit ut suam

dominam pro ipsa oraret ; et multis verbis consumptis postea hoc quoque addidit, tamquam ei maxime persuasura, quoddam maxime horrendum inferens jusjurandum : erat autem hoc jusjurandum : Ita Christum videas in die judicii, ne meas preces despicias : et cum hæc dixisset abiit. Quæ vero fuerat rogata, eum quædam incidisset sollicitudo de iis quæ ad vitam pertinent, ut accidit in domibus, oblita est. Deinde repente in crepusculo pomeridiano recordata est maxime horrendi illius quo adacta fuerat jurisjurandi, et vehementer fuit compuncta, et abiens cnixe et diligenter rogavit, et rem confecit. Illa autem nocte cælos repente vidit apertos, et ipsum Christum : vidit autem, ut videri poterat a muliere. Quoniam autem de jurejurando fuit sollicita, et quia timuit, hac visione digna fuit habita. Hæc autem dixi, ne despectui habeamus adjurationes, maxime cum de rebus bonis et honestis nos quidam rogaverint, pro eleemosyna, pro benignitate et clementia. Nunc autem sedent pauperes pedibus manci ac mutilati, videntes te prætercurrentem : deinde quoniam pedibus te non possunt assequi, sperant se veluti quodam hamo adjurationis metu te retenturos, et manus extendentes adjurant, ut unum aut duos solos des obolos : tu autem prætercurris per tuum adjurata Dominum : et si te adjuraverit quidem per oculos aut mariti peregre profecti, aut filii, aut filiæ, statim cedis, et salit animus, incalescis : sin autem per Dominum adjurarit, prætercurris. Ego autem multas novi quæ audito Domino prætercurrerunt ; de pulchritudine autem laudatæ ab accedentibus, lætitia sunt effusæ, et emollitæ, et manum porrexerunt. Eo itaque miseros adigunt pauperes ut risum moveant. Nam quoniam verbis utentes vehementibus et acribus non tangunt animum, ad hanc viam deveniunt per quam maxime delectant : et eum qui est in calamitate, et fame cruciatur, cogit nostra improbitas pulchritudinis dicere encomium.

Mendicantium mos singularis. — Et utinam hoc solum ; sed alterum quoque genus hoc acerbius, nempe præstigiatores cogit esse pauperes, scurras et risum moventes. Quando enim calices, hederaceas pateras, et pocula digitis inserens et imponens ludit cymbalis, et fistulam habens, turpia cantica et amore plena per eam, cantu et voce clamat : deinde multi circumstant, et alii quidem frustum panis, alii vero obolum, alii vero aliquid aliud præbent, et diu retinent, et delectantur et viri et mulieres : quid est hoc gravius ? annon sunt hæc valde deploranda ? Parva quidem sunt, et parva existimantur, nostris autem moribus magna ingenerant peccata. Quando enim dictus fuerit quidam obscœnus et dulcis modus, mollit animum, et illam ipsam corrumpit animam ; et pauper quidem Deum invocans, et bona vobis precans innumerabilia, a vobis nihili æstimatur : qui autem pro his inducit juvenilia, habetur in admiratione.

Patientia commendatur exemplis. — Quod autem nunc mihi venit in mentem apud vos dicere, hoc dicam. Quidnam hoc est ? Quando in paupertatem et morbum incideris, si non aliunde, a mendicis quidem certe, qui per compita et angiportus incedunt, disce Domino agere gratias. Isti enim totam vitam in mendicando consumentes, non blasphemant, non irascuntur, nec ægre ferunt ; sed omnem suam mendicitatem recensent cum gratiarum actione, Deum magnum facientes clementemque et benignum. Qui fame quidem perit, vocat benignum : tu autem, qui vivis in maxima rerum omnium copia, nisi res omnium acceperis, vocas crudelem. Quanto est ille melior ? quomodo nos tunc condemnabit ? Nobis communes calamitatum doctores, et consolationem per universum orbem terræ Deus dimisit, pauperes. Passus es aliquid quod nolebas ? sed nihil conferendum cum eo quod ille passus est. Orbatus es oculo ? sed ille ambobus. Laborasti morbo diuturno ? sed ille incurabili. Amisisti filios ? sed ille etiam sanitatem sui corporis. Magnum accepisti damnum ? sed nondum eo es redactus ut aliis egeres. Deo igitur age gratias. Vides illos in fornace paupertatis, ab omnibus petentes, a paucis accipientes. Quando defessus es orando et nihil accipis, cogita quoties pauperem audieris vocantem, et non exaudieris : ille autem nec succensuit, nec te contumelia affecit. Atqui tu hoc quidem facis ex crudelitate : Deus vero etiam ex benignitate facit quod non audiat. Si ergo tu cum conservum non audias ob crudelitatem, non æquum censes ut reprehendaris : dominum servi, qui propter benignitatem non exaudit, reprehendis ? Vides quanta sit inæqualitas, quanta iniquitas et injustitia ?

4. Hæc perpetuo cogitemus, et inferiores, et eos qui in majoribus sunt calamitatibus, et ita poterimus Deo agere gratias. Multis ejusmodi exemplis plena est vita : non parvam autem habet doctrinam qui est sobrius, et vult attendere, vel ex domibus oratoriis. Propterea enim et in ecclesiis et in martyriis (*a*) ante vestibula sedent pauperes, ut nos ex illorum aspectu magnam capiamus utilitatem. Cogita enim quod in terrenas regias nobis ingredientibus nihil licet videre ejusmodi ; sed viri graves, honesti et magnifici, præclarique divites et intelligentes quoquo versus excurrunt : in illam autem regiam, ecclesiam, inquam, et martyrum domos oratorias ingredientibus obversantur dæmoniaci, manci et mutili, pauperes, senes, cæci, et qui sunt obtortis membris. Quamobrem ? Ut ex horum aspectu erudiaris : primum quidem, ut si ingressus fueris extrinsecus aliquem fastum attrahens, cum illos aspexeris, et animi elationem deposueris, et cor contriveris, ita ingrediaris et audias quæ dicuntur (fieri enim non potest ut audiatur, qui precatur cum fastu) : ut quando senem videris, non efferaris et tibi placeas ob juventutem : nam isti quoque senes fuerunt juvenes : ut quando propter militiam et potestatem regiam te valde jactaris, cogites quod ex iis sunt qui in aulis regiis præclari et illustres fuerunt ; ut quando in sanitate corporis fueris confidens, hos

(*a*) Non raro apud Ecclesiasticos scriptores sic memorantur ecclesiæ martyrum. Hic oratoria dicuntur.

attendens tuam comprimas superbiam. Etenim qui huc assidue ingreditur, qui est quidem sanus, non valde sibi placebit de sanitate corporis; qui autem laborat, non levem accipiet consolationem Non propter hoc autem solum hic assident, sed ut te quoque reddant misericordem et flectaris ad misericordiam, ut Dei admireris benignitatem : si enim Deum illorum non pudet, sed eos statuit in vestibulis : multo magis nec tu; ne propter terrenas regias insolescas et superbias. Ne igitur erubescas si voceris a paupere; et si accesserit, si genua prehenderit, ne repellas : sunt enim isti canes quidam admirandi aularum regiarum. Non enim eos probro afficiens vocavi canes, absit, sed etiam valde laudans : aulam servant regiam; eos ergo nutri : honor enim ascendit ad Regem. Illic omnia sunt fastus et superbia, in regiis, inquam, quæ sunt super terram : hic omnia sunt humilitas. Quod nihil sint res humanæ, ex ipsis maxime discis vestibulis : quod divitiis non delectetur Deus, doceris ab iis qui ante ipsa sedent. Eorum enim sessio et congregatio est propemodum admonitio ad omnium hominum naturam, claram vocem emittens et dicens : Nihil sunt res humanæ nisi umbra et fumus. Si bonum essent divitiæ, Deus noluisset pauperes sedere ante sua vestibula. Si autem admittit etiam divites, ne mireris : non enim ideo admittit ut maneant divites, sed ut discedant a fastu et elatione animi : audi enim quid eis dicat Christus : *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Et rursus, *Dives difficile intrabit in regnum cælorum;* et rursus, *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem in regnum cælorum* (*Matth.* 6. 24. *et* 19. 23. 24). Propterea excipit divites, ut hæc verba audiant, ut æternas desiderent divitias, ut concupiscant ea quæ sunt in cælis. Et quid miraris, non dedignatur ut tales sedeant in vestibulis suis? on dedignatur enim vocare ad mensam spiritualem, t illius convivii facere participes. Sed et claudus et mutilus, senex pannis obsitus, sordidus et mucosus, simul cum pulchro juvene, et qui se induit purpura, et cui redimitum est caput diademate, venit mensæ particeps futurus, et dignus censetur spirituali convivio, et iisdem fruuntur utrique, et nulla est differentia.

5. Itane Christus quidem non dedignatur eos simul cum Rege vocare ad mensam; ambo enim simul vocantur : tu autem fortasse dedignaris videri dare pauperibus, aut etiam eos alloqui? Papæ, quanta est arrogantia, quantus fastus! Vide ne eadem nobis accidant quæ diviti. Dedignabatur ille vel aspicere Lazarum, et ne domus quidem tecto eum dignabatur, sed foris erat abjectus in vestibulo, sed nec verbis quidem eum est dignatus. At vide quomodo cum ejus opus haberet auxilio, id non sit assequutus. Si enim nos eorum pudet, quorum Christum non puduit, Christi nos pudet, dum nos pudet ejus amicorum. Impleatur mensa tua claudis, mancis ac mutilis : per eos advenit Christus, non per divites. Fortassis rides audiens. Ne ergo existimes meum esse verbum, audi ipsum Christum dicentem, ut non rideas, sed ut horrescas. *Quando*, inquit, *facis prandium aut cœnam, ne voces amicos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos divites, ne ipsi te vicissim invitent, et fiat tibi retributio : sed quando facis convivium, voca mendicos, mancos, claudos, cæcos, et beatus eris, quia non habent unde tibi retribuant : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum* (*Luc.* 14. 12-14). Est autem hic quoque major gloria, siquidem eam amas. Nam ex illis quidem est invidia, accusationes et maledicta et metus plurimus ne quid præter decorum fiat, et ita adsistis tamquam servus Domino, et si sint majores vocati, timens eorum querelas et ora : in his autem nihil est hujusmodi, sed quæcumque eis obtuleris lubenter accipiunt; et magnus inde plausus, splendidior gloria, major admiratio. Non illis ita applaudunt, sicut his, omnes qui audiunt. Si autem non credis, fac periculum, tu dives, qui vocas duces et principes; voca pauperes, et his imple mensam, ut videas annon ab omnibus tibi applaudatur, annon diligaris ab omnibus, annon te omnes tamquam patrem sint habituri. Nam illarum quidem cœnarum nullum est lucrum : pro his autem repositum est cælum, et bona quæ sunt in cælis. Quæ omnia nobis omnibus detur consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simulque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI

JOANNIS CHRYSOSTOMI,

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

IN EPISTOLAM SECUNDAM AD THESSALONICENSES COMMENTARIUS (*a*).

ARGUMENTUM. HOMILIA I

1. Cum in priori dixisset epistola, Optamus nocte et die vos videre; et, Non sustinemus, sed Athenis remansimus soli; et, Misi Timotheum (1. *Thess.* 3. 10. 1. 2) : per hæc omnia significat desiderium quod habebat ut ad eos veniret. Cum ergo fortasse nondum potuisset assequi ut eos adiret, et quæ eorum

[1] Colbertinus in titulo nihil aliud effert nisi, *Argumentum.*

(*a*) Homiliæ in Epistolam II ad Thessalonicenses collatæ cum Codicibus Colbertinis 616 et 909.

fidei deerant suppleret, ea causa hanc secundam addit epistolam, ut reliquum, quod præsens non poterat, per literas suppleret. Nam quod non abierit, hinc licet conjicere : dicit enim scribens, *Rogamus autem vos per adventum Domini nostri Jesu Christi* (2. *Thess.* 2. 1). Nam in priori epistola dicebat : *De temporibus autem et momentis, non indigetis ut scribamus vobis* (1. *Thess.* 5. 1). Quare si adfuisset, non opus fuisset ut scriberet ; quoniam autem dilata fuit quæstio, ideo addit hanc epistolam ; sicut dicit in Epistola ad Timotheum, *Quorumdam fidem subvertunt quidam, dicentes resurrectionem jam esse factam* (2. *Tim.* 2. 18).

Resurrectionem jam factam esse dicebant quidam. — Illud vero faciebant, ut cum deinceps nihil magnum aut præclarum sperarent fideles, ad suscipiendos labores desponderent animum. Nam quoniam spes eos erigebat, nec sinebat ut præsentibus cederent, veluti quamdam ancoram volens exscindere diabolus, quoniam non potuit persuadere falsa esse quæ erant futura, alia via est ingressus, et emissis quibusdam perditis et exitiosis hominibus, aggrediebatur decipere credentes, eis suggerens magna illa et præclara finem accepisse. Atque tunc quidem dicebant illi jam factam esse resurrectionem ; nunc autem dicebant instare judicium et Christi adventum : ut et ipsum Christum mendacio redderent obnoxium, et cum ostendissent quod non sit deinceps remuneratio, nec judicium nec pœna nec supplicium iis qui ipsis malefecissent, et illos redderent audaciores, et hos humiliores et abjectiores : et quod erat omnium gravissimum, aggrediebantur alii quidem verba solum mittere tamquam a Paulo dicta ; alii autem etiam fingere epistolas tamquam ab eo scriptas. Propterea omne iter eis intercludens, dicit, *Ne terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tamquam per nos missam. Neque per spiritum* (2. *Thess.* 2. 2), inquit, innuens pseudoprophetas. Unde ergo sciemus, inquit ? Per id quod additur : ideo enim adjecit, *Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola : ita scribo. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis* (*Ibid.* 3. 17. 18). Non hoc dicit quod hoc sit signum : est enim verisimile alios quoque hoc esse imitatos, sed, Salutationem mea manu scribo : sicut nunc quoque fit apud nos : nam ex subscriptione manifestæ fiunt literæ eorum qui mittunt. Admonet autem eos a malis valde infectos, et a præsentibus laudans, ea a futuris adhortans ; et a supplicio, et a remuneratione bonorum eis paratorum eos admonens, dilucidius locum tractat, ipsum quidem tempus non revelans, temporis autem signum significans, Antichristum. Tunc enim maxime imbecillus certus fit animus, non si solum audiverit, sed etiam si aliquid amplius didicerit. Christus autem magnam ejus rei curam gerit, et in monte sedens omnia accurate suis disserit discipulis de consummatione. Quare ? Ne locum habeant qui antichristos introducunt et pseudochristos. Et ipse multa ponit signa, unum etiam dicens vel maximum, Quando fuerit prædicatum in omnibus gentibus evangelium : alterum quoque, ne errent de ejus adventu, *Tamquam fulgur*, inquit, *veniet* : non in aliquo angulo latens, sed ubique resplendens : non eget aliquo qui sit indicaturus : tanto splendore micat ; sicut nec fulgur eget indice. Dicit autem alicubi etiam de Antichristo : *Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me : si alius venerit in nomine proprio, illum accipietis* (*Joan.* 5. 43).

Antichristi adventus signa. — Frequentes quoque et quæ explicari non possunt calamitates ejus esse dicit signum ; et quod Eliam oporteat venire. Atque dubitabant quidem tunc Thessalonicenses ; nobis autem utilis fuit illorum dubitatio : non enim illis solum, sed nobis quoque sunt hæc utilia, ut a fabulis puerilibus et ab anilibus deliriis liberemur. Annon sæpe audivistis cum pueri essetis, quosdam multa dicentes de Antichristo, et de genuflexione ? Adhuc enim teneris nostris animis hæc inserit diabolus, ut dogma nobis crescentibus inhæreat et nos possit decipere. Non hæc ergo prætermisisset Paulus de Antichristo disserens, si fuissent utilia. Ne hæc ergo quæramus. Non enim sic veniet inclinans genua, sed, *Se efferens supra omne quod deus dicitur aut colitur, adeo ut in templo Dei tamquam deum se collocet, ostentantem se esse deum* (2. *Thess.* 2. 4). Quemadmodum enim diabolus cecidit ex arrogantia, ita etiam qui ab ipso movetur instructus est ad arrogantiam.

2. Quamobrem rogo studeamus omnes remoti esse ab hoc vitio, ne in illius judicium incidamus, ne eidem pœnæ simus obnoxii, ne simus socii ejusdem supplicii. *Non neophytum*, inquit, *ne inflatus incidat in judicium diaboli* (1. *Tim.* 3. 6). Inflatus ergo easdem pœnas dabit quas diabolus. *Initium enim superbiæ est, non nosse Dominum* (*Eccli.* 10. 14) : initium peccati est superbia, primus impetus et motus ad malum, et fortasse quidem et radix et basis. Initium enim aut primum significat impetum ad malum, aut mali constitutionem et consistentiam : ut si dicas, Initium continentiæ et castitatis est abstinere a malo spectaculo, hoc est primus impetus : sin autem dicamus, Initium castitatis est jejunium, hoc est, fundamentum et constitutio. Ita etiam peccati initium est arrogantia : ab ea enim incipit omne peccatum, et ex ea conflatur. Nam quod quæcumque bona egerimus, non sinat id vitium ea manere, et non excidere, sed sit veluti quædam radix, quæ non sinit bona consistere, illinc est perspicuum. Vide quam multa fecerit Pharisæus, sed nihil ei profuit : radicem enim non excidit, sed ipsa omnia perdidit et corrupit. Ex arrogantia oritur despicientia pauperum, pecuniæ cupiditas, amor principatus, multæ gloriæ desiderium. Qui est ejusmodi, est propensus ad ulciscendam contumeliam. Nam qui est arrogans et elatæ mentis, ne a majoribus quidem sustinet contumelia affici, nedum a minoribus ; qui vero contumeliam non fert, neque quidquam mali pati sustinet. Vide quomodo initium peccati sit superbia. Quomodo autem initium superbiæ est non nosse Dominum ? Merito : qui enim novit Deum ut nosse oportet, qui novit quod Filius Dei ad tantam

se demisit humilitatem, non extollitur : qui autem hæc non novit, extollitur : ad arrogantiam enim instruit et parat superbia. Nam dic mihi, qui fit quod isti qui adversus Ecclesiam bellum gerunt, dicunt se nosse Deum? annon ab arrogantia? Vide, non nosse Deum, eos in quantum impellat præcipitium. Si enim spiritum contritum Deus diligit, contra superbis resistit, et humilibus dat gratiam. Nullum est ergo malum quod conferri possit cum superbia : hominem efficit dæmonem contumeliosum, blasphemum, perjurum : facit ut appetantur cædes. Superbus semper vivit in doloribus et molestiis, semper irascitur, semper est tristis : nihil est quod hoc animi vitium possit satiare; etiamsi viderit regem se submittentem, incurvantem et adorantem, non est satiatus, sed magis est accensus. Ut enim avari, quo plura accipiunt, eo pluribus indigent : ita etiam qui sunt elatæ mentis, quantacumque fruantur gloria, tanto majorem expetunt : augetur enim eis affectio (est enim affectio), affectio autem non novit modum, sed tunc demum sistitur, quando occiderit eum qui ipsam habet. Non vides quod ebrii semper sitiant? affectio enim est, non naturæ desiderium, sed perversus morbus. Non vides quod ii quos vocant famelicos, semper esuriant; est enim vitium, ut dicunt medici, naturæ fines exsuperans. Sic curiosi et otiosi indagatores, quantavis didicerint, non consistunt : est enim affectio, nec habet terminum. Rursus qui delectantur scortationibus, nec ipsi gradum sistunt (*Scortatori*, inquit, *omnis panis est dulcis* [*Eccli.* 23. 20]) : non cessabit donec fuerit devoratus; est enim affectio. Sed sunt hæc quidem ægritudines, non tamen immedicabiles, sed quæ admittunt curationem, et multo magis quam corporales : nam si velimus, eas possumus exstinguere. Quomodo ergo potest exstingui arrogantia? Si Deum agnoveris. Si enim illa oritur ex eo quod Deus non cognoscatur : si eum cognoverimus; expellitur omnis arrogantia. Veniat tibi in mentem gehenna, veniant in mentem qui te sunt longe meliores, veniat in mentem quam multorum tibi sunt luendæ pœnæ : si hæc cogitaveris, cito animum contraxeris, cito eum flexeris.

Humanæ res quasi somnia. — At non potes hæc facere? es imbecillior? Cogita res præsentes, cogita naturam humanam, et quod nihil sit homo. Cum videris in foro ferri mortuum, filios orbos sequentes, viduam quæ plangit, famulos lamentantes, amicos tristes et mœrentes, reputa quam nihil sint res præsentes, et quod ab umbra et somniis nihil differant. At hoc non vis? Veniant in mentem divites, et ii qui in bellis temere perierunt : considera virorum magnorum et illustrium ædes, quæ nunc sunt dirutæ et solo æquatæ : cogita quantum potuerunt, et nunc eorum ne restat quidem memoria. Singulis enim diebus, si vis, invenies horum exempla, principes aliis succedentes, divitum bona publicata. *Multi tyranni sederunt in solo, is autem quem nemo suspicabatur, diadema gestabat* (*Eccli.* 11. 5). Annon fiunt hæc quotidie? nonne sunt nostra rotæ similia? Lege si vis et nostra et extera (nam illa quoque plena sunt his exemplis), si nostra despicis, idque ex arrogantia : si admiraris quæ sunt philosophorum, saltem ad eos accede : illi te docebunt, veteres narrantes calamitates, et poetæ, et oratores, et sophistæ, et omnes scriptores. Undique, si voles, invenies exempla. Si autem horum nihil vis, considera nostram naturam, et unde constet, et quomodo desinat : considera quanti sis, quando dormis : nonne vel parva bestia te poterit interficere? Multis enim sæpe e tecto delapsum parvum animalculum, vel oculum ademit, aut alterius periculi causa fuit. Quid vero? annon es inferior omnibus bestiis? Sed quid dicis? te eis præstare ratione? At ecce non es ratione præditus : egestatis enim rationis argumentum est superbia. Sed de quonam quæso omnino efferris, et tibi places? propter bonam corporis habitudinem? sed bruta hac in re palmam ferunt, victoriam consequuta. Hoc etiam observatur apud latrones ac parricidas et sepulcrorum effossores. At ob prudentiam? Sed non est prudentiæ, insolescere et sibi placere. Hoc quidem certe primo te privas, ut non sis prudens. Cohibeamus ergo insolentes nostros spiritus et superbiam : simus modesti et humiles, mitesque et placidi; eos enim præ omnibus beatos pronuntiavit Christus, dicens, *Beati pauperes spiritu;* et rursus clamabat dicens, *Discite a me, quoniam mitis sum et humilis corde* (*Matth.* 5. 3. *et* 11. 29). Propterea pedes lavit discipulorum, nobis præbens exemplum humilitatis. Ab eo omnia lucrifaciamus, ut possimus assequi bona promissa iis qui ipsum diligunt, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA II

Cap. 1. v. 1. *Paulus et Silvanus et Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo :* 2. *gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.*

1. Plurimi homines nihil non agunt et moliuntur, ut et apud magistratus et eos qui sunt ipsis majores aliqua valeant gratia, et magnum hoc esse ducunt ac beatos se esse existimant, si id consequuti fuerint, cujus studio tenentur. Si autem gratiam apud homines consequi est adeo magnum, a Deo gratiam invenire quantum fuerit? Propterea hoc semper suæ præponit epistolæ, et hoc precatur, ut qui sciat quod si hoc sit, de cætero nihil erit molestum, sed solventur omnia quæcumque fuerint gravia et difficilia. Et ut hoc discatis : Joseph erat servus, juvenis, imperitus et simplex; et repente ei fuit mandata domus administratio, et viro Ægyptio eorum quæ gerebat reddebat rationem. Scitis autem quam sit gens illa summe ad iram proclivis, et quæ minime ignoscat : cum autem accesserit etiam principatus et potestas, major est ira quæ excitatur a potestate. Perspicuum autem hoc est vel ex iis quæ fecit postea. Domina enim accusante passus est. Atqui eorum non erat, qui tenebant vestimenta, vim pati, sed ejus qui

fuerat spoliatus. Oportebat enim dicere, Si vocem tuam sustulisses, fugisset; et si sibi fuisset conscius, non exspectasset adventum domini. Sed tamen nihil ejusmodi illi venit in mentem, sed cum absque ratione iræ totum permisisset, conjecit eum in carcerem; adeo erat inconsideratus. Atqui poterat etiam ex aliis de viri benevolentia et prudentia facere conjecturam; sed tamen, quoniam valde egens erat rationis, nihil ejusmodi consideravit. Qui ergo et adeo improbum habebat dominum, et cui fuerat credita totius domus administratio, et erat hospes et desertus et imperitus, postquam Deus multam in eum effudit gratiam, quasi nihil essent tentationes, ita omnia pertransit, et dominæ calumniam, et mortis periculum, et carcerem, et postremo venit ad thronum regalem. Vidit ergo hic beatus quanta esset Dei gratia; et propterea eam ipsis apprecatur. Aliud quoque struit: volens enim eos reddere benevolos ad ea quæ scribenda erant in epistola, ut si eos et reprehendat et increpet, non resiliant: propterea ante omnia eos admonet gratiæ Dei, cor eorum leniens, ut si sit afflictio, recordantes gratiæ qua fuerunt conservati a majoribus, in minoribus animum non despondeant, sed illinc habeant consolationem: sicut etiam alibi scribens dicebat: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius* (*Rom.* 5. 10). *Gratia vobis*, inquit, *et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.* 3. *Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est.* Vide humilitatis magnitudinem: cum dixisset, *Gratias agere debemus*, illis reputandum et cogitandum relinquit, quod si alii pro iis quæ a vobis recte gesta sunt, non vos primum admirantur, sed Deum; multo magis nos oporteat. Alioquin autem eorum quoque extollit animos, quod ea patiantur quæ non sunt digna lacrymis nec lamentationibus, sed gratiarum actione in Deum. Si autem Paulus agit gratias ob bona aliena, quid iis fiet qui non solum non gratias agunt, sed etiam tabescunt invidia? *Quoniam supercrescit fides vestra, et abundat caritas uniuscujusque vestrum invicem.* Et quomodo potest, inquit, augeri fides? Quomodo? quando pro illa grave aliquid patimur. Atque magnum quidem est, esse firmum et stabilem et a cogitationibus non labefieri ac dimoveri: quando autem venti irruunt, irrumpunt imbres, undique attollitur gravis tempestas, crebrique et densi sunt fluctus; deinde non labamus nec vacillamus, nullius alterius rei est indicium, quam quod creverit et supercreverit et altior facta sit fides. Sicut enim in diluvio omnia quidem lapidea et humilia cito sunt occultata; quæ erant autem superne, inaccessa mansere: ita etiam fides quæ alta fuerit, non deprimitur nec deturbatur. Propterea non dixit, Crescit, sed, *Supercrescit fides vestra, et abundat caritas uniuscujusque vestrum in invicem.* Vides quod hoc conferat ad afflictiones, esse confertos et compactos, et inter se cohærere? Ex hoc ergo oritur etiam magna consolatio. Atque imbecillam quidem caritatem et fidem labefactant afflictiones: fortem autem reddunt fortiorem. Nam qui in dolore quidem est animus, si sit infirmus et debilis, nihil lei accesserit: qui est autem firmus et validus, tunc maxime potest. Vide autem caritatem: non hunc quidem diligebant, illum vero minime; sed erat æqualis in omnibus: hoc enim tacite innuit dicendo, *Uniuscujusque vestrum in invicem*, quod ea sit in æquilibrio veluti unius corporis. Nam nunc quoque invenimus esse apud multos caritatem et dilectionem, sed hanc caritatem et dilectionem esse causam dissensionis. Nam quando bini aut terni fuerimus conjuncti, et duo quidem aut tres aut quatuor valde inter se fuerint colligati, a cæteris autem seipsos abstrahentes, eo quod ad illos possint confugere, et illis in omnibus confidere; hoc est dissensio, non dilectio. Nam dic mihi, si oculus, quam habet totius corporis curam, in manum conferat, et se ab aliis membris avertens, illi soli attendat, annon perdit universum? Vere utique. Ita nos quoque si caritatem, quæ extendi debet in totam Dei Ecclesiam, in unum et alterum contrahamus, et nos ipsos et illos et universos perdimus: hæc enim non sunt caritatis, sed dissidii, scissuræ et dissensionis. Nam etiamsi a toto homine avulsam accepero partem, ipsa quidem scissura secum est unita, et cohærens et conglutinata; cæterum sic quoque est scissura, quoniam reliquo non est unita corpori.

2. Quid enim prodest quod hunc aut illum valde diligas? Humana est caritas et dilectio: si autem non est humana, sed propter Deum diligis, omnes dilige: Deus enim sic jussit etiam inimicos diligere. Quod si jussit diligere inimicos, quanto magis eos qui te nulla affecerunt injuria atque molestia? At diligo, inquis. Sed non ita: imo vero nec diligis quidem: nam quando accusas, quando invides, quando insidiaris, quomodo diligis? At hoc, inquis, non facio. Sed quando male audiente fratre maledicentis os non obstruis nec iis quæ dicuntur fidem negas nec ea comprimis, cujusnam amicitiæ est hoc indicium? *Et abundat*, inquit, *caritas uniuscujusque vestrum invicem: 4. ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei.* In priori epistola dicit omnes Ecclesias Macedoniæ et Achaiæ resonasse audita eorum fide: *Ita ut non sit*, inquit, *nobis necesse quidquam loqui: ipsi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos* (1. *Thess.* 1. 8. 9): hic autem dicit, *Ut nos glorienur.* Quid est ergo quod dictum est? Illic dicit, Nostra non egent doctrina: hic autem non dicit, Nos eos docemus, sed, *Gloriamur.* Si ergo nos de vobis et Deo gratias agimus, et gloriamur apud homines; multo magis vos hoc facere oportet de nostris bonis. Si enim quæ a vobis recte gesta sunt, digna sunt quibus alii glorientur, quomodo nobis lamentatione? Dici non potest. *Ita ut et nos ipsi*, inquit, *in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra et fide.* Hic ostendit multum præteriisse temporis: a multo enim tempore apparet patientia, non in duobus aut tribus diebus. Non absolute autem dicit patientiam. Patientiæ quidem certe est bonis promissis

non frui; nunc autem majorem dicit patientiam. Quamnam? Eam quæ exsistit per persequutiones. Quod autem eam innuat, perspicuum est ex iis quæ subjicit : *In omnibus persequutionibus vestris et tribulationibus quas sustinetis.* Nam perpetuo vitam agebant cum hostibus qui undique eos conabantur lædere, firmamque et immobilem ostendebant patientiam. Erubescant illi, qui propter hominum patrocinium transeunt ad dogmata. Nam cum adhuc esset initium prædicationis, homines pauperes, et ex quotidiano opere victum sibi parantes adversus eos qui gerebant rempublicam, et primi erant civitatis, suscipiebant inimicitias; cum nec rex, nec magistratus usquam esset fidelis, et bellum subibant implacabile, et ne sic quidem absistebant. 5. *In exemplum justi judicii Dei.* Vide quomodo eis paret consolationem. Dixerat, Deo gratias agimus : dixerat, Gloriamur apud homines : hæc quidem bona et honesta; sed quod maxime quærit is qui dolore afficitur, id est liberatio a malis, et supplicium eorum qui in ipsos male egerant. Nam quando imbecillus est animus, hæc maxime requirit : qui est enim philosophus, ne hoc quidem. Quid ergo dicit, *In exemplum justi judicii Dei?* Utrumque tacite innuit, et eorum qui male agunt punitionem, et eorum qui bene remunerationem : quasi diceret, ut, quando vos quidem coronat, illos autem punit, ostendatur Dei justitia. Simul etiam eos consolatur, ostendens quod et ex propriis laboribus et sudoribus, et convenienter rationi justitiæ coronentur. Sed prius ponit id quod ad eos pertinet. Nam etiamsi quispiam valde appetat vindictam, prius tamen desiderat præmia : propterea subjungit : *Ut digni habeamini regno Dei, pro quo et patimini.* Non hoc ergo fit ex eo, quod sint potentiores qui faciunt injuriam, sed ex eo, quod sic oporteat regnum ingredi. *Per multas enim*, inquit, *afflictiones oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* 14. 22). 6. *Si tamen justum est apud Deum reddere retributionem iis qui vos tribulant*, 7. *et vobis qui tribulamini requiem nobiscum, in revelatione Domini Jesu de cælo cum angelis virtutis ejus.* Illud, *Si tamen*, hic positum est pro, *quia* : quod quidem ponimus in iis de quibus valde constat, adeo ut contradici non possit : id est, Valde justum. Si justum est, inquit, apud Deum eos ulcisci, omnino ulciscetur. Quasi diceret, Si res Deo sunt curæ, si Deus curat. Sic et ipse illud, *Si tamen*, ponit, ac si res in confesso sit; ac si diceret, Si Deus odio habet malos : ut illos cogat dicere quod odio habeat (sunt enim ejusmodi sententiæ minime dubiæ), utpote cum et illi ipsi sciant quod justum sit. Nam si hoc justum est apud homines, multo magis apud Deum. *Reddere*, inquit, *retributionem iis qui vos tribulant, et vobis qui tribulamini, requiem.*

3. Quid ergo? estne æqua retributio? Nequaquam : sed vide per ea quæ sequuntur quomodo ostendit esse vehementiorem, et requiem multo majorem. Ecce etiam alia consolatio : eosdem habere socios afflictionum, et in remuneratione, inquit (hoc enim significat illud, *Nobiscum*) : eos qui innumerabilia fecerunt majora, conjungit socios in coronis. Deinde et tempus addit, et per descriptionem mentes eorum sursum extollit, verbo cælos propemodum aperiens, et eorum oculis subjiciens, et circa ipsum statuit angelicum exercitum, et ex eo loco, et ex iis quæ sunt ex ipso, latiorem faciens imaginem, ut ipsi parum respirent. *Et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cælo cum angelis virtutis ejus*, 8. *in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, et qui non obediunt evangelio Domini nostri Jesu Christi.* Si, qui evangelio non obediunt, dant pœnas : qui, præterquam quod non obediunt, vos etiam affligunt, quid non patientur? Contemplare autem ejus prudentiam : non dixit hic, qui vos affligunt, sed, *Qui non obediunt.* Quo fit ut etiamsi non propter vos, propter seipsum necesse sit eos punire. Atque hoc quidem dictum est, ut eos reddat certiores, quod eos omnino puniri oporteat; iis autem, quæ prius dixit, quod eos quoque oporteat honorari. Ad credendum ergo illos inducit nuntiata supplicii certitudo; ad lætandum vero, quod propter mala sibi illata hæc patiantur. Hæc illis quidem dicta sunt, sed nobis quoque conveniunt. Quando ergo fuerimus in afflictionibus, hæc reputemus.

De inimicorum supplicio non lætandum. — Ne aliorum lætemur supplicio, tamquam de quibus sumpta sit vindicta, sed ut qui simus liberati a tali supplicio et pœna. Quid enim nos juvat quando alii fuerint puniti? Ne sint, quæso, tales nostri animi : a regno incitemur ad virtutem. Nam qui est bonus ac virtute valde præditus, neque a timore neque a regno inducitur ad virtutem, sed propter ipsum Christum, sicut faciebat Paulus. Sed nos cogitemus bona quæ sunt in regno, et mala quæ sunt in gehenna : sic saltem nos componamus et erudiamus; sic nos ipsos inducamus ad ea quæ sunt agenda. Quando videris aliquid bonum et magnum in præsenti vita, cogita regnum, et id nihil esse existimabis : quando terribile, cogita gehennam, et irridebis : quando te invaserit cupiditas corporalis, reputa ignem, reputa et ipsius peccati voluptatem, quod nullius sit pretii, quod ne habeat quidem voluptatem. Si enim legum, quæ hic sunt latæ, metus tantam vim habet, ut nos a pravis abducat actionibus, multo magis futurorum memoria, supplicium immortale, pœna sempiterna : si metus regis terreni a tam multis nos abducit malis, quanto magis metus æterni Regis? Quomodo ergo poterimus assidue metum habere? Si frequenter audiamus Scripturas. Nam si mortui solus conspectus animum nostrum ita reprimit : quanto magis gehenna et ignis qui nequit exstingui? quanto magis vermis qui non moritur? Si gehennam semper cogitemus, non cito in eam incidemus. Propterea supplicium minatus est Deus. Si illud cogitare non magnum aliquod haberet lucrum, non jam minatus esset Deus : sed quoniam ejus recordatio valet ad res magnas recte gerendas, propterea, tanquam salutare aliquod medicamentum,

ejus minas nostris insevit animis. Ne despiciamus tantum lucrum quod inde nascitur, sed etiam assidue versemus, in prandiis, in cœnis. Nam de rebus quidem jucundis sermo nihil juvat animam, sed eam reddit imbecilliorem : sermo autem de rebus tristibus et molestis amputat quidquid diffunditur et diffluit, eamque dissolutam convertit et contrahit.

Metus supplicii quantam vim habeat. — Qui de theatris et mimis disputat, nihil ei prodest, sed magis incendit, magisque temerariam reddit et petulantiorem : qui aliena curat et scrutatur, sæpe illam ex tali curiositate in pericula conjicit. At qui de gehenna loquitur, nulli obnoxius erit periculo, et sapientiorem reddet animam. At verborum times importunitatem? Num si sileas, gehennam exstinxeris? num si dixeris, accenderis? Seu dixeris, seu non dixeris, exardescet ignis. De ea dicatur assidue, ut numquam in eam incidas. Fieri non potest ut anima de gehenna sollicita cito peccet : audi enim optimam admonitionem, *In memoriam revoca novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Eccli.* 28. 6). Fieri non potest ut anima quæ timet de reddendis rationibus, ad delicta non sit tarda : metus enim vigens in cogitatione, in ea nihil admittit mundanum. Nam si quæ de ea verba fiunt, eam ita dejiciunt, et comprimunt, ratio et cogitatio quæ perpetuo habitat in animis, annon magis purgat animam quam quivis ignis? Regni non ita meminerimus ut gehennæ : metus enim majorem vim habet quam promissio; et scio quod multi bona despicati essent innumerabilia, si liberati essent a supplicio : cum nunc quoque mihi sufficiat non esse punitum, non esse castigatum. Nullus ex iis qui gehennam habent ante oculos, incidet in gehennam : nullus ex iis qui gehennam despiciunt, effugiet gehennam. Sicut enim apud nos qui timent quidem judicia, non comprehenduntur a judiciis; qui autem illa despiciunt, ii sunt qui in ea maxime incidunt : ita hic quoque. Si non eversionem timuissent Ninivitæ, fuissent eversi : quoniam vero timuerunt, non fuerunt eversi. Si temporibus Noe timuissent diluvium, non fuissent obruti diluvio; et si timuissent Sodomitæ, non fuissent exusti. Magnum est malum minas negligere : qui despicit minas, per res ipsas cito sentiet experientiam. Nihil est æque utile atque de gehenna disserere : quovis argento puriores nobis efficit animas : audi enim prophetam dicentem, *Judicia tua coram ne sunt semper* (*Psal.* 17. 23). Christus quoque de ea sæpe disserit. Nam etsi molestia afficit auditorem, ei tamen prodest maxime.

4. *Paulus gehennam despiciebat, quare.* — Talia enim sunt omnia quæ prosunt; neque mireris : nam et medicamenta et cibi ægroto prius sunt molesti, et tunc afferunt utilitatem. Si autem non ferimus verborum gravitatem, est perspicuum forte ut feramus per acerbam rerum experientiam : si nemo fert verba quæ fiunt de gehenna, palam est, adveniente persequutione neminem ferro et igni obstiturum esse. Aures nostras exerceamus, ne moliamur : inde enim etiam ad res ipsas veniemus. Si assuescamus audire terribilia, etiam terribilia ferre assuescemus : sin autem simus adeo dissoluti et enervati ut ne verba quidem feramus, quomodo rebus resistemus? Vides quomodo quæ sunt hic omnia, crebraque pericula despiciat beatus Paulus? Quare? Quoniam meditatus erat etiam gehennam despicere pro iis quæ Deo placent. Ille ne gehennæ quidem experientiam aliquid esse putabat propter Christi desiderium : nos pro iis quæ nobis conferunt, ne verba quidem de ea patimur? Atque nunc quidem paucis auditis discreditis : rogo autem vos, si qua est in vobis caritas, ut quæ de his verba fiunt perpetuo versetis. Nihil poterunt nocere, etiamsi non prosint : certo autem scio quod proderunt; nam ex sermonibus qualitatem suscipit anima. *Corrumpunt* enim *bonos mores colloquia prava* (1. *Cor.* 15. 33). Juvant ergo colloquia bona; modestos et temperantes reddunt colloquia terribilia. Est enim anima veluti quædam cera : nam si frigidas quidem induxeris colloquutiones, callum obduxeris et induraveris; sin autem ignitas, molliveris : mollitam autem ad quodcumque vis formaveris et effinxeris, et regiam imaginem insculpseris. Obstruamus ergo aures ad temerarios sermones : non est parvum malum : ex eo nascuntur mala omnia. Si meditata esset mens nostra attendere divinis sermonibus, non attenderet aliis : non attendens autem aliis, neque res malas aggrederetur. Ad facta enim via est sermo : primum cogitamus, deinde loquimur, deinde agimus. Multi sæpe etiam frugi et moderati a turpibus verbis venerunt ad turpes actiones. Non enim anima nostra natura est bona nec mala, sed ex libero arbitrio et hoc fit et illud. Sicut ergo velum, quocumque spiraverit ventus, illuc defert navem, vel potius sicut clavus transfert navem, si ventus sit secundus : ita etiam cogitatio, si bona verba secundo vento ferantur, navigabit absque periculo; si autem contraria, sæpe etiam submergent cogitationem. Quod enim navigiis sunt spirantes venti, hoc animis sunt verba : quocumque vis ipsam traducis et convertis. Propterea dicit quidam admonens, *Omnis narratio tua sit in lege Altissimi* (*Eccli.* 9. 20). Propterea rogo, a nutrice acceptos infantes ne anilibus fabulis assuefaciamus, sed ab ineunte ætate discant quod sit judicium; quod sit supplicium, infigatur eorum animis : hic metus si radices egerit, magna bona facit. Anima enim quæ ab ineunte ætate didicerit ea exspectatione concuti, hunc metum non cito amovebit : sed sicut equus quidam qui freno facile regitur, habens insidentem gehennæ cogitationem, ordinate ingrediens, et loquetur et dicet utilia : et neque juventus, neque divitiæ, neque orbitas, neque quidquam aliud ei nocere poterit, cum adeo validam habeat rationem, et quæ possit omnibus resistere. His verbis et nos ipsos componamus, et uxores et servos et filios et amicos, et, si fieri potest, etiam inimicos. Cum his enim verbis possumus multa peccata resecare, et melius versari in rebus molestis, quam in jucundis. Est autem illinc perspicuum. Nam dic mihi, si veneris in domum in qua celebran-

tur nuptiæ, aliquantisper quidem spectaculo es delectatus; postea autem cum recesseris, dolore extabescis, quod tam multa non habeas. Sin autem ingressus fueris domum lugentium, etiamsi sint valde divites, cum recesseris, magis quiesces : non enim inde accepisti invidiam, sed consolationem de tua paupertate.

Divitiæ non bonæ ; paupertas non mala. — Per res ipsas vidisti quod nullum bonum sint divitiæ, nullum malum paupertas, sed res sint indifferentes. Ita nunc quoque si loquaris de deliciis, magis feris animam, ut quæ forte non habeat quo deliciis indulgeat : quando autem adversus delicias etiam de gehenna sermones in medium injeceris, res te delectat, et magnam parit voluptatem. Quando enim cogitaveris quod deliciæ adversus illum ignem nihil poterunt opis ferre, eas non requires : sin autem reputaveris quod ipsum quoque magis solent accendere, non solum non requires, sed etiam adversaberis et repelles. Ne fugiamus sermones de gehenna, ut gehennam fugiamus : ne fugiamus pœnæ mentionem, ut non puniamur. Si dives ille ignem istum cogitasset, non peccasset ; quoniam autem ejus numquam meminit, ideo in eum incidit. Dic mihi, o homo, cum sistendus sis ad tribunal Christi, de quavis potius quam de ea re loqueris? Et si tibi sit lis apud judicem, sæpe verbis tenus, non noctu, non interdiu, non aliquo temporis momento, non hora aliqua aliquid aliud loqueris, sed perpetuo de re illa ; de tota autem vita tua rationem redditurus et judicium subiturus, ne eos quidem toleras, qui hoc judicium tibi in mentem revocant? Propterea ergo omnia perierunt et sunt perdita ac profligata, quod ad humanum tribunal sistendi, pro rebus quæ ad hanc vitam pertinent, omnia moveamus, quemlibet rogemus, assidue de eo simus solliciti, omnia pro illa re agamus : ad Christi autem tribunal non multo post venturi, nihil nec per nos nec per alios agamus, Judicem non rogemus, quamvis nobis longum det temporis spatium, et nos non rapiat in mediis peccatis ; sed permittat ut ea exuamus, et nihil eorum quæ ad ipsum pertinent prætermittat illa bonitas et benignitas. Sed nihil amplius efficitur : propterea majus est supplicium. Sed absit ut ita fiat. Propterea rogo, ut nunc saltem resipiscamus, gehennam ante oculos habeamus, cogitemus illam inevitabiliter reddendam rationem : ut hæc reputantes, et vitium fugiamus, et virtutem eligamus, et possimus assequi bona promissa iis qui ipsum diligunt, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA III.

Cap. 1. v. 9. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini et a gloria virtutis ejus,* 10. *cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.*

1. Sunt multi homines qui bonam spem habent, non in eo quod abstineant a peccatis, sed in eo quod existiment gehennam non esse vehementem sicut dicitur, sed mitiorem quam eam cujus minæ intentantur, et esse temporaneam, non æternam, et de illa re multum philosophantur. Ego vero non solum quod non sit mitior quam cujus minæ intententur ; sed multo vehementior, ex multis possum ostendere, et colligere ex ipsis verbis de gehenna. Cæterum nullum nunc agito sermonem de his rationibus : sufficit enim metus ex solis verbis conceptus, etiamsi eorum sententiam non explicaverimus. Quod autem non sit temporanea, audi Paulum nunc dicentem de iis qui Deum non norunt, neque credunt evangelio, quod pœnas dabunt, exitium æternum. Quod autem est æternum, quomodo temporale? *A facie,* inquit, *Domini.* Quid hoc est? Facilitatem quamdam vult indicare. Quia enim tunc ob divitias altum sapiebant ; Magno, inquit, non opus est negotio, sed sufficit ut adsit tantum Deus et visus fuerit, et sunt omnes in pœna et supplicio. Ejus præsentia aliis quidem erit lux, aliis vero supplicium. *Et a gloria,* inquit, *virtutis ejus, cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Quid dicis? Deusne glorificatur? Certe, *In omnibus,* inquit, *sanctis suis.* Quomodo? Quando enim, inquit, ii qui altum sapiunt, viderint eos qui ab ipsis flagellantur, qui despiciuntur, qui irridentur, esse prope ipsum, tunc apparet ejus gloria ; vel potius et eorum et ejus gloria : ejus quidem, quod eos non reliquerit, sed præclaros reddiderit et illustres ; eorum autem, quod tanto dignati sint honore. Ut enim illi ejus sunt divitiæ, quod sint fideles : ita etiam ejus est gloria, quod illi bonis ejus sint potituri. Gloria boni est habere quos suis ornet beneficiis. *Et admirabilis,* inquit, *fieri in omnibus qui crediderunt.* Hoc est, per eos qui crediderunt. Ecce rursus, *in,* idem est quod, *per* : per illos enim redditur admirabilis. Quando enim eos qui miseri erant et abjecti, ac mala passi innumerabilia crediderant, ad tantum deducit splendorem ; ejus virtus tunc ostenditur, quod, etiamsi hic videantur derelicti, sed tamen magna illic fruuntur gloria : tunc maxime ostenditur omnis Dei gloria et virtus. Quomodo autem, audi ; subjungitur enim : *Quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo.* 11. *In quo etiam oramus semper pro vobis.* Hoc est : Quando adducti fuerint in medium qui mala passi sunt innumera ut a fide desciscerent, et non cesserunt, sed crediderunt, glorificatur Deus : tunc ostenditur etiam horum gloria. Quia igitur multi fidem simulant, ante mortem neminem beatum dixeris : nam in illo die ostenduntur qui crediderunt. *In quo etiam oramus,* inquit, *semper pro vobis : ut vos dignetur vocatione sua Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis suæ et opus fidei in virtute. Ut dignetur,* inquit, *vos vocatione ;* ostendens multos

rejectos fuisse. Propterea subjunxit, *Et impleat omnem voluntatem bonitatis suæ.* Nam is quoque qui sordidis erat indutus vestibus fuit vocatus, sed non mansit in vocatione ; imo propterea magis ejectus fuit a vocatione in thalamum sponsi. Nam quinque etiam virgines fuerunt vocatæ : Surgite, inquit, sponsus venit (*Matth.* 25. 6); et paratæ erant, sed non sunt ingressæ. Significans ergo quamnam dicit vocationem, subjunxit : *Et impleat omnem voluntatem bonitatis suæ, et opus fidei in virtute.* Hanc quærimus vocationem, inquit. Vide quomodo sensim eos colibet et comprimit. Ne enim efferantur laudum exsuperatione, ut qui res magnas gesserint, pigrique et ignavi evadant, ostendit eis adhuc aliquid deesse, quamdiu fuerint in hac vita : quod etiam ad Hebræos scribens dicebat : *Nondum ad sanguinem usque restitistis, adversus peccatum decertantes* (*Hebr.* 12. 4). *Omnem*, inquit, *voluntatem ;* hoc est, beneplacitum, et quod est persuasum certumque ac statutum. Ac si diceret, Ut fiat quod Deo certum est et in quo acquiescit, ut nihil vobis desit, ut sitis ita ut vult. *Et opus fidei in virtute.* Quid hoc est? Tolerantia persequutionum. Ne dissolvamur, inquit, nec deficiamus. 12. *Ut glorificetur nomen Domini Jesu Christi in vobis, et vos in illo, secundum gratiam Dei nostri et Domini Jesu Christi.*

2. Vide : dixit illic gloriam, dixit hic quoque : dixit quod ipsi quoque glorificantur, ut et glorientur : dixit, quod est longe amplius, quod Deum quoque glorificant : dixit quod recipient illam gloriam : sed hic quoque dicit : nam dum glorificatur dominus, servi quoque glorificantur. Nam qui dominum glorificant, multo magis ipsi glorificantur, et hoc ipso, et absque illo. Gloria enim est afflictio, quæ propter Christum suscipitur ; et ubique eam rem vocat gloriam : et quo magis aliquid turpe et ignominiosum passi fuerimus, eo sumus clariores. Deinde ostendens quod hoc ipsum quoque est Dei, dicit, *Secundum gratiam Dei nostri et Domini Jesu Christi.* Hanc gratiam ipse nobis dedit, ut glorificetur in nobis, et nos glorificet in ipso. Quomodo glorificatur in nobis? Quoniam nihil ei præferimus. Quomodo glorificatur in ipso? Quoniam ab ipso accepimus virtutem, ut non cedamus malis quæ inferuntur. Nam quando tentatio acciderit, simul et Deus glorificatur, et nos : ipsum enim glorificant quod nos sic corroborarit ; nos admirantur, quod nos ita comparaverimus ut simus digni. Hæc autem omnia fiunt a Dei gratia. (*Cap.* 2) 1. *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi et nostræ congregationis in ipsum,* 2. *ut non cito moveamini a sensu vestro.* Quando futura sit resurrectio, non dixit ; quod autem nunc non erit, dixit. *Nostræ*, inquit, *congregationis in ipsum.* Non est hoc quoque parvum. Vides quomodo fit etiam suasio cum laude et adhortatione, quod omnino nobiscum ipse appareat, et sancti omnes? Loquitur hic de Christi adventu et de nostra congregatione : hæc enim simul erunt. Erigit mentem eorum, ut non cito, inquit, labetis et vacilletis. *Neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, ut per nos missam, quasi instet dies Domini.* Hic innuere videtur fuisse quosdam, qui fictam et ementitam ut Pauli epistolam gestaverint, eamque ostendentes dicerent, quod instaret dies Domini, ut inde multos in errorem inducerent. Ne igitur errarent, sed sibi caverent, confirmat Paulus per ea quæ dicit et scribit : *Ne terreamini neque per spiritum, neque per sermonem.* Quod autem ait, ita habet : Etiamsi aliquis spiritum prophetiæ habens hoc dicat, ne credideritis. Quando enim eram apud vos, hæc dixi vobis : adeo ut minime deceat ab eorum fide recedere quæ docti fuistis. *Neque per spiritum.* Pseudoprophetas sic appellat spiritu immundo afflante loquentes quæcumque proferebant. Isti enim fidem dictis suis conciliare volentes, non solum persuadendi ratione conabantur in errorem inducere ; hoc quippe ostendit, cum ait, *Neque per sermonem ;* verum etiam fictam, quasi esset Pauli, epistolam ostendebant, hoc ipsum quod prætendebant exprimentem. Quocirca idipsum ostendens subjunxit, *Neque per epistolam, tamquam per nos.*

Antichristus. — Undequaque igitur eos confirmans sic sententiam suam exponit et ait : 3. *Ne quis vos seducat ullo modo : quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius proditionis,* 4. *qui adversatur et extollitur, supra omne quod dicitur deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.* De Antichristo hic disserit, et magna aperit mysteria. Quid est *Discessio?* Antichristum vocat discessionem, ut qui multos sit perditurus, et ut deficiant, inducturus : *Adeo ut scandalizentur*, inquit, *si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* 24. 24). Vocat autem eum hominem peccati : faciet enim innumerabilia, et procurabit ut alii faciant terribilia. Dicit autem eum filium perditionis, quod ipse quoque pereat. Quis est autem iste? numquid satanas? Nequaquam : sed homo quidam suscipiens omnem ejus operationem. *Et revelatus fuerit homo*, inquit, *qui extollitur supra omne quod dicitur deus aut quod colitur.* Non enim illos inducet ad cultum idolorum, sed erit quidam Dei adversarius : dissolvet et destruet omnes deos, et jubebit seipsum pro Deo adorare, et sedebit in templo Dei, non quod est Jerosolymis, sed in templo Ecclesiæ. *Ostendens*, inquit, *seipsum Deum.* Non dixit, Dicentem, sed, Tentantem ostendere : faciet enim magna opera, et signa ostendet admirabilia. 5. *Non retinetis quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis?*

3. Vides quod necesse sit assidue hæc dicere, et iisdem verbis infundere? Ecce enim et præsentem audierunt hæc dicentem, et rursus opus habuerunt admonitione. Sicut enim cum audissent de afflictionibus, *Etenim quando eramus*, inquit, *apud vos, prædicebamus vobis nos passuros tribulationes* (1. *Thess.* 3. 4); obliti tamen erant, et rursus per litteras eos confirmat : ita etiam cum audivisseat de adventu Christi, rursus opus habebant litteris, quæ eos componerent

et moderarentur. Eis ergo revocat in memoriam, ostendens se nihil novum et alienum dicere, sed ea quæ semper dicebat. Sicut enim apud agricolas semina quidem semel dejiciuntur, non manent autem perpetuo, sed magna opus habent quæ eis adhibeatur cultura et curatione; et nisi terra proscissa contexerint ea quæ dejiciuntur, seminarunt avibus semina legentibus: ita nos quoque nisi continua recordatione protexerimus ea quæ sunt dejecta, in aerem omnia projicimus. Diabolus enim rapit, et nostra perdit negligentia, et sol exsiccat, et imber obruit, et spinæ suffocant. Quamobrem non sufficit cum semel dejeceris discedere, sed ut fructum referas magna opus est assiduitate, aves abigendo, spinas exscindendo, petricosa multa terra replendo, omne quod damnum affert arcendo et tollendo. Sed in terra quidem universum est agricolæ; illa enim jacet carens anima, ad patiendum solum parata: in hac autem terra spirituali nequaquam: non est universum doctorum ac magistrorum; sed si non est pars maxima, dimidium quidem certe est discipulorum. Atque nostrum quidem est sementem dejicere, vestrum autem est facere quæ dicuntur, memoriæ per facta fructus ostendere, spinas radicitus evellere: spinæ enim sunt revera divitiæ, nullum habentes fructum, visu deformes, et ad usum injucundæ, eos qui tangunt molestia afficientes, non solum ipsæ fructum non ferentes, sed id etiam quod germinat, impedientes. Tales sunt divitiæ; non solum ipsæ fructum non ferunt æternum, sed eos etiam qui ferre cuperent, occupantes impediunt. Rationis expertium camelorum nutrimentum sunt spinæ: ignis sunt esca, et sumptus ad nihil utilis. Tales sunt divitiæ, ad nihil utiles, nisi ad succendendum fornacem, ad illum diem accendendum qui ardet ut clibanus ad alendas rationis expertes animi perturbationes, odium, injuriæ acceptæ recordationem, et iram. Talis enim etiam camelus qui rodit spinas: dicitur enim ab iis qui hæc norunt in jumentis nullum esse æque iracundum, et quod iræ sit gravioris, et acceptæ injuriæ magis memor quam camelus. Tales sunt divitiæ, alunt rationis expertes motus animi; qui sunt autem rationis participes, pungunt et sauciant, sicut usuvenit in spinis. Durum quid et asperum est hæc planta, ea sua sponte nascitur. Videamus quomodo nascitur, ut ipsam exscindamus: nascitur in locis præruptis, lapidosis, aridis, ubi nullus est humor. Quando ergo est aliquis asper, præruptus et præceps, hoc est immisericors, in eo nascitur spina. Sed quando eas volunt exscindere agricolæ, non ferro faciunt, sed quomodo? ignem immittentes, sic omne terræ vitium extrahunt. Nam quoniam non sufficit superne scindere, radice inferius manente; sed neque radicem eximere; ex vitio enim in terra manet; sicut cum pestis aliqua in corpus incubuerit, manent reliquiæ: omnem illius humorem, nempe spinarum ignis superne hauriens, tamquam virus quoddam per calorem ex terræ lumbis ignis extrahit. Sicut enim imposita cucurbitula omne vitium ad se attrahit: ita etiam ignis omne vitium quod ex spinis exstitit exhaurit, et ipsam puram reddit. Quam autem ob causam hæc dixi? Quod oporteat undique expurgare omnem erga divitias animi affectum. Est et apud nos ignis qui hoc vitium ex animo extrahit, nempe ignis spiritus: si eum immiserimus, non solum spinas, sed et qui ex eis oritur humorem poterimus exsiccare. Quod si fuerint infixæ, frustra fiunt omnia. Vide enim: huc ingressus est dives, seu vir, seu mulier? non curat quomodo audiet Dei eloquia, sed quomodo se ostentabit, quomodo cum fastu sedebit, quomodo cum multa gloria, quomodo sit alias superatura vestium magnificentia; habituque, visu et incessu se reddet magis ornatam ac venerandam; totaque ejus cura ac sollicitudo in hoc versatur, Num hæc aut illa vidit? num est admirata? num recte sum ornata? Neque circa hoc solum habet sollicitudinem, sed etiam ut non putrescant vestes, ut non disrumpantur: et tota ejus in hoc consistit cura. Similiter vir quoque dives ingreditur se pauperi ostentaturus, et ei timorem incussurus per amictum vestium, quod multos habeat pueros. Stant autem illi turbam arcentes et abigentes. Ille autem præ nimio fastu ne hoc quidem dignatur facere, sed eam rem scit esse adeo indignam homine libero, ut licet sit valde tumidus et elatus, non sustineat eam facere, sed mandet servis: hoc enim facere est plane servile morumque impudentium. Deinde sedentem statim subeunt curæ domesticæ trahentes in omnem partem, circumfluit fastus qui obsidet animam; existimat se gratificari et nobis et populo, et fortassis etiam Deo, quod intrarit in domum Dei. Qui autem adeo est inflatus, quomodo poterit umquam curari?

4. Dic quæso, si quis accesserit in officinam medici, et a medico gratiam non petat, sed existimet se ei gratificari, et mittens postulare medicamentum vulneri applicandum, occupetur circa vestes; aliquidne boni adeptus recesserit? Non sane arbitror. Horum autem omnium causam dicam, si vultis. Existimant se ad nos intrare quando huc intrant; existimant se a nobis audire quæ audiunt; non attendunt, non cogitant quod ad Deum ingrediuntur, quod ipse cum eis loquitur. Quando enim lector cum surrexerit dicit, *Hæc dicit Dominus*, etc., et stans diaconus silentio indicto omnibus os obstruit, non lectori honorem habens hoc facit, sed ei qui per illum cum omnibus loquitur. Si scirent quod sit Deus qui hæc dicit per prophetam, omnem fastum abjicerent. Nam si loquentibus cum eis magistratibus, non sustinent foris habere animum, multo magis Deo loquente. Nos ministri sumus, o dilecti: nos non nostra dicimus, sed quæ sunt Dei: e cælo quotidie venientes leguntur epistolæ Dic autem quæso, si quispiam dum omnes nos adsumus, ingressus esset zonam habens auream, erectaque cervice, superbeque incedens et se efferens, diceret se esse missum a rege terreno, et ad totam civitatem afferre epistolam de rebus necessariis, annon omnes converteremini? annon etiam non jubente diacono magnum adhiberetis silentium? Ego sane arbitror: nam hic etiam audivi legi epistolas regis. Itane si

quispiam quidem veniat a rege, omnes acceditis; a Deo autem venit et e cælis loquitur propheta, et nemo est qui attendat? Annon creditis quod hæc quæ dicuntur sunt a Deo? hæ epistolæ a Deo missæ sunt. Ingrediamur ergo ecclesias cum eo quo par est honore, et cum timore audiamus quæ dicuntur. Cur, inquit, ingredior, si non audio aliquem verba facientem? Hoc omnia perdidit et corrupit. Quid enim opus est aliquo qui verba faciat et sermonem habeat? ex nostra socordia hoc venit. Quid enim opus est sermone? omnia sunt dilucida et recta quæ sunt in divinis Scripturis; manifesta sunt quæcumque sunt necessaria. Sed quoniam estis auditores delectationis, propterea hæc etiam quæritis. Nam dic, quæso, quo orationis fastu dicebat Paulus? sed tamen convertit orbem terræ. Quonam autem Petrus qui erat illiteratus?

Scripturæ sacræ legendæ. — At nescio, inquit, quæ sita sunt in divinis Scripturis. Quare? num enim Hebraica, num Romana, num alia lingua dicta sunt? annon Græce dicuntur? Sed obscure, inquit. Quænam ea obscuritas, dic quæso? annon sunt historiæ? Nosti quæ sunt clara et dilucida, ut de iis quæ sunt obscura perconteris. Historiæ innumerabiles sunt in Scripturis: dic mihi unam ex illis: sed non dices. Prætextus hæc sunt et verba: licet, inquit, eadem audire quotidie. Quid vero, dic quæso? in theatris non eadem audis? in stadiis et equorum curriculis non eadem vides? res omnes non sunt eadem? non idem sol semper oritur? non iisdem utimur alimentis? Vellem autem ex te sciscitari, quoniam eadem dicis te audire quotidie; dic mihi, cujus prophetæ est locus qui fuit lectus? et cujus apostoli, aut cujus epistolæ? Sed non potes dicere; imo videris audire nova quædam et aliena. Atque quando vis quidem te dedere otio et socordiæ, eadem esse dicis: quando autem fueris interrogatus, ita es affectus ut qui numquam audiveris. Si sunt eadem, oporteret scire: tu autem ignoras. Dignæ sunt res præsentes quæ lugeantur; quæ lugeantur, inquam, et defleantur, quod frustra laboret qui cudit argentum. Hoc ipso maxime oporteret attendere, quod sint eadem, quoniam nullum vobis laborem exhibemus, neque peregrina aliqua et immutata dicimur. Quid vero? quoniam illa eadem esse dicitis, nostra autem non sunt eadem, sed semper nova dicimus et peregrina, eisne attenditis? Nequaquam; sed si dixerimus, Cur ne hæc quidem retinetis? Semel, inquit, audimus et quomodo fieri potest ut retineamus? Si dixerimus, Cur illa non attenditis? dicitis, Semper dicuntur eadem: et undique sunt hæc verba socordiæ et prætextus. At non perpetuo procedent, sed tempus erit quando temere et frustra lamentabimur. Quod absit: sed potius fiat ut cum pœnitentiam egerimus, cum prudentia pietateque iis quæ dicuntur, attenderimus, ad bona opera agenda properemus, et exactissime vitam nostram corrigamus, ut possimus assequi bona promissa iis qui ipsum diligunt, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA IV.

CAP. 2. v. 6. *Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore.* 7. *Nam mysterium jam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc, teneat donec de medio fiat:* 8. *et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui,* 9. *cujus est adventus secundum operationem satanæ.*

1. Merito quæsierit quispiam primum quid sit illud, *Quod detinet*, et postea velit discere cur tam obscure hoc ponat Paulus. Quid est ergo, *Quod detineat ut reveletur ipse*, hoc est, quod prohibeat ne reveletur? Alii quidem dicunt gratiam Spiritus; alii autem Romanum imperium: quibus ego maxime assentior. Quare? Quoniam, si voluisset dicere spiritum, non dixisset obscure, sed aperte, quod nunc quoque eum detineat gratia Spiritus, hoc est, charismata seu dona gratuita. Alioqui autem oporteret eum jam advenisse, siquidem esset adventurus, cum defecissent charismata: nam jam olim defecerunt. Quoniam autem hoc dicit de Romano imperio, merito jam ænigmatice et adumbrate est loquutus: neque enim volebat supervacaneas suscipere inimicitias et inutilia pericula. Nam si dixisset futurum jam ut paulo post Romanum everteretur imperium, eum protinus tamquam exitiosum et pestiferum hominem confodissent, et fideles omnes, ut qui sub eo viverent et militarent.

Nero typus Antichristi. Cur Deus permissurus sit Antichristum venire. — Ideo neque ita, neque cito futurum dixit, quamquam semper idem dicit: sed quid? *Ut reveletur*, inquit, *ipse in suo tempore. Nam mysterium jam operatur iniquitatis.* Neronem hic dicit, ut qui sit typus Antichristi: ille enim volebat existimari deus. Recte autem dixit, *Mysterium:* non enim aperte sicut ille, neque omni exuto pudore. Si enim ante illud tempus inventus, inquit, fuit, qui in vitio non multum abfuit ab Antichristo, quid mirum si jam erit? Sic obscure dixit, neque eum voluit reddere manifestum, non propter timorem, sed nos erudiens ne supervacaneas suscipiamus inimicitias, cum nihil sit quod urgeat. Ita hic quoque dicit. *Tantum ut qui tenet nunc, teneat donec e medio fiat.* Hoc est, quando Romanorum imperium de medio fuerit sublatum, tunc ille veniet. Et merito. Quamdiu enim fuerit metus hujus imperii, nemo cito subjicietur: quando autem hoc fuerit eversum, vacans invadet imperium, hominumque et Dei imperium aggredietur rapere. Sicut enim eversa sunt quæ ante illud fuerunt regna, ut Medorum a Babyloniis, Babyloniorum a Persis, Persarum a Macedonibus, Macedonum a Romanis: ita hoc quoque ab Antichristo, et ille a Christo, et non amplius retinebit. Et hoc cum magna evidentia nobis tradit Daniel. *Et tunc*, inquit, *revelabitur iniquus.* Et quid postea? Prope est consolatio: subjicit enim: *Quem Dominus*, inquit, *Jesus interficiet spiritu oris*

sui, et destruet illustratione adventus sui, cujus est adventus secundum operationem satanæ. Sicut enim ignis si tantum invaserit parva animalcula, ante suum adventum, etiamsi sint procul, torporem injicit et consumit : ita Christus quoque, jussu solo et præsentia Antichristum de medio tollet. Satis est eum adesse, et hæc omnia peribunt : sistet fallaciam, si vel tantum apparuerit. Jam vero ostendens quis hic sit, *Cujus est adventus secundum operationem satanæ : In omni virtute*, inquit, *et signis et prodigiis mendacibus.* Hoc est, omnem ostendet virtutem ac potentiam; at nihil verum, sed omnia ad deceptionem. Hæc prædixit, ne decipiantur qui tunc erunt. *In prodigiis*, inquit, *mendacibus*, seu falsis, vel inducentibus ad falsum. 10. *Et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt.* Cur ergo, inquit, permisit Deus ut is esset, et quodnam est ejus consilium? et quodnam lucrum percipitur ex ejus adventu, cum sit in exitium nostrum? Ne timeas, o dilecte, sed audi ipsum dicentem : Vim habet in iis qui pereunt, qui etiam, si ille non accessisset, non credidissent. Quodnam est ergo lucrum? Quod iis qui peribunt os obstruetur. Quomodo? Sive ille venisset, sive non venisset, Christo non credidissent : venit ergo eos convicturus. Nam ne tunc dicerent, Quoniam se Deum dicebat esse Christus, etiamsi nusquam id dixit aperte, sed quoniam qui postea fuerunt prædicarunt, non credidimus : quoniam audivimus quod unus sit Deus ex quo omnia; ideo non credidimus : hunc ergo eorum prætextum tollet Antichristus. Nam quando ille venerit, et nihil sanum, sed omnia iniqua et legibus contraria imperanti, ex solis falsis signis credetur, ora eorum obturabit. Nam si Christo non credis, multo minus oportebat credere Antichristo : nam ille quidem dicebat se missum esse a Patre; iste autem contrarium Propterea dicebat Christus : *Ego veni in nomine Patris mei, et me non suscepistis : si alius venerit in nomine suo, illum suscipietis* (*Joan.* 5. 43). At vidimus, inquit, signa. Sed multa quoque et magna facta sunt a Christo : multo magis ergo ei oportuit credere. Atqui de hoc quidem multa fuerunt prædicta, nempe quod iniquus, quod filius interitus, quod esset ejus adventus secundum operationem satanæ : de illo autem contraria, quod Servator, quod multa bona afferat. *Eo quod caritatem veritatis non acceperunt ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio :* 11. *ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

2. *Ut judicentur.* Non dixit, Ut puniantur; nam erant etiam alioqui puniendi; sed, *Ut judicentur;* hoc est, ut condemnentur in judicio terribili, ut sint inexcusabiles. Quinam sunt illi? Ipse explicat, dicens, *Qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Caritatem veritatis vocat Christum. Propterea enim, inquit, *quod caritatem veritatis non acceperunt :* utraque enim erant, et propter utraque accesserat, et homines diligens, et pro veris rebus. *Sed consenserunt,* inquit, *iniquitati :* venit enim ad exitium hominum, eos injuria affecturus. Quid enim tunc non faciet? omnia movebit, omnia perturbabit, et propter jussa et ut timorem incutiat : erit undique terribilis, a potestate, a crudelitate, a jussis iniquis. Sed ne timeas : vim habebit, inquit, in iis qui pereunt. Nam et Elias tunc veniet fideles confirmans (*Malach.* 4.5); et hoc dicit Christus : *Elias veniet, et restituet omnia* (*Marc.* 9. 10). Ideo de Joanne dictum est, *In virtute et spiritu Eliæ* (*Luc.* 1. 17). Neque enim fecit signa et miracula sicut Elias : *Nam Joannes quidem*, inquit, *nullum fecit signum; omnia autem, quæ dixit Joannes de eo, vera erant* (*Joan.* 10. 41. 42). Quomodo ergo *In virtute et spiritu Eliæ?* Hoc est, idem suscipiet ministerium : et sicut Joannes fuit præcursor prioris adventus, ita ille quoque erit præcursor secundi et gloriosi adventus, et ad id servatur. Ne ergo timeamus : auditorum concussit animum, nec fecit ut res præsentes graves et terribiles putarentur, sed dignæ de quibus agantur gratiæ. Ideo subjunxit : 12. *Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias, ad salutem in sanctificatione spiritus et fide veritatis.* Quomodo ad salutem elegit? Id ostendit dicens, *In sanctificatione spiritus;* id est, ut nos sanctificaret per spiritum et veram fidem. Hæc enim sunt quæ nostram salutem continent : nusquam ab operibus, nusquam a recte factis, sed per fidem veritatis. Ecce, *in*, rursus est, *per. In sanctificatione spiritus*, inquit. 13. *In quam et vocavit vos per evangelium nostrum, in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi.* Non est hoc parvum, si suam gloriam Christus nostram putat esse salutem. Benigni enim et clementis est gloria, esse multos quibus detur salus. Magnus est ergo Dominus noster, si nostram salutem ita desiderat : magnus est et Spiritus sanctus, qui operatur in nobis sanctificationem. Cur non prius posuit fidem, sed sanctificationem? Quoniam etiam post sanctificationem ea multa opus habemus, ne labefactemur. Vides quomodo nihil ostendit esse eorum, sed totum Dei?

14. *Traditio Ecclesiæ fide digna.* — *Itaque, fratres, state, et tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Hinc est perspicuum quod non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis : et ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio : nihil quæras amplius. Hic ostendit multos esse qui labant. 15. *Ipse autem Dominus noster Jesus Christus et Deus et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem æternam, et spem bonam in gratia,* 16. *exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono.* Rursus precatio post adhortationem : hoc enim est revera opem ferre. *Qui dilexit nos,* inquit, *et dedit consolationem æternam, et spem bonam in gratia.* Ubi nunc sunt qui Filium dicunt esse minorem, quoniam post Patrem nominatur in gratia lavacri? Ecce enim hic est contrarium : ipse primum ait, *Dominus noster Jesus Christus*, deinde, *Deus et Pater Domini nostri. Qui dilexit nos, et dedit consolationem æternam.* Quamnam autem eam?

Spem futurorum. Vides quomodo precationis modo mentes eorum excitat, ineffabilis Dei curæ pignora ponens et signa. *Exhortetur*, inquit, *corda vestra in omni opere et sermone bono* : hoc est per omne opus et sermonem bonum. Christianorum enim hæc est adhortatio, ut non solum aliquid boni faciant, sed etiam quod Deo placeat. Vide quomodo eorum reprimit fastum. *Qui dedit*, inquit, *consolationem, et spem bonam in gratia*. Simul etiam efficit ut bonam spem habeant de futuris. Si enim tot et tanta dedit in gratia, multo magis futura. Ego quidem certe, inquit, ita dixi; totum autem est Dei. Confirmare et corroborare, ut non labemus neque declinemus : hoc enim est nostrum et ipsius. Igitur et propter dogmata et propter actiones id dicit : hoc enim est exhortatio, ut confirmemur. Nam quando quispiam non dimovetur nec vacillat, quidquid acciderit, cum magna tolerat patientia : quod si dimotus et labefactatus fuerit animus, de cætero nihil efficit bonum et præclarum; sed non secus atque si cuipiam remissæ et luxatæ fuerint manus, ita etiam labascat animus, quando non fuerit ei persuasum quod ad bonum aliquem finem sit perventurus. (*Cap.* 3) 1. *De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Domini currat et glorificetur, sicut et apud vos.*

3. Ipse quidem pro iis precatus est ut confirmarentur; nunc autem ab ipsis petit rogans ut pro eo orent, non ut non periclitetur; in eo enim erat positus; sed *Ut sermo Domini currat et glorificetur, sicut et apud vos*. Petitio est conjuncta cum laude : *Sicut et apud vos*, inquit. 2. *Et ut liberemur ab importunis et malis hominibus : non est enim omnium fides*. Hoc est etiam ejus qui sua significat pericula, quod eos maxime consolabatur. *Ab importunis*, inquit, *et malis hominibus : non est enim omnium fides*. Forte de iis loquitur, qui repugnabant prædicationi, de iis qui resistebant et pugnabant cum dogmatibus : hoc enim tacite significavit dicens, *Non est enim omnium fides*. Non autem hic mihi videtur significare pericula, sed eos qui contradicebant et impediebant, sicut Hymenæus, sicut Alexander ærarius : *Valde enim*, inquit, *restitit verbis nostris* (2. *Tim.* 4. 15). Ut si quis de paterna diceret sorte, non est omnium militare in regia : sic ille de improbis a quibus vult liberari : Tales sunt, inquit, ii, quibus datum est non credere. Simul autem hoc dicens illos excitat. Magni ergo erant, si tantam habebant apud Deum fiduciam, ut possent etiam doctorem liberare a periculis, et ei facilem reddere prædicationem. Nos ergo eadem vobis dicimus. Nemo nos tantæ damnet arrogantiæ, nemo vestrum ex immodica humilitate tanto nos privet auxilio. Neque enim eodem animo dicimus quo dicebat Paulus : nam ille quidem hæc dicebat volens consolari discipulos; nos autem, ut magnum quid et bonum consequamur : et valde credimus, si velitis omnes unanimes ad Deum manus extendere pro nostra vilitate, futurum ut omnia nobis recte succedant. Ita hostes oppugnemus precibus et supplicationibus. Si enim armatos ita oppugnabant veteres, multo magis sic sunt oppugnandi ii qui sunt inermes. Ita Ezechias fugavit Assyrium, ita Moyses Amalec, ita Ascalonitas Samuel, ita Israel triginta duo reges. Si ubi opus erat armis et acie et prælio, missis armis confugiebant ad preces; ubi precibus solum res oportet confici, quomodo non multo magis est orandum? At illic, inquit, qui præerant rogabant pro populo, tu autem vis populum precari pro duce. Ego quoque id scio. Nam tunc qui parebant, erant quidem miseri, viles et abjecti : quamobrem a fiducia in Deum et a sola virtute ejus qui ducebat exercitum, eis dabatur salus : nunc autem cum gratia Dei aucta sit, et inter subditos inveniamus multos, imo longe plures, qui ea in re imperantem longe superant, ne nos hoc commilitio privetis : erigite manus nostras ne resolvantur, aperite os nostrum ne obstruatur : Deum rogate, propter hæc rogate. Atque id quidem quod fit est pro nobis, pro vobis autem est universum; ad id enim quod est vobis utile sumus collocati, et de rebus vestris sumus solliciti. Rogate unusquisque et privatim et publice. Vide Paulum dicentem, *Ut pro dono nobis dato per multos agantur gratiæ pro nobis* (2. *Cor.* 1. 11) : hoc est, ut multis det gratiam. Si apud homines, reos condemnatos et qui ad mortem abducuntur, accedens populus postulavit, et multitudinem respiciens et reverens Imperator, sententiam revocavit : multo magis a vobis Deus flectetur, non a multitudine, sed a virtute. Acrem enim et vehementem habemus hostem.

Chrysostomus se clare dicit esse ducem seu Episcopum. Ipsius humilitas. — Unusquisque enim vestrum res suas curat, et de eis est sollicitus : nos autem simul omnium : stamus in ea parte belli quæ laborat; adversus nos diabolus armatur vehementius. In bellis enim ante alios omnes belli ducem sternere conatur adversarius. Propterea illuc omnes currunt conjunctis clypeis : propterea magnus est tumultus unoquoque conante eum de medio tollere, et clypeis illum circumtegunt ac muniunt, illius caput volentes conservare. Audite quid Davidi dicat totus populus (non Davidi meipsum conferens hæc dico; non ita insanio; sed populi erga principem ostendere volens benevolentiam) : *Ne egrediaris*, inquit, *ad bellum nobiscum, ne exstinguatur lucerna Israel* (2. *Reg.* 21. 17). Vide quantum parcebant seni. Vestris precibus valde egeo : nemo me, ut dixi, ex immodica humilitate hac privet ope et auxilio. Si res nostræ floreant et sint in bona existimatione, vestræ quoque erunt splendidiores : si nobis prospere fluat doctrina, ad vos transibunt divitiæ. Audi prophetam dicentem, *Num seipsos pascunt pastores* (*Ezech.* 34. 2)? Vides Paulum has preces poscentem assidue? audis quod Petrus sic ereptus sit e carcere, quoniam assidue pro eo fiebat oratio (*Act.* 12. 5)? Plane credo futurum ut vestræ preces multum possint, quæ cum tanto consensu fiunt. Quantum existimatis nostram exsuperare vilitatem, pro tanto populo ad Deum accedere et rogare? Nam si ipse tantam non habeo fiduciam, ut pro me precer : multo minus ut pro aliis. Est enim eorum qui sunt vitæ probæ et bonæ existimationis, et Deum

rogare ut sit aliis benignus ac propitius; est eorum qui ipsum sibi reddiderunt benevolum : qui autem ipse quoque offendit, quomodo rogabit pro alio? Sed tamen quoniam paternis vos complector visceribus, quoniam omnia audet caritas, non solum in ecclesia, sed et domi ante alia fundo preces pro vestra sanitate animæ et corporis. Nullæ enim aliæ preces sacerdoti æque conveniunt, atque pro bonis populi Deum adire et apud eum intercedere. Nam si Job statim surgens tam multa faciebat pro filiis carnalibus, quanto magis nos debemus facere pro spiritualibus?

4. Cur autem hæc dico? Quia si nos pro vobis omnibus preces fundimus et oramus, etsi tantum absumus a rei magnitudine, multo magis justum est ut vos hoc faciatis. Nam unum quidem rogare pro multis, magnæ est audaciæ et quod multa eget fiducia; multos autem, cum simul convenerint, pro uno precari, non est grave nec importunum. Non enim suæ virtuti fidens hoc facit unusquisque, sed multitudini et consensui quem semper maxime respicit Deus, et eo movetur ac placatur. *Ubi enim fuerint duo aut tres congregati in nomine meo*, inquit, *illic sum in medio eorum* (*Matth.* 18. 20). Si ubi sunt duo aut tres congregati, est in medio : multo magis apud vos. Quod enim per se precans quispiam non potest accipere, hoc accipiet precans cum multitudine. Quare? Quoniam etsi non virtus propria, sed tamen consensus magnam habet vim : *Ubi fuerint*, inquit, *duo aut tres congregati.* Cur dixit *Duo?* nam si unus fuerit in nomine tuo, cur non es illic? Quoniam volo omnes simul esse, et non esse divulsos. Nos ergo alter alterum communiamus, caritate conjungamus ac colligemus : nemo nos separet. Si quispiam accusat, si quispiam molestia est affectus, ne id verset animo, seu apud proximum, seu apud nos. Hanc a vobis peto gratiam, ut accedatis et expostuletis et excusationem a nobis accipiatis. *Corripe*, inquit, *ne forte non dixerit : corripe, ne forte fecerit; etsi fecerit, ne addat amplius* (*Eccl.* 19. 14). Aut enim excusamus, aut condemnati veniam petimus, et de cætero tentamus ne in eadem incidamus. Hoc et vobis confert et nobis. Nam vos quidem absque ratione forte accusantes, cum veritatem rei intellexeritis, corrigemini : nos autem ignoramus peccasse, et corrigimur. Vobis quidem sine discrimine agere non prodest; nam illis constituta est pœna qui verbum otiosum emittunt : nos autem crimina tam vera quam falsa repellimus : falsa quidem, falsa esse ostendentes; vera autem, ea non amplius facientes. Omnino necesse est, ut cui tam multa sunt curæ, et ignoret, et peccet ex ignoratione. Nam si unusquisque vestrum habens domum, uxoremque et filios et servos quos regat, alius quidem plures, alius vero pauciores, in tam paucis tamen et numeratu tam facilibus, multa peccare non ut vult cogitur, aut nesciens, aut volens aliquid corrigere : multo magis nos qui tanto præsumus populo. Et vos adhuc multiplicet Dominus, et vos benedicat parvos cum magnis. Nam etsi ex multitudine magna nascitur sollicitudo, non cessamus tamen precari ut ea cura nobis crescat, et augeatur hæc multitudo fiatque multiplex et infinit. Nam patres quoque, etsi numerosa soboles eos sæpe cruciat, nullum tamen volunt amittere. Omnia vobis et nobis æqualia, et eadem sunt bonorum capita : non ego quidem majori copia, vos autem minori, sacræ sumus mensæ participes, sed utrique eam similiter tangimus. Si autem ego prior, non magni refert : nam et inter liberos major natu prior manum extendit ad epulas; sed ex eo tamen nihil accrescit, sed sunt nobis omnia æqualia : salutaris et quæ animas nostras continet vita, cum eodem honore datur utrisque. Non ego quidem alterius ovis, vos autem alterius, sed ejusdem omnes sumus participes : idem baptisma habemus utrique, uno dignati sumus spiritu, ad idem regnum utrique contendimus; fratres Christi similiter sumus : omnia sunt nobis communia. In quonam ego exsupero? In cursibus, in laboribus, in sollicitudinibus, eo quod pro vobis doleo. Sed nihil est hoc dolore suavius. Nam et mater dolens pro filio, dolore delectatur, de suis natis est sollicita, lætatur sollicitudinibus. Atqui sollicitudo quidem per se res est amara, sed quando ea fuerit pro filiis, multam habet voluptatem. Multos ex vobis genui, sed postea fuerunt dolores partus. Nam apud matres quidem corporales prius sunt dolores, et tunc est partus : hic autem ad ultimam usque respirationem sunt dolores, ne post partum sit aliquid abortivum; idque ego desidero. Nam etsi alius sæpe genuit, ego autem curis dilanior : neque enim ex nobis generamus, sed totum est Dei gratiæ. Si autem ambo parimus per spiritum, non aberraveris, si et eos qui ex me nati sunt, illius, et eos qui ex illo nati sunt, meos appellaveris. Hæc omnia cogitate, et manum porrigite, ut sitis nostra gloriatio, et nos vestra, in die Domini nostri Jesu Christi : quem detur omnibus nobis cum fiducia videre, in Christo Jesu Domino nostro.

HOMILIA V.

AD. 3. v. 3. *Fidelis autem Dominus est, qui confirmabit vos, et custodiet a malo.* 4. *Confidimus autem de vobis, fratres, in Domino, quod quæ præcipimus vobis, et facitis et facietis,* 5. *Dominus autem dirigat corda vestra in caritate Dei et in patientia Christi.*

1. Neque totum sanctorum precibus permittendo, nos ipsos oportet esse otiosos, et ad vitium currere, et nihil præclarum aggredi, neque rursus bona operando hanc opem despicere. Magna enim potest, magna certe, quæ pro nobis fit oratio, sed tum demum quando nos quoque operamur. Propterea Paulus quoque pro ipsis orans, rursus rem fide dignam facit ex promissione, et dicit : *Fidelis autem est Dominus, qui confirmabit vos, et custodiet a malo.* Nam si vos elegit ad salutem, non mentietur, neque sinet perire. Ne autem per hæc duceret ad socordiam, et totum

esse Dei arbitrati, ipsi dormirent, vide quomodo ab eis quoque exigit ut cooperentur, dicens : *Confidimus autem de vobis, fratres, in Domino, quod quæ præcipimus et facitis et facietis.* Fidelis quidem, inquit, est Deus et promittens salutem dare, omnino dabit, sed ut promisit? Quomodo autem promisit? Si velimus et eum audiamus : non absolute, neque tamquam ligna et lapides, otiosos salvabit. Recte autem posuit et illud, *Confidimus in Domino* : hoc est, credimus ejus benignitati et clementiæ. Rursus eos deprimit, totum inde pendere statuens. Nam si dixisset, Vobis autem credimus, esset quidem magna laus; sed non ostendisset eos credere omnia a Deo pendere : si autem dixisset, Confidimus autem in Domino, quod vos custodiet, et non addidisset, *De vobis*, et illud, *Quæ præcipimus et facitis et facietis*, eos fecisset pigriores, in Dei potestatem universum conjiciens. Oportet enim nos in ipsum totum conjicere, sed ipsos quoque operantes, labores subeuntes, et suscipientes certamina : et ostendit quod etiamsi sufficeret solum virtus ad nobis dandam salutem, oportet tamen ipsam esse perpetuam et nobis adesse usque ad extremum vitæ spiritum. *Dominus autem*, inquit, *dirigat corda vestra in caritate Dei et patientia Christi.* Eos rursus laudat et precatur, suam erga illos curam ostendens. Nam quoniam ad eos increpandos erat accessurus, eorum corda his prius lenit ac mitigat, et dicendo, Confido vos audituros, et ab eis petendo preces, et rursus eis bona precando innumerabilia. *Dominus autem dirigat*, inquit, *corda vestra ad Dei caritatem.* Multa enim sunt quæ avertunt a caritate, et multæ semitæ quæ inde divertunt; primum quidem vitium mamonæ, tamquam impudentes quasdam manus in nostram immittens animam, et mordicus apprehensos vel invitos inde vellit et trahit : deinde inanis gloria, et sæpe etiam afflictiones et tentationes avertunt. Propterea tamquam quodam spiritu, Dei auxilio opus habemus, ut nobis velum tamquam ab aliquo vehementi spiritu transmittatur ad Dei caritatem. Ne mihi enim dixeris, Diligo ipsum etiam plus quam me ipsum : hæc sunt verba : ostende factis, si ipsum diligis plus quam teipsum. Dilige plus quam pecuniam, et tunc te credo ipsum diligere plus quam teipsum : qui autem pecunias non despicis propter Deum, quomodo teipsum despicies? Quid autem dico pecunias? qui avaritiam et plura habendi cupiditatem non despicis, quod etiam absque Dei jussis oporteret facere, quomodo te ipsum despicias? *Et in patientiam Christi*, inquit. Quid est, *In patientiam?* Ut patiamur sicut ille passus est, aut ut illa agamus, aut ut etiam eum exspectemus cum patientia, hoc est, ut simus parati. Nam quoniam multa promisit, et ipse venit ad judicandum vivos et mortuos, illum exspectemus et sustineamus. Ubi autem dicit patientiam, omnino subindicat afflictionem : hoc enim est Deum diligere, sustinere, et non conturbari. 6. *Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis.* Hoc est, Non nos hæc dicimus, sed Christus : hoc enim est, *In nomine Domini nostri Jesu Christi.* Ostendit his verbis quam sit terribilis denuntiatio. Per Christum, inquit, annuntiamus. Nusquam igitur Christus præcipit nos esse otiosos. *Ut subtrahatis vos*, inquit, *ab omni fratre.* Ne mihi dicas divitem, ne pauperem, ne sanctum : hoc est immodestia et dissolutio. *Ambulante*, inquit, hoc est, vivente. *Et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis.* Traditionem ait quæ fit per opera; et proprie hanc semper dicit traditionem. 7. *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos : quoniam non inquieti fuimus inter vos*, 8. *neque gratis panem manducavimus ab aliquo.* Quamquam etiamsi comedissem, gratis non comedissem : *Dignus est enim*, inquit, *operarius mercede sua* (*Luc.* 10. 7). *Sed in labore et fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, daremus vobis ad imitandum nos.* 10. *Nam et cum essemus apud vos, denuntiabamus vobis, quod si quis non vult operari, nec manducet.*

2. Vide quomodo in priori quidem epistola mitius de hoc disserit, ut quando dicit : *Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis et contendatis* (1. *Thess.* 4. 10. 12) : et nusquam; *Denuntiamus;* neque, *In nomine Domini nostri Jesu Christi*, quod quidem est terribile et habet periculum; sed, *Ut abundetis*, inquit, *et contendatis*, quod erat adhortantis ad virtutem, *ut*, inquit, *honeste ambuletis* (1. *Thess.* 4. 11). Hic autem nihil hujusmodi, sed, *Si quis non vult operari, nec manducet.* Nam si Paulus, cui non erat necesse, sed in cujus erat potestate esse in otio, et tantum opus susceperat, operabatur tamen, et non solum operabatur, sed die ac nocte operabatur, ut posset etiam aliis opitulari; multo magis alios oportebat hoc facere. 11. *Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes.* Hoc quidem hic : illic autem in priori, *Ut honeste*, inquit, *ambuletis ad eos qui foris sunt.* Quare? Fortasse nihil adhuc erat tale : nam alibi quoque admonens dicebat, *Beatius est magis dare quam accipere* (*Act.* 20. 35). Illud autem, *Honeste ambulante*, non est de immodestia et dissolutione : et ideo subjunxit, *Ut nullo egeatis.* Hic autem aliam quoque ponit necessitatem, ut quod bonum est et honestum faciant apud omnes : procedens enim dicit, *Nolite deficere bonum facientes* (*Ibid. v.* 13). Plane enim necesse est ut qui est otiosus et potest operari, sit curiosus. Eleemosyna autem iis solis est data, qui ex operatione manuum sibi non possunt victum suppeditare; aut iis qui docent, et sunt penitus occupati in negotio docendi. *Non* enim *alligabis*, inquit, *os bovi trituranti* (*Deut.* 15. 4) : et, *Dignus est operarius mercede sua* (*Matth.* 11. 10). Quare nec hic quidem est otiosus, sed operæ, ejusque magnæ, mercedem accipit. Otiosum autem orare et jejunare non est opus manuum : operationem enim hic dicit eam quæ fit per manus. Et ut nihil tale suspiceris, subjunxit : *Nihil operantes, sed curiose agentes.* 12. *Iis autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus*

et obsecramus in Domino Jesu Christo. Quoniam eos valde tetigit, mitiorem volens reddere orationem, subjunxit, *Per Dominum Jesum Christum:* et rursus probabilitatem et terrorem afferens dixit: *Ut cum silentio operantes panem suum manducent.* Cur non dixit, Si non sint autem immodesti et dissoluti, alantur a vobis; sed utrumque exigit, ut et sint in silentio, et operentur? Quia ipsos operantes vult sibi alimentum parare. Hoc enim sibi vult illud, *Ut panem suum manducent;* id est, ex suis laboribus, non alienum, ex mendicitate partum. 13. *Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes.* Vide quomodo statim fracta sunt paterna viscera. Non potuit ulterius prosequi increpationem, sed rursus eorum est misertus; vide autem cum quanta prudentia. Non dixit, Sed eis ignoscite, donec corrigantur; sed quid? *Vos autem nolite deficere benefacientes.* Subtrahite, inquit, vos ab ipsis, et eos increpate: ne tamen eos fame intereuntes despicite. Si vero, inquit, a nobis habens abundantiam, maneat otiosus, benignum quoddam medicamentum dicit. Quid ergo dicit: Si eam quæ est a nobis habens abundantiam, manet otiosus? In eo, inquit, placidum ac benignum dixi medicamentum; nempe, Subtrahite vos ab ipso; hoc est, Ne ei detis fiduciam et loquendi libertatem, ostendite vos ei succensere. Non est hoc parvum. Talis fit ad fratres increpatio, si vere eos volumus corrigere. Non ignoramus modos increpationis. Nam dic quæso, si fratrem haberes carnalem, eumne despiceres fame pereuntem? Non sane opinor; sed forte etiam corrigeres. 14. *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam.* Vide Pauli humilitatem: non dixit, Qui non obedit, mihi non obedit; sed placide subindicat. *Hunc notate.* Ut non lateat, hoc facere hortatur. *Ne commisceamini cum illo.* Non est parva hæc castigatio. Deinde rursus, *Ut confundatur.* Nec sinit ulterius progredi. Ut enim cum dixisset, *Si quis non operatur, nec manducet*, veritus ne fame interirent, subjunxit, *Vos autem nolite deficere benefacientes:* ita cum dixisset, Subtrahite vos, et *Non commisceamini cum illo*, deinde veritus ne hoc ipsum eum exscinderet a fraternitate (nam qui despondit animum, cito peribit, cui non datur fiducia et libertas loquendi), subjunxit: 15. *Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.* Per hæc ostendit, quod et in eum magnum statuat supplicium, eo quod eum privet fiducia.

3. *Eleemosyna quomodo danda.* — Nam si esse cum multis accipientem est pudendum: quando et præbuerint increpantes, et se subtraxerint, quantum est hoc probrum, et quantum ad mordendum animum sufficit? Nam si ii qui dant tardius, aut murmurant, eos incendunt qui accipiunt (ne mihi enim dixeris de impudentibus mendicis, sed de fidelibus); si qui dant sunt increpaturi, quid non facerent quod non mererentur supplicium? Non sic nos, sed tamquam maxima affecti injuria, eos qui mendicant afficimus contumelia, et aversamur. Non das; cur etiam es molestus? *Admonete,* inquit, *ut fratres,* non contumelia afficite tamquam inimicos. Qui fratrem admonet, non hoc facit publice, non probrum in publicum traducit, sed hoc facit privatim et cum magna attentione, et dolens, ægre ferens, et lacrymans et lamentans. Fraterno ergo animo præbeamus, fraterna voluntate admoneamus: non tamquam dolentes eo quod demus, sed tamquam dolentes, propterea quod ille transgrediatur mandatum. Quid enim lucraris? Nam si postquam dederis contumelia afficis, perdis voluptatem distributionis: quando autem nec dederis et contumelia affeceris, quid mali non fecisti illi misero et calamitoso? Accessit tamquam aliquid a te accepturus, recessit autem letali accepto vulnere, et magis est lacrymatus. Nam cum propter egestatem necesse habeat mendicare, et quia mendicat, contumelia afficitur; vide quantum futurum sit contumeliosorum supplicium. *Qui contumelia afficit pauperem, eum irritat qui ipsum fecit* (*Prov.* 14. 21). Nam dic mihi, ipse eum propter te sinit esse egenum, ut tu possis teipsum curare, et tu eum contumelia afficis qui propter te est egenus? quantæ hæc sunt pravitatis? quam ingrati animi est hoc factum? *Admonete,* inquit, *ut fratres.* Etiam postquam dederis jussit admonere: quando autem etiam, cum non dederimus, contumelia afficimus, quænam erit nobis defensio? 16. *Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco.* Vide quomodo postquam narravit quæ sunt agenda, ea obsignet precatione, veluti quædam signacula eorum, quæ sunt deposita, preces ponens et supplicationem. *Det vobis*, inquit, *pacem in omni loco.* Nam quoniam est verisimile pugnas ex his exorturas, cum illi evadant asperiores, et hi non perinde atque illi præbeant, merito hoc nunc est precatus. *Det,* inquit, *vobis pacem semper.* Hoc est enim quod quæritur, ut eam semper habeant. Quid est, *In omni loco?* Ubique vult pacem esse, ut nullo ex loco habeant occasionem contentionis. Ubique enim pax est bona, etiam apud eos qui sunt foris: audi enim eum alibi dicentem: *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete* (*Rom.* 12. 18). Ad ea enim quæ recte gerere volumus nihil est adeo aptum, ut esse pacificum et non turbulentum, et liberum esse ab inimicitiis, et nullum habere inimicum. *Dominus sit cum omnibus vobis.* 17. *Salutatio mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola: ita scribo.* 18. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.* Hoc dicit se scribere in omni epistola, ut nemini liceat eas adulterare, cum positum sit veluti magnum signum subscriptionis. Salutationem autem appellat precationem, ostendens quod et tunc omnia agebant spiritualia, et quando salutare oportebat, res erat cum lucro; et quod precatio non esset solum symbolum amicitiæ. Ab ea incipiebat, et in eam desinebat, magnis mœnibus muniens quæ utrimque dicebantur, firmaque et solida ponebat fundamenta, firmumque et tutum finem imponebat. *Gratia,* inquit, *vobis et pax;* et rursus, *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.* Hoc etiam Christus

præcepit discipulis, dicens, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* 28. 20). Sed hoc fit quando nos volumus : non enim erit omnino nobiscum, si nos procul removerimus. Vobiscum, inquit, ero perpetuo. Ne ergo gratiam abigamus. Vult ut nos subtrahamus ab omni fratre inordinate ambulante. Hoc tunc magnum erat malum a cœtu fratrum esse avulsos. Hoc certe modo pœnas sumit de omnibus : sicut etiam alibi ad Corinthios scribens dicebat, *Cum hujusmodi ne convesci quidem* (1. *Cor.* 5. 11) jubet. Sed non hoc magnum nunc plerique existimant; sed sunt omnia confusa et corrupta : cum adulteris, cum scortatoribus, cum avaris temere et sine discrimine commiscemur. Si ab eo qui otiose ambulabat se subducere oportebat, quanto magis ab aliis? Et ut discas quam esset terribile separari a conventu fratrum, et quantum lucrum afferret iis qui benigne susciperent reprehensionem, audi quomodo ille qui peccato erat inflatus, qui ad extremum vitium erat provectus, qui talem admisit fornicationem, qualis nec inter gentes nominabatur, qui vulnus suum non sentiebat (hoc enim est summa perversitas) : ille, inquam, qui talis erat, ita fuit inflexus et reductus, ut diceret Paulus, *Sufficit illi, qui est ejusmodi, increpatio hæc quæ fit a pluribus* (2. *Cor.* 2. 6) : quamobrem confirmate in ipsum caritatem. Tunc enim ita erat, ut membrum a reliquo corpore avulsum.

4. Causa autem cur hoc tunc terribile esset, hæc erat : quoniam etiam cum eis esse tunc magnum bonum existimabatur. Sicut enim qui unam domum habitant, et sunt in unius patris potestate, et unius mensæ sunt participes : ita tunc habitabant in unaquaque Ecclesia. A tanta ergo excidisse caritate quantum erat malum? Nunc autem nihil videtur esse magnum, quia nec magnum quidpiam esse existimatur, quando simul conjuncti versamur. Quod tunc erat instar supplicii, nunc, quod valde refrixerit caritas, non pœnæ loco habetur, et temere alter ab altero separamur, idque ex algore caritatis. Malorum enim omnium causa est quod non sit caritas : hoc omnia Ecclesiæ bona honesta ac præclara, propter quæ exsultare oporteret, destruxit et delevit. Magna est doctoris fiducia, quando a rebus recte a se gestis potest inerepare discipulos : quamobrem Paulus dicebat, *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos* (2. *Thess.* 3. 7); et magis debet esse doctor ex vita, quam ex sermone. Nemo autem existimet hoc esse gloriosæ jactantiæ : ad necessitatem enim redactus hoc dixit, et ad id quod confert in commune. *Quoniam non fuimus*, inquit, *inordinati inter vos*. Et hic non vides humilitatem, quam donationem vocat modestiamque ac moderationem? *Non fuimus*, inquit, *inter vos inordinati, neque gratis panem manducavimus*. Ostendit hic quoque forte illos fuisse pauperes. Nec mihi dixeris, Sed non omnes erant pauperes : loquitur enim de pauperibus, et quibus non alias necessarium suppetit alimentum, quam ex operatione manuum. Non dixit enim, Ut a patribus haberent, sed, *Ut operantes panem suum comedant*. Nam si ego, præco doctrinæ verbi, timui vos gravare, multo magis is qui vobis nihil prodest : hoc enim plane est gravare. Gravare autem est quando quispiam non dat cum magna animi alacritate. Sed non hoc innuit, sed ut qui non facile habeant. Cur enim non operaris? Deus ad hoc tibi dedit manus, non ut ab aliis accipias, sed ut aliis præbeas. *Dominus autem*, inquit, *vobiscum*. Hoc ipsum quoque licet precari, si agamus quæ sunt Domini : audi enim Christum dicentem discipulis : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis : et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* 28. 19. 20). Non solum illis hoc dictum est, sed etiam nobis. Nam quod illis solum non sit promissum, palam est ex eo quod dixit, *Usque ad consummationem sæculi*, sed illis etiam qui ejus vestigiis insistunt. Quid ergo illis dicit qui non sunt doctores? Unusquisque vestrum, si velit, potest esse doctor, si non alterius, sui tamen : doce te ipsum primum. Si docueris omnia quæ mandavit ut servares, per hoc multos habebis qui æmulentur. Sicut enim lucerna quando ipsa fuerit lucida, accendere potest innumerabiles; exstincta autem, ne sibi quidem præbebit lumen, neque alias lucernas accendere poterit : ita etiam de vita pura dicendum : si quæ est in nobis, fuerit lucida, efficiemus innumerabiles et discipulos et doctores, quasi exemplar propositi. Neque enim verba mea iis qui audiunt ita prodesse poterunt, ut nostra vita. Esto enim, si velis, vir Deo carus et virtute resplendens, et habens uxorem; licet enim uxorem quoque habenti et liberos et servos et amicos, Deo placere : annon is omnibus multo magis poterit prodesse, quam ego? Ex me enim in mense semel aut bis, aut ne semel quidem lucrum faciant; et quæ audierint, fortasse usque ad limen ecclesiæ servantes, statim abjiciunt : illius autem vitam videntes assidue, multum lucrantur. Quando enim contumelia affectus, ipse non vicissim affecerit, annon suæ lenitatis et mansuetudinis pudorem in animo ejus qui contumelia afficit, infigit et insculpit? Quod si non statim fateatur quam accepit utilitatem, aut ira præpeditus, aut rubore suffusus, aut pudore affectus, sensum tamen statim accipit : et fieri non potest ut homo contumeliosus, etiamsi sit bestia, si cum homine leni et patiente fuerit versatus, non magno accepto lucro recedat. Bona enim etiamsi non agamus, laudamus tamen omnes et admiramur. Mulier rursus si viderit virum placidum et modestum, multum lucratur semper cum eo versans, et puer itidem. Licet ergo unicuique esse doctorem : *Ædificate* enim, inquit, *alterutrum, sicut et facitis* (1. *Thess.* 5. 11). Perpende, quæso : domui tuæ aliquod damnum accidit? conturbatur uxor, ut quæ sit infirmior et magis mundana? maritus si sit philosophus, et damni accepti irrisor, illam consolatur, et persuadet ut generoso et forti ferat animo. Annon ergo, die quæso, ei magis proderit quam ipsi nostri sermones? Nam

dicere quidem omnibus, est facile ; agere autem, cum opus fuerit, valde est difficile. Propterea ex factis humana natura magis solet corrigi et componi : tanta est virtutis excellentia, ut servus toti domui sæpe profuerit cum domino.

5. Non enim frustra nec temere illos assidue jubet Paulus virtutem exercere, et obedire dominis ; non tantam curam gerens ut ministrent dominis, quantam ut ne verbum Dei et doctrina blasphemetur : quando autem non blasphematur, cito etiam habebitur in admiratione. Scio etiam multas domos multum lucrifecisse ex virtute servorum. Si autem servus qui est sub potestate, potest dominum corrigere, multo magis dominus servos. Vos hoc ministerium mecum quæso distribuite. Ego cum omnibus loquor in communi ; vos seorsum unicuique, et cuique committatur proximorum procurare salutem. Quod enim oporteat eos qui sunt patresfamilias domui suæ præesse, et eorum curam in his gerere, audi quo mulieres transmittat Paulus : *Si quid autem velint discere, domi viros suos interrogent* (1. *Cor.* 14. 35) : nec eas adducit ad doctorem. Nam ut in ludis literariis sunt etiam inter discipulos doctores et magistri, ita etiam in Ecclesia : vult enim non ab omnibus molestiam exhiberi doctori. Quare? Quoniam magna sic erunt bona : non solum quoniam levis erit labor doctori, sed etiam quoniam unusquisque discipulus id curans, cito potest evadere doctor et magister, hanc habens sollicitudinem. Vide enim quantum ministerium affert mulier : domum custodit, et curam gerit omnium quæ domi sunt, ancillis instat et eas urget ad opus, vestit suis manibus, efficit ut voceris pater filiorum, te liberat a prostibulis, dat auxilium ad continentiam, sedat œstrum naturæ. Sed tu eam quoque beneficio affice. Quomodo? In spiritualibus ei manum porrige : quæ audieris utilia, ea non secus atque hirundines ore portans, affer et pone in ore matris et pullorum. Quomodo enim non est absurdum te in aliis quidem primas velle obtinere, et locum tenere capitis, in doctrina autem ordinem deserere? Eum qui imperat, iis qui parent, oportet præesse, non in honoribus, sed in virtutibus. Nam hoc quidem imperantis, illud vero eorum qui parent est officium. Si multo honore fruaris, hoc nihil ad te ; accepisti enim ab aliis : si multa virtute refulgeas, hoc totum est tuum. Es caput uxoris, concinna, corrige et compone reliquum corpus. Non vides quod caput non tantum loco superat reliquum corpus, quantum cura et providentia, ut quod ipsum regat ac dirigat tamquam gubernator? In capite enim et corporis et animæ sunt oculi : illinc ad eos affluit vis perspiciendi, illinc vis regendi quæ tenet principatum. Et reliquum quidem corpus constituitur ad ministrandum ; hoc vero collocatum fuit ad imperandum. Omnes sensus illinc habent principium et fontem : illinc instrumenta emittuntur vocalia, facultas videndi, facultas odorandi, tactus universus : illinc constituitur radix nervorum et ossium. Vides quod providentia magis excellat, quam honore? Ita nos etiam imperemus mulieribus : eas vincamus, non quod plus honoris quæramus, sed quod ipsæ a nobis majori afficiantur beneficio. Ostendi eas non parvis nos afficere beneficiis ; sed si velimus eas remunerari spiritualibus, nos vincimus. Nam in corporalibus non possumus aliquid afferre quod cis ex æquo respondeat. Quid enim? affertis multas pecunias? Sed illa servat : hæc autem cura propendet ex æquilibris, et sic ea opus habet. Quare? Quia plurimi qui multa possidebant, quoniam non habebant quæ servaret, omnia perdiderunt. Sed propter liberos est inter ambos societas : par quoque est utriusque beneficium ; imo vero illa in his laboriosius obit ministerium, ut quæ semper ferat fœtum, et partus vexetur laboribus. Quamobrem in solis spiritualibus eam potes vincere. Ne curemus ut sint nobis pecuniæ, sed ut quæ nobis creditæ sunt animæ, eas cum fiducia coram Deo sistamus : in illis enim corrigendis et concinnandis nobis quoque multum proderimus. Nam qui alium docet, si nihil aliud, in dicendo compungitur, maxime dum videt seipsum iis esse obnoxium de quibus alios reprehendit. Quoniam ergo et nobis ipsis et illis prosumus, et per illas domui, et hoc in primis Deo est gratum ; ne nos pigeat et nostræ, et eorum qui nobis ministrant animæ curam gerere : ut pro omnibus accipiamus remunerationem, et cum multis divitiis perveniamus in sanctam civitatem matrem nostram Jerusalem cælestem : a qua absit ut umquam excidamus, sed cum resplenduerimus in optima vitæ institutione, cum magna fiducia digni censeamur videre Dominum Jesum Christum, cum quo Patri simul et sancto Spiritui gloria, potentia, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Præfatio

IN EPISTOLAS PRIMAM ET SECUNDAM AD TIMOTHEUM.

Nusquam majorem quam hic difficultatem offendas, definiendi nempe Antiochiæne an Constantinopoli has homilias habuerit Chrysostomus. Tillemontius Constantinopoli habitas suspicatur, nixus Photii judicio qui opinatur conciones illas, quas Constantinopoli habuit sanctus doctor, minus accurate et eleganter concinnatas esse, quam eas quæ Antiochiæ pronuntiavit. Verum, ut ipse fatetur Tillemontius, hæc Photii norma, hoc indicium, non ita firmum est, ut liceat ipsi sine examine adstipulari. Ipse namque Photius homilias laudat multas, quæ Constantinopoli habitæ sunt ; aliasque, haud dubie Antiochenas, deprimit, et negligentius adornatas censet. Ego vero omnibus diligenter excussis, argumenta duo proferre

possum, queis inducamur ad opinandum eas Antiochiæ fuisse dictas. Primum petitur ex laudibus illis monasteriorum et monachorum, in queis maximam partem homiliæ quartæ decimæ insumit. Qua de re ille sæpe tractat in aliis operibus, sed semper in Antiochenis, fere numquam in Constantinopolitanis. In montibus enim Antiochiæ vicinis monachi multi erant, qui severioris disciplinæ laude florebant, et ea de causa a multis invisebantur. Aliud argumentum inde mutuamur, quod licet in his concionibus de episcoporum officio passim agatur, quia Paulus Timotheum episcopi munere fungentem alloquens, quid exercere episcopus, quid vitare debeat, perpetuo decantat; nihil tamen innuit Chrysostomus, nihil in tanto concionum decursu vel carptim tangit, quo possimus vel suspicari illum tunc episcopum fuisse. Quod tamen in aliis commentariis, ubi par occasio non habebatur, sæpe fecit. In hanc certe partem, ut nempe dicam eas Antiochiæ habitas fuisse, magis me propendere fateor. Verum ea de re eruditi lectoris judicium exspecto.

Licet autem aliquot in locis negligentius agere, et nonnumquam vilia nec memoratu quidem honesta tractare deprehendatur; passim tamen τοὺς πλεονέκτας, avaros, et eos qui facultatis augendæ studio cæterorum bona diripere satagebant, egregie carpit et insectatur, nusquam finem facit impetendi. Neque alium ejus commentarium reperias, ubi huic amovendo malo parem insumpserit operam. Unde inferas pestem illam manavisse in dies latius, multosque tunc fuisse, qui aliorum dispendio rem suam augere studerent, novosque insurrexisse quotidie, qui hac cupiditate capti, in aliorum opes involarent.

Erat et aliud morbi genus, quod tunc latius grassabatur, magisque periculosum erat; præstigiatorum videlicet eorumque qui *fato* et *genesi* omnia tribuebant, præstigiarumque genera omnia inducebant, quarum nomina sic ille recenset in fine homiliæ decimæ: *Alia mitto grandi luctu digna, auguria, vaticinia, observationes, genesim, symbola, ligamina, divinationes, incantationes, magicam artem.* Hæc omnia isto tempore adeo frequentabantur, ut nusquam reperias illum tam frequenter et valide morbum hujusmodi insectantem.

Aliam quoque rem aggreditur, quæ tunc serpebat in Ecclesiæ damnum, quod nempe virgines Deo dicatæ vestium cultui nimium studerent, et ex incessu et ornatu viris placere cuperent. Quid inde tabis et damni emersurum esset, tum ipse pluribus persequitur, tum etiam quivis statim deprehendere possit.

Hosce commentarios Latine converterat vir eruditus, cujus nomen ignotum, et qui elegantem accuratamque interpretationem adornare potuisset, nisi in animum induxisset omnia ad nutum suum mutare, figuras et tropos prætermittere, et auctoris sententiæ illa adjicere pro lubito, quæ sibi magis placerent. Hac igitur missa interpretatione novam paravimus.

SANCTI PATRIS NOSTRI

JOANNIS CHRYSOSTOMI,

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

IN EPISTOLAM PRIMAM AD TIMOTHEUM COMMENTARIUS (*a*).

ARGUMENTUM.

Ex numero discipulorum apostoli erat Timotheus, quem testificatur Lucas mirabilem fuisse juvenem, testimoniis eorum qui Lystris et Iconii erant probatum (*Act.* 16. 2), qui simul fuit discipulus et doctor, tantaque prudentia atque sapientia, ut cum audiret Paulum missa circumcisione prædicantem, didicisseque illum ea de causa Petro obstitisse, eligeret non modo contra illam non prædicare, sed etiam illam pati: circumcidit enim illum (*Ibid. v.* 23), inquit, in ejusmodi ætate; sicque illi totum ministerium tradidit (*b*). Satis certe erat ille Pauli erga ipsum affectus ad indicandum quantus vir esset. Nam alibi quoque de illo testificatur scribens et dicens: *Experimentum autem ejus cognoscitis, quoniam tamquam patri filius mecum servivit in evangelio* (*Philipp.* 2. 22); et Corinthiis rursus scribens dicit, *Misi vobis Timotheum, qui est filius meus carissimus et fidelis in Domino;* et iterum, *Videte ne quis eum contemnat: opus enim Domini operatur sicut et ego* (1. Cor. 4. 17. *et* 16. 10. 11). Hebræis quoque scribens ait: *Cognoscite fratrem Timotheum dimissum* (*Hebr.* 13. 23); multamque ejus dilectionem passim reperias. Eaque etiam quæ nunc fiunt miracula, ejus fiduciam et virtutem annuntiant (*a*).

Cur Timotheo et Tito tantum scribat Paulus; et non

(*a*) Collatæ sunt hæ homiliæ cum Colbertino Codice num. 616, et cum altero Colbertino num. 909 ad Editionem Morellianam. Neuter Codex ad finem usque pertingit.

(*b*) Quod hic de circumcisione dicit Chrysostomus, aliquid obscuritatis habet, et sic est intelligendum: Illa prudentia erat Timotheus, ut licet videret Paulum cum Petro disputasse, eo quod ille cogeret gentes judaizare, et licet Paulus circumcisionem non probaret; ne tamen Judæi a Christiana religione averterentur, ipse a Judæis, per matrem ortum habens se circumcidi passus est. Ejusque sententiam probavit B. Paulus qui circumcidit illum.

(*a*) De miraculis ossium Timothei vide homiliam primam ad populum Antiochenum, Tom. 2, col. 13.

aliis discipulis. — Si quis ergo quærat cur Tito et Timotheo tantum scribat, etiamsi Silas inter probatos et virtute præditos esset, similiterque Lucas; ait quippe ille, *Et Lucas est mecum solus* (2. *Tim.* 4. 11) : Clemens quoque ex numero sociorum ipsius erat; de illo namque dicit, *Cum Clemente et cæteris adjutoribus meis* (*Philipp.* 4. 3) : cur ergo Tito et Timotheo tantum scribit? Quia his Ecclesias jam regendas dederat, illos autem adhuc secum circumducebat : his loca quædam conspicua assignaverat. Tanta enim erat Timotheus virtute præditus, ut nihil juventus impediret. Ideo scribit ille, *Nemo adolescentiam tuam contemnat;* [et rursum, *Adolescentulas tamquam sorores* (1. *Tim.* 4. 12. *et* 5. 2)]. Cum adest enim virtus, omnia superabundant, nihilque impedimento est. Etenim sæpe de episcopis loquens ac de illis plurima proferens, nusquam de ætate plura persequitur. Quod si scribendo dicat, *Filios habentem subditos;* et, *Unius uxoris virum* (1. *Tim.* 3. 4. 2), non hoc dicit quasi necesse sit illum et uxorem et filios habere; sed ut si contigerit ex sæcularibus quempiam ad hoc munus evehi, ut tales sint qui sciant et domui præesse et filiis et cæteris omnibus. Nam si sæcularis cum sit, in his rebus utilis et opportunus non fuerit, quomodo illi Ecclesiæ cura committatur? Cur autem epistolam mittebat discipulo, cui jam docendi munus traditum fuerat? nonne oportebat primo illum perfecte instituere, ac deinde illum mittere? At ille doctrina opus habebat non eadem, qua discipuli, sed ea quæ doctori congrueret. Vide igitur illum per totam epistolam doctori congruentem doctrinam efferentem. Statimque ab exordio non dicit, Ne attendas iis qui aliter docent; sed quid? *Ut illis denuntiares ne doceant aliter* (1. *Tim.* 1. 3).

HOMILIA I.

Cap. 1. v. 1. *Paulus apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Domini Jesu Christi, spei nostræ,* 2. *Timotheo carissimo filio in fide, gratia, misericordia, pax a Deo Patre nostro et Christo Jesu Domino nostro.*

1. *Apostoli dignitas quanta.* — Magna erat apostoli dignitas, magna et mirabilis; et ubique videmus Paulum dignitatis causas præmittentem, non quasi usurpet honorem, sed quasi sibi traditum, et id necessario agentem. Etenim cum se dicit vocatum (*Rom.* 1. 1), et cum dicit, *Per voluntatem Dei;* et rursus alibi, *Necessitas mihi incumbit* (1. *Cor.* 1. 1. *et* 9. 16); cumque dicit, *In hoc segregatus sum :* hæc omnia ambitionem omnem et arrogantiam eliminant. Ut enim is qui non datum sibi a Deo honorem invadit, extremæ est culpæ et reprehensioni obnoxius : ita qui oblatum depellit et resilit, aliam et diversam culpam contrahit, inobsequentiæ nempe et rebellionis. Hoc itaque nunc quoque in principio Epistolæ ad Timotheum Paulus his verbis exprimit : *Paulus apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei.* Non dixit hic, Paulus vocatus, sed, *Secundum imperium.* Nam ne humanum quid pateretur Timotheus, putaretque illum se perinde alloqui atque cæteros discipulos; ideo sic cœpit. Ubinam imperavit hoc illi Deus? Invenitur Spiritus sanctus dicens in Actibus apostolorum, *Segregate mihi Paulum et Barnabam* (*Act.* 13. 2) : et ubique ille scribens apostoli nomen adjicit, auditorem erudiens, non humana esse quæ dicuntur : nam apostolus nihil ex se dixerit; et cum dixit, *Apostolus,* statim auditoris mentem ad eum qui se misit, remittit. Ideo in omnibus epistolis hoc præponit, fide dignum reddens sermonem ac dicens : *Paulus apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri.* Atqui Pater nusquam illi imperare deprehenditur, sed ubique Christus ipsum alloquitur : quid enim dicit? *Vade, quia ego ad gentes longe mittam te;* et rursus, *Cæsari te oportet sisti* (*Act.* 22. 21. *et* 27. 24). Sed quæcumque Filius imperaverit, ea ipsa Patris præcepta esse dicit : sicut et ea quæ Spiritus dicit, Filii sunt. Ecce enim missus est a Spiritu, segregatus est a Spiritu, dicitque imperium esse Dei. Quid ergo? num Filii potestatem minuit, quod apostolus ejus secundum imperium Patris mittatur? Nequaquam : vide namque quomodo potestatem communem faciat. Cum dixisset enim, *Secundum imperium Dei Salvatoris nostri,* subjunxit, *Et Domini Christi Jesu, spei nostræ.* Vide quam proprie nomina posuerit. Etiam Psalmista de Patre ita loquitur : *Spes omnium finium terræ* (*Psal.* 64. 6); et rursum beatus Paulus alio in loco ita scribit, *In hoc enim laboramus et exprobramur, quia speramus in Deo vivo et vero* (1. *Tim.* 4. 10). Necesse est ut doctor pericula subeat multo plura, quam discipuli : nam *Percutiam pastorem,* inquit, *et dispergentur oves* (*Zachar.* 13. 7. *Matth.* 26. 31). Quoniam igitur res ita se habet, vehementius contra doctorem spirat diabolus; illo quippe cæso, grex dispergitur. Nam cum oves mactat, grex minuitur; cum autem pastorem de medio tollit, totum gregem pessumdat. Cum ergo minori labore majora operetur, et in anima una totum perdat, doctores magis aggreditur. Ideo statim a principio ejus animum erigit dicens, Salvatorem habemus Deum, et spem Christum. Multa patimur, sed spem magnam habemus : periclitamur, insidiis appetimur; sed Salvatorem habemus, non hominem, sed Deum. Neque igitur Salvator infirmus est; Deus quippe est, et quantacumque fuerint pericula, non nos superabunt; neque spes confunditur, Christus enim est. His duobus fulti pericula ferimus, ac vel cito liberamur, vel bona spe alimur. Cur autem nusquam se Patris apostolum esse dicit, sed Christi? Omnia communia facit, et evangelium ipsum dicit esse Dei. Quantacumque patiamur, inquit, nihil sunt præsentia. *Timotheo, carissimo filio in fide.* Hoc plenum consolationis est. Si enim tantam exhibuerat fidem, ut Pauli filius fieret, et non modo filius, sed carissimus filius esset, de futuro spem habiturus erat. Fidei vero pro-

prium est, ut quamvis promissis contraria facta videantur, non concidat ille neque turbetur. Sed ecce filius, et genuinus filius, neque tamen ex illius substantia erat. Sed quid? an brutum animal erat? Sed non ex Paulo prodierat, inquies. Itaque non significat hoc ex cujuspiam substantia prodiisse. Quid ergo? an alterius substantiæ erat? Neque hoc. Cum enim filium dixisset, addidit, *In fide;* ita ut significaret et genuinum esse et ex se prodiisse : in nullo diversus erat secundum fidem : id quod etiam in humanis observatur, similis est patri filius, sed non perinde atque in Deo; illic enim major est propinquitas. In hominibus enim, etsi eadem substantia est, in aliis multis inter se differunt, colore, habitu, prudentia, tempore, arbitrio, iis quæ animum, iis quæ corpus spectant, exterioribus, aliisque plurimis vel differunt, vel similes sunt : illic autem nulla hujusmodi diversitas est. Illud porro, *Secundum imperium*, efficacius est quam illud, *Vocatus* (*Rom.* 1. 1), ut aliunde disci potest. Simile autem loco illi, *Timotheo carissimo filio*, Corinthiis quoque ait, *In Christo Jesu ego vos genui* (1. *Cor.* 4. 15) ; id est, in fide. Carissimum autem adjicit, ut accuratam et majorem quam in aliis similitudinem ostendat : neque hoc tantum, sed dilectionem etiam affectumque erga illum magnum. Ecce illud, *in*, rursus in fide usurpatur : *Carissimo* enim *filio in fide*, inquit. Vide quantum encomium : non modo filium, sed carissimum filium vocat. *Gratia, misericordia, pax a Deo Patre nostro, et Christo Jesu Domino nostro.*

2. Cur in cæteris epistolis nusquam misericordiam præmisit, sed hic tantum? Hoc ex affectu magno prodiit : plura enim apprecatur filio, pro illo timens ac tremens. Ita enim timebat, ut, quod nusquam fecit, de corporeis ipsi scriberet, ut cum dicit : *Vino modico utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates* (1. *Tim.* 5. 23). Majori namque doctores egent misericordia. *A Deo*, inquit, *Patre nostro et Christo Jesu Domino nostro.* Rursus hic consolatio. Si enim Deus Pater est, illos ut filios curat : audi enim Christum dicentem : *Quis ex vobis homo est, qui, si petierit filius panem, numquid lapidem dabit illi* (*Matth.* 7. 9). 3. *Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam.* Audi quam placide, quomodo non magistri utatur voce, sed fere domestici. Non dixit, Præcepi, nec jussi, neque hortatus sum, sed quid? *Rogavi te.* Non tamen erga omnes discipulos ita nos affectos esse oportet, sed erga mansuetos et virtute præditos; erga alios autem, qui vel corrupti vel non genuini sunt, alio modo; ut etiam ipse alibi scribit dicens, *Arque illos cum omni imperio* (*Tit.* 2. 15). Hic autem vide quid dicat : *Ut denuntiares quibusdam :* non, Ut rogares, sed, *Ut denuntiares non aliter docere.* Quid hoc est? annon sufficiebat Pauli epistola, quam illis misit? Sufficiebat quidem; sed homines literas solent contemnere. Vel hoc dicendum est; vel fortassis antequam literas mitteret res ita se habebat. Ipse autem in hac civitate multum tempus transegerat : hic erat Dianæ templum, hic gravia illa perpessus est. Postquam enim theatrum illud solutum fuerat, postquam evocatos discipulos hortatus fuerat, sic solvit, et rursus ad illos reversus est. Jure autem quæratur, an nunc illic Timotheum præsulem constituerit : ait enim, *Ut, denuntiares quibusdam non aliter docere.* Non illos nominatim recenset, ne ex aperta reprehensione impudentiores redderet. Hic erant quidam ex Judæis falsi apostoli, qui fideles rursus volebant ad legem trahere, qua de causa illos in epistolis passim criminatur. Hoc autem faciebant non tam ex conscientiæ stimulo, quam ex vana gloria, et quod vellent discipulos habere, et adversus beatum Paulum contendere ex zelo et invidia moti. Hoc sibi vult illud, *Aliter docere.* 4. *Neque intendere*, inquit, *fabulis et genealogiis interminatis.* Fabulas non legem dicit, absit; sed falsas traditiones, et prava perversaque dogmata. Verisimile namque est Judæos illos de inutilibus rebus sermones habuisse, avos et proavos numerantes, ut peritiæ in historia famam sibi conciliarent. *Ut denuntiares quibusdam*, inquit, *non aliter docere, neque intendere fabulis et genealogiis interminatis.* Quid sibi vult illud, *Interminatis?* Quæ nullum finem, nullam utilitatem habeant, vel nobis perceptu difficilia sint.

Fidei res quæstionibus opus non habent. — Viden' quam has quæstiones improbet? Ubi enim fides est, quæstione non est opus : ubi nihil curiose inquirendum, quid opus est quæstione? quæstio fidem tollit. Nam qui quærit, nondum invenit : qui quærit, non potest credere. Ideo ait, Ne hujusmodi quæstionibus operam demus : nam si quærimus, id fides non est : fides enim ratiocinium sedat. Cur ego ait Christus : *Quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis* (*Matth.* 7. 7), et, *Scrutamini Scripturas, quoniam in eis putatis habere vitam æternam* (*Joan.* 5. 39) ? Illud, *Quærite*, de postulatione dicitur et ardenti desiderio : hic autem illud, *Scrutamini Scripturas*, non ad quæstionum labores inducendos dicitur, sed ad tollendos. Dixit enim, *Scrutamini Scripturas;* hoc est, ut accurate illas discamus et sciamus ; non ut semper quæramus, sed ut quærendi finem faciamus. Et recte dixit : Denuntia quibusdam, *Non aliter docere, neque intendere fabulis et genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide.* Recte dixit, *Ædificationem Dei :* magna quippe dare nobis voluit Deus; sed non capit cogitatio magnitudinem dispensationum ejus. Per fidem ergo oportet hoc fieri, quod maximum animarum pharmacum. Quæstio igitur est œconomiæ Dei contraria. Quid enim per fidem dispensatur? Ut ejus beneficia excipiamus, meliores evadamus, ac de nullo dubitemus et contendamus, sed quiescamus. Quæ enim fides perfecit et ædificavit, ea quæstio evertit, investigationes movens, et fidem eliminans. *Neque intendere*, inquit, *fabulis et genealogiis interminatis.* Et quid nocere possunt, inquies, genealogiæ? Dicebat Christus per fidem oportere salutem con-

qui : illi contra quæstiones movebant dicebantque hoc non ita se habere. Sed enim quia sententia præsentis temporis erat, eventus vero sententiæ in futuro, fide opus erat. Illi vero legalibus observationibus intercepti, fidei impedimento erant. Puto autem illum hic Græcos etiam subindicare, cum dicit, *Fabulis et genealogiis*, utpote cum illi deos suos enumerarent.

3. Ne igitur attendamus quæstionibus : ideo enim fideles vocamur, ut sine ulla dubitatione dictis credamus, et nihil dubitemus. Si enim illa humana essent, oporteret illa accurate scrutari ; si vero Dei sunt, illa honorare tantum oportet, et credere ; sin non credamus, neque Deum esse persuasum nobis erit. Quomodo enim nosti Deum esse, si rationes ab illo repetas? Hoc primum indicium est te nosse Deum, si credas iis quæ ille dicit sine argumentis et probationibus. Hoc et Græci sciunt : credebant enim diis etiam sine indicio et probatione loquentibus. Quare? Quia illi ex diis orti erant. Viden' quomodo Græci quoque id noverint? Ecquid de diis loquor? homini quoque fidem habebant præstigiatori et mago, Pythagoræ nempe; Hoc ille dixit (*a*) : atque in templis superne silentium inscriptum erat ; continebatque digito os, et labia comprimebat, prætereuntes omnes ut silerent monebat. Ergone illa honorabilia sunt, et non perinde nostra, sed ridicula? Ecquis furoris excessus ille non fuerit? Quæ ad Græcos spectant jure discutiuntur ; talia nempe sunt, pugna ratiociniorum, disputationes, disceptationes : nostra vero ab his omnibus longe remota sunt. Illa namque invenit humana sapientia, hæc gratia spiritualis docuit; illa stultitiæ et insipientiæ, hæc veræ sapientiæ dogmata sunt. Illic non est discipulus, neque magister, sed omnes quæstionibus certant ; hic sive doctor, sive discipulus fuerit a quo discere oportet vult discere ; obsequi, non dubitare ; credere, non argumentis certare. Per fidem enim veteres omnes claruerunt, et sine fide pessumdata omnia sunt.

Contra genesim et fatum. — Et quid de cælestibus loquor? si terrena etiam examinemus, fide illa teneri reperias, neque pacta, neque artes, neque aliud quidpiam sine illa stabit. Si autem hic, ubi omnia falsi et fallaciæ plena, fide opus est, multo magis in illis. Huic ergo hæreamus, hanc adeamus : sic perniciosa omnia dogmata ab anima nostra eliminabimus, genesim nempe et fatum. Si credis fore resurrectionem et judicium, hæc omnia ab animo ejicere poteris. Crede esse Deum justum, et non credes esse genesim injustam : crede esse Deum providentem, et non credes esse genesim omnia continentem : crede supplicium esse et regnum, et non credes esse genesim quod in nobis est auferentem, nosque necessitati ac vi subjicientem. Ne semines, ne plantes, ne milites, nihil omnino facias : quæ enim ad genesim spectant, velis nolis prorsus evenient. Quid nobis deinceps opus est precibus? cur ergo vis Christianus esse, si genesis sit? non enim crimini eris obnoxius. Unde artes? an ex genesi? Etiam, inquit, et illi fato præfinitum est, ut fiat sapiens cum laboribus. At ostende mihi quempiam qui sine labore artem didicerit ; verum non poteris : sic non ex genesi, sed ex laboribus id partum est. Undenam ergo ille scelestus, inquit, qui a patre hereditatem non accepit, dives tamen est ; alius vero post innumeros labores est pauper? hæc enim frequenter agitant, omnia de divitiis et paupertate moventes, nihil autem de vitio et virtute. Verum hac de re jam ne loquare, sed ostende an aliquis boni studiosus, malus, et an aliquis socors ac negligens, bonus evaserit : nam si fatum vim habet, in maximis potestatem suam ostendat, in virtute nempe et vitio, non in divitiis et paupertate. Et undenam, inquies, ille in morbis, hic in bona valetudine versatur? undenam ille clarus est, alius in turpitudine versatur? undenam illi ex sententia res eveniunt, alii vero innumera in quamplurimis occurrunt impedimenta? A genesi absiste, et hæc scies : firmiter crede Deum esse qui providet, et hæc clare cognosces. Sed non possum, inquies ; non enim sinit tanta rerum confusio vel suspicari esse providentiam. Si hæc opera Dei sint, quomodo credere possum Deum bonum, scortatori, scelerato, raptori pecunias dare ; probo non item? undenam credam? ex rebus enim ipsis credere oportet. Recte : ergo illa ex genesi sunt justane an injusta? Injusta, inquis. Quis ergo illam fecit? num Deus? Non, inquit, sed ingenita est. Sed quomodo ingenita cum sit, talia operatur? hæc enim contraria sunt. Hæc igitur omnino Dei non sunt. Inquiramus ergo quis cælum fecerit. Genesis, inquies. Quis terram, quis mare, quis annuas tempestates? Ergone in rebus inanimatis tam bonum ordinem posuit, tantam rerum concinnitatem ; in nobis autem propter quos omnia fecit, tam inversum ordinem? ac si quis ut domus mire ornata esse provideret, et domesticos nihil curaret. Quis tempestatum successionem servat? quis rectas naturæ leges posuit? Quis diei noctisque cursum constituit? Hæc illa genesi superiora sunt. Non, inquies, sed fortuito facta. Et quomodo tam bonus rerum ordo fortuito factus fuerit? Undedenam igitur, inquies, divites, sani, illustres, qui ex avaritia divites, qui ex hereditate, qui ex violentia? cur ergo Deus improbos prospere rem agere sinit? Quia non hic promerita cuique retributio datur, sed in futuro sæculo : illic mihi ostende quid simile. Interim, inquies, id mihi hic concede : quæ illic sunt non quæro. Verum ideo non accipis, quia quæris. Si enim extra voluptatem versans, hæc ita quæris, ut illis anteponas, multo magis quæreres, si voluptate pura fruereris. Ideo hæc tibi ostendit nihil esse et indifferentia esse : neque enim nisi indifferentia essent, hæc illis dedisset. Dic mihi, annon indifferens est, vel nigrum esse, vel longum, vel parvum? sic et divitiæ indifferentes sunt. Dic enim mihi, quæ necessaria sunt, nonne omnibus æque data fuere : ut sunt habitus idoneus

(*a*) Pythagoræ discipuli magistro ita dicto audientes erant, ut postquam ille loquutus fuerat dicerent, αὐτὸς ἔφα, et quærendi finem facerent. Res est trita.

ad virtutem, spiritualium donorum distributio? Si nosses Dei beneficia, cum his perinde atque alii fruaris, istorum inopiam non indigne ferres, neque hanc rerum copiam exquireres, si illam æqualitatem nosses. Quemadmodum enim famulus, qui ab hero escas, indumenta et habitaculum accipit, et cum aliis omnibus his æque fruitur, si crines in capite superfluos habeat, unguesque majores, se plus habere putet quam alii : eodem modo qui est hujusmodi frustra altum sapit, propter ea, queis ad tempus fruitur. Idcirco Deus nos illis privat, ut hanc vesaniam exstinguat, et harum rerum desiderium ad cælestia transferat. Nos autem ne sic quidem resipiscimus. Sicut enim puerulus, si quid puerile habeat, idque rebus necessariis præferat, pater ipsum a puerilibus privat, ut vel invitum ad perfectiora transferat : sic Deus omnia facit ut nos in cælum transferat. Cur ergo, inquies, malos, divites esse sinit? Quia illos non multum curat. Quomodo etiam justos divites facit? Non ipse facit, sed solum permittit. Et hæc quidem carptim nunc a nobis dicta sunt, tamquam ad eos qui Scripturas ignorant. Quod si credere velletis et divinis verbis attendere, hæc dicere non opus fuisset; ex Scripturis enim omnia nossemus. Ut enim discas nihil esse divitias, aut sanitatem, aut gloriam, tibi ego plurimos ostendam, qui cum lucrari possent, non lucrati sunt; qui cum corpore bene valeant, illud macerant; qui cum gloria frui possint, nihil non agunt ut contemnantur. Nemo certe bonus malus esse studet. Finem ergo faciamus terrena bona quærendi, et cælestia quæramus. Sic enim illa consequi poterimus, et sempiternis deliciis fruemur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

Cap. 1. v. 5. *Finis autem præcepti est caritas ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta : 6. a quibus quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium, 7. volentes esse legis doctores, non intelligentes neque ea quæ dicunt, neque de quibus affirmant.*

1. Nihil ita humano generi nocet, ut amicitiam contemnere, neque illam cum magno studio servare : ut contra nihil est quod ita recte vitam dirigat, ut illam totis viribus persequi : quod indicans Christus dicit : *Si duo consenserint in idipsum, quidquid petierint accipient;* et rursus, *Cum abundaverit iniquitas, refrigescet caritas* (*Matth.* 18. 19. *et* 24. 13)?

Hæreses unde natæ sunt. — Hoc omnes hæreses genuit. Cum enim fratres suos non amarent, iis cum bene rem gererent invidebant; ex invidia autem dominationis ambitum, ex dominationis ambitu hæreses pepererunt. Ideo Paulus cum dixisset, *Ut denunties quibusdam non aliter docere;* modum id agendi subindicat. Quisnam ille est? Caritas. Sicut ergo cum dicit, *Finis legis Christus* (*Rom.* 10. 4); hoc est, complementum; et hoc illis hæret : ita præceptum hoc caritati conjungitur. Medicinæ finis sanitas est : itaque cum adest sanitas, non multa opus est curatione; et cum adest caritas, non multo opus est præcepto. Caritatem autem quam dicit? Sinceram quæ non verborum tenus sit, sed ex affectu et animo ac commiseratione, *Ex corde*, inquit, *puro;* sive ex recta conversatione, inquit, et sincera amicitia. Nam impura quoque vita schismata parit : *Omnis enim qui mala operatur, odit lucem* (*Joan.* 3. 20). Sunt quippe etiam improborum amicitiæ; nempe latrones amant latrones, et homicidæ homicidas : at hoc non est ex conscientia bona, sed ex mala; neque ex puro, sed ex impuro corde; neque ex fide non ficta, sed ex simulata : fides enim quod verum est exhibet, ex fide autem sincera caritas nascitur : nam qui vere in Deum credit, numquam ab ea desistit. *A quibus quidam*, inquit, *aberrantes, conversi sunt in vaniloquium.* Recte ait, *Aberrantes :* arte quippe opus est, ut recte tela dirigantur, et non ultra scopum; ita ut opus sit ut a Spiritu regantur : multa namque sunt quæ a recta via avertant, et ad unum scopum respicere oportet. *Volentes*, inquit, *esse legis doctores.* Viden' aliam causam, nempe dominandi ambitum? Ideo dicebat Christus : *Vos autem neminem vocetis Rabbi* (*Matth.* 23. 8); et rursum apostolus, *Neque enim ipsi legem custodiunt, sed ut in vestra carne glorientur* (*Gal.* 6. 13). Dignitatem ambiunt, inquit, ideoque ad veritatem non respiciunt. *Non intelligentes*, inquit, *neque ea quæ dicunt, neque de quibus affirmant.* Hic illos criminatur, ut qui legis scopum ignorent, neque ad quod usque tempus illam dominari oporteret. Quomodo igitur, si ex ignorantia fiat, id peccatum vocas? Quia non modo quod legis doctores esse vellent, sed etiam quod caritatem non haberent, id faciebant : alioquin etiam hinc oriebatur ignorantia. Nam cum anima operibus carnis sese dediderit, illius acies hebetatur : a caritate autem delapsa, in contentionem decidit et mentis oculus obturatur. Nam qui cupiditate temporanearum quarumdam rerum detinetur, ex affectu ebrius, veri judex sincerus esse nequit. *Nesciunt*, inquit, *de quibus affirmant.* Verisimile autem est illos de lege loquentes, multa de purgationibus deque aliis rebus corporeis dixisse. Deinde illa redarguere omittens, ut quæ nihil essent, nisi umbra et signacula spiritualium, quod gratius erat, id aggreditur. Quodnam illud? Laudat legem : legem vero hic vocat decalogum. Ex hoc autem illa quoque abjicit. Nam si hæc ipsa transgressores puniunt, et inutilia nobis sunt; multo magis illa. 8. *Scimus autem*, inquit, *quia bona est lex, si quis ea legitime utatur :* 9. *scientes hoc, quia justo lex non est posita.* Bona, inquit, est, et non bona. Quid vero, inquies? si quis ea legitime non utatur, non est bona? Etiam sic est bona : sed hoc vult significare : cum illam operibus implet : illud enim, *Si quis ea legitime utatur*, hoc significat. Cum autem illam vobis efferunt, operibus autem transgrediantur, hoc est non legiti-

me uti : utitur quidem hic quoque, sed non ad utilitatem suam.

Lege quomodo utendum.—Aliud autem dici potest : quale illud ? Si legitime utaris lege, te transmittit ad Christum. Cum enim legis scopus ille sit ut justificet hominem, neque id possit, transmittit ad eum qui possit. Alio quoque modo legitime utimur lege, cum illam ex magna superabundantia servamus. Quid est illud, ex superabundantia ? Sicut freno apposite utitur equus, non qui exsilit, nec qui mordet, sed qui illo ad decorum utitur : sic lege legitime utitur, qui non ex literæ necessitate temperanter agit. Quis porro illa legitime utetur ? Qui novit se illa non indigere. Qui enim eo usque virtutis processit, ut non propter ejus metum illam impleat, sed propter ipsam virtutem, is legitime et secure illa utetur : si quis illa sic utatur, non ut illam timens, sed illic repositi supplicii damnationem ante oculos habens. Alioquin autem hic justum vocat eum, qui virtutem exercet. Ille igitur pulchre lege utitur, qui ab illa erudiri opus non habet.

2. Quemadmodum enim literarum apices pueris proponuntur ; qui autem id implet, non ex illis apicibus, sed ex aliis, majorem habet peritiam, meliusque literis utitur : sic qui legem transcendit, non a lege instituitur. Nam qui non ex metu illam implet, sed ex virtutis studio, hic maxime legem implet. Non enim perinde is qui supplicium timet, atque is qui honorem appetit, legem implet ; nec perinde is qui sub lege est, atque is qui supra legem : nam supra legem vivere, est ea legitime uti. Is enim lege bene utitur, ipsamque custodit, qui majora, quam ipsa præcipiat, perficit ; qui ab ipsa erudiri non dignatur. Lex enim ut plurimum scelera prohibet ; id vero non justum efficit, sed bona opera. Itaque quicumque a malis abstinent ut servi, hi legis scopum non implent : ideo enim illa posita fuit, ut transgressionem puniat. Quamobrem illi quoque lege utuntur, sed quia supplicium timent : nam *Vis non timere potestatem ?* inquit, *fac bonum* (*Rom.* 13. 3) : ac si quis diceret : Lex enim malis tantum supplicium denuntiat, ei autem qui coronis digna patrat, ubinam utilis lex est ? sicut et medicus ei qui saucius vel æger est, non autem ei qui bene valet, utilis est. *Iniquis autem*, inquit, *et non subditis, impiis et peccatoribus.* Iniquos Judæos vocat eosdemque non subditos. *Lex iram operatur*, inquit. Hoc spectat eos qui malum operantur. Quid autem ad eum, qui dignus est honore ? *Per legem*, inquit, *peccati cognitio* (*Rom.* 3. 20). Quid hoc ad justum ? *Justo*, inquit, *lex non posita est.* Quare ? Quia extra supplicium est, neque a lege quæ sint agenda discere exspectat, cum intus habeat dictantem Spiritus gratiam. Lex enim data est ut metu et minis coerceantur. Non igitur freno opus est obtemperanti equo, neque institutione ei qui non eget pædagogo. *Iniquis autem*, inquit, *et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, patricidis et matricidis.* Neque hactenus substitit, neque peccata solum memoravit ; sed etiam ea per species recensuit, ut legis magisterio pudorem inculeret. Deinde postquam per species enumeraverat, de vitandis illis dixit, etsi ea, quæ dixerat, arcere poterant. De quibusnam ergo hæc dicit ? De Judæis : illi enim et patricidæ et matricidæ erant, illi scelerati et contaminati : hos enim subindicat cum dicit, *Impiis et peccatoribus.* Cum tales ergo illi essent, lex necessario data fuit. Dic enim mihi, annon frequenter idola adorabant ? annon Moysem lapidarunt ? annon cognatorum cæde manus eorum cruentabantur ? annon perpetuo hoc illis exprobrant prophetæ ? Iis vero qui cælestia philosophantur hæc superflua. *Patricidis*, inquit, *et matricidis, homicidis*, 10. *fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur.* Recte dixit, *Sanæ doctrinæ :* illa enim omnia corruptæ animæ vitia erant. 11. *Secundum evangelium*, inquit, *gloriæ beati Dei, quod mihi traditum est.* Itaque nunc etiam ad confirmationem evangelii lex necessaria est ; credentibus vero non est opus. Evangelium autem gloriæ illud vocat, non aliam ob causam, nisi propter eos qui de persequutionibus et de Christi passione erubescunt. Igitur tum propter alia, tum propter hæc evangelium gloriæ dixit, ostendens Christi passionem esse gloriam, vel etiam futura subindicat. Nam etsi præsentia turpitudine et opprobriis plena sunt, at futura non sunt hujusmodi : evangelium autem futurorum est, non præsentium. Cur ergo dicit angelus : *Ecce evangelizo vobis, quia natus est vobis Salvator* (*Luc.* 2. 10) ? Quia natus Salvator futurus erat : neque enim statim atque natus est, signa edidit. *Secundum evangelium*, inquit, *gloriæ beati Dei. Gloriæ :* vel cultum Dei dicit, vel indicat si præsentia omnia plena sunt ejus gloria, multo magis futura : Cum positi fuerint, inquit, inimici ejus sub pedibus ejus ; cum nihil ipsi adversabitur ; cum viderint justi beatissima omnia illa, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. *Volo* enim, inquit, *ut ubi ego sum, et illi sint, ut videant gloriam meam, quam dedisti mihi* (*Joan.* 17. 24).

Vera gloria quænam.— Discamus ergo quinam hi sunt, et beatos illos prædicemus, cogitantes quantis illi fruituri sint bonis, quantæ gloriæ, quantæ lucis participes futuri sint. Præsens quippe gloria nullius pretii est et instabilis : si maneat, ad mortem usque tantum manet, ac deinde protinus exstinguitur : *Neque* enim *descendet cum eo gloria ejus* (*Psal.* 48. 18), inquit : plurimos autem hic neque ad finem usque comitatur. De illa vero gloria nihil tale suspicari licet ; sed manebit illa, nec umquam finem habebit. Talia autem erunt illa quæ Dei sunt, firma, nec mutationi nec fini obnoxia. Non enim illa gloria ab exterioribus, sed ab interioribus manat : verbi gratia, non a sumptuosis vestibus, non a famulorum multitudine, non a curribus, gloria illa erit ; sed absque illis vir gloria circumfluet. Nunc enim, si hæc absint, gloria vacuus erit, illic vero secus. In balneis nudos videmus claros simul et nullius pretii viros, imo etiam malos. In foro autem sæpe divites multi periclitati sunt,

cum casu quopiam servi ipsos deseruissent : illic autem quivis gloriam suam secum habet ubique. Ac sicut angeli, ubicumque apparuerint, secum gloriam habent : ita etiam sancti : imo vero sicut sol non opus habet vestimento, nec alia re quapiam, sed statim atque apparet, gloriam fulgoris sui emittit : ita etiam tunc erit.

3. Persequamur ergo gloriam illam, qua nihil venerabilius; relinquamus hanc, qua nihil abjectius. *In amictu vestium ne glorieris* (*Eccli.* 11. 4), inquit. Hæc pridem prædicebantur infantibus. Nam saltator, meretrix et scenicus gratiosiora te et pretiosiora vestimenta circumferunt. Præterea vero de re gloriaris, quam si tineæ invadant, ejus te voluptate privabunt. Vides quam incerta res sit hujus vitæ gloria ? Gloriaris in re, quam vermes pariunt et perdunt : dicuntur Indica quædam animalcula esse, unde hæc fila conficiuntur. Eme vestem, si velis, e supernis textam, amictum admirabilem et splendidum, indumentum vere aureum. Aurum illud non ex metallis est, quæ damnatorum manus effoderunt, sed a virtute paritur : stola illa nos amiciamus, quam non homines inopes et servi conficiunt, sed ipse Dominus. At dices, Huic vestimento aurum insertum est? Et quid hoc ad te ? nam opificem omnes vere mirantur, non eum qui illo vestitur : ille enim revera admiratione est dignus : sicut etiam in vestibus simplicibus non lignum officinæ fullonis, in quo vestis tenditur, admiramur, sed opificem, etiamsi lignum illam ferat et in ligno ligetur. Ut ergo non ad alium usum vestis sic ligatur, quam ut excutiatur nec corrodatur a tineis : quantæ dementiæ non fuerit pro re nullius pretii tantam adhibere curam, et nihil non moliri ; salutem vero suam prodere, gehennam despicere, Deum contumelia afficere et Christum esurientem contemnere ? Quid dixeris de pretiosis aromatibus Indicis, Arabicis, Persicis, siccis, humidis, de unguentis, de odoribus, quæ omnia ingenti et inutili sumptu comparantur ? Quid unguentis, o mulier, corpus inficis, quod intus immunditia plenum est ? quid in rem male olentem curam impendis, et idipsum facis, ac si quis unguentum in cœnum conjiceret, aut balsamum in laterem. Est, si velis, est utique aromatum genus, quo poteris animam ungere, non ex Arabia, non ex Æthiopia, neque ex Perside, sed ex ipso cælo delatum ; quod emitur, non auro, sed voluntatis arbitrio, et fide non simulata. Hoc unguentum eme, cujus odor orbem implere potest : hujusmodi fragrantiam apostoli emittebant : *Odor* enim, inquit, *suavitatis sumus, aliis quidem in mortem, aliis vero in vitam* (2. *Cor.* 2. 16). Quid autem hoc est ? Fertur etiam sus fragrantia odoris suffocari. Non corpus modo apostolorum, sed etiam vestimenta unguentum spirituale spirabant. Ita pulchre namque spirabant Pauli indumenta, ut dæmonas pellerent. Quod folium, quam casiam, quam myrrham hæc fragrantia suavitate non superet ? Nam si dæmonas fugabat, quid aliud non præstiterit ? Hoc apparemus unguentum : apparat autem illud per eleemosynam spiritualis gratia. Hanc odoris fragrantiam illuc abeuntes spiraturi sumus, et sanctos ad nos conversuri : et sicut hic omnes in se convertunt ii, qui unguentis delibuti sunt ; et sive in balneum, sive in ecclesiam, sive in alium numerosum cœtum se contulerint, omnes ab illis pendent, omnes ad illum se vertunt : sic et in illo mundo, cum animæ spirituali fragrantes odore ingressæ fuerint, omnes stupent et cedunt. Hic vero dæmones et vitia omnia accedere non audent, nec sustinent ; suffocantur enim. Illa igitur aromata circumferamus. Hæc enim aromata lasciviæ opinionem nobis pariunt, illa vero fortitudinis atque miraculi, multamque nobis fiduciam indunt. Hæc aromata non terra germinat, sed virtus parit ; non marcescunt, sed florent, et iis ornatos venerabiles reddunt. Hoc ungimur unguento cum baptizamur : tunc bonam fragrantiam emittimus. Deinceps vero ex studio nostro pendet ut bonum servemus odorem. Ideo priscis temporibus unguento inungebantur sacerdotes, virtutis symbolum dantes, quia sacerdotem bonum emittere odorem oportet. Peccato autem nihil putidius est. Vide quomodo ejus naturam depingat propheta : *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ* (*Psal.* 37. 6). Vere namque putredine omni fœtidius est peccatum. Quid enim, quæso, peccato fœtidius ? Quod si id non sentias dum peccatum perpetras, post perpetratum cogita, et tunc ejus fœtorem videbis, tunc immunditiam immissam, tunc piaculum, tunc exsecrationem.

Vera voluptas quæ. — Tanta res est peccatum omne : antequam fiat, voluptatem habet quamdam ; postquam perpetratum est, voluptas cessat et marcescit, subit autem dolor et tristitia. Contra vero justitia, laborem habet initio, in fine autem voluptatem et requiem. Illic voluptas ipsa voluptas non est, quia exspectatur pudor et supplicium ; hic vero labor ipse labor non est, ob spem retributionis. Quid, quæso te, est ebrietas ? annon dum bibitur tantum voluptatem habet ? imo ne dum bibitur quidem. Cum enim sensus expers fiat, et præsentium neminem videat, sed furentibus deterior factus sit, quæ demum voluptas ? Imo ne in ipsa quidem fornicatione voluptas est. Cum enim ex nimio affectu anima judicio privetur, quæ voluptas esse possit ? Si hoc voluptas sit, scabies quoque voluptas erit. Voluptatem ego illam veram esse dicam, cum anima nullo vitioso affectu detinetur a corpore nec distrahitur. Quænam illa voluptas, dentibus stridere, oculos versare, gargarizare, incalescere præter decorum ? Adeo autem non est voluptas, ut cito studeamus ab illa liberari, et liberati doleamus. Si voluptas est, ne ab illa te expedias, sed mane in voluptate. Viden' id nomen tantum esse voluptatis ? At nostra non sunt hujusmodi, sed vere suavia ; non inflammatam illam habent voluptatem, sed liberam dimittunt animam, lætitia et suavitate perfusam. Talis erat voluptas Pauli dicentis : *In hoc gaudeo, sed et gaudebo ;* et, *Gaudete in Domino semper* (*Philipp.* 1. 18. *et* 4. 4). Illa namque et turpitudinem et damnationem habet, illa occulte serpit, et innumeris plena est mœroribus : hæc vero iis om-

nibus libera est. Hanc itaque persequamur, ut et futura adipiscamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

Cap. 1. v. 12. *Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit ponens in ministerio :* 13. *qui prius blasphemus fui et persequutor et contumeliosus ; sed misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* 14. *Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide et caritate in Christo Jesu.*

1. *Paulus humilitati studebat.* — Humilitatem multum lucri afferre videmus, nusquam autem illam cito invenimus ; sed humilitatem quidem verborum maximam et plus quam satis sit, humilitatem autem veram nusquam. Beatus autem Paulus illam ita persequebatur, ut multas ubique occasiones excogitaret, ut animum suum humilem redderet. Quia enim illos maxime laborare oportet dum humilitatii acquirendæ student, qui magnorum sibi operum conscii sunt ; verisimileque est illum quoque magnam vim passum esse, ex bona conscientia quæ quasi a quodam fluxu, intumescebat ; vide ergo hic quoque quid agat. Dixerat sibi *Creditum mihi est evangelium gloriæ Dei :* evangelium cujus participes esse nequeunt qui adhuc lege utuntur : eo quod scilicet ipsi adversaretur et tantum ejus esset intervallum, ut qui sub lege tenerentur, nondum digni essent qui evangelii participes forent : ac si quis diceret, eos qui vinculis et pœna digni sunt, non licere in philosophorum chorum inferre. Quia igitur magnum sapiebat et loquebatur ; simul seipsum comprimit, et aliis suadet ut idipsum faciant. Cum scripsisset, *Quod creditum est mihi ;* statim seipsum corripuit, ne existimes illum ex superbia ita loqui. Vide ergo qua utatur correctione, hæc subjungens : *Gratias ago ei, qui me confortavit, Jesu Christo Domino nostro, quoniam fidelem me existimavit ponens in ministerio.* Viden' quomodo ubique præclarum suum opus occultet, et totum referat Deo, ita tamen ut libertatem non tollat arbitrii ? Dixisset enim fortasse infidelis : Si totum Dei est, et nihil a nobis infertur, sed nos ut ligna et lapides transfert a malitia ad philosophiam ; cur Paulum talem effecit, Judam non item ? Hanc itaque tollens objectionem, vide cum quanta prudentia loquatur : *Creditum est mihi*, inquit. Hoc illius opus, hoc dignitas est ; verum non ipsius est totum : vide enim quid dicat : *Gratias ago ei qui me confortavit, Christo Jesu.* Hoc Dei est : deinde quod suum est ponit, *Quoniam fidelem me existimavit :* Recte, quia ex se utilis esse debebat. *Ponens*, inquit, *in ministerio, qui prius eram blasphemus et persequutor et contumeliosus : sed misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Viden' quomodo et quod suum est ponat, et quod Dei est, plus tamen Dei providentiæ attribuens, quod vero suum est deprimens ; ita tamen, ut dixi, ut non tollat libertatem arbitrii ? Quid vero sibi vult illud, *Qui me confortavit* ? Audi ? onus ingens subierat, et multa indigebat superna gratia. Cogita enim quantum erat adversus quotidianas contumelias stare, adversus injurias, insidias, pericula, dicteria, probra, mortes ; neque deficere, vel cadere, vel everti ; sed quotidie innumeris impetitum undique telis, obfirmato vultu imperterritum consistere. Id non humanarum virium erat ; sed neque Dei gratiæ tantum, sed ejus etiam liberi arbitrii. Quod autem Deus, cum præsciret qualis futurus esset, ipsum eleger t, audi quid dicat, antequam ille prædicare cœpisset : *Vas electionis est mihi hic, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus* (*Act.* 9. 15). Quemadmodum enim ii qui regium vexillum, quod labarum vocari solet, gestant, multa opus habent fortitudine et peritia, ut ne in hostium manus tradant : sic qui nomen Christi ferunt, non in bello tantum, sed etiam in pace, multa opus habent virtute, ut ne maledicis linguis illud tradant, sed strenue gestent et crucem ferant. Multa enim fortitudine opus est ad nomen Christi ferendum. Nam qui indignum quid vel dicit, vel facit, vel sentit, nomen illud non fert, non habet Christum in seipso. Cum pompa graditur qui nomen illud fert, non in foro, sed in cœlis ; omnesque horrent, angeli stipantes mirantur. *Gratias ago*, inquit, *ei, qui me confortavit, Domino nostro Jesu Christo.* Vide quomodo eorum etiam quæ ad ipsum pertinent ipsi gratias agat. Quia enim vas electionis est, dicit se illi gratiam habere. Atqui hoc tuum est, o beate Paule ; neque enim personarum acceptor est Deus. Sed gratias illi ago, inquit, quia me tali ministerio dignatus est : hoc enim signum est quod me fidelem existimaverit. Sicut enim in domo œconomus non solum gratiam habet hero quod sibi fidem habuerit ; sed etiam hoc gratiæ signum ponit, quod se aliis fideliorem esse arbitretur : ita et hic dicendum. Deinde considera quomodo extollat misericordiam et benignitatem Dei, cum priorem suam vitam exponit : *Qui prius blasphemus fui*, inquit, *et persequutor et contumeliosus.* Et cum de Judæis loquitur, qui adhuc incredulitate erant, parcius verba facit : *Testificor enim illis*, inquit, *quod zelum Dei habent, sed non secundum scientiam* (*Rom.* 10. 2) ; se autem vocat blasphemum, persequutorem et contumeliosum. Viden' quam se dejiciat, quam non sit sui amans, quam humilem possideat animum ? Non satis fuit illi quod se dixerit blasphemum et persequutorem, sed etiam id amplificavit. Neque enim in me solo scelus sistebam, inquit, neque satis erat mihi quod blasphemarem ; sed etiam eos qui pie agere vellent, persequebar. Magna blasphemiæ insania est. *Sed misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

2. Cur ergo alii quoque Judæi non misericordiam

consequuti sunt? Quia non ex ignorantia, sed et scientes et rem notam habentes illa fecerunt. Et ut id accurate discas, audi evangelistam dicentem : *Multi ex Phariswis et Judæis credebant quidem, non confitebantur autem. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei* (*Joan.* 12. 42. 43). Et iterum Christus dicit : *Quomodo potestis credere, gloriam ad invicem inquirentes;* et rursum, *Hæc dixerunt*, inquit, *parentes cæci propter Judæos ne extra synagogam fierent.* Ipsi quoque Judæi rursus dicebant, *Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post illum vadit* (*Id.* 5. 44. *et* 9. 22. *et* 12. 19). Ubique enim illos dominandi ambitio movebat. Atqui illi ipsi dicebant, *Nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus* (*Luc.* 5. 21) : statimque, quod signum Dei esse dixerant, ille fecit. Non erat ergo id ex ignorantia. Ubinam vero tunc Paulus erat? Fortasse dixerit quispiam, ad pedes Gamalielis, qui nihil commune habebat cum seditiosis illis turbis : Gamaliel autem talis vir erat, qui ambitionis causa nihil ageret. Quomodo ergo postea Paulus cum turbis invenitur? Videbat ille dogma augeri et obtinere, omnesque fere ipsi obtemperare. Christo enim vivente aliquando ipsum, aliquando doctores adibant : cum autem penitus separati sunt, tunc non ambitione, ut cæteri, sed zelo motus illa agebat. Cur enim Damascum ibat? Perniciem quamdam doctrinam illam esse putabat, metuebatque ne prædicatio ubique extenderetur. Judæi autem non sic : non enim ut multis patrocinarentur, sed ambitionis causa omnia faciebant. Vide ergo quid dicant : *Tollent nostram gentem et urbem* (*Joan.* 11. 48). Quinam illos timor incessebat? humanus. Apposite autem quæratur, quomodo cum accurate legem nosset, nihil tamen sciret : ipse namque est qui dicit, *Quod ante promiserat per prophetas suos* (*Rom.* 1. 2). Quomodo ergo ignoras, cum paternæ legis æmulator sis, et ad pedes Gamalielis institutus fueris (*Act.* 22. 3)? sed ii qui in stagnis et fluviis versabantur, et publicani accurrerunt et susceperunt, tu vero legis peritus persequeris? Ideo seipsum damnat dicens, *Non sum dignus vocari apostolus* (1. *Cor.* 15. 9) : ideo ignorantiam confitetur, quam incredulitas pepererat : ideo ait se misericordiam consequutum esse. Quid sibi vult illud, *Fidelem me existimavit?* Nihil ex iis quæ Domini erant prodidit; omnia ipsius esse dicebat, etiamque sua propria; nec sibi tribuebat ea quæ ad Dei gloriam pertinerent. Audi enim illum alibi quoque dicentem : *Viri, quid nobis attenditis? nos enim homines sumus similes vobis passibiles* (*Act.* 14. 14) : hoc est, *Fidelem me existimavit.* Et rursus alibi, *Abundantius illis omnibus laboravi*, inquit, *non ego, sed gratia Dei mecum* (1. *Cor.* 15. 10); et rursus, *Qui operatur in nobis et velle et perficere* (*Philipp.* 2. 13). Hinc ostendit se supplicio dignum : misericordia enim hujusmodi hominibus conceditur. Et rursus alibi ait : *Cæcitas ex parte in Israel contigit. Sed gratia Dei*, inquit, *superabundavit cum fide et dilectione, quæ est in Christo Jesu* (*Rom.* 11. 25). Quid est hoc? Ne audiens, *Misericordiam consequutus sum*, hoc tantum accipias, *Blasphemus*, inquit, *eram et persequutor et contumeliosus :* ergo et supplicio dignus; sed non pœnas dedi; nam misericordiam consequutus sum. An hoc solum, et eousque tantum misericordia processit ut supplicium non subires? Minime; sed alia multa et magna adjecta fuere : non solum enim ab imminenti pœna nos liberavit Deus, sed etiam justos effecit et filios et fratres et amicos et heredes et coheredes. Ideo ait, *Superabundavit gratia*, ostendens dona illa misericordiam superavisse. Hæc quippe non miserantis sunt, sed amantis et admodum diligentis. Cum ergo multa dixisset de benignitate Dei, quod sui blasphemi et contumeliosi et persequutoris misertus sit, et quod non hic substiterit, sed multis et magnis aliis dignatus sit; rursus nos confirmat contra infidelium dictum, quod liberum arbitrium tollatur, subjungens: *Cum fide et caritate, quæ est in Christo Jesu.* Id solum intulimus nos, inquit, credidimus quod nos salvos facere possit.

3. Diligamus ergo illum per Christum. Quid est illud, Per Christum? Quia Christus id nobis intulit, non lex. Viden' quorum nobis bonorum Christus auctor fuerit, quorum autem lex? Nec solum dixit, Abundavit gratia, sed, *Superabundavit :* vere enim superabundavit, quando mille suppliciis dignos, repente in adoptionem transtulit. Ecce rursus, *in*, idem significat quod, *per*. Non enim fide opus est tantum, sed etiam caritate : nam plurimi nunc sunt, qui credunt quidem Christum esse Deum, sed illum non diligunt, neque ea quæ sunt amantium faciunt. Quomodo enim fecerint, cum omnia ipsi præferant, pecunias, genesim, fatum, observationes, auguria, vaticinia? Cum autem ad contumeliam ejus vivamus, dic mihi, quæ dilectio? Si quis habet amicum, quem ardenti complectatur affectu, sic saltem Christum diligat; sic saltem amet eum, qui pro inimicis Filium suum dedit, cum nullis meritis nostris. Quid dico meritis nostris? cum magna fecissemus mala, et nefaria ausi fuissemus sine causa. Ille quidem post mille beneficia et curas neque sic nos abjecit; sed tunc Filium suum dedit, cum majora scelera patraveramus : nos autem postquam tanta consequuti eramus, postquam amici facti omnibus bonis per ipsum dignati sumus, ne tunc quidem ut amicum dileximus. Ecqua nobis erit spes? Forte exhorrescitis hæc audientes; sed utinam ad opera usque veniatis! Et quomodo, inquies, fieri potest ut Deum non perinde atque amicos diligamus? Quomodo? ego id conabor ostendere; et precor ut nihil videar dicere nisi deliramenta; vereor autem, ne verba cum factis consentiant. Perpende autem : pro amicis, vere amicis, multi sæpe damna libenter perpessi sunt; pro Christo autem, non modo damna perpeti, sed etiam præsentibus contentus esse nemo sustinet : pro amico sæpe contumelias tulimus et inimicitias suscepimus; pro Christo autem nemo inimicitiam suscipit, sed, Licet frustra, inquiunt, ameris; frustra ne odio habeas (*a*). Amicum fame la-

(*a*) Videtur proverbium illo tempore fuisse.

borantem numquam contemnemus; Christum vero quotidie venientem non pro magnis rebus, sed pro pane tantum, ne admittimus quidem; idque dum ex crapula fœtida eructamus, distendimur, ventri indulgemus, hesternum quoque vinum spiramus, deliciamur; et alii quidem meretricibus largiuntur, alii parasitis, alii adulatoribus, monstris, fatuis et nanis : naturæ quippe defectus in suam convertunt voluptatem. Amicis, vere amicis, numquam invidemus, neque de illorum felicitate mordemur : circa Christum autem hoc patimur, ac plus videas amicitiam illam valere, quam Dei timorem. Etenim simulator et invidus homines plus quam Deum veretur. Quomodo? ego dicam : quia cum Deus videat quæ in corde aguntur, homo dolos texere non desinit; si autem homo ille hominem videat, periit, erubescit. Quid hoc dico? amicum in afflictione versantem adimus; si vel tantillum differamus, timemus ne improbemur : Christum vero in vinculis sæpe morientem, ne invisimus quidem. Amicos autem fideles, non quia fideles sunt adimus, sed quia amici.

4. Viden' nihil ex Dei timore fieri, neque ex ejus amore, sed alia ex amicitia, alia ex consuetudine? Amicum videntes peregre proficiscentem, flemus, ingemiscimus; si vero mortuum videamus, plangimus, etiamsi sciamus eum a nobis non perpetuo separatum iri, sed nos in resurrectione ipsum esse recuperaturos : cum vero Christus quotidie separetur a nobis; imo cum Christum quotidie depellamus, non dolemus, neque grave quidpiam nos facere putamus, dum injuste agimus, illum affligimus, irritamus, quæ ipsi non placent facimus. Sed nondum ita horrenda res est, si illo non utimur ut amico; ego vero ostendam nos illo ut inimico uti. Quomodo? *Prudentia carnis*, inquit Paulus, *inimica est Dei* (*Rom.* 8. 7). Nos autem hoc semper circumferimus; Christum vero qui semper ad nos vult accurrere, ad januas nostras venientem arcemus (mala enim opera hæc faciunt); ipsique contumelias quotidie inferri curamus per avaritiam et per rapinas nostras. Laudatur quispiam qui in concionando floret et Ecclesiæ utilis est? nos autem illi invidemus, quia quæ Dei sunt operatur : et videmur quidem illi invidere, sed invidia illa transit ad Christum. Non, inquies, sed volumus utilitatem illam non per alios, sed per nos inferri. Non propter Christum, sed propter nos : nam si propter Christum, nihil interesset nobis utrum per alios an per nos hæc fierent. Dic enim mihi, si quis medicus filium habens in cæcitatis periculo versantem, ipse medendi facultatem non haberet, alium vero inveniret qui curare posset, num illum repelleret? Nequaquam, sed illi fere sic loqueretur : Sive per me, sive per te curetur, nihil refert. Quare? Quia non quod sibi, sed quod filio conferre possit respicit. Ita et nos, si quæ Christum spectant attenderemus, diceremus : Sive per nos, sive per alium, quod utile est veniat : *Sive veritate, sive occasione*, inquit, *Christus annuntiatur* (*Philipp.* 1. 18). Audi enim Moysem dicentem iis qui ipsum irritare volebant, quando Eldad et Modad prophetabant : *Noli pro me æmulari : quis dederit omnem populum Domini prophetas esse* (*Num.* 11. 29)? Hæc omnia ex gloriæ amore proficiscuntur. Ergo nonne hæc inimicorum et hostium sunt?

Bona pro malis reddenda.—Maledixit tibi quispiam? tu illum dilige. Et quomodo fieri potest? Potest, et admodum potest, si velis. Quod si bene de te loquentem diligas, non tibi gratia est habenda; non enim propter Dominum, sed propter laudem tuam id facis. Nocuit tibi quispiam? tu beneficium illi præsta : si autem beneficia pro beneficiis rependeris, nihil magni fecisti. Injurias et damna maxima passus es? contraria rependere stude. Ita, quæso, ita disponamus nostra; desinamus injuriam inferre et inimicos odio habere : ipse inimicos diligere jubet, et nos ipsum amantem persequimur. Absit, inquies. Sic omnes loquimur, sed non omnes id operibus exhibemus. Tanta est peccati caligo, ut quæ verbis non ferenda sunt, operibus sint ferenda. Absistamus vel sero tandem ab iis quæ nobis noxia et perniciosa sunt nostræ saluti, ut consequamur ea, quæ amicos consequi par est. *Volo* enim, inquit, *ut ubi ego sum, illic sint et discipuli mei, ut gloriam meam videant* (*Joan.* 17. 24). Quam utinam nos omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Cap. 1. v. 15. *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quoniam Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* 16. *Sed idcirco misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Jesus Christus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturі sunt illi in vitam æternam.*

1. Adeo magna sunt beneficia Dei, et ita omnem humanam exspectationem et spem superant, ut ea sæpe vix credantur : nam quæ mens humana nec cogitavit, nec exspectavit, ea nobis ille largitus est. Ideoque apostoli multa ea de re loquuntur, ut credantur dona illa, quæ Deus nobis concessit. Ut enim in maximis bonis sic affici solemus, An somnium est? dicentes, quia vix credimus : sic etiam in Dei donis. Quid igitur erat illud quod vix credebatur? Quod inimici, quod peccatores, quod ii qui in lege justificati non fuerant, neque per opera; ii repente per solam fidem primas consequuturi essent. Plurima igitur et in Epistola ad Romanos, plurima hic quoque hac de re disserit. *Fidelis*, inquit, *sermo et omni acceptione dignus, quoniam Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Quia enim Judæi hoc maxime alliciebantur, suadet eis ut ne legi attendant, quod per illam non possent sine fide salutem consequi. Adversus hoc igitur pugnat. Iu-

credibile enim esse videbatur, quod vir qui totam priorem vitam frustra et in pravis operibus insumpserat, ex sola fide postea salutem consequuturus esset. Ideo ait, *Fidelis sermo*. Verum quidam non modo non credebant, sed etiam criminabantur, ut nunc faciunt Græci dicentes : *Faciamus mala ut veniant bona*. Quia enim audierant illum dicentem, *Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia* (*Rom.* 3. 8. *et* 5. 20) ; illi traducentes nostra, ista dicebant. Sic etiam cum de gehenna ipsis verba facimus : Et quomodo, inquiunt, hæc digna sunt Deo, siquidem homo servum multa peccas e deprehensum venia dignatur, Deus autem immortaliter punit ? Et cum de lavacro rursum loquimur et de remissione peccatorum per illud facta, Quomodo, inquiunt, hæc sunt digna Deo, ei qui innumera mala patrarit, peccata remittere ? Viden' perversam mentem, quomodo ubique suam efferat contentionem ? Atqui si remissio est mala, punitio est bona : si autem punitio non bona est, remissio est bona : secundum eorum sententiam dico ; secundum nostram enim utraque bona est ; et quomodo, alio tempore ostendemus, neque enim in præsenti licet. Cum enim profundum sit, et multa opus habeat disquisitione, suo tempore id vestræ caritati proponendum erit : interim vero rem propositam persequamur. *Fidelis sermo*, inquit. Unde fidelis ? Et a præcedentibus et a sequentibus. Vide quomodo rem prius disponat, et postquam disposuit, illam tractet. Nam cum dixit illum sui blasphemi et persequutoris misertum esse, hoc præparantis et disponentis erat. Neque tantum misertus est, inquit, sed etiam fidelem fecit : in tantum, inquit, fides neganda non est quod misertus sit. Nemo enim videns eum, qui in vinculis fuerat, in regia versari, dubitabit quin ille misericordiam sit consequutus : id quod in Paulo videre erat. A seipso enim argumentum exhibet, nec pudet eum se dicere peccatorem, sed et magis lætatur : ita enim maxime potest ostendere magnum providentiæ Dei miraculum, quod tanta dignatus sit benignitate. Et quomodo qui alibi de se dixerat, *Secundum justitiam, quæ in lege est, sine querela factus* (*Philipp.* 3. 6) ; hic se peccatorem dicit, et peccatorum primum. Quia ad justitiam quam Deus operatus est, et quæ vere quæritur, peccatores erant qui in lege viverent : *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* 3. 23). Ideo non simpliciter dixit justitiam, sed, *Quæ in lege est*. Quemadmodum enim qui multum argenti possidet, ex se quidem dives esse videtur ; sed si sua comparentur cum regiis thesauris, admodum pauper est, et primus pauper : ita hic etiam, si cum angelis comparentur homines, peccatores sunt, etiamsi justi. Si autem Paulus, qui justitiam legis operatus erat, primus peccator est, quis aliis justus vocetur ? Non enim vitam criminatus suam ut lascivam hoc dixit ; absit ; sed justitiam illam cum hac comparans, nihil esse dicit ; neque hoc tantum, sed etiam eos qui illam haberent, peccatores pronuntiat. *Sed propterea misericordiam consequutus sum*, inquit, *ut in me primo ostenderet Jesus Christus omnem patientiam ad informationem eorum, qui crediturі sunt illi in vitam æternam.*

2. Vides quomodo rursus se humiliet et deprimat, alia etiam leviore adjecta causa ? Nam quod ignorantiæ veniam se consequutum esse dicat, non admodum peccatorem declarat eum qui veniam impetravit, nec valde damnandum : quod autem dicit se misericordiam consequutum, ut nullus deinceps peccator desperet, sed confidat se eadem consequuturum esse ; magnum valde atque ingens est. Itaque cum dixit, *Primus sum peccatorum, et blasphemus, persecutor et contumeliosus*, et, *Non sum dignus vocari apostolus* (1. *Cor.* 15. 9), et cætera ; nihil tamen adeo humile loquutus est : id quod exemplo perspicuum fiet. Sit quædam civitas populosa, cives habens omnes improbos, alios plus, alios minus, omnes tamen reprobos : quidam autem inter illos sit omnibus dignior pœna et supplicio, qui omne nequitiæ genus exercuerit : si quis ergo dixerit velle regem omnibus veniam dare, non tam facile credent, donec viderint omnium improbissimum veniam consequutum : nulla enim postea dubitatio supererit. Hoc et Paulus dicit, quod nempe volens Deus homines certiores facere, quod omnia illis condonet, eum qui plus quam omnes peccato obnoxius erat delegit. Me namque veniam consequuto, de aliis nemo dubitaverit ; ac si quis ex consuetudine diceret : Si huic ignoverit Deus, nullum aliorum puniet. Hincque ostendit se quoque indignum venia fuisse, sed propter aliorum salutem se prius illam consequutum fuisse. Nemo igitur de salute dubitet, inquit, quando ego salutem sum consequutus.

Pauli humilitas. — Et vide sancti hujus humilitatem. Non dixit, Ut ostenderet in me patientiam, sed, *Omnem patientiam* ; ac si diceret : In nullo alio plus quam in me patientia opus habuit, neque invenit adeo peccatorem, qui omni misericordia, omni patientia indigeret, non parte tantum, sicut ii qui in parte tantum peccaverunt. *Ad informationem*, inquit, *illorum, qui crediturі sunt ei in vitam æternam* ; hoc est, ad exhortationem, ad incitamentum. Quoniam autem magnum quidpiam de Filio loquutus est, et quoniam tantam dilectionem exhibuit ; ne quis putaret, ab ea privari Patrem, etiam ipsi gloriam refert et ait : 17. *Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli sapienti Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Pro his, inquit, non modo Filium, sed etiam Patrem glorificamus. Interrogemus ergo hæreticos. Ecce *Soli Deo* dixit, de Patre loquens : ergone Filius non est Deus ? et, *Soli incorruptibili* ; ergone Filius non incorruptibilis ? et quod ipse postea dat nobis, ipse non habet ? Etiam, inquiunt, et Deus et incorruptibilis est, sed non talis qualis Pater. Quid dicis ? non talis, et minoris substantiæ est ? ergo et minoris incorruptionis erit. Quid autem est major et minor incorruptio ? incorruptio enim nihil aliud est quam non corrumpi. Gloria quidem major et gloria minor est, incorruptio autem major et minor nusquam, sicut nec sanitas minor et

major : aut corrumpi quidpiam oportet, aut non omnino corrumpi. Quid ergo, inquit ? nosne similiter incorruptibiles erimus ? Absit : nullo modo. Quare ? Quia ipse ex natura illud habet ; nobis autem id datum concessumque est. Ergone etiam in Filio res sic habet ? Nequaquam ; sed et ipse natura talis est. In quo ergo est differentia ? Quia ille quidem, inquit, a nemine factus est talis ; Filius autem a Patre habet. Nos hoc confitemur, neque negamus quod Filius ex Patre incorruptibiliter natus sit. Ideo, inquiunt, Patrem glorificamus, quod talem ipsum genuerit. Viden' quod tunc maxime glorificetur pater, cum filius magna peregerit ? ad ipsum enim omnia quæ filii sunt referuntur. Igitur cum et potentem genuerit, et talem qualis ipse est, [non] magis gloria filii est quam patris, cum sibi ipse sufficiat, cum infirmus non sit. Illud vero, *Regi sæculorum*, etiam de Filio dictum est, *Per quem fecit et sæcula* (*Hebr.* 1. 2). Idipsum est et hoc loco. Apud nos quidem utraque res distincta est, formatio nempe et creatio ; et alius quidem construit, operatur, laborat ; alius vero imperat. Quare ? Quia qui construit minor est. Illic vero minime : non alterius est dominatio, nec alterius creatio. Neque enim cum audio, *Per quem fecit et sæcula*, aufero a Patre formationem ; neque cum audio Patrem esse Regem sæculorum, a Filio dominatum aufero : hæc quippe et huic et illi communia sunt, utraque in ambobus sunt. Creavit Pater, quod formatorem Filium genuerit : regnat Filius, quod Dominus sit creaturarum. Neque enim pro mercede operatur, ut apud nos fit, neque alteri obediens ut nos, sed per propriam bonitatem et hominum amorem. Quid autem ? Filius visus est aliquando ? Nemo id dicere possit. Quid ergo sibi vult illud, *Incorruptibili, invisibili, soli sapienti Deo ?* quid vero sibi vult quando dicit, *Neque enim est nomen aliud, in quo nos salvari oportet ?* et rursus, *Non est in alio aliquo salus* (*Act.* 4. 12)? *Honor et gloria*, inquit, *in sæcula. Amen.* Honor et gloria non verbis redditur. Quoniam igitur et ipse non verbis nos honoravit, sed rebus et operibus : sic et nos illum honoremus per facta et opera. Quamquam hic honor nos tangit, illum autem minime : neque enim indiget ille honore nostro, nos autem ejus honore indigemus.

3. Itaque si honoremus illum, nos etiam honoramus. Ut enim qui oculos aperuit ut solarem lucem videat, sibi ipsi prodest, dum astri pulchritudinem miratur, neque illi aliquid gratiæ confert ; neque enim splendidiorem illam efficit, sed manet ut erat : sic, et multo magis, qui Deum miratur et honorat, sibi salutem et utilitatem magnam parat. Quomodo ? Quia virtutem adiens ab ipso glorificatur : Nam *Glorificantes me*, inquit, *glorificabo* (1. *Reg.* 2. 30). Quomodo igitur ipse glorificatur, inquies, si gloria a nobis collata non fruitur ? Eodem modo quo esurire dicitur et sitire : nostra enim omnia propria sibi facit, ut vel sic nos attrahat : honores simul et contumelias, ut vel sic timeamus ; neque sic tamen attrahimur.

Deus quomodo glorificandus. — Glorificemus ergo Deum : extollamus Deum et in corpore et in spiritu nostro. Et quomodo quis in corpore glorificat, inquies, quomodo in spiritu ? Hic spiritum dicit animam, ad differentiam corporis. Quomodo ergo quis glorificat in corpore ? quomodo in anima ? In corpore glorificat, qui non fornicatur, qui non ebriatur, qui ventri non indulget, qui non studet ornatui, qui id tantum curat, quantum ad valetudinem dumtaxat satis sit, qui non mœchatur ; quæ non unguentis perfunditur, quæ non coloribus vultum depingit, quæ Dei formatione contenta est et nihil adjicit. Cur ergo, quæso te, adjicis rei a Deo perfecte creatæ ? non tibi sufficit illa formatio ? ut melior igitur opifex opus decorare tentas ? Non est hoc certe ; sed ideo ornaris, et Conditorem contumelia afficis, ut innumeros amatores attrahas. Et quid faciam ? inquies : neque enim ego volo, sed propter virum id facere compellor. Adamari non solet quæ non vult. Te formosam Deus fecit, ut etiam in hoc admirationi haberetur, non ut contumelia afficeretur : ne ipsi hujusmodi dona retribuas, sed continentiam et honestatem. Formosam te Deus fecit, ut te honestatis præmiis augeret. Non par res est, eam quæ amabilis est castitatem servare, et eam quæ a nullo appeti possit idipsum facere. Audis quid dicit Scriptura de Josepho ? *Erat*, inquit, *speciosus et decorus aspectu* (*Gen.* 39. 6). Quid nos juvat audire Josephum fuisse pulchrum ? Ut ejus pulchritudinem magis admiremur et honestatem. Te formosam Deus fecit, cur te deformem facis ? Sicut enim si quis aureæ statuæ lutum illinat : ita sunt illæ quæ fucum adhibent : terram tibi infers partim rubicundam, partim candidam. Verum quæ deformes sunt, inquies, id jure faciunt. Qua de causa, dic mihi ? ut deformitatem obtegant ? Sed id frustra faciunt. Quandonam, quæso, id quod naturale est ab eo quod studio et arte conficitur, superatur ? Cur ergo deformitas mœrori est, si probro careat ? Audi enim sapientem quemdam dicentem : *Ne vituperes virum in aspectu suo, neque laudaveris virum in specie sua* (*Eccli.* 11. 2). Deum igitur magis admirare artificem optimum, non autem illum ; non enim illius est opus. Quod enim, quæso, lucrum ex forma ? Nullum, sed plures contentiones, majores molestiæ, pericula, suspiciones. Eam enim quæ non tali decore fulget, nemo suspectam habebit : illa vero formosa, ni magna honestate et modestia utatur, statim in malam famam incidet ; et vir ejus in suspicione deget cum illa : qua re quid molestius dici possit ? nec tantam ex forma et specie ejus percipiet voluptatem, quantum ex zelotypia mœrorem. Voluptas enim ex consuetudine marcescit, dum uxor lasciviæ, dissolutionis, libidinis notam accipit, atque mens vana et admodum arrogans evadit : hæc quippe omnia pulchritudo secum trahit. In ea autem quæ formosa non est, hujusmodi impedimenta non reperias. Neque enim adsunt canes irruentes ; sed illa veluti agna in quiete pascitur, lupo nullo turbante vel insiliente, assidente pastore. Nihil damni infertur, si altera formosa, al-

tera non talis fuerit ; sed multum damni infertur, si altera fornicetur, etsi non formosa, altera vero maligna sit. Dic enim mihi, quænam est virtus oculorum ? an quod molles, versatiles, rotundi et cærulei sint, an quod acuti ac penetrantes ? Ego hoc postremum dixerim, atque hoc exemplo liquidum : quænam est lucernæ virtus ? an quod clara splendeat et totam illuminet domum ? an quod pulchre efformata et rotunda sit ? Ego primum dixerim ; illud enim quæritur, secundum vero inutile est. Ideoque ancillæ ad hoc deputatæ semper dicimus, Lucernam male parasti : sic lucernæ officium est illuminare. Itaque sive talis sive talis fuerit oculus, nihil interest, donec ut par est officium suum implet : ut etiam malus dicitur, si obtusus sit, nec perfectam habeat conditionem : eos enim qui apertis oculis non vident, malos habere oculos dicimus. Quodcumque enim officium suum non implet, malum vocamus : tales sunt mali oculi. Narium vero, dic mihi, quænam virtus est ? an ut rectæ sint, et utrimque ad normam et proportionem efformatæ, atque ad olfactum aptæ, quæ possint cito odorem excipere et in cerebrum mittere ? Hoc cuivis palam est. Age ergo, rem exemplo disquiramus. Dic mihi instrumenta ad capiendum adornata, quænam apposite facta dicemus, quæ possint optime capere et retinere, an quæ pulchre concinnata fuerint ? Haud dubie priora. Dentes autem quos optimos dicemus ? eosne qui cibum dissecant et mandunt, an eos qui concinne ordinati sunt ? Priores certe, ut perspicuum est. Universim autem in toto corpore, si singula hac ratione examinemus, inveniemus membra omnia sana pulchra dici, donec officio suo exacte fungi possunt. Sic et vasa singula bona dicimus, sic animalia et plantas, non ex forma nec ex colore, sed ex ministerio : ita et famulum dicimus bonum eum qui ad ministerium nobis commodus est, non autem formosum atque mollem. Viden' quomodo pulchra possis esse ? Cum ergo omnibus rebus maximis et mirabilibus similiter fruamur, nihil minus aliis habemus : hunc mundum pari modo videmus : solem, lunam, stellas, aerem similiter spiramus, aqua et cibo pariter utimur, sive formosi, sive deformes simus. Si vero quid mirabile dicere oporteat, formosis saniores sunt quæ forma hujusmodi non fruuntur. Illæ namque ut pulchritudinem servent, laboribus se non dedunt, sed otio ac deliciis, queis maxime vis membrorum obtusior fit : hæ autem, utpote quæ nullam de forma curam habeant, se laboribus omnino dedunt. Glorificemus ergo Deum, portemus illum in corpore nostro, ne quæramus ornatum : inutilis ac superflua hæc cura est. Ne erudiamus viros ut facies solas ament : nam si ita sis ornata, cito a meretrice, unice specie tua allectus, capietur : contra si docueris eum mores et honestatem amare, nec cito nec facile fornicabitur : neque enim hæc in meretrice inveniet, imo his contraria. Ne itaque docueris eum a risu capi, neque a dissoluto habitu, ne adversus teipsam veneficia pares, doce illum in honestate gaudere : hoc vero poteris, cum habitus talis fuerit. Nam si te efferas et lubrica fueris, quomodo dictum honestum et grave adhibere poteris ? quis te non irridebit ? Quomodo autem in corpore possumus portare Deum (*a*) ? Si virtutem exerceamus et animam ornemus : illam enim ornare non prohibemur. Sic Deum glorificeamus, cum omnino boni sumus ; et nos quoque glorificabimur in illo die, non similiter sed multo magis. *Existimo* enim, inquit, *quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* 8. 18). Quam utinam omnes assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Illud enim refertur ad illum superius memoratum Scripturæ locum : *Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* In Editis male habetur : *Quomodo autem possumus in Spiritu placere Deo ?*

HOMILIA V.

Cap. 1. v. 18. *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in eis bonam militiam*, 19. *habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragium fecerunt.*

1. *Sacerdotes quinam eligendi.*—Doctrinæ et sacerdotii dignitas magna mirabilisque est, quæ vere Dei calculo opus habet, ut dignum in medium adducat. Sic olim fiebat ; sic etiam nunc fit, quando sine humano affectu electiones facimus, quando ad nihil sæculare respicimus, nec ullam amicitiæ vel odii rationem habemus. Etsi enim non tanta nobis Spiritus participatio est ; at sufficit bonum propositum, ut Dei ipsius ordinationem attrahat. Quandoquidem neque apostoli Spiritus participes erant, quando Matthiam elegerunt, sed orationi rem committentes, ipsum apostolorum numero adjecerunt : non enim ad amicitiam humanam respiciebant. Sic oporteret nunc etiam apud nos fieri. At nos in extrema ignaviam delapsi, etiam manifesta abjicimus : si vero manifesta prætermittimus, quomodo nobis Deus obscura et incerta revelabit ? Si in modico, inquit, non fuistis fideles ; quod magnum et verum est, quis vobis tradet ? Tunc autem, quia nihil fiebat humanum, ex prophetia sacerdotes eligebantur. Quid est ex prophetia ? A Spiritu sancto. Prophetia enim est, non futura dicere modo, sed etiam præsentia : nam Saül quoque ex prophetia ostensus est, cum lateret inter vasa : Deus enim justis revelat. Prophetia erat etiam dicere : *Segregate mihi Paulum et Barnabam* (*Act.* 13. 2) : ita etiam Timotheus electus fuerat. Prophetias autem hic plurimas dicit : fortassis illam, per quam illum accepit cum circumcidit ipsum, et cum ordinavit, ut et ipse scribit dicens : *Noli negligere gratiam, quæ in te est* (*1. Tim.* 4. 14). Ut illum igitur excitaret, et attentum vigilemque redderet, in memoriam ipsi revocat quis elegerit et ordinarit : ac si diceret : Ipse Deus

te elegit, ipse tibi concredidit, non humano calculo evectus es : ne contumelia vel probro afficias Dei calculum. Deinde quia præceptum dixerat, et gravius fortasse erat, quid dicit? *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee.* Ut filio et genuino præcipit, non cum auctoritate vel imperio, sed paterne, *Fili*, inquit, *Timothee.* Quod autem commendet, custodiæ diligentiam significat, nec rem esse nostram : non enim nos rem acquisivimus, sed Deus largitus est : neque hoc tantum, sed etiam fidem et bonam conscientiam. Quæ igitur ille dedit, nos custodiamus. Nisi ipse venisset, neque fides inveniretur, neque vita pura, quam in infantia suscipimus. Ac si diceret : Non ego sum qui præcipio, sed is qui elegit : nam quod ait : *Secundum præcedentes in te prophetias*, hoc significat. Illas audi, illis obtempera. Quid vero præcipis? Ut *milites in eis bonam militiam.* Illæ te elegerunt ad hoc, bonam militiam milita. Bonam dicit : est enim mala militia, de qua ait : *Sicut enim exhibuistis membra vestra arma peccato et immunditiæ* (*Rom.* 6. 19). Illi sub tyranno militabant, tu vero sub rege. Cur autem rem illam vocat militiam? Ostendens vehemens bellum excitatum esse, omnibus quidem, sed magis doctori ; et quod validis armis sit opus, sobrietate nempe, vigilantia, perpetuis vigiliis, quia adversus sanguinem aciem dirigere oportet, et nihil mollitiei habere. *Ut milites in illis*, inquit. Ut enim in exercitibus, non omnes uno modo militant, sed in diversis ordinibus : sic et in Ecclesia alius doctoris ordinem servat, alius discipuli, alius idiotæ ; tu vero doctoris. Deinde ne quis putaret, id satis esse, quid ait? *Habens fidem et bonam conscientiam.* Nam doctorem prius sui doctorem esse oportet. Sicut enim dux, nisi prius fuerit optimus miles, neque dux umquam fuerit : eodem modo is qui docet. Hoc alibi quoque dicit : *Ne forte, cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar* (1. *Cor.* 9. 27). *Habens*, inquit, *fidem et bonam conscientiam*, ut sic cæteris præsis. Hæc audientes ne dedignemur majorum monita, etiamsi doctores simus. Nam si Timotheus, cui non omnes sumus æquiparandi, præcepta et doctrinam accipit, idque cum in doctoris ordine esset : multo magis nos id facere convenit. *Quam quidam repellentes*, inquit, *circa fidem naufragium fecerunt.* Merito certe. Nam ubi vita reprehensibilis est, dogma simile paritur ; multosque videre est hinc in profundum malorum delapsos, atque in paganismum conversos. Ne enim futurorum metu crucientur, menti suæ suadere student nostra omnia esse falsa. Et a fide quidam evertuntur, qui omnia ratiociniis exquirunt : naufragium enim pariunt ratiocinia; fidesque est quasi navis tutissima.

2. Qui igitur ex illa deciderint, necesse est naufragium facere : et hoc exemplo ostendit : 20. *Ex quibus Hymenæus est*, inquit, *et Alexander.* Et horum exemplo nos corrigit. Videtis quomodo istis quoque temporibus essent qui perverse docerent, qui curiose inquirerent, qui a fide discederent, qui propriis ratiociniis explorarent? Qui naufragium facit, nudus est et omnibus destitutus : sic etiam qui ex fide excidit, nihil ultra habet, nec ubi consistat, nec quo pergat : non habet vitam, quæ ipsi prodesse valeat : nam capite jam corrupto, quid prodest reliquum corpus? Si enim fides sine bona vita nihil est, multo magis si illa absit. Si sua despicit Deus propter nos, multo magis nos propter illum nostra despicere oportet. Ita enim se habet is qui ex fide excidit : nusquam consistit, hinc illinc natat, donec submergatur. *Quos tradidi*, inquit, *satanæ, ut discant non blasphemare.* Viden' quod blasphemia sit, divina ratiociniis perquirere? Jure quidem : quid enim commune habeat ratiocinium humanum cum illis? Quomodo autem satanas illos non blasphemare docet? si enim alios non blasphemare docet, multo magis seipsum id docere oportuit : si vero seipsum hactenus docere non potuit, neque alios poterit. Non dixit, Ut doceat illos non blasphemare, sed, *Ut discant non blasphemare.* Non ille hoc operatur, sed hoc ita evenit : quemadmodum alibi dicit de fornicatore : *Tradite hujusmodi satanæ ad interitum carnis* (1. *Cor.* 5. 5) : non ut corpus salvum faciat, sed ut spiritus servetur : hoc vero nullam personam indicat. Quomodo autem contingit? Sicut carnifices innumeris obnoxii sceleribus, alios castigant, ita et hic de maligno dæmone dicendum. Et cur tu illos non punivisti, sicut illum Barjesum, sicut Cephas Ananiam ; sed satanæ tradidisti? Non ut puniantur, sed ut discant. Et certe vim et auctoritatem habebat, ut cum dicit : *Quid vultis? in virga veniam ad vos* (*Ibid.* 4. 21)? et rursus, *Non ut nos probati simus, sed ut vos quod bonum est faciatis ;* iterumque, *Non in eversionem, sed in ædificationem* (2. *Cor.* 13. 7. 10). Cur igitur satanam ad supplicium vocat? Ut cum vehementia et supplicio contumelia esset major : imo vero infideles illi docebant, eos vero qui a fide recesserant satanæ tradebant. Cur ergo Petrus Ananiam punivit? Ananias infidelis erat adhuc qui etiam tentabat. Ut ergo infideles discerent se non posse latere, ideo per seipsos illos puniebant : eos vero qui hæc didicissent, deindeque abscedebant, tradebant illi satanæ, ut ostenderent se non propria virtute, sed ipsorum custodia retineri, et tradebantur quotquot se in arrogantiam extulissent. Quemadmodum igitur apud reges inimicos suis manibus jugulant, subditos vero carnificibus tradunt : ita et hic agitur. Hinc ostenditur propter apostolorum custodiam ita factum fuisse : et præterea non parva res erat posse imperare diabolo : hinc enim ostendebatur diabolum apostolis servire ac vel invitum ipsis cedere. Itaque non parvum illud erat ad gratiam ostendendam. Quomodo autem tradiderit audi : *Congregatis*, inquit, *vobis et Spiritu meo, cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradite hujusmodi satanæ* (1. *Cor.* 5. 4. 5). Ejiciebatur ergo statim a communi consessu, abscindebatur a grege : erat desertus et nudus, tradebatur lupo. Sicut enim nubes castra Hebræorum, sic Spiritus Ecclesiam significabat. Si quis igitur extra Ecclesiam esset, comburebatur : extra autem educebatur judicio apostolorum. Sic e

Dominus Judam satanæ (*Joan.* 13. 27) tradidit : statim enim post buccellam intravit in illum satanas. Dici potest etiam quod illi, quos corrigere volebant, non ipsi castigabant ; illos autem qui emendari non poterant, supplicio afficiebant : vel etiam terribiliores erant, cum aliis traderent puniendos. Sic et Job traditus est satanæ ; verum ille non peccatorum causa, sed ut clarior evaderet.

3. *Contra eos qui aut indigne aut semel tantum in anno ad communionem accedebant.* — Multa nunc quoque similia fiunt. Quia enim sacerdotes non omnes peccatores norunt, nec eos qui indigne mysteria percipiunt, Deus sæpe hoc facit, et eos satanæ tradit. Quando enim morbi, quando insidiæ, quando luctus et calamitates contingunt, quando similia, ejus rei causa fiunt. Hoc quoque Paulus declarat, ita dicens : *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi* (1. *Cor.* 11. 30). Et quomodo, inquies, cum in anno semel accedamus? Hoc enim grave est, quod non munditia animæ, sed intervallo temporis dignitatem accessus metiare, et hoc pietatem esse existimes, quod non sæpius accedas : ignorans, quod indigne accedere, etsi semel tantum, notam inurat ; digne autem accedere, etsi sæpius, salutem pariat. Non est audaciæ sæpius accedere, sed indigne, etiamsi semel tantum in anno quis accedat. Nos autem ita stolidi et miseri sumus, ut innumera per annum scelera perpetrantes, nullo modo curemus illa deponere, sufficereque putamus quod non sæpe audeamus in corpus Christi contumeliose insilire : non cogitantes eos qui Christum crucifixerunt, semel tantum crucifixisse. An ergo, quia semel tantum minus est scelus? Judas semel prodidit : quid ergo? an hoc illum a supplicio eripuit? Cur hanc rem tempore metimur? tempus accedendi sit nobis puritas conscientiæ. Nihil plus habet mysterium in Paschate celebratum, eo quod nunc celebratur : unum et idem est, eadem Spiritus gratia : semper Pascha est. Illud nostis qui initiati estis. Et in Parasceve et in Sabbato et in die Dominico et in die Martyrum idem sacrificium consummatur : *Quoticscumque enim manducabitis panem hunc*, inquit, *et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis* (2. *Cor.* 11. 26). Non temporis termino sacrificium circunscripsit. Cur ergo, inquies, tunc Pascha dicitur? Quia tunc passus est Christus pro nobis. Nemo igitur tunc aliter accedat, aliter nunc : una virtus est, una dignitas, una gratia, unum et idipsum corpus : non illud isto sanctius, neque istud illo minus est. Et hoc vos scitis : nihil nova videtis præter sæcularia ista vela, et splendidum cœtum. Habent tamen aliquid amplius dies illi, quia in illis initium accepit salutaris ille dies, quo immolatus est Christus ; quod ad mysteria vero pertinet, nullam prærogativam habent. Tu vero ad cibum sensilem accedens, manus et os abluis : cum autem ad spiritualem escam accessurus es, animam non abluis, sed immunditia plenus accedis? Et quid? dicis : annon satis sunt quadraginta jejunii dies ad peccatorum congeriem expurgandam? Ecqua utilitas? dic mihi? si quis unguentum condere volens, emundet locum, deindeque paulo postquam injecerit, stercus adjiciat : nonne bonus odor evolavit? Hoc etiam nobis accidit : digni pro viribus nostris facti sumus cum accederemus ; deinde rursum nos inquinamus. Quæ ergo utilitas? Hoc dicimus etiam de iis, qui quadraginta dierum spatio sese abluere et mundare possunt. Ne salutem nostram negligamus, rogo, ne labor noster sit inutilis. Homo enim, inquit, qui aversus fuerit a peccato suo, et rursus pergens, cademque ipsa faciens, *Quasi canis est ad proprium vomitum reversus* (*Prov.* 26. 11). Si ita ut dixi faciamus, et ita attendamus, præmia illa consequi poterimus : quæ utinam obtineamus omnes, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Cap. 2. v. 1. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*, 2. *pro regibus et pro omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut securam et quietam vitam agamus in omni pietate et sanctitate.* 3. *Hoc enim pulchrum et acceptabile coram Salvatore nostro Deo*, 4. *qui omnes homines vult salvari, et ad cognitionem veritatis venire.*

1. Quasi communis totius orbis pater sacerdos est. Curam igitur omnium gerat oportet, sicut et Deus, cujus sacerdos est : ideo ait : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes.* Duo enim hinc oriuntur bona ; odium quod erga extraneos habemus, solvitur : nemo enim odio habere poterit eum, pro quo obsecrationes emittit : et illi ipsi meliores fiunt, et quia orationes pro ipsis emittuntur, et quod ipsi feritatem adversum nos deponant. Nihil enim ita confert ad doctrinam, ut cum quis amat et amatur. Cogita vero quantum illud esset, cum audirent illi qui insidiis appetebant, qui flagellabant, pellebant, necabant, quod ii qui talia paterentur, pro iis qui hæc patrarent intentas precationes ad Deum emitterent.

Christianus omnibus superior esse debet. — Viden' ut Christianum omnibus superiorem esse velit? Sicut enim in infantibus, etiamsi gestatus puellus patris faciem percutiat, nihil hinc paternus affectus minuitur : ita etiamsi ab extraneis illis percutiamur, non debemus nostram erga eos benevolentiam minuere. Quid sibi vult illud, *Primum omnium?* Id est, in cultu quotidiano. Et hoc sciunt initiati, quomodo quotidie fiant precationes et vespere et mane ; quomodo pro toto mundo, pro regibus et omnibus qui magistratum gerunt, obsecrationem emittamus. At dicet fortasse quispiam, illum non pro omnibus dixisse, sed pro fidelibus. Cur ergo dixerit, *Pro regibus?* Reges enim seu Imperatores tunc veram religionem non sectabantur, sed longo tempore impii impiis

succedebant. Deinde ne res adulatio esse videretur, prius dixit, *Pro omnibus*, ac deinde, *Pro regibus*. Si enim dixisset, Pro regibus, tantum, fortasse quis hoc suspicatus esset. Deinde, quia verisimile erat ut Christianus animus hæc audiens torpesceret, neque monitum hoc admitteret; si pro gentili mysteriorum tempore preces oporteret offerri: vide quid dicat, et quomodo lucrum apponat, ut sic ille admonitionem admitteret; *Ut securam*, inquit, *et quietam ducamus vitam*. Id est, illorum salus nobis tranquillitatem parit: sicut et in Epistola ad Romanos hortans illos ut obediant principibus, dicit: *Si non propter necessitatem, sed propter conscientiam* (*Rom.* 13. 5). Deus enim principatus constituit ad communem utilitatem. Quomodo ergo non absurdum fuerit, ipsos quidem ideo militare et arma circumferre, ut nos in tranquillitate vivamus; nos autem non supplicationes offerre pro iis qui periculo subeunt et militant? Itaque non adulatio illud est, sed secundum justitiæ rationem agitur. Nisi enim illi servarentur, et si bella non prospere gererent, nostra haud dubie turbis et tumultibus plena forent: nam vel nos bellum gerere oporteret, profligatis illis et cæsis, aut undequaque fugere et errare. Sunt enim illi velut obices præmissi, qui eos qui intus manent in pace conservent. *Obsecrationes*, inquit, *orationes, postulationes, gratiarum actiones*. Deo quippe gratiæ agendæ sunt etiam de bonis quæ aliis conferuntur: verbi gratia, quod solem suum oriri faciat super malos et bonos, quod pluat super justos et injustos. Vides ut ille non modo per orationem, sed etiam per gratiarum actionem nos conjungat et conglutinet? Nam qui cogitur gratias agere Deo pro bonis proximi, cogitur etiam illum diligere, et erga illum bene affectus esse. Quod si pro iis qui proximi nobis sunt, oporteat gratias agere, multo magis pro iis qui ad nos vel palam vel clam accedunt, sive libenter sive inviti, pro iis etiam qui molesta inferre videntur: etenim ad utilitatem nostram omnia dispensat Deus.

2. *Adversus eos qui contra proximum precantur.* — Omnis igitur oratio nostra gratiarum actionem habeat. Quod si precari jubemur pro proximis, non pro fidelibus tantum, sed etiam pro infidelibus, cogita quantum sit malum adversus fratres orare. Quid dicis? ille te pro inimicis jussit orare, et tu contra fratrem precaris? Non contra illum precaris, sed contra teipsum: Deum enim irritas, illa impia proferens verba: Ita te exhibe illi, ita fac illi, percute illum, retribue illi. Hæc procul sint a Christi discipulis, mansuetis, benignis. Ab ore, quod tanto mysterio dignatum est, nihil amarum prodeat, nihil insuave proferat lingua, cui divinum corpus impositum est: puram illam servemus, ne maledicta per illam proferamus. Nam si contumeliosi regnum non possidebunt, (1. *Cor.* 6. 10), multo minus illi qui imprecantur: necessarium enim est eum contumelia afficere qui imprecatur: contumelia autem et precatio longe ab invicem distant: imprecatio et oratio longo intervallo separantur. Oras Deum ut sit propitius, et tu contra alium precaris? Si non remiseris, non remittetur tibi (*Matth.* 6. 15): et tu non modo non remittis, sed Deum ne remittat rogas? Viden' nequitiæ excessum? Si non remittenti non remittitur, quomodo remittetur ei, qui Deum rogat ne remittat? Non illi noces, sed tibi. Quare? Si enim exaudiendus eras in iis quæ pro te precaris, propterea numquam exaudieris, qui exsecrando ore preces emittis: exsecrandum enim et impurum omnino est os hujusmodi, omni fœtore plenum, omni immunditia. Cum oporteret te de peccatis tuis tremere, et omni conatu illa curare, accedis ut Deum concites adversus fratrem tuum, nec times, nec de rebus tuis sollicitus es? non vides quid tibi moliaris? Imitare saltem pueros, qui in ludos literarios pergunt, et cum vident a sociis suis eorum quæ didicerint rationes exigi, et ob negligentiam omnes verberari, atque accurate singulos examinari et plagis affici, præ metu quasi moriuntur; ac si quis ex condiscipulis illos sæpe percutiat, ne irascuntur quidem, adeo metu distinentur, neque magistrum interpellare audent; sed unum tantum spectant, ut ingressi sine plagis exire possint; illudque tempus observant: et cum egressi fuerint, sive plagis acceptis, sive non acceptis, præ voluptate de iis non ultra cogitant. Tu vero stans et de peccatis tuis sollicitus, non exhorrescis cum aliorum peccata in memoriam revocas? et quomodo Deum rogas? Dum illum contra proximum precaris, peccata tua graviora facis, nec sinis ut ille tibi veniam concedat. Quomodo enim, inquit Deus, si vis me severe inquirere de malis contra te patratis, peccatorum tuorum contra me admissorum veniam tibi concedi postulas? Discamus tandem esse Christiani: si precari nesciamus, quod tamen admodum facile est, quid aliud sciemus? Discamus precari ut Christiani: gentilium sunt illæ preces, Judæorum sunt illæ supplicationes; Christiani vero sunt illis contrariæ, veniam nempe et remissionem petere pro iis quæ contra nos facta sunt. *Maledicimur*, inquit, *et benedicimus; persequutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur et obsecramus* (1. *Cor.* 4. 12. 13). Audi Stephanum dicentem: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* 7. 59). Non modo non adversus illos precabatur, sed etiam pro illis: tu vero non modo non pro illis precaris, sed contra illos. Sicut igitur ille admirabilis, ita et tu pessimus es homo. Quem admirabimur, dic mihi? eosne pro quibus oravit, an eum qui pro illis precatus est? Hunc utique: si vero nos, multo magis Deus. Vis inimicum percuti? ora pro illo, sed non ea mente, non ut percutiatur: hoc enim ita evenit; tu vero non id in scopo habeas. Nam beatus ille injuste omnia patiebatur, et precabatur pro percussoribus: nos autem plurima juste patimur ab inimicis. Si autem is qui injuste patiebatur, non ausus est contra percussores orare: qui juste patimur, et non modo non precamur pro inimicis, sed etiam contra illos oramus, quo non supplicio digni sumus? Videris quidem illi plagam infligere, sed vere contra te gladium convertis, cum non permittas ut Judex tibi peccata tua condonet, dum

illum irritas contra alium. *In qua enim mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, inquit ; *et quo judicio judicabitis, judicabimini* (*Matth.* 7. 2). Simus ergo ad veniam proni, ut veniam consequamur a Deo.

3. Hæc autem volo vos non audire tantum, sed etiam servare. Nunc vero verba solum memoria retinetis, imo fortasse ne verba quidem ; sed cum recesseritis, si quis ex absentibus interrogaverit, quam rem tractaverimus, alii ne respondent quidem, alii quari dicent argumentum quod tractavimus, quod non oporteat injuriarum reminisci, imo etiam pro inimicis orare ; deinde quæ dicta fuere omnia omittent : neque enim meminisse possunt : alii autem pauca sed quædam tamen memoria retineant. Ideo obsecro, si nihil ex dictis lucramini, ne dictis attendatis. Quæ enim hinc utilitas ? majus crimen erit, gravius supplicium, quia post mille monita in iisdem manemus. Ideo nobis Deus orationem constituit, ut nihil mundanum vel humanum petamus. Scitis vero, fideles, quænam petere in oratione oporteat, et quomodo omnis oratio communis sit. At non dictum fuit, inquies, quod pro infidelibus sit illic orandum. Quia nescitis orationis vim, neque altitudinem nec thesaurum illius cognoscitis : si quis enim eam diligenter scrutetur, hoc etiam in illa inveniet. Cum enim precando dicitur, *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra*, nihil aliud quam illud subindicatur. Quomodo ? Quia in cælo nullus infidelis est, nullus qui offendat. Si ergo id de fidelibus tantum intelligendum esset, dictum non esset rationi consentaneum. Nam si fideles voluntatem ejus facturi essent, infideles vero minime, voluntas ejus non sicut in cælo in terra fieret, sed quid ? Sicut in cælo, inquit, nemo malus est ; sic neque in terra sit : sed omnes, inquit, ad tui timorem attrahe, omnes homines angelos facito, etiamsi inimici hostesque sint. Non vides quantum quotidie Deus blasphemetur ? quantum contumelia afficiatur et ab infidelibus et a fidelibus, et per verba et per res ipsas ? Quid ergo ? an propterea solem exstinxit ? an lunæ cursum sustulit ? an cælum dirupit ? an terram concussit ? an mare exsiccavit ? an fontes aquarum sustulit ? an aerem confudit ? Nequaquam : imo contra, solem oriri curat, pluviam demittit, fructus dat et annuos cibos blasphemis, insensatis, exsecrandis, persequutoribus ; non uno die, non secundo, non tertio, sed per totam vitam.

Pro inimicis precandum. — Hunc et tu imitare, hunc secundum humanas vires æmulare. Non potes ut sol oriatur curare ? a maledictis abstine. Non potes pluviam dare ? ne contumeliam inferas. Non potes alimenta dare ? ne violentus sis. Hæc tua dona sufficiunt : a Deo autem per opera exhibentur collata inimicis beneficia : tu per verba saltem exhibe, pro inimico precare : sic eris similis Patri tuo qui in cælis est. De his millies disseruimus, et disserendi finem non facimus : aliquid plus saltem eveniat. Nos non torpescimus, nec defatigamur, nec molestia dicendo afficimur : vos saltem audiendo ne molestia affici videamini. Videtur autem quis molestia affici, cum dicta non exsequitur : qui enim exsequitur, libenter et sæpe vult illa audire, ut qui non molestia afficiatur, sed laudetur. Itaque non aliunde molestia accidit, quam quod dicta ad opus non exeant : hinc efficitur ut orator oneri sit. Si quis, verbi gratia, eleemosynam faciat, deindeque alius de eleemosyna loquatur, non modo non torpescit audiens, sed lætatur, cum audit opera sua prædicari et celebrari. Ita nos quoque, quia nihil commune habemus cum injuriarum oblivione, neque illud bonum opus exsequimur, ideo verba hujusmodi videmur moleste ferre : si autem rem exsequeremur, verba illa non molestiam crearent. Si ergo vultis nos non molestos vobis esse, sic facite : operibus rem exhibete. Numquam cessabimus de his vos alloqui, donec illa exsequamini. Ex affectu enim maxime et sollicitudine hoc facimus ; insuperque quia nobis periculum impendet. Tubicinem namque, etiamsi nemo ad bellum exeat, tuba canere oportet, officiumque suum implere. Non igitur ut majus vobis supplicium paremus id facimus, sed ut, quantum in nobis est, vos eximamus. Ad hæc vestra etiam nos caritas detinet : nam viscera nostra discerpuntur, et angore afficimur, si quid hujusmodi contingat. Sed absit. Non sumptibus opus est ad id quod dicimus, non pecuniæ impendendæ, non est longa peregrinatione opus ; voluntate solum, verbo et electione est opus. Custodiamus os nostrum, januam ac vectem apponamus, ut nihil quod Deo displiceat loquamur. Pro nobis agimus, non pro quibus precamur. Hoc semper cogitemus, quod qui inimicum benedicit, seipsum benedicat, et qui maledicit, seipsum maledicat, et qui pro inimico precatur, pro se precetur, non pro illo. Si sic nos geramus, poterimus insigne illud opus peragere et promissa bona consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen

HOMILIA VII.

CAP. 2. v. 2. *Ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.* 3. *Hoc enim bonum et acceptum est coram Salvatore nostro Deo*, 4. *qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.*

1. *Tria bellorum genera.* — Si vult communia bella dissolvi et pugnas perturbationesque, et ideo sacerdotem hortatur ut preces fundat pro regibus et principibus, multo magis privatos quoque id oportet facere. Bellorum quippe sunt tria genera graviora : est bellum commune, cum milites nostri a barbaris impetuntur : secundum bellum est, cum, etiam pacis tempore, nos invicem impugnamus : tertium cum unusquisque adversum se bella gerit. Hoc autem

est omnium gravissimum. Illud enim barbarorum bellum, non admodum nobis nocere poterit : quid enim, quæso, facient illi ? jugulabunt, occident, sed animam non labefactabunt. Sed neque secundum bellum damnum afferre poterit, nobis nolentibus. Etiamsi enim alii nos bello impetant, nobis licet in pace degere : audi enim prophetam dicentem : *Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi ; ego autem orabam ;* et rursus, *Cum iis qui oderunt pacem eram pacificus ;* et iterum, *Cum loquebar illis, impugnabant me gratis* (*Psal.* 108. 4. *et* 119. 7. *et* 108. 3.) Tertium vero bellum sine periculo effugere non possumus. Cum enim corpus nostrum adversus animam dissidet, gravesque cupiditates excitat, et corporis voluptates armat, iram, invidiam ; si hoc bellum non solvatur, non possumus promissa consequi bona, sed necesse est eum qui hunc tumultum non comprimit, cadere et illa accipere vulnera, quæ pariunt mortem in gehenna. Nobis ergo quotidie opus est cura et sollicitudine multa, ne in nobis hujusmodi bellum excitetur ; vel si excitatum est, ne maneat, sed comprimatur et sedetur. Quid enim juvat, si orbis totus profunda pace fruatur, dum tu adversus teipsum bellum geris? Hanc habere pacem oportet : si illa fruamur, nihil externum nobis nocere poterit : ad hanc vero non parum confert pax communis : ideo ait : *Ut quietam et tranquillam vitam agamus.* Si quis autem, dum tranquillitas est, perturbatur, admodum est infelix. Viden' illum de hac loqui pace, quam ego tertiam dico ? Ideo cum dixisset, *Ut quietam et tranquillam vitam agamus*, non hic stetit, sed addidit, *In omni pietate et castitate.* In pietate autem et castitate quis esse non potest, nisi pax illa constituta sit. Cum enim ratiocinia et quæstiones fidem nostram perturbant, quæ pax ? cum spiritus libidinis, quæ pax ? Ne enim existimes illum de hac loqui vita, quam omnes homines agunt; cum dixisset, *Ut quietam et tranquillam vitam agamus*, subjungit, *In omni pietate et castitate.* Possunt enim quietam et tranquillam vitam agere gentiles, impudici, et qui in deliciis voluptantur, et ex iis inveneris qui hanc vitam agant. Ut igitur discas illum non hanc vitam dicere, adjicit, *In omni pietate et castitate.* Illa enim vita insidias habet et pugnas, et anima quotidie vulneratur a perturbationibus cogitationum. Quod autem hanc vitam indicare velit, palam est ex additamento ; palam item est ex eo quod non simpliciter, In pietate, dixerit, sed addita hac voce, *In omni.* Hoc enim dicens, videtur non solum in dogmatibus vitam requirere, sed etiam illam quæ per vitæ genus firmatur : nam in utraque re pietas quærenda est. Quæ enim utilitas, si ii qui in fide pie sentiunt, vita et operibus impii sint ? Quodque hæc vita possit ex operibus impia fieri, audi beatum illum alibi dicentem : *Confitentur verbis se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* 1. 16) ; et rursus, *Fidem abnegavit, et est infideli deterior* (1. *Tim.* 5. 8) ; iterumque, *Si quis frater appellatus fuerit fornicator, aut avarus, quod est idolorum servitus, aut idololatra, hujusmodi non honorat Deum* (1. *Cor.* 5. 11) ; et rursum, *Qui fratrem suum odit, ignorat Deum* (1. *Joan.* 2. 9). Viden' quot sint impietatis modi ? Ideo ait, *In omni pietate et castitate.* Fornicator enim non modo inhonestus est, sed etiam impudicus. Etiamque avarus et inhonestus dicatur et intemperans. Hæc enim cupiditas est, non minus quam concupiscentia corporum. Qui ergo illam non castigat, intemperans dicitur : quod enim concupiscentiam non castigent, intemperantes vocantur. Itaque iracundum etiam intemperantem dixerim, et invidum, et pecuniæ amantem, et dolosum, et omnem in peccato versantem, et intemperantem et inhonestum et impudicum appellarim. *Hoc enim bonum et acceptum est*, inquit, *in conspectu Salvatoris nostri Dei. Hoc* quid est ? Precari pro omnibus : hoc acceptum est Deo. hoc ille vult : nam *Vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.*

2 Imitare Deum. Si vult omnes homines salvos fieri, jure pro omnibus orandum est : si vult ille omnes salvos fieri, tu etiam velis : si vis autem, precare : nam volentium est precari. Viden' quomodo ex omni parte animæ suadeat, ut etiam pro gentilibus precetur ? Et quantum indicet hinc obvenire lucrum, *Ut quietam*, inquit, *et tranquillam vitam agamus :* et quod multo majus est, quod hoc Deo placeat, et quod in hoc similes illi evadamus, cum eadem quæ ipse velimus. Hæc possent vel feram flectere. Ne timeas ergo si pro gentilibus preceris; ipse quoque hoc vult : time tantum cum imprecaris; hoc enim ipse non vult. Quod si pro gentilibus precari oportet, palam est etiam pro hæreticis esse precandum ; pro omnibus enim hominibus orandum est, neque illos persequi oportet. Hoc autem aliunde quoque bonum est, quod nempe illi ejusdem sint naturæ. Deus vero laudat et acceptam habet benevolentiam et amicitiam, quam in alterutrum habemus. Si ergo, inquies, Deus ipse dare vult, quid meis precibus est opus ? Hoc multum et tibi et illis confert, ad dilectionem illos trahit, et non sinit ut ferarum more sæviant ; hæc etiam possunt illos ad fidem attrahere. Multi enim homines quod inter se proterve contenderent, a Deo discesserunt. Hoc nunc Dei salutem appellat, qui *Vult*, inquit, *omnes homines salvos fieri :* quia hæc est vere salus ; sine hac enim nihil magnum, alia salus est, sed solum salutis nomen habet. *Et ad agnitionem veritatis venire.* Aquit, cujus veritatis ? Fidei in ipsum. Nam prius dixerat, Præcipe non aliter docere : ne vero quis ipsis ut inimicis attenderet, neve hinc rixas quæreret, dicit : *Vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* His vero dictis subjunxit : 5. *Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum.* Dixerat, *Ad agnitionem veritatis venire ;* ostendens orbem in veritate non esse. Deinde vero, *Unus Deus*, ut ostenderet plurimos non esse, sicut multi putabant. Dixit se Filium suum misisse mediatorem, ut commonstraret se omnes velle salvos fieri. Quid ergo ? an Filius non est Deus ? Utique est. Quomodo ergo dicit *Unus ?* Ad differentiam idolorum, non ut Filium excludat : nam de veritate et de errore erimo illi erat. Mediator autem debet ea jungere et communia facere, quorum

mediator est : si vero uni hæreat, ab altero autem separetur, jam non mediator, sed sejunctus est. Si ergo non consors est paternæ naturæ, non est mediator, sed separatus. Sicut enim humanæ naturæ junctus est, quia ad homines venit : ita et divinæ quoque est naturæ consors, quia a Deo venit : quoniam enim inter duas naturas medius est, ambarum naturarum oportuit illum esse participem. Quemadmodum enim medium loci cujuslibet utrique loco hæret : ita et duarum naturarum medium utriusque esse participem oportet. Ut ergo homo factus, ita et Deus erat. Homo enim mediator factus non fuisset; oportebat enim Deum alloqui : Deus quoque mediator non fuisset; neque enim suscepissent illum ii quorum mediator accederet. Ut illi dixit, *Unus Deus Pater, et unus Dominus Jesus Christus* (1. *Cor.* 8. 6) : ita et hic ait, *Unus* et *unus*, nec duos ponit. Quia enim de deorum multiplicitate disserebat, ne quis duorum numerum ad deorum multiplicitatem prolrudam raperet, *Unus* et *unus*, posuit. Viden' quomodo Scriptura cum magna cautione loquatur? Unus enim et unus sunt duo; sed non hoc dicemus, licet illud ratiocinium subjiciat. Hic non dicis, Unus et unus duo; quod vero neque ratiocinium subjicit, id dicis, Si genuit, passus est. *Unus* enim, inquit, *Deus, unus et mediator Dei et hominum Jesus Christus*, 6. *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, testimonium temporibus suis.* Numquid etiam, dic mihi, pro gentilibus? Etiam : et Christus quidem pro gentilibus quoque mortuus est; tu vero pro illis orare non vis. Quomodo igitur, inquies, non crediderunt? Quia noluerunt : suas ille tamen partes implevit : id passio testificatur, inquit. Venit enim ut testimonium perhiberet veritati Patris, et occisus est. Itaque non Pater tantum ipsi testificatur, sed etiam ipse Patri. *Ego* enim *veni in nomine Patris mei*, inquit; et rursum, *Deum nemo vidit umquam;* iterumque, *Ut cognoscant te solum verum Deum;* et rursum, *Spiritus est Deus* (*Joan.* 5. 43. *et* 1. 18. *et* 17. 3 *et* 4. 24). Usque ad mortem igitur testimonium perhibuit. Illud autem, *Temporibus propriis*, id est, congruentibus. 7. *In quo positus sum ego prædicator et apostolus* (*veritatem dico, non mentior*), *doctor gentium in fide et veritate.*

2. Quia igitur Christus pro gentibus passus est, et ego doctor gentium constitutus sum, cur tu non precaris pro illis? Recte hoc loco, postquam rem fide dignam esse dixit, illud, *In quo positus sum ego prædicator*, apposuit : in hac enim re non multum operæ ponebant apostoli (*a*). Deinde subjunxit, *Doctor gentium in fide et veritate.* Rursum, *In fide;* sed ne putes, quia *In fide* audisti, rem esse fallaciam; nam *In veritate*, inquit. Si veritas est, non est mendacium. Vides gratiam diffusam? Judæis enim orationes non hac de causa fiebant; nunc autem gratia extensa est. Ideo se doctorem gentium dicit constitutum esse; per totum orbem diffusam subindicans gratiam. *Qui dedit*, inquit, *seipsum redemptionem.* Quomodo igitur a Patre traditus est? Id ergo ex ejus benignitate factum. Quid est illud, *Redemptionem?* Illos puniturus erat, id autem non fecit : perituri erant, sed pro illis Filium suum dedit, et prædicatores nos misit, ut crucem prædicaremus. Satis hæc erant ut omnes attraherent, et dilectionem Christi ostenderent. Vere namque magna et inenarrabilia sunt, quæ a Deo pro nobis facta sunt : seipsum immolavit pro inimicis, qui se oderant et aversabantur : quod nec pro amicis, pro filiis, pro fratribus quisquam faceret, hoc Dominus pro servis fecit; dominus non talis quales servi, sed Deus pro hominibus, et hominibus non conspicuis. Nam si conspicui, si accepti et grati fuissent, non tam mirabile esset : nunc vero, quod omnem percellat mentem, pro talibus, ingratis et improbis moritur. Quod enim homines pro contribulibus non faciunt, hoc Deus pro nobis fecit : et cum tanta fruamur dilectione, adhuc torpescimus, nec Christum diligimus.

Eleemosyna commendatur. Pecuniarum vilitas. — Ipse seipsum pro nobis immolavit; nos vero necessario egentem cibo, despicimus, infirmumque ac nudum non visitamus. Quanta ira, quanto supplicio, quanta gehenna hæc digna sunt! Si enim nihil aliud, vel id solum quod humanas passiones assumere voluerit, ut diceret, Esurio et sitio, annon omnes ad se provocare debuit? At, o pecuniarum tyrannis! vel potius, o nequitia eorum qui sponte pecuniis serviunt! illa non magnam vim habet, sed nos valde sumus dejecti et subditi, nos viles et terreni, nos carnales, nos insensati : non enim illarum magna vis est. Quid enim, quæso te, possunt? stupidæ sunt et insensibiles. Si diabolus nihil est, exsecrandus dæmon, ita malignus, qui omnia miscet : pecuniæ quam vim habent? Si videas argentum, stannum esse puta. Sed non potes? Igitur quod verum est illud cogita, quod nempe terra sit, ut revera est. Sed hanc rationem non suscipis? Cogita quod nos pereamus, quod multi qui possidebant, nihil fere lucri inde retulerint; quod multi qui de his gloriabantur et se ostentabant, cinis et pulvis evaserunt, et nunc pœnas dabunt extremas, iis qui in testa et in vitro versantur longe pauperiores facti; iis qui in fimo jacent, sæpe ii qui in lectis eburneis dormiunt, miseriores sunt. Sed illa aspectum delectant? At multa alia magis illum delectare possunt : nam flores, aer purus, cælum, sol multo magis oblectant. Habet quippe argentum sæpe rubiginem multam, unde plurimi nigrum ipsum esse declararunt, quod constat ex imaginibus, quæ nigræ evaserunt : in sole autem nihil nigrum est; in cælo item, in astris. Longe major est in floribus delectatio, quam in illo colore. Non est ergo flos qui delectat, sed avaritia, injustitia : hoc delectat animas, non argentum. Ejice illam ex anima, et videbis, quod pretiosum esse videbatur cœno vilius esse : ejusmodi vitium elimina. Nam qui febri laborant, cum

(*a*) Significat Chrysostomus Paulum fuisse gentium doctorem et prædicatorem : cæteros autem apostolos ea in re, scilicet in gentium conversione, non multum operæ posuisse. Quod fortassis iis in regionibus, quæ in Actibus Apostolorum memorantur, a vero non multum abhorreat; in cæteris autem regionibus, secus.

cœnum vident, illud quasi fontes exoptant; qui autem sani sunt, sæpe ne aquam quidem concupiscunt. Ejice morbum, et res ut se habent videbis. Et ut discas me non mentiri, multos ostendere possum, qui hoc fecerunt. Exstingue ignem, et videbis hæc floribus esse viliora. Pulchrum est aurum? sed ad eleemosynam pulchrum, ad juvandos pauperes pulchrum, non ad inutilem usum, ut intus jaceat, ut in terram defodiatur, ut manibus, pedibus, capiti circumponatur. Ad hoc inventum fuit, non ut imaginem Dei illo vinciamus, sed ut vinctos solvamus: ad hoc auro utere: vinctum solve, ne solutam animam vincias. Cur ergo, dic mihi, rem vilissimam omnibus præfers? num quia aurum est, non vinculum facit? an materia vinculum facit? Sive aurum sit, sive ferrum, idipsum est; imo aurum ferro gravius est. Sed quid rem levem reddit? Vana gloria, et quod mulier ab omnibus vincta conspiciatur, qua de re pudore suffundi oportuit. Quod autem hoc verum sit, liga et relinque in solitudine, ubi nullus sit qui videat; et tunc vinculum grave molestumque putabit. Timeamus, dilecti, ne audiamus illa terribilia verba: *Ligatis manibus et pedibus* (*Matth.* 22. 13). Cur hoc tibi fieri curas, mulier? nemo ex victorum numero manibus pedibusque vincitur. Cur caput vincis? annon sufficit manus et pedes vinciri? cur collum mille vinculis constringis? Mitto sollicitudinem hinc partam, timorem, angorem, litem cum viro ea de causa, si quando illis indigeat, mœrorem quem sustineat, si quid horum excidat. Hæccine voluptas, dic mihi? Ut alius aspectu oblectetur, te vinculis, sollicitudinibus, periculis, mœroribus, quotidianis rixis subjicis? annon hoc omni criminatione dignum est? Ne, quæso, ne hæc faciamus; sed omne iniquitatis vinculum solvamus: frangamus esurienti panem: atque omnia faciamus, quæ nobis fiduciam apud Deum parere possint, ut promissa bona consequamur, in Christo Jesu Domino nostro, quicum Patri simulque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

Cap. 2. v. 8. *Volo igitur viros orare in omni loco, extollentes sanctas manus absque ira et disceptatione.*
9. Similiter et mulieres in habitu ornato cum verecundia et pudicitia seipsas ornare, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa;
10. sed, quod mulieres decet, pollicentes pietatem per bona opera.

1. *Cum oratis*, inquit, Christus, *nolite fieri sicut hypocritæ: amant enim in synagogis et in angulis platearum orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito; et ipse reddet tibi in manifesto* (*Matth.* 6. 5. 6). Quid igitur Paulus dicit, *Volo viros orare in omni loco, extollentes sanctas manus absque ira et disceptatione?* Sed non est hoc contrarium illis, absit; imo valde consonat. Quomodo? Prius autem dicendum est, quid sit illud, *Intra in cubiculum tuum*, et cur hoc præcipiat, si sit orandum in omni loco, si in ecclesia orare non oporteat, et si in nulla alia domus parte liceat, nisi in cubiculo. Quid ergo sibi vult dictum illud? Inanem gloriam fugiendam esse docens Christus, dicit non simpliciter, Clam, sed Occulte orationem emitte. Ut enim cum dicit, *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Ibid.* 6. 3), non de manibus simpliciter loquitur, sed quam sit summe fugienda vana gloria declarat: ita in hoc quoque loco hoc subindicat.

Orandum ubique. Nimius ornatus.—Non igitur in loco quopiam orationem faciendam esse definivit, sed hoc unum tantum præcepit, fugiendam esse vanam gloriam. Paulus vero hæc dicit ad differentiam Judaicæ orationis: vide namque quid dicat: *In omni loco extollentes sanctas manus*; quod Judæis non licebat. Neque enim poterant ad Deum accedere alibi et immolare et cultum implere; sed undique ex toto orbe concurrentes, omnes purificationes in templo facere oportebat. His adversam admonitionem inducit; et a necessitate illa liberans, Non hujusmodi, inquit, nostra sunt, qualia Judaica. Sicut enim pro omnibus orationes facere jubet: nam Pro omnibus, inquit, Christus mortuus est, et, Pro omnibus hæc prædico: sic ubique bonum est orare: observatio autem nulla deinceps de loco sit, sed de modo orationis. Ubique ora, inquit: ubique sanctas manus extolle: hoc est quod quæritur. Quid sibi vult *Sanctas*? Puras: quid est puras? Non aqua ablutas, sed ab avaritia, cædibus, rapinis, plagis mundatas. *Sine ira et disceptatione*. Quid hoc est? quis orans irascitur? Hoc est, sine injuriarum recordatione. Purus sit orantis animus, omni vitio liber: nemo inimicitias habens ad Deum accedat: nemo cum aversione et disceptatione. Quid est illud, *Sine disceptatione*? Audiamus. Non ergo dubitandum est, nos exauditum iri. *Quæcumque enim*, inquit, *credentes petieritis, accipietis* (*Matth.* 21. 22); et rursum, *Cum statis ad orandum, dimittite, si quid habetis contra aliquem* (*Marc.* 11. 25). Hoc est, *Sine ira et disceptatione*. Et quomodo, inquies, credere potero me consequuturum esse quod peto? Si nihil contrarium petas iis, quæ ipse dare paratus est, si nihil indignum Rege, si nihil sæculare, si omnia spiritualia, si absque ira accedas, si puras et sanctas habeas manus: sanctæ autem sunt illæ quæ eleemosynas erogant. Si sic accedas, voti compos eris. Nam *Si vos*, inquit, *cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cœlis est* (*Matth.* 7. 11). Disceptationem hic vocat dubitationem. Similiter et mulieres volo, inquit, ad Deum accedere sine ira, sine disceptatione, sanctas manus habere, concupiscentias suas non sequi, non rapere, non avaras esse. Quid enim refert illam non rapere, si per virum suum illud efficiat? A mulieribus autem aliquid amplius petit Paulus. Quid illud est? *Cum verecundia*, inquit, et

pudicitia, in habitu ornato, non in tortis crinibus, aut auro aut margaritis, sed quod mulieres decet pollicentes pietatem per bona opera. Habitum quem dicit? Id est, tunicam undique honeste tegentem, decentem, sed non exquisitam: hoc enim ornatus vere est; istud ornamento caret. Quid dicis? Deum precatura accedis, et ornamenta aurea circumfers? num ad choreas agendas venisti? num ad nuptias celebrandas, num ad pompam? Illic aurea, illic torti crines, illic magnifica vestimenta adhiberi solent: nunc autem iis nihil opus est. Venisti ad orandum et precandum, supplicatura pro peccatis et pro offensis tuis, rogatura Dominum ut propitium illum tibi reddas: cur teipsam ornas? Non sunt hæ vestes supplicantis. Quomodo potes ingemiscere? quomodo lacrymari? quomodo intente orare tali ornata vestimento? Si lacrymaris, risu dignæ videbuntur lacrymæ: non enim aurum gestare oportet lacrymantem; illud quippe ad scenam et histrionicam pertinet. Quomodo enim non scena fuerit, quando ab eo ipso animo, quo tanta magnificentia, tanta ambitio monstratur, etiam lacrymæ funduntur? Illam omnem histrionicam aufer: Deus non irridetur. Hæc mimorum et saltatorum sunt qui in scena versantur; honestam autem mulierem nulla hujusmodi decent. *Cum verecundia*, inquit, *et pudicitia.*

2. Ne itaque meretrices imiteris: hoc namque ornamento illæ multos amatores inescant: atque hinc sæpe multæ in malam suspicionem venerunt, nihilque ex ornatu lucratæ sunt, ac plurimis ea opinione nocuerunt. Quemodmodum enim impudica, etiamsi casta videatur, nihil ex hac opinione lucratur, cum ille qui etiam de occultis judicat, tunc omnia in medium acturus est: ita etiam quæ casta est, si per vestimentorum ornatum studeat sibi impudicitiæ opinionem conciliare, ex castitate nihil lucrabitur; plurimis enim ex hac opinione damnum accidit. Quid ergo faciam, inquies, si alius id suspicetur? Tu occasionem illi das, ex habitu, ex obtutu, ex motibus. Ideo Paulus plurima dixit de vestitu, de pudore. Si vero quæ opum tantum indicia sunt sustulit, aurum, margaritas, magnifica vestimenta; quanto magis ea quæ arte curiose parantur, ut fucos, picturas oculorum, delicatum incessum, mollem vocem, aspectum lubricum, omni impudicitia plenum, curiosam amiculi formam et tunicæ, zonam artificiosiorem, calceos studio compositos? Hæc quippe omnia subindicavit cum dixit, *In habitu ornato*, et, *Cum verecundia*: illa enim inverecundiæ et dedecoris plena sunt. Me, quæso, feratis, si nudis verbis reprehensionem inferam, non ut feriam, neque ut mœrore afficiam, sed ut aliena a grege abscindam.

Virginum cultus vestium nimius. — Si connubio junctis, si deliciantibus, si divitibus hæc prohibet, multo magis iis, quæ virginitatem amplexæ sunt. Et quæ virgo, inquies, auro circumornatur? quænam tortis crinibus est? Tanta potest esse simplicis habitus curiositas, ut cultum illum longe superet. Potest enim fieri ut simplici vestitu major sit cultus, quam sit ille auro circumfulgens, quando admodum cærulea vestis fuerit, et cum accuratione multa ad pectus zona constricta fuerit, ut est illa saltantium in scena: ita ut neque multum inflata ad latus excedat, neque in tenuitatem contrahatur, sed medium teneat, multasque habeat in sinu rugas: quot sericis vestibus hæc non aptior fuerit ad inescandum? Quid vero, si calceus in nigro colore multum fulgeat, in acumen desinens, et picturarum decorem imitetur, ita ut neque extremum multum ascendat? quid vero, si faciem quidem non fuco oblinas, sed accuratissime abluas, et a fronte velamen obtendas facie longe candidius, deindeque superne palliolum imponas, ut candor cum nigro colore gratior videatur? Quid autem dixeris de oculorum innumeris circumversionibus? de cingulo, quod nunc quidem occultatur, nunc denudatur quo loco pectorale cingitur? nam et hoc sæpe denudant, ut cinguli concinnitas appareat, et palliolo toto circa caput rejecto. Manus autem tragœdorum more manicis concinne tegunt, ut videantur innatæ. Quid de gressu dixerimus, et de aliis concinnis gestibus, qui plus quam omne aurum possunt spectatores allicere? Timeamus, dilecti, ne audiamus et nos ea quæ propheta Hebræorum uxoribus dicebat, quæ hujusmodi exteriori cultui studebant: *Pro zona funiculo cingeris, et pro ornamento capitis tui calvitiem habebis* (*Isai.* 3. 24). Hæc itaque magis attrahunt, quam aurea ornamenta, et alia multa ad hoc excogitata, ut per aspectum spectatores capiant. Non parvum est illud peccatum, imo maximum, quod possit Deum ad iracundiam provocare, et totum virginitatis laborem pessumdare.

3. Christum habes sponsum; cur amatores homines attrahis? Ille tunc adulterii te damnabit. Cur non ornaris ornatu qui ipsi placeat, pudore, castitate, honestate, modesto vestitu? hic quippe meretricius et turpis est. Jam meretrices a virginibus non discernimus. Vide in quantam turpitudinem se illæ conjecerint. Ornatu vacuam oportet esse virginem, simpliciter et utcumque vestitam: illa vero innumera excogitat ad exteriorem cultum. Finem facito insaniendi, o mulier, transfer curam illam ad animam et ad interiorem ornatum: ille namque ornatus exterior non sinit interiorem esse pulchrum. Qui hunc ornatum curat, interiorem negligit: sicut qui exteriorem despicit, totam curam ad interiorem transfert. Ne dixeris: Væ mihi, detritam vestem fero, viles calceos, velamen nullius pretii: qualis hic ornatus est? Ne teipsam decipias. Licet, ut dixi, per hæc melius ornari, quam per illa; magis per detritas vestes, quam per illas accurate concinnatas et ad corpus ornandum paratos, impudentiam præ se ferentes et splendidas. Mihi hæc loqueris: quid vero dices Deo, qui animum tuum novit, ex quo hoc facis? At non id facis ut forniceris? Sed quare? an ut admirationi habearis? nec te pudet, nec erubescis quod his velis admirationem movere? Sed simpliciter, inquies, sic vestior, et non ea de causa. Novit Deus ea quæ no-

bis loqueris. Num mihi rationem das? illi dabis, qui gestis omnibus præsens est, et tunc hæc examinabit, cui omnia nuda et aperta sunt. Ideo et nos hæc nunc dicimus, ne vos iis rationibus reddendis obnoxias faciamus. Timeamus ne illa vobis exprobret, quæ per prophetam Judæis mulieribus, *Ibant ut viderem lascivientes et pedibus simul ludentes* (*Isai.* 3. 16). Suscepistis certamen magnum, ubi pugna, non ornatu opus est, pugnare oportet, non molliter agere. Non vides pugiles et concertantes? num illis de incessu et ornatu cura est? Nullomodo; sed his missis omnibus, vestem sumentes oleo madidam, unum solum spectant, ut feriant, et non feriantur. Stat diabolus dentibus stridens, undique circumspectans ut te de medio tollat : tu vero manes de ornatu satanico sollicita? Nihil volo dicere de voce, quomodo multæ ei componendæ studeant, nihil de unguentis, cæteraque mollitie. Ideo nos irrident sæculares mulieres. Virginitatis honestas periit; nemo virginem honorat ut honorare par est : ipsæ namque id efficiunt ut despiciantur. Annon oportebat eas, quasi de cælo delapsas, ita in Ecclesia Dei esse venerandas? nunc autem contemnuntur, illæque in causa sunt, non autem propter eas quæ sunt sapientiores. Cum enim viderit te, illa quæ virum habet et filios, ac domui præest, crucifixam esse debere, et tamen plus quam ipsa mundum hunc perquirere; quomodo non irridebit, quomodo non despiciet? Vides quantum studii? quantum sollicitudinis? per vilitatem vestis vincis eam quæ magnifice vestitur, dum magis ornatui studes, quam ea quæ ornamentis aureis decoratur. Quæ te decerent non quæris; quæ te non decent, illa persequeris, cum oporteret te bona adire opera. Ideo sæcularibus ignobiliores virgines sunt : neque enim virginitate digna opera exhibent. Hæc diximus, non omnibus, imo vero omnibus : iis quæ in culpa sunt, ut resipiscant; innoxiis autem, ut illas emendare studeant. Sed videte et cavete ne hæc correctio ad opus deducatur. Non enim ut mœrore afficiamus hæc diximus, sed ut a culpa revocemus, ut in vobis gloriemur. Utinam autem omnes quæ Deo sunt placita faciamus, et ad gloriam Dei vivamus : ut promissa consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

Cap. 2. v. 11. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione.* 12. *Mulieri autem docere non permitto, neque dominari viro, sed in silentio esse :* 13. *Adam enim primus formatus est, deinde Eva :* 14. *et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit :* 15. *salvabitur autem per filiorum procreationem, si permanserint in fide et caritate et sanctificatione cum sobrietate.*

1. *Mulierum in ecclesiis colloquia improbantur.* — Magnam a mulieribus verecundiam beatus Paulus exigit, multam honestatem. Ideo non modo usque ad habitum et usque ad amictum procedit, sed etiam usque ad vocem : et quid dicit? *Mulier in silentio discat.* Quid hoc est? Ne loquatur, inquit, in ecclesia mulier : quod etiam in Epistola ad Corinthios dicebat : *Turpe est enim mulieribus in ecclesia loqui.* Quare? Quia lex illas subjecit. Et rursus alibi : *Si quid autem discere volunt, domi viros suos interrogent* (1. *Cor.* 14. 35). Tunc quidem mulieres huic præcepto parentes, tacebant; nunc autem apud illas est ingens tumultus, multus clamor, colloquia plurima, nusquam tanta quanta hic : omnes illas colloquentes videris, quanta neque in foro, neque in balneis. Ac si enim illa ipsa de causa huc venissent, ut licentiam habentes, ita de inutilibus omnes colloquuntur. Idcirco omnia sus deque versa sunt : neque cogitant, se nec posse utile quidquam ediscere, nisi quiescant. Cum enim ad loquendum parati sumus, et nemo dictis attendit, quid utilitatis? Adeo illam, inquit, oportet silentio studere, ut non modo de sæcularibus, sed neque de spiritualibus in ecclesia loquatur. Hoc ornamentum ejus est, hæc verecundia magis illam ornare poterit, quam vestimenta : si ita se ipsam contineat, poterit etiam admodum decenter orationes fundere. *Mulieri autem docere non permitto,* inquit. Quænam hic habetur consequentia? Multa. De silentio loquutus est, de honestate, de verecundia : dixit, Illas loqui nolo. Omnem igitur illis adimere volens loquendi occasionem, Ne doceant, inquit, sed discentium ordinem servent : ita enim per silentium subjectionem ostendit. Loquax enim est hic sexus : ideo undique illum comprimit. *Adam* enim, inquit, *primus formatus est, deinde Eva : et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Quid igitur hæc ad nostri temporis mulieres? Plurimum, inquit : hominum genus majore potitus est honore; primum formatus est vir. Alibi quoque majorem esse ostendit, ita dicens : *Neque enim propter mulierem factus est vir, sed mulier propter virum* (1. *Cor* 11. 9). Cur autem hoc dicit? Ut ex multis primatum viro tribuat. Primo quidem hinc primatum habeat, inquit; secundo ab iis quæ gesta sunt. Docuit illa aliquando virum, et omnia subvertit, atque illum inobedientiæ fecit obnoxium. Ideo illam subdidit Deus, quia imperio, imo potius paritate male usa est : *Ad virum tuum,* inquit, *conversio tua.* (*Gen.* 3. 16). Antea autem hoc dictum non fuerat. Quomodo Adam non est seductus? ergo inobediens non fuit, siquidem seductus non est. Attende diligenter : ait mulier, *Serpens decepit me* (*Ibid.* 3. 18) : Adam vero non dixit, Mulier seduxit me, sed, Illa *Mihi dedit, et comedi.* Par autem res non est a contribuli et cognata decipi et a bestia, quæ subdita erat homini : illud igitur vere seductio est. Ad comparationem ergo mulieris dicit eum seductum non fuisse, quia illa a subdito et subjecto, hic autem a libera dece-

ptus fuerat. Rursus non de Adamo dictum est, *Vidit lignum quod bonum esset ad comedendum* (*Gen.* 3. 6); sed de muliere, et quod comederit, et dederit viro. Itaque hic non concupiscentia captus prævaricatus est, sed simpliciter mulieri obtemperans. Docuit semel mulier, et omnia subvertit : ideoque ait, *Ne doceat*. Quid ergo ad cæteras mulieres, si illa id fecerit? Ad cæteras certe spectat : sexus enim est infirmus et levis. Alioquin de toto hic sexu sermo est : non enim dixit, Eva autem seducta ; sed, *Mulier*, quod communis sexus magis, quam illius nomen est. Quid ergo? totus sexus propter illam in prævaricatione fuit? Ut de Adam dixit, *In similitudine prævaricationis Adæ, qui est forma futuri* (*Rom.* 5. 14) : ita et hic muliebris sexus prævaricatus est, non virilis. Quid ergo? salutem ultra non habet? Habet, inquit. Quamnam? per filios : neque enim de Eva dicebat, *Si permanserint in fide et caritate et sanctificatione cum sobrietate*. In qua fide, in qua caritate, in qua sanctificatione cum sobrietate? Ac si diceret, Ne sitis mœstæ, mulieres, quod sexus vester criminationi sit obnoxius : dedit vobis Deus aliam salutis occasionem, educationem filiorum ; ita ut non modo per vos ipsas, sed etiam per alios salutem nancisci possitis. Vide quot quæstiones circa eamdem rem surgant. *Mulier seducta*, inquit, *in prævaricatione fuit*. Quænam? Eva. Hæc igitur salvabitur per filiorum procreationem? Non hoc dicit, sed quod totus femininus sexus salutem sit consequuturus. Ipsa vero annon in prævaricatione fuit? Etiam fuit; sed prævaricata quidem est Eva, sexus autem femineus salvabitur per filiorum procreationem. Cur autem non per propriam virtutem? num illa cæteras ab hoc excludit? quid ergo ad virgines? quid ad steriles? quid ad viduas, quæ priusquam parerent viros amiserunt? ergone perierunt? an spem nullam habent? atqui virgines maxime omnium claræ probatæque sunt. Quid ergo sibi vult?

2. Quidam dicunt, quod sicut totum sexum subjecit propter ea quæ primæ mulieri acciderant (Quia enim Eva secunda formata fuerat et subjecta erat, totus etiam sexus subjectus esto, inquit) : ita igitur, quoniam prævaricata est, totus etiam sexus in prævaricatione fuit. At illud ratione caret : illic enim totum ex dono Dei manavit, hic vero ex peccato mulieris. Hoc ergo vult significare : Sicut omnes homines moriuntur propter unum, quia unus peccavit : sic et totus femininus sexus prævaricatus est, quia mulier in prævaricatione fuit. Nihil ergo doleat : dedit illi Deus consolationem non modicam, ut filios pareret. At hoc est naturæ, inquies. Et illud quoque naturæ : neque enim quod est naturæ tantum, sed etiam quod est liberorum educationis ipsi concessum est : *Si permanserint*, inquit, *in fide et caritate et sanctificatione cum sobrietate* ; id est, si post partum se in caritate et castitate contineant. Non parvam pro his mercedem consequentur, sed maximam, quod athletas Christo nutrierint. Sanctificationem autem vocat rectam vitam, sobrietatem vero honestatem.

1. *Fidelis sermo*. Hoc ad superiora refertur, non ad illud, *Si quis episcopatum desiderat*. Quia enim illa de re disceptabatur, ideo dicit, *Fidelis sermo*, quod scilicet poterunt patres filiorum virtute frui, necnon et matres, quando illos probe educaverint. Quid ergo, si illa sit improba et mille vitiis plena? num a filiorum educatione juvabitur? annon verisimile magis est illam secundum suos mores filios educaturam esse? De virtute prædita muliere hæc dicit, quæ præstet probitate, quod multam receptura sit mercedem et retributionem.

Filii quomodo instituendi. — Audite hæc patres et matres, quod filiorum educatio non mercede careat. Hoc etiam in sequentibus dicit, *Testimonium habens in bonis operibus* (1 *Tim.* 5. 10), si filios educavit : hoc etiam cum aliis ponit. Neque enim parva res est filios a Deo datos ipsi Deo consecrare. Nam si crepidinem et fundamenta bona jecerint, magnam habebunt mercedem ; ut si negligentes fuerint, supplicium. Nam Heli propter filios periit : oportebat enim illos commonefacere. Monuit tamen ille ; sed non ut oportebat, sed cum nollet ipsis molestus esse, et illos et se perdidit. Hæc audite patres : instituite filios vestros in disciplina et admonitione Domini cum diligentia magna. Res aspera et difficilis est juventus, multis egens institutoribus, doctoribus, pædagogis, asseclis, nutritoribus : vix enim post tantam curam juventutem continere possis. Juventus enim equo indomito et feræ intractabili similis est. Si ergo a principio, et a prima juventute terminos optimos ipsis ponamus, non multis postea laboribus egebimus : sed consuetudo lex ipsis postea erit. Ne sinamus eos aliquid eorum aggredi quæ jucunda simul et noxia sunt, neque hac in re illis ut filiis gratificemur : in castitate maxime conservemus illos : vitium enim oppositum maxime omnium juventutem perdit. Ad eam rem multis opus est nobis laboribus, maxima attentione. Cito illis uxores sumamus, ut pura et intacta corpora sponsæ excipiant : hi amores ardentiores sunt. Qui ante nuptias castus fuit, multo magis post nuptias erit : qui vero ante nuptias fornicari didicit, post nuptias etiam fornicabitur : nam *Viro*, inquit, *fornicatori omnis panis suavis est* (*Eccli.* 23. 24). Ideo coronæ capitibus imponuntur, symbolum victoriæ, quod antea invicti, sic ad thalamum accedant, quia non superati sunt a libidine. Quod si a libidine captus, meretricibus sese dediderit, cur coronam capite gestat, cum superatus fuerit? Hæc illis monita et præcepta demus, terreamus, minas intentemus, modo id, modo aliud facientes. Magnum depositum habemus, filios nempe. Curam ergo eorum habeamus, nihil non agamus, ne illud nobis malignus ille auferat. Nunc autem a nobis contraria omnia præstantur. Ut ager sit optimus omnia facimus, et ut fideli viro tradamus : asinarium, mulionem, procuratorem et dispensatorem, qui sit optime affectus, quærimus : quod autem omnium nobis pretiosissimum est, ut filium alicui committamus, qui possit ejus castitatem tueri, id negligimus, quamquam is omni-

bus prædiis nobis carior esse debet : cætera enim omnia propter eum possidentur. Prædia illis danda curamus, illos autem minime. Viden' rei absurditatem? Primo filii animam exerce, et hæc postea aderunt : nam si illius anima bona non sit, nihil ei pecuniæ proderunt : sin autem proba, nihil ex paupertate lædetur. Vis illum relinquere divitem? doce illum, esse probum : ita enim rem familiarem augere poterit ; et si non augeat, non in deteriori conditione erit, quam ii qui plurima possident. Si autem improbus fuerit, etiamsi innumera bona ipsi relinquas, non custodem reliquisti, sed miseriorem reddidisti, iis qui in extremam paupertatem devenere. Filiis enim non recte institutis, melior est paupertas, quam divitiæ. Paupertas enim illos vel invitos in virtute retinet ; divitiæ vero ne volentes quidem temperantes esse sinunt, sed extrahunt, evertunt et in mille mala conjiciunt. Matres, filias vestras recte componite ; facilis vobis est hujusmodi cura ; vigilate, ut domi maneant : ante omnia autem ad pietatem illas instituite, et ut honestæ sint ac pecunias spernant, ne cultum et ornatum nimis curent. Sic illas nuptiis tradite. Si illas sic efformetis, non ipsas tantum, sed etiam virum, qui illas ducturus est, servabitis ; nec virum tantum, sed filios ; nec filios solum, sed nepotes. Nam si radix sit bona, surculi quoque in melius proficient et extendentur, horumque omnium mercedem accipietis. Ut igitur non unius animæ utilitati prospicientes, sed multarum per unam : sic omnia faciamus. Ita enim oportet ex paterna domo ad nuptias pergere, ut athletam ex palæstra, omni scientia accuratissime instructam, quæ fermenti instar debet totam massam ad suam pulchritudinem reducere. Filii rursum ita verecundi sint, ut ex honestate et castitate magis cognoscantur, ut et apud homines et apud Deum laudem magnam consequantur. Discant imperare ventri, a nimiis sumptibus abstinere, œconomi sint, caritatem colant, discant imperio subjici. Ita enim magnam poterunt retribuere parentibus mercedem : omnia ita in gloriam Dei erunt et in salutem nostram, in Christo Jesu Domino nostro, quicum Patri simulque Spiritui Sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

Cap. 3 v. 1. *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* 2. *Oportet igitur episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, pudicum, ornatum, hospitalem, doctorem,* 3, *non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed mansuetum, non litigantem, non avarum,* 4, *domui suæ bene præsidentem, filios habentem subditos cum omni castitate.*

1. *De Episcopatu ; qualis episcopus esse debeat.* — De episcopatu loquuturus, ostendit qualis debeat esse episcopus, non quasi Timotheum moneat, sed ac si omnes alloquatur, et per illum omnes ad officium deducens : et quid ait? *Si quis episcopatum desiderat*, non improbo illum, inquit : opus quippe regiminis est : si quis hoc desiderio tenetur, ita ut non imperium et auctoritatem cupiat tantum, sed præpositi officium, non improbo : *Bonum* enim *opus desiderat*, inquit. Nam Moyses illud appetiit, sed non potentiam ; atque ita desideravit ut audiret : *Quis te constituit principem et judicem super nos* (*Exod.* 2. 14)? Si quis ita desiderat, utique desideret : episcopatus enim dicitur, quod omnes dispiciat. *Oportet ergo*, inquit, *episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.* Non ut legem ponat, ita loquitur, quasi non id liceat, nisi hac conditione, sed ut immodestiam impediat. Nam apud Judæos licebat secundas adire nuptias et duas simul habere uxores, *Honorabile* namque *est connubium* (*Hebr.* 13. 4). Quidam vero putant hoc dici, quod unam habere uxorem deberet. *Irreprehensibilem.* Hac voce omnem virtutem indicat. Itaque si quis se peccatis obnoxium sciat, non recte facit si talem rem desideret, a qua per ipsa opera sese exclusit : hujusmodi enim hominem non imperare, sed imperari oportet. Imperantem enim omni luminari splendidiorem oportet esse, et vitam habere immaculatam, ita ut omnes ad eum respiciant, et ad ejus exemplum vitam suam componant. Hoc autem non sine causa Paulus facit, tali usus admonitione, sed quia ipse episcopos constituturus erat : qua de re etiam ad Titum scribens monita dabat (*Tit.* 1) : et quia verisimile erat multos fore qui idipsum desideraturi essent ; ideo hæc dat præcepta, *Sobrium*, inquit, seu vigilem ; id est perspicacem, mille oculis undique instructum, nec mentis oculis hebetem. Multa enim incidere possunt quæ non sinant clare videre res ut revera se habent : etenim mœrores, curæ, confusa rerum copia, multaque alia confluunt.

Vigilem igitur illum esse oportet, qui non sua tantum curet, sed etiam ea quæ ad alios spectant : expergisci oportet ac spiritu fervere, ignemque spirare, ut ita dicam ; ac plus quam ducem exercitus die nocteque castra percurrentem vigilare, atque ministri officium implere, omniumque curam et sollicitudinem gerere. *Pudicum, ornatum, hospitalem.* Hæc quoniam in multis etiam subditis occurrunt (oportet enim illos in his præpositos suos æquare), ostendens quid episcopis præcipue competat, subjungit, *Doctorem* : hoc enim non a subdito expetitur, sed maxime omnium desideratur in eo, cui hoc officium creditum est. *Non vinolentum.* Non de ebrioso hic loquitur, sed de contumelioso et arrogante. *Non percussorem.* Non de percutiente manibus hic verba facit. Quid ergo sibi vult illud, *Non percussorem?* Quoniam sunt quidam qui fratrum conscientiam intempestive percutiunt, hoc nunc subindicare mihi videtur. *Non turpis lucri cupidum, sed mansuetum, non litigantem, non avarum, domui suæ bene præsidentem, filios habentem subditos cum omni castitate.* Si ergo is qui uxo-

rem duxit, cogitat quæ sunt mundi, episcopum autem non oportet mundana curare, quomodo dicit, *Unius uxoris virum?* Quidam dicunt hic subindicari eum qui ab uxore liber sit : alioquin autem licet illum uxorem habentem, quasi non haberet versari. Tunc enim hoc recte concessit pro more solito, ut tunc in usu erat. Poterat enim res probe peragi si vellent. Ut enim divitiæ difficile inducunt in regnum cœlorum, et tamen sæpe divites in illud intravere ; id etiam de connubio dicendum. Quid autem, quæso, dicis? de episcopo loquens dicebat, non oportere illum esse ebriosum, sed hospitalem, cum oporteret sane majora dicere. Cur vero non dixit, Oportet episcopum esse angelum, nulli humano affectui subditum? cur non illa magna quæ Christus dixit, quæ etiam subditos habere oportet, crucifigi nempe et in manibus semper animam habere? Etiamque illud Christi dicitur : *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus* (*Joan.* 10. 11); et rursus, *Nisi quis tollat crucem suam et sequatur me, non est me dignus* (*Matth.* 10. 38); sed, *Non violentum*, inquit? Præclara est spes, si de hujusmodi rebus debeat episcopus admoneri. Cur enim non dixisti, Oportet illum jam ex terra transferri? sed etiam quæ sæcularibus præcipis, illa episcopo non imperas. Quid enim sæcularibus dicis? *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram* (*Col.* 3. 5); et rursus, *Qui autem mortuus est, justificatus est a peccato* (*Rom.* 6. 7); ac rursum, *Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt* (*Gal.* 5. 24); iterumque Christus, *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non est me dignus* (*Luc.* 14. 33). Cur ergo hæc non dixit? Quia paucos hujusmodi rep rire licebat : episcopis autem multis erat opus, qui singulis civitatibus præessent.

2. Quia igitur futurum erat ut Ecclesiis insidiæ pararentur, ideo moderatam virtutem proposuit, non illam supernam, excelsam : nam sobrium esse, ornatum, pudicum, multorum erat. *Filios habentem*, inquit, *subditos cum omni castitate.* Oportebat enim domestica proponere exempla. Quis enim credet alienum subjecturum esse eum, qui suum non subditum habet? *Suæ domui bene præpositum.* Hoc et externi aiunt, eum qui rem domesticam bene tractet, publica cito negotia tractare posse. Est enim Ecclesia velut domus magna : ac sicut in domo sunt filii uxor et servi, et vir omnibus imperat : sic et in Ecclesia nihil aliud habetur, quam filii, mulieres, famuli. Quod si is qui Ecclesiæ præest, imperii consortes habet ; in domo quoque vir consortem habet uxorem. At in Ecclesia de alimento viduarum et virginum curandum est? In domo quoque vir habet famulos et filias alendos : alioquin etiam facilius est domum regere. Qui autem hæc recte non dispensavit, quomodo quæ ad Ecclesiam pertinent regere poterit ; Deinde postquam dixit, *Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei curam habebit?* 6. *Non neophytum*, inquit. Non ait juniorem, sed eum qui nuper institutus sit : nam ait ille, *Ego plantavi, Apollo rigavit ; Deus autem incrementum dedit* (1. *Cor.* 3. 6). Hunc ergo indicare volens hoc dicit. Nam quid vetabat dicere, Non juniorem? Cur ergo ille, inquit, Timotheum juniorem instituit? illud enim indicat, cum ad eum dicit : *Nemo adolescentiam tuam contemnat* (1. *Tim.* 4. 12).(*a*) [Quia in illo multam esse virtutem noverat, eximiamque in vivendi more perfectionem : quod satis sciens, *Ab infantia*, inquit scribens, *sacras litteras didicisti.* Quod autem austero jejunio uteretur, declarat illud, *Modico vino utere propter frequentes infirmitates tuas* (2. *Tim.* 3. 15), quod ipsi, præter multa alia, scribebat Paulus. Porro, si non talem in discipulo perfectionem novisset, talia ei nec scripsisset nec mandasset]. Quia ergo ex gentibus plerique accedebant et baptizabantur ; Ne statim neophytum, inquit, ad auctoritatis culmen evehatis ; id est, eum qui nuper institutus fuerit. Si enim priusquam discipulus fuerit, doctor statim sit, in arrogantiam se extollet ; si priusquam parere didicerit, inter principes locum habeat, inflabitur : ideo subjunxit, *Ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* Id est, in damnationem, quam ille per arrogantiam subiit. 7. *Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et in laqueum diaboli.* Pulchre ; nam ab illis impetendus est contumeliis : et fortasse ideo dixit, *Unius uxoris virum :* quamquam alibi dicit : *Volo omnes* homines *esse sicut et ego* (1. *Cor.* 7. 7) ; id est, in continentia. Ne ergo in angustia rem concluderet, si tam exactam vitæ rationem expetiisset, ideo moderatam virtutem quæsivit. Oportebat enim in singulis civitatibus præsulem constituere : audi enim illum scribentem ad Titum : *Ut constituas per civitates presbyteros, quemadmodum ego tibi præcepi* (*Tit.* 1. 5). Quid igitur, si testimonium habeat bonum bonamque famam, sed non talis sit? Certe id omnino difficile : vix enim possunt ii qui recti sunt bonam habere famam apud inimicos : nunc vero nec illud solum protulit : non enim dixit, Oportet ipsum testimonium habere ; sed, *Et testimonium habere*, hoc ipsum nempe cum aliis ; neque hoc tantum. Quid ergo, si temere et per invidiam maledixerint, maximeque cum gentiles sint? Non ita res se habebit ; irreprehensibilem enim virum ipsi quoque reverebuntur. Quomodo, inquies? Audi illum de se loquentem, *Per infamiam et bonam famam* (2. *Cor.* 6. 8). Non enim vitam ejus criminabantur, sed prædicationem ; ideo ait, *Per infamiam.* Quasi deceptores et præstigiatores traducebantur propter prædicationem. Et hoc faciebant, quia vitam eorum criminari non poterant. Cur enim de apostolis nemo dixit : Fornicarii, impudici et avari sunt ; sed, Seductores, quod ad prædicationem tantum spectabat? annon quia illorum vita inculpata erat? Conspicuum certe id est. Ita ergo et nos vivamus, et nemo mala de nobis loquetur, licet inimicus, licet infidelis sit. Nam qui ex vita conspicuus est, illis quoque est venerabilis : veritas enim etiam inimicis os obturat. Quomodo autem in laqueum incidit? In eadem peccata delabens, in quæ et illi. Si enim

(*a*) Quæ uncinis claduntur, suppleta sunt ex Colbertino.

talis fuerit, cito illi alium laqueum tendet diabolus, cito illum de medio tollent ipsi. Si autem inimicorum oportet testimonium habere, multo magis amicorum. Quod autem non possit is qui inculpatam vitam ducit male audire, audi Christum dicentem : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* 5. 16). Quid vero, si sycophantia impetatur, inquies, et ex occasione calumniam patiatur? Accidere illud potest. Hic vero non est in medium adducendus : nam multa subest timendi causa. Oportet ergo, inquit, illum et testimonium habere bonum : Luceant enim, inquit, opera vestra. Quemadmodum ergo nemo dixerit solem esse obscurum, ne quidem cæcus; puderet enim illum cum omnium sententia pugnare : sic nec cum qui admodum bonus sit, quisquam reprehenderit; equidem gentiles illos de dogmatibus calumniari possunt, non autem de vita recta, quam cum cæteris mirantur ac stupent.

3. *De bonis exemplis. Cur gentiles ad fidem non accedant. Præstigiatorum genera quanta tempore Chrysostomi.* — Ita ergo vivamus ut non blasphemetur nomen Dei : neque humanam gloriam aucupemur; ita tamen ut ne malæ opinioni locum demus; sed utrimque modum servemus, *In quibus*, inquit, *lucetis sicut luminaria in mundo* (*Philipp.* 2. 15). Ideo enim ille nos hic relinquit, ut sicut luminaria essemus, ut aliorum doctores constituamur, ut instar fermenti simus, ut sicut angeli cum hominibus versemur, ut sicut viri cum puerulis, ut spirituales cum animalibus, ut illi lucrentur, ut semina simus, ut fructum multum feramus. Non opus esset sermone, si vita nostra ita fulgeret; non opus esset verbis, si opera exhiberemus. Nullus esset gentilis, si nos essemus vere Christiani : si Christi præcepta servaremus, si injurias, si rapinas ferremus, si maledictis lacessiti benediceremus, si malis affecti, bona redderemus; nemo ita fera esset, ut non statim ad veram religionem accurreret, si nempe ita omnes se gererent. Ut autem id discatis, unus erat Paulus, qui tam multos attraxit. Si omnes tales essemus, quot orbes non attraxissemus? Ecce plures sunt Christiani, quam ethnici. Et in aliis quidem artibus unus centum pueros docere potest : hic autem cum plurimi sint doctores, et longe plures discipulis, nemo tamen accedit. Nam qui docentur doctorum virtutem intuentur : et cum videant nos eadem concupiscere, eadem quærere, principatum nempe et honorem, quomodo christianismum mirari poterunt? Vitam multorum vident reprehensibilem, animas terrenas; pecunias perinde atque illi admiramur, imo multo magis; mortem perinde atque illi horremus, paupertatem æque timemus, morbos ægre ferimus, gloriam similiter et magistratus appetimus, amore pecuniæ nos cruciamus, tempora captamus. Undenam ergo ad credendum inducuntur? a signis? sed non ultra fiunt : a conversatione? sed illa pessumdata est : a caritate? sed ne vestigium quidem ejus comparet. Ideo non peccatorum modo nostrorum, sed etiam aliorum detrimenti rationes dabimus. Resipiscamus tandem, vigilemus, in terra cœlestem vitam exhibeamus; dicamus, *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philipp.* 3. 20), et in terra certamina exhibeamus. Sed fuerunt apud nos, inquies, viri magni. Undenam credam, dicet gentilis? non enim video vos eadem quæ illi faciebant præstare. Nam si illa recensere oporteat, nos quoque habemus magnos philosophos, quorum vita mirabilis. At tu ostende mihi Paulum alium et Joannem : verum non possis. Quo modo ergo non rideat gentilis nobis ita loquentibus? quomodo non in ignorantia sua perstare volet, cum videat nos verbis, non operibus philosophari? Nunc enim vel pro obolo uno occidi vel occidere parati singuli estis; pro terræ gleba innumera cogis tribunalia; pro morte filii omnia sus deque versas. Alia enim mitto lacrymis digna, ut auguria, vaticinia, observationes, geneses, symbola, ligamina, divinationes, incantationes, magicas artes. Vere magna sunt illa, quæ Dei iram concitare possint, quod postquam ille Filium suum misit, nos talia audeamus. Quid igitur faciendum? Nihil aliud quam ingemiscendum : vix enim pars orbis minima servatur. Sed qui pereunt gaudent audientes se non solos id passuros esse, sed cum multis aliis. Ecqua illa gaudii causa? nam pro hujusmodi gaudio dabunt pœnas. Ne putes enim quia hic solatium est socios habere miseriæ, ita et illic fore. Undenam id probatur? Ego tibi ostendam. Dic enim mihi, si quis jussus igne perire, filium suum postea secum uri videret nidoremque sentiat a carnibus ascendentem, annon moreretur? Haud dubie : quomodo autem, ego dicam. Si enim qui nihil patiuntur, hæc videntes obtorpent et animo deficiunt, multo magis qui torquentur id patiantur. Et ne mireris : audi enim sapientem quemdam dicentem : *Et tu captus es sicut et nos, in nobis autem computatus es* (*Isai.* 14. 10). Humana enim natura ad commiserationem prona est, et aliorum calamitatibus frangimur. Dic autem mihi : Pater videns filium in eadem pœna versari, consolationemne an augmentum doloris accipiet? quid si vir uxorem sic viderit? quid si homo hominem? annon tunc magis frangimur? Etiam, inquies : sed illic non tales pœnæ. Ego quoque scio; sed aliæ his longe graviores : fletus enim erit tunc inconsolabilis, omnibus se mutuo respicientibus in cruciatibus. Qui in fame versantur, dic mihi, an solatium accipiunt in malis ex aliorum consortio? Quid si filius, quid si pater, quid si uxor, et nepotes in eadem pœna fuerint? quid si amicos videamus, an consolationem accipimus? Non certe, imo magis dolor augetur. Præterea hæc autem mala sunt alia, quæ, etsi communia, consolationem non habent ob exsuperantiam : exempli causa : sit quis in igne jacens, et alius item; quomodo sese illi mutuo consolabuntur? Dic mihi, quæso, si quando febri ardenti laboravimus, annon omnis nobis consolatio defuit? Jure quidem : cum enim mala prævalent, nullum ultra modum consolationis habet anima. Annon vides eas, quæ viros suos amiserunt, nempe quot alias numerare possint idipsum passas? neque tamen hinc luctus minuitur. Ne itaque tali spe

clamur, sed unam inveniamus consolationem, peccatorum pœnitentiam agendo, et bonam sequendo vitam ad cælum ducentem, ut regnum cælorum consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum Amen.

HOMILIA XI.

Cap. 3. v. 8. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes,* 9. *habentes mysterium fidei in conscientia pura.* 10. *Et hi autem probentur primum, deinde ministrent, si absque crimine sunt.*

1. *Diaconorum officia.* — Postquam de episcopis dixit, illorumque formam descripsit, indicavitque quid habere, a quibus abstinere debeant; relicto presbyterorum ordine, ad diaconos transiit. Quare? Quia non multum spatii est inter presbyteros et episcopos : nam etiam presbyteri docendi munus acceperunt et ecclesiæ præsunt; ac quæ ille de episcopis dixit, etiam presbyteris competunt. Sola namque ordinatione superiores sunt, et hinc tantum videntur presbyteris præstare. *Diaconos similiter.* Hoc est, eadem ipsa oportet illos habere. Quid est illud, Eadem ipsa? Irreprehensibiles esse, pudicos, hospitales, mansuetos, non litigiosos, non avaros. Quod autem ideo *Similiter* dixerit, quod illos tales esse vellet, significavit per ea quæ adjecit, *Pudicos, non bilingues;* id est, non subdolos : nihil enim ita degeneres facit ut dolus; nihil ita inutile in Ecclesia ut dolosa simulatio. *Non multo vino deditos,* inquit, *non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura.* Ecce significavit quid sit irreprehensibilem esse. Vide autem quomodo hic etiam, *Non neophytum,* ponat. Nam cum dicit, *Et hi autem probentur primum;* hoc sicut de episcopo dictum est, ita connexionem addidit; nihil enim intermedium est. Idcirco etiam illic dictum fuerat, *Non neophytum.* Quomodo enim non absurdum fuerit, cum in domo quapiam nemo recens empto servo nulla domesticarum rerum committat, antequam per multam experientiam animi sui signa dederit; in Ecclesiam Dei foris ingressum, statim inter primos locare? 11. *Mulieres similiter,* ministras seu diaconissas dicit, *pudicas, non bilingues, sobrias, fideles in omnibus.* Quidam volunt hoc de mulieribus simpliciter dici; sed non ita res se habet : quid enim sibi vellet, si inter hæc dicta aliquid de mulieribus omnibus insereret? sed hic loquitur de iis quæ in diaconissarum dignitatem adlectæ fuerant. 12. *Diaconi sint unius uxoris viri.* Hæc diaconissis etiam mulieribus competunt : valde enim necessarium hoc in Ecclesia erat, et utile atque honestum. *Diaconi sint unius uxoris viri,* inquit. Viden' quomodo eamdem virtutem in diaconis exigat? Etiamsi enim non eamdem obtineant dignitatem, quam episcopi, attamen æque irreprehensibiles, æque casti esse debent. *Qui filiis suis bene præsint et suis domibus.* 13. *Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide quæ est in Christo Jesu.* Ubique filiorum curam ponit, ne ex hoc reliqui in offendiculum incurrant. *Nam qui bene ministraverint,* inquit, *gradum bonum sibi acquirent;* id est, profectum et fiduciam multam, quæ est in fide Jesu Christi. Ac si diceret, Qui in inferioribus istis sese vigiles monstrarint, cito ad illa pervenient. 14. *Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire cito;* 15. *si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Ne eo, quod de hujusmodi rebus præcepta det, in mœrorem discipulum conjiciat, ait : Non ideo hæc scribo quod non sim venturus, sed veniam quidem; si vero contingat me tardare, ne ægre feras, inquit. Huic quidem ut mœrorem levet hæc scribit, aliis vero ut illos excitet et diligentiores reddat : præsentia enim ejus, vel promissa tantum, multum poterat. Ne mireris autem, si cum omnia spiritu prævideret, hoc tamen ignoraret dicens, *Spero me venturum; si autem tardavero :* hoc enim ignorantis erat. Quia enim a spiritu agebatur, nec ex voluntate sua hæc faciebat : ideo illud ignorabat. *Ut scias,* inquit, *quomodo oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* non sicut illud Judaicum templum. Hoc enim est quod fidem continet et prædicationem : veritas enim est Ecclesiæ columna et firmamentum. 16. *Et manifeste magnum est pietatis sacramentum : Deus manifestatus est in carne, justificatus est in spiritu.* Id est, dispensatio pro nobis facta, seu incarnatio. Ne mihi dixeris tintinnabula, ne sancta sanctorum, ne summum sacerdotem : columna orbis est Ecclesia. Cogita mysterium, et exhorresces : et mysterium est, et magnum, et pietatis sacramentum, et in confesso res est, nec ea de re quæstio movetur : indubitatum quippe est. Quia enim de sacerdotibus disserens et disponens, nihil hujusmodi dixit, quale est in Levitico, ad alium nos trahit sensum, cum dicit, *Deus manifestatus est in carne :* id est, creator visus est in carne. *Justificatus est in spiritu.* Illud nempe dicit, justificata est sapientia a filiis suis; vel dolum non fecit, ut dicit propheta : *Qui peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore ejus* (*Isai.* 53. 9). *Apparuit angelis.* Ergo et angeli nobiscum viderunt Filium Dei, cum antea non vidissent. Vere magnum est sacramentum. *Prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo.* Ubique terrarum auditum et creditum fuit : et hoc significat propheta, *In omnem terram exivit sonus eorum* (*Psal.* 18. 5). Hæc ne existimes verba esse simplicia; non sunt utique, sed arcanis rebus plena. *Assumptus est in gloria* (*Act.* 1. 11), in nubibus scilicet. *Hic Jesus,* inquit, *qui assumptus est a vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis.* Vide mihi prudentiam beati Pauli : admoniturus eos qui diaconatus dignitate donati es-

sent, ut ne vino ingurgitarentur, non dixit, Ut ne inebriarentur, neque, Ut ne vino multo indulgerent. Merito certe : nam si qui in templum ingrediebantur, a vino penitus abstinebant ; multo magis hos oportet. Vinum enim mentem abducit, inquit, atque etiamsi in ebrietatem non conjiciat, vim animæ dissolvit ac debilitat. Vide autem quomodo œconomiam propter nos factam ubique mysterium vocet ; et jure quidem : neque enim id est omnibus hominibus notum, imo neque angelis manifestum : quomodo enim nossent, cum per Ecclesiam manifestatum sit? Ideo dixit, *Manifeste magnum est*. Nam vere magnum est : homo enim factus est Deus, et Deus homo : homo visus est impeccabilis, homo assumptus est, prædicatus est in mundo : nobiscum viderunt eum angeli. Mysterium igitur est. Ne ergo mysterium illud palam prædicemus, ne ubique illud evulgemus, hoc mysterio digne vivamus. Ii quibus mysteria concredita sunt, magni utique sunt. Si rex nobis mysterium concredidisset, dic mihi, annon illud magnæ amicitiæ signum esse duceremus? Nunc autem Deus nobis mysterium suum concredidit ; et perinde ac si non magno beneficio affecti fuerimus, ingrati erga benefactorem sumus. Exhorrescamus quod de tanto beneficio nullum affectum sentiamus. Mysterium est, ut omnes norunt : imo quod antehac non omnes noverant, jam omnibus notum est.

2. *Pecuniarum usus qualis esse debeat.* — Fideles ergo studeamus esse circa mysterii custodiam. Ipse tantum nobis concredidit mysterium : nos autem ipsi ne pecunias quidem credimus. Sed ille quidem dicit, Apud me illas deponite, nemo poterit illas rapere, non vermis, non latro, et centuplum se daturum pollicetur : neque obtemperamus. Atqui si penes quospiam deposita feramus, non plus accipimus ; sed si totum referamus, gratias habemus : Si fur, inquit, hinc auferat, in me damnum recipio : non dicam tibi, Latro abstulit, tinea corrosit. Centuplum ille hic reddet, et illic vitam æternam addet ; et nemo tamen deponere vult. Sed tardius, inquies, mihi reddet. Et hoc maximi illius doni indicium, quod in hac fluxa et mortali vita non reddat ; imo vero et hic centuplum reddit. Dic enim mihi, annon Paulus hic scalprum reliquit? annon calamum et hamum Petrus? annon telonium Matthæus? annon totus orbis illis magis apertus erat, quam regibus? annon omnes ad pedes eorum pecunias suas deponebant? annon illos faciebant dispensatores et dominos? annon animas suas ipsis tradebant? nonne toti ex illorum voluntate et consilio pendebant? nonne seipsos ut illorum servos conscribebant? Et nunc etiam nonne similia multa videmus? Multi sæpe ex vili conditione ligonem tantum tractantes, neque necessario cibo instructi monachorum nomen habentes, maxime omnium claruere, et a regibus in honore habiti sunt. Num parva ista? Verum cogita hoc additamenta esse : totum autem in futuro sæculo repositum est. Despice pecunias, si velis pecunias habere ; si velis dives esse, pauper esto. Talia sunt enim Dei inexspectata dona : non vult te ex proprio studio, sed ex ejus gratia divitem fieri. Mihi, inquit, ista relinque : tu spiritualia cures, ut discas potentiam meam : servitutem et jugum pecuniarum fuge. Donec ita retinebis, pauper eris : cum autem illa despicies, dupliciter eris dives ; et quod hæc tibi undique affluant, et quod nullo egeas, queis plurimi indigent. Non enim possidere plurima, sed plurimis non indigere divitem facit. Itaque cum adest indigentia, rex nihil differt a paupere : paupertas enim hoc est aliis indigere : ita ut hac ratione rex sit pauper, quia subditis opus habet. At non qui crucifixus est talis fuerit : nullo indiget, ad victum satis illi sunt manus : *Mihi enim*, inquit, *et iis qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ* (*Act.* 20. 34). Hæc illic, qui alibi dicit : *Tamquam nihil habentes, et omnia possidentes* (2. *Cor.* 6. 10) : ille qui Lystris deus esse putabatur. Si vis quæ in mundo sunt consequi, quære cælum : si vis præsentibus frui, despice illa : ait quippe, *Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* 6. 33). Quid parva miraris? quid ad ea quæ nullius pretii sunt inhias? usquequo pauper, usquequo mendicus eris? In cælum respice, divitias quæ illic sunt cogita ; aurum irride, ejus usum disce quis sit. In præsenti solum vita illo fruimur, quæ fluxa est ut arena ; imo ut stilla cum immensa abysso comparata, tantumdem sunt præsentia cum futuris comparata. Non est hoc possessio, usus est, nec est possessio propria : quomodo enim, quando te exspirante, velis nolis, alii omnia excipiunt, et illi rursum aliis dant, et hi quoque aliis? Omnes enim advenæ sumus, et dominus domus forte potius est mercenarius : sæpe namque mortuo illo mercenarius manet, et diutius quam ille fruitur domo. Si autem hic cum mercede, etiam ille prior cum mercede : ædificavit enim et magno cum labore et sollicitudine struxit. Verbo tantum sunt dominia : in rei enim veritate omnes alienorum domini sumus. Illa solum nostra sunt, quæ illuc præmiserimus : quæ autem hic sunt, non nostra, sed viventium ; imo nos etiam viventes relinquunt. Illa tantum nostra sunt, quæ sunt præclara animæ opera, eleemosyna, benignitas. Hæc externa dicuntur etiam apud extraneos : nam extra nos sunt. Faciamus ergo ut intra sint. Non enim possumus pecunias assumentes hinc abire, sed possumus cum eleemosyna migrare : imo vero illa præmittamus, ut nobis tabernaculum paremus in æternis mansionibus.

3. Χρήματα, seu pecuniæ, παρὰ τὸ κεχρῆσθαι, ab usu dicuntur, non a dominio : et possessiones ipsæ usus, non dominium sunt. Dic enim mihi, quot dominorum singuli agri fuerunt, et quot erunt? Dicitur quoddam proverbium sapientissimum (neque enim popularia proverbia sunt despicienda, si quid sapienter efferant) : Ager, inquiunt, quam multos habuisti, et quam multos habebis dominos? Hoc de domibus, hoc de pecunia dicendum. Sola virtus nobiscum migrare solet, virtus sola ad illam vitam transit. Solvamus tandem, exstinguamus pecuniarum amorem, ut accendamus

desiderium cælestium. Non possunt hi duo amores unum occupare animum : *Aut enim unum*, inquit, *diliget, et alterum odio habebit ; aut unum sustinebit, et alterum contemnet* (*Matth.* 6. 24). Viden', quæso te, virum quem sequuntur famuli multi, in foro superbe pergentem, sericis indutum vestimentis, equo vectum, collum tendentem ? ne stupescas, sed rideas. Sicut, cum vides pueros principum in ludo personam agentes, rides ; ita nunc irrideas : nihil hoc ab illo differt ; imo hoc jucundius, quod a puerili ætate fit cum simplicitate multa. Hic risus et voluptas est ; illic risu dignus est homo, et turpitudine plenus. Deo gloriam redde quod te a tali scena et fastu liberaverit. Si velis enim tu, qui humili natus es loco, celsior eris illo qui in curru fertur. Quomodo ? Quia ille corpore quidem supra terram paulum erigitur, anima autem infixus est : *Adhæsit* enim, inquit, *virtus mea carni meæ* (*Psal.* 101. 6) ; tu vero mente in cælo ambulas. Sed ille sequaces famulos habet multos abigentes ? Et in quo magis ille, quam equus, honoratur ? Quid hac stoliditate deterius, homines pellere ut jumentum facilius transeat ? Sed equo vehi honorabile est ? At servi quoque equis utuntur. Sunt etiam aliqui tanto fastu inflati, qui sine ulla necessitate se a tergo sequentes ducant. Quid autem irrationabilius fuerit ? cum equis, pretiosis vestibus, et sequacium numero gloriose conspici volunt. Quid hac gloria vilius, quæ ab equis et famulis illustris putatur ? Virtute præditus es ? nullo horum utere : proprium tibi habe ornatum, nec alterius præsentia tibi ornamentum inducas. Hæc improbi, scelesti, rustici, et omnes qui divitiis abundant habere possunt. Mimi quoque et saltatores equis vehuntur, et præcurrentem famulum habent ; attamen mimi et saltatores sunt, neque ab equis et famulis clariores evadunt. Quando enim nulla animæ virtute, qui talis est, ornatur, hæc extrinsecus temere et frustra apponuntur : et sicut caduco parieti et fragili corpori si quid apposueris, hæc manent semper injucunda et fragilia : ita et hic dicendum, nullam anima utilitatem ab exterioribus illis accipit, sed eadem manet, etiamsi quis ipsi mille aurea ornamenta circumponat. Ne ista miremur, a temporaneis nos extrahamus, majoribus hæreamus, spiritualibus nempe, quæ vere nos venerabiles reddunt : ut futura consequamur bona, etc.

HOMILIA XII.

Cap. 4. 1. *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum,* 2. *in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentes suam conscientiam,* 3. *prohibentium nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus et iis qui cognoverunt veritatem.* 4. *Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur :* 5. *sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.*

1. *Hæresis in hæsitatione perpetua fluctuat. Manichæi, Encratitæ, Marcionistæ.*— Quemadmodum ii qui fidei hærent tuta anchora navigant : ita et qui ab illa exciderunt, nusquam consistere possunt : sed multis circumacti erroribus, in ipsa demum perniciei barathra feruntur. Et hoc jam ille significavit, cum dixit quosdam circa fidem naufragium fecisse. Nunc autem ait : *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris.* De Manichæis, de Encratitis, de Marcionistis (*a*) et de tota illorum officina talia loquitur, quod in novissimis temporibus quidam discessuri sint a fide. Viden' ut malorum omnium, quæ postea acciderunt, sit causa a fide discedere ? Quid sibi vult autem, *Manifeste ?* Aperte, clare, ut in confesso est, ita ut nihil dubii sit. Ne mireris, inquit, si nunc quidam a fide discedentes adhuc judaizant : erit tempus cum ii, qui fidei consortes fuerant, idipsum longe gravius facient, non modo circa cibos, sed etiam circa nuptias et similia omnia perniciosum inducentes consilium. Non de Judæis hæc loquitur ; quomodo enim locum haberet illud, *In novissimis temporibus*, et, *Discedent quidam a fide ?* sed de Manichæis et illorum primipilaribus. Illos autem vocavit spiritus erroris ; et jure quidem : ab illis enim afflati hæc loquuti sunt. Quid sibi vult illud, *In hypocrisi loquentium mendacium ?* Quæ mentiuntur illi, non per ignorantiam neque inscii mentiuntur, sed simulando loquuntur, veritatem quidem scientes, sed cauteriatam habentes conscientiam, id est, cum vitam ducant scelestam. Cur autem hos solos hæreticos memorat ? Alios jam prædixerat Christus, dicens : *Necesse est ut veniant scandala* (*Matth.* 18. 7). Alioquin autem per frumenti semen et per zizaniorum germen hos prænuntiavit. Tu autem velim Pauli prophetiam admireris : etenim ante tempora, quibus isthæc futura erant, ipsum etiam tempus indicavit. Ne mireris ergo, si nunc, cum fides initium ducit, hæc perniciosa dogmata quidam inducere tentant, quandoquidem post longum tempus, cum fides radices posuerit, quidam a fide discessuri sunt. *Prohibentium*, inquit, *nubere, abstinere a cibis.* Cur autem alias quoque hæreses non dixit ? Subindicavit et illas, dicens, *Spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum.* Neque enim jam volebat ea humanis inserere animis ; sed quod jam initium ceperat, hoc declaravit, nempe quod cibos spectabat. *Quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem.* Cur non dixit, Et infidelibus ? Quomodo infidelibus, quando per leges

(*a*) De Manichæis et de Marcionistis passim loquitur Chrysostomus, de Encratitis vero rarissime. Encratitas non semel commemorat Clemens Alexandrinus, quos libro 7 Stromatum ait, a voce græca ἐγκράτεια, id est a temperantia, sic vocari. Origenes contra Celsum dicit ipsos non admisisse Epistolas B. Pauli : Eusebius vero Hist. Eccl. pag. 149 dicit, hujus hæreseos auctorem fuisse Tatianum. Idque confirmat etiam Epiphanius, qui hæreseos hujus capita pluribus persequitur.

suas ii ab illis abstinent? Quid ergo? deliciæ non prohibitæ sunt? Plane quidem. Cur id, si ad sumendum creatæ sunt? Quia, etsi panis creatus est, ejus tamen immoderatus usus prohibetur; vinum quoque creatum est, sed ejus nimius potus interdicitur. Non ut impuras nunc delicias vitari jubet, sed quia per immoderatum usum animam dissolvunt. *Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Si creatura est Dei, bona est: *Omnia enim bona valde* (*Gen.* 1, 31). Cum dixit, *Creatura Dei*, edulia omnia subindicavit: jamque prius evellit hæresim eorum qui increatam materiam introducunt, et ex illa hæc facta esse affirmant. Si ergo bonum, quid sibi vult illud: *Sanctificatur per verbum Dei et orationem?* palam enim est, quod impurum si sit, sanctificatur. Non ita se res habet; sed adversus illos loquitur, qui ex illis profana quædam esse arbitrabantur. Duo igitur capita ponit; unum quidem quod nulla creatura profana sit; secundum, quod etiamsi profana sit, medicamentum habes: obsigna, gratias age, Deo gloriam redde, et immunditia omnis abscessit.

De idolothytis. — Itaque etiam idolothytum, inquit, sic mundare possumus? Si nescias quod idolothytum sit; si scias vero et sumas, immundus eris: non quod idolothytum sit, sed quia, jussus non communicare cum dæmonibus, per illud communicasti. Itaque non ex natura sua tale est, sed ex arbitrio et inobedientia tua tale fit. Quid vero? annon immunda est suilla caro? Nullo modo, quando cum gratiarum actione percipitur, quando cum signaculo; nec aliud quidquam immundum est: immunda voluntas est, quæ non gratias agit Deo. 6. *Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei et bonæ doctrinæ quam assequutus es. Hæc*, quænam? Ea quæ dixit, quod mysterium magnum sit, quod ab iis abstinere dæmonum sit, quod per verbum et orationem Dei cibi mundentur. *Enutritus*, inquit, *verbis fidei et doctrinæ quam assequutus es.* 7. *Profanas autem et aniles fabulas devita; exerce autem teipsum ad pietatem. Hæc proponens*, inquit. Viden' hic nusquam auctoritatem adhiberi, sed attemperationem? *Proponens*, inquit. Non dixit, Imperans, non, Admonens, sed, *Proponens*; hoc est, quasi consilium dans ista propone, verbaque de fide move. *Enutritus*, inquit; assiduam in his rebus attentionem significans.

2. Quemadmodum enim hunc cibum quotidie apponimus, sic, inquit, sermones de fide semper assumamus, semper his nutriamur. Quid sibi vult illud, *Enutritus?* Ruminans, frequenter eadem versans, semper ea ipsa meditans: non vulgare enim alimentum habent. *Profanas autem et aniles fabulas devita.* Quas hic fabulas dicit? Judæorum observationes. Illasne fabulas appellat? Utique; vel propter ipsas observationes vel, quod sint intempestivæ. Nam quod suo tempore fit, utile est: sin intempestive, non modo non utile, sed etiam noxium. Cogita enim mihi virum qui post vigesimum ætatis annum nutricis ubera adeat, quam ridiculus nempe sit, quod intempestive id agat. Viden' quomodo illa immunda et anilia dixerit? tum ob vetustatem, tum quod fidei impedimento sint. Nam metu inducere velle animam his superiorem, immundum est præceptum. *Exerce autem teipsum ad pietatem*; id est, ad fidem puram vitamque rectam: hoc enim pietas est. Exercitatione igitur opus est nobis. 8. *Nam corporalis*, inquit, *exercitatio ad modicum utilis est.* Quidam aiunt hoc de jejunio dici; absit autem: non est illa corporalis exercitatio, sed spiritualis. Si enim corporalis esset, corpus enutriret; cum autem illud maceret, extenuet et macie conficiat, non est certe corporalis. Non ergo de corporali exercitatione loquitur. Itaque nobis opus est exercitatione quæ sit secundum animam: illa enim altera luerum non habet, sed paululum corpori utilis est; pietatis autem exercitatio fructum etiam in futuro tribuit, et hic et illic recreat. 9. *Fidelis sermo;* id est, verus, quoniam et hic et illic. Vide quomodo ubique hoc inducat: non eget apparatu, sed sententiam profert: nam ad Timotheum verba faciebat. Ergo in hoc quoque sæculo in bona spe sumus. Nam qui nullius mali sibi conscius est, qui mille opera præclara edidit, etiam hic lætatur: cum contra improbus non illic tantum, sed etiam hic punitur, in metu semper vivens, neminem fidenter aspicere audens, tremens, pallens, anxius. Annon tales sunt avari, fures, ne iis quidem quæ possident fidentes? annon adulteri et homicidæ molestissimam vitam ducunt, cum suspicione solem ipsum videntes? hæccine vita est? Minime, sed mors acerba. 10. *In hoc enim*, inquit, *laboramus et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Ac si diceret, Qua de causa nos maceramus, nisi futura speremus? qua de causa omnes nobis maledicunt? annon, inquit, gravia tanta patimur? annon contumelias, injurias et innumera mala? num frustra hæc perpessi sumus? nisi in Deum vivum speremus, cur hæc sustinuimus? Si autem infideles hic servat, multa magis illic fideles. Quam salutem dicit? Cælestem illam. *Qui est*, inquit, *Salvator omnium, maxime fidelium.* Hoc est, plus studii circa fideles ostendit. Interim de rebus hujus sæculi loquitur. Et quomodo, inquies, Salvator est fidelium? Nisi enim Salvator esset, inquit, nihil impedivisset quominus illi ab omnibus impugnati jam olim periissent. Hic Timotheum instruit ad pericula, ut non deficiat, cum tantum Deum habeat adjutorem, ut non aliis commilitonibus opus habeat; sed lubens omnia generose ferat: quandoquidem etiam ii qui ad res sæculares inhiant, lucri spe moti multa aggrediuntur. Jam porro extremum tempus adest. *In novissimis temporibus*, inquit, *discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nubere.* Quid igitur, inquies? nos non prohibemus, inquit, nubere, eos qui velint absit. Sed eos qui nolint nubere, hortamur ad virginitatem. Aliud est prohibere, et aliud in libero arbitrio relinquere: nam qui prohibet, hoc omnino facit; qui autem ad virginitatem ut majorem hortatur, non hoc facit ut prohibeat nubere, sed ad

virginitatem hortatur solum. *Prohibentium*, inquit, *nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus et iis qui cognoverunt veritatem.* Pulchre dixit, *Iis qui cognoverunt veritatem.* Ergo priora typus erant : nihil enim natura impurum est, sed ex sumentis conscientia tale fit. Cur ergo illis plurima alimenta prohibuit? Ut nimiam voluptatem abscinderet. Verum si dixisset, Ad vitandam voluptatem ne comedatis, id non tulissent : nunc autem illud in legem necessitatis inclusit, ut ex majori metu abstinerent. Nam quod sue piscis immundior sit, nemini non notum est; attamen ab illis abstinere non jussit. Quam gravis autem et perniciosa illis esset voluptas, audi Moysem dicentem : *Comedit et impinguatus est, et recalcitravit dilectus* (*Deut.* 32. 15). Est et alia causa. Ut enim angustiati demum ad boves venirent et oves mactandas, merito propter Apim et vitulum a reliquis arcet : nam ille immundus erat, ingratus, exsecrandus et profanus.

3. Hæc propone, hæc meditare : nam, *Enutritus verbis fidei*, his significatur. Ea non modo aliis proponas, inquit, sed ipse quoque assidue meditare. *Enutritus* enim, inquit, *in verbis fidei et bonæ doctrinæ quam assequutus es. Profanas autem et aniles fabulas devita.* Cur non dixit, abstine ab illis, sed *Devita?* Ab illis omnino fugiendum esse subindicans. Hoc autem vult significare : ne te cum illis umquam exerceas ad disceptandum, sed de his tuos tantum admone. Non enim potest quis contra perversos disceptando aliquid lucrari; nisi fortasse aliquando damni quidpiam fore putemus, ac si ob imbecillitatem vitemus talem cum illis disputationem. *Exerce autem teipsum ad pietatem;* hoc est, ad vitam puram, ad institutum optimum. Qui autem sese exercet, etiamsi certaminum tempus non sit, quasi actu concertans omnia facit, ab omnibus abstinet, quasi in procinctu certaminis, sudores emittit plurimos. *Exerce*, inquit, *teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est : pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ præsentis et futuræ.* Et cur, inquies, mentionem fecit corporalis exercitationis? a comparatione hujus, scilicet spiritualis, præcellentiam ostendens : quoniam illa quidem multis obnoxia laboribus, nihil habet lucri vel meriti; hæc vero lucrum perpetuum et copiosum : sicut cum mulieribus dicit, *ut se ornent, non in tortis crinibus vel auro, aut margaritis, aut veste pretiosa; sed, quod convenit mulieribus pietatem profitentibus, per bona opera* (1. *Tim.* 2. 9. 10). *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus et maledicimur.* Paulus probro afficiebatur, et tu indigne fers probra? Paulus laborabat, et tu in deliciis vis versari? At si ille in deliciis vixisset, non tanta consequutus esset bona. Nam si mundanas res fluxas et corruptibiles sine labore et sudore non possunt homines assequi; multo magis res spirituales. Etiam, inquies; sed multi sæpe hereditate consequuti sunt. Verum etiamsi illa sic adveniant, nonnisi cum laboribus et ærumnis conservantur. Atque omitto quod multi post labores et ærumnas, ad ipsa portus ostia appellentes a spe lapsi sunt, ingruente vento, et in ipsa spe adveniente naufragio. Apud nos autem nihil hujusmodi est : Deus enim est qui promisit, et *Spes autem non confundit* (*Rom.* 5. 5). An ignoratis vos, qui in sæcularibus negotiis versamini, quot post innumeros labores fructum non sunt consequuti, vel morte prærepti, vel rerum mutatione facta, vel accidente morbo, vel ingruentibus sycophantis, vel alio casu (multa enim in rebus humanis accidunt), vacuis manibus discesserunt?

Contrà avaros. — Quid porro, inquies, eos qui plurima adepti sunt non vides, qui minimis laboribus magna consequuti sunt bona? Quæ bona dicis? pecunias, domos, tantaque jugera, mancipiorum greges, argenti et auri pondus? hæccine dicis bona, nec te pudet nec erubescis? homo cum sis de cœlis philosophari jussus, terrenis inhias, et bona dicis ea, quæ nullo pretio digna sunt? Si hæc bona sunt, illos etiam qui ipsa possident bonos dicere omnino oportet : qui enim bonum habet, quomodo bonus non fuerit? Quid ergo, dic mihi, cum ii qui illa possident avari sint, rapiant, bonosne illos dicemus? Si enim bonæ sunt divitiæ, et ex cupiditate colliguntur, quanto magis auctæ fuerint, tanto magis possidenti probi famam conciliabunt. Ergone bonus est avarus et raptor? Si autem divitiæ bonæ sunt, et per habendi cupiditatem augentur, quanto majora sic adeptus fuerit, tanto melior erit? Viden' quam hæc sint contraria? Sed quid, inquies, si ille non rapiat, nec avarus sit? Et quomodo id fieri potest? perniciosum enim est hoc vitium, neque potest quis sine injustitia dives fieri. Hæc Christus declaravit dicens, *Facite vobis amicos ex mamona iniquitatis* (*Luc.* 16. 9). Quid ergo, inquies, si paterna bona hereditate acceperit? Quæ ex iniquitate corrasa sunt accepit. Neque enim ab Adamo majores ejus divitias exceperunt, atque plurimi alii interfuerint oportet; inter multos autem illos quidam aliena bona rapuerit. Quid ergo? Abraham, inquies, injuste divitias habuit? an etiam Job, inculpatus ille, justus, verax, pius, a malis omnibus abstinens? illorum divitiæ non aurum vel argentum vel ædificia erant, sed pecora tantum : alioquin etiam secundum Deum dives erat. Nam quod pecoribus divitiæ constarent, hinc palam est : enumerans enim is, qui librum scripsit, ea quæ beato illi contigerant, cum dicit, camelos ejus, equas et asinas interiisse, non addidit auri summas direptas fuisse. Ad hæc vero Abraham quoque dives erat, sed domesticorum numero. Quid ergo, dices, annon illos emerat? Nequaquam : idee dicit Scriptura : Vernaculi erant illi trecenti decem et octo (*Gen.* 14. 14). Et oves et boves habebat. Undenam ergo aurum Rebeccæ misit? Cum ex Ægypto dona accepisset, quæ neque vi neque ex injustitia parta erant.

4. Dic enim mihi, undenam tu dives es? a quonam accepisti? undenam ille? Ab avo, inquies, a patre. Poterisne generis serie ascendens ostendere posses-

sionem illam esse justam? Non utique possis; sed necesse est ejus initium et radicem ex injustitia prodiisse. Quare? Quia Deus a principio non illum divitem, illum pauperem fecit; neque, cum crearet, huic quidem thesauros multos ostendit, illum vero hac investigatione privavit, sed eamdem omnibus colendam terram dimisit. Undenam ergo cum communis illa sit, tu quidem tam multa jugera habes, proximus vero tuus ne glebam quidem? Pater, inquies, reliquit mihi. Ille autem a quopiam accepit? A majoribus. Sed si ascendas, initium reperias necesse est. Dives fuit Jacob, sed accepta laborum suorum mercede. Verum hæc non accuratius scrutabor: justæ sint tandem divitiæ, et omni rapina liberæ: neque enim tu in culpa es, si pater rapuerit: habes quidem illa ex rapina, sed tu non rapuisti. Cæterum concedatur etiam illum non rapuisse, sed ex terra emissum aurum habere: quid ergo? ideone bonæ divitiæ sunt? Minime. Sed neque malæ, inquies. Si ex avaritia et rapina partæ non sunt, malæ non sunt, si egenos illarum consortes reddat; si non eroget, malæ sunt et insidiosæ. Quamdiu malum non fecerit, inquies, malus non est, etiamsi bonum non faciat. Recte: hoccine autem malum non est, Dominica bona solum habere, solumque frui communibus bonis? annon Domini est terra et plenitudo ejus? Si ergo nostra sunt communis Domini, ergo et conservorum nostrorum: nam quæ Domini sunt omnia sunt communia. Annon videmus in magnis domibus ita fieri? omnibus par frumenti mensura distribuitur: ex dominicis enim thesauris promitur: domini domus patet omnibus. Communia etiam sunt regalia omnia, urbes, plateæ, porticus, omnibus sunt communes: omnes æque participes sumus. Vide namque mihi Dei œconomiam: effecit ut quædam communia essent, ut vel hinc humano generi pudorem injiceret: qualia sunt aer, sol, aqua, terra, cælum, mare, lux, astra: ceu fratribus omnia æque distribuit: eosdem omnibus creavit oculos, corpus idem, eamdem animam, similem in omnibus effigiem; ex terra omnia, ex uno viro omnes, in eadem domo omnes. Sed horum nihil nos pudore affecit. Fecit et alia communia, ut lavacra, urbes, plateas, porticus. Sed animadverte quomodo in illis communibus nulla pugna sit, sed omnia pacifica. Cum autem quis usurpare quidpiam tentaverit ut proprium sibi faciat, tunc contentio oritur, quasi indigne ferente natura, quod cum Deus nos undique collegerit, nos ipsos dividere conemur atque divellere, et nobis illa bona propria reddere ac dicere tuum et meum, frigidum hoc verbum: tunc enim contentio, tunc molestiæ. Ubi autem horum nihil est, neque pugna, neque contentio oritur. Magis ergo communitas, quam proprietas sorte data nobis fuit, et secundum naturam est. Cur nemo umquam de fori possessione contendit? annon quia commune omnibus est? de domo autem, de pecuniis, omnes videmus litigantes. Et communia quidem necessaria nobis sunt: nos autem ne in minimis quidem communitatem servamus. Atqui ideo illa communia nobis dedit, ut discamus et hæc etiam communia habere: nos vero ne sic quidem obtemperamus. Sed, ut jam dixi, quomodo is qui divitias habet justus fuerit? Non est certe; sed bonus est, si aliis distribuat: si illas non habet, bonus est: si aliis distribuat, bonus est: quamdiu habuerit, bonus non erit. Hoccine bonum est, cujus possessio improbos ostendit, depositio probos? Non ergo bonum est pecunias habere, sed non habere, probum ostendit hominem. Non ergo bonæ sunt divitiæ. Si vero cum accipere possis, non accipias, rursum bonus es. Si ergo, quando divitias habentes, aliis tribuamus, vel si oblatas non recipiamus, tunc boni sumus; si vero accipiamus vel possideamus, bonum id non est: quomodo bonæ fuerint divitiæ? ne itaque bonas illas dixeris. Ideo illas non habes, quod bonas esse putes, quia illas admiraris. Puram habeas mentem, judicium accuratum, et tunc bonus eris: disce quænam sint vere bona. Quænam illa sunt? Virtus, benignitas: hæc bona sunt, non divitiæ. Secundum hanc normam si sis misericors, quanto magis talis es, tanto magis bonus et es et existimaris; si dives autem fueris, non item. Sic ergo boni efficiamur, ut vere simus boni, et futura bona consequamur in Christo Jesu, quicum Patri simulque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

Cap. 4. v. 11. *Præcipe hæc et doce.* 12. *Nemo adolescentiam tuam contemnat; sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.* 13. *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.* 14. *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.*

1. Sunt quædam quæ doctrina egeant, sunt quæ præcepto. Si ergo præcipias circa ea quæ docere oportet, ridiculus eris; rursus si doceas ubi præcipere par est, idem tibi accidet. Exempli causa: malum non esse non convenit docere, sed præcipere, et cum magna auctoritate prohibere: non judaizare, id præcepto opus habet. Si vero dixeris, Bona effundere oportet, virginitatem servare, si de fide loquaris, hic doctrina est opus. Ideo utrumque posuit Paulus, *Præcipe*, inquiens, *et doce*. Verbi gratia: si quis ligaminahabeat, vel quid simile; quando gnari hæc mala esse, iis utuntur, præcepto opus habent; quando autem quid sint ignorant, doctrina est opus. *Nemo adolescentiam tuam contemnat*, inquit. Viden' oportere sacerdotem imperare et cum auctoritate loqui, neque omnia simpliciter docere? Contemptibilis enim pene est juventus ex præjudicata

opinione : ideo ait, *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Oportet enim doctorem non esse contemptui. Ubi ergo modestia? ubi mansuetudo, si numquam contemnatur? In rebus quæ ad se solum spectant, contemnatur et id ferat; sic enim per patientiam doctrina rectius procedit; in iis vero quæ ad alios spectant, non item : id enim non mansuetudo est, sed stoliditas. Si contumelias sibi illatas, si injurias, si insidias ulciscatur, jure accusas : si vero de aliorum salute agatur, impera et cum auctoritate provide : hic non modestia est opus, sed auctoritate, ne id gregi noceat. Aut illud sibi vult Paulus, aut istud : Nemo ob adolescentiam te spernat : donec enim congruentem vitam exhibueris, nemo te ob ætatem contemnet, imo potius quisque mirabitur.

Episcopi munia. — Ideo subjungit : *Sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in fide, in castitate :* in omnibus teipsum præbens bonorum operum formam. Id est, Exemplum vitæ esto, quasi imago proposita, quasi lex vivens, quasi norma et exemplar bene vivendi. Doctorem enim talem esse oportet : *In sermone*, ut facile loquatur; *in conversatione, in caritate, in fide, in castitate* integra, in temperantia. *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.* Timotheum jubet attendere lectioni. Audiamus omnes, et instituamur ut ne divinarum Scripturarum meditationem negligamus. Ecce rursum, *Dum venio*, ait. Vide quomodo ipsum consolatur : verisimile enim illum orbatum id quærere. *Dum venio*, inquit, *attende lectioni* divinarum Scripturarum, *exhortationi* mutuæ *et doctrinæ* ad omnes. *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam.* Doctrinam hic vocat prophetiam. *Cum impositione manuum presbyterii.* Non de presbyteris hic loquitur, sed de episcopis : neque enim presbyteri episcopum ordinabant. 15. *Hæc meditare, in his esto.* Vide quomodo sæpe illum de iisdem commoneat, ut ostendat hæc maxime omnium doctori esse curanda. 16. *Attende tibi*, inquit, *et doctrinæ : insta in illis.* Hoc est, Attende tibi ipsi, et cæteros doce. *Hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.* Bene dixit, *Et teipsum.* Nam qui doctrinæ innutritus est, sermonibus ipse primus utilitatem decerpit : dum enim alios admonet, seipsum compungit. Neque enim Timotheo hæc dicta sunt, sed omnibus. Quod si ei qui mortuos suscitabat hæc monita dat, quid nos dicemus? Sed et Christus de doctoribus hæc subindicat dicens : *Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera* (*Matth.* 13. 52). Ac rursum beatus Paulus de eadem re monens dicit : *Ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* (*Rom.* 15. 4). Ipseque maxime omnium hoc exsequutus est, ad pedes Camalielis paterna lege instructus; ita ut postea ipse verisimiliter lectioni attentus fuerit : qui enim alios ad hoc hortatur, se priorem concitaverit. Viden' illum frequenter prophetarum testimoniis uti, atque illa scrutari? Itane cum Paulus lectioni attendat (neque enim modica utilitas ex Scripturis decerpi potest); nos negligenter agemus et perfunctorie audiemus? et quo non supplicio digni fuerimus? *Ut profectus tuus*, inquit, *manifestus sit in omnibus.*

2. Viden' ut eum vellet etiam in hoc esse magnum et mirabilem? Ideo ita dixit, ostendens quod ille se adhuc opus habuerit. Quid est illud, *Ut profectus tuus manifestus sit in omnibus?* Non in vita solum, inquit, verum etiam in verbo doctrinæ. (*Cap.* 5) 1. *Seniorem ne increpaveris.* Num de presbyteri dignitate hic loquitur? Certe non puto, sed de quocumque seniore. Quid ergo, si opus habeat correctione? *Ne increpaveris*, inquit, sed ac si patrem adires peccantem, sic et illum alloquere. 2. *Anus ut matres, juvenes ut fratres, juvenculas ut sorores, in omni castitate.* Ex ipsa rei natura id molestum est, nempe redargui, maxime quando de seniore agitur; si autem per juniorem, triplex est temeritatis modus. Id vero solatur illud ex modo et ex lenitate. Potest enim quis sine molestia redarguere, si velit hac in re sese exercere : multa enim opus est prudentia; fieri tamen potest. *Juniores ut fratres*, inquit. Cur autem sic hortatur hoc loco? Ætatis rursus audaciam subindicans. Oportet igitur hic etiam monita mansuetudine lenire. *Juvenculas*, inquit, *ut sorores;* et addidit, *In omni castitate.* Ne mihi, inquit, coitus peccatum dixeris, sed ne suspicionem quidem dederis. Quia enim colloquia cum adolescentulis suspicionem difficile fugiunt, et oportet episcopum etiam illas alloqui; ideo addidit, *Cum omni castitate*, ostendens cum omni castitate oportere cum illis colloquia miscere. Quid, quæso, dicis? Timotheo hæc imperas? Etiam, inquit : per illum enim toti orbi loquor. Si autem Timotheo hæc præcipit, cogitent alii omnes qualem esse oporteat episcopum, ut nullum suspicioni det locum, neque umbram occasionis iis qui calumniari velint. 3. *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt.* Cur nihil de virginitate disserit, nec dicit, Virgines honora? Quia, ut mihi videtur, tunc virgines non erant, vel ex virginitate exciderant. *Jam* enim, inquit, *quædam retro conversa sunt post satanam* (1. *Tim.* 5. 15). *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt*, inquit. Ergo fieri potest non habere quidem virum, nec viduam tamen esse. Sicut enim virgo non ideo est virgo, quod non connubio juncta sit, sed multa alia habeat oportet, quod sit inculpata, quod assidua sit : ita et viduam non viri decessus tantum facit, sed patientia cum continentia, et omnis consortii privatio. Has viduas honorare præcipit, et jure merito : multo enim dignæ sunt honore, cum solæ sint, et viros non habeant qui sibi patrocinentur : quæ res videtur esse probro, et pravæ opinionis apud multos. Ideo vult Paulus illas a sacerdote multum honorari : nec ideo tantum, sed quia vidua honore digna est. 4. *Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus.* Vide prudentiam Pauli, quomodo sæpe humanis rationibus moneat. Non enim hic magnum vel sublime quidpiam posuit, sed quod intellectu facile sit; *Et mutuam vicem*, inquit, *reddere parentibus.* Quomodo? Pro educatione

et incremento. Verbi gratia, multam tui curam habuerunt : decesserunt postea : non potuisti ipsis vicem reddere : neque enim illos genuisti, vel educasti : illam vicem redde nepotibus, per filios quod debes repende. *Discant*, inquit, *primum domui suæ cum pietate præesse*. Hic recte facta simplicius memorat : deinde ut magis excitet, subjunxit : *Hoc enim acceptum est coram Deo*. Quia autem dixerat, *Quæ vere viduæ sunt*, jam dicit quænam sit illa vere vidua. 5. *Quæ autem vere vidua est et desolata, sperat in Deum, et instat in obsecrationibus et orationibus nocte et die : 6. quæ autem in deliciis est, vivens mortua est*. Si qua, inquit, sæcularem non resumpserit vitam in viduitate, hæc vere vidua est : quæ in Deum sperat ut oportet, quæ instat orationibus et perseverat nocte et die, hæc vidua est : non quod filios habens non sit vidua ; hanc enim etiam laudat, si filios ut convenit educet ; sed si qua sit filiis carens, hoc est, si sit desolata. Deinde consolatur illam, quod filios non habeat, dicens hoc esse quod vere viduam reddat, quando non viri tantum, sed etiam filiorum solatio destituta fuerit : habet enim Deum vice omnium. Neque enim ideo inferior est quod non habeat filios ; sed hæc consolatio filiorum locum supplet. Hoc autem vult significare, Ne moleste feras, si audias, Oportet filios educare, ut quæ filios non habeas, ac si ideo minorem teneas dignitatem : vere vidua es : *Quæ autem in deliciis est, vivens mortua est*.

3. *Contra voluptates*. — Quia enim multæ filios habentes viduitatem eligunt, non ut sæcularis vitæ occasiones amputent, sed ut illis magis se dedant, ac cum majori auctoritate omnia faciant, et mundanas cupiditates magis sequantur ; ideo ait : *Quæ autem in deliciis est, vivens mortua est*. Quid dicis ? vidua mulier non debet in deliciis esse ? Non, inquit. Si itaque ætas et natura infirmior, non modo non opus habent deliciis, sed etiam eæ mortem præmaturent, eamque mortem æternam, quid dixerint viri in deliciis versantes ? Et merito ait : *Quæ autem in deliciis est, vivens mortua est*. Sed ut id discas, videamus quid sit vivorum opus, et quid mortuorum, et ubi hanc statuere debeamus. Viventes quæ spectant ad futuram vitam, quæ vere vita est, curant. Quidnam vero sit futura vita, circa quam omnem omni tempore sollicitudinem nos impendere convenit, audi Christum dicentem : *Venite, hereditate accipite præparatum vobis regnum a constitutione mundi : esurivi enim, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere* (*Matth.* 25. 34. 35). Viventes non eo solum a mortuis differunt, quod solem videant et aerem spirent ; non hoc dicimus ; sed quod bonum quid faciant : nam si hoc non præstent, nihil sunt mortuis meliores. Et ut hoc discas, audi quomodo possit fieri, ut qui mortuus est vivat : *Deus*, inquit, *non mortuorum, sed vivorum est* (*Matth.* 22. 32). Sed hoc, inquit, ænigma est. Igitur utrumque solvamus. Mortuus est quis viventium, cum in deliciis ageret. Quomodo ? Ventri somnimodo vivit, aliis autem sensibus non utitur. Neque enim videt quæ videnda sunt, non audit quæ audienda, non loquitur quæ loqui oporteret, neque viventium opera edit ; sed sicut ille in lecto extensus, clausis oculis, nihil omnino sentit : ita et hic de quo loquimur ; imo multo deterius. Ille namque neque bona neque mala sensu percipit ; hic vero mala tantum sentit, quantum ad bona autem, jacenti similis est et immotus : atque ita mortuus ille est. Nihil enim movent illum ea quæ ad futuram vitam spectant ; sed tamquam in cuniculum quemdam obscurum et tenebrosum, et in antrum immunditia omni plenum, sic in sinu suo receptos deducens ebrietas, in tenebris semper detinet, velut mortuos. Cum enim totum tempus vel in prandiis vel in temulentia insumpserit, annon in tenebris est ? annon mortuus est ? et ne matutinis quidem horis, cum jejunus esse videtur, vere jejunus est, tum quod vespertinum vinum nondum absumpserit ac digesserit, tum quod futuri desiderio teneatur, et quod in matutino et meridie semper in comessationibus degat, et totam noctem et matutini plurimam partem in profundo somno agat. Hunccine, quæso, cum viventibus numerabimus ? Quis porro descripserit tempestatem illam quæ a voluptate excitatur, tum in animam, tum in corpora influentem ? Quemadmodum enim frequens nubium densitas non sinit radium solis effulgere : sic voluptatis et vini vapores cerebrum quasi scopulum impetentes, densamque illic nubem sistentes, rationalem vim non sinunt ultra pergere, in caligine multa ebrium delinentes. Quantam tunc putas esse intus tempestatem, in eo qui talia patitur ? quantum tumultum ? Quemadmodum enim cum inundatio accidit, et aqua officinarum atria superat, eos qui intus sunt turbatos conspicimus, et cados, amphoras, spongias et alia multa adhibere et excogitare, ut illam exhauriant, ne fundamenta commoveat, et vasa omnia inutilia reddat : ita et cum anima voluptate nimia redundat, intus ratiocinia turbantur ; et cum non possint id quod congestum est evacuare, cumque aliud rursum ingeratur, ingens excitatur tempestas. Ne mihi respicias in vultum lætum et hilarem, sed quæ intus sunt scrutare, et videbis illa multo mœrore plena ac si liceret eductam inde animam corporeis oculis conspicere, videres deliciantis animam demissam, mœstam, tristem, attenuatam. Quanto magis enim corpus impinguatur, tanto magis anima attenuatur et infirmior efficitur ; et quanto magis illud fovetur, tanto magis illa obruitur et sepelitur. Et sicut in oculorum pupilla, si exterius impositæ tuniculæ sint densiores, non potest cernendi vis penetrare et conspicere, radio a densitate depulso, et hinc sæpe tenebræ oriuntur : ita cum corpus frequentius incrassatur, multa densitate circumcluditur. At mortui, inquies, corrumpuntur et putrescunt, multaque sanies inde fluit. Ita etiam in deliciante observes ; fluxus, phlegma, mucorem, singultus, vomitus, eructationes : cætera enim, quæ turpia sunt, prætermitto. Tanta quippe est voluptatis tyrannis, ut ea sustinere cogat, quæ dicere non audemus

4. Etiamnum interrogas, quomodo corpus undique diffluat ? Verum comedit et bibit ? At non est hoc

humanæ vitæ signum, siquidem bruta comedunt et bibunt. Cum ergo anima mortua jaceat, quænam cibi et potus utilitas? Ut enim corpore jacente, nihil juvat florida vestis qua amicitur : sic nec corpus floridum animam juvam mortuam. Cum enim semper de coquis, de mensariis, de pistoribus verba faciat, ac nihil pium loquatur, annon mortua est? Quid sit homo videamus. Externi dicunt esse animal rationale, mortale, rationis ac scientiæ capax : nos autem non ab illis definitionem mutuemur; sed unde? A divina Scriptura. Ubinam ergo Scriptura definitionem hominis posuit? Audi dicentem : *Erat homo justus, verax, pius, abstinens ab omni re mala.* (*Job* 1. 2). Hoc est homo. Alius iterum dicit : *Magnum quiddam homo, et pretiosus vir misericors.* (*Prov.* 20. 6. *in Græco*). Eos vero qui tales non sunt, etsi mentis participes, quantumvis disciplinis instructos, non solet Scriptura homines appellare, sed canes, equos, viperas, serpentes, vulpes, lupos, et si quid in feris vilius sit. Si igitur hoc est homo, qui deliciis affluit homo non est : quomodo enim fuerit, qui nihil horum curat? non enim possunt simul deliciæ cum sobrietate concurrere : hæc enim se mutuo destruunt. Hoc etiam exteri dicunt : quod venter pinguis mentem subtilem non gignat. Solet etiam Scriptura homines inanimes dicere : *Non permanebit spiritus meus in his hominibus, eo quod carnes sint* (*Gen.* 6. 3). Atqui animam habebant; sed quia mortuam illam circumferebant, carnes ipsos vocabat. Ut enim de virtute præditis, licet corpus habeant, dicimus tamen, Totus ille anima est, totus spiritus est : sic contrarium proferimus de iis qui tales non sunt. Sic et Paulus dicebat : *Vos non estis in carne* (*Rom.* 8. 9), quia carnis opera non faciebant. Sic et deliciis incumbentes non sunt in anima, nec in spiritu. *Quæ autem in deliciis est, vivens mortua est*, inquit. Audite quæ tempus omne in comessationibus et ebrietatibus absumitis, quæ pauperes fame tabescentes et morientes despicitis, cum vos perpetuo in voluptate moriamini. Duas quippe mortes perpetratis, eorum qui affliguntur, et vestram quoque; utramque quia modum nullum servatis. Si autem redundantiam vestram illorum indigentiæ misceretis, vitas duas conservaretis. Cur ventrem tuum satietate distendis? cur ventrem pauperis attenuas indigentia? Hunc ultra modum impinguas; illum ultra mensuram extenuas. Cogita quid sint cibi, in quæ mutentur, quid efficiantur. Annon hæc vel audiens indignaris? cur ergo studes illa semper accumulare? Nihil aliud est illud deliciarum additamentum, quam stercorum incrementum. Habet enim natura mensuram, et quod superabundat jam alimentum non est, sed pernicies, et stercus abundantius. Nutri corpus, ne eneces. Ideo alimentum vocatur, non ut perdamus corpus, sed ut alamus : ideo etiam, ut puto, alimentum ad hoc secernitur, ut ne deliciarum simus amatores. Nisi illud ita se haberet, nec deliciæ inutiles essent, nec corpori nocerent, numquam cessaremus nos invicem devorare. Nam si quantum vellemus venter exciperet conficeret et corpori mitteret, innumera videres bella et pugnas. Si enim nunc, cum alia in stercus secernuntur, alia in sanguinem et phlegma inutile et adulterinum, deliciis tamen incumbimus, et sæpe opes integras in mensa una consumimus; nisi talis esset deliciarum finis, quid non faceremus? Majori nos fœtore replemus, cum magis deliciamur, corpore undique instar utri defluente. Eructat sic quispiam, ut etiam vicinorum cerebrum hinc lædatur : vapores undique torti ex corpore emittuntur, quasi ex fornace, ardore intus putrescente. Quod si ii qui foris sunt ita indignantur, quid putas pati cerebrum intus, dum frequenter his vaporibus quatitur? quid ferventis sanguinis rivos, qui intercluditur? quid vasa illa, jecur et lien? quid illi sulci stercoris? Et quod gravius est, illis stercoris sulcis prospicimus, ut ne obstruantur, et ne stercora sursum mittant; atque ad hoc nihil non agimus contis impellentes, ac ligonibus trahentes : latrinas autem ventris nostri non expurgamus, sed obstruimus et oppilamus; et stercore ad superna ascendente, ubi rex ipse sedet, cerebrum dico, nos nihil curamus. Ideo non quasi regem habeamus ornatum, ita omnia agimus, sed ac si canem immundum haberemus. Ideo Deus procul illa membra posuit, ut nihil ex ipsis perniciei accipiat. At nos non sinimus, sed omnia immoderato usu corrumpimus. Quid vero quis dixerit de aliis malis? Obstrue canales latrinarum, et pestem videbis protinus grassari. Quod si fœtor ille extrinsecus invadens, pestem parit : is qui intrinsecus est, et undique obstructus angustia corporis, nec habens unde erumpat, annon morbos pariet innumeros et corpori et animæ? Quodque gravius est, adversus Deum multi indignantur, Quid hoc est? dicentes, stercus gestare nobis lege statuit; ipsi vero stercus augent. Propterea Deus rem sic statuit, ut sic a deliciis arceret, ut suaderet ne sæcularibus nimis hæreremus. Tu vero ne sic quidem vis a deliciis temperare, sed ad fauces usque, et usque ad mensæ tempus, imo ne quidem tamdiu manet voluptas, et deliciando perseveras. Annon statim atque linguam et fauces præteriit, voluptas omnis exstincta est? Sensus enim in gustu est, et postea nihil, sed multa molestia, aut stomacho non officio fungente, aut cum multa difficultate id præstante. Jure ergo dixit, *Quæ in deliciis est, vivens mortua est.* Nihil enim vel audire vel loqui potest anima quæ in deliciis est : mollis efficitur, ignava, imbecilla, illiberalis, timida, ferocia, adulatione et ignorantia plena, indignatione, segnitie, malis omnibus referta, contra vero bonis omnibus destituta. Ideo ait : 7. *Et hoc præcipe ut irreprehensibiles sint.* Viden' rem esse lege præceptam? Id non arbitrio relinquit : Præcipe, ait, ut non in deliciis versentur, quasi hoc vitium esse in confesso sit; ita ut non liceat in deliciis versanti mysteriis participare. *Et hoc præcipe*, inquit, *ut irreprehensibiles sint.* Viden' rem in peccatorum numero censeri? Nam quod arbitrio cujusque relinquitur, etiamsi non fiat, non impedit quominus quis irreprehensibilis sit. Ita

que nos etiam Paulo obtemperantes præcipiamus ut viduæ, quæ deliciis student, ex viduarum catalogo deleantur. Nam si miles qui lavacris, theatris, ac negotiationibus dat operam, velut desertor militiæ damnatur : multo magis id de viduis statuatur. Ne ergo hic requiem quæramus, ut illic eam inveniamus: ne hic deliciis operam demus, ut illic veras et germanas delicias assequamur, quæ nihil mali pariant, et innumera bona afferant : quæ utinam nos omnes assequamur in Christo Jesu, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

Cap. 5. v. 8. *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.*

1. Multi putant virtutem suam ad salutem sibi satis esse, et si vitam suam recte disponant, nihil sibi ad salutem deesse. Ii vero falluntur. Et hoc quidem ostendit ille qui talentum unum suffoderat : neque enim illud imminutum obtulit, sed totum et quale depositum sibi fuerat. Id ostendit hic quoque beatus Paulus, ita dicens : *Si quis autem suorum curam non habet.* Curam hic omnimodam dicit secundum animam et secundum corpus : nam etiam hæc cura et providentia est. *Si quis autem suorum, maximeque propriorum*, id est, genere ad se pertinentium, *curam non habet, est infideli*, inquit, *deterior.* Quod etiam dicit Isaias prophetarum coryphæus : *Domesticos seminis tui non despicies* (*Isai.* 58. 7). Qui enim genere propinquos et cognatione despiciat, quomodo erit erga alios benevolus ? nonne vanam gloriam id omnes esse dicent, si alios bonis afficiens, suos despiciat neque illis parcat ? quid porro, si alios instituens, hos in errore versantes despiciat, licet facilius et æquius possit his advigilare ? Id plane constat : non enim dicturæ sunt gentes, Num humani sunt Christiani, qui suos despiciunt ? *Et est*, inquit, *infideli deterior.* Quare ? Quia infidelis, etiamsi alienos, suos tamen non despicit. Hoc autem vult significare : et divinam et naturalem legem violat qui suos negligit. Si autem qui domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior, qui domesticos etiam injuste lædit, quo loco ponetur ? ubi constituetur ? Quomodo autem fidem negavit ? *Deum*, inquit, *se nosse confitentur, factis autem negant* (*Tit.* 1. 16). Quid vero præcepit Deus in quem creditur ? Domesticos seminis non despicere. Quomodo autem credat is qui Deum negat ? Id cogitemus quotquot pecuniis parcentes, domesticos contemnimus : idcirco Deus cognationis vincula excogitavit, ut plurimas haberemus nobis mutuo bene faciendi occasiones. Quando igitur tu neque id facis quod infidelis facit, nonne fidem negasti ? Ergo non sola fidei confessione fides exhibetur nisi digna opera compareant. Possuntque singuli credere et non credere. Postquam enim de deliciis verba fecit, non solum ideo periit, inquit, quod in deliciis versetur, sed etiam quod domesticos despicere cogatur. Jure ita loquitur : nam quæ ventri vivit, per hoc periit, et fidem negavit. Quomodo autem est infideli deterior ? Quia non par res est domesticum et alienum aspernari : quomodo enim ? sed major est culpa, notum quam ignotum, amicum quam non amicum, aspernari.

9. *De viduis. — Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor,* 10. *in operibus bonis testimonium habens.* Dixerat, *Discant primum domum suam bene regere, et vices parentibus reddere;* dixerat, *Quæ in deliciis est, vivens mortua est;* dixerat quod *si domesticorum curam non habeat, sit infideli deterior;* dixerat quod si hæc non habeat, indigna sit catalogo viduarum : hic demum dicit, quid illam habere oporteat. Quid ergo ? num ex annorum numero de illa judicabimus ? Et quid hoc meriti habet ? neque enim hoc illa effecit quod sit sexaginta annorum. Non ab ætate tantum, inquit ; ita ut, si etiam illam ætatem supergrediatur, neque opera habeat, ne eligatur. Cur autem ætatem accurate designet, causam ille postea affert, non a seipso, sed ab ipsis viduis inductam. Interim vero sequentia audiamus : *In operibus bonis*, inquit, *testimonium habens.* Qualibus operibus ? *Si filios educavit.* Non parvum id opus est filios educare. Filios autem educare, non est solum nutrire, sed ut par est id facere : sicut superius dixit : *Si permanserint in fide, in dilectione, in sanctificatione* (1. *Tim.* 2. 15). Viden' quomodo ubique beneficia domesticis collata alienis præponat ? Primo namque dixit, *Si filios educavit ;* deinde, *Si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsequuta est.* Quid vero, si pauper illa sit ? Ne sic quidem abstinere potuit a filiis educandis, ab hospitibus suscipiendis, a tribulationem patientibus fovendis. Neque est illa pauperior ea quæ duos obolos injecit : etiamsi pauper sit, domum habet ; non enim sub dio manet. *Si sanctorum pedes lavit*, inquit. Nihil hic impensæ est. *Si omne opus bonum subsequuta est.* De quo præcepto hic agit ? Corporale ministerium præcipit : nam ad ministerium maxime idoneæ sunt mulieres, ad lectum sternendum, quietem curandam.

2. Papæ ! quantam accurationem a vidua postulat ! tantam fere, quantam in episcopo desiderat. Illud enim, *Si omne opus bonum subsequuta est*, hoc indicat : quod etiamsi ipsa hoc exsequi non potuit, particeps tamen fuit, ministravit, delicias abstulit : providentiam et curam domus vult habere, et orationibus semper incumbere. Talis erat Anna. Vide quantam diligentiam postulet a vidua, majorem quam a virginibus ipsis : quamvis ab illis quoque magnam expetat accurationem, et summam virtutem. Cum enim dicit, *Quod honestum est et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi* (1. *Cor.* 7. 35), in summa virtutem omnem fere complectitur. Viden' non satis esse si vidua secundas non contra-

bat nuptias, sed multis aliis opus esse? Cur enim, quæso, hortatur ut secundas non contrahat nuptias? an quod rem improbaret? Nequaquam; hoc hæreticorum est; sed quod vellet eam postea spiritualibus incumbere, et ad virtutem se conferre: neque enim immundum est connubium, sed occupationibus plenum: nam cum dicit, *Ut vacent* (1. *Cor.* 7. 5), non ait, Ut purgentur. Multas enim revera occupationes connubium affert. Si ergo ideo non nuptias contrahis, ut timori Dei incumbas, neque tamen incumbis, nihil tibi hinc utilitatis, quod obsequium præstes hospitibus et sanctis. Si igitur hæc non feceris, a matrimonio quasi illud damnans abstinuisti. Sic etiam virgo, quæ non vere crucifixa est, nuptias repudiasse videbitur, quasi exsecrandas et impuras. Viden' quod hospitalitatem dicat, non bonum affectum tantum, sed diligentem, et cum hilaritate et alacritate conjunctum, qui ita rem suscipiat ac si ipsum Christum exciperet? Non enim vult hoc ministerium ancillis committi, sed ipsas illud præstare: nam *Si ergo*, inquit, *Magister lavi pedes vestros, multo magis vos debetis alter alterius pedes lavare* (*Joan.* 13. 14). Quantumvis enim sis opulenta, in quantavis dignitate et in generis nobilitate alium sapias, non tantum est intervallum, quantum inter Deum et discipulos. Si hospitem ut Christum excipis, nihil est quod erubescas, imo potius de re illa gloriare: si vero non ut Christum excipis, ne excipias omnino: nam ait, *Qui vos suscipit, me suscipit* (*Matth.* 10. 40). Si non ita suscipias, mercedem non habebis. Abraham viatores homines, ut ipse putabat, suscepit, nec ad excipiendos domesticis omnia facienda commisit, sed majorem ministerii partem ipse suscepit, et uxori farinam miscere imperavit, etsi trecentos decem et octo vernaculos habebat, inter quos ancillas fuisse verisimile est; sed ipse mercedem cum uxore habere cupiebat, non solum expensæ, sed etiam ministerii. Ita oportet hospitalitatem exhibere, per se omnia faciendo, ut nos sanctificemur, ut manus nostræ benedicantur. etiamsi pauperi dederis, ne dedigneris per te dare; non enim pauperi das, sed Christo. Quis autem ita miser est, ut non dignetur ipse manum porrigere Christo? Hæc est vere hospitalitas, hoc est propter Deum facere. Quod si cum fastu imperes, etiamsi primas hospiti concedas, non est hoc hospitalitas, neque propter Deum ita agitur. Multo hospes ministerio opus habet, multa adhortatione; vix etiam vel sic poterit non erubescere; ita enim se res habet: ita ut qui bene excipitur, pudore afficiatur. Ministerii exsuperantia pudorem tollere oportet, ac verbis simulque re ipsa ostendere, ipsum qui dat beneficium potius accipere, quam dare. Ita res ex hilari voluntate longe gratior efficitur. Sicut enim qui se putat damno affici, totum perdit; et qui se putat beneficium tribuere, omnia perdit: sic qui secum bene agi existimat amplius recipit: *Hilarem enim datorem diligit Deus* (2. *Cor.* 9. 7). Itaque gratiam potius debes pauperi quod accipiat. Nam si pauperes non essent, peccatorum sarcinam difficile poneres: sunt illi vulnerum tuorum medici; eorum manus medicamenta tibi præbent. Non ita medicus manum porrigens et medicamenta ministrans medicinam exercet, ut pauper manum porrigens et a te accipiens, mala tua aufert. Dedisti argentum, egressa sunt cum illo peccata. Hujusmodi sunt et sacerdotes: *Peccata*, inquit, *populi mei comedunt* (*Osee* 4. 8). Itaque majora accipis, quam das; beneficium magis accipis, quam confers: Deo fœneraris, non hominibus; divitias auges, non minuis; minuis autem si non minores reddas, si non dederis. *Si hospitio suscepit*, inquit, *si sanctorum pedes lavit.* Quorumnam? Eorum qui in ærumnis versantur, non simpliciter sanctorum: potest enim fieri ut sancti multo ab omnibus obsequio foveantur. Ne hos prosequaris qui in copia rerum sunt, sed eos qui in ærumnis, qui ignoti sunt. *Qui fecerit*, inquit, *uni ex his mininis, mihi fecit* (*Matth.* 25. 45).

3. Ne des præsulibus Ecclesiæ ut distribuant: tu ipsa distribue, ut non impensæ solum, sed etiam ministerii mercedem habeas: propriis manibus largire: tu sulcum sere. Non est hic aratro opus, neque boves jungendi, neque tempus exspectandum, neque terra sulcanda, neque cum frigore certandum: tota hujusmodi sollicitudine vacuum est hoc semen. In cælum namque seminas jacis, ubi non frigus, non hiems, non aliud quidpiam hujusmodi est: in animas seminas jacis, ubi nemo quod seritur aufert, sed firmissime retinetur, ac cum magna cura et diligentia. Tu semina. Cur te ipsum mercede privas? Magna merces est posse etiam aliena dispensare: non danti solum merces tribuitur, sed etiam quæ data sunt recte dispensanti. Cur tu mercedem non accipis? quod enim hujus etiam rei merces sit, audi: Constituerunt, inquit, apostoli Stephanum ad ministerium viduarum (*Act.* 6. 5). Sis tu dispensator bonorum tuorum: ipsa te benignitas ordinat et Dei timor. Illud vana gloria vacuum est, illud animas recreat, manus sanctificat, inflatum animum dejicit, philosophiam docet, alacriorem facit, hoc tibi benedictiones conciliat: recedit caput tuum plenum benedictionibus viduarum. Studiosior esto in orationibus, sanctos viros inquire, qui vere sancti sunt, qui in solitudinibus sedent, qui mendicare non possunt, qui Deum semper meditantur: longum iter suscipe, per teipsum eroga: multum enim, si dederis, emolumenti consequeris. Vides tabernaculum et diversorium? vides desertum? vides solitudinem? Sæpe ad pecunias dandum profectus, dedisti animam totam, detentus fuisti, et cum alio captivus effectus es, ac mundo peregrinus evasisti. Magna res et pauperes videre. *Melius est*, inquit, *ingredi in domum luctus, quam in domum risus* (*Eccles.* 7. 3). Hic enim animus intumescit: Nam si tu similiter deliciis te dedere possis, habes incitamentum; si non possis, mœrore afficeris. In domo autem luctus nihil hujusmodi; sed si absint deliciæ, non doles; si adsint, teipsum reprimis.

Monachorum vita mirabilis. — Vere domus luctus

sunt monasteria, ubi cilicium et cinis, ubi solitudo, ubi nullus risus, nec sæcularium rerum tumultus, ubi jejunium, ubi humi cubatio, ubi pura sunt omnia a nidore, a sanguine, a turbis, a tumultu, a perturbationibus. Portus est tranquillus : ceu luminaria sunt, e sublimi procul adventantibus lucentia : in porta sedentes, ad tranquillitatem suam omnes attrahunt, nec sinunt eos qui se respiciunt naufragia pati, nec permittunt eos in tenebris degere. Illos adi, amice excipe, accede, sacros pedes tange : multo enim honorabilius est illorum tangere pedes, quam aliorum capita. Dic enim mihi : si statuarum pedes quidam tangunt, quia formam referunt regiam; tu ejus, qui Christum in se habet, pedes non tanges, ut salvus fias? Sancti sunt pedes illi, etiamsi viles : profanum autem ne caput quidem venerandum est. Pedes sanctorum magna præstare possunt. Quapropter puniunt etiam cum pulverem excutiunt. Cum apud nos sancti quidam sunt, ne vereamur ea ipsa facere. Sancti vero sunt omnes qui fidem vitamque rectam servant : etiamsi signa non faciant, etiamsi dæmonas non pellant, sancti sunt. Perge ad sanctorum tabernacula : quasi a terra in cælum, ita licet ad monasterium sancti viri confugere. Non vides illic ea quæ domi : omnino purus est ille chorus : silentium ibi quiesque multa : illic nec meum nec tuum est. Si vero istic etiam uno die vel biduo manseris, tunc majorem senties voluptatem. Dies advenit, imo ante diem gallus cantavit : neque ibi ut domi res se habet, ubi domestici stertunt, januæ clausæ sunt, omnes mortuis similes dormiunt, mulio tintinnabula quatit. Nihil ibi simile; sed simul omnes cum pietate somnum deponentes surgunt, præsule illos concitante, stantque sacrum constituentes chorum, manusque statim extendentes, sacros hymnos canunt. Neque enim perinde atque nos multis horis opus habent ad excutiendum somnum et soporem. Nos enim simul atque surreximus, sedemus expandentes membra, ad consuetum usum pergimus, hinc faciem et manus lavamus : postea calceos et vestimenta accipimus, multumque temporis insumitur.

4. Illic nihil simile : nemo famulum vocat, quisque sibi sufficit, non opus habet vestimentis multis, nec alio qui somnum excutiat; sed statim atque oculos aperuerit, ob sobrietatem similis videtur ei qui multo tempore vigilavit. Quando enim cor non cibis aggravatum et depressum est, non multo opus habet tempore ad expergiscendum, sed statim evigilat. Manus semper puræ sunt, quia somnus recte ordinatur. Nemo stertentes vel flantes illic audit, neque per somnum motitantem se quempiam videt, vel nudatum; sed illi decentius quam ii qui vigilant dormiunt. Hoc autem totum ex animi disciplina oritur. Vere sancti illi sunt et in hominibus angeli. Nec mireris hæc audiens : magnus enim Dei timor non sinit eos in profundum somnum incidere, sed quasi in superficie quiescunt. Cum porro talis sit somnus, talia esse somnia, tales phantasias necesse est, non autem portentosa. Verum, ut dixi, gallus cantavit, et statim veniens præsul et pede jacentem pulsans, omnes excitat : neque enim nudos istic dormire fas est. Dehinc, postquam surrexere, stant hymnos canentes propheticos, cum multo suavi concentu et melodia. Non cithara, non fistulæ, non instrumentum aliud musicum talem emittit sonum, qualem istic audire est in profunda quiete et in solitudine canentibus sanctis illis. Hæc porro cantica utilia sunt et opportuna, atque amore Dei plena. *In noctibus*, inquit, *extollite manus vestras ad Deum* (*Psal.* 133. 3); et rursus, *Ex nocte vigilat spiritus meus ad te, Deus, quia lux præcepta tua sunt in terra* (*Isai.* 26. 9). Cantica quoque Davidica multos lacrymarum fontes moventia, cum canit dicens : *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* 6. 7); et rursum, *Quia cinerem tamquam panem manducabam* (*Psal.* 101. 10); et rursus, *Quid est homo, quod memor es ejus? Homo vanitati similis factus est; et dies meis sicut umbra declinaverunt;* et, *Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus* (*Psal.* 8. 5. *et* 143. 4. *et* 48. 17); et iterum, *Qui habitare facit unius moris in domo*; et, *Septies in die laudem dixi tibi super judicia justitiæ tuæ;* iterumque, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ* (*Psal.* 67. 7. *et* 118. 164. 62); et, *Deus liberabit animam meam de manu inferi;* et, *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es* (*Psal.* 48. 16. *et* 22. 4); et rursus, *Non timebo a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano* (*Psal.* 90. 5. 6); et rursus, *Æstimati sumus sicut oves occisionis* (*Psal.* 43. 22); ardentem suam erga Deum caritatem ostendunt. Quando item cum angelis canunt (nam et angeli tunc canunt), *Laudate Dominum de cælis* (*Psal.* 148. 2), dicentes; nobis oscitantibus, prurientibus, stertentibus, supinis jacentibus, et fraudes innumeras cogitantibus : quantum illud est, ipsos in his totam noctem consumere! Paulo ante lucem demum quiescunt; et cum nos opera aggredimur, illi quietis tempus habent. Ubi vero dies illuxit, singuli nostrum alter alterum vocat, de impensis colloquia miscet, in forum se confert, magistratum adit, tremit timetque ne pœnæ repetantur; alius in scenam se confert, alius ad negotium suum. Illi vero postquam preces matutinas et hymnos compleverunt, ad lectionem Scripturarum se conferunt : sunt etiam qui libros scribere didicerunt. Singuli constitutum domicilium habentes, quieto semper agunt, nemine nugas proferente, nemine loquente. Deinde Tertiam, Sextam, Nonam, et vespertinas orationes persolvunt; et in quatuor partes totam diem dividentes, singulis in partibus psalmodia et hymnis Deum honorant; aliisque omnibus prandentibus, ridentibus, ludentibus, ciboque nimio sese dirumpentibus, hi hymnis dant operam. Nullum fere mensæ et sensilibus rebus tempus deputatur. Rursus post prandium eadem exercitia resumunt,

postquam paulum somno se dederunt. Ac sæculares interdiu etiam dormiunt; illi vero noctu vigilant. Vere filii lucis sunt. Deinde illi postquam magnam diei partem dormientes insumpsere, gravati prodeunt: hi autem adhuc jejuni sunt, sine cibo ad vesperam usque persistentes, et hymnis operam dantes. Adveniente rursus vespera, illi quidem ad lavacra et requiem properant; hi vero a laboribus quiescentes ad mensam accumbunt, non famulorum turbam concitantes, neque per domum discurrentes, neque tumultuantes, neque apponentes obsonia multa, odore fragrantia; sed alii panem solum cum sale, alii oleum apponunt; alii vero qui infirmiores sunt, herbas et legumina habent. Deinde postquam paululum sederunt, hymnisque totum concluserunt, singuli quiescunt in stratis, ad quietem, non ad delicias adornatis. Nullus istic principum timor habetur, nulla dominorum arrogantia, non servorum metus, non mulierum tumultus, non parvulorum turbæ, non arcularum multitudo, non vestium superfluarum depositio, non aurum, non argentum: non istic custodiæ et prævie aliæ custodiæ sunt, non penus, non aliquid simile; sed plena omnia orationibus sunt, hymnis, spirituali fragrantia: nihil illic carnale. Furum incursiones non timent; nihil enim habent quod periculum subeat: non sunt pecuniæ, sed corpus solum et anima: si hanc auferant, non damnum, sed lucrum intulerunt: *Mihi enim vivere Christus est*, inquit, *et mori lucrum* (*Philipp.* 1. 21). Omnibus illi se vinculis solverunt. Vere *Vox exsultationis in tabernaculis justorum* (*Psal.* 117. 15).

5. Non illic ululatus umquam auditur, non gemitus: his molestiis vacuum est tectum illud, talis clamoris expers. Moriuntur etiam in illis; neque enim corpore immortales sunt; sed mortem non mortem esse arbitrantur. Eos qui decesserunt cum hymnis efferunt: id vero non elationem illi vocant, sed propompam (*a*). Si nuntiatum fuerit talem vel talem esse mortuum, magnum gaudium, magna voluptas adest; imo vero nemo dicere ausit, Ille est mortuus; sed, Ille est consummatus. Deinde gratiarum actiones, gloria multa, lætitia, precantibus singulis ut talem et ipsi habeant finem, et sic ex certamine exeant, ut finem laborum et agonum inveniant, Christumque videant. Si quis infirmetur, non hinc lacrymæ, non luctus, sed rursus preces emittuntur: non medicorum manus, sed fides sæpe infirmum sanat. Si vero aliquando medicis sit opus, magna hic ostenditur philosophia, multa patientia: non adest uxor solutis crinibus, neque filii qui orbitatem nondum experti lamententur; non servi rogantes exspirantem herum, sibi securitatem aliquam tribuat; sed his omnibus libera anima, unum respicit solum, ut in extremo halitu Deo amica discedat. Si morbus accidat, non ab ingluvie, vel vinolentia gignitur; sed et ipsæ morborum causæ laude plenæ sunt, non culpa, ut istæ. Nam vel ex vigiliis, vel ex jejuniorum frequentia pariuntur, vel quid simile morbos efficit; ideoque facile curantur: satis enim est ad ægritudines depellendas, si temperent a labore nimio.

6. Dic igitur mihi, inquies, si sanctorum pedes aliquis lavit in ecclesia, an possint hic quoque tales inveniri. Possunt certe, omnino possunt: tantum peto, ne, quia illorum, monachorum nempe, vitam recensuimus, eos, qui in ecclesiis sunt, despiciamus. Multi sæpe tales in mediis ecclesiis sunt, sed latent. Non enim quia domos circumeunt et in forum vadunt, nec quia præsunt, despiciendi sunt. Hoc etiam Deus præcepit: nam ait, *Judicate pupillo, et defendite viduam* (*Isai.* 1. 17). Multæ sunt virtutis viæ, sicut et margaritarum multa sunt discrimina, etsi omnes margaritæ vocantur; sed alia quidem est splendens et undique rotunda, alia non tantam habet pulchritudinem, sed aliam. Quam illam? Sicut arte quadam corallium longam habet lineam, angulosque tornatos, aliumque colorem alio jucundiorem, prasinum vero est omni virore jucundius; alius vero color sanguinis floridum colorem præ se fert; alius mare cæruleo colore superat, alius purpura est fulgidior; innumeraque alia inveniri possint, quæ varietate cum floribus concertant, vel quæ solis ipsius coloribus paria sint: tales quoque sunt sancti: alii quidem seipsos exercent, alii ipsas etiam Ecclesias. Recte ergo dixit, *Si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit.* Ut enim omnes ad imitationem concitaret, ita dixit. Et nos igitur ad eam rem accurramus, ut ibi gloriari possimus, quia sanctorum pedes lavimus. Si autem pedes eorum lavare oportet, multo magis illis manu pecunias erogare, et ut lateamus studere. *Nesciat*, inquit, *sinistra tua quid facit dextera tua* (*Matth.* 6. 3). Cur mille adhibes testes? neque servus videat, si fieri potest, neque uxor. Multa sunt dolosi offendicula: sæpe quæ numquam impedimento fuit, tunc obsistet, vel ex vana gloria, vel alia de causa. Nam et Abraham, etiamsi mirabilem haberet uxorem, cum filium oblaturus esset, id ipsi occultavit, etsi quid eventurum esset ignorabat, cum omnino putaret se illum esse mactaturum. Quid ergo dixisset ex vulgo quispiam? nonne dixisset, Quis est hic, qui talia patrat? nonne illum summæ crudelitatis et feritatis accusasset? Non permissa est uxor filium videre, nec postremam ejus audire vocem, nec palpitantem aspicere, sed quasi captivum abduxit illum. At nihil horum cogitavit justus ille, quasi amore ebrius. Nihil enim aliud respiciebat, quam ut jussum exsequeretur; neque servus illic erat, neque uxor; imo vero neque ipse sciebat quid eventurum esset: sic ille studebat victimam omni ex parte puram offerre, illamque nec lacrymis nec contradictione fœdare. Vide autem cum quanta mansuetudine Isaac interroget, et quid illi dicat: *Ecce ligna et ignis, ubi est ovis?* Quid ergo Pater? *Deus providebit sibi ovem in holocaustum, fili* (*Gen.* 22. 7. 8). Hoc porro dicitur quasi prophetia, quod Filium Deus sibi provisurus sit in holocaustum; atque ita tunc contigit. Cur id occultas, dic mihi, illi qui immolandus est? Sane.

(*a*) Propompam in celebritatibus vocabant cœtum illum, qui pompam sive *processionem* præcedebat.

inquit, vereor ne deficiat, timeo ne indignus videatur. Viden' quomodo omnia cum magna accuratione fecerit? Ergo apposite dixit Scriptura, *Nesciat sinistra tua quæ facit dextera tua* (*Matth.* 6. 3). Id est, etiamsi quempiam quasi proprium membrum habeamus, ne illi facile declaremus, nisi necessitas fuerit. Multa enim hinc gravia gignuntur: in vanam gloriam qui extollitur, impedimentum sæpe advenit. Quocirca nos ipsos si fieri potest lateamus, ut promissa bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

Cap. 5. v. 11. *Adolescentiores autem viduas devita: cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt,* 12. *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* 13. *Simul autem otiosæ discunt circuire domos: non solum otiosæ, sed et nugaces et curiosæ, loquentes quæ non oportet.* 14. *Volo ergo juniores viduas nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.* 15. *Jam enim quædam conversæ sunt retro satanam.*

1. Postquam de viduis multa verba fecit Paulus, et tempus ipsis definivit, dicens, *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum*, et qualem esse debeat docuit dicendo, *Si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit* (1. *Tim.* 5. 7. 10); rursus hic dicit, *Adolescentiores autem viduas devita.* De virginibus autem, etsi majoris negotii res sit, nihil tale subindicat: et jure quidem. Quare? Quia ad majora nomen dederunt, et a majori animo hæc conditio ortum habuit. Illud igitur, *Si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit*, et similia omnia, propter assiduitatem posuit, et quia dixerat, *Quæ autem innupta est, cogitat quæ Domini sunt* (1. *Cor.* 7. 34). Quod si de ætate nihil disputat, ne mireris; illud enim ex hoc maxime patet. Alioquin vero illæ ex majori animo virginitatem elegerant. Ad hæc autem in illis jam aliquot lapsus contigerant, et ipsæ talis ferendæ legis occasionem dederant: hic vero nihil hujusmodi erat. Quod enim jam aliquæ lapsæ fuissent, ex his verbis palam est: *Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt;* et rursus, *Jam enim quædam conversæ sunt retro satanam. Adolescentulas autem viduas devita.* Quare? *Cum enim luxuriatæ fuerint a Christo, nubere volunt.* Quid est illud, *Cum luxuriatæ fuerint?* Cum in lasciviam et in delicias sint lapsæ: ac si viro cuipiam æqui amanti diceretur: Dimitte illam; alterius enim fuit. Ostendit igitur illas viduitatem temere elegisse, non judicio utentes. Ergo vidua quoque Christo desponsatur in viduitate: Ego enim, inquit, protector viduarum et pater orphanorum. Ostendit illas viduitatem non recte eligere, sed luxuriari, illud tamen tolerat: quamquam alibi ait: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (2. *Cor.* 11. 2). Cum enim illi se devoverint, inquit, *Nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Fidem pactum dicit, veritatem; ac si diceret, Mentitæ sunt ei, despexerunt illum, pactum violarunt. *Simul autem otiosæ discunt.*

Otiositas omnem malitiam docuit. — Non itaque viris tantum præcipit ut operentur, sed etiam mulieribus: omnem enim malitiam docuit otiositas. Non huic tantum damnationi, inquit, sunt obnoxiæ, sed et aliis peccatis. Si ergo circuire domos mulieri non convenit, multo minus virgini. *Non solum autem*, inquit, *otiosæ discunt, sed et nugaces et curiosæ, loquentes quæ non oportet. Volo igitur juniores viduas nubere, filios procreare, matresfamilias esse.* Quid ergo contingit, cum et viri cura abest, et Dei cura non continet? Illæ profecto otiosæ fiunt, loquaces, curiosæ. Qui enim sua non curat, res aliorum utique curabit; sicut is qui de suis sollicitus est, res aliorum non curabit, nec eorum sollicitus erit. *Loquentes quæ non oportet.* Nihil minus mulieri convenit, quam res aliorum curiose inquirere; nec solum mulieri, sed etiam viro: impudentiæ enim et petulantiæ hoc signum est maximum. *Volo igitur.* Quia ipsæ volunt, volo et ego juniores viduas nubere, filios procreare, matres familias esse, domi residere: longe enim melius est hæc quam illa facere. Oportebat igitur illa quæ Dei sunt curare, oportebat fidem servare: quia vero hæc non fiunt, melius est illa fieri, quam ista: neque enim sic Deus contemnitur, neque illæ talia discunt. A viduitate enim illa nihil boni erit; ab his vero nuptiis multa bona sequentur: hinc ille supinus animus, illa negligentia illarum converti poterit. Et cur, inquies, non dixit, Quia viduæ lapsæ sunt, multam illarum curam haberi oportet, ut non patiantur ea quæ dixi; sed nuptias præcepit? Quia nuptiæ non prohibentur, quia in tuto ponunt: quamobrem subjungit: *Nullam dare occasionem adversario maledicti gratia. Jam enim quædam conversæ sunt retro satanam.* Cohibet ergo tales viduas, non quod velit non esse viduas juniores, sed quod nolit illas fornicarias esse, neque otiosas et curiosas, loquentes quæ non oportet, nec velit hinc diabolum occasionem arripere: nec obstitisset, nisi quid tale fuisset. 16. *Si quis autem vir aut mulier fidelis habet viduas, subministret illis, ut non gravetur Ecclesia, ut iis, quæ vere viduæ sunt subministret.* Viden' quomodo iterum illas vere viduas dicat, quæ solæ ac desertæ sunt, nullaque ex parte solatium habent? Ita enim res melius habebat. Duo quippe hinc maxima bona oriebantur: illæ occasionem accipiebant bene faciendi, et hæ congruenter alebantur, atque Ecclesia non gravabatur. Recte addidit, *Si quis fidelis:* ab infidelibus enim non oportebat fideles viduas enutriri, ne viderentur illis indigere. Et vide quam consolandi rationem teneat. Non dixit, Magnifice subministret, sed, *Subministret illis. Ut Ecclesia,*

inquit, *iis quæ vere viduæ sunt subministret.* Ergo hujus quoque mercedem auxilii præstiti habet : non enim Ecclesiam solum juvat, sed etiam viduas illas, dum id agit ut illæ largius nutriantur. *Volo juniores*, quid? in deliciis esse? in lascivia? nihil horum, sed, *Nubere, filios procreare, matres familias esse.* Ne enim putares illum ad delicias illas hortari, subjunxit, *Nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.* Oportebat enim illas esse rebus sæcularibus superiores : quia vero inferiores factæ sunt, hic saltem gradum sistant. 17. *Qui digne præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.* 18. *Dicit enim Scriptura, Non alligabis os bovi trituranti* (*Deut.* 25. 4) ; et, *Dignus est operarius mercede sua* (*Luc.* 10. 7).

2. Honorem hic obsequium dicit, et necessariorum subministrationem. Cum enim subjungit, *Non alligabis os bovi trituranti ; et, Dignus est operiarus mercede sua,* hoc significat. Ergo etiam cum dicit, *Viduas honora,* de necessario cibo loquitur, *Ut iis quæ vere viduæ sunt subministret*, inquit; et rursus, *Honora eas quæ vere viduæ sunt ;* id est, quæ in paupertate : quanto magis enim in paupertate est, tanto magis est vidua. Ponit quæ legis sunt, ponit quæ Christi sunt; ambo consentiunt. Lex enim ait, *Non alligabis os bovi trituranti.* Viden' quomodo vult doctorem laborare? Non est enim, non est utique labor illi similis. Sed illud quidem legis est : quomodo autem Christi testimonium ponit? *Dignus est*, inquit, *operarius mercede sua.* Ne igitur mercedi tantum attendamus, sed etiam quomodo præceperit : ait enim, *Dignus est operarius cibo suo.* Itaque si quis deliciis aut quieti se dederit, non est dignus : nisi quis sit bos triturans, et per æstum et spinas jugum sustinens traxerit, nec prius desierit quam fructus in horrea intulerit, non est dignus. Oportet ego doctoribus necessaria abundanter ministrari, ut ne deficiant nec dissolvantur, nec parvis intenti, magnis seipsos privent : ut spiritualia operentur, et nullam sæcularium rerum curam habeant. Tales erant Levitæ : nihil sæcularia curabant, quia laici ipsorum curam habebant, et lege ipsis reditus constituebantur, ut decimæ, auri summa, primitiæ, preces, aliaque plurima. Sed illis quidem hæc merito lege statuebantur, utpote qui præsentia quærerent : ego autem dico præsules non plus habere oportere, quam victum et tegumenta, ut ne in hæc attrahantur. Quid est autem, *Duplici honore?* Duplici, vel ad viduas, vel ad diaconos ; vel duplici honore, id est, multo. Ne hoc igitur solum attendamus quod illos duplici honore dignatus sit, sed quod addiderit, *Qui bene præsunt.* Quid hoc sibi vult? Audiamus Christum dicentem : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus* (*Joan.* 10. 11). Hoc est ergo bene præesse, nulli rei parcere ad illorum curam gerendam. *Maxime*, inquit, *qui laborant in verbo et doctrina.* Ubi nunc sunt qui dicunt verbo et doctrina opus non esse? quandoquidem Timotheum de his admonet dicens, *Hæc meditare, in his esto ;* et rursus, *Attende lectioni, consolationi : hoc enim faciens, et teipsum salvum fa-*

cies, et eos qui te audiunt (1. *Tim.* 4. 15. 16). Et hos omnium maxime vult honorari ; causamque apponit : Quia laborem multum, inquit, sustinent. Et jure quidem. Cum enim alius nec vigilet nec curet, sed locum teneat cum incuria et negligentia ; ille vero sollicitus laboret meditans, curans, maxime si externorum sermonem ignoret : quomodo non oporteat illum honore frui plus quam alios omnes, qui se tot laboribus dederit? Innumeris enim lingnis expositus est : alius criminatur, alius laudat, alius dicteriis incessit, alius ejus memoriam et propositum lacerat ; et magna fortitudine ad hæc ferenda opus habet. Magnum enim hoc est, magnum ad Ecclesiæ ædificationem, et multum confert si præsules doctrina polleant : si hoc non adsit, plurima in Ecclesiis pereunt. Ideo cum aliis, cum hospitalitate, cum mansuetudine, cum irreprehensibilitate hoc connumerat dicens, Doctorem. Etenim cur doctor vocatur? Etiam, inquies, ut vitæ exemplo philosophiam doceat. Itaque hæc superflua sunt, neque opus est verborum doctrina ad discipulorum profectum. Et cur Paulus dicit, *Maxime qui laborant in verbo et doctrina?* cum enim de dogmatibus disseritur, quam vim habet vitæ sanctitas? De quo autem verbo agitur, inquies? Non de tumido et fastu pleno, non de illo qui cum externa jactantia procedit, sed de verbo multam spiritus vim habente, prudentia et sensu pleno. Non ergo apparatu et eloquentia opus habet, sed intelligentia, non apparatu, sed mente. 19. *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* An contra juniorem oportet sine testibus accusationem recipere? contra quemcumque? annon oportet semper cum accuratione judicia fieri? Quid ergo sibi vult? Neque de aliis, inquit, sed sic maxime de presbytero. Presbyterum autem hic dicit, non dignitate, sed ætate, quia facilius peccant juniores, quam senes. Hinc autem palam res est, quia Timotheo Ecclesia concredita fuerat, imo tota fere gens Asiatica ; ideoque de presbyteris cum illo loquitur. 20. *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant.* Hoc est, non statim exscinde, sed cum multa accuratione omnia examina. Cum aperte didiceris, vehementer invehe, ut alii resipiscant. Sicut enim temere damnare perniciosum est, sic manifesta peccata non punire, est viam parare aliis ut talia audeant. *Argue*, inquit, significans, non utcumque, sed acriter agendum esse : sic enim reliqui metum habebunt. Quomodo igitur ait Christus : *Vade, corripe illum inter te et ipsum solum* (*Matth.* 18. 15), si in te peccaverit? At illum quoque permittit in ecclesia redargui.

3. Quid ergo? annon majus scandalum est, si coram omnibus arguatur? Quomodo? Imo cum peccatum noverint, et pœnam non viderint, magis scandalizabuntur. Sicut enim, cum peccantes inulti manent, plurimi peccant : sic, si puniantur, multi resipiscunt. Sic et Deus fecit : Pharaonem in medium adductum punivit, itemque Nabuchodonosorem, et urbes hominesque multos pœnas dedisse videmus.

Vult ergo omnes timore affici ab episcopo, quem omnibus præficit. Quoniam de multis sæpe ex suspicione judicatur, Oportet, inquit, adesse testes, qui illum arguant secundum veterem legem : *In duobus aut tribus testibus stabit omne verbum* (*Deut.* 19. 15). *Adversus presbyterum*, inquit, *accusationem ne recipias.* Non dixit, Ne damnes, sed, Ne accusationem recipias, neque illum in judicium voces. Quid ergo, si duo testes mentiantur? Hoc raro contingit : potest autem res in judicio examinata manifesta fieri. Peccata vero satis est, si duos habeant testes, quia in occulto fieri solent : hoc itaque multi examinis signum est. Quid ergo, si peccata in confesso sint, et nullos habeant testes, sed malam opinionem? Dixi superius, inquit, *Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt* (1. *Tim.* 3. 7). Cum timore igitur diligamus Deum : justo enim non est posita lex. Multi autem qui ex necessitate, non ex arbitrii voluntate virtutem exercent, magna ex timore lucrantur, concupiscentiasque suas exscindunt. Ideo de gehenna audiamus, ut ex minis et metu multum lucremur. Si enim cum in gehennam peccatores injecturus sit, minas non prius intentasset, multi in eam incidissent. Si enim nunc, metu animas nostras concutiente, quidam tam facile peccant, quasi nulla futura sit pœna; si nihil tale dictum, nec minæ intentatæ fuissent, quid non sceleris admisissemus? Itaque, ut semper dico, gehenna non minus quam regnum Dei providentiam ostendit. Gehenna quippe cum regno operatur, dum homines ad virtutem metu compellit. Neque eam rem immanitatis et crudelitatis esse putemus, sed misericordiæ, benignitatis multæ, providentiæ, amoris erga nos. Nisi tempore Jonæ eversionis minæ intentatæ fuissent, eversio impedita non fuisset : nisi dixisset, *Ninive subvertetur* (*Jon.* 3. 4), Ninive non substitisset : nisi gehennæ minæ instarent, omnes in gehennam incideremus : nisi ignis comminatio esset, nemo ignem effugeret. Contraria voluntati suæ se facturum dicit, ut quod vult faciat. Non vult mortem peccatoris, et dicit mortem peccatoris, ut ne illum in mortem injiciat : non verbo solum protulit, sed etiam re ostendit, ut fugiamus. Ut ne quis autem existimaret minas esse tantum, sed rem omnino futuram esse, ab iis quæ hic facta sunt, id planum et manifestum facit. Annon tibi videtur diluvium esse gehennæ symbolum? annon universa per aquam pernicies supplicium per ignem futurum confirmat? *Quemadmodum enim*, inquit, *in diebus Noe nubebant et ad nuptias tradebant, ita et nunc* (*Matth.* 24. 38). Prædixerat tunc ante multum tempus, et nunc quoque prædicit ante annos quadringentos aut plures; sed nemo attendit : omnes rem illam pro fabulis habent, omnes rident, nemo timore corripitur, nemo lacrymatur, nemo pectus tundit. Fluvius ignis fervet, flamma succenditur, et nos ridemus et deliciamur, ac sine metu peccamus. Nemo umquam diem illum in mentem revocat; nemo cogitat præsentia transire, hæc temporanea esse, licet rebus quotidie clamantibus et vocem emittentibus. Immaturæ mortes, rerum mutationes, quæ nobis viventibus accidunt, non nos ad frugem revocant, ut nec morbi, nec reliquæ infirmitates. Neque in corporibus solum nostris mutationes, sed etiam in ipsis elementis videre est : atque in ætatibus singulis mortem quotidie meditari possumus, et in omnibus instabilitas ubique per res ipsas significatur. Numquam hiems perstat, nec æstas, nec ver, nec autumnus; sed omnia currunt, evolant et effluunt. Sed quid dicam flores? quid dignitates? quid reges, qui nunc sunt et cras esse desistunt? An dicam divites? an ædificia splendida? an noctem et diem? an solem vel lunam? annon illa quoque declinat? annon sol ipse vel deficit, vel obscuratur, vel a nube tegitur? An quid visibile perpetuo manet? Nihil : sed anima solum nostra, et hanc negligimus eorum quæ mutantur, quasi manentium magnam curam habemus; eam vero quæ semper manet, quasi transitura esset nihili faciamus. Magna quispiam potest? sed ad crastinum usque, et postea perit; idque patet ex iis, qui majora potuerunt, et jam nusquam comparent. Scena quædam est vita præsens et somnium. Sicut enim in scena, sublato scenæ apparatu, varietates solvuntur, et somnia adveniente solari radio omnia avolant : ita cum consummatio advenerit et communis illa et singulorum, omnia solvuntur et evanescunt. Et arbor quidem quam plantasti permanet, atque domus, quam ædificasti; artifex autem et agricola abducuntur et pereunt. Et cum hæc ita fiant, neque sic veremur, sed quasi immortales hæc omnia apparamus, deliciantes et voluptati operam dantes.

4. Audi quid dicat Salomon, qui præsentium rerum periculum fecerat : *Ædificavi mihi domos*, inquit, *plantavi hortos atque pomaria, vineas et piscinas aquarum, argentum et aurum fuit mihi : feci mihi cantores et cantatrices greges et armenta* (*Eccle.* 2. 4 - 8). Nullus fuit ita deliciis deditus, nullus ita gloriosus, nullus ita sapiens, nullus ita imperans, nullus cui res ita ex voto succederent. Quid ergo? Hæc nihil illi profuere; sed post hæc omnia quid dicit? *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (*Ibid.* 1. 2). non solum vanitas, sed exsuperanter. Credamus illi, et res sectemur, in queis non sit vanitas; ubi sit veritas, ubi omnia firma et solida, ubi omnia sint ædificata supra petram, ubi non sit senectus, nec transitus, ubi omnia floreant, omnia vigeant, ubi nullum senium, ubi nihil ad destructionem vergat. Diligamus, quæso, sincere Deum, non metu gehennæ, sed desiderio regni. Quid enim, dic mihi, visioni Christi par fuerit? Nihil. Quid sic optandum, ut æternis illis bonis frui? Nihil utique. *Neque* enim *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se* (2. *Cor.* 2. 9).

Rerum humanarum fluxa conditio. — Illa consequi studeamus, hæc despiciamus. Nonne sæpissime hæc respuentes dicimus nihil esse vitam humanam? Quid de nihilo curas? quid pro nihilo labores suscipis? Sed vides splendida ædificia, et eorum te fallit aspectus. Sed statim respice in cælum : a lapidibus et colu-

nimis te avertens, illam pulchritudinem contemplare : et videbis esse ista ceu formicarum et culicum opera. Aspectu illo te ad philosophiam referas : ascende ad cælestia : inde disce quid sint ædificia splendida, et videbis ista esse nulla alia, quam puellorum crepundia. Vidistin' ut subtilior, ut levior, ut purior, ut splendidior sit aer, quo magis in altum ascendis? Ibi qui eleemosynas erogant domicilia habent et tabernacula. Ista autem in resurrectione, imo vero ante resurrectionem tempus corrupit, delevit, dissolvit; sæpeque antequam tempus adveniat, cum hæc florerent, terræ motus prostravit, vel incendium totum consumpsit. Non solum in ætatibus hominum, sed etiam in ædificiis immaturæ mortes occurrunt : ac sæpe quæ ex vetustate vacillare videbantur, in terræ motu erecta mansere ; quæ vero fulgebant, ac firma recensque structa fuerant, a solo tonitru impetita corruerunt : et hoc, ut puto, Deo ita dispensante, ut de ædificiis non altum sapiamus. Vis alio quoque modo non deficere animo? ad communia perge ædificia, tuo similia. Nulla quippe est, nulla domus, quantumvis splendida sit, ædificiis publicis splendidior. Quantum volueris temporis illic immorare : tua illa sunt et aliorum ; communia sunt, non propria. Sed hæc non delectant, inquies. Non delectant primo ex consuetudine, secundo ex avaritia. Ergo quod delectat avaritia est, non pulchritudo : ergo delectatio est avaritia, et omnia habendi cupiditas. Quousque his affixi erimus? quousque in terram infigemur, et sicut vermes in luto volutabimur? Corpus nobis dedit Deus ex terra, ut illud in cælum inducamus, non ut per ipsum animam in terram trahamus : terrenum illud est, sed si velimus cæleste efficitur. Vide quanto nos honore dignatus est, rem talem permittens nobis. Feci, inquit, ego terram et cælum : do tibi quoque creandi potestatem, fac terram esse cælum ; potes enim. *Qui facit omnia et transfert ea* (*Amos.* 5. 8) ; de Deo dictum est. Sed eamdem ille hominibus dedit potestatem : quemadmodum quis pater prolis amans et pictor non ipse solus pictor esse vult, sed filium quoque vult eamdem in artem inducere. Feci ego, inquit, corpus pulchrum, do tibi melioris creandæ rei facultatem, fac tu animam pulchram. Dixi ego, *Producat terra herbam fœni, et omne lignum fructiferum* (*Gen.* 1. 11) : dic etiam tu, Educat terra proprium fructum ; et prodibit quodcumque operari volueris. Facio æstatem et nebulam, firmo tonitru et creo spiritum, formavi draconem ad illudendum ei, id est, diabolum. Neque hanc tibi invidi potestatem : illude etiam tu, si velis ; potes enim illum ut passerem ligare. Me jubente sol oritur super malos et bonos : et tu imitare, bonis et malis tribue. Contumelia affectus id fero, et contumeliosis beneficia confero : imitare tu quoque, potes enim. Benefacio sine retributione : imitare tu quoque, nec beneficia præstes pro retributione vel mercede. Accendi luminaria in cælo : his splendidiores accende, potes enim : eos qui in errore sunt illumina : majus est illud beneficium me cognoscere, quam solem videre. Hominem non potes facere, sed justum et Deo placentem facere potes. Ego substantiam feci ; tu orna propositum. Vide quam te diligam : etiam in majoribus potestatem tibi dedi. Videte, dilecti, quanto honore dignati simus ; et quidam stulti et ingrati dicunt : Cur sumus liberi arbitrii domini? Hæc omnia, quæ recensuimus, in quibus Deum imitari possumus, nisi liberum esset arbitrium, non possemus ad Dei imitationem facere. Impero, inquit, angelis ; et tu quoque per primitias : in throno regio sedeo ; et tu sede mecum per primitias. *Conresuscitavit*, inquit, *et consedere nos fecit in dextera Patris* (*Ephes.* 1. 6). Adorant te Cherubim et Seraphim, omnis angelica virtus. Principatus, Potestates, Throni, Dominationes propter primitias. Ne accuses corpus, quod tali fruitur honore, quod tremunt etiam incorporeæ Virtutes. Sed quid dicam? non per hæc tantum, amorem exhibeo meum, sed etiam per ea quæ passus sum. Propter te sputa et alapas tuli, gloriam evacuavi, Patrem reliqui, et ad te veni, qui me odio habebas et aversabaris, nec nomen meum audire volebas ; persequutus sum et cucurri, ut te detinerem ; univi et conjunxi te mihi ; Comede me, dixi, bibe me. Et superne te teneo, et inferne complector. Non satis tibi est quod primitias tuas superne habeam? hoc desiderium non consolatur? rursum in terram descendi, non solum tecum misceor, sed etiam te complector : comedor, in frusta concidor, ut multa sit commixtio et unio. Quæ enim uniuntur, in suis terminis stant ; ego autem tecum contexor. Nolo ut deinceps quid medium intercedat ; utraque unum esse cupio. Hæc ergo cum sciamus, et ejus erga nos providentiam et curam, omnia faciamus quæ nos ostendere possint magnis ejus donis non indignos : quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

CAP. 5. v. 21. *Testor coram Deo et Christo Jesu et electis angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.* 22. *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi.* 23. *Noli adhuc aquam bibere, sed vino modico utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates.*

1. Postquam dixerat de episcopis, de diaconis, viris et mulieribus, de viduis, de presbyteris, deque aliis omnibus, et ostenderat quorum esset dominus episcopus, cum de judicio dissereret, adjunxit : *Testor coram Deo et Domino nostro Jesu Christo et electis angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.* Et terribiliter demum admonet : non enim, quia Timotheus erat dilectus filius, reveritus est. Qui enim de seipso non erubuit dicere, *Timeo ne, cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar*, (1. *Cor.* 9. 27), multo minus de Timotheo

veritus est, nec erubuit dicere. Sed et Patrem et Filium recte accipit in testimonium; cur autem etiam electos angelos? Per summam modestiam: siquidem et Moyses ita ait: *Contestor vobis cœlum et terram* (*Deut.* 4. 26), per summam moderationem Domini; et rursus, *Audite valles, fundamenta terræ* (*Mich.* 6. 2). Vocat autem dictorum suorum testem Patrem et Filium, in futurum diem sese purgans ipsis, si quid præter debitum ageretur, utpote qui omnia exuerit. *Ut hæc,* inquit, *facias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.* Hoc est, ut communem et æquum iis, qui judicandi sunt, te exhibeas; ut te nemo præoccupet, neque ad suas partes trahat. Quinam vero sunt electi angeli? Quia quidam non tales erant? Et Jacob quoque Deum accipit proprium testem, et collem. Sic et nos quoque et majores simul et minores personas in testimonium accipimus: ita magna res est testimonium. Ac si diceret: Testes advoco Deum et Filium ejus et servos ejus, quod præceperim tibi: coram ipsis præcipio tibi. Terret Timotheum. Et postquam hoc dixit, quod maxime opportunum erat addidit, et quod inprimis continet Ecclesiam, nempe de ordinationibus. *Manus cito,* inquit, *nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Quid est, *Cito?* Non post primam probationem, nec post secundam vel tertiam, sed postquam sæpius circumspexeris, et accurate examinaveris: neque enim ea res periculo vacat. Nam peccatorum ejus tam præteritorum quam futurorum tu quoque pœnam dabis, qui illi dignitatem dedisti. Qui enim ipsi intempestive prima remisisti, futuris quoque obnoxius eris, ut qui in causa sis eorum, cum dignitatem illi contuleris; et præteritorum, quia non sivisti eum illa lugere, et compungi. Ut enim recte factorum consors es, ita et peccatorum. *Teipsum castum custodi.* De continentia hic loquitur. *Noli adhuc aquam bibere; sed vino modico utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates.* Si autem viro ita jejuniis dedito, qui tanto tempore aqua ad potum usus fuerat, ut infirmaretur, etiamque frequenter male haberet, præcepit esse castum, neque ille monita rejicit: multo magis nos, cum ab aliquo monitum accipimus, non debemus moleste ferre. Cur itaque ejus stomachum non roboravit? Non quod non posset, sed magnum quidpiam ita providens: nam is cujus vestimenta mortuos suscitabant, perspicuum est hoc etiam facere potuisse (*a*). Cur ergo non fecit? Ut si nunc videamus magnos viros et virtute præditos infirmantes, non scandalizemur: etenim illud etiam utiliter factum est. Si enim ipsi datus est angelus satanæ, ut non extollerctur (2. *Cor.* 12. 11), multo magis Timotheo: poterant enim signa in arrogantiam tollere. Ideo medicinæ legibus illum servire permittit, ut et ipse modeste sentiret, et alii non scandalizarentur, et discerent, illos cum ejusdem essent nobiscum naturæ, sic tamen adeo præclara opera edidisse. Præterea videtur autem mihi aliunde etiam illum ægritudinibus fuisse subjectum; hoc indicat Paulus, memorans frequentes infirmitates, stomachum et alia. Neque tamen permittit illi ut vino sese ingurgitet, sed quantum ad valetudinem, non ad delicias, juvaret. 24. *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium; quosdam autem et subsequuntur.* Quoniam de ordinationibus dicebat, *Ne communices,* inquit, *peccatis alienis;* quid igitur, si ignorem, inquit? *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ipsos ad judicium; quosdam autem et subsequuntur.* Quorumdam, inquit, manifesta sunt quia præcedunt; quorumdam non, sed sequuntur. 25. *Similiter bona opera manifesta sunt, et quæ se aliter habent abscondi non possunt.* (*Cap.* 6) 1. *Quicumque servi sub jugo sunt, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Dei et doctrina blasphemetur. Omni honore,* inquit, *dignos arbitrentur.* Ne enim, quia fidelis es, liberum te esse putes: hoc libertas est, magis servire. Infidelis enim, si viderit illos propter fidem altum sapere, sæpe blasphemabit, ac si dogma sit seditionis causa: si autem viderit illos morigeros, citius credet, magis dictis attendet. Etenim illis non obsequentibus, futurum est ut et Deus et prædicatio blasphementur. Quid ergo, inquies, si domini sint infideles? Etiam sic cedere oportet propter Dei nomen. *Qui enim fideles,* inquit, *habent dominos, non contemnant quia fratres sunt; sed magis serviant, quoniam fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt.*

2. Ac si diceret, Si tanto dignati estis honore, ut dominos fratres haberetis; ideo maxime cedere debetis. *Præcedentia,* inquit, *ad judicium;* id est, cum mala opera, alia hic lateant, alia non; illic vero nec mala nec bona latere possunt. Quid sibi vult illud, *Præcedentia ad judicium?* Ut cum quis peccata admiserit, quæ jam illum condemnent, cum quis corrigi nequit, cum quis sperat se corrigi posse, nihilque boni interim operatur. Cur et qua de causa hoc dictum fuit? Quoniam, etiamsi quidam hic lateant, illic omnia nuda et aperta erunt. Hæc autem magna est consolatio iis qui recte se gerunt. Deinde quia dixit, *Nihil faciat in alteram partem declinando;* ut illud interpretaretur, necessario subjungit illud, *Quicumque sunt sub jugo servi.* Et quid hoc ad episcopum attinet, inquies? Multum plane: ut moneat, ut et illos doceat. Et recte hic quoque de his præcipit. Etenim videmus illum ubique servis magis quam dominis imperantem, et subjectionis modos monstrantem, magnamque illorum rationem habentem. Servos igitur ut cum mansuetudine multa subjiciantur admonet: dominos vero ut timorem mitigent hortatur, *Remittentes,* inquit, *minas* (*Ephes.* 6. 9). Et cur hæc præcipit? jure quidem, si de infidelibus agatur: neque enim debuit eos qui non attenderent alloqui: si de fidelibus, quare? Quia majora a domino servis inferuntur, quam a servis domino. Illi enim aurum impendunt, et ad necessaria subministranda, et ad

(*a*) Abhinc per mediam ferme paginam, omnia diverse jacent in Codice nostro; ita ut cum sententia eadem sit, verba, tropi, et phrasium ordo commutetur. Incredibilis certe fuit in multis Chrysostomi operibus amanuensium licentia.

vestimenta emenda, et aliorum omnium curam habentes. Itaque majorem servitutem servis præstant domini : id quod etiam hic subindicavit dicens, *Quoniam fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt.* Laborant multum pro quiete vestra ; annon ergo debent a servis honore affici ? Si autem a servis tantam obsequentiam exigit, cogitate quo nos affectu erga Dominum debeamus esse, qui nos de nihilo produxit, enutrivit, induit. Si non alio modo, saltem ut nobis servi nostri, sic illi serviamus. Nonne totam illi vitam transigunt ad requiem dominorum curandam, et omne illorum negotium, omnis vita in eo est ut rebus Domini provideant ? Nonne totum diem Domini sui rebus adscribunt, suis autem, partem vesperarum tantum ? Nos vero contra, nostra semper, quæ autem Domini sunt pauco tempore ; idque cum ille obsequio nostro non egeat, ut domini servis egent, sed cum hæc officia etiam in lucrum nostrum cedant. Illic enim ministerium famuli herum juvat ; hic autem ministerium famuli Domino nihil, famulo lucrum refert. *Bonorum enim*, inquit, *meorum non eges* (*Psal.* 15. 2). Dic enim mihi, quid Deo lucri, si ego justus sum ? quid damni, si injustus ? nonne immortalis est illa natura, nonne damni expers ? nonne omni superior passione ? Famuli nihil proprium habent, sed omnia domini sunt, quantumlibet illi divites fiant : nos autem plurima propria habemus, nec sine causa talem honorem accepimus ab universorum Rege. Quis herus pro famulo filium dedit suum ? Nullus ; sed mallent omnes famulos dare pro filiis. Hic vero contra, Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, pro inimicis, qui ipsum oderant. Famuli etiamsi onerosa quædam ipsis imperentur, non indigne ferunt, maxime vero si grati fuerint ; nos autem innumera moleste ferimus. Famulis nihil tale promittit herus, quale Deus nobis ; sed quid ? libertatem præsentem, quæ sæpe ipsa servitute molestior est. Sæpe namque fames invasit, et servitute amarior libertas illa fuit : et donum illud maximum. Apud Deum autem nihil temporaneum est, nihil corruptibile ; sed quid ? Vis discere ? audi. *Non jam dicam vos servos*, inquit : *vos amici mei estis* (*Joann.* 15. 15).

Moralis exhortatio. — Erubescamus, dilecti, timeamus : saltem ut servi heris serviunt, nos Domino serviamus ; imo vero vel minimam servitutis illius partem nos ostendimus ? Illi necessitate coacti philosophantur, tegumenta solum et victum habentes : nos autem innumera vel habentes, vel sperantes, benefactori propter delicias injuriosi sumus. Si non aliunde, saltem ab illis philosophiæ normam accipiamus. Solet quippe Scriptura non ad servos, sed ad bruta animalia homines mittere : ut cum apem, ut cum formicam jubet imitari. Ego vero saltem servos imitari rogo : quæcumque illi ob timorem nostri faciunt, ea nos propter Dei timorem faciamus : non enim hoc vos facere comperimus. Illi ob timorem nostri millies contumelia afficiuntur, et magis quam philosophi silentes stant : juste et injuste probro afficiuntur, et non contradicunt, sed precantur, sæpe etiam cum nihil mali fecerint. Non plus accipientes quam necessarium sit, sæpe etiam minus, contenti sunt ; et cum in strato cubant, solo pane repleti, reliqua vilia nacti, non accusant, non indigne ferunt, nostri timore coerciti ; si pecuniæ ipsis credantur, integras illas reddunt (ne mihi improbos servos dixeris, sed eos qui non admodum mali sunt) ; si comminemur, statim reprimuntur. Annon hæc vere philosophia sunt ? Ne mihi dixeris hæc ex necessitate fieri, quia tibi quoque instat gehennæ necessitas ; et ne sic quidem resipiscis, neque tantum Deo præstas honorem quantum a servis recipis. Habet quilibet servus constitutum habitaculum, nec proximi domicilium invadit, neque plura habendi cupiditate corrumpitur. Et hoc viderit quispiam in servis ob heri timorem observari ; raroque videris servum a servo quædam abripere vel perdere. Apud homines autem liberos contraria cernas : mordemus, devoramus, non timemus Dominum, conservorum bona rapimus, furamur, percutimus, ipso vidente. Hoc autem servus non fecerit ; sed sive cædat, non vidente hero ; si convicietur, illo non audiente id facit : nos autem, Deo omnia et vidente et audiente, audemus. Heri metum semper illi ob oculos habent ; nos Domini metum numquam. Ideo omnia sus deque vertuntur, omnia confunduntur et labefactantur : et nos de peccatis nostris ne cogitamus quidem ; si servi vero nostri delinquant, accurate omnia vel minima examinamus. Hæc dico non ut domesticos supinos reddam, sed ut nostrum supinum animum convertam, ut negligentiam excitem ; ut vel sic serviamus Domino, sicut famuli nobis serviunt ; sic illi qui eos efformavit, ut nobis qui ejusdem sunt substantiæ, et cum nihil tale a nobis acceperint. Natura liberi ipsi quoque sunt : *Dominentur piscibus* (*Gen.* 1. 26), dictum est illis quoque. Non est hæc naturalis servitus, sed ex causa et occasione nata ; tamenque magno nos honore prosequuntur. Nos autem his cum magna accuratione insistimus ministerii nostri gratia, Deo autem ne minimam quidem ministerii partem præbemus, cum tamen tota inde utilitas ad nos vertatur. Quanto enim studiosius Deo servierimus, tanto majora emolumenta referemus. Ne nos tanta utilitate privemus : Deus enim sibi sufficit, nulloque eget ; merces autem et lucrum ad nos redit. Quasi ergo non Deo, sed nobis ipsis ministrantes, ita simus affecti, obsecro, et serviamus illi cum timore et tremore, ut promissa bona consequamur in Christo Jesu Domino nostro, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVII.

CAP. 6. v. 2. *Hæc doce et exhortare.* 3. *Si quis aliter docet, et non accedit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ,* 4. *inflatus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidia, contentio, blasphemiæ, suspiciones malæ,* 5. *conflictiones hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. Discede autem ab hujusmodi.* 6. *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia.* 7. *Nihil enim intulimus in hunc mundum : haud dubium quod nec auferre quid possumus.*

1. *Doctoris officium. Superbia ex ignorantia nascitur.* — Non solum auctoritate doctori opus est, sed etiam lenitate multa, sicut nec lenitate tantum, sed etiam auctoritate. Et hæc omnia docet beatus Paulus, modo, dicens, *Præcipe ista et doce* (1. *Tim.* 4. 11) ; modo *Hæc loquere et exhortare.* Si enim medici ægrotos exhortantur, non ut ipsi sanitatem assequantur, sed ut illos ab ægritudine liberent et jacentes erigant ; multo magis sic agendum nobis erga discipulos, illosque adhortari oportet. Neque enim servus eorum esse recusat beatus Paulus, cum dicit, *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Christum Jesum, nos autem, servos vestros propter Jesum* (2 *Cor.* 4. 5) ; et rursus, *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo* (1. *Cor.* 3. 22). Et hanc libentissime subit servitutem : neque enim servitus est, sed ipsa libertate præstantior. *Ille* namque, ait, *servus est, qui facit peccatum* (*Joan.* 8. 34). *Si quis aliter docet et non accedit sanis sermonibus Domini Jesu Christi, et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, inflatus est nihil sciens.* Non igitur scientia in superbiam extollit, sed potius ignorantia. Qui enim pietatis sermones scit, ille maxime modeste agere novit : qui sanos callet sermones, non infirmatur. Nam quod in corporibus tumor est, hoc in animabus arrogantia ; sicut illic quod tumidum est non bene valere dicimus, ita et hic arrogantes. Fieri ergo potest ut sciens quispiam, nihil sciat : qui enim nescit ea quæ oportet, ille nihil scit. Quod autem ex ignorantia superbia nascatur, hinc liquet : Christus semetipsum exinanivit (*Philip.* 2. 8) : ergo qui hoc scit numquam altum sapiet : nihil quippe habet homo, nisi a Deo acceperit : ergo non altum sapiet. *Quid enim habes quod non accepisti* (1. *Cor.* 4. 7)? Ille pedes lavit discipulorum. Qui hoc scit, quomodo extolletur? Ideo ait, *Cum omnia feceritis, dicite, Servi inutiles sumus.* Publicanus ex sola humilitate placuit, Pharisæus ex arrogantia periit. Qui igitur inflatus est, horum nihil novit. Ipse rursum Christus ait : *Si male loquutus sum, testimonium perhibe de malo ; si autem bene, cur me cædis* (*Joan.* 18. 23)? *Sed languens,* inquit, *circa quæstiones.* Ergo languere et quærere. *Et verborum pugnas :* merito sane. Quando enim anima cogitationum febre ardet, quando tempestate jactatur, tunc quærit : cum autem in sanitate est, tunc non quærit, sed fidem accipit. Ex quæstione autem et verborum pugna nihil inveniri potest. Quæ enim fides sola pollicetur, quæstio cum susceperit, neque ostendit, neque intelligere sinit. Neque enim si quis clausis oculis quæsitum quidpiam invenire velit, id poterit ; sive etiam si apertis oculis se suffodiat, et solarem radium aversus quærat, invenire non poterit. Sic sine fide nihil invenitur, sed necesse est pugnas inde nasci. *Ex quibus oriuntur blasphemiæ, suspiciones malæ.* Hoc est, opiniones et perversa dogmata ex quæstione pariuntur. Tunc de Deo quæ non oporteret suspicamur, cum in quæstiones incidimus. *Conflictationes ;* id est, otium, vel confricationes. Aut hoc vult dicere : sicut scabiosæ oves, si cum aliis confricentur, etiam sanas morbo replent : sic et improbi viri. *Et qui veritate privati sunt,* inquit, *existimantes quæstum esse pietatem.* Viden' quanta parere dicat verborum pugnas? turpe lucrum, ignorantiam, arrogantiam : nam arrogantiam parit ignorantia. *Discede ab his,* inquit. Non dixit, Cum his congredere, sed, *Discede ;* hoc est, Horum te pudeat. *Hæreticum* enim, inquit, *hominem, post unam aut alteram admonitionem devita* (*Tit.* 3. 10). Ostendit eos non tam ex ignorantia, quam ex segnitie in ignorantia esse. Hominibus enim, qui pecuniæ causa pugnant, quando persuadere poteris? Alioquin illis non persuadebis, nisi rursum dederis : neque sic illorum cupiditatem explebis : *Avari* enim, inquit, *oculus non impletur parte* (*Eccli.* 14. 9). Oportet igitur eos, utpote incorrigibiles, pudore suffundi. Quod si enim ei, cui magna est pugnandi necessitas, suadet non cum hoste convenire, quanto magis nobis discipulis. Cum dixisset autem illos existimare pietatem esse quæstum, subjunxit : *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia ;* non si pecunias habeat, sed si non habeat. Ne enim in tristitiam paupertatis causa incideret, excitat illum et erigit : Existimant, inquit, quæstum esse. Est utique, sed non sic, verum majori modo. Deinde cum prius illam dejecisset, tunc hanc erigit. Quod autem nihil sit hic quæstus, palam est eo quod hic maneat, nec cum nobis demigret et maneat. Undenam id probatur? Quoniam nihil habentes venimus in mundum, et nihil habentes discedimus : nuda enim natura venit, nuda discedit. Itaque non superfluis nobis est opus : si nihil intulimus, nihil habentes abibimus. 8. *Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti erimus.* Tot et talia comedenda sunt, quæ nutrire valeant ; talia induenda qua tegere tantum valeant et nuditatem occultare, nihil superfluum sit : hoc autem vel vilis vestis facere potest. Deinde a præsentibus rebus avertit : 9. *Qui autem volunt divites fieri,* inquit.

2. Non simpliciter dixit, Qui divites sunt ; sed, *Qui volunt fieri.* Potest enim aliquis pecunias habens, illas recte dispensare, despicere, et pauperibus

erogat. Non tales ergo viros improbat, sed cupidos. *Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa stulta et nociva, quæ mergunt homines.* Recte dixit, *Mergunt*, ita ut educi nequeant. *In interitum et perditionem.* 10. *Radix enim omnium malorum est avaritia, quam quidam appetentes, erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.* Ecce duo ponit; sed quod illis fortius videbatur, hoc postremum posuit, *Doloribus multis :* quod solus discere potest qui divitibus vicinus est, quam nempe doleant, quam sortem suam deplorent. 11. *Tu autem, o homo Dei.* Magna dignitas : omnes enim homines Dei sunt, sed proprie justi, non creationis ratione tantum, sed etiam familiaritatis. Si homo Dei es, inquit, ne quæras superflua, et quæ ad Deum non ducunt; sed *Hæc fuge, sectare autem justitiam.* Utrumque cum intentione. Non dicit, Discede, et accede; sed, *Fuge, et sectare justitiam,* ne habendi cupiditate tenearis. *Pietatem*, in dogmatibus; *fidem*, quæ contraria est quæstioni; *caritatem*, *patientiam*, *mansuetudinem.* 12. *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam.* Ecce mercedem. *Ad quam vocatus es, et confessus es bonam confessionem, in spe vitæ æternæ, coram multis testibus.* Hoc est, Ne te pudeat de illa fiducia : quid frustra laboras? Qualem tentationem et laqueum subire dicit eos qui divites esse volunt? Illos a fide errare curat, in pericula conjicit, minusque audaces reddit. *Et desideria stulta*, inquit. Quomodo non stultum desiderium fuerit, cum stultos habeant, cum nanos, non humanitatis, sed obsecrationis causa? cum pisces includant in aulis, cum feras nutriant, cum circa canes versentur, equos ornent, ac puerorum instar illorum affectu teneantur? Hæc omnia stulta sunt et superflua; nihil necessarium, nihil utile. *Desideria*, inquit, *stulta et nociva.* Quænam autem nociva? Quando amoribus absurdis student, quando quæ proximi sunt concupiscunt, et voluptati summe student, quando in ebrietatem se conferunt, quando cædes et aliorum perniciem appetunt. Multi ex talibus amoribus tyrannidem invadendo perierunt. Revera qui talis est pro inutilibus laborat; imo vero pro noxiis Et recte dixit, *Erraverunt a fide :* non enim sinit eos viam videre avaritia in se oculos attrahens, et sensim subducens. Ut enim aliquis in recta via incedens, et aliud in animo habens, pergit quidem, sed non advertens, præterit urbem illam ad quam ibat, pedibus temere ac frustra trahentibus : tale quid est avaritia. *Et inseruerunt se doloribus multis.* Viden' quid subindicet, *Et inseruerunt se?* Hoc autem hac emphasi vult significare : spinæ sunt desideria illa; et sicut si quis spinas tangat, manus illæ cruentant et vulnera faciunt : idipsum a cupiditate patitur qui in illam incidit, et animam doloribus afficit. Quot curas, quot dolores habent, qui se in illis inseruerunt, vix dici potest. Ideo dicit, *Hæc fuge, sectare justitiam, fidem, dilectionem, patientiam, mansuetudinem.* A caritate enim mansuetudo oritur. *Certa bonum certamen.* Hic ejus fiduciam et fortitudinem laudat : quia cum fiducia, inquit, in omnibus confessus est. In memoriam quoque ipsi revocat catechesin : *Apprehende*, inquit, *vitam æternam.* Non ergo confessione tantum opus est, sed etiam patientia, ita ut semper in confessione maneatur, etiamsi certamen magnum et multi sudores instent, ut non subvertantur : multa enim sunt scandala, multa impedimenta. Ideo arcta et angusta via est. Undique ergo munitum esse oportet, undique accinctum ad pugnam : undique enim innumeræ visuntur voluptates trahentes animæ oculos; voluptates corporum, pecuniarum, deliciarum, pigritiæ, gloriæ, iræ, potentiæ, ambitionis : videnturque pulchrum aspectum offerre et amabiles esse, quæ possint allicere eos qui ipsas admirantur, qui veritatem non multum amant : hæc quippe severa est, et nihil voluptatis habet. Quare? Quia voluptatem omnem in futuro promittit : illæ vero jam offerunt honores, voluptates, quietem, non vera isthæc, sed fucata. Si quis ergo illiberalis sit, mollis, ignavus, illis hærebit, missis omnibus pro virtute laboribus. Sic etiam in externis certaminibus, ei qui coronas non multum desiderat, licet statim conviviis et ebrietati se dedere : sic faciunt ignavi ac timidi pugiles : qui vero ad coronas respiciunt, innumeras ferunt plagas; spe namque futurorum aluntur et excitantur.

3. *Avaritia radix malorum.* — Fugiamus itaque radicem malorum, et illa omnia vitabimus. *Avaritia est radix*, Paulus loquutus est; imo Christus per Paulum. Videamus autem quomodo. Ipsa rerum experientia testatur. Quid enim mali per pecunias non invectum est? imo non per pecunias, sed per malam voluntatem eorum qui ipsis uti nesciunt? Nam licebat pecuniis recte uti, licebat regnum per illas possidere : nunc vero quæ data sunt in subsidium pauperum, ad liberationem peccatorum, ad gloriam et beneplacitum Dei, his utimur contra miseros pauperes, imo contra animam nostram et ad offensionem Dei. Illi enim pecuniam abstulit aliquis, et in paupertatem conjecit, se ipsum autem in mortem; hunc que sic ille hic inopia attenuat, seque ipsum æterno supplicio parat. Num hæc paria sunt? Quid mali hæc non faciunt? annon hinc habendi cupiditates? annon rapinæ? annon gemitus, inimicitiæ, pugnæ, contentiones? annon usque ad mortuos manus extendunt? annon usque ad patres et fratres? annon leges naturæ, Dei præcepta et omnia subverterunt hac cupiditate concitati? annon tribunalia illorum causa sunt constituta? Tolle itaque pecuniarum amorem, et cessabit bellum, cessabunt pugnæ, inimicitiæ, lites et contentiones. Oporteret avaros tamquam perniciosos et lupos ex orbe pelli. Quemadmodum enim venti quidam vehementes et contrarii in tranquillum pelagus incidentes, ab imo illud totum subvertunt, ita ut arena profundior supernis fluctibus commisceatur : sic auri cupidi omnia susque deque vertunt. Nullum auri cupidus novit amicum :

quid autem dico amicum? nec ipsum novit Deum; furit enim ab hac cupiditate detentus. Non videtis Titanas illos ferro instructos accedere? Sunt illa figmenta vesaniæ. Illi vero non tales, sed vere furentes et insani: si illorum detegas animam, sic illam instructam videbis, non unum nec duos, sed innumeros tenentem gladios, nullum agnoscere, contra omnes furere, in omnes insilientem, adversus omnes latrantem, non canes, sed humanas animas necantem, et adversus cælum admodum blasphemantem. Ab his omnia subversa sunt, omnia ex divitiarum rabie perierunt. Nam quos accusem nescio: sic illa pestis omnes invadit, alios plus, alios minus, sed omnes pene. Et sicut flamma vehemens in silvam incidens omnia pessumdat et desolatur: ita et illa orbem subvertit: reges, principes, privati, pauperes, mulieres, viri, pueri, omnes æque hoc detinentur malo velut caligine quadam in orbem effusa, nemo resipiscit; sed criminationes innumeræ et privatim et publice emittuntur, sed nulla usquam emendatio est. Quid ergo fieri possit? quomodo flammam exstinguemus? Potest enim exstingui, etiamsi ad cælum usque tollatur: velle solum oportet, et flammam superabimus. Ut enim ex voluntate aucta est, sic ex voluntate tolletur. Annon voluntas nostra illam excitavit? Eamdem ergo exstinguere poterit; velimus tantum. Quomodo voluntas aderit? Si quam sit inanis et superflua videamus: quod illæ nobiscum non possint in alteram vitam transire, quod etiam hic interdum nos deserant: quod ipsæ quidem hic maneant; sed vulnera ab iis illata nobiscum illo transeant: si videamus multas illic divitias esse: si enim has conferamus cum illis, cœno viliores videbuntur: si consideremus illas mille periculis esse obnoxias, voluptatem habere temporaneam, mœroribus mixtam: si illas æternæ vitæ divitias accurate contemplemur, sic has poterimus contemnere: si videamus quod nihil illæ nos juvent ad gloriam, ad sanitatem vel ad aliquid aliud, sed contra in exitium præcipitent: si discas te divitem hic esse et multos habere subditos; sed postquam illo migraveris, te desertum ac nudum fore. Si hæc frequenter proferamus, et ab aliis audiamus, fortassis erit sanitas mentis, et ab illo gravi supplicio liberabimur. Pulchra est margarita? sed cogita marinam esse aquam et in ejus sinu olim jacentem. Pulchrum est aurum et argentum? sed cogita illa fuisse et esse terram et cinerem. Pulchra sunt serica vestimenta? sed vermium sunt textura: opinio hæc humana est, non natura pulchritudinem habet. Nam quæ natura sunt pulchra, doctore non egent. Tu vero si videris nummum æneum deauratum, primo miraris aurum putans; cum autem periti fraudem te docuerint, cum fraude ipsa admiratio avolat. Viden' aurum non natura pulchritudinem habere, ut neque argentum? Nam si stannum videris, ut argentum miraris, ut æs pro auro habuisti, et opus est doctoribus ut quid æstimandum sit discatur. Ita non sufficiunt nobis oculi ad res cognoscendas. Flores autem non hujusmodi sunt, sed illis longe præstant. Si rosam videris, non opus habes doctore, sed per teipsum scis illam ab anemone distinguere; violas quoque et lilia aliosque flores. Nihil ergo aliud est illud, quam præjudicata opinio, et hoc est ille perniciosus morbus. Age, dic mihi, si Imperatori placeret legem ponere ut argentum esset pretiosius auro, annon continuo admirationem et amorem mutaretis? usque adeo ubique avaritiæ atque opinioni servimus. Et quod res ita se habeat, ex raritate quoque res quædam, et non ex natura æstimantur: sunt fructus apud nos viles, qui in Cappadocia sunt pretiosi; et ex iis qui apud nos in pretio sunt, quidam pretiosiores adhuc sunt in Serorum regione (*a*), unde nobis hæc vestimenta veniunt. In Arabia aromatum ferace, et in India ubi sunt lapides pretiosi, multa hujusmodi reperire est. Sic præjudicata opinio, sic existimatio humana sunt res hujusmodi; nihil cum judicio facimus, sed temere omnia et casu. Resipiscamus igitur tandem ex hujusmodi temulentia: videamus quid vere bonum, quid natura bonum sit, pietatem nempe et justitiam, ut promissa bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri simulque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Serorum regio inter Sinas, ut aiunt, et Scythiam, unde sericorum usus advectus fuit.

HOMILIA XVIII.

Cap. 6. v. 13. *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Domino Jesu Christo qui testificatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem,* 14. *ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi:* 15. *quem temporibus suis ostendet beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium,* 16. *qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, neque videre potest: cui honor et imperium æternum. Amen.*

1. Rursus Deum advocat testem, ut paulo antea, simul et metum augens et tutiorem reddens discipulum, ostendensque non humana esse præcepta, ut ab ipso Domino mandatum accipiens, semperque testem in mente habens eum a quo audierat, hac memoria animum commoveret. *Præcipio tibi,* inquit, *coram Deo qui vivificat omnia.* Hic et solatium est adversus pericula, et resurrectionis commemoratio. *Et Christo Jesu,* inquit, *qui testificatus est sub Pontio Pilato.* Rursum a magistro adhortationem incipit: hoc autem vult significare: Sicut ille fecit, inquit, ita et vos facere oportet. Ideo enim testificatus est, ut illum e vestigio sequamur in bona confessione: quod ipsum in Epistola ad Hebræos facit, dicens: *Intuentes ad fidei auctorem et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione*

contempta, atque in dextera sedis Dei sedet ; ac rursus, *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem ? ut ne fatigemini animis vestris deficientes* (*Hebr.* 12. 2. 3). Ita et nunc se gerit erga discipulum : ac si diceret, Ne timeas mortem ; Dei namque servus es, qui omnia vivificare potest. Quam vero dicit bonam confessionem ? Quam interrogante Pilato, *Ergo Rex es tu ?* dedit ille dicens, *Ego in hoc natus sum ;* et rursum, *Ego veni ut testimonium perhibeam veritati* (*Joan.* 18. 37). Ecce hi me audierunt. Vel ideo sic loquitur ; vel quia dixit, interrogatus an Filius Dei esset, *Tu dixisti, qui Filius Dei sum ego* (*Luc.* 22. 70) : ac multa alia testificatus et confessus est. *Ut serves mandatum sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi ;* hoc est, usque ad mortem, usque ad exitum. At non ita dixit, sed, *Usque in adventum*, ut magis illum excitaret. Quid est, *Ut serves mandatum sine macula ?* Ut neque in dogmatibus neque in vitæ ratione aliquid maculæ contrahas. *Quem temporibus suis ostendet*, inquit, *beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, lucemque habitat inaccessibilem.* De quonam hæc dicta sunt ? an de Patre, an de Filio ? Prorsus de Filio. *Quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens.* Et hæc rursus ad consolationem, ut ne miraretur vel timeret terrenos reges. *Temporibus suis ;* hoc est, congruentibus, debitis ; ut non ægre ferret, quod nondum venisset. Et undenam liquet illum ostensurum esse ? Quod sit potens ; solus enim est potens. Igitur ostendet ille beatus, et ipsa beatitudo. Hoc autem dixit, significans nihil ibi triste, nihil injucundum esse. Illud autem, *Solus*, dixit, vel ad differentiam hominum, vel quod ille sit ingenitus : quod etiam nos sæpe de hominibus dicimus, quos extollere volumus. *Qui solus habet immortalitatem*, inquit. Quid ergo ? an Filius non habet ? annon ipsa immortalitas est ? cum ejusdem sit cum Patre substantiæ ? *Lucem inhabitans inaccessibilem*, inquit. Aliane lux ipse est, et alia illa in qua inhabitat ? ergo loco circumscribitur ? Absit. Non ut hoc cogitaremus, sed ut incomprehensibilem divinam naturam declararet, dixit illum lucem inaccessibilem habitare, sic de divinis loquens ut poterat. Viden' linguam cum aliquid magnum proferre vult, quam infirma sit ? *Quem nullus hominum vidit, neque videre potest ; cui honor et imperium æternum. Amen.* Congruenter hic et necessario de Deo loquutus est. Quia enim illum testem induxerat, multa de teste disserit, ut magis discipulum excitet. Hoc est, gloria ipsi : hoc tantum dicere possumus, hoc facere, non curiose inquirere quisnam sit. Si ergo imperium ejus æternum est, ne timeas, etiamsi nunc non fiat, semper honor ipsi, semper imperium. 17. *Divitibus in hoc sæculo præcipe non sublime sapere.* Pulchre dixit, *In hoc sæculo :* sunt enim etiam alii divites in futuro. Hæc porro monita dat, quod sciat nihil ita fastum, arrogantiam et superbiam gignere, ut opes. Deinde protinus illos avertit dicens : *Neque sperare in incerto divitiarum.* Hinc enim arrogantia gignitur, ut contra qui in Deo sperat, non extollitur. Quid in illam rem speras quæ repente transfertur ? id quippe divitiæ sunt : et cur in illis spem ponis, quibus confidere non potes ? Quomodo autem poterunt non altum sapere, inquies ? Si videant has divitias esse instabiles, non firmas ? si videant, quam omnes opes exsuperet firma spes in Deum, si intelligant harum quoque auctorem esse Deum. *Sed in Deo vivo*, inquit, *qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum.* Pulchre dixit, *Omnia abunde*, conversiones annuas subindicans, aerem, lucem, aquam, cætera omnia. Viden' quam affluenter et cum quanta copia præbeat ? Si divitias quæris, illas quære manentes, firmas, quæ ex operibus bonis oriuntur. Hoc autem ille declarans, 18. *Benefacere*, inquit, *divitem fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare.* Aliud opum, aliud caritatis est : communicare, affabiles esse, inquit, et mansuetos. 19. *Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum.* Illic nihil incertum est : ubi autem firmum est fundamentum, ibi nihil instabile, sed omnia firma, immota, inconcussa, perpetua. *Ut apprehendant*, inquit, *vitam æternam.* Bonorum enim operum exercitium ut ea perfruamur efficere potest. 20. *O Timothee ; depositum custodi.* Ne imminuas illud : non sunt isthæc tua, aliena tibi credita sunt : ne minuas illa. *Devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ.*

2. *Non humanæ scientiæ sed fidei adhærendum. Humanarum rerum fluxa conditio.* — Recte sic dixit. Ubi enim fides non est, ibi scientia non est : quando aliquid ex propriis cogitationibus gignitur, scientia non est. Vel fortassis hoc dicit, quia nonnulli se Gnosticos vocabant, sive scientes, quasi plus quam cæteri scirent. *Quam quidam promittentes*, inquit, *circa fidem exciderunt.* Vides quomodo rursus admoneat, ne cum illis congrediatur ? *Devitans*, inquit, *oppositiones.* Sunt ergo oppositiones quibus ne respondere quidem oportet. Quare ? Quia dejiciunt a fide, quia non sinunt firmiter fortiterque stare. Ne ergo huic scientiæ hæreamus, sed fidei, petræ firmæ et infractæ. Neque enim flumina, neque venti, si irruant, nobis malum inferre poterunt : stamus enim supra petram inconcussi. Ita in hac quoque vita, si illud verum fundamentum eligamus, stamus nihil mali patientes. Qui illas divitias eligit, nihil grave patietur ; qui claritatem illam, qui gloriam, honorem et voluptatem illam sectatur, semper stabit : omnia illa firma sunt, nulla mutatio ; præsentia autem cuncta variant et mutationi obnoxia sunt. Quid enim vis ? gloriam ? *Non descendet*, inquit, *cum illo gloria ejus* (*Psal.* 48. 18) : sæpe etiam viventes deserit. Non talia vero sunt quæ ad virtutem spectant, sed omnia manent. Hic porro qui a magistratu gloriosus est, alio magistratum excipiente vilis efficitur, et ex subditis unus : dives, aut latronibus invadentibus, aut sycophantis et insidiatoribus, repente fit pauper. At nostra hujusmodi non sunt : sanctus si advigilet, nemo virtutem ejus labefactare poterit : eum qui

sibi ipsi dominetur, nemo privatum aut subditum facere poterit. Quod enim hic principatus major sit illo, perquisitione facta disce. Quid juvat, oro, omnibus imperare gentibus eum qui passionum sit servus? Quod damnum, nemini imperare, et passionum tyrannide superiorem esse? Hoc libertas est, hoc imperium, et regnum et potentia : illa vero servitus sunt, etiamsi quis mille diadematibus sit coronatus. Cum enim intus illi dominorum multitudo imperet, avaritia nempe, libido, ira et alii affectus, quæ illi ex diademate utilitas? Major est passionum tyrannis, cum ne corona quidem possit illum a tali servitute liberare. Ut si apud barbaros quispiam rex factus, serviret tamen, et postea volentos illi majus ostendere imperium, neque purpuram neque diadema auferrent, sed præciperent illi et aquam secum ferre, et coquum esse, et similia ministeria exercere, ita ut sibi honorem majorem, illi ignominiam conciliarent : sic plus quam barbarus hæc vitia nobis imminent. Et qui illa despicit, ea ut barbaros deridebit; qui autem illis subjicitur, longe graviora patietur, quam a barbaris. Barbarus, cum superavit, corpus cruciat; hæc vero animam excruciant, et omni ex parte dilaniant : barbarus, cum vicit, captivum morti tradit; hæc vero futuræ morti tradunt. Solus ergo liber ille est, qui libertatem intus habet; sicut ille servus est, qui irrationabilibus succumbit affectibus. Nullus dominus, quantumvis crudelis sit, tam immania imperat : Temere, inquit, et sine causa probris affice animam tuam, Deum offende, naturam ipsam ignora; sive pater sive mater fuerit, omnem verecundiam depone, sta adversus illos. Hæc sunt avaritiæ præcepta. Sacrificia, inquit, mihi, non vitulos, sed homines. Et propheta quidem ait, *Sacrificate homines; nam vituli defecerunt* (*Osee.* 3. 2) : hæc autem non ita loquitur; sed, etiamsi vituli sint, Sacrifica homines, sacrifica illos qui nulla te injuria affecerunt : etiamsi beneficiis affectus sis, occide. Rursum, esto inimicus, communis omnium hostis circumcurrere, etiam naturæ, etiam Dei : aurum collige, non ut illo fruaris, sed ut custodias, ut majore cruciatu torquearis. Non enim fieri potest ut pecuniæ quis amans, illa fruatur : timet namque ne aurum minuatur, ne thesauri deficiant. Vigila, inquit, omnes suspectos habe, domesticos et amicos : esto alienorum custos. Si videris pauperem fame pereuntem, nihil eroga; imo si potes, ipsam illi detrahe cutem. Perjurus esto, mentire, jura, accusa, calumniare; etiamsi in ignem eundum sit, ne recuses, etiamsi mille subire mortes oporteat, si fame interire, si cum morbo certare. Annon has leges ponit avaritia? Esto petulans, impudens, inverecundus et audax, sceleratus, improbus, ingratus, insensibilis, sine amicitia, irreconciliabilis, sine affectu, parricida, fera magis quam homo. Serpentem omnem acerbitate supera, lupum omnem rapacitate, naturæ illius feritatem supera : si ad dæmonis malignitatem pervenire oporteat, ne refugias : ignora beneficium. Nonne hæc dicit, et auditur? Deus vero contraria præcipit : Esto omnibus amicus, esto mansuetus, ab omnibus dilectus, neminem temere offendas, honora patrem, honora matrem, opinione bona fruere, esto non homo, sed angelus, nihil inverecundum dixeris, nihil falsum; sed ne cogitaveris quidem : opem fer egentibus, ne in negotia te conferas rapiendo, ne sis contumeliosus, neque audax : et nemo audit. Annon juste gehenna infertur? annon merito ignis, et vermis qui numquam moritur? Quousque per præcipitia nos pellemus? quousque inter spinas incedemus? quousque nos clavis infigemus, et gratias agemus? Sævis tyrannis subditi sumus, benignumque Dominum respuimus, qui nihil molestum dicit, nihil barbarum, nihil durum, nihil inutile, sed utilia omnia, multum nobis lucri et emolumenti conferentia. Surgamus tandem, nos convertamus, nos componamus, Deum, ut oportet, diligamus, ut digni habeamur bonis promissis iis qui diligunt eum, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI
JOANNIS CHRYSOSTOMI,
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,
IN EPISTOLAM SECUNDAM AD TIMOTHEUM COMMENTARIUS.

HOMILIA I.

CAP. 1. v. 1. *Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, secundum promissionem vitæ quæ est in Christo Jesu,* 2. *Timotheo carissimo filio gratia, misericordia et pax a Deo Patre et Christo Jesu Domino nostro.*

1. Cur secundam ad Timotheum epistolam scribit? Dixerat, *Spero venire ad te cito* (1. *Tim.* 3. 14): id non licuit : consolatur illum per literas ea de re, cum ipse adesse non daretur, fortasse mœrentem, et eo quod jam ipse gubernacula suscepisset. Quamvis enim viri magni sint, quando Ecclesiæ curam suscipiunt, nova patiuntur, multis undique submersi negotiorum flu-

ctibus ; tunc vero maxime cum initium prædicationis esset, cum omnia inculta, cum omnia hostibus plena, et opposita essent. Etiam quæ hæreses erant a Judæis ortum habentes, ut etiam in priore epistola significavit. Neque tantum literis ipsum consolatur, sed ad se vocat, dicens : *Festina ad me venire celeriter ;* et, *Veniens affer libros, maxime membranas* (2. *Tim* 4. 8. 13). Videtur autem mihi hanc scripsisse epistolam cum fini proximus esset : nam ait, *Ego enim jam delibor ;* et rursus, *In priori mea defensione nemo mihi adstitit* (2. *Tim.* 4. 6. 16). His itaque recte constitutis, consolatur illum ex tentationibus suis, et ait : *Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, secundum promissionem vitæ quæ est in Christo Jesu.* Statim ab exordio animum ejus erexit. Ne mihi, inquit, præsentia pericula memores : hæc vitam nobis pariunt æternam, ubi nihil hujusmodi habetur, unde fugit dolor, tristitia et gemitus. Non enim ideo tantum nos apostolos fecit, ut pericula subiremus, sed ut etiam moreremur, ut talia pateremur. Quia enim mala sua recensere, non modo consolatio non erat, sed etiam doloris erat additamentum, statim a principio consolationem affert dicens, *Secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo Jesu.* Si autem promissio est, ne illam hic quæras : *Spes enim quæ videtur, non est spes* (*Rom.* 8. 24). *Timotheo, carissimo filio.* Non tantum, *Filio*, sed *Carissimo.* Possunt enim esse filii non dilecti ; sed non tu talis es, inquit, nec te filium voco tantum, sed filium dilectum. Quandoquidem Galatas quoque filios vocat, sed de illis dolet, *Filioli mei*, inquiens, *quos iterum parturio* (*Gal.* 4. 19). Maximum autem virtutis illius dat testimonium, cum carissimum vocat. Quomodo ? Cum enim dilectio non ex natura provenit, a virtute paritur. Qui quidem ex nobis nati sunt, non ex virtute solum diliguntur, sed etiam ex naturæ necessitate : qui vero secundum fidem dilecti sunt, non aliunde quam ex virtute : undenam enim ? maxime apud Paulum, qui nihil ex affectu proprio faciebat. Alioquin etiam cum dicit, *Carissimo filio*, ostendit se non iratum, non ipsum aspernantem vel improbantem, illum non adiisse. *Gratia, misericordia et pax a Deo Patre nostro et Christo Jesu Domino nostro.* Quæ antea, ea etiam nunc ipsi apprecatur. Et vide quomodo statim a principio sese purget, quod non venerit ipsum invisurus : nam illud, *Dum venio ;* et, *Festino venire ad te cito* (1. *Tim.* 4. 13. *et* 3. 14), mox futuri illius adventus spem faciebant. De hac igitur re sese purgat. Et causam cur non venerit non statim dicit, ut ne illum vehementi dolore afficeret : erat autem illa, quod vinctus a Cæsare detineretur : cum autem in fine discipulum ad se vocat, tunc illam profert. At a principio illum non statim in dolorum conjicit, sed spem facit fore ut illum videat. *Desidero te videre ;* et, *Festina venire ad me cito* (2. *Tim.* 1. 4 *et* 4. 8). Statim ergo a principio erigit illum et sequentia cum laude prosequitur. 3. *Gratias ago Deo, cui servio a progenitoribus in conscientia pura, quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die, 4. desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear. Gratias ago Deo*, quia memor tui sum, inquit : ita te diligo. Hoc exsuperantis caritatis est, cum quis tam ardenter amat, ut se amicitia sua exornet. *Gratias ago*, inquit, *Deo, cui servio.* Quomodo ? *In conscientia pura a progenitoribus meis.* Quia conscientia ipsius nihil noxium habebat. Alioquin etiam hic de vitæ ratione loquitur : et ubique vitæ rationem conscientiam appellat. Vel hoc sibi vult, Nihil ex bonis, quæ concupivi, propter humanam causam prodidi, ne cum persequerer quidem. Ideo ait : *Sed misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* (1. *Tim.* 1. 13). Ac si diceret, Ne suspiceris rem esse malitiam. Recte mores suos commendat, ut caritati suæ fidem faciat. Hoc autem vult significare : Nihil mentior, neque alia in mente habeo, alia dico. Itaque tunc quoque ex necessitate sese laudavit, ut in Libro Actuum significatur. Cum enim illum ut seditiosum et novatorem calumniarentur, ideo dicebat ; *Et dixit Ananias ad me : Deus patrum nostrorum præordinavit te scire voluntatem suam et videre justum, et audire vocem ex ore ejus, quoniam testis illi eris ad omnes homines eorum, quæ vidisti et audisti.* (*Act.* 22. 14. 15). Ita et hoc loco, ut ne, quasi in oblivionem venisset, videretur amicitia et conscientia vacuus esse, merito seipsum laudat dicens, *Quod indesinentem tui habeo memoriam*, neque utcumque, sed *In orationibus meis.* Id est, orationi incumbo ; hac in re omne tempus insumo. Hoc enim declarat cum dicit, Nocte et die Deum de hac re obsecro, *desiderans te videre.* Viden' ardentem amorem ? viden' dilectionis ceu furorem ? viden' humilitatem ? quomodo sese purget apud discipulum ? Deinde ostendit se non temere vel sine causa hoc facere. Jam id supra ostendit et nunc etiam declarat : dicit enim, *Memor lacrymarum tuarum.* Verisimile erat illum sic separatum, magis flevisse quam puerulum a mamma et a lacte avulsum. *Ut gaudio implear*, inquit, *desidero te videre.* Numquam me tanta voluptate privassem, etiamsi sensu carerem et crudelis ferinusque essem ; lacrymæ enim illæ tuæ in memoriam revocatæ me flexissent. At non talis ego sum, sed Deo pure servio. Multa me ad te necessario pertrahebant. Flebat igitur ille. Aliam quoque affert causam, quæ consolationem afferat : 5. *Recordationem*, inquit, *accipiens ejus fidei, quæ est in te non ficta.*

2. Deinde aliam adjecit laudem, quod non ex gentibus, neque ex infidelibus, sed ex ea esset domo, quæ jam olim Christo serviret. *Quæ habitavit*, inquit, *in avia tua Loide et in matre tua Eunice.* Erat enim, inquit, filius mulieris Judææ fidelis. Quomodo Judææ ? quomodo fidelis ? Quæ non erat ex gentibus. Propter patrem autem ejus qui gentilis erat, et propter Judæos, qui istis in locis erant, assumens circumcidit illum. Viden' quomodo lex solvi incipiebat, cum commixtiones illæ fierent ? Et animadverte quanta congesserit, ut se illum non despicere comprobaret. Ego Deo servio, inquit, veramque habeo conscien-

tiam ; et tu lacrymas. Non propter lacrymas tantum te videre cupio, sed propter fidem, quod veritatis operator et minister sis, quod nihil dolosum apud te sit. Cum ergo te amore dignum exhibeas, qui adeo benevolus sis, et tam genuinus Christi discipulus ; cum ego quoque non sine affectu sim, sed ex numero eorum qui veritatem curant, quid impediebat quominus ad te veniam ? *Certus sum autem, quod et in te.* Jam olim, inquit, hoc tibi inest bonum, a majoribus fidem accepisti non simulatam. Majorum quippe laudes cum illis consortes sumus, ad nos quoque pertinent ; sin ab illis discedamus, nihil valent, imo magis nos condemnant. Ideo subjunxit : *Certus sum autem, quod et in te.* Non conjicio, inquit, sed, *Certus sum*, et persuasus. Si ergo propter nihil humanum ad hoc venisti, nihil te decutere poterit. 6. *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Vide quomodo ostendat illum in mœrore multo esse et animi demissione. Parum abest quin dicat : Ne putes quod ego te despexerim ; sed scito me nec te improbasse, nec tui oblitum esse : et si alium neminem, aviam et matrem cogita Ideo cum sciam te non simulatam fidem habere, te commonefacio : alacritate quippe opus habes ut exsuscites gratiam Dei. Ut enim ignis opus habet lignis, sic et gratia alacritate nostra, ut semper ferveat. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum ;* id est, gratiam Spiritus, quam accepisti, ut præsis Ecclesiæ, ut signa edas, et cultum omnem exhibeas. Penes nos enim est illam vel exstinguere vel accendere : idcirco alibi dicit, *Spiritum nolite exstinguere* (1. *Thess.* 5. 19). Ex ignavia enim et negligentia exstinguitur ; ex vigilantia et attentione excitatur. Est quidem in te, sed tu ardentiorem efficito ; id est, fiducia impleto, gaudio, lætitia : sta viriliter. 7. *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis.* Id est, non ideo spiritum accepimus, ut reprimamur, sed ut cum fiducia agamus. Multis enim dat spiritum formidinis, ut in bellis, ut in libris Regum legitur : *Et cecidit*, inquit, *spiritus formidinis in illos* (*Exod.* 15. 16) ; id est, timorem ipsis immisit. At contra tibi dedit spiritum virtutis et caritatis erga illum. Ergo illud etiam ex gratia est : nec simpliciter ex gratia, sed cum nos prius nostra exhibuerimus. Nam ille qui facit ut clamemus, *Abba Pater*, et caritatem erga Deum indit, et erga proximum ; ut diligamus invicem, inquit : ex virtute namque posito timore, caritas gignitur. Nihil enim ita amicitiam solvere solet ut formido, et proditionis opinio. *Non enim dedit nobis Deus*, inquit, *spiritum timoris, sed caritatis, virtutis et sobrietatis.* Sobrietatem vero dicit mentis et animæ sanitatem : aut *Sobrietatis*, ut scilicet sobrie agamus, si quid nobis grave accidat, ut nos sobrios reddat, et superflua abscindat. Ne ergo graviter feramus, si quid nobis molestum contingat : illud enim sobrietas est. *Ne festines*, inquit, *in tempore inductionis* (*Eccli.* 2. 2). Multi plurima domi tristia habent, et doloris quidem omnes participes sumus, causæ vero non item ; sed alius ab uxore, alius a filio, alius a famulo, alius ab amico, alius ab inimico, alius a vicino, alius ab aliquo detrimento vexatur ; ac multæ diversæque sunt mœroris causæ. In summa nullum reperire est mœroris prorsus vacuum ; sed alius minora, alius majora habet mœstitiæ argumenta. Ne igitur ægre feramus, neque nos solos in mœrore esse putemus.

3. Non potest enim homo, qui hanc fluxam ducat vitam, sine mœrore esse ; sed si non hodie, cras ; si non cras, postea doloris causa accidet. Ut enim fieri nequit, ut qui navigant sine sollicitudine sint, si in pelago magno navigent : sic qui hanc ducunt vitam, non possunt non in mœrore esse ; etiamsi divitem dixeris : quia enim dives est, multas concupiscentiarum occasiones habet ; etiamsi regem ipsum protuleris : nam et ille multorum imperio subest, neque omnia pro arbitrio facit, sed multa præter arbitrium suum largitur ; et ille maxime omnium est, qui contra voluntatem suam cuncta peragit. Quare ? Quia multos habet qui de suis accipere cupiant. Considera autem, in quanto angore est, cum aliquid facere vult, neque potest, aut propter formidinem, aut propter suspicionem, aut propter hostes, aut propter amicos ? Sæpe autem, cum aliquid agere aggreditur, omnem rei gestæ voluptatem adimit rei adversantium multitudo.

Homo numquam curis vacuus est. — Sed quid ? putasne illos dolore vacuos esse, qui sine cura vitam agunt ? At non ita res se habet. Sicut enim non potest immortalis homo inveniri, sic neque curis vacuus. Quanta illos pati oportet, quæ non possunt verbis exprimi ; re autem ipsi soli videre et experiri possunt ? quam multi in ipsis deliciis, in ipsa voluptate mori optaverunt ? Voluptas enim non prorsus a mœrore eximit ; imo ipsa voluptas infinitos parit dolores, morbos, fastidia : atque his etiam sublatis dolet sine causa. Cum enim anima sic affecta est, sine causa etiam dolere solet. Etenim dicunt medici infirmum stomachum intempestivos mœrores parere. Annon id nobis contingit, cum dolemus, neque ullam doloris causam novimus ? Neminem demum invenias dolore vacuum : quod si quidam alii minorem habeant doloris causam, quam nos, tamen singuli se parem habere arbitrantur, magisque incommodis suis quam alienis afficiuntur. Quemadmodum enim ii, quibus aliqua corporis pars dolet, putant se plus dolere quam proximos ; et qui oculo infirmatur, nullum morbum huic parem esse putat ; rursus qui stomacho infirmatur, hunc omnium malorum gravissimum esse dicit ; et singuli eas quibus tenentur infirmitates omnium molestissimas esse existimant : sic qui in mœrore est, dolorem suum omnium maximum putat ; hoc enim, experimento facto, existimat. Exempli causa : qui filios non habet, nihil infœcunditate molestius esse putat ; qui contra cum paupertate multos habet filios, nihil perinde atque liberorum multitudinem detrectat ; qui unum habet, nihil pejus esse putat, quam unum tantum habere. Hinc enim,

inquit, ignavus efficitur, et in angore patrem collocat, cui semper carissimus est, neque ad meliorem frugem se recipit. Qui pulchram habet uxorem, nihil pejus esse putat quam formosam habere ; res quippe suspicione et insidiis plena est : qui deformem habet, nihil pejus esse dicit, quam talem habere ; res enim insuavitate plena est. Qui privatus homo est, nihil vita illa inutilius et vilius esse existimat : miles nihil laboriosius et periculosius militia dicit esse ; melius enim esse pane et aqua in cibum uti, quam tales ferre molestias. Qui in principatu est constitutus, nihil esse acerbius existimat, quam aliorum necessitates curare : qui vero subditus est, nihil vilius esse, quam alienæ potestati subjici. Qui nuptias contraxit, nihil pejus censet uxore et cura : qui nondum duxit, nihil liberali viro indignius putat, quam non duxisse, sicque se et domo et quiete privari. Negotiator agricolam beatum prædicat, quod in tuto sit ; agricola negotiatorem ob divitias. In summa hominum genus numquam pro voto res habet, semper queritur et indignatur. Quando omnes homines simul damnat, tunc dicit : Nihil est homo ; totamque naturam esse dicit laboribus et ærumnis obnoxiam. Quot senectutem mirabilem prædicant ? quot juventutem beatam dicunt ? Ita ex ipsa ætate magnus mœror oritur. Cum junioris ætatis causa nos reprehendi videmus, dicimus, Cur non sumus senes ? cum caput canitie albescit, dicimus contra, Ubi juventus ? Demum innumeræ mœroris causæ se offerunt. Una solum via est quæ tantam inæqualitatem tollat, nempe via ad virtutem : imo ipsa quoque dolorem habet, sed dolorem non inutilem, sed lucrum habentem. Vel enim peccavit quispiam, et dolore compunctus peccata abluit ; vel lapso fratri condoluit, et hic rursus non parvam mercedem refert : nam iis qui in calamitate sunt condolere, multam nobis apud Deum dat fiduciam.

4. Audi quanta de Job philosophetur divina Scriptura ; audi etiam quid dicat Paulus, *Flere cum flentibus ;* et rursum, *Humilibus consentientes* (*Rom.* 12. 15. 16). Societas enim eorum qui in mœrore sunt molem mœroris allevare solet. Quemadmodum enim in onere si quis una pondus ferat ; levavit eum qui onus ferebat : sic et in aliis omnibus. Nunc autem, si quis ex propinquis nostris defunctus fuerit, multi assident, multi consolantur ; asinumque lapsum sæpe erigimus, fratrum vero nostrorum lapsas animas plus quam asinum despicimus et prætercurrimus. Et si eum in cauponam fœde ingredi videamus, non cohibemus ; si ebrium, non impedimus ; si aliud quidvis indignum facientem ; potius cum illo cooperamur. Ideo Paulus dicebat : *Non solum ipsi faciunt, sed etiam facientibus consentiunt* (*Rom.* 1. 32) : et consortia potus et ebrietatis multi faciunt. Fac, mi homo, societates, ut deponatur ebrietatis furor : vinctis hæc pulchra sunt et amabilia, iis qui in calamitate versantur. Hujusmodi quidpiam Corinthiis præcepit Paulus : *Ne cum venero,* inquit, *tunc collectæ fiant* (1. *Cor.* 16. 2). Nunc autem ebrietatis, deliciarum et voluptatis causa nihil non agimus, et lectum communem, communem mensam, vinum commune, communes sumptus facimus ; eleemosynam vero communem nemo fecit. Hujusmodi amicitiæ signa et socialia erant apostolorum tempore ; omnia bona in medium conferebant. Ego vero non omnia jubeo, sed quamdam partem. *Quod cuique placuerit,* inquit, *definiat unusquisque una sabbatorum* (*Ibid.*), quasi tributum quoddam ferendo pro septem diebus, et deponendo ; et sic detur eleemosyna, sive parum, sive multum : nam ait, *Non apparebis vacuus coram Domino* (*Exod.* 23. 15 ; *Deut.* 16. 16). Hæc Judæis dicebantur ; quanto magis nobis ? Ideo stant pauperes ante fores, ut nemo vacuus ingrediatur, ut cum eleemosyna ingrediatur. Ingrederis, ut misericordiam assequaris : prius ipse miserere. Qui autem posterior venit, amplius debet : cum enim nos inceperimus, qui sequitur amplius deponit. Fac tibi Deum debitorem, et tunc illi supplica : fœnori da, et tunc repete, ut cum usura recipias : hoc vult Deus, nec recusat. Si cum eleemosyna repetas, fœnori das et usuras accipis. Etiam, rogo. Non in extensione manuum exaudiemur : extende manus tuas, non in cælum, sed in pauperum manus. Si in pauperum manus extendas manum, ipsum cæli culmen attigisti : nam qui illic sedet eleemosynam accipit : si infructuosas extendas manus, nihil lucratus es. Dic enim mihi, si te adiens rex peteret cum purpura, nonne alacriter omnia dares ? nunc autem non a terreno rege, sed a cælesti per pauperes rogatus, stas despiciens, et donum differens ? ecquo supplicio non dignus fueris ? Non enim in extensione manuum et in multitudine verborum, sed in operibus exaudimur. Audi enim prophetam dicentem : *Cum manus vestras extenderitis, avertam oculos meos a vobis ; et si multiplicaveritis preces, non exaudiam vos* (*Isai.* 1. 15). Cum oporteret tacere, neque in cælum respicere eum qui misericordia opus habet ; ille fiduciam habens multa verba profundit. Sed quid ait ? *Judicate pupillo et humili, et defendite viduam, ac discite bonum facere* (*Ib. v.* 17). Sic poterimus audiri, etiamsi manus demissas habeamus, etiamsi non loquamur, neque postulemus. Hæc ergo æmulemur, ut promissa bona consequamur.

HOMILIA II.

Cap. 1. v. 8. *Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus ; sed collabora evangelio secundum virtutem Dei,* 9. *qui nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia,* 10. *manifestata autem est nunc per apparitionem Salvatoris nostri Jesu Christi.*

1. *Divina non humanis judicanda sunt ratiociniis.* — Nihil deterius est, quam humanis ratiociniis de divi-

nis judicare et sic metiri : ita enim qui hoc aggreditur ex petra illa longe decidet, atque luce privabitur. Si enim is, qui humanis oculis solis radios vult percipere, non modo non percipiet, neque optatum assequetur, sed etiam decidet, et plurima accipiet incommoda : multo magis is, qui inaccessam illam lucem suis ratiociniis vult attingere, id patietur, et Dei donum afficiet contumelia. Vide Marcionem, Manichæum et Valentinum, eosque omnes qui reliquas hæreses ac perniciosa dogmata in Dei Ecclesiam induxere, quomodo humanis ratiociniis divina tractantes, in œconomia seu incarnationis mysterio pudore suffusi sint. Atqui non pudore, sed magna gloriatione digna illa sunt, crucem dico Christi. Nullum enim tantum illius clementiæ argumentum est, non cælum, non mare, non terra, non omnium ex nihilo creatio, non cætera omnia, cruci sunt æquiparanda. Quamobrem Paulus in illa gloriatur dicens : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* 6. 14). Sed animales homines, et ii qui Deo non plus tribuunt quam hominibus, decidunt et pudore suffunduntur. Ideo superius discipulum et per illum omnes hortatur dicens : *Noli igitur erubescere testimonium Domini nostri Jesu Christi.* Id est, Ne te pudeat quod crucifixum prædices, imo gloriare. Ipsa enim, nempe mors, carceres, vincula, per se pudore et probro digna sunt ; sed si quis causam addat, et mysterium probe videat, multæ gloriæ, multæ honestatis illa esse inveniet. Mors enim illa pereuntem orbem servavit ; mors illa terræ cælum junxit, tyrannidem diaboli solvit, homines angelos effecit et Dei filios ; mors illa naturam nostram in thronum regium induxit ; vincula hæc plurimos converterunt. *Noli igitur erubescere*, inquit, *testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus ; sed collabora evangelio.* Hoc est, Etiamsi tu eadem patiaris, ne pudore afficiaris. Quod enim hoc subindicet, ex his superius dictis liquet : *Dedit nobis Deus spiritum virtutis et caritatis et sobrietatis* (*v.* 7) ; et ex consequentibus quoque. *Sed collabora*, inquit ; hoc est, Non modo non te pudeat, sed experiri ne erubescas. Et non dixit, Ne timeas neque formides, sed magis illum corroborans ait, *Noli erubescere ;* quasi nihil ultra sit periculi, si pudorem deponat. Hoc enim tantummodo molestum pudor habet, si ab illo quis superetur. Noli igitur erubescere, si ego, qui mortuos suscito, qui innumera signa facio, qui orbem circumcurro, nunc vinctus sum : non enim ut scelestus vincior, sed crucifixi causa. Si Dominus meus crucem non erubuit, nec vincula ego erubesco. Et probe monens illum ut non erubesceret, prius ipsi crucem memoravit. Si de cruce non erubescis, inquit, nec de vinculis erubesce : si Dominus et Doctor noster crucem sustinuit, multo magis nos vincula feramus. Qui enim de iis quæ ipse passus est erubescit, etiam de crucifixo erubescit. Non enim propter me, inquit, hæc vincula gesto. Nihil ergo humanum patiaris, sed omnium consors esto ; *Sed collabora*, inquit, *evangelio ;* non quasi evangelium laboret, sed discipulum excitans ut pro evangelio patiatur. *Secundum virtutem Dei*, inquit, *qui salvavit nos, et vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia.* Propter id etiam, quia durum illud erat dicere, Collabora, rursus ipsum consolatur dicens, *Non secundum opera nostra ;* id est, Non tua putes, sed Dei virtute hæc sustinere : tuum enim est eligere et alacriter suscipere ; Dei autem allevare et quietem dare. Deinde etiam virtutis ejus indicia profert. Cogita, inquit, quomodo salvus factus sis, quomodo vocatus : ut alibi ait, *Secundum operationem ejus, quæ operatur in nobis* (*Ephes.* 3. 20). Sic majoris virtutis erat persuadere orbem totum, quam cælum facere. Quomodo vocatus est, inquit, *Vocatione sancta ?* Id est, sanctos effecit qui peccatores et inimici erant : et hæc non ex nobis, sed donum Dei sunt. Si igitur ille et potens est ad vocandum, et bonus secundum gratiam, et non ex debito id faciat, non est timendum. Qui enim nos, cum salvi faciendi essemus, etiamsi inimicos, per gratiam servavit, cum etiam operantes viderit, annon multo magis cooperabitur ? *Non secundum opera nostra*, inquit, *sed secundum propositum suum.* Id est, nemine cogente, nec consulente, sed ex proposito suo, sua bonitate impulsus, salvos nos fecit : hoc enim sibi vult illud, *Secundum propositum suum et gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia.* Hoc est, sine principio hæc præfigurata erant in Christo Jesu, ut fierent. Non parum hoc est quod jam olim voluerit : non ergo ex pœnitentia. Quomodo igitur non æternus fuerit Filius ? nam et ipse hæc a principio voluit. *Manifestata autem est nunc per apparitionem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam et incorruptionem per evangelium.*

2. Vidisti virtutem, vidisti donum, non per opera factum, sed per evangelium ? Hæc enim spei sunt : in corpore enim ejus hæc ambo facta sunt, in nostro autem erunt. Quomodo ? *Per evangelium.* 11. *In quo positus sum ego prædicator et apostolus et doctor gentium.* Cur hæc frequenter dicit, se doctorem gentium appellans ? Persuadere volens, ut jam dixi, oportere etiam gentes adire. Ne concidas igitur in passionibus meis : dejecti sunt mortis nervi. Non quasi male operans hæc patior, sed ut doceantur gentes. Simul et fidem sermoni facit. 12. *Ob quam causam etiam*, inquit, *hæc patior ; sed non confundor : scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. Sed non confundor*, inquit. An enim de vinculis, deque passionibus erubescendum ? Ne igitur erubescas. Viden' quomodo per opera doctrinam impertiat ? Hæc patior, inquit, in carcerem conjectus sum, expellor : *Scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Quid est, *Depositum ?* Fides, prædicatio. Hæc ipse qui deposuit, inquit, inviolata servabit. Omnia patior, ut ne thesaurus ille expiletur : non pudore afficior, donec fides inviolata servabitur. Vel depositum dicit fideles, quos ipsi Deus deposuit ; vel

quos ipse deposuit Deo. Ecce, inquit, commendo vos Domino : id est, Non inutilia mihi hæc erunt : et Timotheus depositi fructum mihi ostendit. Viden' ipsum mala ne sentire quidem ob discipulorum spem? Talem esse doctorem oportet, ita discipulos curare, et eos sibi omnia esse putare. *Nunc vivimus*, inquit, *si vos stetis in Domino;* et rursum, *Quæ est enim spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? annon vos ante Dominum nostrum Jesum Christum* (1. *Thess.* 3. 8. *et* 2. 19)? Viden' illum de his sollicitum, nec minus curantem quæ sunt discipulorum quam sua? Oportet enim naturales patres superare, et ardentiores esse. Sed filii bono erga illos affectu esse debent : *Obedite* enim, inquit, *præpositis vestris, et subditi estote illis, scientes quoniam ipsi vigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddituri* (*Hebr.* 13. 17). Dic enim mihi, ille tanto periculo est expositus; et tu non vis ipsi obtemperare, licet id in utilitatem tuam vergat? Quamvis enim quæ sua sunt recte disponat, quamdiu tua in bono statu non erunt, anxius est, et duplices dat pœnas. Cogita autem quantum sit de singulis subditis rationes exigi, et in angore esse. Quem vis exhibere honorem? quod obsequium periculis illis æquiparandum? Sed nihil par dices : nondum enim animam dedisti; ipse vero animam suam ponit pro te. Et si hic non posuerit tempore id exigente, illam ibi perdet : tu vero neque verborum tenus subditus esse vis. Hoc omnium malorum causa est, quod quæ ad præsules pertinent perierint. Nullus adest pudor, timor nullus. *Obedite*, inquit, *præpositis vestris, et subditi estote :* nunc autem omnia subversa sunt. Non præpositorum causa hæc dico : quid enim ex honore nostro utilitatis decerpent, nisi nos obtemperantes habeant? sed propter utilitatem vestram. Illi enim, etiamsi honorentur, nihil hinc in futuro juvabuntur, sed major ipsis damnatio erit : etiamsi contumelia afficiantur, nihil læduntur pro futuro, sed major tunc illis erit defensio. Verum in utilitatem vestram velim cuncta fieri. Quando enim præpositi a subditis honorantur, hoc etiam contra eos profertur, sicut et Heli dicebat, *Assumpsi te de domo patris tui;* quando autem contumelia afficiuntur, ut Samueli contigit (1. *Reg.* 2. 28. *et* 8. 7) : *Non te*, inquit, *despexerunt, sed me* Itaque contumelia quidem ipsis lucrum, honor onus est. Non illorum ergo causa ita loquor, sed vestrum. Qui sacerdotem honorat, Deum honorabit : qui vero didicit sacerdotem contemnere, progressu temporis Deum quoque contumelia afficiet. *Qui vos recipit*, inquit, *me recipit* (*Matth.* 10. 40); et, *Sacerdotes ejus*, inquit, *in honore habe.* Hinc Judæi Deum spernere didicerunt, quia Moysem contempserant, quia ipsum lapidibus impetebant. Cum enim aliquis pie erga sacerdotem afficitur, multo magis erga Deum afficietur. Etiamsi improbus sacerdos fuerit, Deus videns te in sui honorem illum indignum honore afficere, mercedem tibi reddet. Si enim *Qui recipit prophetam*, inquit, *in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet* (*Matth.* 10. 41) : etiam qui honorat, qui cedit, qui obtemperat, scilicet sacerdoti. Nam si ubi de hospitalitate agitur, quando non notum tibi excipis, tantum mercedis accipis; si te subjicias ei, cui imperat Deus, multo majorem accipies. *Super cathedram Moysis*, inquit, *sederunt scribæ et Pharisæi : omnia ergo quæ dixerint vobis facere, facite; secundum autem opera eorum ne faciatis* (*Matth.* 23. 2. 3). An ignoras quid sit sacerdos? Angelus Domini est. Num ille quæ sua sunt dicit? Si illum despicis, non eum, sed Deum qui ipsum ordinavit, despicis. Et undenam probatur, inquies, quod Deus ipsum ordinaverit? Igitur, si tu hanc non habeas opinionem, spes tua inanis facta est. Nam si Deus per ipsum nihil operatur, neque lavacrum habes, neque mysteriis participas, neque benedictionibus frueris : ergo Christianus non es.

3. Quid ergo? inquies : an omnes Deus ordinat, etiam indignos? Non omnes Deus ordinat, sed per omnes operatur, etiamsi illi indigni sint, ut populus salvus fiat. Si enim per asinam, per Balaam scelestum hominem, in plebis gratiam loquutus est (*Num.* 22), multo magis per sacerdotem. Quid enim non facit Deus pro salute nostra? quid non loquitur? per quem non operatur? Si per Judam operatus est, et per eos qui prophetabant, quibus dicit, *Non novi vos, discedite a me qui operamini iniquitatem* (*Matth.* 7. 23); et alii dæmonas ejiciebant : multo magis per sacerdotes operabitur. Nam si præpositorum vitam examinare vellemus, ipsi doctorum ordinatores futuri essemus, et omnia sursum deorsum vergerent; sursum pedes, deorsum caput. Audi Paulum dicentem : *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die* (1. *Cor.* 4. 3); et rursum, *Tu quid judicas fratrem tuum* (*Rom.* 14. 10)? Si fratrem non oportet judicare, multo minus sacerdotem. Nam si quidem hoc præcepit Deus, recte facis; imo peccas non faciendo; sin contra, ne audeas, neve supra scammata exsilire conaris. Adversus Aaronem post conflatum vitulum insurrexerunt Core, Dathan et Abiron (*Num.* 16) : quid ergo? nonne perierunt? Unusquisque quæ sua sunt curet. Si dogma perversum habeat, etiamsi angelus sit, ne illi obsequere; si vera docet, noli vitæ sed verbis attendere. Habes Paulum et verbis et operibus te moderantem. At, inquies, ille pauperibus non erogat, neque recte administrat. Undenam id tibi constat? Antequam discas noli culpare, time rationes reddendas. Multa ex suspicione judicantur. Imitare Dominum tuum : audi illum dicentem : *Descendens videbo si secundum clamorem operantur; sin autem, ut sciam* (*Gen.* 18. 21). Quod si didicisti, examinasti et vidisti, Judicem exspecta : noli præripere Christi ordinem : illius est ista discutere, non tuum : tu servus es ultimus, non Dominus : tu ovis es : ne ergo pastorem examines, ut ne de quibus ipsum accusas tu pœnas des. Et cur ille mihi dicit, inquies, quod ipse non facit? Non ille tibi dicit : nam si illi obtemperes, mercedem non habes; Christus de his te admonet. Et quid dico? ne Paulo quidem obtemperandum esset, si ex se loqueretur, si quid humanum diceret; sed apostolo credendum Christum habenti in se loquentem. Ne aliena igitur judicemus, sed singuli sua :

vitam tuam scrutare. At ille, inquies, melior quam ego esse debet. Quare? Quia sacerdos est. Et quid non habet ille amplius quam tu? annon labores? annon pericula? annon concertationem, curas, ærumnas? Cum hæc igitur habeat, quomodo non te melior fuerit? Etiamsi vero melior non sit, an, quæso, debes teipsum perdere? Arrogantiæ sunt hæc verba. Undo namque nosti illum non esse te meliorem? Si furetur, inquies; si sacra expilet. Undenam id nosti, mi homo? cur per præcipitia teipsum impellis? Et tu quidem, si quispiam dixerit, Ille purpuram habet; etiamsi scias, aures obstruis; etiamsi illum confutare possis, statim resilis, et te non nosse simulas, nolens te in supervacaneum periculum conjicere: hic autem non modo non resilis, sed etiam frustra periculum suscipis. Hæc verba non culpa vacant: audi namque Christum dicentem: *Dico autem vobis, quod omne verbum otiosum quodcumque loquuti fuerint homines, reddent de illo rationem in die judicii* (*Matth.* 12. 36). Teipsum putas aliquo meliorem esse, neque ingemiscis, nec pectus tundis, nec caput inclinas, nec publicanum imitaris? Ergo teipsum vis perdere, etiamsi melior sis. Melior es? tace, ut melior maneas: sin id dixeris, totum evacuasti. Si te putas esse, non es; sin non putas, multum adjecisti. Si enim qui peccator erat, quia confessus est, descendit justificatus; qui non admodum peccator est, et se esse putat, quid non lucrabitur? Vitam tuam scrutare. Non furaris? sed rapis, sed vim infers et alia innumera similia perpetras. Hæc dico, non furtum laudans, absit; sed lacrymas fundens si quis talis fuerit, nedum approbem. Quantum enim malum sit sacrilegium ne dici quidem possit; sed vobis parco: nolo enim virtutem nostram alios accusando minuere. Quid, quæso, publicano deterius? Verum erat ipsum esse publicanum et mille malis obnoxium; et quia Pharisæus dixit, *Quia non sum sicut publicanus ille* (*Luc.* 18. 11), omnia perdidit: tu de sacerdote dicis, Non sum sicut iste sacrorum expilator, et non omnia amittis? Hæc dicere compellor et dicta similia confutare, non quod illos tantum curem, sed quia de vobis timeo, ne virtutem vestram tali jactantia et judicio evacuetis. Audi namque Paulum monentem ac dicentem: *Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso tantum habebit gloriam, et non in altero* (*Gal.* 6. 4).

4. Dic mihi, si saucius proficiscaris ad medicum, num missa vulneris curatione, medicum curiose interrogas an vulnus habeat, necne? an vero, si ille habeat, sollicitus es? vel quia ille habet, tuum non curas, et dicis, Oporteret medicum bene valere; quia autem ille, etsi medicus, non bene valet, ulcus ego meum sine cura referam? an, si sacerdos sit improbus, solatii quid referet subditus? Minime. Sed dabit ille debitas pœnas; dabis et tu promeritas: etenim magister tantum jam ordinem implet. *Erunt* enim, inquit, *omnes docibiles Dei* (*Joan.* 6. 45, *Isai.* 54. 13); *neque dicent, Agnosce Dominum; omnes enim agnoscent me a minimo usque ad maximum eorum* (*Jer.* 31. 34). Cur ergo, inquies, præsidet? cur hunc locum occupat? Ne quæso, magistros maledictis impetamus, ne curiosius scrutemur, ne nos ipsos lædamus: nostra discutiamus, et nemini maledicemus. Revereamur diem illum, in quo nos ipse illuminavit. Si quis patrem habeat mille malis obnoxium, omnia tegit. *Ne glorieris*, inquit, *in ignominia patris tui: neque enim tibi tam gloria est, quam probrum* (*Eccli.* 3. 12). Etiamsi enim illi prudentia deficiat, veniam habe. Si de corporalibus patribus hæc dicenda sunt, multo magis de spiritualibus. Reverere, quia quotidie tibi ministrat. Scripturas legi curat, propter te domum ornat, propter te vigilat, propter te precatur, pro te stat Deo supplicans, pro te totus ejus cultus est. Hæc reverere, hæc cogita, cum omni pietate accede. Dic mihi, improbus est? Et quid hoc? num enim qui non improbus est tibi magna bona largitur? Minime: nam secundum fidem tuam totum efficitur. Neque justus tibi proderit, si tu fidelis non sis; neque improbus nocebit, si sis fidelis. Per vaccas in arca operatus est Deus, quando voluit populum salvum facere. Num sacerdotis vita, num virtus ejus tale quid efficit? Non talia sunt ea quæ Deus elargitur, ut a sacerdotali virtute perficiantur: totum ex gratia est; hujus autem tantum est os aperire, totum vero Deus operatur; symbolum hic solum implet. Cogita quantum sit intervallum inter Joannem et Jesum: audi enim Joannem dicentem: *Ego opus habeo a te baptizari* (*Matth.* 3. 14); et, *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti* (*Joan.* 1. 26). Attamen, cum tantum interesset discriminis, Spiritus descendit, quem non habebat Joannes. *Ex plenitudine enim ejus*, inquit, *nos omnes accepimus* (*Ibid. v.* 16). Attamen priusquam baptizaretur non descendit; nec Joannes ut descenderet effecit. Cur ergo sic res peragitur? Ut discas sacerdotem implere symbolum. Nullus homo tantum distat ab alio homine quantum Joannes a Jesu; attamen Spiritus in ipsum descendit, ut discas Deum omnia perficere et operari.

Dignitas sacrificii eucharistici non ab homine offerente pendet. Christus vere in Eucharistia est. — Volo quid plane stupendum adjicere; sed ne miremini, neque turbemini. Quid hoc est? Oblatio eadem est, quisquis offerat, sive Paulus, sive Petrus; eadem est, quam Christus dedit discipulis, et quam nunc sacerdotes faciunt: hæc illa nihil minor est, quia non homines hanc sanctificant, sed is ipse qui illam sanctificavit. Sicut enim verba, quæ Deus loquutus est, eadem sunt quæ nunc sacerdos dicit: sic oblatio eadem ipsa est, ut et baptisma quod dedit. Sic totum fidei est. Insiliit statim Spiritus in Cornelium, quia prius ille quæ sua erant fecerat, et fidem contulerat. Et hoc igitur corpus Christi est, et illud: qui vero putat hoc minus illo esse, is nescit Christum etiam nunc adesse et operari. Hæc itaque cum sciamus; non enim frustra hæc omnia a nobis dicta sunt, sed ut mentem vestram corrigamus, cautioresque vos in posterum agamus, dictorum custodiæ advigilemus. Quod si semper audientes, numquam perficiamus, nihil ex dictis emolu

menti percipiemus. Attendamus ergo diligenter, quæ dicta sunt perpendamus, ea describamus in mente nostra, in conscientia nostra insculpta teneamus, et jugiter gloriam referamus Patri et Filio et Spiritui sancto.

HOMILIA III.

Cap. 1. v. 13. *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide et caritate quæ est in Christo Jesu :* 14. *bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.* 15. *Scis hoc quod aversi sunt a me omnes qui in Asia sunt, ex quibus est Phygelus et Hermogenes.* 16. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit ;* 17. *sed cum Romam venisset, sollicite me quæsivit, et invenit.* 18. *Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti.*

1. Non per literas solum discipulo, quæ agenda erant suggerebat, sed etiam verbis, quod plurimis aliis etiam in locis ostendit dicens, *Sive per verbum, sive per epistolam, quasi per nos missam* (2. *Thess.* 2. 15). Id vero multo magis hic facite. Ne ergo putemus aliquid in doctrina tradita deficere : multa enim illi absque scripto tradidit : quæ nunc in memoriam revocans dicit : *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti.* Quid autem vult significare? Pictorum more, inquit, imaginem tibi virtutis impressi et eorum omnium quæ Deo grata sunt, velut normam et archetypum et definitionem animæ tuæ indidi. Hæc igitur teneto ; sive de fide, sive de caritate, sive de castitate consulere oporteat, hinc exemplaria accipe : non opus habebis apud alios imaginem quærere, cum omnia ibi sint reposita. *Bonum depositum custodi.* Quomodo? *Per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.* Non est enim humanæ animæ humanæque virtutis, tot deposita digne servare. Quare? Quia multi sunt latrones, profundæ tenebræ : diabolus instat adhuc et insidiatur : nescimus quo tempore, vel qua hora invadet. Quomodo igitur, inquies, ad custodiam sufficiemus? Per Spiritum sanctum ; id est, si Spiritum in nobis habeamus ; si gratiam non repellamus, aderit. Nam *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam : nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilant qui custodiunt eam* (*Psal.* 126. 1). Hic murus nobis est, hoc præsidium, hoc refugium. Si ergo inhabitat et custodit, quid opus est præcepto? Ut ipsum retineamus, inquit, et custodiamus, nec per mala opera expellamus. Deinde tentationes recenset, non ut discipulum dejiciat, sed ut excitet, ut, si ipse in hæc incidat, non turbetur, ad magistrum se convertens et in memoriam revocans ea omnia quæ ipsi acciderunt. Quid ergo ait? Quia fieri poterat ut ipse captus desereretur, et nullius humanitate frueretur, nec gratia vel auxilio ; sed etiam ut ab ipsis fidelibus et amicis proderetur, audi quid ait : *Scis hoc, quod aversi sunt a me omnes qui in Asia sunt.* Verisimile est tunc Romæ multos ex Asiæ partibus fuisse : sed, Nemo, inquit, adstitit mihi, nemo me novit, omnes alienati sunt. Et vide philosophum ejus animum. Dixit tantum quod factum fuerat, nec maledixit eis ; sed eum qui sibi bene fecerat, et laudat et mille ipsi bona apprecatur ; illis vero non maledixit, sed quid ait? *Ex quibus est Phygelus et Hermogenes. Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigeraverit, et catenam meam non erubuit ; sed cum Romam venisset, sollicite me quæsivit, et invenit.* Perpende quomodo ubique confusionem seu pudorem, nusquam periculum dicat, ut Timotheus non terreatur, etsi tunc periculo res plena erat : infensum enim tunc habebat Neronem, quod quemquam ex familiaribus ejus sibi attraxisset. Sed cum venisset Romam, inquit, non modo consortium meum non fugit, sed etiam me quæsivit et invenit. *Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti.* Tales esse fideles oportet, nec timore, nec minis, nec pudore impediri, sed mutuo cooperari, et velut in bello adstare et auxilium ferre. Neque enim tantum periclitantibus, quantum sibi prosunt, se socios reddentes per opem ipsis allatam etiam coronarum ipsis debitarum. Verbi gratia : in calamitate versatur aliquis qui se Deo addixit, multa patitur et cum magna tolerantia colluctatur ; tu vero nondum ad hoc certamen inductus fuisti : licet tibi, si velis, etsi in stadium ingressus non es, in partem venire coronarum, quæ repositæ sunt, si adsis, si inungas, si horteris, si excites. Et quod res ita se habeat, audi quid dicat ille alibi scribens : *Verumtamen bene fecistis communicantes tribulationi meæ ;* et rursum : *Cum Thessalonicam quoque et semel et bis in usum mihi misistis* (*Philipp.* 4. 14. 16). Et quomodo qui non aderant absenti in pressuris communicarunt? Quomodo? *Quia misistis,* inquit, *mihi necessaria et semel et secundo ;* et rursum de Epaphrodito dicit, *Quoniam appropinquavit usque ad mortem, non parcens animæ, ut suppleret defectui ministerii vestri erga me* (*Ibid.* 2. 30). Ut enim apud reges non modo qui pugnant, sed etiam qui vasa custodiunt, honoris sunt participes, neque utcumque, sed etiam paria sæpe consequuntur dona, licet manus non cruentarint, neque arma ceperint, nec hostium aciem viderint ; multo magis in his ærumnis. Nam qui athletam juvat fame attenuatum, qui adest, qui illum verbis hortatur, et ministeria alia omnia exhibet, certanti par præmium obtinet.

2. Ne enim mihi Paulum cogites, athletam invictum et insuperabilem, sed alium quemvis ex multis, qui nisi multo solatio, multa adhortatione fultus fuisset, fortasse non stetisset neque pugnasset. Itaque ii qui extra certamen erant, ei qui in agone decertabat, victoriæ causa fuere ; ei coronarum quoque consortes, fieri merentur. Et quid mirum si inter viventes quis iisdem rebus participans, iisdem queis decertantes dignetur præmiis, quando etiam iis qui decesserunt, qui jacent, qui coronati sunt, qui nullo egent, etiam

post mortem licet esse participes : audi enim Paulum dicentem, *Memoriis sanctorum communicantes.* Et quomodo, inquies, licet communicare? Quando illum admiraris; quando aliquid eorum exsequeris, pro quibus ille coronatus est, illius certaminum et coronarum consors es. *Det illi*, inquit, *Dominus invenire misericordiam a Domino in die illa.* Misertus est mei, inquit : habebit ergo retributionem in die illa tremenda et terribili, ubi multa misericordia egebimus. *Det illi*, inquit, *Dominus invenire misericordiam a Domino.* Duone sunt Domini? Nequaquam; sed unus nobis Dominus Christus Jesus, et unus Deus. Hic qui Marcionis morbo laborant, dictum illud usurpant. Sed discant hunc esse Scripturæ morem, et id sæpe in sacris Libris occurrere, ut cum dicit, *Dixit Dominus Domino meo;* et rursus, *Dixi Domino, Dominus meus es tu* (*Psal.* 109. 1. *et* 15. 2); et alibi, *Pluit Dominus a Domino* (*Gen.* 19. 24). Hoc autem personas declarat consubstantiales, non naturæ diversitatem : non enim hoc dicit, ut duas substantias inter se distinctas, sed ut duas personas ejusdem substantiæ intelligamus. Vide autem quomodo dicat, *Det illi Dominus.* Quid hoc? Non aliud quam misericordia. Quia enim ille misericordiam consequutus fuerat ab Onesiphoro, ut eamdem ille a Deo consequatur postulat. Si autem Onesiphorus, qui sese periculis exposuerat, ex misericordia salvus sit; multo magis nos. Terribiles namque sunt illæ pœnæ, terribiles et multa clementia opus habentes, ut non audiamus dictum illud tremendum : *Discedite, nescio vos, qui operamini iniquitatem;* ut non audiamus rursum illud tremendum : *Discedite, maledicti, in ignem æternum, paratum diabolo et angelis ejus* (*Matth.* 7. 23. *et* 25. 41); ut non audiant : *Chaos est inter nos et vos* (*Luc.* 16. 26); ut non audiant illud horrore plenum : *Tollite illum, et injicite in tenebras exteriores;* ut non audiant illud multum incutiens timorem, *Serve nequam et piger* (*Matth.* 22. 13. *et* 25. 26). Horrendum quippe et terribile est tribunal illud. Atqui Deus mitis est et mansuetus. Deus enim misericordiarum et Deus consolationis vocatur (2. *Cor.* 1. 3), et ita bonus ut nemo alius par sit, benignus, clemens, multæ misericordiæ, nec vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* 18. 23). Unde ergo, unde fit ut dies illa tanto sit plena terrore? fluvius igneus ante thronum ejus trahitur, libri operum nostrorum aperti sunt, dies ille ut clibanus ardens est, angeli circumcurrunt, fornaces appositæ sunt multæ. Quomodo ergo clemens est? quomodo misericors? quomodo bonus? Tamenque sic ille hinc clemens erga homines esse monstratur et clementiæ ejus magnitudo ostenditur. Ideo namque tantum nobis incutit timorem, ut his compulsi ad regni desiderium excitemur. Vide autem mihi quomodo non utcumque de Onesiphoro testificetur, sed dicat, *Sæpe me refrigeravit:* quasi athletam quemdam æstu et labore fatigatum, recreavit, inquit, et roboravit. *Et quanta Ephesi mihi ministravit, tu melius nosti.* Non solum Ephesi, inquit, sed etiam hic. Talem enim oportet esse eum qui vigilans et concitatus est, non semel vel bis vel ter operari debet, sed per totam vitam. Sicut enim corpus nostrum non semel nutritum, habet totius vitæ substantiam, sed quotidiano cibo opus habet : ita et in pietate quotidiano egemus bonorum operum auxilio. Multa enim nobis misericordia est opus : etenim propter peccata nostra clemens Deus illa omnia facit, cum nihil horum opus habeat, sed pro nobis omnia facit. Ideo enim omnia nobis exposuit et enarravit; nec solum narravit, sed etiam per opera fidem fecit. Fide namque dignus erat etiam ex solis verbis; sed ne quis hyperbolen vel minas tantum illa esse verba putaret, per opera etiam certitudinem addit. Quomodo? Et privatim et publice pœnas inducens. Atque ut ex ipsis rebus ediscas, modo Pharaonem punivit, modo diluvium aquarum et universum illud exitium induxit, aliquando etiam ignis supplicium. Et nunc quoque videmus improbos multos puniri et pœnas luere : quæ exempla sunt gehennæ.

Judicia Dei timenda. — Ne dormiamus enim, nec desidia torpeamus, nec verborum obliviscamur, per opera nos admonet et excitat, hic ostendens judicia, tribunalia, pœnas. Quod si apud homines tanta est justitiæ cura, apud Deum qui has leges constituit, nullane erit horum ratio? et quomodo hæc credi possint? Nam et domi et in foro ubique tribunalia videre est. Domi namque herus quotidie justitiam in servos exercet, pœnasque peccantibus infert, alias culpas punit, alias condonat. In agris quoque villicus et uxor quotidie judicantur : in navi gubernator de vectoribus judicant, in exercitibus dux de militibus : et multa inveneris tribunalia; in artibus magister de discipulo. Privatim ergo et publice omnes alter de altero judicant; et nusquam juris rationem neglectam quis videat, sed ubique omnes rationes reddere. Ergone, cum hic justi perquisitio ubique fiat per urbes, per domos, et per singulos; illic, ubi justitia plena est dextera Dei, et justitia ejus sicut montes Dei, ibi nulla erit justitiæ ratio? Et quomodo Deus Judex justus, fortis et sapiens (*Psal.* 7. 12), id suffert, nec pœnas exigit? Hic habes causam : patiens, inquit, est; diu exspectat ad pœnitentiam te trahens : si autem perseveres, *Secundum duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram* (*Rom.* 2. 5). Si ergo justus est, secundum meritum reddit, nec eos qui male patiuntur inultos sinit : hoc est enim justi munus. Si potens est, etiam post mortem reddit, et in resurrectione : hoc enim fortis judicis est. Si autem patiens cum sit differt, ne turbemur, nec dicamus, Cur hic non ulciscitur? Nam si ita fieret, jam sublatum esset genus hominum, si quotidie de peccatis pœnas repeteret a nobis. Nulla enim est, nulla est dies peccatis vacua, sed vel majus vel minus delictum admittimus. Itaque ne ad vigesimum quidem annum perveniremus, nisi multa ejus esset patientia et bonitas, quæ multum nobis spatium dat ad pœnitentiam, ut delicta deponamus. Unusquisque igitur cum recta conscientia gesta sua recensens, et vitam suam totam in medium adducens, consideret annon mille sit pœnis et suppliciis dignus : et cum indignatus dicit, Cur ille mille scelera perpetrans non

dat pœnas? sua cogitet, et indignatio cessabit. Illa enim magna videntur, quia in magnis et notis rebus fiunt : si vero sua quis examinet, fortasse plura inveniet. Nam rapere et cupidum esse, idipsum est, sive aurum, sive argentum diripiatur : ex eodem quippe animo ambo pariuntur, et qui minora diripit, majora quoque diripere non dubitabit : quod si desit occasio, id non ex illo provenit, sed id fortuito contingit. Pauper qui pauperiorem lædit, divitem si posset, aggredi non dubitaret ; sed ex imbecillitate, non ex arbitrio abstinet. Ille, inquies, princeps est, et subditorum bona rapit. Tu autem, quæso, annon rapis? Ne mihi dixeris, Ille auri talenta, at tu obolos decem. Nam in eleemosyna alii aurum offerebant, illa vero duo minuta, nec minus quam illi attulit. Quare? quia de voluntate, non de dono judicatur. Ergone cum de eleemosya agitur, Deum vis ita judicare, ut nihil minus referas si duo minuta deponas, quam ii qui mille talenta auri deponunt ; de avaritia vero et rapina non item? et quam hæc rationem habent? Sicut illa duo minuta injiciens, ob voluntatem nihil minus retulit : ita et tu duos obolos rapiens, non minori conditione es quam illi, sed, si quid mirum dicere oporteat, plus quam illi avarus et rapax es. Sicut enim qui cum regis uxore, et qui cum pauperis et servi, mœchantur, similiter adulteri sunt, cum peccatum ex personarum diversitate non æstimetur, sed ex voluntate mœchi : ita et hic existimandum. Imo magis ego adulterum dixerim eum qui cum vili persona mœchatur, quam qui cum regina. Illic enim divitiæ, forma et multa alia sunt quæ attrahant ; hic vero nihil : itaque hic magis adulterus dicatur. Rursus illum magis ebriosum dixerim, qui viliore vino inebriatur : ita et magis rapacem censeo eum, qui ne minima quidem spernit. Qui enim multa et magna rapit, fortasse minora despiceret ; qui vero modica rapit, majora certe non contemneret. Itaque hic potius fur habeatur. Nam qui argentum non despicit, quomodo aurum despiciat? Itaque cum principes accusamus, nostra nobiscum reputemus, et inveniemus nos magis quam illos rapere et furari, si non ex re ipsa, sed ex voluntate judicium feramus ; sic enim judicandum est. Dic enim mihi, si quis quæ pauperis erant, et alius quæ divitis erant furatus in judicium adducatur, nonne ambo par supplicium luent? Quid vero? homicida nonne perinde est homicida, si mutilum et pauperem occidat, atque si divitem et formosum? Cum ergo dicemus, Ille alterius prædium rapuit, nostra cogitemus, et sic non alios condemnabimus, Deique mirabimur patientiam, nec indignabimur quod judicium in eos non feratur, et ipsi ad male operandum segniores evademus. Cum enim nos viderimus iisdem obnoxios cupis, non ita moleste feremus, sed peccandi finem faciemus, et futura bona consequemur in Christo Jesu Domino nostro, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Cap. 2. v. 1. *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu,* 2. *et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* 3. *Tu ergo collabora ut bonus miles Christi.* 4. *Nemo militans se implicat negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* 5. *Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit.* 6. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* 7. *Intellige quæ dico ; dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.*

1. Magnam fert discipulo in mari fiduciam, cum magister ejus in naufragio servatus est : non enim deinceps putabit ex imperitia sua tempestates contingere, sed ex ipsa rerum natura : illud vero non modicum affert solatium. Fert etiam in bello tribuno incitamentum, cum videt ducem exercitus saucium vires suas recuperare. Ita etiam fidelibus id consolationi est, apostolum videre gravia multa patientem, neque tamen iis emollitum : neque enim, nisi ita res esset, Paulus ea quæ perpessus est enarraret. Timotheus enim audiens, eum qui tanta potuerat et totum orbem subegerat, in vinculis et ærumnis esse, nec rem vel ægre vel indigne ferre, a suis derelictum : si et ipse eadem passus esset, eam rem humanæ infirmitatis esse non putasset, licet et discipulus et minor Paulo esset, quandoquidem et magister talia toleraset, sed ex rei natura hæc omnia contigisse. Nam et ipse hæc fecerat, et ideo hæc enarrabat, ut illum corroboraret ac recrearet. Quia enim hoc ideo faciebat, ærumnas et tentationes suas ipsi enarrans, subjungit : *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu.* Quid dicis? Nos timore concussisti, dixisti te vinctum et in ærumnis esse, ab omnibus desertum fuisse ; et ac si dixisses te nihil molestum esse passum, et a nullo desertum fuisse, ita resumis, *Tu ergo, fili mi, confortare?* Merito certe ; quoniam ex his plus roboris accepisti, quam ipse Paulus. Si enim ego Paulus hæc patior, multo magis tu illa pati debes ; si magister, multo magis discipulus. Et cum affectu magno monita dat, cum ait, *Fili* ; neque id tantum, sed *Fili mi.* Si filius es, inquit, patrem imitare ; si filius es, ex iis quæ dixi corroborare ; imo non ex dictis tantum, sed ex gratia Dei : nam *Confortare,* inquit, *in gratia, quæ est in Christo Jesu ;* id est, per gratiam Christi. Ac si diceret, Sta firmiter, aciem nosti. Nam alibi quoque cum dicit, *Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem* (*Ephes.* 6. 12), non deterrens illos hoc dicit, sed excitans. Itaque sobrius esto, inquit, jejuna, gratiam Domini habeto tecum pugnantem et certantem ; cum multa alacritate et constantia quæ tua sunt affer. *Et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus. Fidelibus,* non quæstiones et syl-

logismos moventibus : *Fidelibus*, quibusnam? Iis qui prædicationem non prodiderunt. *Quæ audisti*, non quæ conquisivisti : nam *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei* (*Rom.* 10. 17). Quid est illud, *Per multos testes?* Ac si diceret, Non clam et in occulto audivisti, sed multis præsentibus, et cum fiducia. Non ait autem, Dic, sed, *Commenda*, veluti thesaurum, qui commendatur et in tuto deponitur. Rursus discipulum terret et a superioribus et ab inferioribus. Illud, *Commenda*, non fidelibus tantum dicit : quæ enim esset utilitas, si fidelis quidem ille esset, nec posset aliis doctrinam proferre? Cum ipse quidem fidem non proderet, neque tamen alios similes efficeret? Duo itaque magister habeat oportet, ut fidelis sit, et alios doceat. Ideo ait : *Qui idonei erunt et alios docere. Tu ergo labora ut bonus miles Jesu Christi.* Papæ! quanta dignitas militem esse Christi! Cogita terrenos reges, ut magnum quidpiam esse putent ii qui pro illis militant. Si ergo laborare est regii militis, non laborare non est militis. Itaque non oportet moleste ferre si labores; hoc enim militis est; sed si non labores, id indigne ferendum. *Nemo militans se implicat negotiis sæcularibus, ut ei placeat qui se probavit. Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit.* Hæc ad Timotheum quidem dicta, dicuntur per illum omnibus et magistris et discipulis. Nemo igitur episcopatu præditus hæc audire dedignetur, sed indigne ferat, si non faciat. *Si quis pugnat*, inquit, *non coronatur, nisi legitime certaverit.* Quid sibi vult illud, *Nisi legitime?* Non sufficit, si in certamen descendat, neque si ungatur, neque si congrediatur; sed nisi totam certaminis legem servaverit, et quæ cibum spectant, et quæ temperantiam et castitatem, et quæ de palæstra, et omnia demum quæ athletas exsequi convenit, numquam coronatur. Et vide Pauli sapientiam : certamen et milites memorat, tum ut ille promptus sit ad cædem et sanguinem, tum ut constanter et fortiter omnia ferat, ut semper in exercitatione sit. *Laborantem agricolam*, inquit, *oportet primum de fructibus percipere.* Dixerat de exemplis suis, dixerat de doctore; dicit demum de iis qui publici ordinis sunt, de athletis, de militibus : et illic præmia reponit; *tum ut ei placeat qui se elegit*, tum ut coronetur. Addit et tertium exemplar, quod maxime sibi competat : nam illud militis atque athletæ subditis competit; agricolæ autem exemplum magistro. Non tantum sicut miles sit vel athleta, sed etiam ut agricola. Agricola non sui curam habet tantum, sed etiam terræ fructuum; id est, non parvam laborum retributionem decerpit agricola.

2. Hic et Deum nullo egere ostendit, et retributionem doctrinæ esse communem dixerat; exemplum a vita vulgari mutuans. Quemadmodum, inquit, agricola non absque utilitate laborat, sed ante alios ipse laboribus fruitur suis, sic et doctorem esse par est. Vel hoc dicit, vel de honorandis magistris loquitur. Sed in ratione nixum non videtur; cur enim non simpliciter agricolam dixit, sed laborantem? nec modo laborantem, sed admodum laborantem? Hic etiam, ut nemo moram ægre ferat, inquit, Jam recipis : sive etiam, quod in ipso labore merces est. Postquam igitur exempla posuit militum, athletarum, agricolarum, et omnia ænigmatice, *Nemo*, inquit, *coronatur, nisi legitime certaverit.* Et postquam dixerat, *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere*, addidit : *Intellige quæ dico : dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.* Horum enim gratia hæc dicta sunt in proverbio et parabola. Deinde rursus affectum suum indicans, non desinit apprecari illi, nempe velut genuino filio metuens, et ait : *Memor esto Christum Jesum resurrexisse ex mortuis ex semine David secundum evangelium meum, 9. in quo laboro usque ad vincula, quasi male operans.* Cur hic rem illam memorat? Maxime hæreticos impetit, simulque seipsum recreans et passionum lucrum ostendens : quia ipse quoque Doctor noster Christus per passionem mortem expugnavit. Hujus rei memento, inquit, et idoneam consolationem habebis. *Memor esto*, inquit, *Dominum Jesum Christum resurrexisse ex mortuis ex semine David.* Jam enim inde cœperant quidam œconomiam seu incarnationem evertere, pudore affecti de magnitudine benignitatis Dei. Talia quippe erant Dei erga nos beneficia, ut homines puderet illa Deo applicare, et non crederent, illum ita se demisisse. *Secundum evangelium meum*, inquit. In epistolis suis passim illud ponit, *Secundum evangelium meum;* vel quia ipsi obtemperare oportebat, vel quia alii erant diversa evangelizantes. *In quo laboro*, inquit, *usque ad vincula quasi male operans.* Rursum ex se consolationem affert, rursum adhortationem; et his ambobus auditorem inungit, si sciat laborem ipsum pertulisse, et non sine utilitate hoc fecisse. Sic enim lucrabitur; si secus faciat, lædetur. Quæ utilitas enim si ostendas doctorem laborare quidem, sed ad nullam utilitatem? verum illud mirabile est, si ad profectum, si ad utilitatem discipulorum. *Sed verbum Dei non est alligatum.* Id est; si sæculares milites essemus, inquit, vel si bellum sub sensum cadens duceremus, vim haberent illa vincula, quæ manus alligant : nunc vero tales nos fecit Deus, ut a nullo expugnari possimus. Vinciuntur enim manus, sed non lingua : nemo enim potest vincire linguam, nisi formido tantum, et incredulitas; quæ si non adsint, etiamsi vincula injicias, prædicatio non ligatur. Exempli causa, si quis agricolam vinciat, sementem impedit; nam manu ille seminat : doctorem vero si vincias, verbum non impedivisti; nam lingua seminat ille, non manu. Vinculis ergo non subjicitur verbum nostrum : nobis enim vinctis, illud solutum est et currit. Quomodo, inquies? Ecce namque etiam vincti seminamus. Hoc dicitur ad incitandos eos qui soluti sunt : Si nos vincti prædicamus, multo magis vos qui soluti estis id oportet facere. Audisti me quasi male operantem hæc pati? ne ideo dejiciaris. Miraculum enim magnum est, cum vinctus solutorum instar agit; cum vinctus omnes superat, vincientes se debellat. Dei namque verbum est, non nostrum : hu-

mana autem vincula Dei verbum vincire non poterunt. Hæc patior propter electos. 10. *Ideo enim*, inquit, *omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria æterna.* Ecce aliam adhortationem : Non pro me ipso, inquit, sed pro aliorum salute hæc patior. Licebat sine periculo vivere, et horum nihil pati, si mea tantum spectassem. Sed qua de causa hæc patior? Pro alienis bonis, ut alii vitam æternam consequantur. Quid ergo polliceris? Non dixit, Propter hos quosdam, sed, *Propter electos.* Si Deus ipsos elegit, nos omnia oportet pati propter illos, *Ut et ipsi salutem consequantur.* Cum dicit, *Ut et ipsi*, ostendit ac dicit, Sicut et nos : nam nos quoque Deus elegit. Ac sicut propter nos Deus passus est, sic et nos propter illos : itaque retributio hæc res est, non gratia. In Deo quidem gratia erat; non enim prius affectus beneficio beneficium retulit : in nobis vero retributio est; nos prius beneficio affecti a Deo, pro his patimur, ut salutem consequantur. Quid dicis? quam salutem? qui tibi causa salutis non es, sed qui periéras, alteri es causa salutis? Ideo adjecit; Non hac, inquit, salute, sed *Quæ est in Christo Jesu*, quæ vere salus est, *cum gloria æterna.* Doloris plena sunt præsentia, sed in terra; demissa sunt præsentia, sed temporanea; injucunda et doloris plena, sed usque ad hodiernum et crastinum tantum.

3. *In terra nec veram gloriam nec vera bona reperire est. Comparatio Pauli cum Nerone.* — Quæ autem vere bona, non sunt talia, sed æterna, sed in cælo. Illa vere gloria est; hæc autem ignominia. Vide, quæso te, dilecte : non est vere gloria in terra, sed vera gloria in cælis est. Si quis vero gloriam cupit, ignominiam quærat : si quis requiem vult consequi, in ærumnis versetur : si quis omnino conspicuus esse ac deliciari velit, temporanea respuat. Quod autem ignominia gloria sit, et gloria ignominia, age, pro viribus hoc demonstremus, ut veram videamus gloriam. In terra gloriari non potes : si autem vis gloriari, id per ignominiam consequeris. Age, id in duabus personis inquiramus, in Nerone scilicet et in Paulo. Ille mundi gloriam habuit, hic ignominiam. Quomodo? tyrannus erat ille, multa præclare gesserat, tropæa erexerat, divitias affluenter habebat, undique exercitus innumeri erant, maxima pars orbis ipsi subdita erat, regia urbs parebat, Senatus totus obsequebatur, regia splendida erat et magnifica. Si armari oporteret, auro et gemmis ornatus et armatus prodibat; si in pace versandum esset, purpura amictus sedebat. Multos satellites et hastatos ducebat; maris et terræ dominus, Imperator, Augustus, Cæsar, Rex, et multa alia nomina circumferebat, quæ assentatio excogitare posset : ac nihil ipsi prorsus ad gloriam deerat; sed et sapientes et dynastæ et reges ipsum formidabant. Præterea ferus, immanis et impudens erat : atque deus esse volebat, idolaque despiciebat omnia, ipsumque Deum universorum, atque ut deus colebatur. Quid hac gloria majus? imo quid hac ignominia deterius? Verum nescio quomodo vi veritatis ducta præcucurrit lingua, et ante judicium sententiam tulit. Interim autem secundum multorum opinionem rem examinemus, secundum infidelium mentem, secundum assentationem. Quid majus, quid gloriosius dici potest, quam deum ipsum existimari? Summum id profecto dedecus, quod homo eo insaniæ feratur; sed interim secundum multorum opinionem rem discutiamus. Nihil igitur ipsi ad gloriam humanam deerat, nam quasi deus ab omnibus colebatur. Sed ipsum jam Paulum ex adverso examinemus, si placet. Cilix erat; quantum vero Ciliciam inter et Romam sit discriminis, omnes norunt : coriarius erat, inops, externæ sapientiæ expers, Hebraice tantum sciens, quæ lingua omnibus, maximeque Italis despectui erat. Neque enim barbaram, neque Græcam, neque aliam quampiam linguam perinde contemnunt, atque Syram : hæc autem Hebraicæ admodum finitima est. Et ne mireris si illam respuant : nam si Græcam mirabilem illam et pulchram despiciunt, multo magis Hebraicam. Vir ille, inquam, sæpe in fame degebat, et incœnatus dormiebat; homo nudus, nec quo operiretur habens. *In frigore et nuditate* (2. *Cor.* 11. 27), inquit. Neque hæc tantum; sed etiam in vinculis, cum latronibus, præstigiatoribus, sepulcrorum effossoribus, homicidis, ipso illo jubente constitutus est, et tamquam maleficus verberabatur, ut et ipse dicit. Uter igitur illustrior est? Nonne illius ne nomen quidem norunt plurimi; hujus autem nomen et Græci et barbari et Scythæ atque qui in ipsis finibus terræ habitant, quotidie celebrant? At nondum quid modo sit, sed quid tunc futurum sit disquiramus. Quis clarior, quis gloriosior erat? isne qui catena cingebatur, et trahebatur ex carcere, an is qui purpura amictus ex regia prodibat? Vinctus ille plane. Quomodo? Quia ille qui exercitus habebat, splendidoque modo præerat, ea quæ volebat perficere non poterat : hic vero vinctus, et ut maleficus vili indutus vestitu, cum auctoritate omnia faciebat. Quonam modo? Ille dicebat, Ne dissemines verbum veritatis; hic vero, Non cedo; nam verbum Dei non est alligatum. Et sic respuebat Cilix ille, vinctus, tentoriorum artifex, pauper, in fame degens, Romanum illum divitem, Imperatorem, omnibus imperantem, innumeris innumera dantem; et cum tot haberet exercitus, nihil potuit. Uter ergo splendidus, uter clarus erat? qui in vinculis vincebat, an qui in purpura vincebatur? qui infra stans tela jaciebat, an qui supra sedens telis impetebatur? qui jubebat, et despiciebatur; an qui jubebatur, et jussa nihil curabat? qui solus erat, et superabat; an qui cum mille exercitibus profligabatur? Abiit ergo Imperator, vincto adversus illum tropæum erigente. Dic ergo mihi, ex cujus partibus quis stare voluerit? Ne mihi dixeris ea quæ postea sequuta sunt, sed illa interim excute : ex cujus partibus quis stare voluerit, Pauline, an Neronis? non dico, ratione fidei habita; (tunc enim perspicuum id esset), sed quod ad gloriam et claritatem et splendorem pertinet. Si quis bene sentiat, Pauli partes deliget. Nam si vincere quam vinci

clarius est, ille gloriosus est. Neque ita magnum est, quod vicerit, sed quod in tali habitu tanto splendore fulgentem vicerit. Rursus enim dicam, nec finem faciam dicendi : catena circumdabatur, et eum qui diademate redimitus erat dejecit.

4. Tanta est Christi virtus : catena coronam regiam vicit; et hæc longe illa splendidior visa est : pannis squalentibus amictus, utpote in carcere habitans, et magis quam purpura illa, omnes ad se convertebat per illa circumposita vincula : humi jacebat detentus et inclinatus, et illo qui curru aureo vehebatur relicto, omnes illum attenti respiciebant; et quidem merito. Consuetum quippe erat Imperatorem videre albo jugo vectum; hoc vero novum et stupendum, vinctum intueri cum tanta fiducia Imperatorem alloquentem, cum quanta Imperator miserum et vile mancipium alloquutus fuisset. Turba ingens adstabat, et omnes servi Imperatoris erant : mirabantur autem non dominum suum, sed victorem domini sui; et quem omnes timebant tremebantque, hunc solus ille calcabat. Vide quantus splendor sit in ipsis vinculis. Quid vero postea dixeris? Illius ne notum quidem est sepulcrum; hic vero omnibus splendidior regibus in ipsa regia jacet, ubi etiam vicit, ubi tropæum erexit. Illum si quis memoret, cum vituperio memorat, etiamque domestici (nam protervus fuisse narratur; hujus cum laude memoria ubique celebratur, non apud nos tantum, sed etiam apud inimicos. Cum enim resplendet veritas, ne inimici quidem impudenter agere audent : etiamsi enim non propter fidem illum mirentur, ob fiduciam tamen et constantiam celebrant. Hic omnium ore quotidie ubique coronatus celebratur; ille criminationibus et vituperiis impetitur. Quænam ergo splendida sunt? Sed leonem profecto imprudens ex ungue laudari, cum oporteret ea quæ vere laudanda sunt dicere. Quænam illa? Quæ in cælis sunt : quomodo venturus sit ille cum Rege cælorum, cum splendido habitu; quomodo tunc Nero stabit demisso vultu tristis. Quod si tibi videar incredibilia et ridicula dicere, tu ridiculus es, irridens illa, quæ non sunt risu digna. Nam si futuris non credis, a præteritis crede : nondum coronarum est tempus, et tanto fruitur athleta honore; cum agonotheta venerit, quanto fruetur honore? Apud alienos hospes erat, hospes et peregrinus, et tantæ habetur admirationi; cum in patria erit, quo non fruetur bono? *Nunc vita nostra abscondita est cum Christo in Deo* (*Col.* 3. 3); et tamen qui mortuus est, magis quam viventes operatur et honoratur : cum autem venerit vita nostra, quid non obtinebit? quid non consequetur? Ideo Deus tali illum honore frui voluit, non quod ille peteret. Si enim in corpore cum esset illam a multis redditam gloriam despiciebat, quanto magis a corpore liberatus? Neque ideo tantum illum frui voluit, sed ut ii, qui futuris non credunt, vel ex præsentibus inducantur. Dico venturum esse Paulum cum Rege cælorum, quando resurrectio erit, quodque ille bonis fruetur innumeris. Sed infidelis non credit : ergo a præsentibus discet. Imperatore clarior et honoratior est tentoriorum opifex : nullus Romanus Imperator tanto affectus est honore; verum Imperator ille foris alicubi jacet, hic vero urbis medium occupat, ut vivens et regnans. Ex his de futuris quoque crede. Si hic, ubi pellebatur et vexabatur, tantum consequutus est honorem, cum venerit, quid erit? Si, ubi tentoriorum opifex erat, tam clarus fuit, cum venerit solaribus radiis fulgens, quid erit? Si post tantam vilitatem tantam assequutus est magnitudinem, cum venerit, quid non consequetur? Num potest ipsa rerum veritas vitari? Quem non illud moveat, quod tentoriorum opifex honore superaverit eum, qui magis quam omnes Imperatores honoratus fuit? Si hic supra naturam multa facta sunt, multo magis in futuro. Crede, ô homo, præsentibus, si nolis credere futuris : crede iis quæ videntur, si nolis invisibilibus credere. Imo potius crede iis quæ videntur; ita enim etiam iis quæ non videntur credes : si nolis, opportune tibi dicatur illud apostoli : Mundi nos sumus a sanguine vestro : omnia enim contestati vobis sumus nihilque omisimus quæ oportuit dicere (*Act.* 20. 26. 27) : vos jam vobis ipsis imputate gehennæ supplicium. Nos autem, o filii carissimi, Pauli imitatores simus, non secundum fidem tantum, sed etiam secundum vitam. Ut cælestem gloriam consequamur, despiciamus præsentem gloriam : nihil nos præsentium alliciat : contemnamus visibilia, ut cælestia adipiscamur; imo etiam per hæc illa consequemur; sed scopus noster sit illa potissimum consequi : quæ utinam omnes obtineamus.

HOMILIA V.

Cap. 2. v. 11. *Fidelis sermo : nam si commortui sumus, et convivemus :* 12. *si sustinemus, et conregnabimus : si negaverimus, et ipse negabit nos :* 13. *si non credimus, ille fidelis permanet; negare enim seipsum non potest.* 14. *Hæc admone, testificans coram Domino, non verbis contendere; ad nihilum enim utile est, nisi ad subversionem audientium.*

1. Multi ex infirmioribus fratribus fidei vim abdicant, nec spei dilationem ferunt. Præsentia quærunt, et ex his de futuris conjiciunt. Quia igitur præsentia hæc erant, mors, supplicia, vincula; ille vero dicebat ipsos ad vitam æternam esse venturos; vix quis id credere poterat; sed forte dicebant. Quid dicis? cum vivo morior, et cum morior vivo? in terra nihil mihi promittis, et in cælo dabis? quæ parva sunt non das, et magna præstabis? ut ne itaque quis talia cogitaret, non ambiguum hac de re profert sermonis apparatum, quem jam cœperat, et ejus indicia dederat (illud enim, *Memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis*, hoc est, quia post mortem resurrexit) : nunc vero idem ipsum declarans dicit : *Fidelis sermo*, quod qui vitam cælestem consequutus fuerit, æternam quoque obtinebit. Undenam fidelis? Quia *Si commortui sumus*, inquit,

et convivemus. Dic enim mihi, si in asperis et laboriosis communicamus illi, in bonis non item? At id ne homo quidem faceret, ut eum qui secum mori et affligi delegisset, si quando ad quietem veniret, negaret ipsum sibi consortem esse. Ubi autem commortui sumus? Hanc mortem dicit, quam per lavacrum, et eam quam per passiones subimus : ait enim, *Mortificationem Domini in corpore nostro circumferentes* (2. Cor. 4. 10); et, *Consepulti sumus ei per baptismum;* et, *Vetus homo noster simul crucifixus est;* et, *Complantati facti sumus similitudini mortis ejus* (*Rom.* 6. 4-6). Hic vero etiam tentationum mortem magis insinuat; imo hanc : nam in tentationibus erat, cum hæc scribebat. Hoc autem vult significare : Si propter ipsum mortui sumus, annon propter ipsum vivemus? hac de re non ambigi potest. *Si sustinemus,* inquit, *et conregnabimus.* Non simpliciter dixit, *Conregnabimus,* sed, *Si sustinemus;* ostendens non satis esse semel mori (quotidie moriebatur beatus hic); sed multa patientia est opus, qua maxime egebat Timotheus. Ne mihi, inquit, priora dicas, sed an semper sic affectus sis. Deinde ex alia quoque parte hortatur, non a bonis, sed etiam a malis. Si enim eorumdem consortes forent improbi, non esset hæc consolatio : et si qui sustinerent essent quidem conregnaturi, qui vero non sustinerent hoc solum paterentur, quod non conregnarent; grave certe illud esset, plurimos tamen non valde morderet. Ideo quod terribilius est dicit : *Si negaverimus illum, et ipse negabit nos.* Ergo non in bonis tantum, sed etiam in malis retributiones erunt. Is vero quem ille negaverit in regno suo quid passurus sit cogitate. *Qui me negaverit,* inquit, *negabo illum et ego* (*Matth.* 10. 33). Non par est retributio, etiamsi ille hoc dicere videatur : nos enim homines sumus qui negamus, ille vero Deus est : quantum vero sit discrimen Deum inter et hominem, quid opus est dicere?

2. Alioquin nos ipsos inde lædimus. Ille se nihil lædit, neque nos lædere possumus. Ideo subjungit hoc declarans : *Si non credimus, ille fidelis permanet; negare seipsum non potest.* Id est, Si non credimus eum resurrexisse, nihil inde læditur ipse : verax est, firmus est, sive dicamus, sive non. Si ergo nihil a nobis negantibus læditur, ob nihil aliud confessionem nostram exigit, nisi ad utilitatem nostram. Ille enim, nobis vel negantibus vel non negantibus idem ipse manet : *Negare enim se ipsum non potest,* id est, negare quod sit. Nos dicimus eum non esse, etiamsi res non ita se habeat. Non habet eam naturam ut non sit, nec habere potest; id est, non potest eo redigi ut non sit : semper manet, semper ejus substantia est. Ne itaque sic affecti simus, ac si vel gratificemur illi, vel ipsi noceamus. Deinde, ne quis putet Timotheum his opus habere, subjunxit : *Hæc admone, testificans coram Domino, non verbis contendere; ad nihilum enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* Terribile illud est, Deo teste loqui. Si enim hominis testimonium nemo audeat irritum facere, multo magis Dei. Exempli causa, si quis pacta iniens aut testamentum edens velit fide dignos testes vocare, an audebit quis apud extraneum quempiam id exponere? Minime; etiamsi velit, timens testium fidem, sibi cavet. Quid sibi vult illud, *Testificans?* Deum dictorum et gestorum testem vocat. *Noli verbis contendere; ad nihilum enim utile est.* Non modo nihil hinc lucri, sed etiam detrimenti plurimum. Hæc igitur admone : si despiciant, Deus illos judicabit. Cur autem monet ut ne verbis contendat? Novit rem esse lubricam, et humanam mentem semper litigare et contendere velle. Ne id fiat igitur, non modo dixit non contendendum esse, sed terribiliora proferens subjunxit : *Ad subversionem audientium.* 15. *Sollicite cura teipsum probatum exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.* Ubique ut ne erubescat hortatur. Cur toties de pudore agit? Quia verisimile est multos puduisse, quod Paulum viderent esse tentoriorum artificem, et de prædicatione quoque puduisse, quasi doctoribus pereuntibus. Christus enim crucifixus fuerat, Paulus capite truncandus erat, Petrus inverso capite crucifixus; et hæc passi erant ab hominibus nullius pretii et petulantibus. Quia igitur isti tunc imperabant, *Ne te pudeat,* inquit; id est, Ne verearis illa facere quæ ad pietatem pertinent, etiamsi servire oporteat, etiamsi quidvis pati. Quomodo autem aliquis probatus efficitur? Si sit operarius inconfusibilis. Operarium nihil facere pudet; sic neque ipse evangelii operarius : omnia enim subire oportet, *Recte tractantem verbum veritatis.* Hoc apposite dixit : multi enim illud undique detorquent et distrahunt, plurima spuria ei adjecta sunt. Neque dixit, Dirigentem, sed, Recte tractantem; id est, Spuria reseca, et cætera hujusmodi cum vehementia multa impete et amputa : ut in corrigia fit, gladio spiritus undique quod superfluum aut alienum est a prædicatione reseca. 16. *Profanas autem vocum novitates devita.* Neque enim hic stabunt. Cum enim quidpiam novum inductum fuerit semper nova id parturit; interminatusque error est ejus qui ex tranquillo portu est egressus, et nusquam stabit. *Multum enim proficiunt ad impietatem,* inquit, 17. *et sermo eorum ut cancer serpit.* Morbus est qui contineri nequit, quem medicina reducere nequit, sed totum perdit. Ostendit novas inductas voces morbum esse, etiamque morbo graviores. Hic ostendit illos emendari non posse, illosque non temere, sed sponte aberrare, ideoque corrigi non posse. *Ex quibus est Hymenæus et Philetus,* inquit, 18. *qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorumdam fidem.* Recte dixit, *Multum proficient* : nam hoc solum quidem grave videtur esse; vide autem quanta hinc mala pariantur. Si enim jam resurrectio fuit, non solum hac magna privamur gloria; sed etiam judicium tollitur, si resurrectio facta est, necnon meritorum retributio : si enim jam resurrectio fuit, retributio quoque fuit. Ergo boni ærumnarum et dolorum fructum perceperunt; mali vero non puniuntur; et belle sane, ut qui in deliciis multis versentur. Melius esset dicere non fore resurre-

ctionem, quam jam fuisse. *Et subvertunt quorumdam fidem*, inquit. Non omnium, sed *Quorumaam. Si* enim *resurrectio non est, fides subvertitur : si resurrectio non est, vana est prædicatio nostra*, nec Christus resurrexit (1. *Cor.* 15. 14. 13). Si non resurrexit, neque natus est, neque in cælos ascendit. Viden' quod cum resurrectionem id impugnare videntur, plurima alia gravia secum trahat? Quid igitur, inquies? nihil faciendum pro iis qui subvertuntur? 19 *Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Cognovit Dominus qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.*

3. Ostendit eos, etiam antequam subverterentur, non fuisse firmos; neque enim primo statim impulsu subversi fuissent : sicut neque Adam ante mandatum stabilis fuit. Qui enim firmi sunt, non modo nihil patiuntur a deceptoribus, sed etiam admirationi habentur. Et firmum, inquit, et fundamentum est. Sic fidei hæreat oportet, is, qui hujusmodi signaculum habet. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus* (*Num.* 16. 5). Quid hoc est? Ex Deuteronomio id accepit. Id est, firmæ animæ stant fixæ et immotæ. Undenam illæ noscuntur? Ex eo, quod illæ hæc scripta habeant in operibus suis, ex eo quod a Deo noscantur, et non simul pereant, quod ab iniquitate absistant. *Et discedat*, inquit, *ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Hæc indicia sunt fundamenti : sicut fundamentum firmum exhibetur. Ac si quis in lapide inscribat, ut literæ quidpiam significent. Hæ vero literæ per opera exhibentur. *Habens*, inquit, *signaculum istud affixum. Omnis*, inquit, *qui nominat nomen Domini discedat ab iniquitate.* Itaque si quis iniquus sit, non huic fundamento hæret. Ergo signaculi hujus hoc quoque munus est, ut ne iniqua perpetrentur. Ne ergo signum regium neque notam deponamus, ne sine signaculo et deformes simus, ut fundamentum simus, et fundamentum firmum, ne circumferamur : hoc eos qui Dei sunt indicat, qui ab iniquitate discedunt. Quomodo enim aliquis potest esse justi Dei, si iniqua operetur, si operibus illum impugnet, si gestis illum contumelia afficiat? Rursum nos iniquitatem incusamus; rursum multos concitamus hostes. Hæc enim pestis ceu quidam tyrannus omnium animas invasit : quodque gravius est, non id necessitate aut vi, sed suasione et blanditia, et gratias habent de tali servitute. Hoc vere grave est; si enim vi detinerentur, non amore, cito resilirent. Undenam vero fit ut res suavis esse videatur, cum amarissima sit? undenam amara justitia videtur, cum valde suavis sit? A sensibus nostris. Ita enim mel amarum esse quidam putavere, et aliud noxium cum voluptate perceperunt. Causa autem non ex rerum natura petitur, sed ex perversitate male affectorum. Cogita quid sit animæ nostræ judicium. Nam statera, si lancem habeat vacillantem, pondera juste non profert : et anima quoque si lancem non habeat firmam et legi Dei infixam, de rebus probe judicare non poterit, sed circumferetur et trahetur. Etenim si quis accurate scrutetur, multam videbit iniquitatis acerbitatem, non in patientibus tantum, sed et in agentibus, et in his magis. At nondum de futuris, sed de præsentibus disseramus. Annon hic pugnæ, tribunalia, convicia, invidia, maledicta? quid his acerbius? nonne odia, nonne bella, nonne accusationes? nonne conscientia nos frequenter flagellat et mordet? Vellem, si fieri posset, animam iniqui ex corpore extrahere; videres certe illam pallidam, trementem, pudibundam, anxiam, sese damnantem. Etiamsi enim in profundum nequitiæ inciderimus, judicium mentis non corrumpitur, sed stat incorruptum : et nemo accedit dicens iniquitatem esse bonam, sed prætextus fingit, et nihil non agit ut vel verbis culpam dejiciat; sed a conscientia id numquam obtinere poterit. Hic namque et ornatus verborum, et principum vitia, et adulatorum greges justitiam obscurare poterunt : intus autem in conscientia nihil horum habetur; non adsunt adulatores, non pecuniæ quæ judicem corrumpant : naturaliter enim nobis inditum est judicium a Deo : quod autem a Deo datum est, nihil tale patitur.

4. *Malæ conscientiæ nulla quies. Nemo est qui judicium non timeat. Deus improbos aliquando punit in hac vita.* — Sed etiam somni ingrati et phantasiæ, et vitium in memoriam frequenter veniens, quietem nostram turbant. Verbi gratia : domum quispiam ab aliquo injuste abstulit : non is modo, cui sublata est, gemit, sed etiam is qui sustulit, si futuro credat judicio; nam qui persuasus est, vehementer ingemiscit et lamentatur : si autem futuro non credat, etiam sic erubescit, et pudore afficitur. Imo nullus est homo, vel Græcus, vel Judæus, vel hæreticus, qui de judicio non timeat : etiamsi de futuris non philosophetur, sed præsentia timet, ne se Deus in pecuniis mulctet, ne in filiis, ne in domesticis, vel in anima : nam multa sæpe talia Deus facit. Quia enim resurrectionis fides non potest omnes ad sanam mentem reducere, hic etiam multa ejus justi judicii signa præbentur : ille avarus filios non habuit, ille in bello cecidit, alius corpore mutilatus est, alius filium amisit. Hæc in animo volvens, in terrore perpetuo vivit. Nescitis quanta patiantur injusti? annon hæc acerba sunt? Etiamsi vero nihil tale esset, annon omnes ipsum damnabunt? annon omnes odio habent et aversantur? annon omnes brutis irrationabiliorem esse dicunt, etiam ii qui injuste agunt? Si enim seipsos damnant, multo magis alios, raptorem, avarum, perniciosum appellantes. Quid igitur suave habet? Nihil aliud quam quod majorem sollicitudinem habeat pro illorum custodia, quod majori cura teneatur. Quanto enim plures quis congesserit opes, tanto majorem sibi vigilantiam apparat. Quid vero memorem maledicta eorum qui injuste læduntur? quid supplices libellos? quid si morbus ingruerit? non potest enim, non potest ægrotus, etiamsi omnium impiissimus sit, non illa curare et animo versare, quando nihil potest facere. Quamdiu enim hic sumus, anima voluptatibus delinita quæ tristia sunt non fert : cum autem ex corpore exitura est, tunc illam major timor excipit, utpote quæ ad ipsa judi-

cii limina ventura sit. Nam latrones in carcere degentes, absque metu vivunt : quando autem ad velum (*a*) sistuntur, solvuntur metu. Cum enim mortis formida instat, quasi ignis omnia amovens, animam philosophari cogit, et de futuris sollicitam esse : nulla tunc adest pecuniarum cupiditas, nullum avaritiæ studium, nullus corporum amor. His itaque nubium instar amotis, judicium jam liberum purumque est, succedente dolore duritiemque emolliente. Nihil enim philosophiæ ita contrarium est ut deliciæ ; ut contra ærumnæ sunt ad philosophiam opportunæ. Considereres velim qualis tunc avarus erit : *Hora*, inquit, *afflictionis oblivionem facit abundantis voluptatis* (*Eccli.* 11. 29). Quo animo erit, cogitans eos quorum bona diripuit, quos injuste læsit, quorum facultates prædatus est? quo animo erit, quando alios cernet avaritia sua frui, se vero mox pœnas daturum? Fieri enim nequit, ut incidens in morbum, hæc non suspicetur : sæpe namque anima ipsa deorsum versa, anxia tremit. Quanta, quæso, hinc amaritudo? Hæc quippe in morbis singulis contingere necesse est. Si autem alios puniri videat, si ex hac vita discedere, quid non patietur? Et hæc quidem in hac vita. Quæ vero illic futura sunt, ne explicari quidem possunt, quantum supplicium, quantæ pœnæ, quanta tormenta. Hæc nos dicimus : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Luc.* 8. 8). Sæpe ea de re loquimur, nolentes quidem sæpe dicere, sed coacti. Vellemus enim ne initium quidem horum proferre ; vel si fieri non posset, saltem parva adhibita medicina vos ad sanitatem reducere ; sed cum vos in morbo perseveretis, soluti et illiberalis animi esset, absistere a medici officio, imo id immanitas et crudelitas esset. Si enim medicos cum de corporibus ægris desperant, rogamus dicentes, Ne, oro te, negligas, sed usque ad extremum halitum, quæ tua sunt proferre ne desistas ; annon multo magis nos ipsos concitabimus? Fortassis enim cum ad ipsas inferi portas venerit, et ad nequitiæ limina, resipiscere poterit, recreari, convalescere, et vitam æternam capessere. Quot enim, cum decies audissent, nec quid sensu percepissent, demum ex una concione conversi sunt? Imo non ab una : licet enim in decem illis nullo sensu afficerentur, tamen lucrati sunt, ac demum fructum totum decerpserunt. Sicut enim arbor, decem ictibus acceptis nec lapsa, demum uno impacto decutitur, non uno ictu dejecta, sed postremi gestum decem aliis quoque adscribitur : et qui ad radicem respicit id novit, qui autem superne et ex trunco id videt, nihil simile potest conspicere : ita et hic. Et sæpe cum medici complures plurima attulere medicamenta, nihil profecerunt, demumque accedens alius, totum curavit : neque tamen illius est totum opus, sed etiam eorum qui prius morbo curam adhibuerant. Itaque etiamsi non nunc perceptæ doctrinæ fructum exhibeamus, demum proferemus : quod enim postea proferemus certum habeo. Non potest enim tantum audiendi desiderium, et tantum studium frustra afferri ; absit : sed utinam omnes, qui Christi monita audire digni habiti sumus, æterna bona consequamur.

(*a*) Velum erat Prætorium, seu locus ubi judicia exercebantur, sic dictus a velis quæ obtendebantur.

HOMILIA VI

Cap. 2. v. 20. *In magna autem domo non sunt tantum vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia ; et quædam quidem in honorem, quædam vero in contumeliam.* 21. *Si quis ergo emundaverit seipsum ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, in omne opus bonum paratum.*

1. Plurimos hominum etiam nunc id turbat, cur mali permaneant, et non pereant. Hujus autem rei aliæ plurimæ causæ sunt, velut, ut convertantur, ut supplicio suo aliis exemplum sint : [1] [hic vero Paulus causam dicit omnino congruentem :] *In magna autem domo non sunt tantum vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia ;* his ostendens, ut in magna domo par est esse multam vasorum differentiam : ita et in orbe toto : non de Ecclesia loquens, sed de toto mundo. Ne illud de Ecclesia dictum suspiceris : hic enim nullum vult esse vas ligneum vel fictile, sed omnia aurea et argentea, ubi corpus Christi est, ubi Virgo casta, nullam habens maculam. Hoc autem vult significare : Noli pertubari, si sint homines improbi et scelerati : in magna enim domo sunt vasa hujusmodi. Quid ergo? Sed non eodem fruuntur honore, inquit, sed alia in honorem sunt, alia in contumeliam. Etiam, inquit ; sed in domo hæc usui cuidam sunt, in mundo non item. Etsi non ad talem usum, ad alia tamen Deus iis utitur : verbi gratia, inanis gloriæ cupidus multa ædificat, avarus item, mercator, caupo, princeps : sunt quædam opera in mundo, quæ ipsis competant. Vas autem aureum nihil hujusmodi est, sed circa regiam versatur mensam. Non hoc igitur dicit, malitiam nempe esse rem necessariam : quomodo esset? sed quod ipsi mali suum impleant opus. Nam si omnes essent aurei et argentei : non opus illis fuisset : verbi gratia, si omnes patientes essent, non esset opus ædificiis ; si omnes a deliciis essent alieni, non opus esset ciborum apparatu ; si necessaria tantum appeterent omnes, non opus haberetur ædificiis splendidis. Si ergo quis sese ab his expurgaverit, erit vas in honorem sanctificatum. Vides

[1] Loco eorum quæ uncinis inclusimus, hæc leguntur in Codice Ms. Siquidem *misericordia et patientia Dei, qui diuturnam ipsorum torporem sustinuerat, et tempus ipsis reliquerat ad resipiscendum reviviscendumque, si vellent ; misericordia, inquam, et patientia Dei eo multos adduxerunt ut et ipsi converterentur, et multos alios suo exemplo ad salutem perducerent. Paulus autem hic novum quoddam inducit, dicens.*

non ex natura, neque ex materiæ necessitate esse, ut vas sit aureum vel fictile, sed ex voluntate nostra ? Illic enim fictile numquam fiet aureum, neque aureum in fictilis vilitatem descendere poterit ; hic vero multa mutatio et conversio est. Vas fictile Paulus erat, sed factus est vas aureum. Vas aureum Judas erat, sed in fictile mutatus est. Ergo ab immunditia fictilia sunt : fornicator, avarus fictiles efficiuntur. Quomodo igitur alibi ait : *Habentes thesaurum hunc in vasis fictilibus* (1. *Cor.* 4. 7)? honorat ergo nec reprobat vas fictile, cum ipsum thesaurum accipere dicit. Illic naturam ipsam declarat, non materiæ speciem. Hoc autem vult significare : Vas fictile nostrum corpus est. Sicut enim fictile nihil aliud est, quam coctum lutum ; sic et corpus nostrum nihil aliud est, quam lutum animæ calore firmatum. Quod enim fictile sit palam est : sæpe namque ut vas illud cecidit et confractum contritumque fuit, sic et corpus in mortem incidens dissolvitur. Quid enim ossa, quæ adeo valida et arida sunt, differunt a testa? quid a luto carnes ? nonne perinde et ipsæ ab aquæ humore formantur? Sed, ut dicebam, cur illic rem non vituperat? Illic de natura loquitur, hic de libero arbitrio. *Si ergo quis expurgaverit seipsum*, inquit. Non dixit, Purgaverit, sed, *Expurgaverit*, id est, omnino purgaverit, *erit vas in honorem sanctificatum, utile Domino.* Ergo illa inutilia sunt, etiamsi in usu quodam sint. *In omne opus bonum paratum.* Etiamsi non operetur, idoneum tamen est ad excipiendum. Oportet igitur ad omnia paratum esse, sive ad mortem, sive ad martyrium ; sive ad virginitatem, sive ad cætera omnia. 22. *Juvenilia autem desideria fuge.* Juvenilia desideria sunt, non ea tantum quæ ad fornicationem spectant, sed etiam omnis concupiscentia illicita juvenilis est. Audiant senes, ne juvenum gesta sectentur. Sive contumeliosus quis sit, sive potentiam ambiat, sive pecunias, sive corpora amet, sive aliud simile, juvenile est desiderium et stultum : cum nondum cor ita firmum sit, nec mens solida, sed leviter ferantur, hæc omnia accidere necesse est. Ut igitur nemo his capiatur, quæ monita dat ? Phantasias juveniles fuge ; *Sectare vero justitiam, fidem, caritatem et pacem cum omnibus qui invocant nomen Domini de corde puro.* Justitiam totam virtutem dicit, vitam piam, fidem, caritatem, mansuetudinem. Quid sibi vult illud, *Cum iis qui invocant Dominum de corde puro?* Ac si diceret, Illis confide tantum, non iis qui utcumque invocant, sed iis qui non subdole, non simulate, qui nihil doli habent, qui cum pace accedunt, qui non litigant : cum illis commiscearis ; cum aliis non oportet mansuetum esse, sed pacem habere quantum fieri potest. 23. *Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites.*

2. *Dei servus a litibus abstineat oportet.* — Viden' quomodo ubique illum amoveat a quæstionibus ? non quod non possit illas idonee confutare ; poterat enim : si non potuisset enim, dicturus erat illi, Stude idoneus fieri ad illa confutanda, ut cum dicit, *Attende lectioni : hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt* (1. *Tim.* 4. 13. 16) : sed noverat inutile esse, hujusmodi movere certamina, et nullum finem fore, sed hinc pugnas, inimicitias, contumelias et convicia oriri. Has ergo quæstiones devita. Sunt ergo aliæ quæstiones, de Scripturis deque aliis. 24. *Servum autem Domini non oportet litigare.* Non oportet etiam per quæstiones pugnare ; procul enim litibus oportet esse Dei servum : Deus enim est Deus pacis ; servus autem Dei pacis quomodo pugnaverit? *Sed mansuetum esse ad omnes. Servum enim Dei*, inquit, *pugnare non oportet, sed mansuetum esse ad omnes.* Quomodo ergo dicit, *Argue illos cum omni imperio* (*Tit.* 2. 15) : et hic rursum, *Nemo adolescentiam tuam contemnat* (1. *Tim.* 4. 12) ; et iterum, *Argue eos dure* (*Tit.* 1. 13)? Quia hoc quoque mansuetudinis est. Vehemens enim confutatio, quando cum mansuetudine procedit, maxime mordere potest. Licet enim, licet cum mansuetudine magis carpere, quam cum ferocia confutare. *In docendo peritum ;* id est iis, qui doceri volunt. Nam ait : *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita* (*Ibid.* 3. 10). *Patientem.* Hoc recte addidit : id enim est doctori maxime necessarium, alioquin omnia frustra aggredietur. Si enim piscatores sæpe postquam tota die retia frustra jecerunt, non desperant tamen : multo magis id nobis convenit. Vide namque quid inde sequatur : sæpe contingit ut post doctrinam assiduam, doctrinæ aratrum in profundum animæ penetrans, vitium quo perturbatur exscindat. Qui enim millies audivit, aliquid patietur : non potest enim fieri ut qui frequenter audit, nihil moveatur ; et interdum contingit, ut cum ille mox persuadendus esset, nobis desistentibus totum amiserit. Et perinde contingit, atque si quis agriculturæ imperitus plantatam vineam anno primo colat, et anno secundo itemque tertio, et cum speret se fructum decerpturum esse, nec decerpat, post triennium desperans, anno quarto illam deserat, quando laborum suorum mercedem accepturus erat. Postquam dixit, *Patientem*, non satis illi est, sed subjungit : 25. *Cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati.* Hoc enim maxime cum mansuetudine facere oportet. Neque potest anima, quæ doctrina eget, cum ferocia et altercatione aliquid utile percipere : etiamsi enim attendere velit, in dubitationem conjecta nihil sciet. Oportet quippe eum qui utilia discere velit, ante omnia erga doctorem bene affectum esse : hoc si non præmittatur, nihil quantumvis utile percipere poterit : bene autem affectus esse non potest erga ferocem et contumeliosum. Quomodo igitur dicit, *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita ?* De illo agit qui corrigi non vult et insanabili morbo laborat. *Nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem*, 26. *et resipiscant a diaboli laqueo.* Hoc autem vult significare : Fortassis erit quædam emendatio ; fortassis autem, in rebus dubiis ponitur. Itaque ab illis solis discedendum est, quos certo scimus et persuasum habemus,

quidquid agatur, non convertendos fore. *In mansuetudine*, inquit. Viden' sic accedendum esse ad eos qui discere cupiunt, et numquam absistendum a colloquiis ante demonstrationem? *A quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Recte dixit, *Captivi tenentur*, interim namque in errore natant. Vide quomodo doceat modeste sentire. Non dixit, Ne forte possint; sed, *Ne forte det illis Deus resipiscere.* Et si quid fiat, totum Dei est: tu plantas, tu irrigas; ille seminat, et fructus parere curat. Numquam igitur ita affecti simus, quasi ipsi persuaserimus, licet persuadeamus. *Captivi tenentur*, inquit, *ad ipsius voluntatem.* Hoc autem non de dogmatibus tantum dicitur, sed etiam de vita: voluntas enim ejus est, ut recte vivamus. Sunt autem quidam in laqueo diaboli, etiam per vitæ rationem: ergo ne de illis quoque desperare oportet. *Ne forte resipiscant qui captivi tenentur*, inquit, *ad ipsius voluntatem.* Illud autem, *Ne forte*, magnæ patientiæ indicium est: nam non facere voluntatem Dei, laqueus est diaboli.

3. *Qui ex una parte diabolo subjicitur, omnino subjicitur. Commendatur eleemosyna.*— Sicut enim passer, etiamsi non ex omnibus partibus teneatur, sed ex uno tantum pede, sub potestate est ejus qui laqueum tetendit: ita et nos, etiamsi non ex toto teneamur, ex fide nempe et ex vitæ ratione, sed ex vitæ ratione tantum, sub potestate diaboli sumus. *Non enim qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum;* et rursus, *Non novi vos, discedite a me qui operamini iniquitatem* (*Matth.* 7. 22. 23). Viden' lucrum nullum esse ex fide, cum Dominus nos ignoret? Et virginibus hoc ipsum dicit: *Non novi vos* (*Ibid.* 25. 12). Quid ergo virginitas profuit, quid multi sudores, quando Dominus illas ignorat? Sæpeque alios invenimus qui circa fidem non accusantur, sed ob solam vitam malam puniuntur: sicut alibi alios, qui absque ulla vitæ culpa ex dogmatis perversitate pereunt: hæc enim mutuo hærent. Viden' quod quando voluntatem Dei non facimus, sub laqueo diaboli simus? Nec tantum ex vitæ ratione tota, sed ex uno tantum vitio sæpe in gehennam ingredimur, quod cum cæteris bonis nostris non quadret. Etenim virgines non de fornicatione accusatæ sunt, nec de adulterio, nec de invidia vel livore, non quod de fide non bene sentirent, sed quod oleum non haberent; id est, eleemosynam non faciebant: id quippe significat oleum. Itemque illi qui damnati sunt, *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Ibid. v.* 41), de nullo alio accusabantur, quam quod Christum non aluissent. Vides ut eleemosyna sola neglecta in gehennam ignis inducere possit? Cui rei, quæso, utilis erit qui eleemosynam non erogat? Jejunas quotidie? sed illæ quoque virgines jejunabant; sed nihil illis profuit. Precaris? et quid hoc est? Sine eleemosyna infructuosa est precatio; sine hac omnia immunda sunt, omnia inutilia, majorque virtutis pars exscinditur. *Qui non diligit*, inquit, *fratrem suum, non γνοὺς Deum* (1. *Joan.* 3. 10). Tu vero quomodo diligis? ne parva quidem et vilia isthæc ipsi impertire vis? Dic enim mihi, tu caste vivis? qua de causa? an quod supplicium timeas? Nequaquam, sed ex natura tua illud exsequeris: nam si caste viveres supplicium metuens, et talem vim tyrannidemque sustinens, multo magis eleemosynam facere oporteret. Non enim par res est cupiditatem pecuniarum et corporum domare, sed multo major hic labor est. Quare? Quia naturalis voluptas corpori nostro insita est, cupiditas vero pecuniæ non item. Ex commiseratione Deo æquari possumus: qua si careamus, totum amisimus. Non dixit, Si jejunaveritis, similes eritis Patri vestro; nec, Si virginitatem servaveritis; nec, Si precati fueritis; similes eritis Patri vestro: nihil eorum ad Deum pertinet, nihil eorum ille facit: sed quid? *Estote misericordes, sicut Pater vester qui in cœlis est* (*Luc.* 6. 36). Hoc opus Dei est. Si ergo id non habeas, quid habes? *Misericordiam*, inquit, *volo, et non sacrificium* (*Osee.* 6. 6). Deus fecit cælum, terram, mare; hæc magna sunt, et ejus sapientia digna: sed horum nullo ita humanam naturam attraxit, ut misericordia et benignitate: hoc enim est opus sapientiæ, virtutis et bonitatis; multo autem magis quia servus factus est. Annon ea de causa magis illum admiramur ac stupore afficimur? Deum nihil sic attrahit ut misericordia. Atque de his plurima persæpe loquuntur prophetæ. Misericordiam autem dico non eam, quæ cum habendi cupiditate conjuncta est: neque enim spinæ radix oleum parit, sed olivæ radix. Ita nec avaritiæ, nec injustitiæ, nec rapinæ radix misericordiam parit. Noli eleemosynam criminari, ne illam omnium maledictis exponas. Si namque ideo rapis, ut eleemosynam eroges, nihil hac eleemosyna pejus. Cum enim ex rapina oriatur, non est certe eleemosyna: immanitas illa est et crudelitas, ac contumelia Deo illata. Si Cain qui quæ minora sua erant obtulit, ita offendit; qui aliena offert, quomodo non offendet? Oblatio nihil aliud est quam sacrificium, emundatio, non immunditia. Sordidis porro manibus non audes precari, sordes autem et immunditiam ex rapina offerens, nihil te mali facere putas? Manus non sinis sordibus et immunditia fœdari, sed emundatis illis, ita offers: atqui hæ sordes nihil culpæ habent; illæ vero sunt criminatione dignæ.

4. Ne itaque id observemus, ut mundis manibus offeramus et precemur, sed ut quæ offeruntur munda sint. Illud enim risu dignum est: ac si quis lance abluta illam immundis donis impleret, nonne irrisio hæc esset? Sint mundæ manus: erunt autem, si non aqua tantum illas abluamus, sed et justitia prius. hæc vera manuum mundatio est. Si autem iniquitate pleni simus, etiamsi millies illas abluerimus, nihil inde lucri. *Lavamini*, inquit, *mundi estote* (*Isai.* 1. 16). Quid ergo? num addidit, Ite ad fontes, ad balnea, ad stagna, ad fluvios? Nihil horum; sed quid? *Auferte malitias vestras ab animabus vestris;* hoc est, Mundi estote. Hoc ab inquinamento liberat, hæc est vera munditia. Illa enim non multum profuit; hæc nobis fiduciam ad Deum præstat: illam possunt habere adulteri, fures, homicidæ, molles, dissoluti viri, for-

nicarii, et amasii, et hi maxime. Isti enim sunt qui corporis munditiam magis curant, unguentis semper olentes, abstergentes sepulcrum : sepulcrum enim ipsis est corpus, cum anima intus mortua sit. Itaque illam quidem munditiam hi quoque assequi possunt, hanc vero non item. Nihil magnum est, si corpus abluas : Judaica est illa purgatio, stulta et inutilis, si interna non adest. Sit quispiam putredine plenus et vulneribus, abluat corpus : quæ utilitas? quis finis? Quod si putredini corporis nihil mederi possit, cum exterius circumluitur et tergitur ; si in ipsa anima sit putredo, quid ex corporis munditia lucrabimur? Nihil. Precibus nobis opus est puris : preces autem numquam puræ fuerint, si anima quæ ipsas emittit sit immunda. Nihil porro ita animam immundam facit, ut avaritia et rapina. Sed sunt quidam qui postquam per totam diem mille mala perpetrarunt, vespere lavant, et confidenter in ecclesiam intrant, manus extendentes, ac si per hujusmodi lavacrum sordes omnes deposuerint. Si res ita se haberet, magnum lucrum esset quotidie lavari : si hoc esset, numquam finem facerem balnea frequentandi, si lotio mundos efficeret, et peccata auferret. Sed hæc ridicula sunt, deliramenta et puerorum lusus. Deus sordes corporis non aversatur, sed animæ immunditiam : audi enim illum dicentem : *Beati mundo corde :* num corpore? nequaquam, sed, *Qui corde sunt mundi ; quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* 5. 8). Propheta autem quid dicit? *Cor mundum crea in me, Deus* (*Psal.* 50. 12) ; et rursus, *Ablue a malitia cor tuum* (*Jer.* 4. 14). Magnum bonum est bonis assuescere. Vide quam hæc parva sint et inutilia. Et postquam anima prius illis assueverit, non absistit, neque ad precandum pergit, antequam illa bona impleverit. Exempli causa : ex consuetudine lavamur et postea precamur, nec licet illotis manibus precari, neque alio modo id libenter facimus, perinde ac Deum offensuri, et in mala conscientia versaturi. Si modicum illud tantam habet tyrannidem, ut id quotidie impleatur ; si in eleemosynæ consuetudine nos constitueremus, et hoc semper implere decerneremus, numquam vacuis manibus intrare in orationis domum, res optime constituta esset. Magna quippe est et in bonis et in malis vis consuetudinis : non jam labore opus esset, ipsa nos trahente. Plerique consueverunt se frequenter signare, neque ultra monitore opus habent, sed etiam sæpe mente alibi occupata, a consuetudine, quasi quodam animato monitore, manus sponte trahitur ad signum faciendum. Quidam consuetudinem sibi fecerunt non jurandi ; et neque sponte neque inviti hoc umquam facient. In hac nos consuetudine erogandæ eleemosynæ ponamus. Quantis nobis laboribus opus erit ut hoc medicamentum reperiamus? Dic enim mihi, nisi esset consolatio eleemosynæ, et ex mille sceleribus obnoxii supplicio essemus, annon admodum ingemisceremus? annon diceremus, Utinam pecuniis abluere peccata possemus, omniaque effunderemus, si posset ira Dei pecuniis placari, nec facultatibus parceremus? Si enim in morbo hoc facimus et in morte dicimus, Si posset ille a morte redimi, facultates omnes daret ; multo magis hic illud præstandum est. Atqui vide quanta sit benignitas Dei ; non concessit tibi ut temporaneam mortem, sed ut æternam redimere posses. Ne hanc brevem, inquit, vitam redimas, sed sempiternam illam : illam tibi vendo, non istam : non illudo tibi. Si hanc accipias, nihil accepisti : ego novi quanta sit illa. At non ita caupones, et sæcularium rerum negotiatores : illis enim si licet etiam quos volunt fraudare, minima pro magnis dant. Deus vero non sic, sed pro parvis longe majora dat. Dic mihi, si negotiatorem quemdam adires, duæque proponerentur gemmæ, quarum alia vilis, alia magni pretii esset et honestas exhiberet divitias, positoque pro minori pretio, illam pretiosam acciperes ; an incusares illum? Minime ; imo magis mirareris. Sic et nunc duæ proponuntur vitæ, temporanea et æterna : vendit illas Deus ; sed istam nobis vendit, non illam : quid indignamur infantium more, quia pretiosiorem accipimus? Licetne igitur, inquies, vitam emere pecunia? Etiam, dummodo nostra et non aliena in pretium demus, dummodo non rapere pergamus. Sed mea tandem sunt, inquies. Non sunt tua post rapinam, sed illius sunt : aliena sunt, quantumlibet illa retineas. Neque enim, si depositum accipias, quantumcumque temporis is qui deposuit peregrinetur, tuum est depositum, etiamsi apud te sit. Si igitur illa, quæ a lubentibus et gratias habentibus deposita accepimus, non nostra sunt, ne tempore quidem quo tenemus ; multo minus hæc quæ ab invitis rapuimus. Ille namque est illorum dominus, quantumcumque illa retineas. Nostra est virtus : pecuniæ vero etiam quæ nostræ sunt, non sunt nostræ, nedum alienæ nostræ sint, sed hodie sunt nostræ, cras aliorum. At virtus semper est nostra : non enim illarum more minuitur, sed omnibus, cum adest, integra est. Hanc ergo comparemus, et pecunias spernamus : ut possimus vera bona consequi, quæ is utinam digni habeamur.

HOMILIA VII.

Cap. 5. v. 1. *Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora gravia :* 2. *erunt enim homines seipsos amantes, pecuniæ cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti,* 3. *sine pace, sine affectione, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate,* 4. *proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei,* 5. *habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita.* 6. *Ex his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis et voluptatibus,* 7. *semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes.*

1. In priori epistola dicebat : *Spiritus manifeste*

dicit quod in novissimis temporibus recedent quidam a fide (1. *Tim.* 4. 1); et rursus alibi in ipsa epistola simile quiddam futurum prophetice dicit. Hoc ipsum facit hic dicens : *Hoc autem scito, quod in novissimis temporibus instabunt tempora gravia.* Et non solum a futuris, sed etiam a præteritis hoc indicat dicens : 8. *Quemadmodum Joannes et Jambres, restiterunt Moysi.* Et a ratiociniis rursum : *In magna autem domo non sunt solum vasa aurea et argentea* (2. *Tim.* 2. 20). Cur autem id facit? Ut nec Timotheus nec quis nostrum turbetur, si sint homines mali. Si sub Moyse fuerunt, inquit, et postea erunt, nihil mirum si nostra quoque ætate. *In novissimis temporibus instabunt tempora gravia.* Non dies vel tempora carpens hoc dicit, sed homines tunc futuros. Nam sic nos quoque solemus tempora mala dicere, et non mala, a rebus ab hominibus tunc gestis. Et statim causam et radicem et fontem malorum omnium ponit, superbiam, unde alia omnia pariantur. Qui hoc vitio captus est, ne sua quidem perspicit. Cum enim quis quæ proximi sunt non observat et negligit, quomodo sua observabit? Sicut enim is, qui ea quæ proximi sunt respicit, in illis etiam ea quæ sua sunt rite componet : sic qui illa contemnit, etiam sua despiciet. Si enim membra invicem sumus, proximi salus non ipsius tantum est, sed et reliqui corporis ; et proximi damnum non ad ipsum pertingit tantum, sed totum doloribus occupat. Si ædificatio sumus, quod una pars patitur, reliquo ædificio detrimentum affert ; si vero firma illa sit, reliquum etiam ferre potest. Sic et in Ecclesia, despexisti fratrem? teipsum læsisti. Quomodo? Membrum tuum jacturam non modicam pertulit. Nam si is qui pecuniam non erogat in gehennam abit, qui in magis necessariis periclitantem videt, et panem non porrigit, multo magis quam ille patietur, quo majus detrimentum fuerit : *Erunt* enim, inquit, *homines sui amatores.* Qui se amat, ipse maxime se non amat ; qui vero fratrem amat, ipse maxime se amat. Hinc nascitur avaritia. Caritatem enim, quæ lata est et ubique extenditur, comprimit et constringit amoris proprii pestis. *Pecuniæ cupidi.* Hinc elatio nascitur : ex elatione superbia, ex superbia blasphemia, ex blasphemia arrogantia et incredulitas. Qui enim contra homines se effert, facile contra Deum se efferet. Sic peccata nascuntur : sæpe ab inferioribus ascendunt. Qui pius erga homines est, multo magis erga Deum erit : qui erga conservos mansuetus, multo magis erga Dominum ; qui autem conservos spernit, ultra pergens Deum ipsum spernet. Ne itaque alter alterum spernamus : doctrina enim illa pessima est, quæ docet Deum spernere. In hoc enim Deum contemnimus, cum alter alterum contemnimus, cum ille jusserit, ut proximi multam curam exhibeamus. Cæterum, si vultis, id exemplo planum faciam. Contempsit fratrem Cain, et statim Deum sprevit. Quomodo sprevit? Vide quam contumeliose responderit : *Num custos fratris mei sum* (*Gen.* 4. 9)? Contempsit etiam fratrem Esaü, et Deum quoque contempsit. Ideo dicebat Deus : *Jacob dilexi, Esaü autem odio habui* (*Rom.* 9. 13). Quapropter dicebat etiam Paulus : *Ne quis fornicator aut profanus sicut Esaü* (*Hebr.* 12. 16). Spreverunt Josephum fratres, spreverunt et Deum. Israelitæ spreverunt Moysen ; ideo Deum quoque spreverunt. Ita et filii Heli contempsere populum, et Deum etiam contempserunt. Vis ex adverso etiam inspicere? Abraham pepercit fratris filio et Deo obedivit : idque palam est ex obedientia circa filium Isaacum, et ex reliquis ejus virtutibus. Rursus Abel mansuetus erga fratrem, pius erat erga Deum. Ne itaque nos invicem contemnamus, ut non discamus Deum etiam contemnere : honoremus nos invicem, ut discamus et Deum honorare. Qui audax est erga homines, audax quoque erit erga Deum. Cum autem pecuniæ cupiditas, amor proprius, et arrogantia una coeunt, quid deest ad integram perniciem? Omnia corrupta sunt, et multum peccatorum cœnum una confluit. *Ingrati*, inquit. Quomodo enim pecuniæ cupidus, gratus esse possit? cui gratiam habiturus est? Nemini : omnes arbitratur inimicos, cum omnia velit arripere : etiamsi illi omnem substantiam effundas, nullam habebit gratiam : indignatur quod multas opes non habueris, nec multarum eum feceris dominum. Etiamsi orbis totius illum feceris dominum, nullas tibi reddet gratias : nihil enim se accepisse putat. Insatiabilis est ejus concupiscentia : ex morbo enim proficiscitur hæc concupiscentia. Tales sunt morborum cupiditates.

2. Etiam qui febri laborat, numquam impleri potest, sed semper in cupiditate ebrius, numquam impletur, semper sitit. Sic et is qui circa pecunias furit, numquam solet cupiditatem implere : numquam autem satiatus, quantacumque profuderis, nullas habebit gratias. Illi enim tantum habebit, qui quantum ipse voluerit dederit : illud autem nemo poterit : nullam enim mensuram ejus cupiditas habet : nemini ergo gratiam habebit. Nihil ita ingratum est ut pecuniæ cupidus, nihil ita durum ut avarus ; totius orbis est inimicus : indignatur quod ulli sint homines : vult enim omnia deserta esse, ut omnium bonis ipse potiatur. Et talia multa imaginatur. Utinam terræ motus esset in urbe, inquit, et omnibus obrutis, ego solus superessem, ita ut omnia bona invaderem si fieri posset! utinam pestis ingrueret et omnes perderet, excepto auro! utinam diluvium veniret, aut exundatio maris! et innumera talia cogitat, nihil quidem bonum, sed terræ motus, fulmina, bella, pestes, et similia omnia accidere cupit. Dic autem mihi, miser et infelix, et mancipiis omnibus vilior, si omnia aurum essent, num ab auro liberari posses fame consumptus? si terræ motus fieret, absorpto orbe tu quoque perires cum tam perniciosa cupiditate : cum enim nullus in terra esset homo, necessaria ad vitam non tibi suppeterent. Ponamus enim omnes in orbe homines esse deletos, et totum aurum et argentum ad te ceu sponte delatum esse (nam stulta et impossibilia imaginantur, et opes illorum omnes, aurum,

argentum, sericas vestes, aurea omnia sponte in manus tuas venisse, quæ utilitas? sic te mors maxime invaderet, cum pistores et agricolæ non essent, et feræ omnia depascerent, dæmonesque animam tuam metu concuterent. Et jam quidem illam dæmones multi tenent : tunc autem te in amentiam inducerent, statimque perderent. Sed hoc nollem, inquies; sed vellem esse agricolas et pistores. At illi expensas facturi essent. Sed nollem illos expensas facere. Sic insatiabilis hæc cupiditas est. Quid vero his magis ridiculum fuerit? Vidistin' illum ea velle quæ esse nequeunt? vult multos esse qui sibi ministrent, et dolet quod illi cibo egeant, quodque facultates suas minuant. Quid ergo dic mihi? vis lapideos esse homines? Hæc omnia risum moventia sunt, fluctus, procella, hiems, tempestas, multa animæ perturbatio : semper esurit, semper sitit. Dic vero mihi, annon hujus miserebimur, neque flebimus? Atqui in corporibus hæc lues est gravissima, quam medici βουλιμίαν vocant, cum quis cibis ingurgitatus et impletus, famem sedare nequit : in anima autem de tali morbo non lacrymabimur? Insatiabilitas enim in anima est pecuniæ cupido, quæ multis quidem impletur, numquam autem sistitur, sed a cupiditate semper distenditur. Nam si elleborum sumere oporteret, aut aliquid longe gravius, ut ab hoc morbo liberaremur, annon alacriter omnia accipienda essent? Non est tanta pecuniarum summa quæ possit insatiabilem implere ventrem. Non pudet ergo nos si, dum illi circa pecunias tantum furunt, nos erga Deum ne minimam quidem dilectionis partem exhibeamus, Deumque pecunia viliorem habeamus? Pecuniarum enim gratia homines vigilias, peregrinationes, pericula frequentia, odia, insidias, et omnia patiuntur; nos autem pro Deo ne verbum quidem proferre audemus, odiaque subire, sed si oporteat oppresso cuipiam opem ferre, potentium inimicitias et pericula vitamus, et injuste læsum prodimus : ac cum potestatem a Deo acceperimus ad auxilium ferendum, illam perdimus, ne odia nobis attrahamus : et statim hoc nobis plurimi objiciunt. Frustra amicitiam quære, dicentes, frustra ne odium quæras. Hoccine est frustra odium quærere? quid hoc odio melius fuerit? Amicitia enim pro Deo suscepta longe melius est odium pro illo susceptum. Cum enim propter Deum diligimur, nos honoris illius debitores sumus; cum autem propter ipsum odio habemur, ille nobis mercedis debitor est. Cum autem amant pecuniæ cupidi, nullam amoris mensuram norunt; nos autem, si vel minimum quidpiam fecerimus, totum nos perfecisse putamus. Non Deum amamus ut illi aurum amant, imo ne minima quidem ex parte. Multum illi criminandi sunt, quod erga aurum tanto furore ferantur; multum nos damnandi sumus, quod non pari modo erga Deum feramur; sed quantum illi honorem terræ præstant (aurum enim est terra), non tantum nos Domino omnium præstamus.

3. Illorum insaniam inspiciamus et erubescamus. Quid enim, si nos non circa aurum insaniamus, et tamen Deum non assidue precemur? Hic autem homines uxorem, filios, substantiam, ipsamque salutem contemnunt, idque cum nesciant an opes suas auctur sint; sæpe namque, dum spei indulgerent anima migrante, cum frustra laborassent, abierunt : nos autem scientes quod ea quæ desideramus nacturi simus, si illum ut oportet amemus, non amamus tamen, sed omnino frigidi sumus, in amore proximi, in amore Dei; hinc frigidi quidem in amore Dei, quia frigidi sumus in amore proximi. Non potest enim, non potest is qui nescit amare, quicquam generosum ac virile habere. Nam fundamentum omnium bonorum nihil aliud est quam amicitia : *In hoc*, inquit, *pendent lex et prophetæ* (*Matth.* 22. 40). Sicut enim ignis in silvam ingressus, omnia purgare, solet : sic dilectionis fervor quocumque inciderit, omnia tollit et exscindit, quæ divino semini nocere possint, et terram mundam efficit ad excipienda semina. Ubi caritas est, omnia sublata sunt mala : non est ibi pecuniæ cupiditas, omnium radix malorum, nulla ibi elatio : quomodo enim quispiam adversus amicum se efferatur? Nihil ita sic humilem reddit, ut caritas. Famulorum enim ministeria amicis impendimus, nec erubescimus, sed adeo gratias illis talis admissi ministerii habemus : pecuniis non parcimus, sed nec sæpe corporibus : jam enim aliquis pro amico periclitatus est. Nulla est invidia, nullum convicium, ubi genuina est amicitia : non modo enim amicos non calumniamur, sed etiam calumniatoribus os obstruimus. Omnia serena sunt, omnia suavia, litis vel contentionis ne vestigium quidem apparet, omnia pace plena : *Plenitudo enim legis*, inquit, *est caritas* (*Rom.* 13. 10) : nihil insuave in illa. Quomodo? Peccata enim ipsa, avaritia, rapina, invidia, convicium, arrogantia, perjurium, mendacium, hæc omnia, præsente caritate, soluta sunt : pejerant enim perjuri, ut rapiant; ab amato autem nihil quisquam rapuerit, imo potius illi sua dederit; gratiam enim illi magis habemus, quam si ab illo accepissemus. Hæc scitis omnes qui amicos habuistis : amicos non nomine tantum dico, sed eos qui ut oportet amant sibi amicitia conjunctos. Si qui vero id ignorent, a scientibus ediscant.

Jonathæ cum Davide amicitia. — Nunc ex Scripturis amicitiam vobis admirabilem enarrabo. Saülis filius Jonathas Davidem amavit, *Et colligata est illi*, inquit, *anima ejus* (1. *Reg.* 18. 1); ita ut lamentans illum David diceret, *Incidit in me dilectio tua, sicut dilectio mulierum. In mortem vulneratus es mihi* (2. *Reg.* 1. 26. 25). Quid ergo? num invidebat illi? Minime, etsi invidendi illi causa aderat. Quare? Ex rerum conditione videbat ipsi regnum obventurum esse, tamenque nihil tale passus est, neque dixit, Hic est qui me paterno regno privabit; sed cooperabatur ut imperium illi obveniret, et amici causa ne patri quidem parcebat. Sed ne quis illum parricidam putet : neque enim patri injuriam inferebat, sed ejus insidias et injustitias coercere conabatur. Magis illi parcebat, quam lædebat ipsum : non permisit illum injustam patrare cædem. Voluit etiam sæpe mori pro-

pter ipsum. Non accusavit, sed patrem quoque loquentem confutavit : non invidit, sed etiam pro Davide operam adhibuit : non modo pecunias ipsi dedit, sed etiam salutem ipsi paravit. Quid dico pecunias? animam quoque suam pro illo posuit. Amici sui causa non reveritus est patrem, quia ille res injustas aggrediebatur, ipse vero nullius hujusmodi sibi conscius erat. Talis erat ejus cum justo viro amicitia : istiusmodi vir erat Jonathas. Jam Davidem inspiciamus. Non licuit illi per tempus vicem amico reddere : præreptus enim ille fuit antequam David regnaret, et beneficus, antequam beneficiis affectus imperaret, sublatus est. Quid ergo? Videamus quomodo justus ille quantum licuit amicitiam declaravit. *Bonus*, inquit, *mihi Jonathas ; in mortem vulneratus es mihi* (2. *Reg.* 1. 25). Num hoc tantum? Non modicum certe hoc est : sed ille etiam filium nepotemque ejus sæpe a periculis eripuit, patris gratiam in memoriam revocans, pergebatque semper ac si filii sui nepotes curaret et custodiret. Talem ego vellem amicitiam omnes habere et erga viventes et erga mortuos.

4. Audiant mulieres (illarum enim causa mortuos memoravi) ; illæ, inquam, quæ secundas nuptias appetunt, et defuncti torum maculant, quæ tamen priorem dilexerunt. Non secundas nuptias improbans ut impudicas hæc dico : non enim id permittit Paulus, frenum ori meo apponens, ac mulieribus dicens, *Non peccat si nubat.* Sed sequentia videamus : *Beatior autem erit, si sic permanserit* (1 *Cor.* 7. 28. 40). Hoc multo melius illo est. Quare? Plurimis de causis. Si enim non nubere melius est, quam nubere, multo magis hoc illo melius est. At, inquies, viduitatem quædam ferre non potuerunt, et in calamitates inciderunt : non enim noverant quid esset viduitas. Non hoc est viduitas, secundas non appetere nuptias, sicuti nec virginitas est, non nupsisse ; sed quid? Sicut in virginibus honestus habitus et assidua oratio requiritur : sic in viduis, ut solæ maneant, precando perseverare, atque a voluptate et deliciis abstinere. *Nam quæ in deliciis est*, inquit, *vivens mortua est* (1. *Tim.* 5. 6). Si vidua manens eumdem fastum, eamdem pompam, eumdem amictum habitura es, quem vivente marito, melius est nubere : non enim coitus malus est, sed tantus ille apparatus. Tu vero non id facis quod culpa vocat; quod vero non indifferens, sed culpæ obnoxium est, id agere audes. Ideo retro conversæ sunt post satanam, quia viduitatem recte servare nescierunt. Vis discere quid sit vidua? Audi Paulum dicentem : *Si filios educavit, si suscepit hospitio, si sanctorum pedes lavit, si iis qui in tribulatione sunt subministravit, si omne opus bonum sequuta est* (1. *Tim.* 5. 14). Nam si mortuo viro, ingentem opum præferas fastum, jure dicaris non ferre viduitatem. Transfer igitur has divitias in cælum, et viduitatis onus facile feres. Quid ergo, inquies, si filios habeam paternæ sortis heredes? Doce illos aspernari pecunias ; quæ tua sunt illo transfer, illis quantum satis sit distribuens : erudi illos, ut sint opibus superiores. Quid ergo, inquies, si circumfluant mancipiorum greges? si negotiorum multitudo, aurum, argentum? quomodo ad tantam custodiam viro privata, sufficere valeam? Obtentus hæc sunt, ut palam omnino est. Si enim pecunias non amas, nec opes augere vis, leve onus erit : onerosius multo est acquirere divitias, quam custodire. Si ergo ostentationem amputes, et ex facultatibus eroges inopibus, Deus te manu sua proteget. Si vere orphanorum hereditati prospiciens, hæc dicas, neque hoc obtentu pecuniæ cupidi ate tenearis ; scit is qui corda novit quo pactoillorum divitias in tuto ponat, cum ipse filios educare præcipiat. Non potest enim, non potest domus in eleemosyna radicata grave quid perpeti ; sed et si quid patiatur ad tempus, in bonum res cedit. Hoc magis quam thoracis et clypei instar domui erit. Audi quid dicat diabolus de Jobo : *Nonne tu circummunivisti ejus interiora et exteriora?* Quare? Audi ipsum Jobum dicentem : *Oculus eram cæcorum, pes claudorum, pater orphanorum* (*Job.* 1. 10. *et* 29. 15). Sicut is, qui ab alienis calamitatibus se non avertit, numquam in rebus suis aliquid male patietur, cum una dolere didicerit : sic qui non vult commiserationis ferre dolorem, in suis rebus ipse omnia experietur. Et sicut in corpore manus, putrescente pede, nisi commisereatur et vulnus curet pharmacumque apponat et saniem abluat, in malis suis idipsum patietur, et quæ noluit alteri opem ferre, cum esset a morbo libera, in morbum et ipsa incidet ; nam inde serpens malum ad ipsam perveniet, neque ultra de officio ferendo, sed de curatione sua agetur : ita et hic, qui non vult aliis condolere, ipse dolebit. *Circummunivisti*, inquit, *ejus interiora et exteriora*, et non audeo irrumpere. At, inquies, dira ille passus est. Sed dira illa bonorum multorum causa fuere : duplicatæ facultates sunt, major merces fuit, major justitia, splendidæ coronæ, læta bravia, spiritualia et corporalia aucta fuere. Perdidit filios? recepit non illos, sed eorum vice alios ; illos vero quoque in resurrectione servabit. Si eosdem recepisset, imminutus fuisset illorum numerus : nunc autem alios dedit Deus pro illis, et illos quoque in resurrectione adducet. Hæc omnia ipsi obvenerunt, eo quod promptus esset ad eleemosynas erogandas : quod et nos quoque faciamus, ut eadem consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi. Amen.

HOMILIA VIII.

Cap. 3. v. 1. *Hoc autem scito quod in novissimis diebus instabunt tempora gravia : 2. erunt enim homines sui amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, 3. sine pace, sine affectione, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, 4. proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei.*

1. Si quis nunc ægre ferat, quod hæretici compa-

reant, consideret similia a principio fuisse, diabolo semper veritati mendacium inserere moliente. Promiserat Deus bona a principio; venit diabolus sua pollicens: plantaverat paradisum; decepit ille hominem dicens, *Eritis sicut dii* (*Gen.* 3. 5). Quia enim re nihil ostendebat, verbis majora pollicetur. Tales quippe sunt deceptores. Postea fuerunt Cain et Abel; deinde filii Seth, et filiæ hominum; postea Cham et Japhet, Abraham et Pharao, Jacob et Esaü; et ad finem usque ita fuit, Moyses et magi, prophetæ et pseudoprophetæ, apostoli et pseudapostoli, Christus et Antichristus. Et prius igitur, et postea sic fuit. Tunc Theudas, tunc Simon erat, cum apostoli fuere, et isti quoque Hermogenes et Philetus. Non fuit igitur tempus, quo mendacium veritati non se intermisceret. Ne itaque moleste feramus: jamdudum ista prædicta sunt. Ideo dicebat: *Scito quod in novissimis diebus instabunt tempora gravia: erunt enim homines sui amantes; cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione.*

Ingrati imago.—Ergo ingratus, scelestus est: et hæc ex consequenti. Qui enim erga beneficum ingratus est, erga alios qualis umquam fuerit? Ingratus sine pace est, et sine affectione. *Criminatores*, inquit; hoc est, accusatores. Qui enim nullius boni sibi conscii sunt, velut solatii cujusdam vice aliorum opiniones traducentes, mille peccata et scelera adhibent. *Incontinentes*, et lingua et ventre et aliis omnibus. *Immites*. Hinc crudelitas, hinc immanitas oritur, cum quis pecuniæ cupidus est, cum sui amans, cum ingratus, cum lascivus est. *Sine benignitate, proditores, protervi. Proditores*, amicitiæ. *Protervi*, id est, nihil firmum habentes. *Tumidi*, arrogantia pleni. *Amatores voluptatis magis quam Dei:* 5. *habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Et in Epistola ad Romanos scribens sic ait: *Habentes formam scientiæ et veritatis in lege* (*Rom.* 2. 20). Sed illic quidem laudans sic loquitur; hic autem omnium delictorum pessimum hoc esse ostendens. Quare? Quia non eodem sensu id accipit. Sicut enim imaginem sæpe pro similitudine affert, sæpe quoque pro re inanimata et nullius pretii; sicut ipse ad Corinthios scribens dicit, *Vir non debet velatum caput habere, cum sit imago et gloria Dei* (1. *Cor.* 11. 7); propheta vero dicit, *Verumtamen in imagine pertransit homo* (*Psal.* 38. 7); et leonem Scriptura nonnumquam pro regia persona accipit: *Dormivit*, inquit, *ut leo et ut catulus leonis, quis excitabit illum* (*Gen.* 49. 9)? aliquando autem, cum de rapina agitur: *Sicut leo rapiens et rugiens* (*Psal.* 21. 14): sic et nos facimus. Cum enim res sint compositæ et variæ, jure in multas imagines et exempla adhibentur. Exempli causa, cum formosam laudare volumus, picturis illam comparamus; et cum depictas imagines laudibus prosequi volumus, dicimus illas loqui et vocem emittere: neque pari ratione facimus: illic enim quia prope similitudinem accessit; hic vero quia prope formam et pulchritudinem. Sic et in forma dicimus; illic quidem, quod sit typus et imago, et doctrina et archetypum pietatis; hic vero, quod sit res inanimata, ac figura tantum atque typus et quasi simulata res. Fides ergo sine operibus figura tantum est sine virtute, merito sic dicta. Ut enim corpus pulchrum ac venustum virtute destitutum, picturæ simile est: sic fides recta sine operibus. Supponamus enim esse quempiam pecuniæ cupidum, proditorem, petulantem, qui recte credat: quæ utilitas, si nihil habeat eorum quæ Christianum decent, si nihil agat eorum quæ pietatem præ se ferunt, sed gentiles impietate superet, si ad sociorum perniciem, ad Deum blasphemandum natus sit, si per vitam dogma contaminet? *Et hos*, inquit, *devita.* Si ergo in novissimis temporibus tales futuri sint, cur dicit, *Et hos devita?* Verisimile est tunc etiam tales quospiam fuisse, etsi non tantæ impietatis, fuisse tamen: vereque per illum omnes admonet, ut hi vitarentur. 6. *Ex his enim sunt*, inquit, *qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur concupiscentiis variis:* 7. *semper discentes, et numquam ad agnitionem veritatis venire valentes.*

2. Viden' illos antiqui illius fraude utentes, telo quo diabolus contra Adamum usus est? *Qui penetrant domos*, inquit. Viden' quomodo impudentiam indicet, cum dicit, *Qui penetrant*, ignominiam quoque et fallaciam atque adulationem? *Et captivas ducunt mulierculas.* Itaque muliercula est vir qui facile decipitur, et procul a viri constantia. Mulierum est facile decipi; imo non mulierum, sed muliercularum. *Oneratas peccatis.* Vide unde eveniat illis ut persuadeantur: a peccatis scilicet, quod nullius boni sibi sint consciæ. Et apposite dixit, *Oneratas*; nam peccatorum multitudinem sic indicat, et inordinatum confusumque rerum statum. *Quæ ducuntur concupiscentiis variis.* Non sexum accusat, nec simpliciter ait, mulieres; sed tales mulieres. Quid est, *Variis?* Hic multa subindicavit, voluptatem, turpitudinem, lasciviam. *Variis*, inquit, *concupiscentiis*, hoc est, pecuniarum, gloriæ, deliciarum, jactantiæ, honoris. Fortasse vero alias quoque turpes concupiscentias subindicat. *Semper discentes, et numquam ad agnitionem veritatis venire valentes.* Cur hæc dicit? Non illis parcens, sed valde comminans. Quia enim sese obruerunt desideriis illis et peccatis, excæcata illarum mens erat. 8. *Quemadmodum Jannes et Jambres restiterunt Moysi, ita et isti resistunt veritati.* Quinam isti sunt magi tempore Moysis? quomodo autem nomina eorum nusquam alibi feruntur? Vel traditiones non scriptæ sunt, vel a Spiritu Paulus hæc didicerit. *Ita et isti*, inquit, *resistent veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem;* 9. *sed ultra non proficient.* Horum etiam amentia omnibus nota erit, ut et illorum fuit. *Sed non proficient*, inquit. Quomodo ergo alibi dicit, *Proficient amplius in impietate* (2. *Tim.* 2. 16); hic autem dicit, *Non proficient?* Illic ita loquitur, quia cum innovare et errare inceperint, non desistent ab errore, sed semper fallacias novas et

dogmata corrupta invenient : error enim nusquam subsistit. Hic autem dicit, Non fallent, neque secum rapient, licet initio quosdam decipere videantur ; sed cito deprehendentur. Quod enim hac de re loquatur, audi quid dicat : *Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus.* Undenam? Undique, *Sicut et illorum fuit.* Licet enim in principio prospere agat error, ad finem tamen usque non permanet. Talia enim sunt quæ natura non sunt bona, licet bona esse videantur : ad tempus florent, sed deprehenduntur et pereunt. Sed nostra talia non sunt, et horum tu testis es : non enim ad fallaciam nostra sunt composita : nam quis pro fallacia mori vellet? 10. *Tu autem assequutus es meam doctrinam.* Itaque fortis esto : non solum enim accessisti, sed *Assequutus es.* Hic multum jam temporis fuisse indicat, cum dicit, *Assequutus es doctrinam* : verbi scilicet. *Institutionem*, hoc de vita dicitur. *Propositum*, hoc de alacritate et perseverantia. Non enim, inquit, hæc dicebam tantum, sed et faciebam, neque verbis solum philosophabar. *Fidem, longanimitatem.* Quo pacto, inquit, nihil horum me turbavit. *Dilectionem ;* quam illi non habuere. *Patientiam ;* neque hanc illi habuere. *Magnanimitatem,* inquit. Adversus hæreticos multam exhibui magnanimitatem. *Patientiam,* in persequutionibus. 11. *Persequutiones, passiones.* Hæc duo enim maxime doctorem turbant, quod hæretici sint multi, et difficultas ferendarum passionum. Sed tamen de his multa dixit, quod jam olim fuerint, et futuri sint, nullumque tempus eis cariturum fore, et quod nobis nocere non possint, quodque in mundo vasa aurea argenteaque sint. Viden' illum demum de ærumnis disserentem? *Qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii et Lystris.* Cur hæc solum pauca loca ex multis dixit? Quia reliqua discipulo nota erant ; et fortassis hæc ut recentiora memorat, missis antiquioribus ; nec per species enumerat : neque enim vanæ gloriæ appetens est, neque ambitiosus : nam ad consolandum discipulum, non ad ostentationem loquitur. Hic autem de Antiochia Pisidiæ loquitur, et Lystram memorat, unde Timotheus oriundus erat. *Quales persequutiones sustinui.* Utraque consolationem ferunt : quod et ego generosam alacritatem exhibuerim, nec derelictus sim, nec dici potest quod me prodiderit Deus, sed coronam mihi texuit clariorem. *Quales persequutiones sustinui,* inquit, *et ex omnibus his liberavit me Dominus.* 12. *Et omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persequutionem patientur.*

3. Quid autem de me dico, inquit? quicumque volent pie vivere, persequutionem patientur. Persequutiones hic vocat ærumnas et dolores. Nullus enim vir qui virtutis viam capessat, expers erit dolore, ærumnis, mœrore, tentationibus : quomodo enim, is qui in arcta et angusta via incedit, qui audivit, *In mundo tribulationem habebitis* (*Joan.* 16. 33)? Si illo tempore Job dicebat, *Tentatio est vita hominis super terram* (*Job* 7. 1), quanto magis tunc? 13. *Mali autem homines et præstigiatores*, inquit, *in deterius proficient, errantes et in errorem inducentes.* Nihil horum te perturbet, inquit, si illi in quiete, tu vero in tentationibus sis : talis est ejus rei natura. Ex me id discere possis, non posse virum, qui cum improbis bellum gerat, in ærumnis non versari. Non potest pugil decertans in deliciis esse, non potest qui pugnat, in convivio esse. Nemo itaque certantium quietem quærat, nemo requiem. Rursus præsentia sunt certamen, bellum, ærumna, angustia, tentatio, agonum stadium. Alia sunt quietis tempora ; hoc tempus sudorum est, hoc laborum. Nemo postquam exutus et unctus ad certamen est, quietem quærit. Si quietem quæris, cur te exuisti? cur manus attollis? Et quomodo non attollo nunc, inquies? Si concupiscentias non superes, si cum naturæ violentia non pugnes. 14. *Tu vero permane in iis quæ didicisti, et quæ tibi credita sunt ; sciens a quo didiceris*, 15. *et quia ab infantia sacras literas nosti, quæ possunt te instituere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu.* Quid est hoc? Sicut David propheta monuit, *Noli æmulari in malignantibus* (*Psal.* 36. 1), hoc et Paulus monet dicens : *Tu autem permane in iis quæ didicisti et quæ tibi credita sunt.* Non solum *Didicisti*, sed, *Tibi credita sunt ;* hoc est, credidisti. Quid credidi? Hanc esse vitam. Si ergo contraria hic videas iis quæ credidisti, ne turberis, quando et Abraham contraria vidit, nihilque passus est : audierat, *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Gen.* 21. 12) ; et Isaac immolare jussus est, nec turbatus vel commotus fuit. Nemo itaque in malis scandalum patiatur : hoc jam olim Scriptura dixit. Quid ergo, si boni lætentur, et improbi crucientur? Alterum fieri potest, alterum non : ut improbi puniantur fieri potest ; ut boni semper lætentur, non item. Nemo Paulo æqualis erat, et tamen in ærumnis totum tempus transegit, in lacrymis, in gemitibus nocte et die. *Cum lacrymis* enim, inquit, *nocte et die per triennium monens non cessavi ;* et rursum, *Instantia mea quotidiana* (*Act.* 20. 31. 2. *Cor.* 11. 28). Non hodie gaudebat, cras dolebat ; sed quotidie mœrere non cessabat. Quomodo ergo dicit, *Mali in deterius proficient?* Non dicit illos in quiete esse, sed, *In deterius proficient* : profectus eorum in deterius erit. Non ait, In rerum copia erunt. Quod si puniantur, ideo plectuntur, ut ne putes eorum peccata inulta manere. Quia enim gehenna non potest nos a malitia cohibere, parcens nobis, excitat erigitque nos.

Cur Deus modo puniat in hac vita, modo non puniat. — Si nullus improbus puniretur, nemo putaret Deum humanis rebus prospicere : si omnes puniren tur, nemo exspectaret resurrectionem fore, utpote cum omnes hic sua acciperent. Ideo punit, et non punit : ideo justi hic in ærumnis degunt, quia peregrini sunt et advenæ, et quia in aliena terra vivunt. Justi ergo probationis causa hæc tolerant : audi enim Deum Jobo dicentem : *Putas me tibi aliter respondisse, quam ut appareres justus* (*Job* 40. 3)? Peccatores autem etiamsi quid simile aliquando patiantur, peccatorum pœnas dabunt. In omnibus ergo gratias agamus Deo, sive sic, sive alio modo agat :

utraque enim utilia sunt. Nihil vel odiens vel aversans nos facit, sed utraque curans et de nobis sollicitus. *Sciens*, inquit, *quod ab infantia sacras literas nosti.* Hoc est, a prima juventute sacras Scripturas didicisti : sic divinas Scripturas vocat. In his educatus es ; ideoque oportet fidem tuam esse firmam, quæ non lædatur. Profunda enim radix est, non longo tempore nutrita : nihil ipsam subvertere poterit. Cum *Sacras literas* dixisset, addit, *Quæ possunt te instruere ;* hoc est, non permittent te quid stultum facere, ut multi faciunt.

4. Qui enim Scripturas scit, ut scire oportet, a nullo rerum eventu scandalum patitur, omnia fortiter fert, partim fidei committens et incomprehensibili Dei dispensationi ; partim rationes cognoscens, et exempla in Scripturis inveniens. Nam nolle omnia curiose inquirere, nolle omnia scire, magnum est scientiæ indicium : et si placet, exemplo utar. Sit fluvius ; imo sint fluvii (non ex concesso loquor, sed ut res se habet) : [1] [non omnes fluvii æque profundi sunt, sed alii plus, alii minus ; sunt qui possint ignaros mergere et suffocare ; hic vortices sunt, ibi non item.] Igitur non omnia similiter tentare, bonum est, et nolle omnia profunda nosse, non modicum est scientiæ indicium : sicut qui vult, omnes fluvii partes tentare, hic non novit fluminum proprietates, et ex audacia forte peribit, cum profundum tentabit, quia quod profundum non erat trajecerat. Sic in Deo quoque, qui omnia vult scire, et omnia tentat, is maxime nescit quid sit Deus. Verum in fluviis quidem maxima pars tuta est, pauci sunt vortices, pauca profunda : in Deo autem maxima pars occulta, et investigabilia opera ejus sunt. Cur ergo te præcipitem agere tentes? Hoc solum scias, Deum omnia dispensare, omnibus prospicere, nobis liberum arbitrium esse ; Deum alia operari, alia permittere, Deum nihil mali fieri velle, nec ex voluntate ejus omnia fieri, sed etiam ex nostra ; omnia mala a nobis tantum, bona autem a nobis et ab ejus gratia, nihilque ipsum latere. Ideo omnia operatur. Hæc sciens, enumera, quænam sint bona, quæ mala, et quæ indifferentia ; velut bona est virtus, mala nequitia, indifferentes vero divitiæ, vita, mors. Si hæc noveris, cum his etiam scies, justos ideo ærumnis vexari, ut coronentur ; peccatores, ut peccatorum pœnas luant : non omnes autem peccatores hic pœnas dant, ne resurrectioni plerique non credant ; ut neque omnes justi ærumnis vexantur, ut ne laudabilem esse nequitiam putes, sed solam virtutem. Hæ regulæ sunt, hæ normæ : ipsis præviis omnia facito, et non periclitaberis. Sicut enim apud librarium est sex millium numerus, et sub illum ducuntur omnia, et omnia partiri et multiplicare licet in sex millium regula, et per hunc numerum cuncta vertuntur ; id sciunt omnes qui has literas didicerunt : sic has regulas, quas breviter repetam, si quis noverit, numquam in offendiculum incurret. Quænam illæ sunt? Quod bona sit virtus, et mala nequitia ; quod indifferentia sint, morbi, paupertas, insidiæ, sycophantiæ, et similia ; quod justi hic ærumnis premantur ; quod, si quidam in bonis versentur, id fiat ne virtus odiosa videatur ; quod improbi lætentur, ut illic puniantur, quod quidam eorum hic plectantur, ut ne malitia bona esse videatur, neque inulta scelera maneant ; quod non omnes puniantur, ut ne resurrectioni fides derogetur ; quod inter bonos etiam sint quidam, qui mala admixta habent, et quod hic illa deponant ; et quod mali bona admixta habentes, hic mercedem recipiant, ut illic puniantur ; quod plurima Dei opera incomprehensibilia sint, et quod inter nos et illum multum spatii intersit, et quantum dici nequeat. Si hæc nobiscum reputemus, nihil nos turbare poterit. Si Scripturas frequenter audiamus, exempla talia multa inveniemus : *Quæ instruere te possunt*, inquit, *ad salutem.* Nam Scripturæ quæ agenda, et quæ non agenda sint docent : audi enim beatum hunc alibi dicentem : *Confidis teipsum ducem esse cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, doctorem infantium* (*Rom.* 2. 19. 20). Viden' legem esse lucem eorum qui sunt in tenebris? quod si ille sit lux qui literam nobis monstrat, literam occidentem ; quid ergo de illo dicendum qui nobis spiritum vivificantem exhibuit? Si vetus lex est lux, quid erit nova, ubi tanta reserata sunt? ubi tantum est spatii intermedium quantum si quis iis qui terram solum viderent, cælum aperiret, et omnia conspiciendi copiam faceret. De gehenna, de regno, de judicio didicimus. Ne itaque credamus rebus ratione vacuis, illa enim sunt præstigiæ. Quid ergo, inquies, si quæ illi dicunt eveniant? Ideo eveniunt, quia tu credis, si tamen eveniant. Captivum te ille fecit, vitæ tuæ dominus est, ipse dispensat ut vult. Dic enim mihi, si quis latronum princeps regis filium ad se in solitudinem confugientem, illiusque societatem cupientem, in manibus et potestate sua haberet, possetne illi dicere, num moriturus, num victurus esset? Utique posset. Quomodo? non quod futura prævideat, sed quod utrumque in potestate illius sit, vel puerum de medio tollere, vel servare, cum se puer ipsi tradiderit : utrumvis enim facere poterit si velit. Si dixerit illi, Dives eris, pauper eris, utrumque penes illum est. Major mundi et hominum pars sese in manus diaboli tradiderunt.

5. Et alioquin, cum assueverit homo iis fidem habere, multum id seductoribus confert : nemo enim contrariis eventibus attendit, sed iis quæ eveniunt tantum. Si vero quamdam prænoscendi vim habent, eos ad me fidelem adduc. Non magnifice loquens dico ; nam ab illis esse liberum nihil magnificum est. Nam etsi peccatis plenus sum, illorum gratia non me humiliaverim : omnes illos per Dei gratiam irrideo.

[1] Locus uncinis inclusus sic legitur in Cod. Ms. : *Fluvii non omnes sunt æquales ; sed alii viciniorem superficiei fundum habent, alii ita profundi sunt ut ignarum suffocare possint : suntque in his vortices, minime vero in illis : sic quæstionum quæ ad Deum pertinent aliæ tales sunt ut solutio se ultro offerat quærentibus, aliæ vero ita arcanæ sunt et infandæ ut pessumdent curiosius investigare studentes.*

Adduc ad me magum, si quam prænoscendi vim habeat, dicat quid mihi cras eventurum sit. Sed non dicet : nam sub Regis potestate sum, nec imperium ille habet in me : procul sum ab ejus receptaculis et cavernis, Regi milito. Sed ille furatus est, inquies, et ille indicavit furem. Atqui hoc non semper vere dicitur, verum hæc risus et mendacia sunt ; nihil enim sciunt : quod si quid sciant, sua potius dicere deberent, quomodo multa idolis oblata dona furto sublata sunt, quomodo auri plurimum liquatum est. Cur non hæc prædixere sacerdotibus suis ? Itaque nihil sciunt : sed servandarum opum causa nihil prædicere potuerunt, quando templa idolorum suorum incendio conflagrarunt, et multi simul periere. Cur non salutem curant suam ? Sed forte fortuna tantum accidit, si quid ab iis prædictum eveniat. Sunt apud nos prophetæ, sed illi numquam falluntur : non modo vere, modo false loquuntur, sed omnia vera dicunt. Illud vere præscientia est. Desistite tandem ab hac insania, rogo, si Christo creditis : si vero non creditis, cur vos traducitis, cur fallitis ? quousque claudicabitis utroque poplite ? cur accedis ? cur interrogas ? Statim atque accessisti et interrogasti, teipsum servum constituisti : nam ut credens interrogasti. Non, inquies, non ut credens quod vera dicat, sed ut tentans. Atqui tentare an vere dicat, non est credentis quod fallat, sed ambigentis. Cur ergo interrogas quid futurum sit ? Si enim dicat, Hoc erit, hoc fac, et effugies, non sic tamen oportebat idola colere ; at non eousque procedit amentia : si autem futura prædicunt, nihil inde lucraris nisi mœrorem superfluum : res non evenit, sed mœror mansit, et se ipse macera-vit. Si hoc nobis conduceret, non nobis invidisset Deus, non livore ductus esset, qui ea quæ in cælis sunt aperuit. *Quæcumque enim audivi a Patre meo*, inquit, *omnia nota feci vobis ; et quæcumque audivi a Patre, nuntiavi vobis ;* et, *Non dico vos servos, sed amicos : vos amici mei estis* (*Joan.* 15. 15). Cur ergo hæc non nuntiavit nobis ? Quia vult nos eorum nullam rationem habere. Nam quod non invideat, antiquis ista dicebantur, et de asino et aliis quibusdam, quia parvuli erant : nobis autem, quia vult nullam nos de illis rationem habere, vel discendi curam ademit. Sed quid nos discimus ? Quod illi non didicerunt : vilia enim illa omnia sunt : quæ autem nos discimus hæc sunt, quod resurrecturi simus, quod immortales et incorruptibiles futuri, quod vita illa finem non habeat, quod omnia transitura sint, quod in nubibus rapiendi simus, quod improbi pœnas sint daturi, innumeraque alia, nullumque mendacium ibi est. Annon multo melius est hæc scire, quam quod asinus perditus repertus sit ? Ecce asinum accepisti, reperisti : quæ utilitas ? annon rursus perdes illum alio modo ? Etiamsi enim ipse te non deserat, tu in morte relinques : illa autem, quæ ego dixi, si tenere velimus, perpetuo habebimus. Illa ergo persequamur, illis, manentibus hæreamus. Ne vatibus, ne divinis, ne præstigiatoribus attendamus, sed Deo qui omnia clare novit, et omnium notitiam habet ; et sic omnia, quæ scire oportet, sciemus, et omnia bona consequemur.

HOMILIA IX.

Cap. 3. v. 16. *Omnis scriptura divinitus inspirata, et utilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia,* 17. *ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

1. Postquam illum ex omnibus hortatus consolatusque est, perfectiorem inducit exhortationem ex Scriptura : merito autem tantam consolandi curam habet, quia magnum quiddam et triste dicturus est. Nam si Elisæus ad extremum usque halitum cum magistro conjunctus, illumque videns modo quodam mortis abscedentem, scidit vestimenta sua (4. *Reg.* 2) : quid putas passum fuisse, ita amantem, ita dilectum, cum audiret moriturum esse doctorem, et quod tempore morti vicino non posset ejus frui consortio, quod maxime contristari solet ? Non enim ita præterito tempori gratiam habemus, si vicino mortis tempore a dilectis morientibus deserimur. Ideo, postquam consolationem multam adhibuerat, tunc de morte sua loquitur : nec utcumque, sed verbis utitur aptis ad ipsum consolandum et gaudio implendum ; ita ut res sacrificium esse videretur potius quam mors, et quasi peregrinatio haberetur, imo translatio ad meliora. *Ego enim jam delibor* (2. *Tim.* 4. 6), inquit. Ideo hæc scribit : *Omnis scriptura divinitus inspirata, et utilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum. Omnis*, quænam ? De qua dixi, inquit, omnis sacra ; de qua loquebatur, Hæc dicta sunt ; de qua dicebat, *Ab infantia sacras Scripturas* nosti. Omnis ergo illa divinitus inspirata est. Nihil igitur dubites, inquit. *Et utilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ut sit perfectus homo Dei, ad omne opus bonum instructus Ad docendum.* Si quid vel discere vel ignorare opus sit, hinc discemus ; si arguere falsa, hinc ; si corrigi et castigari opus sit, ad exhortationem, ad consolationem, inquit, *Ad correctionem ;* hoc est, si quid deficit ; si quid addi oporteat. *Ut sit perfectus homo Dei.* Ideo, ait, data est Scripturarum exhortatio, ut perfectus sit homo Dei. Non ergo sine illa perfici possumus. Mei vice, inquit, Scripturas habes, si quid discere velis, hinc poteris. Si autem Timotheo ista scripsit sancto Spiritu pleno, quanto magis nobis ? *Ad omne opus bonum instructus.* Non simpliciter particeps, inquit, sed accurate instructus. (*Cap.* 4) 1. *Testificor igitur ego coram Deo et Domino Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos.* Vel peccatores dicit et justos : vel eos qui decesserunt, et eos qui vivunt, quia multi vivi relinquendi sunt. Terruerat ipsum in priore epistola, dicens : *Præcipio tibi coram Deo, qui judicat omnia* (1. *Tim.* 6. 13) ; hic vero terribilius quidpiam apposuit, *Qui judicaturus est*

vivos et mortuos : hoc est, qui rationem exacturus est : *per adventum ipsius et regnum ejus.* Quando judicaturus ? In adventu suo qui erit cum gloria et regno. Vel hoc ergo significat, quod non sit venturus sicut nunc : vel testificor tibi adventum ejus et regnum. Illum testem vocat, quia ipsum admonuit hac de re. Deinde docens quomodo prædicare verbum oporteat, subjungit : 2. *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, increpa, obsecra cum omni patientia et doctrina.* Quid sibi vult illud, *Opportune, importune?* Hoc est, Ne tempus habeas definitum ; semper tibi tempus sit, non solum in pace, in quiete, in ecclesia sedens : sive in periculis, sive in carcere fueris, sive catena constrictus, sive ad mortem eundum sit, eo ipso tempore argue, ne cesses increpare. Tunc enim increpandi tempus est, cum arguendo profeceris, cum opus exhibitum fuerit. *Obsecra*, inquit : ut de medicis dicimus, cum dixisset vulnus esse, incisionem intulit, medicamentum apposuit : si quid eorum omittatur, alterum inutile est. Nam si absque argumentis increpes, audax esse videberis, et nemo id feret ; postquam autem demonstratio facta est, tunc increpationem admittit, alioquin petulans esset : si vehementius reprehensionem proferas sine obsecratione, rursus omnia perdes. Reprehensio per se intolerabilis est, nisi obsecrationem admixtam habeat. Sicut enim incisio, etiamsi salutaris sit, nisi multa dolorem mitigantia adhibeantur, ferri nequit, dum æger secatur et scinditur : hic quoque similiter. *Cum omni patientia et doctrina*, inquit. Itaque et qui arguit patientia opus habet, ut ne ille utcumque credat ; et increpatio consolatione, ut accipiatur. Quid est illud quod patientiæ adjicit, nempe, *Et doctrina ?* Non quasi indignatus et odio habens, non quasi insultans, et perinde ac si inimicum invenisset : hæc omnia absint : sed quid? Quasi amans et condolens, quasi magis quam ille lugens, atque in illius casibus tabescens. *In omni patientia*, inquit, *et doctrina*, non utcumque. 3. *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt.* Prius quam illi labefactentur, omnes præoccupa : ideo dicebat ; *Opportune, importune :* nihil non age, ut obtemperantes discipulos habeas. *Sed ad sua desideria*, inquit, *coacervabunt sibi magistros.*

2. Nihil hoc dicto majorem præferat emphasim : confusam enim doctorum multitudinem per hoc verbum, *Coacervabunt*, expressit, quique a discipulis ordinati sint. *Coacervabunt sibi*, inquit, *magistros, prurientes auribus ;* quærentes eos qui voluptatis causa loquantur et auditum oblectent. 4. *Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Hæc prædicit, non ut in mœrorem conjiciat, sed ut, cum hæc contigerint, fortiter ferat : sicut etiam Christus faciebat dicens, *Tradent vos, et flagellabunt, et ad synagogas ducent propter nomen meum* (*Matth.* 10. 17). Nam alibi quoque beatus hic vir ait : *Ego enim scio, quia post discessionem meam intrabunt in vos lupi graves, non parcentes gregi* (*Act.* 20. 29). Hoc autem dicebat, ut ipsi vigilarent, et ut præsenti tempore provide uterentur. 5. *Tu vero vigila,* inquit, *in omnibus, labora.* Viden' illum ideo id prædicere ? Etenim Christus quoque in fine dicebat . *Erunt pseudochristi et pseudoprophetæ* (*Matth.* 24. 24) : ita et hic, quando migraturus erat, hæc dicebat : *Tu vero vigila in omnibus, labora ;* id est, Laborem suscipe, præoccupa, prius quam lues isthæc ingruat, in tuto oves pone ; quamdiu lupi adsunt, ubique labora. *Opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple.* Ergo hoc opus evangelistæ erat, ut affligeretur tum a seipso, tum ab externis. *Ministerium tuum imple ;* id est, perfice. Ecce alia laborandi et patiendi necessitas : 6. *Ego enim jam delibor,* inquit, *et tempus resolutionis meæ instat.* Non dixit, Sacrificii mei, sed quod amplius est. Hostia enim non tota Deo offertur, libatio autem tota. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Sæpe apostolum ego manibus accipiens, et hunc locum considerans hærebam et cogitabam, qua de causa sic magnifice loquatur Paulus dicens : *Bonum certamen certavi.* Nunc autem per Dei gratiam me invenisse puto. Qua de causa igitur hæc dicit? Ut discipuli mœrorem soletur, confidere jubens, quod quasi ad coronam ipse pergat, cum omnia perfecerit, et præclarum finem sit consequutus. Gaudere oportet, inquit, non dolere. Quare ? *Bonum certamen certavi.* Ac si quis pater filiolum suum assidentem, et orbitatem non ferentem consoletur dicens : Fili, ne fleas ; recte enim viximus, et cum ad senectutem pervenerimus, te relinquimus ; inculpata vita nostra fuit, cum gloria demigramus ; potes tu quoque spectabilis esse ex iis quæ a nobis gesta sunt ; multas rex nobis gratias habet. Ac si diceret, Tropæa ereximus, hostes vicimus : non magnifice loquens, absit ; sed filium erigens, et his laudibus suadens ut hunc casum levius ferat, bonamque spem habeat, neque putet rem esse molestam. Gravis enim, gravis est separatio : audi ipsum dicentem : *Nos autem destituti a vobis ad tempus, facie, non corde* (1. *Thess.* 2. 17). Si autem ille a discipulis separatus talia patiebatur, qualia putes passum esse Timotheum ? si a vivente separatus lacrymabatur, ut diceret, *Memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear* (2. *Tim.* 1. 4) ; quanto magis ipso moriente? Hæc itaque ipsum consolandi gratia scripsit ; totaque epistola consolatione plena est, ac veluti testamentum quodpiam. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Certamen*, inquit, *bonum.* Tu ergo quoque id suscipe. Ubi est catena, ubi vincula, ubi mors, bonumne est illud certamen ? Etiam, inquit : pro Christo enim suscipitur, coronas habet magnas. *Certamen bonum.* Nihil hoc agone melius : hæc corona finem non habet, non oleastri foliis texitur, non hominem habet agonothetam, non homines spectatores : angelis plenum est theatrum. Illic multis diebus laborant et defatigantur, et hora una coronam accipiunt, voluptas vero statim avolavit : hic vero non ita, sed semper in claritate, in gloria et honore sunt. Jam gaudere oportet : nam ad requiem propero, ex stadio exeo. Audisti

quod dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* 1. 23) sit melius.

Pauli labores et certamina.—Cursum consummavi. Nam pugnandum et currendum est : certandum ærumnas ferendo, currendum non frustra, sed ad aliquid utile. Vere bonum est certamen, quod spectatorem non modo delectat, sed etiam ipsi utile est : et cursus non in nihilum desinit, neque roboris ostentatio est nec ambitio, sed omnes ad cælum trahit. Cursus hic sole purior est, quem Paulus in terra currebat, vel quo ille currit ad cælum. Quomodo autem cursum consummavit? Orbem totum circumiens, incipiens a Galilæa atque Arabia, et usque ad terminos terræ veniens : *Ita ut*, inquit, *a Jerusalem et in circuitu, usque ad Illyricum impleverim evangelium Christi* (*Rom.* 15. 19), et totum orbem percurrens volucris instar, imo volucre velocius : nam volucris simpliciter volasset; ille vero non simpliciter, sed alam habens spiritus, et mille obices transiliens, mortes, insidias, calamitates. Itaque volucre velocior erat. Si volucris tantum fuisset, dejicienda tandem et capienda erat. Sed a Spiritu sufflata, omnia superavit retia, quasi volucris alas igneas habens. *Fidem servavi*, inquit. Multa enim erant quæ ipsum spoliare volebant, non modo amicitiæ hominum, sed minæ, mortes et innumera alia. Sed contra omnia stetit : Quomodo? Sobrie agens, et vigilans. Hæc igitur satis erant ad discipulorum consolationem : ille vero etiam præmia addit. Qualia illa? 8. *In reliquo reposita est mihi*, inquit, *corona justitiæ*. Justitiam hic quoque vocat virtutem omnem. Non ergo dolendum, quod abeam coronandus corona illa, quam Christus impositurus est capiti meo; sed si hic mansissem, potius dolendum erat et timendum, ne caderem et perirem. *Quam reddet mihi Dominus in illa die, justus Judex : non solum autem mihi, sed et omnibus qui diligunt adventum ejus.*

3. Hic etiam illum erigit : nam si omnibus, multo magis Timotheo. Sed non dixit, Et tibi, sed *Omnibus;* ostendens, si omnibus, multo magis ipsi. Quomodo autem, inquies, aliquis diligat adventum Christi? Si de ejus præsentia gaudeat; qui autem de præsentia illius gaudet, quæ hoc gaudio sint digna facit, facultates suas, si opus sit, et animam ipsam ponet, ut futura bona consequatur, ut dignus habeatur qui secundum adventum cum decenti habitu videat, cum fiducia, cum gloria, cum claritate. Hoc est diligere adventum ejus. Qui diligit adventum ejus, omnia faciet, ut ante universalem illum singularis sibi fiat Christi adventus. Et quomodo, inquies, hoc fieri potest? Audi Christum dicentem : *Si quis diligit me, mandata mea servabit, et veniemus ego et Pater, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* 14. 23). Cogita quantum illud sit, eum qui omnibus simul adventurus sit, singularem nobis adventum suum polliceri. *Veniemus*, inquit, *et mansionem apud illum faciemus.* Si quis diligit adventum ejus, omnia faciet ut illum ad seipsum vocet, et habeat, et lux ejus splendeat. Nihil sit indignum adventu ejus, et ipse cito diversabitur ad nos. Ἐπιφάνεια autem dicitur, quod desuper appareat et oriatur. Ergo quæ sursum sunt quæramus, et cito radios illos attrahemus. Nemo eorum qui deorsum respiciunt, et seipsos in terram defodiunt, poterit solarem lucem videre : nemo, qui sæcularibus se negotiis inquinet, poterit solem justitiæ intueri : nulli ex iis, qui se ad illa vertunt, oritur. Resipisce modicum, te ex profundo reduc, a sæculari tempestate, si vis solem videre, si vis adventu ejus dignari : si hoc fruaris adventu, tunc illum cum fiducia multa intueberis. Philosophare nunc : ne sit apud te arrogantiæ spiritus, ne te vehementer cædat et dejiciat : ne sit tibi cor lapideum, nec tenebræ, ne illic navem allidas : ne sit dolus; nam saxa latentia naufragia pariunt gravissima. Ne feras nutrias, nempe vitia, quæ sunt feris immaniora : ne fluxis rebus confidas, ut possis firmiter stare. Nemo super aquam stat; supra petram autem omnes tuto consistunt. Aqua sunt negotia sæcularia : *Venerunt*, inquit, *aquæ usque ad animam meam* (*Psal.* 68. 2), sicut torrens præterfluens. Petra sunt spiritualia : nam ait, *In petra exaltasti pedes meos* (*Psal.* 39. 3). Cœnum et lutum sunt sæcularia : ab iis nos extrahamus; ita enim frui poterimus adventu Christi. Quidquid evenerit feramus : summa in omnibus consolatio est propter Christum pati : hanc divinam cantionem repetamus, et vulneris dolor cessabit. Et quomodo, inquies, propter Christum pati possumus? Sycophantia te quispiam impetiit non propter Christum? si fortiter feras, si gratias agas, si pro illo preceris, hæc omnia propter Christum facis. Si maledixeris, si indigne feras, si te ulcisci coneris, etiamsi nequeas, jam non est propter Christum, sed damnum passus es, et arbitrio tuo fructu te privasti. In nostra enim potestate est ex adversis vel lucrari, vel lædi : non tristium eventuum natura hoc facit, sed nostra voluntas. Exempli causa : tanta passus est Job; cum gratiarum actione tulit, et justificatus est, non quia passus est, sed quia cum gratiarum actione. Alius eadem ipsa passus, eadem imo non (nullus est qui talia passus sit, sed multo minora); conviciatus est, indigne tulit, toti orbi maledixit, imo contra Deum commotus est? hic judicatus et damnatus est, non quia passus est, sed quia blasphemavit : blasphemavit autem non ex eventus necessitate; nam si illa necessitas hoc fecisset, oportuerat et Jobum blasphemare : si autem graviora ille passus, nihil tale fecit; non hinc, sed ex infirmitate voluntatis illa contigerunt. Forti igitur nobis animo opus est, et nihil nobis durum videbitur : sicut illo infirmo, nihil non durum videtur. Ex nostro igitur affectu et voluntate omnia vel tolerabilia vel intolerabilia videntur : hanc itaque muniamus, et omnia facile feremus. Nam et arbor, cum altam radicem jecerit, ne vehemens quidem tempestas illam succutere poterit; si vero in superficie solum hæreat, vel modicus venti flatus illam radicitus evellet. Ita quoque in nobis contingit : si configamus Dei timore carnes

nostras, nihil nos commovere poterit; si utcumque applicemus, vel modica impulsio nos perimit et perdit. Quocirca, rogo, cum magna alacritate omnia feramus, imitemurque prophetam dicentem, *Adhæsit anima mea post te* (*Psal.* 62. 8). Vide quid dicat, *Adhæsit anima mea.* Non dixit simpliciter, Appropinquavit, sed, *Adhæsit.* Et rursus, *Sitivit te anima mea* (*Ib. v.* 2). Non solum dixit, Desideravit; sed his verbis desiderii vehementiam expressit. Et rursus, *Confige timore tuo carnes meas* (*Psal.* 118. 120). Vult enim nos semper illi hærere, et ita colligari, ut numquam abscedamus. Si ita Deo hæreamus, si affigamus ipsi cogitationes nostras, si ejus desiderio sitiamus, et quæcumque volumus accedem, et futura consequemur bona, in Christo Jesu Domino nostro, cui cum Patre et sancto Spiritu gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

Cap. 4. v. 8. *Festina venire ad me cito.* 9. *Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, et abiit Thessalonicam,* 10. *Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam:* 11. *Lucas est mecum solus. Marcum assumens adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerium.* 12. *Tychicum autem misi Ephesum.* 13. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime membranas.*

1. Quæri merito potest quomodo Timotheum ad se vocet, cui Ecclesia et gens tota concredita fuerat. Non ex arrogantia autem id agit: ipse enim illum adire paratus erat: audi enim illum: *Si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat in domo Dei conversari* (1. *Tim.* 3. 15). Sed cur tandem vocat? necessitas erat magna, nec ultra ille poterat alio pergere: in carcere erat, a Nerone inclusus, moxque moriturus erat. Ne igitur hoc eveniret antequam ille discipulum videret, ideo ipsum vocat, ut ante mortem videret, et forte plurima ipsi commendaret. Ideo ait: *Festina ante hiemem venire ad me. Demas enim me dereliquit, diligens hoc sæculum* (*Ibid. v.* 21). Nec dicit, Ut te videam antequam ex vita migrem, quod maximo ipsi mœrori erat: sed, Quia solus sum, inquit, neminem habeo adjutorem. *Demas enim me deseruit, diligens hoc sæculum, et ivit Thessalonicam.* Hoc est, quietem amans, et ut sine periculo et in tuto esset, maluit domi deliciis frui, quam mecum in ærumnis esse et pericula præsentia subire. Hunc solum incusavit, non tamen ut incusaret, sed ut nos firmaret, ut in periculis molles non essemus, neque in laboribus: hoc enim sibi vult illud, *Hoc diligens sæculum;* simul autem et discipulum attrahere volens. *Crescens,* inquit, *in Galatiam, Titus in Dalmatiam.* Hos non accusat: Titus enim erat virtute mirabilis, ita ut illi insulam crediderit, nec parvam, sed maximam, nempe Cretam. *Lucas est solus mecum.* Ipse enim ab eo separari non poterat. Qui enim evangelium scripsit, et universalia Acta, scilicet Acta Apostolorum, laboriosus ac discendi cupidus patiensque, de quo hæc scribit ille: *Cujus laus est in evangelio per omnes Ecclesias* (2. *Cor.* 8. 18). *Marcum assumens adduc tecum.* Cur id? *Est enim mihi utilis in ministerium.* Non ad quietem suam dicit, sed *Ad ministerium* evangelii: nam etiam in vinculis cum prædicare non cessabat. Ergo et Timotheum ad hoc vocabat, non sui causa, sed ut evangelium prædicaret; et ut in morte ipsius nulla inter fideles perturbatio esset, cum adessent plurimi ejus discipuli, qui turbas cohiberent, et eos consolarentur, qui ejus mortem æquanimiter ferre non poterant. Verisimile enim est multos qui Romæ crediderant honorabiles viros fuisse. *Tychicum misi Ephesum. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer, et libros, maximeque membranas.* Penulam hic vestimentum dicit: alii loculos putant, ubi libri ponebantur. Quid autem libris illi opus erat, ad Deum migraturo? Opus tunc maxime erat, ut fidelibus commendarentur, et ejus doctrinæ vice illos haberent. Omnes itaque fideles verisimile est tunc magnam accepisse plagam, maxime vero eos, qui morti ejus aderant, et tunc illo fruebantur. Penulam autem quærit, ne ab alio accipere opus haberet. Vides enim illum hujus rei multam curam habere, qui alibi dicebat, cum Ephesios qui aderant alloqueretur: *Scitis quia necessitatibus meis, et iis qui mecum erant, ministraverunt manus istæ;* et rursum, *Beatius est magis dare, quam accipere* (*Act.* 20. 34. 35). 14. *Alexander ærarius multa mihi mala ostendit: reddat illi Dominus secundum opera ipsius.* Rursus hic tentationis meminit, non ut culpet illum tantum, aut accuset, sed ut discipulum ad certamina ungat, ut fortiter ferat: Etsi humilis conditionis sunt qui tentationes admovent, quantumvis viles et despicabiles, oportet, inquit, omnia fortiter ferre. Qui enim a magno quodam viro vexatur, non parum hinc solatii capit, quod a summo viro sic afficiatur: qui autem a vili et abjecta persona, majori afficitur dolore. *Multa mihi mala ostendit;* id est, Variis me modis vexavit. Sed non inulta, inquit, hæc erunt: *Reddet enim illi Dominus secundum opera ipsius.* Sicut superius scribens dicebat: *Quales persequutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus* (2. *Tim.* 3. 11): ita et hic duplici ter discipulum consolatur, quod ipse male patiatur, et quod ille vicem accepturus sit: non quod sancti de supplicio tali gaudeant, sed quod prædicatio et infirmiores hujusmodi consolatione opus habeant. 15. *Quem et tu,* inquit, *devita: valde enim restitit sermonibus nostris.* Hoc est, bellum excitat et adversatur. Nec dicit, Ulciscere, puni, depelle; etsi poterat per gratiam talia facere: sed nihil horum, neque armat ipsum contra adversarium, sed ut recedat tantum præcipit, ultionem Deo committens. Et ad infirmiorum consolationem hoc dixit, *Reddet illi,* quod etiam prophetia est potius quam imprecatio. Quod ut discipulum ungat hoc dicat, ex sequentibus palam est.

Sed vide rursum quomodo alias tentationes suas enarret : 16. *In prima mea defensione*, inquit, *nemo mihi adfuit, omnes me dereliquerunt : non illis imputetur.*

2. Viden' quomodo familiaribus suis parcat ? etsi rem gravem fecerant. Neque enim par res est ab externis despici, et a familiaribus. Viden' auctum mœrorem ? Non potes dicere, Ab externis impetebar, sed solatio, obsequio et auxilio meorum fruebar : nam et illi me prodiderunt. *Omnes me dereliquerunt*, inquit. Non parvum ergo peccatum hoc est. Si enim in bello, qui in periculo versantem deserit, et ab hostium manu se subducit, a suis jure plectitur, ut qui totum labefectarit et prodiderit, multo magis in prædicatione. Quam vero dicit primam defensionem? Neroni jam adductus fuerat, et effugerat ; quia vero pincernam ejus in fide instituit, tunc ipsi caput amputari jussit. Ecce rursum solatium discipulo per ea quæ sequuntur : 17. *Sed Dominus mihi adstitit, et confortavit me.* Nam eum, qui ab hominibus derelinquitur, non sinit Deus quid grave pati. *Et confortavit me*, inquit ; id est, fiduciam dedit, non ut caderem permisit. *Ut per me prædicatio impleatur.* Vide quanta sit humilitas ejus. Non tamquam dono dignum, inquit, me confortavit, sed *Ut prædicatio impleatur*, quæ mihi credita fuerat. Ac si quis purpuram et diadema gestaret, et per hæc servaretur. *Et audiant*, inquit, *omnes gentes.* Quid hoc est? Ut omnibus, inquit, manifesta sit prædicationis lux, providentiæque erga me dispositio. *Et liberavit me de ore leonis.* 18. *Et liberabit me Dominus ab omni opere malo.* Vide quam proximus morti esset. In ipsas leonis fauces deciderat : leonem enim hic Neronem dicit ob feritatem et potentiam imperii ejus, et quod imperterritus esset. *Et liberavit me*, inquit, *Dominus, et liberabit.* Si rursus liberavit, cur dixit, *Jam delibor?* Sed attende verbis. *Liberavit me*, inquit, *ex ore leonis ;* et rursus *Liberabit ;* non jam ex ore, sed quid? *Ab omni opere malo.* Tunc enim me ex periculis eripuit : quando autem satis evangelio factum est, liberabit me rursus ab omni peccato ; id est, non permittet me cum culpa proficisci. Nam posse usque ad sanguinem peccato obsistere, neque cedere, ab alio leone, id est diabolo, erui est. Itaque major est ista salus, quam prior, quando videtur tradi ad mortem. *Et salvum faciet in regnum suum cœleste : cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Hæc est ergo salus, cum illic fulgebimus. Quid sibi vult illud, *Salvum faciet in regnum suum?* Eripiet me, inquit, ab omni culpa, et ibi custodiet. Hoc enim est salvum fieri in regnum, si hic pro illo moriamur. Nam *Qui odit animam suam in hoc mundo*, inquit, *in vitam æternam custodit eam* (*Joan.* 12. 25). *Cui gloria.* Ecce glorificatio Filii. 19. *Saluta Priscillam et Aquilam et Onesiphori domum.* Ipse enim Romæ tunc erat, ut dicit : *Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die* (2. *Tim.* 1. 18). Hac autem salutatione illius omnes etiam qui in domo erant promptiores facit ad talia præclara opera. *Saluta*, inquit, *Priscillam et Aquilam* (*Act.* 18. 26). Hi sunt quos ille frequenter memorat, apud quod diversatus erat, qui Apollo receperant. Præmittit uxorem, quia, ut mihi videtur, diligentior et fidelior erat; nam et illa tunc excepit Apollo : vel hoc indifferenter facit. Non parva ipsis consolatio erat hæc salutatio, sed honorem et dilectionem præ se ferebat, magnumque gratiæ consortium ; sufficit enim sola sancti et beati illius salutatio, ut gratia impleat eum qui illam excipit. 20. *Erastus mansit Corinthi, Trophimum autem reliqui Mileti infirmum.* Hunc et Tychicum novimus in libro Actuum Apostolorum, congregatos ab illo ex Judæa, et ubique cum illo versantes, fortassis ut aliis diligentiores.

Cur Apostoli non omnes a morbis curare potuerint.— *Trophimum autem*, inquit, *reliqui Mileti, infirmum.* Cur non illum sanasti, sed reliquisti ? Non omnia poterant apostoli ; vel non omnia dispensabant per gratiam ; ne quis de illis existimaret supra id quod verum esset. Hoc etiam in beatis illis, qui ipsos præcesserant, contigisse videmus : ut in Moyse, qui gracili voce erat : cur non hunc defectum abstulit? Sæpe dolore et mœstitia afficiebatur ; in terram promissionis non ingressus est.

3. Plurima enim permittebat Deus similia, ut ostenderetur humanæ naturæ infirmitas. Si enim rebus ita gestis dicebant tamen Judæi illi sensu carentes : Ubi est Moyses, qui eduxit nos ex terra Ægypti (*Exod.* 32. 1)? quid non passi fuissent, si illos in terram promissionis induxisset? Si non permisisset illum metu Pharaonis percelli, annon illum deum esse putavissent? Ita de Paulo et Barnaba in Lystris oppidanos sensisse videmus, deosque putasse illos : quando illi scissis vestibus exsilierunt in turbam, clamantes et dicentes : *Viri, quid hæc facitis? nos quoque homines sumus similes vobis, passibiles* (*Act.* 14. 14). Petrus item quando claudum a natalibus curavit, stupentibus omnibus hac de re, respondit dicens : *Viri Israelitæ, quid admiramini in hoc, aut quid nobis attenditis, quasi propria virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare* (*Act.* 3. 12)? Audi rursus beatum Paulum dicentem : *Et datus est mihi stimulus carnis, ut non extollar* (2. *Cor.* 12. 7). At, inquies, hæc humilitatis verba sunt. Absit : non ita res se habet : non enim ideo datus est stimulus, ut humiliter sentiret tantum, nec per humilitatem solum hæc loquutus est, sed ob alias causas. Vide ergo quomodo Deus rationem afferens, non dicit illi, *Sufficit tibi gratia mea* (*Ibid.* *v.* 9), ut non extollaris, sed quid? *Virtus enim mea*, inquit, *in infirmitate perficitur.* Duo igitur simul facta sunt : et manifesta fuere quæ gesta fuerant, et totum Deo adscribebatur. Ideo etiam alibi dicit : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (2. *Cor.* 4. 7); id est, in corpore passibili et infirmo. Quare? *Ut excellens magnitudo sit Dei, et non ex nobis.* Nisi passibilia essent corpora, omnia ipsis adscriberentur. Et alibi videmus de infirmitate mœrentem ; nam de Epaphrodito dicebat : *Etenim infirmatus est usque ad mortem, sed Deus misertus est ejus* (*Philipp.* 2. 27); et multa alia ignorasse cernimus, idque utiliter tam sibi quam discipulis. *Trophimum*, inquit, *reliqui Mileti infirmum.*

Miletus Epheso vicina est : igitur vel cum in Judæam navigaret, vel alio tempore id factum dicemus. Nam cum Romæ fuisset, rursus in Hispaniam profectus est ; si autem inde in has partes venerit, nescimus. Ab omnibus ergo ipsum desertum fuisse conspicimus. *Demas enim me deseruit*, inquit. *Crescens abiit in Galatiam, Titus in Dalmatiam : Erastus mansit Corinthi : Trophimum Mileti reliqui infirmum.* 21. *Festina ante hiemem venire. Salutat te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia.* Hunc Linum narrant quidam secundum post Petrum Romanæ Ecclesiæ episcopum fuisse. *Et Linus*, inquit, *et Claudia.* Viden' quomodo mulieres quoque fervebant circa fidem? ut Priscilla, ut isthæc Claudia : jam crucifixæ, jam ad certamen paratæ. Cur autem cum tot fideles essent, has memorat mulieres? Quia ut palam est, a mundanis rebus jam animo recesserant, et magis fulgebant : non enim poterat impediri sexus muliebris. Nam hoc quoque divinæ gratiæ erat opus, ut hic sexus a mundanis solum impediretur, imo ne in istis quidem. Neque enim in administratione minimam partem sortita est mulier, quæ domum gerendi curam habet : sed absque illa neque publicæ res numquam consistere possunt. Nam si res familiaris domi turbis et tumultibus plena esset, singuli cives domi se continerent, atque in urbe res pessime cederent. Unde nec in his rebus minus habent illæ, neque in spiritualibus. Potest enim mulier millies mori, si velit : atque etiam multæ martyrium subierunt : potest pudicitiam servare, etiam magis quam viri, utpote non tanta quam viri flamma fervens; honestatem etiam, gravitatem et sanctificationem exhibere potest, *Sine qua nemo videbit Dominum* (*Hebr.* 12. 14) ; pecunias quoque contemnere, si velint, et reliqua omnia facere. *Festina*, inquit, *ante hiemem venire.* Quantum urget illum! neque tamen quidpiam triste adjicit. Non dicit, Antequam moriar, ne mœrorem injiciat ; sed, *Ante hiemem venire*, ne detinearis. *Salutat te*, inquit, *Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia, et fratres omnes.* Non illorum nomina ponit. Viden' illos ferventiores fuisse? 22. *Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo.* Nihil hac oratione melius. Noli mœrere, inquit, quod discedam : Dominus tecum est. Nec dixit, Tecum ; sed, *Cum spiritu tuo.* Duplex auxilium, gratiæ Spiritus, et Dei auxiliantis. Nec potest alio modo Deus esse nobiscum, nisi adsit gratia Spiritualis : gratia enim absente, quomodo aderit Deus? *Gratia sit nobiscum. Amen.* Sibi etiam demum apprecatur ; hoc est, Ut grati semper illi simus, ut gratiam cum dono habeamus : si hæc adsit, nihil triste erit. Sicut enim is qui regem videt, et in gratia est apud illum, nihil mœstitiæ habet : sic etiamsi ab amicis deseramur, etiamsi in adversum quidpiam incidamus, nihil ingratum sentiemus, gratia illa præsente et nos muniente.

4. Quomodo autem possumus gratiam nobis conciliare? Si ea quæ Deo sunt grata faciamus, et in omnibus ipsi obsequamur. Annon etiam in magnis domibus videmus illos famulos in gratia esse, qui non sua curant, sed quæ ad heros spectant, toto animo, non vi servitutis adacti, sed alacriter, sed ex affectu omnia recte disponunt? cum semper adsunt illorum conspectui, cum domi versantur, cum nihil sibi proprium curant, sed suis res dominorum anteponunt? Qui enim omnia sua heri sui esse constituit, non jam quæ sua sunt heri esse fecit, sed quæ heri, sua fecit ; perinde atque ille imperat in domesticis rebus. Ex conservis autem multi magis illum timent, et quod ille dixerit, hoc et dominus dicit : omnesque inimici demum in timore versantur. Quod si in sæcularibus qui sua despicit, et quæ heri sunt curat, non sua vere despicit, sed majora consequitur : multo magis in spiritualibus. Quæ tua sunt contemne, et quæ Dei sunt accepisti, hoc ipse vult. Despice terram, et abripe regnum cælorum : illic verseris, non hic : inde, non hinc, terribilis sis. Inde si es terribilis, non hominibus tantum, sed etiam dæmonibus eris et ipsi diabolo : sin autem a terrenis metui velis, illis despectui eris, ac sæpe etiam hominibus : quantumcumque dives fueris, in servilibus dives eris : si vero hæc despicias, in regia domo eris splendidus. Tales erant apostoli, qui servilem domum et terrenas opes despiciebant. Et vide quomodo in dominicis ædibus imperarent. Ille, aiebant, a morbo liberetur, ille a dæmonibus : illum liga, hunc solve. Hæc in terra fiebant, in cælo consummabantur : *Quæcumque enim ligaveritis*, inquit, *super terram, erunt ligata et in cælis* (*Matth.* 18. 18.) ; et majorem sua dedit illis potestatem. Quod vero non mentiar, audi illum dicentem : *Qui credit in me, majora quam ego facio, ipse faciet* (*Joan.* 14. 12). Quare? Quoniam sic quoque honor ad Dominum transit. Nam in nostris quoque rebus, cum famulus magna facere potest, dominus majori est admirationi. Si enim famulus tanta potest, quanto magis qui ipsi imperat? Quod si quis relicto domini ministerio, uxorem suam curet et filium et servum, opes colligere velit, ac deponere illic, vel furto sublatas, vel ex domini rebus fraude erutas ; cito seipsum cum divitiis perdet. Hæc igitur habentes exempla, non nostra, rogo, curemus, ut nos ipsos curemus ; despiciamus illa ; ut ipsa possideamus. Si nos ipsa despiciamus, Dominus illa curabit ; si nos illa curemus, Deus illa despiciet. In iis quæ Dei sunt laborem ponamus, non in nostris ; imo potius in nostris : nam quæ illius sunt, nostra sunt. Non dico cælum, non dico terram, non dico ea que in mundo sunt : hæc enim illo sunt indigna, hæc non modo nostra sunt, sed etiam infidelium : sed quænam dico illius esse? Gloriam, regnum : hæc et illius sunt, et per illum nostra. Quomodo? *Si commortui sumus*, inquit, *simul vivemus ; si sustinemus, conregnabimus* (2. *Tim.* 2. 11. 12). Coheredes facti sumus, et fratres dicimur (*Rom.* 8. 17) : cur nos ipsos deorsum deprimimus, cum ille nos sursum ad se trahat? Quousque pauperes, quousque inopes erimus? cælum nobis proponitur, et nos circa terram versamur? cæli regnum, et nos mundi paupertatem deligimus? vita immortalis, et nos circa ligna et lapides et agros consumimur? Esto dives, hoc et ego volo : cupidus esto et rape : nulla

hic culpa est : hic non cupidum esse criminatione dignum est, hic non rapere accusandi locum præbet. Quid hoc est? *Regnum*, inquit, *cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* 11. 12). Esto illic violentus, esto rapax : non minuitur id quod rapitur. Neque enim scinditur virtus, nec minuitur pietas, neque regnum cœlorum. Tunc augetur regnum, cum rapis ; tunc corporea minuuntur, cum rapis : hincque palam res est. Sint in civitate decies mille viri : hi si omnes virtutem et justitiam rapiant, illam amplificant ; nam in decem mille viris versatur : si autem non rapiant, minuunt illam ; nusquam enim comparet.

5. Viden' bona dum rapiuntur multiplicari ; hæc vero terrena dum rapiuntur, magis minui? Ne igitur paupertati assideamus, sed divitias deligamus. Divitiæ Dei sunt, si multi regno fruuntur. *Qui dives est*, inquit, *in omnes qui invocant illum* (*Rom.* 10. 12). Auge ipsius facultates ; augebis autem, si rapias, si avarus sis, si vim inferas. Vi revera opus est. Quare? Quia multa sunt quæ impediant, uxores, liberi, curæ, mundana negotia, cumque illis dæmones et ipse dæmonum princeps diabolus. Opus ergo est violentia, opus est perseverantia. Qui vim infert, in laboribus est. Quomodo? omnia sustinet, et contra necessitatem stat. Quo pacto? impossibilia fere aggreditur. Si ergo violenti tales sunt, nos autem ne possibilia quidem tentamus, quandonam assequemur? quandonam fruemur iis quæ cupimus? *Violenti*, inquit, *rapiunt regnum cœlorum*. Violentia et rapina est opus : neque enim quoquo modo proponitur, vel in promptu habetur. Qui rapit, semper sobrius est, vigilat, et sollicitus est, ut opportune rapinam aggrediatur. Non videtis in bellis eum qui rapere vult, per totam noctem vigilare? per totam noctem in armis esse? Si ergo ii, qui sæcularia rapere volunt, noctu vigilant et armantur : quomodo nos cum spiritualia, quæ majori sollicitudine opus habent, rapere volumus, etiam in die dormimus ac stertimus, ac semper inermes nudique sumus? Nam qui in peccatis versatur inermis et nudus est, sicut is qui in justitia degit, est armatus. Non eleemosyna nos communimus, non accensas lampades nobis paramus, non armis spiritualibus nos munimus, non viam illuc ducentem discimus, non sobrii sumus, nec vigilamus : ideo nihil rapere possumus. Si quis regnum invadere nititur, annon innumeras sibi mortes prius proponit? annon communitur, annon bellicam artem didicit? annon omnia pro hac re molitur, et sic invadere tentat? Sed nos non sic, verum dormientes rapere volumus : atque ideo vacuis manibus abimus. Non vides raptores, quomodo fugiant, quomodo currant, quomodo omnia dirumpant? Cursu opus est : nam protinus adversum te diabolus currit, et eos qui præcesserunt comprehendere te jubet. Sed si fortis sis, si vigil, alium calce repellis, alium amoves, omnes avis instar effugis : si hinc etiam migres, si forum transcendas, et magnum tumultum, qualis est vita præsens, et ad sublimia venias, quod est futurum sæculum. Ut enim in solitudine, nullus est ibi tumultus, nemo qui turbet, nemo qui retineat. Rapuisti? parva opus est contentione post rapinam ne quod captum fuit auferatur : si curramus, si nihil attendamus ea quæ oculis patent, si nihil aliud curemus, nisi ut eos qui obsistunt effugiamus, poterimus ea quæ rapuimus retinere. Rapuisti castitatem? ne maneas, fuge, procul te remove a diabolo : si videat quod te comprehendere non possit, non persequetur. Sic et nos, cum eos qui aliquid rapuerunt non ultra videmus, quasi desperantes non insequimur, neque aliis ut comprehendant præcipimus, sed abire permittimus. Ita et tu vehementer curre initio. Cum longe a diabolo eris, non tentabit postea, sed in tuto eris, ineffabilibus bonis libere fruens : quæ nos omnes adipisci contingat, in Christo Jesu Domino nostro, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor et adoratio, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD HOMILIAS IN EPISTOLAM AD TITUM.

Homilias in Epistolam ad Titum Antiochiæ habitas fuisse recte probat Tillemontius ex iis, quæ ipse sanctus doctor dicit homilia tertia paulo ante finem numeri 2 : *Quid enim de illis*, id est Christianis, *dixeris, qui una cum Judæis jejunant, qui sabbata servant ; de iis qui ad consecrata illa loca pergunt in Daphnen, inquam, atque in speluncam Matronæ dictam in locum illum Ciliciæ Saturni appellatum? quomodo sani illi sunt? Ideo vehementiore plaga opus habent.* Hic certe non Constantinopolitanos ille, sed Antiochenos Christianos alloquitur, quorum plurimi Judaicos adhuc ritus non paucos observabant ; imo etiam ad loca gentilium sacra pergebant, in Daphnen nempe et ad Matronæ speluncam, quæ loca in Antiochiæ suburbiis erant. Pergit postea Chrysostomus et adversus eos qui Judaicos ritus in pretio haberent ad finem usque homiliæ edisserit. Quæ omnia Antiochenos spectare nihil dubitabit, quisquis Homilias contra Judæos Tomo primo editas legerit.

Ex homilia tamen prima in Epistolam ad Titum aliquid difficultatis objici potest. Nimirum Chrysostomus contra illos agens, qui sine legitima causa episcopos suos conviciis et maledictis lacerabant, ita loquitur ut ipse in episcoporum numero comprehendi videatur. A Græcis referendis compendii causa supersedemus : *Sic et si quis ex subditis*, inquit, *talis sit, atque ex criminationibus hujusmodi labores nobis mœroresque intulerit, ulcisci non audemus ; id enim a*

paterno animo procul est. Hic certe ita loqui videtur Chrysostomus, quasi ipse ex numero episcoporum maledictis impetitorum esset. Verum hæc talia non sunt, quæ nos a priore sententia abducere valeant. Etenim Chrysostomus, etsi nondum episcopus, cum populum alloquitur et episcoporum causam propugnat, episcopi personam assumere potuit, uti solent oratores. Alioquin autem, cum ille inter Antiochenos sacerdotes primas teneret, et illi subditi, qui episcopos maledictis impetebant, a conviciis in sacerdotes etiam inferendis haud dubie non abstinerent, jure potuerit Chrysostomus læsi personam assumere.

In hisce homiliis plus studii et diligentiæ observes, quam in plerisque aliis : omnia ille fuse prosequitur. Initio tertiæ homiliæ de Cretensium vitiis pluribus agit, et in quinta, ut in quanta scelera Græcorum celeberrimi olim proruperint commonstret, illorum historias tacitis nominibus breviter decerpit. In sextæ homiliæ fine de duobus Christianis, qui pro Christo martyrium singulari quodam modo subiere, tacitis etiam nominibus agit : quæ historia nescio an alibi uspiam reperiatur.

Interpretationem Ambrosii Camaldulensis utpote in multis redundantem, obscuram, nec sæpe cum Græca serie consonantem, ablegavimus, novamque paravimus. Ubi notandum varietatem illam, quæ in ejus versione deprehenditur, sæpe ex diversitate exemplarium Græcorum ortam esse. Interpretationem quoque Homiliarum in Epistolam ad Philemonem simili de causa rejecimus.

SANCTI PATRIS NOSTRI
JOANNIS CHRYSOSTOMI,
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,
IN EPISTOLAM AD TITUM COMMENTARIUS (*a*).

HOMILIA I.

CAP. 1. v. 1. *Paulus servus Dei, apostolus autem Jesu Christi, secundum fidem electorum Dei et agnitionem veritatis quæ secundum pietatem est,* 2. *in spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus, ante tempora sæcularia;* 3. *manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Salvatoris nostri Dei,* 4. *Tito dilecto filio secundum communem fidem, gratia et pax a Deo Patre, et Domino Jesu Christo Salvatore nostro.*

1. Ex Pauli sociis hic erat vir probatus : nisi enim probatus fuisset, non ei insulam integram commisisset, neque ea quæ deerant præcepisset implere : ait enim, *Ut quæ desunt corrigas* (*v.* 5) : neque ei tot episcoporum judicium commisisset, nisi multam in illum fiduciam habuisset. Aiunt autem illum juvenem fuisse, eo quod illum filium appellet; neque tamen hoc omnino inde palam est. Puto autem illius in Actibus mentionem haberi (*b*). Erat porro forte Corinthius, nisi alius esset eodem nomine. Et Zenam quidem ad se vocat, atque Apollo mitti cupit (*Tit.* 3. 13) ; hunc autem minime : nam coram Imperatore plus illis fortitudinis atque virtutis fore testatur. Videntur autem mihi tempora quædam media intercessisse ; Paulumque dum hæc scriberet liberiorem fuisse. Nihil enim de tentationibus loquitur; sed frequentissime Deo gratias agit, quæ credentibus idonea erat ad virtutem cohortatio. Cum discerent enim quid mererentur, ad quænam translati essent per gratiam, et quibus dignati essent, non minimum hinc excitabantur. Invehitur etiam in Judæos. Quod si totam gentem insectetur, ne mireris : ad Galatas enim scribens hoc ipsum facit dicens, *O insensati Galatæ* (*Gal.* 3. 1) ! Hoc porro non contumeliosi est, sed amoris ferventioris. Nam si sui causa hoc fecisset, jure certe reprehendi posset ; si vero igne zeloque pro prædicatione fervens id agit, non contumeliose utique facit. Etenim Christus quoque scribis et Pharisæis millies exprobrabat, non sui causa, sed quod alios omnes perderent. Brevem porro scribit epistolam, et merito. Hoc autem virtutis Titi erat indicium, quod verbis non egeret multis, sed ceu aliqua monitione.

Quo tempore scripta fuerit hæc epistola.—Hæc vero epistola videtur mihi illam præcedere, quam ad Timotheum scripsit. Illam enim cum finis instaret et in vinculis esset scribebat ; hic vero liber et solutus videtur : nam illud, *Decrevi hiemare Nicopoli* (*Tit.* 3. 12), signum erat illum nondum in vinculis esse : illic vero se vinctum sæpe dicit. Quid ergo dicit? *Paulus servus Dei, apostolus autem Jesu Christi, secundum*

(*a*) Hæ homiliæ cum duobus Codd. Colbertinis collatæ sunt, qui ambo deficiunt. Prior numero 3106 a media secunda homilia incipit, et totum postea complectitur. Alter numero 4183 partem tertiæ et quintæ homiliæ tantum habet.

(*b*) In Vulgata Actuum c. 18, v. 7, memoratur quidam Titus cognomine Justus, qui Deum colebat, et domum habebat Corinthi, in quam Paulus intravit. At in exemplaribus Græcis nomen Titi non comparet, et hic Justus solum vocatur : ἦλθεν εἰς οἰκίαν τινὸς ὀνόματι Ἰούστου. Ideoque addit Chrysostomus illum fortasse Corinthium esse, nisi fuerit ille qui Corinthi domum habebat alius ejusdem nominis. Unde liquet Chrysostomum ad hunc Actorum locum spectare, atque licet ejus exemplar nomen Titi non haberet, in aliis exemplaribus nomen Titi haberi scivisse, ac dubitasse an de hoc Tito an de alio ejusdem nominis hæc dicerentur.

fidem electorum Dei. Viden' quomodo indiscriminatim illa ponat; aliquando se dicens servum Dei, et Christi apostolum, aliquando servum Christi, *Paulus servus Jesu Christi?* sic nullam novit differentiam Patrem inter et Filium. *Secundum fidem electorum Dei et agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est, in spem vitæ æternæ. Secundum fidem electorum Dei.* Quod credideris, an quod illæ fides tibi credita sit? Puto ipsum hoc sibi velle, quod electi Dei ipsi crediti fuerint. Id est, Non a recte factis, neque a laboribus sudoribusque dignitatem accepi; sed totum ejus qui mihi hæc credidit beneficio factum est. Deinde ne irrationabilis gratia putaretur; neque enim totum Dei erat; nam cur non aliis credidit? ideo subjunxit: *Et agnitionem veritatis quæ est secundum pietatem.* Ex hac, inquit, mihi creditum est, imo et hoc ex gratia ipsius mihi creditum est: hujus enim dignitatis ipse auctor est. Quocirca Christus ipse dicit, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.* 15. 16); et rursus hic ipse beatus vir alibi scribens dicit, *Cognoscam sicut et cognitus sum* (1. *Cor.* 13. 12); et iterum, *Si quo modo comprehendam, sicut et comprehensus sum a Christo Jesu* (*Philipp.* 3. 12). Prius comprehensi sumus, et postremo cognovimus; prius cogniti sumus, et tunc accepimus; prius vocati sumus, et tunc obedivimus.

Veritatis agnitio secundum fidem quænam sit.—Quod autem dicit, *Secundum fidem*, totum illis acceptum refert: quia propter illos sum apostolus, non tanquam dignus, sed propter electos; quod etiam alibi dicit: *Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo. Et agnitionem veritatis, quæ est secundum pietatem* (1. *Cor.* 3. 22). Est enim veritas rerum, sed non secundum pietatem: ut nosse agriculturam, nosse artes, hoc vere sive est; sed hæc secundum pietatem veritas est. Vel *Secundum fidem* dicitur, quia crediderunt sicut cæteri electi, et veritatem agnoverunt. A fide ergo cognitio est, non a ratiociniis. *In spem vitæ æternæ.* Dixerat præsentem vitam in gratia Dei: dicit et futuram, ac præmia nobis proponit pro suis erga nos beneficiis. Quia enim credidimus, et ab errore liberati sumus, nos vult coronare. Viden' quomodo proœmium Dei beneficiis sit refertum, totaque prorsus epistola hujusmodi est, et sanctum illum magis excitat ad labores, necnon discipulos ejus? Nihil enim perinde nobis utile est, atque sæpe meminisse beneficiorum Dei, sive quæ communiter omnibus, sive quæ singulis nobis tribuit. Si enim cum amici beneficium recepimus, sive cum verbum aut gestum gratum audimus, exardescimus; multo magis cum vidimus quot pericula evaserimus, a quibus omnibus nos liberavit Deus, promptiores ad obsequendum erimus. *Et agnitionem veritatis*, inquit. Veritatem hic ad figuram refert. Nam illa quoque agnitio erat, et pietas erat, neque tamen veritate, neque mendacio constabat, sed figuris et imaginibus. Pulchre dixit, *In spem vitæ æternæ*, qui illa erat in spem vitæ præsentis. *Qui enim fecerit ea*, inquit, *vivet in eis* (*Rom.* 10. 5). Viden' quomodo ab exordio ostendatur quam distet gratia a lege? Non illi electi, sed nos, etsi illi olim dicebantur electi, jam non dicuntur. *Quam repromisit is qui non mentitur Deus ante tempora sæcularia.* Hoc est, non nunc ex recognitione, sed a principio hæc præfinita sunt. Plurimis in locis hoc insinuavit, ut cum dicit, *Segregatus in evangelium Dei*; et rursus, *Quos præscivit et prædestinavit* (*Rom.* 1. 1. *et* 8. 30); ostendens nobilitatem nostram, quia nos non nunc tantum, sed jam olim dilexit. Nec parvi ducendum est quod nos jam olim et a principio dilexerit.

2. *Quam repromisit*, inquit, *is qui non mentitur Deus.* Si non mentitur, prorsus evenient ea, quæ promisit; si non mentitur, non est quod ambigamus de iis, quæ post mortem promissa sunt. *Quam repromisit*, inquit, *is qui non mentitur Deus, ante tempora sæcularia.* Etiam ex eo quod dicat, *Ante tempora sæcularia*, rem esse fide dignam ostendit. Non quia Judæi non accesserunt, inquit, hæc statuta sunt; sed quia sic a principio præfiguratum fuerat. Audi igitur quid dicat: *Manifestavit autem temporibus suis.* Quæ ergo differendi causa fuit? Providentiæ gratia, et ut res suo tempore fierent: *Tempus faciendi Domino* (*Psal.* 118. 126), inquit propheta. Illud enim *suis*, congruentibus significat, debitis, competentibus. *Manifestavit*, inquit, *temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi*; hoc est, prædicatio. Hæc quippe omnia habuit evangelium, præsentia et futura, vitam, pietatem, fidem, omnia simul. *In prædicatione*, id est, palam, cum fiducia: hoc enim sibi vult illud, *in prædicatione.* Sicut enim præco præsentibus omnibus in theatro prædicat: ita et nos prædicamus, ita ut nihil addamus, sed quæ audivimus dicamus. Præconis namque virtus est, rem uti gesta est omnibus dicere, non autem aliquid vel addere vel demere.

Prædicatio cum fiducia est facienda.—Si ergo prædicandum est, cum fiducia est prædicandum, alioquin illud prædicare non esset. Ideoque non ait Christus, Dicite super tecta, sed, *Prædicate super tecta* (*Matth.* 10. 27); et a loco et a modo rem declarans. *Quæ mihi credita est secundum imperium Salvatoris nostri Dei.* Et illud, *Credita est*, et illud, *Secundum imperium*, fide dignam esse prædicationem ostendunt: ut nullus jam indigne ferat, vel molestia afficiatur. Si ergo imperium est, rei non sui dominus; imperium enim impleo. Nam quæ agenda sunt, alia sunt in nostra potestate, alia vero minime: quæ enim ille imperans dicit, non in nostra potestate sunt; quæ vero permittit, in nostrum jus cadunt. Verbi gratia, *Si quis dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis*; hoc jam imperium est: et illud, *Si offers munus tuum ad altare, et noveris quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vadens reconciliare fratri tuo, et tunc veniens offer munus tuum* (*Matth.* 5. 22-24); hoc quoque mandatum et imperium est, et eum, qui id non fecerit, supplicio esse obnoxium necesse est. Quando autem dicit, *Si vis perfectus esse, vende ea quæ possides*; et rursum, *Qui potest capere capiat* (*Matth.* 19. 21. 12); hoc manda-

tum non est : auditoris enim arbitrio id relinquit, ut vel faciat vel non faciat. Hæc quippe et facere et *non* facere in nostra potestate est : præcepta vero omittere non licet, sed necesse est aut illa exsequi, aut supplicium subire. Hoc ille insinuat cum dicit : *Necessitas enim mihi incumbit : væ autem mihi est, si non evangelizavero* (1. *Cor.* 9. 16). Apertius autem dicam, ut omnibus palam sit. Exempli causa, is cui Ecclesiæ principatus est creditus, quique episcopatus dignitate ornatus est, nisi populo quæ agenda sunt indicet, non erit innoxius ; laicus vero nulla hujusmodi necessitate tenetur. Ideo ait Paulus, *Secundum imperium Salvatoris nostri* hoc facio. Et vide quomodo quæ adduntur ad id quod dixi quadrent. Nam cum superius dixisset, *Qui non mentitur Deus;* hic dicit, *Secundum imperium Salvatoris nostri Dei.* Si ergo Salvator est, ipseque ex voluntate salutis humanæ hæc præcepit, non ergo ambitionis res est : fides quippe est et imperium Dei Salvatoris. *Tito dilecto filio.* Possunt enim esse filii non dilecti, ut ille de quo dicit : *Si quis, cum frater appelletur, sit fornicator, aut avarus, aut idololatra, aut maledicus, aut ebriosus, cum isto neque edere oportet* (1. *Cor.* 5. 11). Ecce filius est, nec tamen dilectus filius : filius quidem est, quia semel gratiam accepit, et regeneratus est ; non genuinus tamen nec dilectus, quia patre indignus est, atque ad alterum tyrannum se recipit. In naturalibus quippe filiis genuinus et non genuinus a parente et a seminante definitur ; hic vero non sic, sed ex arbitrio et proposito. Potest enim is qui genuinus editus est, genuinus non manere ; potest etiam qui genuinus non est, genuinus fieri : neque enim hæc necessitate naturæ circumscripta sunt, sed ex arbitrii libertate pendent ; unde etiam frequenter mutantur. Fuerat Onesimus filius dilectus ; verum dilectus postea non fuit, quod factus esset inutilis ; at rursus dilectus filius factus est, ita ut viscera apostolica vocaretur. *Tito dilecto filio secundum communem fidem* (*Philem.* 12). Quid sibi vult, *Secundum communem fidem ?* Postquam dixerat filium, et in patris transierat ordinem, cur hunc honorem minuat et contrahat, audi. *Secundum communem fidem* intulit ; id est, Secundum fidem nihil plus habeo, quam tu ; communis quippe est, ac per eamdem et ego et tu geniti sumus. Qua ergo ratione filium vocat illum ? Vel ut affectum tantum patris ostenderet ; vel quia prior in prædicatione erat ; vel quia ab se illuminatus ille fuerat. Ideo et filios et fratres vocat : quoniam ex eadem fide geniti erant, fratres ; quia per ipsius manus, filii. Cum ergo dixit, *Secundum communem fidem*, fraternitatem subindicavit. *Gratia et pax a Deo Patre et Domino Jesu Christo Salvatore nostro.* Quia dixerat filium, intulit, *A Deo Patre*, ut ipsius mentem erigeret, et disceret cujus esset filius ; et quod non solum dicendo, *Communem fidem*, sed inferendo, *A Patre nostro*, honoris paritatem ostenderet.

3. *Episcopi munera et pericula. Redarguuntur Episcopatum appetentes.* — Vide autem quomodo ea quæ discipulis et plurimis, ea quoque doctori apprecetur : iisdem quippe hic precibus indiget, imo plus quam illi, ut qui plures inimicitias habeat, pluresque occasiones et pericula divinæ offensionis. Quanto enim major est dignitas, tanto majora sacerdoti imminent pericula : potest enim vel unum episcopi recte factum ipsum in cælum attollere, et peccatum unum in ipsam gehennam dejicere. Ut enim cætera omnia præteream, quæ quotidie accidunt ; si quando contingat ut per amicitiam, vel per aliam causam indignum ad episcopatum promoveat, et magnæ civitatis principatum conferat, vide quanto se igni faciat obnoxium. Neque enim animarum pereuntium tantum, quas ille perdit quod pietate careat ; sed omnium gestorum ejus ipse pœnas daturus est. Nam qui in ordine privato religiosus non erat, multo minus erit cum principatum obtinuerit : difficilis enim res est eum qui antea pius erat talem permanere, suscepto episcopatus munere. Tunc enim inanis gloriæ cupiditas vehementius imminet, et pecuniarum amor et fastus, cum principatus ipse potestatem præbeat ; tunc offensiones, contumeliæ, maledicta et alia innumera. Si quis igitur parum religiosus erat, multo irreligiosior erit in tali statu. Cum ergo talem Ecclesiæ principem constituerit, omnibus peccatis ejus et subjectæ plebis obnoxius erit. Quod si ei, qui animam unam scandalizat, expedit ut mola asinaria suspendatur a collo ejus, et demergatur in profundum maris (*Matth.* 18. 6) : qui tot animas scandalizat, urbes integras et populos, innumerasque animas, viros, mulieres, pueros, cives, agricolas, eos qui in istac urbe sunt, eos qui in aliis ipsi subjectis, quid patietur ? Si enim triplo majorem pœnam dixeris, nihil dicturus es : tantæ ille erit obnoxius pœnæ atque supplicio. Hic itaque maxime Dei gratia et pace opus habet : nisi enim hac subnixus populum regat, omnia pereunt et pessumdantur, cum nulla gubernacula teneat. Licet enim gubernandi peritus sit, nisi hæc gubernacula teneat, gratiam et pacem quæ a Deo est, et navicula simul et navigantes submergentur. Quapropter mirari mihi subit eos qui tantam molem appetunt. Miser homo et infelix, non vides cujus rei desiderio teneris ? Si privatus fueris et ignotus, etiamsi innumera admiseris peccata, unius tantum animæ rationem dabis, et pro ea pœnas exsolves : cum autem in tantum principatum evectus fueris, cogita quot capitum tibi pœna debetur. Audi enim Paulum dicentem : *Obedite præpositis vestris et subjacete eis, quoniam ipsi vigilant pro animabus vestris quasi rationem reddituri* (*Hebr.* 13. 17). Sed honor et principatus te alliciunt ? Ecqua hujusmodi honoris voluptas esse possit ? neque enim hoc video : fieri quippe non potest ut qui talis est, vere sit princeps. Quomodo ? Quia in potestate subditorum est obedire vel non. Et si quis accurate rem exploret, qui talis est non ad principatum venit, sed innumeris servit dominis contraria volentibus ac dicentibus. Nam quod unus laudat, alius improbat : quod hic vituperat, ille miratur. Quem ergo audire oportet, cui obtemperare, perspici nequit. Servus quidem emptitius si contraria herus imperarit, saltem molesto

fert : tu vero tam multis dominis contraria imperantibus, si doleas, hujus quoque rei dabis pœnas, omnium contra te ora aperiens. Hoccine, quæso te, honor est? hoc principatus? hoc potestas?

4. Imperat episcopus ut pecuniæ inferantur : si subditus noluerit, non modo non infert; sed etiam, ne videatur desidiæ causa ita se gerere, accusat jubentem : Furatur, inquiens, rapit, devorat pauperum res, absorbet inopum facultates. Finem fac maledicendi : quousque ista dices? Non vis inferre pecunias? nemo cogit, nemo vim affert : cur etiam hortanti et consilium danti conviciaris? Sed si quis in necessitate versetur, ille non porrigit manum, sive quod non possit, sive quod in alio versetur negotio. Nulla datur venia, sed rursus criminationes præcedentibus pejores. Hoccine est principatus? Nec sane potest ulcisci : viscera enim sunt sua. Ac sicut viscera, si intumuerint, si dolorem intulerint capiti ac reliquo corpori, non audemus ulcisci; neque enim arrepto gladio abscindimus : sic et si quis ex subditis talis sit, atque ex criminationibus hujusmodi labores nobis mœroresque intulerit, ulcisci non audemus : id enim a paterno animo procul est; sed necesse est molestiam ferre, donec ille ad sanam mentem reducatur. Emptitius servus habet aliquod opus imperatum; si illud perfecerit, jam sui dominus est : at hic circumquaque trahitur; multa ab eo exiguntur, quæ vires ejus exsuperant : si non sit dicendi peritus, multa hinc murmura; si apte loqui valeat, rursus accusationes : Inanis gloriæ cupidus est : nisi mortuos excitet, nullius momenti est, inquit. Ille pius est, inquit, hic vero non item. Si moderato utatur cibo, rursus crimina : Oportebat, inquit, illum suffocari : si lavantem viderit quispiam, plurima hinc convicia; Indignus est, inquit, qui solem videat. Si eadem ipsa faciat, quæ ego facio, si lavatur, si comedit et bibit, si vestimentis operitur, si domus et famulorum curam habet, cur mihi præficitur? Sed et famulos habet sibi ministrantes, et asello vehitur : cur mihi præest? At, quæso te, annon debet ministro uti, sed ipse ignem incendere, aquam afferre, ligna scindere, in forum ingredi? et quanta hæc turpitudo? At sancti quidem illi viri, apostoli, eum qui doctrinæ insisteret, neque ad viduarum ministerium operam dare volunt, sed id operis illo indignum arbitrantur : tu vero illum in famulorum tuorum officium redigis? Cur tu qui hæc imperas, nihil impendis, neque hæc imples? nonne, quæso te, longe majus tibi infert ministerium, quam tu, qui corporalia curas? cur non servum mittis tuum, qui illi ministret? Christus lavit pedes discipulorum; et tu si ministerium doctori præbeas, an magnum quid facis? Sed neque vis præbere, imo ipsum impedis. Quid ergo? num e cælo vitam ducere debet? Sed id Deus non vult. Quid ergo? inquies; num apostoli liberos homines habuerunt, qui sibi servirent? Vis audire quomodo apostoli se gesserint? peregrinationibus operam dabant, et viri liberi ac mulieres nobiles ad illos recreandos et animas et capita sua supponebant. Audi beatum hunc virum hortantem ac dicentem : *Hujusmodi in honore habetote;* et rursus, *Propter opus Dei usque ad mortem appropinquavit, non parcens animæ suæ, ut impleret quod ex vobis deerat erga me ministerium* (*Philipp.* 2. 29). Viden' quid dicat? Tu vero pro patre tuo ne verbum quidem proferre, ut non dicam tantum subire periculum, sustines. At, inquies, lavare non oportet. Cur, quæso, et ubinam hoc vetitum est? neque enim sordes honestæ sunt. Nusquam hæc videmus vel crimini data, vel admirationi habita.

Ab Episcopo quænam exigantur. — Alia enim sunt quæ episcopis habenda præcepit Paulus; irreprehensibilem esse, sobrium, ornatum, hospitalem, doctorem : hæc exigit apostolus, hæc a præsule exquirenda sunt, et nihil ulterius. Non es tu Paulo accuratior; imo non es Spiritu ipso accuratior. Si percussor fuerit, si vinolentus, si crudelis et immitis, accusa : hæc indigna sunt episcopo : si deliciis deditus est, hoc criminatione dignum : si vero corpus curet, ut tibi ministret, utque tibi utilis sit, an ideo culpandus est? An ignoras corpoream infirmitatem, non minus quam animæ ægritudinem et nobis et Ecclesiæ nocere? Cur ergo illam curat Paulus Timotheo scribens : *Modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates* (1. *Tim.* 5. 23)? nam si animæ solius opera virtutem exercemus, curam corporis habere non debemus. Cur autem sic nati sumus? Quod si illud plurimum conferat, nonne corpus negligere extremæ dementiæ fuerit? Sit enim vir aliquis episcopatu honoratus, cui Ecclesiæ cura concredita fuerit, sitque virtute præditus, cæteraque omnia habeat, quæ habere par est sacerdotem, verum præ nimia ægritudine semper in lecto decumbat : quid hic prodesse poterit? quam suspicere peregrinationem? quo pacto visitare? quem increpare poterit? quem monere? Hæc dixi, ut discatis non culpare pastores, eosque potius cum benevolentia suscipere : ut etiam, si quis hujusmodi principatus cupiditate teneatur, conspecta criminationum multitudine, hoc exstinguat desiderium. Magnum enim revera periculum est, quod et Dei gratia et pace opus habeat, quam nobis apprecemini obsecro, et quam nos vobis apprecamur; ut omnes simul virtute ornati, sic promissa bona consequamur, in Christo Jesu, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

CAP. 1. v. 5. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi :* 6. *si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.*

1. *Apostolum cura et opera. Pastoris officium.*—An-

tiquis certe viris vita omnis erat in opere atque in certamine : nobis autem non sic, sed negligentiæ plena est. Noverunt profecto illi, se ideo in hunc mundum fuisse deductos, ut secundum Conditoris voluntatem operarentur : nos vero ac si ideo conditi simus, ut comedamus et bibamus ac deliciis operam demus : ita nullam spiritualium rerum rationem habemus. Non de apostolis loquor tantum, sed etiam de iis qui post illos fuerunt. Vides igitur eos omnia percurrentes, quasi hoc uno opere suscepto, semperque in peregrina regione versantes, utpote qui non haberent civitatem in terra. Audi igitur quid beatus hic vir dicat : *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ.* Quasi domum unam orbem totum distribuentes, ita omnia administrabant, ut omnium qui in mundo essent curam gererent, dum hic illam, ille aliam partem sibi sumeret. *Hujus* enim *rei gratia*, inquit, *reliqui te Cretæ, ut quæ desunt corrigas.* Non imperantis more interim hortatur : *Ut corrigas*, inquit. Vides animam omni invidia liberam, ubique discipulorum utilitati consulentem, nec curantem sive per se, sive per alium id agatur? Ubi enim plurimum periculi et difficultatis inerat, præsens ipse peragebat : quæ vero honorem magis quam laudem ferebant, discipulo permittebat; episcoporum nempe ordinationes et cætera omnia quæ correctione opus habebant, atque, ut ita dixerim, perfectione majore. Quid, quæso, dicis? tua ille corrigit? nec putas rem turpem ac tibi dedecori esse? Minime sane : communem enim utilitatem respicio tantum; sive autem per me, sive per alium id fiat, nihil mea interest. Ita pastorem affectum esse opus est, nec proprium honorem quærere, sed communem utilitatem. *Et constituas*, inquit, *per civitates presbyteros.* Episcopos hic dicit, ut jam alibi diximus. *Sicut et ego disposui tibi : si quis sine crimine est. Per civitates*, inquit : neque enim volebat totam insulam uni committi, sed unicuique suam curam et sollicitudinem assignari : ita enim labor ipsi levior futurus erat, et subditi majori cum diligentia gubernandi erant, si doctor multas ecclesias regendas non percurreret, sed uni gubernandæ et ornandæ operam daret. *Si quis*, inquit, *est sine crimine, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.* Cur hujusmodi hominem in medium adducit? Ora obstruit hæreticis nuptias damnantibus, ostendens rem culpa vacare, imo ita honorandam esse ut aliquis connubio junctus possit etiam in sanctum thronum ascendere : eademque opera impudicos castigat, non sinens eos post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimen assumi. Nam qui erga defunctam uxorem nullam servavit benevolentiam, quomodo bonus Ecclesiæ præsul esse potuerit? quibus criminationibus non subjicietur? Nostis enim omnes, nostis utique, quod etsi per leges secundæ nuptiæ permittuntur, multis tamen ea res accusationibus patet. Nullam ergo vult præsulem subditis occasionem præbere. Ideo hic ponit, *Si quis sine crimine est;* id est, si vita ejus sit immunis a culpa, si nullam carpendi se occasionem præbuerit. Audi Christum dicentem : *Si enim lumen quod in te est*, inquit, *tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt* (*Matth.* 6. 23)? *Filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.* Perpendamus quantam de educandis liberis providentiam gerat. Nam qui filiorum suorum doctor esse non potuit, quo pacto alios doceat? Si quos ab initio secum habuit et nutrivit, et in quos per legem et per naturam potestatem habebat, recte instituere non potuit, quomodo alienis prodesse valebit? Nisi enim summa patris ignavia esset, non sivisset eos, qui sub potestate sua erant, improbos evadere. Neque fieri potest, ut qui ab initio cum magna cura et diligentia educatus fuit, improbus sit : neque enim ea natura sunt peccata, ut tantam curam superare valeant. Quod sibi posthabita filiorum educatione, pecuniis congerendis dederit operam, nec tantam liberorum curam habuerit; etiam sic indignus est. Nam si, cum urgebat naturalis affectus, ita socors fuit, aut ita stultus, ut plus de pecuniis, quam de filiis, sollicitus esset, quo pacto hic in thronum tantumque principatum evehatur? Nam si potuerit, magnæ socordiæ crimen est; si vero studium non adhibuerit, ut paterni affectus expers est damnandus. Qui igitur proprios filios negligit, quomodo alienorum habebit curam? Nec simpliciter dixit, Non luxuriosum; sed nec ea de re accusari, nec malam habere famam voluit. 7. *Oportet enim episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem.*

2. Nam is qui externum principatum obtinet, quia ex lege et ex necessitate imperat, merito sæpe non ex subditorum voluntate et sententia dominatur : is vero qui volentibus, et gratias de suscepto dominio habentibus præesse vult; si ita se gerat, ut consilio proprio tantum omnia faciat, nemini rationem reddens, tyrannice potius quam populariter hujusmodi exercet officium. *Oportet enim*, inquit, *sine crimine esse sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum.* Quomodo enim docebit alios hoc vitium superare, qui seipsum non docuit? In plurima enim hic principatus inducit negotia, quæ vel moderatiorem molestum et ingratum efficiant, innumeras quotidie iracundiæ causas circumferens. Nisi igitur ad hoc præmeditatus accesserit, molestissimus erit, plurimaque corrumpet ac perdet eorum, quæ sui officii sunt. *Non vinolentum, non percussorem.* De contumelioso hic loquitur : nam hortando potius quam increpando omnia facienda sunt : quæ enim, quæso te, contumeliæ necessitas? Gehennæ comminatione terrendum, magnusque timor adhibendus. Nam qui contumelia afficitur, audacior evadit, et contumeliosum magis contemnit. Nihil enim ita contemptum parit, ut contumelia, quæ contumeliosum dedecorat, nec sinit esse venerabilem. Cum pietate multa illum verba facere oportet, et peccantibus futuri judicii mentionem facere, atque ab omni contumelia purum et alienum esse. Quod si qui sint, qui ea quæ sui officii sunt impediant, tunc cum omni auctoritate res tranctanda est. *Non percussorem*, in-

quit. Medicus est animarum doctor : medicus autem non percutit, sed eum qui morbo vel vulnere affectus est emendat et sanat. *Non turpis lucri cupidum ;* 8. *sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem ;* 9. *amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem.* Viden' quantum virtutis culmen requirat? *Non turpis lucri cupidum,* inquit ; id est, qui magnum pecuniarum contemptum præ se ferat. *Hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum :* sua omnia, inquit, egenis impertientem : *continentem.* Non jejunio deditum hic dicit, sed qui vitia superat, linguam, manum et impudicos oculos : hæc quippe est continentia, nullo pertrahi vitio. *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem.* Fidelem hic verum dicit, vel qui per fidem traditus est, qui nec ratiociniis nec quæstionibus egeat. *Amplectentem,* sollicite curantem, hoc sibi opus assignantem. Quid ergo, si externæ disciplinæ fuerit expers? Ideo dixi, *Eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem. Ut potens sit exhortari, et eos qui contradicunt arguere.* Non ergo verborum fastu opus est, sed mente et Scripturarum peritia, sensuumque vi.

Paulus plus potuit, quam Plato. — Non vides Paulum qui orbem convertit universum, et plus potuit, quam Plato, et plus quam cæteri omnes? Sed ex signis, inquies. Non ex signis tantum : si enim Acta Apostolorum percurras, multis in locis eum victorem invenies etiam ante signa. *Ut potens sit exhortari in doctrina sana ;* id est, ad suorum custodiam, ad eversionem inimicorum. *Et eos qui contradicunt arguere.* Nisi enim hoc fuerit, omnia pessum eunt. Nam qui adversus hostes pugnare nescit, et captivare omnem intelligentiam in obedientiam Christi, et ratiocinia confutare : qui non scit ea quæ de recta fide docere oportet, is procul sit a throno doctrinæ. Nam cætera etiam in subditis reperire est ; nempe quod sint sine crimine, quod filios habeant subditos, quod sint hospitales, justi, sancti : quod vero maxime doctorem exprimit, hoc est, quod possit verbis instituere ; cujus rei nunc cura nulla habetur. 10. *Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui et seductores, maxime qui de circumcisione sunt :* 11. *quos oportet redargui.* Viden' quomodo ostendat undenam hujusmodi sint? Quod nolint obsequi, sed imperare : hoc enim subindicavit. Cum ergo persuadere non potueris, hos ne ordinaveris, sed silentium impone ad aliorum utilitatem : quod enim lucrum si non pareant vel si etiam inobedientes sint? Cur illis silentium est imponendum? Ut hinc cæteri utilitatem decerpant. *Qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.* Nam si is doctrinam suscepit, non potest cum illis concertare, neque illis os obstruere sic impudenter agentibus, pereuntium singulorum damni causa ipse erit. Si enim quidam hortatur dicens : *Ne quæras fieri judex, nisi possis tollere injustitiam* (*Eccli.* 7. 6) ; multo magis hic dicas, Ne quæras magister fieri, si longe abes a tali dignitate, sed etiam si traharis, resili. Vides undique pecuniæ et turpis lucri cupiditatem horum esse causam? *Docentes,* inquit, *quæ non oportet, turpis lucri gratia.*

3. *Honoris contemptus quam difficilis.*— Nihil enim est quod hæc vitia non labefactent ; sed quemadmodum venti quidam vehementes in tranquillum mare incidentes, totum illud a sedibus imis perturbant, ita ut arena fluctibus misceatur : ita hæc vitia in animam ingressa, totam illam sus deque versant, excæcant in mente vim perspiciendi, maximeque gloriæ vesana cupido. Nam pecuniarum contemptum facile quivis admittet ; honorem vero a multis præstitum despicere, multi est laboris, magnæ philosophiæ, animæ angelicæ, quæ cælorum verticem attingat. Nullum, nullum utique est vitium ita tyrannicum, quod ubique dominatur, alibi plus, alibi minus, ubique tamen. Quomodo igitur ipsum superabimus, etiamsi non penitus, tamen ex tantilla parte? Si in cælum respiciamus, si Deum præ oculis habeamus, si cogitationem et sensum terrenis rebus longe majorem suspiciamus. Quando gloriam concupiscis, cogita te jam illam consequutum esse, et disce finem, nihilque reperies. Cogita quantum hæc res afferat detrimenti, quantis et qualibus privet bonis : nam labores quidem et pericula subibis, fructibus autem et præmiis privaberis. Cogita multos esse improbos, gloriamque illorum contemne. Singulos tecum reputa quinam sint, videbisque ridiculam prorsus rem esse ; videbis turpitudinem potius esse, quam gloriam : et postea erige cogitationem tuam ad supernum theatrum. Cum boni aliquid feceris, si cogites id hominibus esse ostendendum, et quosdam quæras rei spectatores, atque id conspici peroptes ; cogita id Deum ipsum videre, et totam illam exstingues cupiditatem : ex terra recede, illud respice cælorum theatrum. Homines si laudaverint, postea vituperabunt, invidebunt, carpent : ac si nihil horum fecerint, nihil tamen ei quem laudant utilitatis afferent. In Deo autem nihil tale, sed gaudet ille recte facta nostra laudans. Recte loquutus es, et plausus excepisti? quid inde lucri? Nam si quidem plaudentes illi utilitatem consequuti, immutati meliores effecti sunt, et a pristinis malis recesserunt, gaudendum utique est, non de laudibus, sed de mirabili illa mutatione. Quod si perpetuo laudantes, tumultuantes, plaudentes, nihil ex plausibus lucrentur, dolendum magis est, quod hæc illis in judicium et damnationem cedant. At de pietate gloriam habes? Si quidem pius, nulliusque mali tibi consciuses, gaudere oportet, non quia talis videris esse, sed quia talis es. Quod si cum talis non sis, multorum gloriam aucuperis, cogita non illos esse qui de nobis judicaturi sunt in illo die, sed eum qui abscondita accurate novit. Quod si peccatorum tibi consciuses, omnibus purus esse putaris, non modo non gaudendum, sed etiam dolendum et acerbe lugendum est tibi, frequenter cogitanti diem illum, quo omnia revelabuntur, et abscondita tenebrarum illuminabuntur. Honore frueris? hunc depelle, gnarus te ex hujusmodi honore debitorem constitui. Nemo tibi ho-

norem exhibet? ideo gaudere te oportet : neque enim Deus cum cæteris hunc quoque honorem tibi objiciet. Annon vides ut inter cætera beneficia hoc etiam Deus accuset per prophetam : *Accepi ex filiis vestris in prophetas, et ex adolescentioribus vestris in sanctificationem* (*Amos* 2. 11)? Vel illud ergo saltem lucraberis, quod majori supplicio non eris obnoxius. Nam qui in præsenti sæculo non honoratur, et in nullo pretio habetur, sed contumeliis afficitur et respuitur; etsi nihil aliud, hoc saltem lucratur, quod non culpæ obnoxius sit ob honorem sibi a conservis præstitum. Et alia quoque emolumenta hinc accipit : premitur, humiliatur, neque, etiamsi velit, altum umquam sapiet, si sibi magis attendat. At qui multo fruitur honore, præterquam quod magnis debitis est obnoxius, arrogantia et vana gloria extollitur, hominumque servus efficitur. Deinde aucta dominatione, multa invitus facere cogitur.

4. *Honor et gloria hic non quærenda.* — Scientes igitur hoc illo præstantius esse, ne quæramus honores, et oblatos depellamus : abjiciamus a nobis et exstinguamus hanc cupiditatem. Hæc a nobis et principibus et subditis dicta sunt. Anima enim quæ honorem et gloriam quærit, non videbit regnum cælorum. Non meus est sermo, nec verba mea profero, sed divini Spiritus : non videbit, etiamsi virtutem exercuerit. *Receperunt* enim, inquit, *mercedem suam* (*Matth.* 6. 5). Qui ergo mercedem non accipit, quomodo non videbit regnum cælorum? Non prohibeo gloriam appeti; sed gloriam volo veram, quæ a Deo est : *Cujus laus*, inquit, *non ex hominibus, sed ex Deo est* (*Rom.* 2. 29). In occulto pii simus, non circumdati fastu multo, vel scena et simulatione : abjiciamus ovinam pellem, imo potius oves efficiamur : nihil enim humana gloria abjectius. Dic enim mihi, si videres multitudinem parvulorum lactentium, an cuperes ab illis gloria affici? Sic erga omnes homines affectus esto quantum ad gloriam. Ideo inanis gloria appellatur. Non vides larvas quas in scena histriones sibi imponunt, quam pulchræ sint, quam splendidæ, quam ad perfectionem formam concinnatæ? possisne mihi talem formam in rei veritate monstrare? Minime sane. Quid ergo? num alicujus talis amore captus es? Non : quare? quia inanes sunt, et imitantur, nec vere pulchritudinem habent. Ita hæc gloria inanis est, et pulchritudinem quam non habet imitatur. Illa sola manet, quæ intus est et naturalis : hæc vero exterior sæpe deformitatem obtegit : obtegit, inquam, apud homines, et usque ad vesperam; soluto autem theatro, et detractis larvis, singuli apparent ut sunt. Ne ergo quasi in scena histrionica veritatem adeamus. Dic enim mihi, quid boni habet a multitudine circumspici? inanis est gloria nihilque aliud : nam in domum ascende, solusque esto, et totum effluxit. In forum ingressus es, eos qui aderant ad te convertisti? et quid amplius? Nihil : exstincta est gloria, et ut fumus abiit. Res igitur instabiles sic amamus? et quantæ illud amentiæ est, dic mihi? quantæ stultitiæ? Ad unum ergo tantum respiciamus, quomodo nos Deus laudaturus sit : si hoc spectemus, humana numquam quæremus; sed, si adsint, illa despiciemus, irridebimus, respuemus; ac si cum aurum cuperemus lutum nacti essemus, ita erimus affecti. Ne te laudet quispiam; neque enim tibi prodest, ut, si vituperet, nihil nocet. Apud Deum autem utrumque vel lucrum vel detrimentum affert : quæ enim ab hominibus, vana omnia sunt. In hoc porro Deo æquales sumus, quod ipse gloria hominum non egeat : ait enim, *Gloriam ab hominibus non accipio* (*Joan.* 5. 41). An parva, quæso, res hæc tibi videtur? Cum igitur gloriam despicere vix potes, dic, Deo æqualis ero si despiciam, et statim contemnes. Neque enim fieri potest, ut qui humanæ gloriæ servus est, non sit servus omnium, ipsisque mancipiis abjectior. Neque talia servis nostris imperamus, qualia gloriæ amor iis qui illo tenentur; ad turpia enim et dedecore plena et dicenda et patienda inducit, et cum sibi obsequentes videt, tunc majora imperat. Fugiamus igitur, fugiamus, rogo, hujusmodi servitutem. Quomodo, inquies, poterimus? Si de rebus hujus mundi philosophemur; si consideremus præsentia somnium et umbram esse, nihilque aliud, facile illam superabimus, ac neque in parvis, neque in magnis capiemur : si vero non in parvis despiciamus, in maximis certe facile labemur. Procul ergo ejus fontes derivemus : sunt autem illi stultitia abjectusque animus. Itaque si sublimem assumamus animum, multitudinis gloriam despicere, atque in cælum animam erigere poterimus, cælestiaque bona nancisci, quæ utinam nos omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

CAP. 1. v. 12. *Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* 13. *Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide,* 14. *non intendentes Judaicis fabulis et mandatis hominum aversantium se a veritate.*

1. *Quare et cujus verbis usus talia Paulus dixerit.* — Plurima hic quærenda sunt : primo, quis hæc dixerit; secundo, cur his Paulus usus sit; tertio, cur testimonium, quod non recte haberet, adduxerit. Age ergo, alia quoque addendo, sic opportunam solutionem afferamus. Etenim cum Athenienses alloqueretur, inter concionandum dixit, *Ignoto Deo*; et rursus, *Ipsius enim et genus sumus : sicut et quidam poetarum vestrorum dixerunt* (*Act.* 17. 23. 28). Epimenides igitur est qui hæc dixit, qui et ipse Cretensis erat; sed quo permotus hæc dixerit, necessario vobis dicendum est : ea autem est hujus dicti occasio. Cretenses sepulcrum Jovis habent ita inscriptum: *Hic jacet Jupiter, quem Jovem vocant.* Propter

hanc igitur inscriptionem poeta Cretenses traducens, in sequentibus acrius mordet illos :

Etenim sepulcrum, o Rex, tuum
Cretenses struxere : tu vero non moreris :
es enim semper (a).

Si igitur hoc testimonium verum est, vide quantum sit periculi. Si enim verax est poeta, dicens illos mentitos esse cum dicerent Jovem esse mortuum, ut dicit apostolus, magnum imminet periculum. Hic multum attendite, quæso, dilecti. Dixit poeta Cretenses mentiri, cum dicunt Jovem esse mortuum : ejus testimonium confirmavit apostolus : ergo secundum apostolum Jupiter est immortalis : ait enim, *Hoc testimonium verum est.* Quid ergo dicemus ? imo quo pacto id solvendum ? Non hoc dixit apostolus, sed simpliciter hoc testimonium accepit, etsic ad eorum mentiendi consuetudinem applicuit. Cur enim non illud addidit : *Nam sepulcrum, o rex, tuum Cretenses construxere ?* Itaque non hoc dixit apostolus, sed tantum, bene dixisse illum quod Cretenses essent mendaces. Neque hinc solum probamus Jovem non esse deum : aliunde namque multa suppetunt argumenta, nec ex solo Cretensium testimonio hoc clare demonstratur. Alioquin autem non dixit illos ea in re mentiri; imo etiam verisimile est illos in hoc etiam mentitos esse : nam alios quoque esse deos existimabant. Ideo apostolus mendaces illos dixit.

Paulus cur ex Græcis testimonia afferat. — Verum quod quæritur est, cur a Græcis testimonia afferat. Quia tunc illos validius confutamus, quando testimonia ab illis ipsis petimus et accusationes ; quando eos, qui mirabiles apud illos fuere, ipsos criminantes opponimus. Ideo alibi quoque ipsis usus est, ut cum dicit, *Ignoto Deo.* Athenienses enim quia non ab initio deos omnes acceperant, sed per tempora alios quosdam, ut ea quæ ex Hyperboreis accesserunt, ut quæ Pana spectant, ut parva et magna mysteria induxerunt (*b*) : hinc conjicientes verisimile esse alium quoque deum esse, qui sibi ignotus esset ; ut etiam illi se devoverent, aram ipsi erexerunt cum hac inscriptione, *Ignoto Deo ;* ac si indicare voluissent, alium forte esse ignotum deum. Dixit ergo Paulus : Quem vos præoccupantes agnoscitis, hunc ego vobis annuntio. Illud autem, *Ipsius enim et genus sumus*, de Jove dictum fuerat ab Arato, qui cum initio dixisset, *Jove plenæ viæ sunt, plenum mare ;* subjunxit, *Ipsius enim et genus sumus*, ostendens ipse quoque, ut puto, non ex Deo progenitos esse. Quomodo ergo Paulus ea, quæ de Jove dicta fuerant, ad Deum universorum attraxit ? Non ea quæ de Jove dicta fuerant ad Deum attraxit, sed quæ Deo competebant, nec proprie nec congruenter Jovi attributa, hæc Deo reddit : siquidem nomen illud, *deus*, ipsius Dei tantum est, et idolis perverse imponitur. Sed undenam oportuit ipsos alloqui ? ex prophetis ? At non credidissent : quandoquidem etiam Judæis nihil ex Evangeliis dicit, sed ex prophetis. Ideo ait : *Factus sum Judæis tamquam Judæus ; iis qui sine lege sunt, tamquam sine lege ; iis qui sub lege sunt, tamquam sub lege* (1. *Cor.* 9. 11).

2. *Magi cur per stellam ducti. Arguendi et corrigendi modi.* — Hoc et Deus ipse facit, ut in magis : non per angelum illos ducit, non per prophetam, non per apostolum, non per evangelistam, sed unde ? Per stellam (*Matth.* 2) : quia enim in illa versabantur arte, hinc illos traxit. Rursus in vaccis arcam ducentibus (1. *Reg.* 6. 9) : Si hac incedant via, inquit, vera est Dei indignatio, ut vates suggesserunt. Ergone vera dicunt vates ? Absit, sed ex ipsorum ore ipsos redarguit et increpat. Rursus in Pythonissa : etenim quia Saül ipsi crediderat (1. *Reg.* 28. 8), per illam effecit Deus ut audiret quæ sibi eventura erant. Cur ergo Paulus os obstruxit dæmoni dicenti : *Isti homines servi Dei altissimi sunt, qui annuntiant nobis viam salutis* (*Act.* 16. 17) ? cur etiam Christus dæmonas ne loquantur cohibet ? (*Marc.* 1. 25. *Luc.* 4. 35) ? Illic quidem jure et merito : nam tunc signa præcesserant : quia etiam hic non stella erat, sed ipse seipsum prædicabat ; dæmones autem illi non adorabant. Non erat idolum verba proferens, quod impediretur. Balaamum autem benedicere permisit, neque illum impedivit (*Num.* 23). Sic ubique se attemperat. Ecquid hoc miraris ? Ipse namque de se opiniones malas et se indignas constitui permittit : verbi gratia, quod corpus prius fuerit, quod visibilis : adversus hoc autem dicit, *Spiritus est Deus* (*Joan.* 4. 24). Rursus quod de sacrificiis gaudeat, quod tamen alienum ab ipso est ; et verba proferat confessioni suæ non congruentia ; et similia multa. Nusquam enim ad dignitatem suam respicit, sed ubique ad nostram utilitatem. Nam si pater nullam habet dignitatis suæ rationem, sed cum filiolis suis balbutit, nec cibum, edulia, pocula Græcis vocat nominibus, sed puerili quadam et barbara dictione ; multo magis Deus. Et attemperato modo exprobrat per prophetam dicens : *Si mutabunt gentes deos suos* (*Jer.* 2. 11) : et ubique in Scripturis et verba et res ipsæ attemperato modo jacent. *Quapropter*, inquit, *increpa illos dure, ut sani sint in fide.* Ideo sic loquitur, quia illi moribus petulantes erant, dolosi et profligati, et

(*a*) Hic de Cretensibus multa profert Chrysost., in quels, ut quidam putant, major accuratio desideratur. Andreas vero Dunæus in Notis Savilianis, p. 559, ita loquitur in hæc verba. In sequentibus mordet illos : *Reliquum poematis, quod attexit, est apud Callimachum hymno Jovis :*

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο,
Κρῆτες ἐτευξάμενοι· σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί·

Cretenses semper mendaces : etenim sepulcrum, etc. *Quid igitur ? hoc distichon Callimachus ab Epimenide feratus est ? non possum animum inducere ut credam. Carmen enim est mollissimum, et vere Callimacheum. Ergo Callimachum inuit Paulus, non Epimenidem ? At Callimachus non est Cres, sed Cyrenæus ; Apostolus autem ait : Dixit quidam ex illis, proprius illorum propheta. Porro Epimenides non poeta erat, sed oraculorum interpres.* Deinde, unde hemistichium, καὶ θηρία, γαστέρες ἀργαί, *malæ bestiæ, ventres pigri ? Verisimile est hoc ab Hesiodo sumpsisse Epimenidem, cujus Hesiodi hoc est in Theogonia*, v. 26 :

Ποιμένες ἄγραυλοι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Pastores in agro stabulantes, malæ bestiæ, ventres pigri. Callimachum autem ab Epimenide illud, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται. *Chrysostomum, qui sic ista contexuit, memoria lapsum : hæc mea semper fuit opinio.* Cæterum Cretenses ab aliis poetis, Ovidio, Lucano, mendaces fuisse dicuntur.

(*b*) De Hyperboreorum regione fabulabantur, teste Hecatæo apud Diodorum, Latonam ibi ortam esse, et Apollinem ibidem magno in honore haberi. Panos Dei sacra habes memorata apud Aristophanis Interpretem. Itemque mysteria parva et magna ibidem in Pluto memorantur.

innumeris malis erant obruti. Cum vero et facile mentirentur, dolosi essent, ventri indulgentes et otiosi, acri et increpanti sermone opus erat : qui enim talis est, moderate regi nequit. Argue igitur illos. Hic non de alienis loquitur, sed de domesticis. *Dure*, inquit : profundiorem inflige plagam. Neque enim pari modo cum omnibus agendum, sed vario et diverso, ut res postulat. Hic nusquam hortatur. Sicut enim is, qui mansuetum et nobilem increpat, ipsum perimit et perdit : sic is, qui vehementia opus habenti adulatur, ipsum corrumpit, nec surgere sinit. *Ut sani sint in fide*, inquit. Illud ergo sanitas est, nihil spurium habere, nihil alienum inducere. Quod si ii qui cibos observant sani non sunt, sed infirmantur (*Infirmos enim in fide*, inquit, *suscipite, non in disceptationibus cogitationum* [*Rom.* 14. 1]) : quid de iis dixeris, qui una cum illis jejunant, qui sabbata servant ; de iis qui ad consecrata illa loca pergunt; in Daphnen, inquam, atque in speluncam Matronæ dictam (*a*), in locum illum Ciliciæ, Saturni appellatum? quomodo sani illi sunt? Ideo vehementiore plaga opus habent. Cur ergo idipsum Romanis non facit? Quia non iisdem erant moribus, quia ingenui illi erant, *Non intendentes*, inquit, *Judaicis fabulis*. Judaica dupliciter fabulæ sunt, sive quod simulata sunt, sive quod intempestive fiunt : demum vere fabula sunt. Cum enim non par sit illa nunc facere, et cum facta damnum importent, fabula sunt, sicut et inutilia sunt. Ut igitur illis non obtemperandum, ita nec istis; neque enim illud sanum fuerit. Si enim fidei credis, cur alia inducis, ac si fides non sufficiat ad justificandum? cur te legis servum reddis, teque illi subjicis? non credis fidei rebus? Hoc infirmi atque increduli est : ad fidelem enim animum pertinet non dubitare : dubitat autem is qui talis est. 15. *Omnia*, inquit, *munda mundis*. Vides hoc dictum aliquam rem spectare? *Coinquinatis autem*, inquit, *et infidelibus nihil est mundum*.

3. *De mundis et immundis.* — Non igitur per naturam suam munda aut immunda sunt, sed ex suscipientium arbitrio et voluntate. *Sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia.* 16. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominabiles et increduli, et ad omne opus bonum reprobi.* Ergo sus quoque mundus est : cur ergo ut immundus prohibetur? Non natura immundus erat : omnia enim munda. Nam nihil immundius pisce, siquidem humana degustat corpora : sed permissus fuit, et mundus esse visus est. Rursus gallina nihil immundius ; vermes enim comedit : nihil cervo impurius ; nam ideo illum ἔλαφον apud Græcos vocari dicunt, quod ὄφεις seu serpentes comedat : verum hæc omnia comedebantur. Cur ergo suem et alia similia prohibuit? Non ut immunda, sed ut voluptatis majorem partem amputaret. Verum si hoc ille dixisset, non persuasisset : nunc autem immunditiæ timore illos cohibuit. Quid enim, quæso te, vino immundius, si rem expendamus? quid aqua impurius, qua tamen maxime mundabantur? Mortuum non tangebant, et mortuo mundabantur : nam quod immolabatur mortuum erat, et hoc purgabantur. Usque adeo puerorum erat hæc doctrina. Consideres autem velim : nonne vinum ex fimo constat? ut enim vitis ex terra humorem attrahit, sic et ex adjacente fimo. Demum si rem curiosius explorare voluerimus, omnia immunda sunt. Sed nihil, nisi curiosius scrutemur, immundum erit, sed omnia munda : nihil immundum Deus fecit : nihil enim immundum, nisi peccatum solum : animam quippe tangit, illamque maculat. Hoc autem humana est præjudicata opinio, *Coinquinatis*, inquit, *et incredulis nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia.* Quomodo enim in mundis immundum reperiatur? Qui infirmus est anima, omnia inquinat. Nam si ista cogitatio ipsum occupet, dum quæret quid mundum, quid immundum sit, nihil tanget. Neque enim secundum eorum ratiocinium piscis et cætera munda sunt (*Coinquinatæ sunt*, inquit, *eorum et mens et conscientia*) ; sed omnia inquinata sunt. Verum non hoc ille dixit, sed quid? In illos totum convertit. Nihil enim immundum, inquit, sed ipsi tantum, et mens conscientiaque illorum : his nihil immundius est. *Confitentur se nosse Deum : factis autem negant, cum sint abominabiles et increduli et ad omne opus bonum reprobi.* (*Cap.* 2.) 1. *Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam.* Hoc immunditia est; ipsi immundi sunt : nec tamen ideo sileas. Etiam si ipsi non suscipiant, inquit, tu quæ tua sunt perfice : si non obtemperent, tu admone consiliis. Hic magis illos criminatur. Nam qui furentes sunt, nihil consistere putant : verum non ab iis quæ videntur hæc fiunt, sed a videntibus oculis. Quia enim instabiles sunt et caligant, totam verti terram putant; sed non vertitur, firmaque stat : stultum enim illorum vitium, non est vitium elementorum. Ita et hic, quando mens immunda est, omnia esse immunda existimat. Ergo non ex tali observatione munditia prodit, sed munditia est omnia aggredi. Qui enim natura purus est, omnia audet; qui vero inquinatus est, nihil. Hoc quoque adversus Marcionem dicendum est. Viden' quod munditiæ signum ponat, quod omni macula sit superior; et immunditiæ, quod nihil tangatur? Sic etiam in Deo : quod carnem assumpserit, id munditiæ est; si timens non assumpsisset, id sordis signum fuisset. Qui ea quæ sibi videntur immunda esse non comedit, ille immundus est et infirmus : qui comedit, non item. Ne mundos ergo hujusmodi homines appellemus : hi sunt immundi : qui vero omnia audet, mundus est. Hæc pietas exhibenda est in iis quæ animam inquinant : hoc enim immunditia, hæ sordes sunt : hoc vero horum nihil. Nam qui os corruptum habent, quæ offeruntur immunda esse putant; illud autem ex vitio provenit. Oportet igitur et

(*a*) Speluncam Matronæ in Daphne, in Homilia adversus Judæos prima T. I, col. 851, seu templum appellat, quod erat Matronæ et Apollini sacrum. Matronam quidam putabant esse Junonem.

mundorum et immundorum naturam probe nosse.

4. Quid ergo est immundum? Peccatum, malignitas, avaritia, nequitia. *Lavamini*, inquit, *mundi estote, auferte nequitias vestras de animabus vestris* (*Isai.* 1. 16). *Cor mundum crea in me Deus* (*Psal.* 50. 12). *Exite de medio eorum et separamini*, inquit, *et immundum ne tangatis* (*Isai.* 52. 11). Nam observationes illæ symbola erant munditiarum. *Mortuum*, inquit, *ne tangas* (*Levit.* 11. 8). Tale namque est peccatum, mortuum et fœtidum, *Leprosus*, inquit, *immundus est* (*Levit.* 13. 15). Peccatum enim varium est et diversum. Et quod hoc subindicet, ex sequentibus palam est. Nam si lepra per totum corpus fuerit, mundus est; si in parte tantum, non item. Viden' ut id quod varium et mutabile est sit immundum? Rursus seminifluus immundus in anima (*Levit.* 15. 4). Cogita seminifluum, semina ejicientem. Incircumcisus item immundus. Viden' hæc non esse allegoriam, sed figuras? Qui non aufert, inquit, ex anima sua nequitiam. Qui operatur in sabbato, lapidatur. Hoc est, qui non Deo jugiter addictus est, hic perit. Videtisne quot sint immunditiarum modi? *Quæ in menstruis est, immunda est* (*Lev.* 15. 19). Cur, quæso? nonne ipse semen et generationem formavit? cur ergo immunda hæc mulier fuerit? nisi forte aliud quidpiam subindicet. Quid hoc est? Pietatem in anima peperit, illam procul a fornicatione abduxit. Nam si quæ parit immunda est, multo magis quæ fornicatur: si cum uxore propria congredi non adeo mundum est, quanto magis cum aliena coire? Qui ex funere venit, inquit, immundus est; multo magis qui a cæde et bello. Et multos quis invenerit immunditiarum modos, si omnia colligerentur. At non nunc hæc requiruntur, sed totum in animam translatum est. Corpora enim vicina sunt nobis: ideoque inde et eos induxit; sed non nunc: non oportebat enim figuris assidere neque umbris, sed veritati hærere et hanc suscipere.

Immundi quinam vere sint. — Immundum est peccatum: hoc fugiamus, ab hoc abstineamus: *Si accesseris*, inquit, *ad illum, suscipiet te* (*Eccli.* 21. 2). Nihil avaritia immundius. Undenam id perspicuum est? Ex rebus ipsis. Quid enim illa non inquinat? manus, animam, ipsam domum, in qua deponuntur quæ rapta fuere. At Judæis id nihil esse videtur. Atqui Moyses ossa Josephi portavit, et Sampson ex maxilla asini bibit, et ex leone mel comedit, et Helias a corvis et a vidua muliere nutriebatur. Quid, quæso, si omnia accurate recenseamus? membranæ librorum ipsorum non omnibus exsecrabiliores sunt habendæ? nam ex mortuis animalibus conficiuntur. Non solus ergo fornicator immundus est, sed alii plus quam ille: adulter quoque immundus. Uterque autem immundus est, non propter coitum; nam eadem ratione qui cum uxore propria congreditur immundus esset; sed propter violatum jus, et propter habendi cupiditatem, quia fratrem in magis necessariis injuste læsit. Viden' nequitiam esse immundam? Et qui duas habebat uxores immundus non erat: David enim, qui plures habebat, immundus non erat: cum autem unam injuste addidit, immundus effectus est. Quare? Quia injuste læsit, et quia fraudavit. Fornicator porro non propter coitum immundus est, sed propter modum, quod mulierculam violet; ac scipsos mutuo lædunt qui mulierem communem faciunt, et naturæ leges subvertunt: unius enim ipsam esse oportuit *Etenim masculum et feminam fecit eos*; et dixit, *Erunt duo in carnem unam* (*Gen.* 1. 27. *et* 2. 24); non multi, sed *Duo in carnem unam*. Hic igitur quoque injustitia, ideoque actus ille est improbus. Ira etiam cum modum excedit, immundum facit hominem, non propter iram, sed propter modum: nam et hoc additur: *Qui irascitur*, non simpliciter, sed, *sine causa* (*Matth.* 5. 22). Igitur ubique plus quam oportet appetere immundum est: ex immoderato enim appetitu id nascitur. Vigilemus itaque, obsecro, et vero munditia puri efficiamur, ut Deum videre mereamur, in Christo Jesu Domino nostro, quicum Patri simulque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

CAP. 2. v. 2. *Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia*: 3. *anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes*, 4. *ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos diligant*, 5. *prudentes, castas, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei.*

1. *Senum vitia.* — Habet etiam senectus vitia quædam, quibus juventus caret, et quædam, quæ ad juventutem quoque pertinent. Inest illi præterea segnities, tarditas, oblivio grandis, obtusio sensuum, iracundia. Idcirco de his præcipiens dicit, *Senes esse sobrios ac vigiles debere.* Multa enim sunt, quæ in hujusmodi ætate vigilantiæ obstent: ac primo id ipsum quod dixi, quod undique obtusis sensibus sint, ac difficile excitentur et moveantur: ideoque subjungit, *Pudici, prudentes.* Hic de prudentia loquitur, quæ Græce enim σωφροσύνη dicitur quasi mentis salus. Sunt enim etiam inter senes homines qui rabie ferantur et in ani, alii ex vino, alii ex mœrore: ad rixas enim senectus provocat. *Sani in fide, in dilectione, in patientia.* Recte dixit, *In patientia*: hæc enim maxime senibus competit. *Anus similiter in habitu sancto*; id est, ab ipso habitu et amictu modestiam exhibentes. *Non criminatrices, non multo vino servientes.* Hoc enim maxime est mulierum et senectutis vitium: nam quod ætas frigescat, magna vini cupiditas ingeneratur. Ideoque hac de re maxime monitum ad illas instituit, ebrietatem undique amputans, et hunc morbum eliminare cupiens, atque risum inde partum amovere. Facilius enim vapores insurgunt, et cerebri membranæ læduntur, quando

illæ ætate ingravescunt : hinc que maxime ebrietas oritur. Vino certe opus habet ætas illa, utpote infirma, sed non multo. Hæc admonitio juniores quoque spectat, non eadem de causa, sed quod hinc libidinis flamma admodum accendatur. *Bene docentes.* Et tamen mulieres docere vetas : qua igitur ratione id permittis, qui alibi dixisti, *Mulieri docere non permitto* (1. *Tim.* 2. 12)? Sed audi quid subjunxerit, *Neque præesse viro.* Viris enim jam olim permissum est docere viros et mulieres : mulieribus autem monendi dat facultatem, sed domi tantum; nusquam autem illam præsidere sinit, neque longam orationem habere : ideoque subjungit, *Neque præesse viro. Ut prudentiam doceant adolescentulas*, inquit.

2. *Conjugum concordia quantum bonum.* — Viden' quomodo populum connectat et congreget? quomodo adolescentulas vetulis subjiciat? Non enim de filiabus hic loquitur, sed de ætate simpliciter. Anus quælibet, inquit, adolescentulam moderetur. *Ut viros suos ament.* In domo hoc caput bonorum est : *Mulier*, inquit, *cum viro consentiens* (*Eccli.* 25. 2). Cum hoc fuerit, nihil ingratum accidet. Quomodo enim si caput cum corpore consentiat, et nulla sit ibi dissensio, non reliqua omnia in pace erunt? nam cum principes in pace degunt, quis pacem frangere vel violare possit? Ac vice versa, his dissidentibus, domi nihil sanum erit. Nihil igitur hoc majus est; estque longe utilius, quam pecuniæ, nobilitas, potentia, cæteraque omnia. Non simpliciter dixit, In pace sint, sed, Viros ament. Cum enim amor aderit, nihil ingratum vel molestum subintrare poterit : hinc enim alia omnia nascuntur bona. *Filios suos diligant*, inquit. Pulchre : quæ enim radicem amat, multo magis fructus amabit. *Prudentes, castas, domus curam habentes, benignas.* Omnia ab amore pariuntur : nam et benignæ et domus curam habentes ex amore viri fiunt. *Subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei.* Contra vero, quæ virum suum contemnit, domus quoque curam non habet. Ex amore prudentia oritur, ex amore omnis tollitur contentio : si gentilis sit, cito persuadebitur; si Christianus, melior erit. Viden' Pauli attemperationem? Qui nihil non agit, ut nos a vitæ negotiis abstrahat, nunc de ordinanda domo magnam curam gerit. His enim recte compositis, spiritualia locum habitura sunt; alioquin autem illa quoque labefactantur. Nam quæ domus curam habet uxor, pudica quoque erit, et omnia dispensabit; neque deliciis, intempestivis sumptibus, similibusque rebus operam dabit. *Ut non blasphemetur verbum Dei*, inquit. Viden' illum præcipue prædicationis curam habere, non sæcularium rerum? Nam ad Timotheum scribens dicit : *Ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et honestate* (1. *Tim.* 2. 2); hic autem, *Ut non blasphemetur verbum* et doctrina *Dei*. Si enim contingat, fidelem mulierem, infideli viro junctam, non esse virtute præditam, hinc blasphemia in Deum transire solet; si vero ornata virtute fuerit, prædicatio gloriam lucratur et ex illa et ex rectis ejus gestis. Audiant mulieres, quæ vel scelestis vel infidelibus viris junctæ sunt : audiant, et discant ex rectis suis moribus illos ad pietatem inducere. Etiamsi enim nihil aliud lucreris, nec virum attrahas ad rectorum dogmatum consortium; at os ejus obstrues, nec illum blasphemiis Christianismum impetere sines. Hoc autem non minimum est, sed vere maximum, cum ex conversatione nostra dogma in admiratione habetur. 6. *Juvenes similiter hortare, ut sobrii sint.* Vide quomodo ubique moneat ut decorum servetur. Nam docendas mulieres mulieribus magna ex parte permisit, cum anus adolescentioribus præfecit; virorum autem institutionem ipsi Tito commendat. Nihil enim, nihil ita difficile et grave in hac juvenili ætate, quam absurdas voluptates superare. Neque enim pecuniarum cupiditas, neque gloriæ desiderium, neque aliud quidpiam ita hanc ætatem exagitat, ut corporum amor. Ideo missis aliis omnibus, circa illud letale vulnus admonitionem instituit. Deinde neque cætera negligit; sed quid ait? 7. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum.* Doceant, inquit, anus adolescentulas : tu vero ipse juvenes hortare ut sobrii ac pudici sint. Sit omnibus magister et exemplar virtutis vitæ tuæ speculum, omnibus in medio propositum, quasi primitiva quædam imago, quæ bona omnia in se contineat, quæ cum facilitate magna iis qui se ipsi conformare voluerint, exempla bonorum operum exhibeat. *In doctrina integritatem, gravitatem,* 8. *verbum sanum, irreprehensibile; ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.*

3. Eum qui ex adverso est dicit diabolum omnemque ipsi ministrantem. Cum enim et vita fulserit, et sermo concurrerit, modestus, mansuetus et placidus cum sit, nullam præbens adversariis occasionem, magnum et ineffabile emolumentum est. Magna igitur est ministerii verbi utilitas; verbi scilicet non cujuslibet, sed probati, irreprehensibilis, et nullam præbentis adversari volentibus occasionem. 9. *Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes.* Viden' quid antea dixerit? *Ut qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Ergo reprehensione dignus est is, qui continentiæ obtentu uxores a viris separat, et qui eodem obtentu servos dominis suis aufert. Non est hic sermo irreprehensibilis, magnamque infidelibus dat ansam, et omnium ora contra nos aperit. *Servos*, inquit, *dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes,* 10. *non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.* Merito igitur alibi dicebat, *Quasi Deo servientes, et non hominibus* (*Ephes.* 6. 7). Nam si domino cum benevolentia servias, at occasio hujus servitutis a timore proficiscitur. Quapropter is qui cum tanto timore ipsi servit, maximam accipiet mercedem. Nam si nec manum, nec intemperantem linguam coerceat, undenam gentilis dogma nostrum admirabitur? Si vero servum viderint in Christo philosophantem, et majorem quam philosophi sui

temperantiam exhibentem, cum modestia summa et benevolentia servientem, vim prædicationis omnino mirabitur. Non enim a verbis dogmata, verum ex ipsis rebus et ex vita dogmata æstimare solent gentiles. Sint ergo illis doctores et mulieres et servi, nempe a vita et moribus suis. Etenim et apud illos et ubique hoc in confesso est, servorum genus petulans esse, difficile regi ac duci, parumque idoneum esse ad doctrinam capessendam; non ex natura, absit, sed propter conversationem et dominorum negligentiam. Quia enim ubique nihil aliud curant heri, quam ut sibi serviant; si mores eorum aliquando componere studeant, hoc ad quietem suam faciunt, ita ut non negotia illis exhibeant, si fornicentur, furentur, aut ebrietati se dedant; hinc evenit ut a neglecti, ac neminem sibi advigilantem habentes, in ipsa nequitiæ barathra demergantur. Si enim, ubi pater instat et mater et pædagogus nutritiusque et magister et æquales, ipsaque ingenuitatis opinio, multaque alia, vix quispiam improborum consortia effugiat: quos putas futuros esse eos, qui his omnibus destituti, sceleratis admixti, ac cum libertate quibus volunt societate juncti sunt, cum nemo sit qui illorum amicitias curet? quid, inquam, putas illos esse futuros? Ideo difficile est bonum esse servum. Alioquin autem illi neque doctrina fruuntur, neque externa neque nostra: non cum viris versantur liberis, ornatis, multam honoris gloriæque suæ curam habentibus. Propter hæc omnia difficile, imo res mirabilis est, si domesticus bonus et utilis umquam fuerit. Cum ergo viderint vim prædicationis ita petulans genus, imposito freno, omnium modestissimum et mitissimum reddidisse; etiamsi admodum irrationabiles sint domini, magnam dogmatum nostrorum opinionem concipient. Perspicuum enim est, metum resurrectionis et judicii et reliquorum omnium post mortem futurorum, quæ a nobis prædicantur, in illorum animis defixum, nequitiam illorum animis depellere potuisse, cum timorem illum vitiorum voluptati oppositum in mente haberent. Itaque non temere nec sine causa magnam de his ubique rationem habet: quanto magis enim illi improbi fuerint, tanto magis vis prædicationis in admiratione habetur. Nam medicum tunc mirabilem dicimus, quando desperatum, nullo fruentem auxilio, nec ab intempestivis cupiditatibus se continere valentem, imo in illis volutatum, ad sanitatem reducit et corrigit. Et vide quænam ab illis exigat; quæ omnium maxime dominis quietem præstent: *Non contradicentes, non fraudantes;* id est, multam benevolentiam exhibentes in iis quæ sibi credita sunt, et quod erga dominos optime sint affecti, ipsorum mandatis obsequentes.

4. *Boni famuli officia. De Josepho Jacobi filio multa.* — Ne itaque existimetis me nunc sine causa ista persequi: ad domesticos enim jam sermo dirigitur. Ne ergo, optime homo, id jam spectes quod homini servias, sed, quod Deo, quod prædicationem ornes; et omnia facile feres, hero obsequens, et intempestive indignantem iratumque feres. Cogita te non illi gratiam præstare, sed Dei præceptum implere, et omnia facile patieris. Quod autem semper dico, id nunc etiam dicam, quod si spiritualia recte exsequamur, quæ ad præsentem viam spectant pro voto sequentur. Talem enim famulum, ita benevolum, ita mansuetum, non tantum Deus probabit, et coronis illis splendidis ornabit; sed etiam herus ille, quocum tam bene agitur, etiamsi bellua fuerit, etiamsi lapideus, inhumanus et crudelis, laudabit illum et mirabitur, omnibusque aliis præferet; imo ipsum aliis omnibus præficiet, quamvis gentilis fuerit. Atque quod, etiamsi heri illi gentiles sint, præcipiat talem esse domesticum, si placet, exemplo vobis ostendam. Venditus est Joseph coquorum principi, aliamque colebat religionem, non Ægyptiacam: quid ergo ille? Ut virtute præditum vidit adolescentem, de religionis differentia non cogitavit; sed illum amabat, diligebat et mirabatur, aliorum illi administrationem totam commisit, ita ut nihil nosset ipse eorum quæ in domo sua gerebantur, sed secundus dominus Joseph erat, imo magis quam ille dominus: siquidem ille sua non noverat; Joseph vero quæ ipsius erant magis noverat, quam ipse dominus. Ac videtur mihi demum, quando mulierculæ credidit, iniquam illam sycophantiam contra illum proferenti, ex priori reverentia et honore iram repressisse, ita ut in carcerem tantum ipsum mitteret. Nisi enim virum admodum reveritus fuisset, et ex prioribus gestis ipsum miratus esset, illum statim trucidasset et gladio confodisset. *Plenus enim zelo,* inquit, *furor viri, nullaque redemptione inimicitiam solvet, neque solvetur donis plurimis* (*Prov.* 6. 34). Quod si cujuslibet viri tantus est zelus, multo magis illius, qui Ægyptius erat et barbarus, ab eo quem honore affecerat injuria læsus, ut putabat. Scitis enim omnes, nos non similiter morderi ab omnibus nobis illatis injuriis, sed acrius indignari adversus eos qui nobis pridem bene affecti fuerant, queis fidebamus, et qui nobis fidi fuerant, et beneficia a nobis acceperant. Non cogitavit ille nec dixit: Quid hoc est? famulum illum accepi; quæ in domo erant omnia ipsi tradidi, libertate donavi, me rem feci, et tales ille mihi vices rependit? Nihil hominum dixit, adeo illum prior animi reverentia tenebat. Et quid mirum, si in domo illa tanto in honore fuit, cum ipso in carcere vide quanto fruatur cultu. Nostis quanta immanitate uti soleant ii quibus carcerum custodia committitur: alienarum calamitatum fructum decerpunt, et quos alii malo afflictos nutriunt, hos ipsi lacerant, lucra sectantes multis lacrymis digna, feris ipsis immaniores. Ex iis quæ misericordiam erga incarceratos movere debebant, ab iisdem ipsi lucrum reportant. At ne hoc tantum cogitemus; sed quod illi non pari modo erga omnes qui in carcerem trusi sunt se gerant. Illos enim qui per sycophantiam hoc patiuntur, semel contumelia affectos et in vincula conjectos, postea forsitan miserantur illos vero, qui ob turpissima et gravissima facinora illo conjecti sunt, mille plagis

laniant. Itaque non solum ex more suo carceris custos crudelis est, sed etiam ex causa, pro qua miser conjectus in carcerem est. Quem enim contra se non concitasset juvenis ille, qui tanto fruitus honore, cum in suspicionem venit, quod dominam suam violare tentaverit, et sic beneficio vicem rependere voluerit? Hæc igitur cogitans carceris custos, et pristinum honorem ejus qui illo trusus fuerat, causamque ob quam illo injectus fuerat secum reputans, annon immanius quam fera quævis adolescentem aggressus esset? Sed illis omnibus superior fuit spes in Deum : sic solet virtus ipsas feras mansuefacere. Eadem quippe mansuetudine, quæ dominum ceperat, custodem quoque carceris cepit : et rursus princeps erat Joseph, et in carcere imperabat, ut in domo. Quia enim regnaturus erat, merito prius didicit esse subjectus, et cum subditus esset, in domo imperabat et præfectus erat.

5. Nam si in eo, qui ad Ecclesiam regendam evehitur, hoc requirit Paulus, ita dicens : *Si quis enim in domo sua præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei curam habebit* (1. *Tim.* 3. 5)? cum quoque, qui ad imperium veniebat, primo optimum in domo præfectum fuisse oportebat. Præfuit Joseph carceri, non ut carceri, sed ut domui. Omnium enim calamitates solabatur, et incarceratis quasi propriis membris præerat, non modo illorum calamitates curiose observans et leniens; sed etiam si cogitabundum quempiam videret, accedebat ut causam disceret; mœstum enim videre non sustinebat, nisi prius illum a mœstitia liberaret : quamquam talem affectum ne erga filios quidem quispiam ostendit. Ex his itaque bonorum initium ipsi ortum est. Oportet enim ut primum quæ nostra sunt compareant, et postea quæ Dei sunt. Quod autem ille tali sit usus commiseratione et diligentia, hinc patet : vidit, inquit, eunuchos a Pharaone inclusos, pincernarum principem atque pistorum, et dixit : *Cur tristes sunt hodie vultus vestri* (*Gen.* 40. 7)? Neque hinc solum, sed etiam ab iis quæ illi fecerunt, viri virtus edisci potest. Neque enim utpote regis domestici respuerunt illum, non utpote mœsti et tristes illum repulere, sed quasi fratri genuino, qui condolere sciret, omnia sua ipsi revelarunt. Hæc porro omnia ideo a me dicta sunt, quod is qui virtute præditus est, etiamsi in servitute sit, etiamsi in captivitate, etiamsi in carcere, etiamsi sub ipsa terra positus, nihil umquam illum expugnare poterit.

Mores probi quam amabiles omnibus. — Hæc a me ad servos dicta sunt, quod etiamsi feras habeant dominos, velut Ægyptium, etiamsi immanes, ut custodem carceris, ipsos tamen capere poterunt; etiamsi gentiles fuerint, quemadmodum et illi, quovis modo hos poterunt cito demulcere. Nihil enim est bonis moribus suavius, nihil jucundius et dulcius modestia, mansuetudine et obedientia : omnibus est commodus qui talis est. Qui hujusmodi sunt, de servitute non erubescunt, non pauperem fugiunt, non infirmum et ægrotantem : omnia namque superat virtus, omnia vincit. Quod si in servis tantum ea res habet roboris, quanto magis in liberis? Hæc ergo exerceamus et servi et liberi, et mulieres et viri : sic et hominibus et Deo cari erimus, non virtute præditis tantum, sed etiam improbis; illis vero maxime : illi namque sunt qui magis honorant et reverentur. Quemadmodum enim modestos dominos subditi magis tremunt : sic et virtute præditos ii qui intemperantes sunt, scientes ex quibusnam ipsi exciderint. Quia igitur tantus est virtutis fructus, hanc prosequamur. Si hanc sectemur, nihil grave nobis erit : omnia facilia, omnia levia; sive per ignem transierimus, sive per aquam, omnia virtuti cedunt, etiamque ipsa mors. Eam igitur æmulemur et sectemur, ut futura consequamur bona, in Christo Jesu Domino nostro.

HOMILIA V.

Cap. 2. v. 11. *Apparuit enim gratia Dei salutaris omnibus hominibus*, 12. *erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo*, 13. *exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi* : 14. *qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*

1. *Gratia Dei quid efficiat. Sæcularia desideria quæ.* — Postquam a servis magnam exegit virtutem (nam magna certe virtus est, doctrinam Dei Salvatoris nostri in omnibus ornare, et nullam dare dominis querendi ansam vel in re levissima), justam subjungit causam, cur famuli tales esse debeant. Quamnam? *Apparuit enim*, inquit, *gratia Dei salutaris*. Qui Deum doctorem consequuti sunt, cur, quæso, non tales fuerint, quales ego jam descripsi, queis innumera peccata remissa sunt? Nostis enim, ut inter cætera hoc non parum animam pudore afficiat et reprimat, quod cum mille peccatis sit obnoxia, non det tamen pœnas, sed et veniam et innumera bona consequatur. Si quis enim, dic mihi, arreptum servum qui mille offensas admiserit, illum non flagris cædat, sed concessa præteritorum venia, de futuris se pœnas expetiturum moneat, atque cavere jubeat ne in paria incidat, et donis magnis exornet : quem putatis non mutandum fore tali audita et accepta gratia? Verum ne putes gratiam concessa præteritorum venia sistere gradum; sed etiam in futurum nos illa præmunit : nam illud quoque gratiæ munus est. Nam, si scelera patrantes numquam puniturus esset, jam non est gratia, sed incitamentum ad perniciem et corruptionem. *Apparuit enim*, inquit, *gratia Dei erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Vide quomodo cum præmiis virtutem ponat. Et hoc est gratiæ, quod a sæcularibus abstrahat, et ad cælum ducat. Duos hic ostendit adventus : duo enim vere sunt : primus gratiæ, secundus retributionis et justitiæ. *Ut abnegantes*, inquit,

impietatem et sæcularia desideria. Ecce virtutis totius argumentum. Non dixit, Ut fugiamus, sed, *Ut abnegantes.* Abnegatio multam ostendit distantiam, multum odium, magnam aversionem : cum quanto affectu, cum quanto studio idola aversati sunt, cum tanto etiam ipsam nequitiam et sæcularia desideria inquit. Nam hæc quoque sunt idola, sæculare nempe desiderium, et avaritia ; et hæc idololatriam vocat. Et quæcumque ad præsentem vitam nobis utilia sunt, sæcularia sunt desideria : [1][omnia, quæ in præsenti vita dilabuntur, sunt mundanum desiderium.] Nihil igitur commune cum ipsis habeamus. Venit Christus ut abnegemus impietatem. Impietatem prava dogmata dicit ; et sæcularia desideria scelestam vitam vocat. *Sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo.*

2. Viden' quod semper dico, sobrietas non modo est a fornicatione abstinere, sed etiam a reliquis vitiis alienum esse ; Ergo etiam qui amat pecunias, sobrius non est. Sicut enim ille corpora, sic iste pecunias amat : imo hic intemperantior est, utpote qui non tanta vi trahatur. Nam auriga ille imperitus diceretur, non qui vehementem et infrenem equum retinere non posset, sed qui mansuetiorem subjicere non valeret. Quid ergo, inquies? pecuniarum cupiditas minor est amore corporum? Id omnibus palam est, et multis probatur argumentis : et primo quidem, quia corporum cupiditas necessario in nobis nascitur ; quod autem necessario fit, palam est nonnisi cum labore multo corrigi posse ; illud enim ipsi naturæ insitum est. Secundo, quia pecuniarum apud veteres non magna habebatur ratio, mulierum vero magna pudicitiæ servandæ causa : atque eum qui cum uxore secundum leges congreditur usque ad senectutem, nemo culpaverit ; eum vero qui pecunias colligit, omnes reprehendunt. Externi etiam philosophi multi pecunias contempserunt, mulieres non item : ita hic amor illo violentior est. Sed quia nos Ecclesiam alloquimur, ne ab exteris exempla sumamus, sed a Scripturis. Hoc igitur præcepti ferme modo ponit hic beatus vir dicens : *habentes cibos et tegumenta his contenti simus* (1. *Tim.* 6. 8) : de uxoribus vero ait, *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ; et iterum revertimini in idipsum* (1. *Cor.* 7. 5).

Pecuniarum cupiditas damnatur. Contra eos qui Patre minorem Filium Dei dicunt. — Sæpe videris illum de legitimo coitu præcepta dantem. Hac frui concupiscentia sinit, et secundas nuptias permittit ; magnamque hujusce rei curam gerit, et nusquam ea de re punit : pecuniarum vero cupidum ubique damnat. Christus etiam de pecuniis sæpe præcepta dedit, ut hanc perniciem fugiamus ; de abstinentia ab uxore non item. Audi enim quid de pecuniis dicat : *Nisi quis renuntiet omnibus quæ possidet* (*Luc.* 14. 33). Nusquam dixit, Nisi quis renuntiaverit uxori : noverat enim quantæ id esset tyrannidis. Et hic beatus dicit [1] : *Honorabile connubium, et toris immaculatus* (*Hebr.* 13. 4). Nusquam vero pecuniarum curam honorabilem dicit ; imo contra : et Timotheo, *Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum et desideria multa inutilia et nociva* (1. *Tim.* 6. 9). Non dixit, Pecunias colligere, sed, *Divites esse.* Ut autem id discatis a communi sensu, necesse est hunc quoque sermonem vobis in medium adducere. Qui semel pecuniis omnino carnerit, is non ultra a concupiscentia turbatur : nihil enim ita pecuniarum desiderium infert, ut ipsa pecuniarum possessio. Non ita vero se habet corporum amor ; verumtamen eunuchi multi facti, interiorem flammam non exstinxerunt : nam hæc concupiscentia in aliis organis jacet, intus insita per naturam. Cur ergo hæc a nobis dicta sunt? Quia pecuniarum cupidi fornicatoribus intemperantiores sunt, eo quod minori exagitentur concupiscentia : imo vero non concupiscentia hæc res est, sed ignavia. Nam carnis quidem concupiscentia ita naturalis est, ut etiamsi quis ad mulierem non accesserit, natura tamen quod suum est facit et operatur : illic vero nihil tale est. *Et pie vivamus in hoc sæculo* [2], inquit. Et quænam spes est? quæ laborum merces? *Exspectantes*, inquit, *beatam spem, et adventum.* Revera nihil illa fuerit beatius, nihil desiderabilius : et hæc verbis exprimi non possunt : etenim illa futura bona mentem exsuperant. *Exspectantes*, inquit, *beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri.* Ubi sunt qui Patre minorem esse Filium dicunt? *Magni*, inquit, *Dei et Salvatoris.* Qui inimicos servavit, quid non tunc faciet, cum [non] probe agentes acceperit? *Magni*, inquit, *Dei.* Cum magnum dicit Deum, non ad quid magnus sit dicit, sed absolute magnus est : post quem nullus vere magnus dicetur, quia ad aliquid magnus : si autem ad aliquid per comparationem, non natura magnus est : nunc autem magnus incomparabiliter dicitur. *Qui dedit semetipsum pro nobis*, inquit, *ut nos redimeret ab omni iniquitate, ut mundaret sibi populum acceptabilem* ; hoc est, electum, nihil habentem commune cum aliis. *Sectatorem bonorum operum.* Viden' ut opera nostra exigantur ; nec modo opera quærit, sed et *Sectatorem ;* id est, qui cum ingenti studio virtutem adeat, et cum vehementia competenti? Eos igitur, qui malis onusti erant et incurabili morbo laborabant, eripere, benignitatis illius erat : quæ vero post hæc sequuntur, et nostra et illius sunt. 15. *Hæc loquere et exhortare, et argue cum omni imperio. Hæc loquere et exhortare.*

3. Viden' quomodo Timotheo præcipiat dicens, *Argue, obsecra, increpa* (2. *Tim.* 4. 2) ; hic autem, *Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio?* Quia horum mores asperiores erant, ideo severe et cum omni imperio arguere jubet. Sunt enim peccata, quæ præceptis arcere oportet : verbi gratia ad pecu-

[1] Codex unus ; sic habet quæ uncinis clauduntur, *quæcumque non nobiscum ad cœlum transeunt, mundana sunt desideria ; quæcumque intra hujus mundi limites finiuntur, mundanum quoque sunt desiderium.*

[1] In Savilio legitur, *Et hic beatus dicit Timotheo.* At vox illa *Timotheo* huc translata fuit in Codicibus quibusdam ; nam non locus mox allatus Epistolæ ad Timotheum est, sed qui postea sequitur.

[2] In Editis legebatur, *et pie vivamus in hoc sæculo et in futuro.* At hæc postrema verba, *et in futuro*, non quadrant ad hunc locum ; ideoque expuncta sunt.

nias contemnendas hortando persuadere opus est, itemque ut auditores modesti sint, et similia : adulterum : autem et fornicatorem et pecuniæ cupidum cum imperio ad meliora ducere opus est : auguria observantem, divinationi deditum, et similia agentes, non simpliciter cum imperio, sed cum omni imperio reducendi. Viden' quomodo velit cum auctoritate et potestate multa Titum hæc imperare ? *Nemo te contemnat* ; sed (*Cap.* 3) 1. *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse*, 2. *neminem blasphemare, non litigiosos esse.*

Conviciis non utendum.—Quid ergo ? ne illis quidem qui male agunt conviciari licet ? *Sed ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare.* Admonentem audiamus : *Neminem*, inquit, *blasphemare.* Os nostrum a conviciis purum esse debet. Etiamsi enim vera sint maledicta, non nostrum est illa proferre, sed judicis est rem examinare : *Tu vero*, inquit, *quid judicas fratrem tuum* (*Rom.* 14. 10) ? si autem non vera sint, vide quantum ignem [tibi paras] : audi latronem alii latroni dicentem : *Nam et ipsi in eadem damnatione sumus* (*Luc.* 23. 40), eumdem agonem currimus. Si cæteris convicieris, cito et ipse in eadem incides. Ideo hic beatus admonet dicens : *Qui se putat stare, videat ne cadat* (1. *Cor.* 10. 12). *Non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes*, et gentiles et Judæos, et scelestos et improbos. Illic enim ex futuris terret dicens, *Itaque qui se putat stare, videat ne cadat* ; hic vero non a futuris, sed a præteritis hortatur, et hoc facit per ea quæ subjungit : 3. *Eramus enim aliquando et nos insipientes* ; id quod etiam in Epistola ad Galatas facit : *Cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes* (*Gal.* 4. 3). Nemini igitur exprobraveris, inquit ; talis enim et tu fuisti. *Eramus enim*, inquit, *aliquando et nos insipientes, incredduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles et odientes invicem.* Tales igitur erga omnes esse oportet, et mansuete agere. Nam qui prius talis fuerat, et postea liberatus fuit, eos qui sunt hujusmodi probris afficere non debet, sed precari et gratias agere ei, qui et sibi et illis dedit ut liberi essent a pristinis malis. Nemo glorietur ; omnes quippe peccaverunt. Cum ergo quempiam probro afficere volueris, cum ipso recte agas, et pristinam vitam tuam cogitans, necnon incertum futuri exitum, iram cohibe. Etiamsi enim a teneris virtutem exercuisses, multa tamen admisisses peccata. Quod si te putas nulla habere, cogita id non ex virtute tua factum esse, sed ex Dei gratia : si enim ille avos tuos non vocasset, infidelis tu fuisses. Vide quomodo omnem percurrit nequitiam. Nonne innumera per prophetas et per omnes dispensavit Deus ? et non audivimus ? *Eramus enim et nos*, inquit, *errantes* : 4. *cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei.* Quomodo ? 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti.* Papæ ! quam eramus in nequitia demersi, ut non possemus purgari, sed regeneratione opus haberemus ? hoc enim est regeneratio. Sicut enim in domo ruinam minante, nemo fulcrum apponit, neque veteri ædificio aliquid addit, sed illa a fundamentis dissoluta, sic superna erigit et renovat : ita et ille fecit : non enim ædificio adjunxit, sed a fundamentis erexit. Hoc enim sibi vult illud, *Et renovationis Spiritus sancti* ; ab imo ad summum novos effecit. Quomodo ? Per Spiritum. Et rursus, hoc alio modo ostendens, subjungit : 6. *Quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum.* Sic nobis multa opus est misericordia. 7. *Ut justificati gratia ipsius.* Rursus gratia, non debito. *Heredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Est hæc simul adhortatio ad humilitatem, simulque spes de futuris. Si enim adeo desperatos, ut denuo generari oporteret ac per gratiam servari, nihil habentes boni, tamen salvos nos fecit, multo magis in futuro hoc faciet.

4. Humana enim feritate nihil deterius erat ante Christi adventum : omnes quippe fere invicem inimici et hostes erant, patres filios suos mactabant, matres contra filios suos furebant : nihil stabile erat, non lex naturalis, non lex scripta ; sed omnia subversa erant : adulteria frequentia, cædes, et si quid deterius cædibus esset, furta quoque ; dicit autem exterorum quispiam, id virtutis opus tunc putatum fuisse ; et jure quidem, quandoquidem talem deum colebant, frequentia erant oracula quæ hunc et illum occidi juberent.

Androgei et Minois historia (*a*). — Dicam quidpiam ex iis quæ tunc temporis contigerunt ? Androgeos quispiam Minois filius, cum Athenas venisset et in lucta vicisset, pœnas dedit, et occisus fuit. Apollo autem malo malum curans, jussit bis septem pueros pro illo abduci et perimi. Quid hac tyrannide crudelius ? Hoc factum est, et homo quidam ut dæmonis maniam solveret, pueros illos mactavit : quoniam apud illos hæc fallacia prævalebat. Quia vero ex altera parte hoc facinus ulti sunt, res alio modo cecidit. Verum si id jure factum fuerat, non oportebat ulcisci ; sin injuste, ut revera injuste factum est, neque ab initio imperari oportuit. Pugiles et luctatores adorabant. Bella frequentia erant, per urbes et vicos et domos. Pueros quoque amabant : quidam autem philosophus apud illos legem tulit, ut servo non liceret pueros amare, nec arida cute inungi (*b*) ; quasi ea res probi viri esset, et multum haberet honoris. Ideo in domibus id palam faciebant. Et si omnia quæ ad ipsos spectant examinentur, invenietur ipsos palam ipsam naturam contumelia affecisse, nemoque prohibebat : ipsorumque dogmata omnia his plena sunt, adulteriis, libidine, corruptione. Pervigilia illic erant exsecranda, et mu-

(*a*) Historia Androgei et Minois habetur apud Plutarchum in Theseo, apud Pausaniam in Atticis, et ab innumeris aliis memoratur.

(*b*) Hæc Solonis lex erat ; quæ memoratur ab Æschine contra Timarchum.

lieres ad spectaculum vocabantur. O rem abominandam! noctu, in theatro pervigilium erat, et virgines sedebant inter juvenes furentes et ebriam turbam : tenebræ erant pervigilia, et exsecranda opera ab illis celebrabantur. Ideo ait, *Eramus aliquando et nos insipientes, increduli, errantes, servientes concupiscentiis et voluptatibus variis.* Novercam ille, inquit, amavit (*a*), et illa privignum (*b*), et seipsam laqueo suffocavit. Puerorum enim amores, quos illi pædica vocant, ne memorare quidem licet. Sed quid? visne connubia cum matribus videre? Id quoque apud illos videre est, quodque gravius est, ex ignorantia id fiebat (*c*), neque deus illorum id impediebat, sed naturam contumelia affectam despiciebat, cum tamen id ab insignioribus fieret. Quod si ii, quos par erat, etsi non alia de causa, saltem ad gloriam captandam, virtuti operam dare, ita proni ad nequitiam ferebantur, quid putas fecisse eos qui occulte vitam ducerent : quid illa voluptate magis lubricum? Amavit quædam virum quempiam; in adulteri gratiam revertentem virum suum occidit (*d*). Historiam forte multi non ignoratis. Mœchum interfecit occisi filius, et illam quoque mactavit : postea ille in furorem actus est et a furiis agitabatur : deinde hic ipse furens alium occidit, et uxorem ejus duxit. Quid his calamitatibus pejus fuerit? Ideo hæc ab exteris sumpta dixi, ut gentilibus ostendam, quanta tunc mala orbem occupaverint. Sed, si placet, id etiam a nostris ostendemus. *Immolaverunt*, inquit, *filios suos et filias suas dæmoniis* (*Psal.* 105. 35). Rursum Sodomitæ ob nihil aliud perierunt, quam quod puerorum amore furerent. Sed rursus in ipso Christi adventus exordio, annon regis filia in medio convivio saltavit inter homines ebrios? nonne eadem postulavit, et in saltationis præmium prophetæ caput accepit (*Matth.* 14)? *Quis loquetur potentias Domini* (*Psal.* 105. 2)? *Odibiles*, inquit, *qui oderunt invicem.* Necesse enim omnino est, postquam animæ voluptates omnes concessimus, multum conflari odium. Quare? Quoniam ubi amor cum virtute junctus est, nemo aliquem injuriis afficit. Vide quid Paulus dicat : *Nolite errare; neque fornicatores, neque idololatræ, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque avari, neque maledici, neque ebriosi, regnum Dei possidebunt. Et hæc quidam fuistis* (1. *Cor.* 6. 9). Viden' ut omne nequitiæ genus obtinebat, multaque caligo erat, ac jus omne violabatur? Si enim ii qui prophetiæ dono fruebantur, et tot videbant mala et in hostibus et in contribulibus, non tamen se continebant, sed innumera nova operabantur : quid alii fecisse putandi sunt? Sed quispiam apud illos rursus jussit virgines nudas in conspectu virorum concertare (*a*). Multa vobis bona obveniant, quod hæc ne audire quidem sustinetis : de hac vero re philosophi non erubescebant. Alius autem philosophus, illorum coryphæus, ad bellum illas etiam ducit, et communes esse jubet, quasi leno quispiam et productor. *In nequitia*, inquit, *et invidia degentes.* Si enim ii apud illos qui philosophiæ dediti erant, tales ponebant leges, quid dixerimus de iis qui non philosophabantur? si illi quorum prolixa barba, qui pallio amicti erant, hæc dicunt, quid dixerimus de aliis? Non ideo facta est mulier, o homo, ut communis omnibus sit. O vos qui omnia subvertitis! qui maribus tamquam feminis commiscemini, feminasque ut viros ad bellum ducitis : hoc enim opus diaboli est, ut omnia confundat et subvertat, et terminos a principio positos commoveat transferatque illos, a naturæ Deo positos. Mulieri namque domus custodiam tantum dedit Deus, viro autem publicorum negotiorum curam : tu vero caput in pedes transfers, et pedes in caput. Mulieres armas, nec erubescis? Cur autem hæc dico? inducunt quamdam apud se mulierem quæ filios occidit, neque erubescunt nec pudore suffunduntur, quod exsecranda hujusmodi gesta in hominum aures inferant. *Cum autem*, inquit, *apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit super nos abundanter per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati ipsius gratia, heredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Quid sibi vult illud, *Secundum spem?* Id est, sicut speravimus, ita fruamur : aut, qui heredes jam estis. 8. *Fidelis sermo.* Quia enim de futuris, necdum præsentibus disserit, ideo intulit quod res fide digna esset. Vera hæc sunt, inquit, et palam est ex iis quæ præcesserunt. Qui enim nos a tanta iniquitate liberavit et a tantis malis, haud dubie nobis in gratia perseverantibus futura quoque tribuet : ab eadem enim providentia omnia eveniunt.

5. Gratias igitur agamus Deo, nihilque aliis exprobremus vel crimini demus, sed exhortemur magis, pro illis precemur, consilium demus, moneamus, etiamsi contumelia nos afficiant, etiamsi calcitrent : tales certe sunt ii qui morbo laborant. Sed qui illorum salutem curant, omnia ferunt, omnia faciunt, etiamsi nihil proficiant, ut ne sibi ipsis crimini dent tam-

(*a*) Hic fortassis Phœnicem memorat Amyntoris filium, Achillis præceptorem, qui cum patris sui pellice concubuit et a patre diris et furiis devotus est. Vide Homerum Iliados 9. Hæc item fuit Dunæi in notis Savilianis opinio.

(*b*) Hic omnino de Phædra agitur Thesei uxore. Res est trita neminique non nota; vide Plut. in Theseo et Diodorum Siculum.

(*c*) Hic de OEdipi inscii cum matre Iocasta connubio agitur.

(*d*) Hic de Clytemnestra et de Oreste agitur; quæ historia omnium ore fertur, nec omnino accurate memoratur a Chrysostomo

(*a*) Recte notavit Dunæus hæc de Lycurgo intelligi et de Lacænis virginibus, ut refert Cicero Tusc. 2, c. 15 : *Itaque illi, qui ei rei formam rerumpublicarum dederunt, corpora juvenum firmari labore voluerunt. Quod Spartiatæ etiam in feminas transtulerunt : quæ cæteris in urbibus mollissimo cultu parietum umbris occultantur : illi autem voluerunt nihil horum simile esse apud Lacænas virgines; quibus magis palæstra, Eurotas, sol, pulvis, labor, militia in studio est, quam fertilitas barbara* Infra vero cum de philosophorum coryphæo seu Platone loquitur, plura illi tribuit, quam vere dixerit, ut probat Dunæus. Chrysostomus enim sæpe ex tempore loquitur, paucissimis verbis multa complectitur, et a vero nonnumquam aberrat.

quam qui neglexerint. An ignoratis quod sæpe, cum medicus de infirmo desperat, alius ex cognatis illum sic alloquitur : Rursum curam adhibe, nihil omittas, ut ne mihi ipsi id crimini dem, ut ne reprehendar, ut ne meipsum incusandi causam habeam? Annon videtis quantam amici et cognati de suis providentiam gerunt? quanta ad eam rem faciant, medicos rogantes, semper assidentes? Hos saltem imitemur : etiamsi non de iisdem sit sollicitudo. Nunc autem, si filius morbo laboret, non recusaverit pater longam suscipere peregrinationem, ut ipsum a morbo liberet : cum autem anima male se habet, nullus illam curat; sed omnes concidimus, omnes ignavi sumus, omnes nihil curamus, et filios et uxores et nos ipsos nihili facientes, hoc tanto morbo affectos. Sed tardius in rei sensum venimus. Cogitate quam turpe, quam ridiculum sit postea dicere : Non exspectabamus, non putabamus ita fore. Id non modo turpe est, sed etiam periculosum. Si enim in præsenti vita stultorum est futura non prospicere, multo magis cum de futura agitur : cum multos audiamus nunc consulentes ac dicentes quæ agenda, quæ non agenda sint. Hujus ergo spei curam arripiamus, de salute nostra solliciti simus, in omnibus Deum precemur ut manum porrigat. Quousque negligemus? quousque incuriosi erimus? quousque nos ipsos despiciemus et conservos nostros? ille abunde in nos effudit Spiritus gratiam. Cogitemus ergo quantam gratiam nobis exhibuerit, et tantum nos quoque studium exhibeamus ; imo vero tantum non possumus, sed saltem minus adhibeamus. Si enim etiam post hanc gratiam sensu careamus, majus nobis supplicium imminet : nam ait ille : *Si non venissem et loquutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent* (*Joan.* 15. 22). Sed absit ut talia de nobis dicantur, verum utinam bona consequamur promissa iis qui diligunt eum, in Christo Jesu Domino nostro, etc.

HOMILIA VI.

Cap. 3. v. 8. *Et de his volo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona et utilia hominibus.* 9. *Stultas autem quæstiones et genealogias et contentiones et pugnas legis devita : sunt enim inutiles et vanæ.* 10. *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita :* 11. *sciens quia subversus est, qui ejusmodi est et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.*

1. Postquam de Dei benignitate et de ineffabili ejus erga nos providentia disseruit, dixitque quales ante fuerimus, et quales ille nos fecerit, subjungit et ait : *Et de his volo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo.* Id est, hæc loqui oportet, et his hortari ad eleemosynam. Non enim ad humilitatem tantum ea quæ dicta sunt hortantur, neque solum monent ne quis se extollat, vel aliis improperet, sed ad omnem reliquam virtutem congruentia sunt. Ita enim et Corinthios alloquens dicit : *Scitis quod Dominus egenus factus sit, cum dives esset, ut nos ejus inopia divites essemus* (2. *Cor.* 8. 9). Cogitans ergo Dei providentiam ejusque ingentem benignitatem, ad eleemosynam illos hortatur, non utcumque neque obiter ; sed quid? *Ut curent*, inquit, *bonis operibus præesse ;* hoc est, injuste læsis opitulari, non pecuniis modo, sed etiam patrociniis : et ut viduas pupillosque defendant, omnesque qui male patiuntur in tuto constituant : hoc enim est. *Bonis operibus præesse. Hæc enim sunt*, inquit, *bona et utilia hominibus. Stultas autem quæstiones et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita : sunt enim inutiles et vanæ.*

Genealogiæ quid sint. — Quid sibi volunt illæ genealogiæ? nam in Epistola quoque ad Timotheum id memorat dicens : *Fabulas et genealogias interminatas* (1. *Tim.* 1. 4). Fortassis et hic et illic Judæos subindicat, qui altum sapientes quod progenitorem haberent Abrahamum, circa cætera se spectantia negligentes erant. Ideoque et stultas illas vocat et inutiles : stultum enim est inutilibus rebus confidere.

Contra hæreticos non multum disputandum est. — Contentiones autem contra hæreticos dicit esse vitandas, ut ne frustra laboremus, cum nihil hinc lucri proveniat : finis enim in nihilum vertitur. Cum enim quis ita perversus est, ut, quidquid evenerit, sententiam non mutare decreverit, cur frustra laboras in petra semen jaciens, cum oporteret apud tuos hunc laborem suscipere, de eleemosyna disserendo deque aliis virtutibus? Cur ergo alibi dicit, *Ne forte det illis Deus pœnitentiam* (2. *Tim.* 2. 25) ; hic vero : *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quod subversus est qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus?* Illic quidem de iis loquebatur, de quibus corrigendis spes erat, et de iis qui simpliciter reluctabantur : ubi vero omnino manifestus est adversarius et omnibus notus, cur frustra pugnas? cur aerem verberas? Quid sibi vult illud, *Cum sit proprio judicio condemnatus?* Non enim dicere potest, Nemo mihi dixit, nullus monuit. Cum ergo post admonitionem idem maneat, proprio judicio condemnatus est. 12. *Cum misero ad te Artemam aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim.* Quid dicis? in Creta præfecisti illum, et rursus ad teipsum vocas? Non ut illum ab hoc officio removeam, sed ut magis instituam. Quod autem non ideo illum ad se vocet, ut circumducat, et ubique sequentem se habeat ; audi quid dicat : *Ibi enim statui hiemare.* Nicopolis autem in Thracia est (*a*). 13. *Zenam legisperitum et Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis desit.* His nondum Ecclesiæ concredita fuerant, sed cum Paulo erant : vehementior autem erat Apollo, in Scripturis potens,

(*a*) Hic lapsum Chrysostomum putavit A. Dunæus, qui contendit nullam in Thracia urbem esse Nicopolin dictam. Verum Henricus Savilius post Dunæi notam adjicit habendam fidem esse Chrysostomo horumce locorum perito : cum maxime Theodoretus quoque Nicopolin in Thracia memoret, quæ Macedoniæ vicina esset. Abunde vero ex Geographis certum est binas in Thracia hujus nominis urbes fuisse, alteram ad Hæmum montem, alteram ad Nestum.

et vir eloquens (*Act.* 18. 24). Si ergo ille legisperitus erat, non oportebat, inquies, illum ab aliis nutriri. At hic legisperitum dicit in Judaicis legibus peritum; ac si diceret, In omni rerum copia pone illos, ut nihil illis desit. 14. *Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.* 15. *Salutant te qui mecum sunt omnes : saluta eos qui nos amant in fide.* Aut ipsum Paulum amantes dicit, aut fideles viros. *Gratia cum omnibus vobis. Amen.*

2. Cur ergo ipsi præcipis ut contradicentibus os obstruat (*Tit.* 1. 11), si illos amoliri oporteat, cum in suam perniciem omnia faciant? Dicit autem præcipue, id in ipsorum lucrum numquam esse faciendum; neque enim illos quidpiam lucri esse unquam facturos, cum mente perversi sint. Nam si aliis quoque perniciem intulerint, tunc obluctandum, tunc pugnandum cum illis, tunc magna vi obsistendum esse : si autem in necessitate verseris, alios corruptos videns, ne taceas, os illis obstrue, illos curans qui perituri sunt. Omnino autem non potest vir sollicitus, qui recte vivendi studium habet, contentionibus operam dare. Cæterum, ut dixi, ita facito : ex otio enim et superflua philosophia id oritur, quod circa verba solum studium ponant. Nam superflue loqui multum damni parit, cum oporteret aut docere aut precari, aut gratias agere. Neque enim præstat pecuniis parcere quam verbis; imo verbis magis, quam pecuniis; nec nos debemus utcumque aliis exponere.

Pauperibus obviam eundum est. Eleemosynam danti majus lucrum, quam accipienti. — Quid sibi vult autem illud, *Ut curent bonis operibus præesse?* Ut non exspectent, donec se inopes adeant, sed ipsi studiose perquirant quinam illorum ope indigeant : nam qui curat, ita sollicitus est : sic cum magna cura et studio res agitur. Nam cum ita bene agitur, non tantum accipientibus quantum dantibus lucrum accedit. Fiduciam autem in Deum dat illis. Illic vero pugnæ nullus erit finis. De hæretico qui corrigi nequeat istic loquitur. Quemadmodum enim eorum qui spem habent mutationem non curare desidiæ esset : sic eos qui insanabili morbo laborant curare, insipientiæ et extremæ dementiæ esset : audaciores enim illos reddimus. *Discant autem*, inquit, *et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.* Viden' quomodo de illis magis sollicitus sit, quam de iis qui accipiunt? Licebat enim fortasse multis de causis hos mittere; sed nostrorum, inquit, curam habeo. Quæ enim utilitas, quæso? Si enim thesauros alii effodientes, doctores enutrirent, his nihil omnino lucri erat : infructuosi enim manebant. Quid ergo, dic mihi? annon poterat Christus, qui ex quinque panibus quinque millia, et ex septem panibus quatuor millia hominum nutrierat, seipsum et eos qui secum erant nutrire? cur ergo a mulieribus nutriebatur (*Sequebantur enim cum*, inquit, *mulieres, quæ ministrabant ei* [*Marc.* 15. 41])? suo exemplo nos docens, se eorum qui beneficia præstant curam gerere. Annon poterat Paulus qui ex opere manuum etiam aliis victum suppeditabat, nulla ex parte accipere? Sed vides illum et accipientem et petentem, et qua de causa audi. *Quæro enim*, inquit, *non donum, sed fructum abundantem in ratione vestra* (*Philipp.* 4. 27). Et initio, quando sua omnia vendentes, ponebant ad pedes apostolorum, vides apostolos illorum magis curam gerentes, quam eorum qui accipiebant. Si enim pauperes parum curassent, Sapphiræ et Ananiæ ultionem non curassent, quando pecunias subtraxerunt, neque jussisset Paulus dicens, *Non ex tristitia, aut ex necessitate* (2. *Cor.* 9. 7). Quid dicis, Paule? Pauperibus es impedimento? Nequaquam, inquit : non enim tam ad illos respicio, quam ad dantes. Vide quoque prophetam, cum Nabuchodonosori optimum consilium daret, quod non pauperes tantum curaret : neque enim simpliciter dixit, Eroga pauperibus; sed quid? *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas miserationibus pauperum* (*Dan.* 4. 24). Pecunias, inquit, effunde, non solum ut alii nutriantur, sed etiam ut a supplicio libereris. Et rursum Christus : *Vende quæ habes et da pauperibus, et veni sequere me* (*Matth.* 19. 21). Vides hic quoque iis qui sequebantur id imperatum fuisse? Quia enim pecuniæ sunt impedimento, ideo pauperibus dare jussit, animam instituens ut misericors sit, ut pecunias contemnat, ut ab avaritia recedat. Qui enim docetur non habenti dare, docebitur postea ab habentibus non accipere. Hoc nos Deo similes facit. Atqui virginitas majorem etiam parit laborem, necnon jejunium et humi cubatio : sed nihil ita potens et validum est ad exstinguendum peccatorum nostrorum rogum, ut eleemosyna : hæc omnium maxima est, sui amatores ipsi Regi sistit; et jure merito. Nam virginitas quidem et jejunium et humi cubatio in operante solum consistunt, et nullum alium salvum faciunt : eleemosyna autem ad omnes extenditur, et membra complectitur Christi : multo majora autem sunt illa præclara opera, quæ ad multos extenduntur, iis quæ in uno consistunt.

3. Hæc enim est mater caritatis; caritatis, inquam, quæ est Christianæ religionis insigne, quæ signis omnibus major est, per quam Christi discipuli noscuntur; hæc peccatorum nostrorum pharmacum est; animæ nostræ sordes abstergit, scala est ad cælum erecta : hæc Christi corpus connectit. Vultis scire quantum illa bonum sit? Apostolorum tempore omnes sua omnia vendentes, ipsis pretium afferebant, quod distribuebatur : *Distribuebant* enim, inquit, *singulis prout cuique opus erat* (*Act.* 4. 35). Dic enim mihi, missa etiam futurorum mentione (nondum enim de regno mentionem faciemus, sed præsentia videamus), quinam lucrantur, illine qui accipiunt, an illi qui dant? Illi certe murmurabant, et mutuo disceptabant : his vero erat anima una : *Erat enim*, inquit, *omnium cor unum et anima una* (*Ibid. v.* 32), et gratia erat in omnibus illis, et cum multa utilitate agebant. Viden' quod hinc isti lucrabantur? Dic vero mihi, ex quorum numero esse voluisses, eorum qui sua projiciebant et nihil habebant, an eorum qui ab aliis accipiebant? Vide eleemosynæ fructum : sepes et impedimenta omnia sublata sunt, et statim illorum

animæ conjunctæ fuere : *Omnium erat cor unum et anima una :* ita ut etiam sine eleemosyna pecunias effundere multum lucri habeat. Hæc a me dicta sunt, ut qui hereditatem a majoribus non acceperunt, non doleant neque mœsti sint, quasi minus habeant quam divites : plura enim habent, si velint. Nam ad eleemosynam erogandam facilius accedent, ut vidua illa, et nullam cum proximo inimicitiæ occasionem habebunt, omniumque liberrimi erunt ; nemo poterit hujc publicationem bonorum comminari, sed malis omnibus superior est. Ac sicut eos qui nudi fugiunt, nemo facile apprehendat ; qui vero vestimentis opertus et onustus est, is facile capitur : ita sunt divos et pauper. Hic etiamsi capiatur, facile fugiet ; ille vero etiamsi non apprehendatur, suis ipse funiculis irretitur, mille sollicitudinibus, mœroribus, iracundia, irritamentis. Hæc omnia animam obruunt : neque hæc solum, sed alia quoque multa, quæ ex divitiis nobis attrahimus. Nam moderate agere difficilius est diviti quam pauperi, ac simpliciter vivere, atque ira vacuum esse difficilius est diviti quam pauperi. Igitur majorem, inquit, mercedem habebit? Nequaquam. Quare, si difficiliora exsequatur? Quia ipse sibi difficultates excogitavit : non enim jussum fuit divitem esse, imo contrarium ; sibi autem ille mille offendicula et impedimenta parat. Alii vero non modo pecunias deponunt, sed etiam corpus utplurimum macerant, ut per angustam incedentes viam : tu vero non hoc solum, sed etiam auges vitiorum fornacem, et alia tibi circumponis.

Angusta via quænam. Divitiæ spinæ sunt. — Ergo in latam abi viam : illa enim est quæ tui similes excipit ; angusta autem afflictos, oppressos, eos qui nihil aliud portant quam hæc onera, quæ per eam ferre possunt, eleemosynam, benignitatem, probitatem, mansuetudinem. Si hæc feras, facile poteris intrare ; si autem arrogantiam, animi tumorem, et spinarum onus, divitias, multa tibi opus erit latitudine : neque enim in turbam irrumpere poteris, ita ut non alios feriasdum sursum pergis; sed hic multo latitudinis spatio erit opus. Qui igitur aurum et argentum gestat, nempe virtutis opera, non modo non fugientes proximos offendit, sed propinquos atque una viventes. Cæterum si divitiæ spinæ sunt, quid erit habendi cupiditas? cur hæc tecum illuc aufers? ut majorem flammam excites, onera illa igni subjiciens? annon satis est gehennæ ignis? Cogita quomodo tres pueri fornacem superaverunt : illam esse puta gehennam : cum ærumnis in illam inciderunt vincti atque compediti ; sed multam intus invenerunt latitudinem : at non perinde ii qui circumstabant.

4. *Ærumnæ patienter ferendæ. Historia martyrum duorum.* — Tale quidpiam nunc quoque erit, si velimus fortiter et viriliter stare adversus illatas tentationes : si in Deum spem habeamus, erimus nos in securitate et latitudine ; qui vero nos injecerint, peribunt : nam *Qui fodit*, inquit, *foveam, incidet in illam* (*Eccli.* 27. 29). Licet manus vinciant et pedes, pressura ipsa nos absolvere poterit. Vide rem mirabilem : quos homines vinxerunt, hos ignis solvit. Quemadmodum enim, si quis amicos servis tradiderit, illi amicitiam domini reveriti, non modo illos non lædunt, sed multo afficiunt honore : ita et ignis ; quia noverat pueros illos amicos Domini sui esse, illorum vincula dirupit, et solvit illos ac dimisit, atque illis pavimenti loco erat, in quo ambulabant ; et jure quidem : nam propter Dei gloriam illo injecti fuerant. Quicumque in ærumnis sumus, hæc retineamus exempla. At illi, inquies, ab ærumnis liberati sunt ; nos non item. Merito illi, quia non ita ingressi sunt in fornacem, ac si liberandi essent, sed ut tandem morituri : audi enim illos dicentes : *Est Deus in cælis, qui eruet nos; sin minus, notum sit tibi, rex, quod deos tuos non colimus, et statuam auream, quam erexisti, non adoramus* (*Dan.* 3. 17. 18). Nos autem quasi Dei castigationibus conditionem imponentes, tempus definimus dicentes : Nisi intra hoc definitum tempus misertus fuerit ; ideoque non liberamur. Siquidem et Abraham, non quasi salvum recepturus filium, sic pergebat, sed quasi mactaturus ; et præter exspectationem salvum accepit. Et tu quoque cum incideris in ærumnam, ne festines liberari : præpara animum tuum ad omnem patientiam, et cito ab ærumnis liberaberis ; ideo enim illas infligit Deus, ut erudiat. Cum igitur ab initio ita instituti sumus ut eas patienter, nec ægre feramus, dimittit demum, ubi rem probe gessimus. Volo vobis aliquid narrare admodum utile et fructuosum. Quid hoc est? Cum ingrueret persecutio, et vehementi bello Ecclesia agitaretur, duo quidam viri comprehensi sunt : quorum alter paratus erat ad quidvis patiendum ; alter vero sibi scindi caput alacriter passurus erat, alia vero tormenta timebat tremebatque. Vide igitur Dei dispensationem : quando judex sedit, cum qui paratus erat ad quidvis patiendum jussit capite truncari : illum vero sublimem laniari, neque semel et bis, sed per omnes per quas circumducebatur civitates. Cur autem id ita permissum est? Ut nempe negligentem animum per tormenta confirmaret, et roboraret, ut timorem omnem eliminaret, ut non ultra timeret, nec ignavus esset, nec tremeret in supplicio. Et Joseph cum magis urgeretur ad clabendum, tunc maxime permanebat : audi namque illum dicentem : *Furto sublatus sum ex terra Hebræorum;* et, *Memento mei*, inquit, *apud regem* (*Gen.* 40. 15. 14). Ideo manebat ille, ut disceret non esse hominibus confidendum, sed totum in Deum esse conjiciendum. Hæc ergo cum sciamus, gratias agamus Deo, et omnia quæ expediunt faciamus, ut futura bona consequamur in Christo Jesu Domino nostro, quicum Patri cum sancto Spiritu gloria, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD HOMILIAS IN EPISTOLAM PAULI AD PHILEMONEM

Quidam erant Chrysostomi tempore, qui dicerent Epistolam ad Philemonem supervacaneam esse, utpote pro re levis momenti et pro uno tantum viro, Onesimo nempe, conscriptam : quos acerrime, nec sine conviciis, confutat Chrysostomus ; ostenditque, optabile admodum fuisse, ut apostoli non modo epistolas et scripta, sed etiam vel minima quæque gesta, ad institutionem nostram descripta haberemus. Epistolæ porro hujus ad Philemonem dicta omnia sanctus Doctor pluribus persequitur, ita ut parem diligentiam et accurationem alibi in scriptis ejus vix reperias.

Antiochiæne autem, an Constantinopoli illas habuerit conciones, vix in earum decursu expiscari possumus ; nihil enim occurrit mihi quod ea in re lucem nobis afferre posse videatur. Photius quidem dicit eas quæ minus elaborate et accurate descriptæ sunt, Constantinopoli editas fuisse : verum ut non semel diximus, hæc quam attulit ille tessera et norma non sine cautione adhiberi potest. Nam ut perspicuum est libros de Sacerdotio, concionesque ad Antiochenos quas in principio habuit, plus studii et elegantiæ præ se ferre, in cæteris certe quas Antiochiæ habuit non par semper accuratio observatur ; ita ut si hoc κριτηρίου genus indiscriminatim adhibeas, non sine errandi periculo procedas.

Sæpe vidimus illum Marcionistas impugnantem ; hujus enim sectæ multi tunc supererant, quos ideo ille, ubi occasio sese offert, non infrequenter adoritur. In postrema autem ad Philemonem homilia, se contra Marcionistam quemdam congressum esse dicit, et argumentum ab illo sibi oppositum egregie confutat.

Rejecta harumce homiliarum priore Ambrosii Camaldulensis interpretatione Latina, novam adornaverunt Patres Benedictini. Nos autem Raphelii interpretationem præstulimus, utpote accuratiorem (*a*).

(*a*) Homilias in Philemonem cum interpretatione latina et annotationibus edidit Raphelius. Lauenburgi, typis Chr. A. Pfeiffer, 1712. Aliquot etiam annotationes Hemsterhusii additæ sunt.

SANCTI PATRIS NOSTRI
JOANNIS CHRYSOSTOMI,
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,
IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM (*a*).

Primum necesse est argumentum dicere epistolæ, deinde etiam ea, quæ quæruntur. Quod ergo est argumentum? Philemon, vir quidam egregius et nobilis (quod enim egregius fuerit, manifestum est ex eo, quod etiam domus ejus tota esset fidelis, ea etiam Ecclesia nominaretur. Propterea etiam scribebat, *Et Ecclesiæ, quæ domi tuæ est* (*v.* 2). Tribuit autem ei testimonium quoque magnæ obedientiæ, et *Quod viscera sanctorum in ipso conquieverint* (*v.* 7). Ipse quoque in hac epistola admonebat, ut sibi pararet hospitium. Itaque mihi videtur domus illius fuisse diversorium sanctorum omni modo). Hic ergo egregius vir servum quemdam habebat Onesimum. Onesimus igitur hicce furatus aliquid a domino aufugerat. Quod enim furatus fuerit, audi quid dicat : *Si quid autem te læsit, aut debet, ego persolvam* (*v.* 18. *et* 19). Cum ergo venisset ad Paulum Romam, et cum invenisset in carcere, fruitusque esset ejus doctrina, etiam baptismum ibi accepit. Quod enim ibi acceperit baptismi donum, manifestum ex eo, quod dicit : *Quem genui in vinculis meis* (*v.* 10). Paulus igitur scribit, commendans illum domino, ut omnium rerum causa liberatio pœnæ fieret, et susciperet ipsum tanquam nunc regenitum. Sed quia nonnulli dicunt, superfluum esse, quod etiam hæc addita sit epistola, siquidem pro re parva petat, pro uno viro : sciant quicumque hæc reprehendunt, innumeris se esse reprehensionibus dignos. Non modo enim tam parvas epistolas, et de rebus adeo necessariis scriptas, oportebat in litteras referri ; sed utinam quoque liceret aliquem nancisci, qui historiam nobis traderet apostolorum, non dico de iis rebus, quas scripserunt et dixerunt, sed etiam reliquam ipsorum vitæ consuetudinem, et quid comederint, et quando comederint, quando sederint, quo iverint, et quid singulis diebus egerint, in quibus partibus fuerint, et in quam domum introierint, et ubi nave appulerint, atque accurate omnia enarraret ; adeo omnia illorum facta multa utilitate referta sunt. Verum quoniam non intelligunt plurimi lucrum, quod hinc capi potest, propterea culpare aggrediuntur. Si

(*a*) Collatum cum Cod. Colb. 3106, qui mendis scatet.

enim cum loca tantum cernimus, ubi sederunt et vincti fuerunt, loca inanima, sæpe illuc cogitationem dirigimus, et illorum virtutem mente concipimus, atque excitamur, et promptiores evadimus : multo id magis fieret, si verba et reliqua ipsorum gesta audiremus. Certe de amico quidem quis interrogat, ubi degat, quid agat, quo procedat : de communibus autem orbis magistris, dic mihi, non oporteat hæc cognoscere? Quando enim quis spiritualiter vivit, et gestus et gressus, et verba et facta hujusmodi hominis, et omnia prorsus audientibus prosunt, et nihil impedit neque obstaculo est ad vitam recte agendam. Verum quod de rebus necessariis hæc epistola scripta sit, discere vos expedit. Vide igitur, quam multa hinc recte doceantur. Unum quidem et primum est, ut diligentes simus circa omnia. Si enim Paulus pro fugitivo, pro latrone et fure tantam suscipit curam, nec recusat cum tot laudibus ipsum dimittere, neque erubescit : multo magis neque nos convenit negligentes esse circa talia. Secundum, de servili genere non esse desperandum, etiamsi ad extremam venerit malitiam. Si enim hic fur, hic fugitivus sic factus est probus, ut Paulus vellet ipsum socium constituere, et scribens diceret : *Ut pro te ministraret mihi* (*v.* 13) : multo magis de liberis desperare non decet. Tertium, servos abstrahi a dominis non convenire. Si enim Paulus, qui ita confidebat Philemoni, Onesimum, sibi adeo commodum et utilem ad ministerium, noluit retinere præter sententiam domini : multo magis nos hoc facere non decet. Si enim virtute præditus est servus, ideo maxime manere ipsum decet in servitute, et dominium agnoscere, ut omnibus, qui in domo sunt, sit emolumento. Quid lucernam de candelabro sub modium transfers (*Matth.* 5. 15)? Utinam eos, qui extra sunt, in urbem impellere liceret! Quid vero, inquit, si et ipse malus fiat? Quamobrem, dic mihi, obsecro? quia in urbem ingressus est? Verum cogita, etiam, si extra sit, pejorem futurum esse : qui enim, cum intus est, malus fit, multo magis fieret, si extra esset. Hic enim etiam a necessaria cura liber est, domino curam ejus agente : illic vero harum rerum cura fortasse abducet ipsum etiam a magis necessariis magisque spiritualibus. Propterea etiam beatus Paulus, optimum illis dans consilium, dicebat : *Servus vocatus es? ne tibi curæ sit : quin etiam, si potes liber fieri, magis utere* (1. *Cor.* 7. 21); id est, in servitute persiste. Hoc vero maxime necessarium est, ne verbum Dei male audiat, sicut et ipse dicit, scribens : *Quicumque sub jugo sunt servi, suos dominos omni honore dignos ducant, ne nomen Dei et doctrina male audiat* (1. *Tim.* 6. 1). Dicturi enim et gentiles sunt, posse etiam servum placere Deo. Alioqui multis necessitas afferretur blasphemandi, et dicendi : Ad evertenda omnia Christianismus in vitam est introductus, si dominis auferrentur servi; et res violenta est. Dicam etiam aliud quid? Docet nos, ne nos pudeat servorum, si probi sint. Si enim Paulus, omnibus hominibus excellentior, tam multa de hoc dicit, multo magis nos de nostris id facere debemus. Cum ergo tot sint hujus epistolæ commoda, quamquam nondum omnia diximus, num quis superfluum putabit, quod etiam hæc epistola in numerum literarum sacrarum sit relata? Quidni hoc extremæ dementiæ sit? Attendamus ergo, quæso, epistolæ ab Apostolo scriptæ : tam multa enim jam lucrati cum simus, plura lucrabimur ex contextu.

HOMILIA I.

VERS. 1. *Paulus vinctus Jesu Christi, et Timotheus frater, Philemoni dilecto et adjutori nostro,* 2. *et Appiæ dilectæ, et Archippo commilitoni nostro, et Ecclesiæ quæ in domo tua est :* 3. *gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.*

1. Pro servo ad dominum hæc scripta sunt. Ab ipso statim exordio factum ejus deprimit, non sinit eum pudere, iram exstinguit, vinctum seipsum vocans compungit et coercet, facitque ut res præsentes nihil esse videantur. Si enim vincula propter Christum non sunt pudori, sed etiam gloriæ, multo magis servitus non est ignominiosa. Et hæc dicit, non extollens se, sed utiliter hoc faciens, et auctoritatem hinc ostendens, non sua causa, sed propterea, ut hoc beneficium facilius accipiat; ac si dicat : Propter vos vinculis his circumdatus sum : sicut etiam dicit alibi, illic quidem sollicitudinem ostendens, hic autem auctoritatem. Nihil hac gloria majus, nempe ut stigmatias Christi appelletur : *Ego enim stigmata Christi,* inquit, *porto* (*Gal.* 6. 17). *Vinctus Christi.* Propter psum enim fuerat vinctus. Quis non revereatur, quis non flectatur, Christi vincula audiens? quis non et animam projiciat, nedum unum servum? *Et Timotheus frater.* Assumit et alterum secum, ut et ille a multis rogatus facilius cedat, et beneficium tribuat. *Philemoni dilecto, et adjutori nostro.* Si dilectus, non audacia est confidere neque temeritas, sed singularis amicitiæ indicium : si adjutor, non solum rogari pro talibus, sed etiam gratiam habere debet : sibi enim ipsi gratificatur, idem opus ædificat. Itaque etiam præter rogationem alia, inquit, necessitate adigeris ad dandum hoc beneficium. Si enim evangelio est utilis, tu autem de evangelio promovendo laboras, jam non rogari, sed rogare debes. *Et Appiæ dilectæ.* Mihi videtur uxor ejus fuisse. Vide Pauli humilitatem: et Timotheum assumit ad rogationem, et non virum solum rogat, sed etiam uxorem, et alium quemdam fortasse amicum. *Et Archippo,* inquit, *commilitoni nostro.* Non imperio vult hæc talia impetrare, neque indignatur, si non statim præcipienti obediat, sed quæ quis ignotus faceret, hæc et illos facere vult, ut suas preces adjuvent. Non modo enim a multis rogari, verum etiam ad multos preces fieri, confert aliquid ad impetrandum id quod petitur. Propterea dicit : *Et Archippo commilitoni nostro.* Si commilito es, etiam in his te socium exhibere debes. Hic autem est Archippus, de quo scribit Colossensibus dicens : *Dicite Archippo, vide ministerium, quod accepisti in*

Domino, ut illud impleas (*Col.* 4. 17). Videtur mihi hic etiam fuisse ex iis, qui in clerum erant adoptati; quem et assumit ad rogationem, et commilitonem vocat, ut omni modo auxilietur. *Et Ecclesiæ quæ domi tuæ est.* Neque servos hic prætermisit: noverat enim, sæpe etiam verba servorum immutare posse sententiam domini, et maxime, quando pro servo fiat rogatio: et hi forsan erant, qui eum maxime [adversus Onesimum] incitabant. Non ergo sinit eos in invidiam incidere, compellatione eos dignatus una cum dominis. Sed neque dominum indignari permittit. Nam si eos nominatim appellasset, forsan indignatus esset: si vero eorum non meminisset, etiam ægre tulisset. Vide igitur, quam prudenter rationem invenerit qua commemorando et hos mentione dignaretur et illum non offenderet. Nam Ecclesiæ nomen non sinit dominos indignari, si connumerentur servis. Etenim Ecclesia non novit domini ac servi discrimen; ex recte factis et delictis utrumque discernit. Si igitur Ecclesia est, noli indignari, quod tecum appellatus est servus: *In Christo Jesu enim non est servus, non liber* (*Gal.* 3. 28). *Gratia vobis et pax.* In memoriam ipsi revocat peccata sua, dum ipsum gratiæ admonet. Cogita, inquit, quanta tibi remiserit Deus, quomodo tu gratia salvus factus sis: imitare Dominum. Precatur etiam ipsi pacem: merito. Tunc enim et illa obtingit, quando ipsum imitamur, quando manet gratia. Quandoquidem et ille servus, qui erga conservum immisericors erat, quamdiu non repetebat centum illos denarios, etiam gratia Dominica manebat: cum vero repeteret, ablata illa fuit, et ipse traditus fuit tortoribus.

2. Hæc itaque et nos cogitantes, misericordes simus, et faciles ad ignoscendum iis qui in nos peccant. Centum denarii sunt (*Matth.* 18) hic peccata erga nos, nostra autem erga Deum decem millia talentorum. Nostis autem, etiam qualitate personarum peccata judicari. Exempli causa: Qui privatum lædit, peccat, sed non ita, ut qui principem; et magis quam hic, peccat, qui majorem principem lædit; non æque autem, qui minorem; et qui regem lædit, multo magis peccat: injuria quidem est eadem, ob dignitatem autem personæ major fit. Si vero qui regem lædit, intolerabili afficitur supplicio propter personæ dignitatem: qui Deum lædit, quot reus erit talentorum? Itaque etiamsi eadem in Deum peccemus, quæ in homines, ne sic quidem paria peccata sunt, sed quantum interest inter Deum et homines, tantum inter peccata illa et hæc. Jam vero etiam plura invenio peccata, non quod ob excellentiam personæ magna tantum fiant, sed etiam re ipsa. Et horrendum quidem est quod dicturus sum, et vere terribile, necessario tamen dicendum est, ut vel sic nostram mentem concutiat et commoveat, quo ostenditur, quod multo magis homines timeamus quam Deum, magisque honoremus homines quam Deum. Considera enim: qui adulterium committit, novit quod Deus ipsum videat, et hunc quidem contemnit: sin autem homo videat, continet libidinem. Qui est hujusmodi, is non solum pluris æstimat homines quam Deum, non solum contumelia afficit Deum, sed etiam, quod multo gravius est, cum illos timeat, hunc contemnit: si enim illos videat, continet flammam libidinis. Quid vero dico flammam? non est flamma, sed petulantia. Si enim non liceret muliere uti, merito flamma res ea esset; nunc vero petulantia et lascivia est: si enim homines videat, desistit ab insania; Dei vero longanimitatem minus curat. Rursus alius qui furatur, conscius sibi est rapinæ; et homines quidem conatur fallere, et se defendit adversus accusantes, speciemque probabilem defensioni conciliat: Deum vero, quem non potest decipere (*a*), non curat neque veretur neque honorat. Et si quidem rex jubeat abstinere alterius facultatibus, quin etiam suas dare, omnes prompte conferimus: Deo autem jubente non rapere neque aliorum bona compilare, non paremus. Vides, quod pluris faciamus homines quam Deum? Grave dictu hoc et molestum: at re ipsa ostendite, quod grave sit; fugite hoc opus: si vero opus hoc non horretis, qui vobis credere possum dicentibus: Verba horremus, et gravas nos? Ipsimet vos opere gravatis, et nihil de eo conquerimini; ego vero quando ea verba dico, quorum vos res agitis, indignamini. Nonne hoc iniquum est? Utinam, quæ dico falsa essent! Malo ipse convicii opinionem habere in illo die, tamquam sine causa et temere conviciatus vobis, quam videre vos de rebus hujusmodi accusari. Non solum autem ipsi homines præfertis Deo, sed etiam alios cogitis. Multi multos servos cogunt et famulos; alii quidem ad nuptias trahunt invitos, alii vero ministeriis pessimis obsequi cogunt, et amori impuro, rapinis, fraudibus et violentiæ. Itaque duplex est crimen, ac ne necessitatis quidem excusatione possunt ipsi veniam invenire. Nam si ipse invitus male facias, propter mandatum principis, omnino ne sic quidem idonea est defensio; verum gravius fit peccatum, quando et illos cogis in eadem incidere. Quæ enim jam venia dari possit homini hujusmodi? Hæc dixi, non quod vos velim condemnare, sed ostendere, quam multorum simus debitores Deo. Nam si etiam cum æque honoramus hominem ac Deum, injuria afficimus Deum; multo magis, quando magis honoramus homines. Si vero hæc peccata, quæ in homines fiunt, si in Deum fiant, multo majora esse evincuntur: quanto magis, quando etiam ipsum peccatum per se majus est et gravius? Examinet quis se ipsum, et videbit cuncta se hominum gratia facere. Valde essemus beati, si tanta propter Deum ageremus, quanta propter homines, et propter hominum existimationem et metum et honorem. Si igitur tot tantisque debitis sumus obstricti, debemus omni alacritate remittere iis, qui

(*a*) In Græco legitur, δυνάμενος πεῖσαι, id est, *non valens sibi conciliare*, quo sensu verbum πείθειν usurpatur, cum dicitur πείθειν δικαστάς, *judices corrumpere*, *vel suas in partes perducere*. Itaque mens Chrysostomi hæc fuisse videtur: Homines quidem conatur fallere; Deum vero, cum sibi conciliare nulloque pacto in suas partes perducere possit, spernit, non veretur neque honorat. Hæc in hunc locum notantes Hemsterhusium secuti sumus

nos lædunt et decipiunt, neque injuriæ meminisse. Ratio enim solutionis peccatorum non laboribus indiget, neque sumptu pecuniarum, neque ullo alio, sed tantummodo animi proposito; non opus est peregrinationem suscipere, non in aliam regionem proficisci, non pericula subire neque labores, sed velle tantum.

3. Quam, dic mihi, veniam habebimus in iis, quæ videntur difficilia, si rem levem et tantum habentem lucrum et tantam utilitatem, et nullum laborem, non facimus? Non potes pecuniam contemnere? non potes insumere tua in egenos? At velle non potes aliquid boni? remittere te lædenti non potes? Si enim tot tantisque debitis obstrictus non esses, sed tantum Deus præciperet remittere, nonne faciendum esset? nunc autem cum tantis obstrictus sis, non remittis, idque cum scias, te partem reposci eorum, quæ habes ab ipso? Si forte nos ad nostrum veniamus debitorem, ille cognito hoc, colit nos et suscipit et honorat et omnem præstat humanitatem largissime, idque cum a fœnore non absolvatur, sed quod mites nos velit reddere in repetendo mutuo: tu vero cum Deo tam multa debeas, et jubearis remittere, ut ipse iterum accipias, non remittis? cur tandem, quæso? Hei mihi, quanta fruimur benignitate! quanta vero nos utimur malitia! quanto somno! quanta segnitie! quam facilis est virtus, et multam habet utilitatem! quam laboriosa malitia! nos vero rem adeo facilem fugientes, sequimur id quod est plumbo gravius. Hic non corporis robore opus est, non divitiis, non pecuniis, non potentia, non amicitia, non alia re ulla, sed sufficit solum velle, et totum effectum est. Tristitia te quisquam et injuria et probris affecit? at cogita, quod et tu multa talia in alios admittas, etiam in ipsum Dominum, sicque remitte et condona: cogita, quod dicas: *Remitte nobis debita nostra sicut et nos remittimus debitoribus nostris* (*Matth.* 6. 13): cogita quod, nisi remittas, non possis hoc cum fiducia dicere; sin remittas, quasi debitum hanc rem repetis, non propter rei naturam, sed propter illius qui hoc nobis concessit benignitatem. Et quæ hæc est æqualitas, cum, qui conservis debita remittat, suorum in dominum peccatorum remissionem accipere? attamen fruimur hac tanta benignitate, siquidem dives est in misericordia et miserationibus. Ut vero tibi ostendam, quod etiam ab quebis, et absque remissione, ex eo solo quod remittas, ipse capias fructum, cogita, qui hujusmodi est, quot habeat amicos, quomodo ubique laudes hujusmodi hominis omnes commemorent dicentes: Bonus vir, facilis reconciliatu, nescit injuriæ meminisse, simul atque vultus accepit curatus est. Hujusmodi homini, si in calamitatem quampiam incidat, quis non misereatur? quis non ignoscat peccanti? quis non gratificetur pro aliis roganti? quis non velit amicus esse et servus animi tam boni? Ah, obsecro, omnia hujus rei causa faciamus, non erga amicos, non erga cognatos solum, sed etiam erga servos. *Remittentes* enim, inquit, *minas, scientes quod et vester Dominus sit in cœlis* (*Ephes.* 6. 9). Si remittamus proximis peccata, remittentur et nobis, si eleemosynas præstemus, si humiles simus: nam et hoc aufert peccata. Si enim publicanus, cum tantum dixisset, *Propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* 18. 13), descendit justificatus: multo magis etiam nos, si humiles simus et contriti, poterimus multam benignitatem consequi; si confiteamur nostra peccata, et condemnemus nos ipsos, multum abstergemus sordium. Multæ enim sunt viæ, quæ expurgant. Undique ergo pugnemus contra diabolum. Nihil dixi difficile, nihil grave: remitte ei, qui te offendit, miserere egeni, humilia tuam animam: etiamsi magnus sis peccator, poteris etiam regni particeps fieri, per hæc expurgans ipsa peccata, et abstergens maculam. Utinam autem contingat nos omnes hic emundatos omnibus peccatorum sordibus per confessionem, illic nancisci promissa bona in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri sit gloria, potentia, etc.

HOMILIA II.

4. Gratias ago Deo meo semper, mentionem tui faciens in orationibus meis, 5. audiens caritatem tuam, et fidem quam habes erga Dominum Jesum et in omnes sanctos: 6. ut communicatio fidei tuæ efficax fiat in agnitione omnis boni, quod est in vobis in Christo Jesu.

1. Non statim ab exordio petit gratiam, sed postquam prius virum admiratus est et laudavit propter recte facta, et sui erga ipsum amoris signum ostendit non parvum, quod semper ejus meminerit in orationibus suis, et dixit, omnes refocillari per eum, et omnibus obedire atque obtemperare: tunc etiam illud tandem ponit, maxime cum hac re exorans. Si enim alii consequuntur quæ petunt, multo magis Paulus; si dignus erat qui adipisceretur, si ante alios venisset, multo magis cum post alios veniat, et rem petat non ad ipsum pertinentem, sed pro alio. Deinde, ne videretur hujus tantum gratia scribere, neve dicat quispiam, quod, nisi Onesimus esset, non scripsisset: vide, quomodo et alias epistolæ causas ponat; primum quidem caritatem ipsius indicans, deinde vero etiam hospitium jubens sibi parari. *Audiens*, inquit, *caritatem tuam.* Præclarum hoc, et multo majus, quam si præsens vidisset. Constat enim, quod ideo, quoniam ipsa excellens erat, etiam manifesta fuerit facta, et usque ad ipsum pervenerit, cum tamen non parvum intervallum esset Romæ et Phrygiæ: illic enim mihi videtur fuisse ob Archippi mentionem. Colossenses enim in Phrygia sunt, ad quos scribens ait: *Cum lecta fuerit apud vos epistola, facite, ut et in Laodicensium Ecclesia legatur, et Laodicensem ut et vos legatis* (*Col.* 4. 16). Hæc autem Phrygiæ urbs est. *Oro*, inquit, *ut societas fidei tuæ efficax sit.* Vides, prius ipsam dare quam accipere, et priusquam beneficium petat, suum exhibere multo majus? *Ut*, inquit, *societas fidei tuæ efficax sit in agni-*

bone omnis boni, quod in vobis est erga Christum Jesum. Id est, ut omnem virtutem colas, ut nihil deficiat. Sic enim fides fit efficax, si opera habeat. *Absque operibus* enim *fides mortua est* (*Jac.* 2. 26). Neque ait, Fides tua, sed, *Societas fidei tuæ*, sibi eum adjungens, et unum corpus ipsos esse ostendens, et hac re maxime ipsum exorans. Si socius es, inquit, in fide, etiam in aliis debes socius esse. 7. *Gaudium enim habemus, et multam consolationem super caritate tua, quoniam viscera sanctorum refocillata sunt per te, frater.* Nihil ita permovet, quam si aliorum benefacta commemores, maxime si ipse sis iis venerabilior. Neque dicit, Si aliis facis, multo magis mihi; sed idem quidem subindicat, alia autem via id aggressus est lenius. *Gaudium habemus;* hoc est, Tu mihi fiduciam dedisti per ea, quæ aliis præstitisti. *Et consolationem:* hoc est, non solum delectamur, sed etiam solatium inde capimus; membra enim nostra illi sunt. Si igitur tantam oportet esse concordiam, ut aliorum refocillationibus alii, qui in afflictionibus sunt, etiamsi nihil consequantur, lætentur propter illos, tamquam uno corpore beneficiis affecto : multo magis lætabimur, si etiam nos refocillares. Neque dicit, Quoniam cedis, quoniam obtemperas, sed multo gravius atque significantius, *Quoniam viscera sanctorum,* quasi de puerulo desiderabili parentibus et amabili. Sic amor et caritas ostendit ipsum vehementer amari ab illis. 8. *Idcirco multam fiduciam habens in Christo præcipiendi tibi quod convenit.* Vide quam caute agat, ne quid etiam eorum, quæ ex magna caritate dicebantur, offenderet lectorem ut graviter ferret. Propterea priusquam diceret, *Præcipiendi tibi*, quia id grave erat, quamquam si ab amore proferatur, potius possit benevolos reddere; attamen ex abundanti multam adhibet correctionem, dicens, *Fiduciam habens,* quo magnum significabat esse Philemonem; hoc est, Tu nobis fiduciam dedisti; neque hoc solum, sed etiam addens, *In Christo*, quo indicat, quod ei præcipere possit, non tamquam qui in mundo clarus aut potens sit, sed propter fidem erga Christum : et tum ponit, *Præcipiendi tibi*, neque hoc solum, sed etiam, *Quod convenit*, id est, rem rationi consentaneam. Et vide quot rationibus id moliatur. Aliis bene facis, inquit : etiam mihi benefac, et propter Christum, et quia res est rationi consentanea, et quia caritas dat. Propterea etiam subjungit : 9. *Propter caritatem potius rogo.* Quasi diceret : Novi quidem, quod etiam præcipiens rem efficiam cum magna auctoritate, quia alii talia a te ante jam impetraverunt : verum quia hæc res mihi magnæ curæ est, rogo. Utrumque ostendit simul, et quod confidat ipsi (præcepit enim), et quod vehementer de ea re laboret; propterea rogat. *Cum talis sim*, inquit, *ut Paulus senex.*

2. Papæ, quot argumenta moventia! a qualitate personæ, quia Paulus; ab ætate, quia senex; ab eo, quod est omnibus æquius, quia etiam *Vinctus Jesu Christi.* Quis enim non hunc athletam et coronatum excipiat supinis manibus? quis videns vinctum propter Christum, non innumera gratificetur? Cum ita que tot verbis præmolliisset ipsius animum, non tamen statim addit nomen, sed tanta usus rogatione differt adhuc. Nostis enim iram dominorum adversus fugitivos servos : et maxime, si cum furto hoc fecerint, etsi mites habent dominos, quomodo crescat ira. Hanc igitur omnibus his præmollivit : et postquam ei prius persuasit, ut omnia, quæcumque illa sint, alacriter subministret, præparavitque illius animum ad omnem obedientiam, tunc subjungit preces, et dicit : 10. *Rogo te*, idque cum laudibus : *pro meo filio, quem genui in vinculis meis.* Rursus vincula exorandi vim habent. Et tum nomen Onesimum addit : non enim iram solum exstinxit, sed etiam delectationem attulit. Non enim ipsum, inquit, filium vocarem, nisi esset valde utilis. Quo Timotheum nomine appellavi, eodem et hunc. Et cum passim caritatem declarat, tum ex partus tempore eum adhortatur, *Vinctus eum genui*, inquit : ut etiam propterea dignus sit, qui in magno habeatur pretio, quia in ipsis certaminibus est progenitus, in ipsis pro Christo tentationibus. 11. *Onesimum, qui tibi aliquando inutilis erat.* Vide quanta prudentia, quomodo confiteatur ejus peccatum, et hac ratione exstinguat ipsius iram. Novi, inquit, quod inutilis fuerit, *Nunc autem tibi et mihi utilis erit.* Non dixit, Nunc autem tibi utilis erit, ne ille hoc negaret; sed etiam suam personam introduxit, ut certa spes esset : *Nunc vero mihi*, inquit, *et tibi valde utilem.* Si enim Paulo utilis, qui tam exactam requirit diligentiam, multo magis domino. 12. *Quem misi ad te.* Etiam per hoc iram ejus exstinguit, quod eum tradat. Maxime enim domini tunc irascuntur, quando pro absentibus rogantur, ut etiam hoc ipso eum magis mitigarit. *Tu autem ipsum, hoc est, mea viscera, suscipe.* Iterum non nudum ponit nomen, sed cum verbo exhortatorio, quod nomine filii calidius est. Dixit, Filium; dixit, *Genui :* ut consentaneum sit, eum maxime amare, quia in tentationibus ipsum genuerat. Constat enim, erga eos liberos nos maxime amore exardescere, quando pericula effugimus, et in illis eos genuimus : et cum Scriptura dicit : *Væ barochabel* (*a*) (1. *Reg.* 4. 21)! et rursum quando Rachel vocat Benjamin, *filium* dicit *doloris mei* (*Gen.* 35. 18). *Tu vero ipsum*, inquit, *hoc est viscera mea, suscipe.* Ostendit amorem suum maximum. Non dicit, Recipe; non dicit, Ne irascaris; sed, *Suscipe*, hoc est, non venia, sed honore dignus est. Quare? Filius Pauli factus est. 13. *Quem ego volebam pro te retinere, ut ministraret mihi in vinculis evangelii.* Vides, quam multis ante præparationibus usus, tunc ipsi honorem apud herum conciliavit? Et vide etiam hoc, quanta sapientia hoc agat : vide et

(*a*) Apparet compositum hoc nomen interpretem existimasse ex בר *filius*, et ךך *tener* et fortasse בעל *dominus*. Equidem diu frustra quæsivi, quis ille esset Barochabel. Tandem in mentem mihi venit, si forte intelligenda hæc sint de Icabod; cum soleant interdum Græci mire depravare nomina Hebræa. Et plane ita esse deprehendi. Pro Icabod enim 1 Sam. IV, 21, habent LXX interpretes, Ὀναβαργαβώθ, unde hoc magis etiam corruptum fluxisse satis constat. Raphelius.

illud, quam obligatum esse demonstret, et hoc, quam honoret. Invenisti, inquit, quo pacto mihi per illum ministrare possis. Hic ostendit, quod ipsius potius rationem habuerit quam servi, quia valde ipsum veneretur. 14. *Absque tua autem sententia*, inquit, *nihil volui facere, ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed spontaneum.* Hoc maxime emollit illum, qui rogatur, quando et res utilis est, ea ipso volente fit. Duo enim bona hinc nascuntur : et ille lucratur, et hic tutior redditur. Neque dicit, Ne ex necessitate ; sed, *Ne velut ex necessitate.* Sciebam enim, inquit, quod etiamsi non fuisses præmonitus, sed subito rem cognovisses, non indignareris ; sed tamen ex abundanti, ne velut ex necessitate. 15. *Forsitan enim propterea separatus fuit ad horam, ut æternum eum recipieres, non amplius ut servum.* Bene, *Forsitan*, posuit, ut cederet herus. Quia enim ex improbitate facta erat fuga et perversa mente, neque recto consilio, dicit, *Forsitan.* Neque dicit, Propterea fugit, sed, *Propterea separatus fuit*, leniore verbo magis mitigans. Neque dicit, Separavit seipsum ; sed, *Separatus fuit :* neque enim hoc ejus fuit consilium, ut ob hanc illamve causam discederet. Quod et Josephus defendens fratres dicit : *Deus me huc misit* (*Gen.* 45. 5) ; hoc est, malitia eorum ad bonum usus est. *Propterea separatus fuit*, inquit, *ad horam.* Et tempus contrahit, et peccatum confitetur, et omnia vertit in divinam providentiam. *Ut æternum ipsum*, inquit, *recipieres*, non in præsenti solum tempore, sed etiam in futuro, ut semper haberes ipsum, non amplius servum, sed præstantiorem servo : servus enim cum maneat, melius affectum cum habebis fratre. Itaque et temporis et qualitatis ratione lucratus es ; posthac enim a te non resiliet. *Ut æternum ipsum*, inquit, ἀπέχῃς, pro, *recipieres.* 16 *Non amplius ut servum, sed plus quam servum, fratrem dilectum, maxime mihi.* Servum amiseras ad parvum tempus, et fratrem invenies in perpetuum, fratrem non tuum solum, sed etiam meum. Hic etiam virtus magna est. Si autem meus frater est, non erubesces etiam tu pro fratre habere. Dum ergo filium appellavit, amorem ostendit ; dum autem fratrem, benevolentiam summam et honoris æqualitatem declaravit.

3. Hæc non sine causa scripta sunt, sed ne nos domini desperemus de servis, neque vehementer in eos sæviamus, sed discamus ignoscere peccata servis talibus ; ne semper asperi simus, ne ob servitutem erubescamus eos etiam socios in omnibus assumere, si sint boni. Si enim Paulus non erubuit etiam filium appellare, et viscera, et fratrem, et dilectum, cur nos erubescamus ? Et quid dico Paulus ? Pauli Dominus non erubescit nostros servos fratres suos vocare : et nos erubescemus ? Vide quam nos honoret : fratres suos vocat nostros servos, et amicos et cohæredes. Ecce, quo descenderit. Quid ergo nobis faciendum est, ut omnia perfecisse dici possimus ? Nihil omnino poterimus facere ; sed quocumque humilitatis venerimus, major ejus pars adhuc reliqua est. Considera namque : quidquid tu feceris, erga conservum facis ; tuus autem herus erga tuos servos fecit. Audi et exhorresce : numquam efferaris propter humilitatem. Fortasse ridetis hæc verba, quod humilitas extollat ; sed ne miremini : extollit, nisi genuina sit. Quomodo et qua ratione ? Quando propterea fit, ut homines eam probent, et non Deus ; quando fit, ut quis laudetur et magnos spiritus sumat. Etenim hoc diabolicum est. Sicut enim multi, eo quod non inaniter glorientur, inaniter gloriantur ; ita etiam, eo quod sese humilient, se extollunt magnum sapiendo. Exempli gratia, venit quis frater, aut etiam servus : recepisti eum, pedes lavisti : statim alte sapis : Feci, inquis, quod nemo fecit, humilitatis munere functus sum. Qui ergo possit quis in humilitate manere ? Si meminerit præcepti Christi, quo ait : *Cum omnia feceritis, dicite, Inutiles servi sumus* (*Luc.* 17. 10) ; itemque præceptoris terrarum orbis, dicentis : *Ego meipsum non existimo apprehendisse* (*Philipp.* 3. 13). Qui sibi ipsi persuadet, quod nihil magni gesserit, quæcumque fecerit, hic solus animo humili esse potest, qui ad finem se pervenisse non existimat. Multi per humilitatem elati fuerunt. Sed ne nobis idem contingere patiamur. Fecisti aliquid humile ? noli magnum sapere, alioqui omnia perdidisti. Talis erat Pharisæus : efferebatur, quia dabat pauperibus decimas ; et omnia perdebat. Sed non sic publicanus (*Luc.* 18). Audi Paulum iterum dicentem : *Nullius rei mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* (1. *Cor.* 4. 4). Vides, quod non extulerit sese, sed omnibus modis depresserit et humiliarit, idque, cum in summum verticem pervenisset ? Tres etiam pueri in igne erant et in media fornace, et quid dicebant ? *Peccavimus, inique egimus cum patribus nostris* (*Dan.* 3. 29. 39). Hoc est cor contritum habere. Propterea poterant dicere : *Sed corde contrito, et spiritu humiliato accepti simus.* Ita et, postquam incidissent in fornacem, valde erant humiles, et magis quam antequam incidissent. Nam postquam viderunt miraculum, quod factum erat, seipsos salute indignos arbitrantes, ad humilitatem deducti sunt. Quando enim persuasi sumus, non præter meritum magna accepisse beneficia, tunc maxime contristamur. Quamquam quod beneficium illi præter meritum acceperunt ? Tradiderunt seipsos in fornacem, captivi abducti fuerunt, cum alii peccassent (adhuc enim juvenes erant), neque murmurabant neque irascebantur, neque dicebant : Quæso, quidnam nobis boni inde nascitur, quod servimus Deo ? quid profecimus adorantes ipsum ? hic impius est, et factus est noster dominus : cum idololatris ab idololatra cruciamur, in captivitatem ducti sumus, patria, libertate, patriis rebus omnibus excidimus, captivi et servi facti sumus, regi barbaro servimus. Nihil horum dixerunt : quid vero ? *Peccavimus, inique egimus ;* neque pro se, sed pro aliis fundunt preces : *Regi infensissimo*, inquiunt, *et pessimo tradidisti nos* (*Dan.* 3. 29. 32). Rursus Daniel secundo in fossam leonum injectus, dicebat : *Recordatus est mei Deus* (*Dan.* 14. 37). Quidni recordaretur, o Daniel, quando illum glori-

ficasti coram rege, dicens; *et ego non in sapientia, quæ est in me* (*Dan.* 2. 30). Et quando injiciebaris in fossam leonum, quod non obedires pessimo mandato illi, quidni recordaretur? Propter hoc sane ipsum recordatus est. Nonne propter eum nunc injectus fuisti? Sane, inquit, sed multorum debitor sum. Quod si ille talia dicit post tantam virtutem, quid jam nos dicamus? Sed David, quid dicat audi : *Et si dixerit mihi; Nolui te, ecce ego, faciat mihi quod acceptum est coram se* (2. *Reg.* 15. 25); quamquam sua innumera recte facta poterat proferre. Heli etiam dicit : *Dominus ipse est, quod acceptum est coram se faciet* (1. *Reg.* 3. 18).

4. Hoc proborum servorum est, non solum inter beneficia, sed etiam in pœnis et cruciatibus omnia ipsi committere. Qui enim non absurdum sit, si nos quidem heros sinamus verberare servos, quod sciamus, eos ipsis parcere, utpote qui ipsorum sint, Deus autem puniens non parceret? Hoc etiam Paulus indicat dicens : *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus* (*Rom.* 14. 8). Non vult sibi, inquit, divitias imminui (*a*); novit, quomodo puniat, suos punit servos. Nemo nobis magis parcit quam ille, qui, cum non essemus, nos produxit ut essemus, qui solem oriri facit, qui pluit, qui animam inspirat, qui Filium suum dedit pro nobis. Verum quod dixi, et cujus rei gratia hæc a me omnia dicta sunt, modesti simus, ut decet : ne occasio nobis hoc fiat elationis. Humilis es, et omnibus hominibus humilior? ne propterea altum sapias, neque aliis exprobres, ne perdas gloriam. Propterea humilis es, ut ab arrogantia libereris. Si ergo per ipsam in arrogantiam incidas, melius esset, non humilem esse. Audi enim Paulum dicentem : *Per bonum mihi operatur mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum per præceptum* (*Rom.* 7. 13). Quod si in eam cogitationem venias, ut admireris te ipsum ob humilitatem, cogita Dominum tuum quo descenderit, et non amplius admiraberis te ipsum neque laudabis, sed etiam deridebis te ipsum, ut qui nihil feceris. Omnino te ipsum debitorem existima. Quæcumque feceris, illius recordare parabolæ : *Quis ex vobis est*, inquit, *qui habet servum, num ingresso ipsi dicit, Accumbe? Non, dico vobis, sed, Sta et ministra mihi* (*Luc.* 17. 7). Num gratiam habemus servis nostris ministrantibus nobis? Nequaquam. At vero Deus nobis habet gratiam, non ipsi ministrantibus, sed quod nobis expedit facientibus. Verumtamen ne ita simus affecti, tamquam illo gratiam habente, ut magis habeat, sed tamquam debito officio fungentes : nam revera etiam debitum hæc res est, et debita sunt omnia, quæcumque facimus. Nam si, cum servos pecunia emimus, per omnia nobis eos vivere volumus, et, quæcumque habent, nobis habere : quanto magis is qui, cum non essemus, ut essemus nos produxit, qui præterea pretioso sanguine nos redemit? Pretium solvit pro nobis, quantum nemo pro filio quidem solvere sustineret; suum ipsius effudit sanguinem. Si ergo innumeras haberemus animas, easque omnes poneremus, num par redderemus? Nequaquam. Quare? Quia ipse non, cum nobis aliquid deberet, hoc fecit, sed omnia ex gratia facta sunt; nos autem jam illi debitores sumus. Et ipse cum Deus esset, servus factus est, cumque non esset sub morte, morti obnoxius factus est in carne; nos vero etiamsi non pro ipso ponamus animas, lege naturæ omnino ponemus, et inviti paulo post ab ipsa abscedemus. Eadem et in pecuniis ratio; etsi non propter ipsum eas demus, propter mortis tamen necessitatem reddemus. Ita et de humilitate sentiendum; etsi non propter ipsum humiles simus, per afflictiones, per calamitates, per potentiorum metum humiliabimur. Vides igitur, quanta sit gratia? Non dicit : Quidnam magni faciunt martyres? etiamsi non propter me moriantur, mox tamen omnino morientur; sed magnam ipsis habet gratiam, quia volentes deponunt, quod postea jure naturæ inviti deponerent. Non dicit : Quidnam magni faciunt qui pecunias largiendo exhauriunt? omnino eas relinquent etiam inviti, verum magnam et his habet gratiam, neque erubescit coram omnibus fateri, quod nutritus fuerit a servis dominus. Etenim et hæc est gloria domini, servos habere gratos; et hæc est gloria domini, sic amare ipsum servos; et hæc est gloria domini, posse illorum bonis uti pro suis; et hæc est gloria domini, non erubescere coram omnibus fateri. Revereamur igitur hanc tantam caritatem Christi, amore ardeamus. Quamvis humilis sit aliquis, quamvis vilis, si tamen audiamus ab eo nos amari, maxime omnium incalescimus erga illum, et in magno eum habemus pretio : et nos eum amamus, Dominus autem noster nos adeo amat, et non excitamur? Ne, quæso, ne ita segnes simus circa salutem animarum nostrarum; sed et diligamus pro viribus nostris, et omnia impendamus in amorem ipsius, et animam et pecunias et gloriam, et alia omnia cum gaudio, cum delectatione, cum alacritate, non quasi illi quid præbentes, sed quasi nobis ipsis. Hæc enim amantium lex. Beneficiis se affici existimant, quando mala patiuntur propter eos, quos amant. Sic igitur et nos simus affecti erga Dominum nostrum, ut et futurorum participes fiamus bonorum, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri sit gloria, cum Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Dicit : cum Deus nos in divitiarum loco habeat, non vult nos gravitate pœnarum opprimi, ne delendis nobis opes suas imminuat. Raph.

HOMILIA III.

17. *Si igitur habes me socium, suscipe illum sicut me.* 18. *Si quid vero te læsit, aut debet, hoc mihi imputa.* 19. *Ego Paulus scripsi mea manu : ego reddam, ut non dicam tibi quod et teipsum mihi debes.*

1. Nulla res adeo exhortari valet, quam non omnia simul petere. Vide enim, post quantas laudes, post quantam præparationem, magnum hoc posuerit. Postquam dixisset, est filius meus, est socius evan-

gelii, est viscera, *fratrem ipsum recipis*, tamquam fratrem habe: tunc addidit, *Tamquam me*. Neque hoc erubuit Paulus. Qui enim non erubescit servus fidelium appellari, sed etiam hoc profitetur, multo magis hoc non recusarit. Quod vero dicit, hoc est: Si eadem mecum sentis, et eamdem curris viam, si amicum existimas, suscipe illum tamquam me. *Si vero quid injuste egit*. Vide, ubi posuerit et quando injuriam: postremò, postquam multa de eo dixit. Quia enim maxime pecuniarum jactura mordere solet homines, ut ne de his conqueratur (verisimile enim, eas jam fuisse absumptas), tunc hoc ponit et dicit: *Si vero injuste egit*. Non dicit: Si quid furatus est; sed quid? *Si quid injuste egit*. Simul et delictum confitetur, sed non tamquam servi delictum, sed tamquam amici contra amicum, injustitiæ potius, quam furti nomine usus. *Hoc*, inquit, *mihi imputa;* hoc est, a me exige debitum, *ego dependam* (*a*). Deinde etiam cum spirituali gratia ait: *Ego Paulus scripsi mea manu;* adhortatorie simul hæc scribens et festive, si, cum pro hoc et cautionem exarare Paulus non recusarit, hunc ipse recusare et suscipere. Hoc vehementer et ipsum commovit, et perturbatione liberavit Onesimum. Et *Mea manu*, inquit, *scripsi*. Nihil est visceribus hisce calidius, nihil diligentius, nihil promptius. Pro uno homine vide quantam agat curam. *Ut ne dicam*, inquit, *tibi, quod et teipsum mihi insuper debeas*. Deinde, ne videretur contumelia esse in eum qui rogabatur, si non ausus esset pro furto rogare, et impetrare desperasset: etiam hoc aliquo modo emollit; *Ut ne dicam*, inquit, *quod etiam teipsum mihi insuper debeas;* non tua solum, sed etiam te ipsum. Etiam hoc ex amore et secundum amicitiæ legem, et quod illi valde confideret (*b*), dicebat. Vide quam ubique utriusque rei curam agat, et ut magna cum diligentia roget, et ne hoc esset signum parvæ erga illum fiduciæ. *Obsecro, frater*. Quid est, *Obsecro, frater?* Suscipe, inquit, illum: hoc enim exterius oportet subaudire. Omittens enim sermonem festivum, iterum ad priora, ad seria venit. Quamquam et hæc seria sunt: quæ enim a sanctis proferuntur, seria ea sunt, etiamsi aliquantum festivo sermone utantur. 20. *Obsecro, frater, ego te fruar in Domino: refocilla mea viscera in Christo*. Hoc est, Domino hoc gratificare, non mihi. *Viscera mea* erga te. 21. *Confisus obedientiæ tuæ scripsi tibi*. Quem lapidem hæc non emollirent? quam feram hæc non emollirent? quam feram hæc non mitigarent, et impellerent ad humanissime suscipiendum? Postquam tantarum virtutum testimonium ei tribuit, non recusat etiam iterum excusatione uti. Non simpliciter dicit, neque præcipiens, neque arrogantia utens, sed, *Confisus obedientiæ tuæ scripsi hæc*. Quod etiam in principio dixerat, *Fiduciam habens*, hoc etiam hic dicit ad obsignandam (sive confirmandam) epistolam. *Sciens quod etiam ultra quam dico facturus sis*. Simul etiam excitavit eum, dum hoc dixit. Nam si nihil aliud, certe puduisset eum ne in tantum quidem facere, cum ita Paulus de ipso existimet, quod etiam supra quam dicat faciat. 22. *Simul autem etiam para mihi hospitium: spero enim, quod per preces vestras donabor vobis*. Et hoc valde confidentis erat; imo magis etiam hoc faciebat pro Onesimo, ne essent negligentes, sed ut scientes, quod omnino reversus auditurus esset ejus statum, omnem injuriæ memoriam abjicerent, magisque benevolos se præberent. Ingens enim erat gratia et auctoritas Pauli præsentis, Pauli post ætatis, Pauli post vinculorum mentionem. Hoc rursus est amoris ipsorum argumentum, quod eos orare dicit, et quod tantum eis tribuit, ut orent pro ipso. Nam etsi nunc in periculis sum, tamen videbitis me, si oretis. 23. *Salutat te Epaphras meus captivitatis socius in Christo Jesu*. Hic a Colossensibus fuerat missus (*Col.* 1); ut etiam ex hoc constet, Colossis fuisse quoque Philemonem. Captivitatis autem socium eum vocat, ostendens et ipsum in multa esse afflictione. Itaque etsi non propter illum ipsum, propter hunc tamen par erat eum audiri. Qui enim in afflictione est, et sua negligit, ea autem quæ aliorum sunt curat, debet audiri. Præterea etiam adhortatur eum, si civis illius et captivitatis socius ipsi factus est, et una affligitur, hic vero ne quidem pro suo servo rogatus gratiam præstet. Et addit, *Meus captivitatis socius in Christo Jesu*, id est, propter Christum. 24. *Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, adjutores mei*. Cur tandem Lucam ultimum ponit, cum tamen dicat alibi, *Lucas est solus mecum?* Et Demas, inquit, unus erat eorum, qui ipsum reliquerant, et amaverant præsens sæculum (2. *Tim.* 4. 11. 9). Hæc autem etsi et alibi dicta sunt, tamen indiscussa non oportet prætermitti, neque vulgariter audire aut obiter. Quomodo vero jubet illos salutare eum, qui ipsum reliquerat? nam *Erastus*, inquit, *mansit Corinthi* (2. *Tim.* 4. 20). Epaphram quidem, et ut notum ipsis et inde oriundum addit, et Marcum tamquam et ipsum egregium: cur vero his annumerat Demam? Fortassis postmodum factus est negligentior, quando pericula illa vidit plurima. Lucas itaque, qui ultimus erat, factus est primus. Et ab his quidem eum salutat, adhortans eum vehementius ad obedientiam, et adjutores vocat, etiam hac ratione exstimulans eum ad rogationem. 25. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.*

2. Voto epistolam clausit. Est autem votum magnum quidem bonum et salutare, et animarum nostrarum custodia: magnum vero, si digna illo agamus, et non indignos nos ipso reddamus. Et tu igitur cum accesseris ad sacerdotem illeque dixerit, Miserebitur tui Deus, fili: ne verbo solum confidas, sed etiam operam adde, fac misericordia dignum. Benedicet tibi Deus, fili, si quidem facias opera benedictionis, benedicet, si miserearis proximi: quæ enim volumus consequi a Deo, hæc prius impertiri proximis debemus; si vero proximos illis defraudamus,

(*a*) Verba juris solemnia, cum alter alterius nomen in se recipit, et commutantur debitores. DUNÆUS.

(*b*) Juxta Raphelium, excidit e textu Græco particula negativa οὐ, quæ restitui debet. Tunc in interpretatione legendum esset, *et quod illi non valde confideret*.

quomodo consequi ea volumus? *Beati*, inquit, *misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* 5. 7). Si enim homines talium miserentur, multo magis Deus : eorum autem, qui non miserentur, non item : *Immisericors enim judicium ei, qui non fecit misericordiam* (*Jac.* 2. 15). Bona res misericordia : cur ergo eamdem non præstas alteri? Vis tibi ignosci, quando delinquis? cur ergo ipse non ignoscis ei, qui deliquit? sed accedis ad Deum, regnum cælorum petens, ipse vero pecuniam rogatus non das. Propterea non consequimur misericordiam, quia non miseremur. Quamobrem? dices : atqui istud quoque misericordiæ est, immisericordium misereri. Is, qui crudelem et immitem et innumera proximo inferentem mala, humanitate complectitur, quonam modo sit misericors? Quid ergo? inquis : nonne lavacrum, cum innumera fecissemus mala, nos salvavit? Liberavit nos illis, non ut iterum ea faciamus, sed ut ne faciamus. *Si enim mortui sumus*, inquit, *peccato, quomodo posthac vivemus in eo? Quid ergo? Peccabimus, quia non sumus sub lege? Absit* (*Rom.* 6. 2. 15). Propterea te ab illis liberavit, ut ne amplius recurras ad idem peccatum. Si quidem et medici febricitantes liberant ab illo æstu, non ut sanitate ad malitiam abutantur et intemperantiam (siquidem melius est ægrotare, si quis propterea sit sanus futurus, ut lecto affigat seipsum), sed ut experti infirmitatis mala non amplius in eadem incidant, ut diligentius sanitatem curent, ut omnia faciant quæ ad eum conducunt. Quæ est igitur benignitas Dei, inquis, siquidem nolit salvare malos? sæpe enim etiam hoc multos audio dicere : Benignus est, et omnino salvabit omnes. Ne igitur temere nos ipsos decipiamus (etenim memini quoque hujusmodi quid me vobis fuisse pollicitum), age hodie hanc disputationem agitemus. Disserui nuper ad vos de gehenna, et distuli sermonem de Dei clementia; hodie igitur eum persolvere convenit. Quod ergo futura sit gehenna, satis fortasse, ut puto, demonstravimus, diluvio in medium adducto, et prioribus malis, cum diceremus, fieri non posse ut qui illa fecerit, hos qui nunc sunt impunitos sinat. Si enim eos qui ante legem peccarunt, sic punivit, eos qui majora mala perpetrarunt post gratiam, impunitos non dimittet. Quærebatur igitur, quomodo ergo bonus, et quomodo clemens, cum puniat? et distulimus sermonem, ne multitudine obrueremus aures vestras. Age, hodie reddamus debitum, et ostendamus quomodo Deus sit bonus, etiam quando punit. Etenim etiam adversus hæreticos nobis sermo hic usui esse queat : quare diligenter attendamus. Cum nullius rei indigeret Deus eorum, quæ a nobis proficisci possunt, fecit nos : nam quod nullius indiguerit, declaravit eo, quod tanto post fecerit nos. Si enim indiguisset, multo ante fecisset : si vero etiam sine nobis erat idem, nos autem posterioribus temporibus facti sumus : cum nostri non egeret, fecit nos. Fecit cælum, terram, mare, omnia quæ sunt, propter nos. Hæc annon sunt benignitatis, dic mihi? Et multa quidem quis possit dicere; sed, ut contrahamus sermonem, *Oriri facit solem super malos et bonos, pluit super justos et injustos* (*Matth.* 5. 33). Hoc annon est benignitatis? Non, inquit. Nam et aliquando ad quemdam Marcionistam dicebam, annon hæc sunt bonitatis? et dicebat, quod si rationem non exigeret peccatorum, bonitatis esset; si vero exigit, non sunt bonitatis. Sed ille quidem nunc non adest. Age vero ea, quæ tunc dicta sunt, proferamus, et plura hisce. Ego enim ostendo ex abundanti, nisi exigeret rationem, bonum non esse; quia vero exigit, propterea bonum esse. Nam die mihi, si non exigeret rationem a nobis, num constaret vita humana? annon in bestias degeneraremus? Si enim, imminente metu et rationum reddendarum et judiciorum, pisces superamus, dum nos invicem devoramus, leones et lupos vincimus, dum alter alterius bona rapimus : nisi rationem a nobis exigeret, et hoc persuasum nobis esset, quanta confusione et turba impleretur vita? qualis jam esset fabulosus ille labyrinthus, cum perturbatione hac ordinis mundana comparatus? nonne videres innumeras iniquitates et perturbationes? quis enim revereretur patrem posthac? quis parceret matri? quis ullam voluptatem, ullam malitiam prætermitteret? Et quod hæc ita se habeant, ab una sola domo ego tibi persuadere conabor. Quid? si servis vestris, qui hæc disputatis et servos habetis, persuaderem quod, etiamsi evertant dominium, et in corpus dominorum injurii sint, etiamsi omnia asportent, etiamsi sursum deorsum misceant omnia, etiamsi hostilia erga dominos committant, non comminaturi sint domini, non punituri, non ulturi, ne verbis quidem molesti futuri : num viderentur hæc bonitatis esse? At ego ostendo, quod extremæ immanitatis sit, non solum, quia uxor et liberi prodantur per hanc intempestivam benignitatem, sed etiam, quia illi ipsi ante hos perduntur. Nam et ebriosi et impudici et petulantes et injuriosi et omnibus bestiis erunt stolidiores. Hoc ergo est bonitatis, die mihi, nobilitatem animæ conculcare, atque illos et nos ipsos insuper perdere? Vides, quod rationes exigere sit magnæ benignitatis opus? Et quid servos dico promptius ad peccata hæc currere? quin etiam habeat quis filios, et omnia ipsis permittat audere, neque puniat, quo non pessimo homine erunt pejores, dic mihi? Itane apud homines quidem punire erit bonitatis, et non punire crudelitatis, apud Deum vero non item? Itaque quoniam bonus est, propterea gehennam præparavit. Vultis et aliam dicam bonitatem Dei? Non hoc solum est bonitatis, sed etiam, quod bonos non sinit fieri malos. Nam si omnes consequerentur eadem, omnes essent mali; nunc vero non parum etiam hoc consolatur bonos : audi enim prophetam dicentem : *Lætabitur justus, cum viderit vindictam impii, manus suas lavabit in sanguine peccatoris* (*Psal.* 57. 10). Non lætitia exsultans, absit, sed timens, ne eadem patiatur, vitam suam emendabit. Magnæ ergo curæ hoc est. Ita, inquit; sed minari tantum oportebat, non vero etiam punire. Si punit et dicis, minas tantum esse, et ideo segnior fis; si revera tan-

tum minæ essent, nonne negligentior fieres? Ninivitæ si scivissent, minas tantum esse, pœnitentiam non egissent : postquam vero pœnitentiam egerunt, intra verba minas continuerunt. Vis illas tantum minas esse? in tua potestate hæc res est : evade melior, et consistit intra minas ; si vero, quod absit, contempseris minas, rem ipsam experieris. Homines ante diluvium viventes si minas timuissent, non pœnas sustinuissent. Et nos si timuerimus minas, non subibimus pœnas. Neque hoc fiat, sed faxit benignissimus Deus, ut omnes nos hic jam ad meliorem frugem redacti, ineffabilia illa consequamur bona : quibus nos omnes dignos haberi contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri una cum Spiritu sancto gloria, potentia, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SPURIA.

MONITUM

IN SPURIA SEQUENTIA.

Nihil mihi optatius cadere potest, quam cum in germana quædam, nondum typis edita Joannis Chrysostomi opera incido; ex tanto enim doctore nihil unquam prodiit, quin cum plausu sit excipiendum. Hinc vix verbis exprimere queam quanto gaudio perfusus sim, cum Roma mihi transmissæ fuere undecim homiliæ, quas Constantinopoli, una serie, et intra breve temporis spatium habuerat Chrysostomus, quæ hactenus ignotæ fuerant, neque a scriptoribus historiæ quarti et quinti sæculi memorabantur. In iis quamplurima ad historiam istius ævi pertinentia discimus non memorata hactenus; ita ut a sæculo integro vix quidpiam his æquiparandum ex tenebris emerserit.

Hæc a paucis annis ex Græcia in Vaticanam Bibliothecam translata, curantibus D. Petro Maloet tunc sodalitii nostri Procuratore Generali, et D. Josepho Avril ejus socio, in usum meum exscripta fuere, et a me Latine conversa in hac Chrysostomi operum collectione in lucem emittenda sunt. Verum quia commentariorum in Epistolas Pauli cursum non licet intercipere, ad sequentem duodecimum tomum post Homilias in Epistolam ad Hebræos, typis edenda transmissa fuere.

Ad calcem vero hujus undecimi Tomi, pro more nostro Spuria quædam subjicimus, quæ a Savilio, perpetuis licet digna tenebris, in lucem emissa fuerant. Ne quid vero in hac nostra collectione desiderari videretur, ea omnia quæ ille vir doctus et accuratus in lucem emiserat, ad calcem tomorum edere visum fuit. Animadvertit tandem ille vir emunctæ naris, non decere hujusmodi quisquilias orbi literario offerre; quamobrem cum jam multas ejusdem farinæ homilias protulisset, cæteras quæ in dies emergebant repulit, et quarumdam catalogum et titulos typis mandavit; nec sine tædio memorans illam farraginem Spuriorum quam jam publicaverat. Nos vero, ut jam diximus, spurias omnes homilias quas Savilius Chrysostomi nomine publicavit, ad calcem tomorum emisimus. Cæteras vero quas Savilius rejecit, et alias quas ingenti numero in bibliothecis deteximus, tineis et vermibus rodendas in perpetuum amandamus.

Hanc porro tantam nobis Spuriorum silvam pepererunt; tum scriptores multi nullius pretii et nominis, qui ut scripta orationesque suas venditarent, Chrysostomi, tantæ famæ auctoris, nomen præmittebant; tum etiam bibliopolæ, qui lucri causa et ut emptores allicerent, omnia, expuncto etiam scriptorum vocabulo, Joannis Chrysostomi nomine prostare impune curabant. Hinc factum est ut in plurimis Manuscriptorum bibliothecis, Severiani Gabalorum, Theophylacti, aliorumque ignotorum opera Chrysostomi nomen præ se ferant. Ea vero quæ Severiani Gabalorum sunt, quia ille eodem quo Chrysostomus tempore scribebat, nomine Severiani edidimus : cætera vero, aliis in libris cum auctoris sui nomine typis data, ablegavimus. Ignotorum vero spuria scripta tantum quæ Savilius dedit, in finem singulorum tomorum amandamus.

DE SACRIFICIIS CAINI, DE DONIS ABELIS, ET DE GIGANTIBUS, DE DILUVIO, DE STELLIS, ET DE FATO.

Mater ordinis est continuata series, quæ argumenti conspectum offert, et auditorum mentem sine ulla confusione servat. Ne igitur absistamus a serie; sed et lectiones cursum suum perficiant, et nos historiæ seriem servemus. In præmissis sermonibus ex Spiritus sancti doctrina traditum est, quæ fuerit hominis formatio, qui honor, qui ordo, quæ præfectura data in res creatas. In hæc enim supervenit fraus in paradiso illata, judicium cum examine factum, prolata sed clementer sententia. Hæc sequutæ sunt res Cainum et Abelem spectantes, qui eodem cultu videbantur Deum prosequi, sed diverso affectu illum assumebant. Et hic et ille offerebat; sed alterius oblatio doni solum speciem habebat; alterius vero quem decebat affectum et honorem exhibebat. Hinc sequuta est invidia : pietatem enim semper sequitur apud improbos invidia, apud remuneratorem corona. Occisus est Abel primus justitiæ præco, primus pietatis amator et cultor, qui primus veritatem coluit, et cum veritate Deum dilexit et adoravit, qui in multis imitator Christi factus est. Invenio namque sanctum Abelem plurimas Christi imagines referentem. Sicut enim Servator eorum, qui post legem renovati sunt, princeps est et primus justus : sic inter veteres omnes homines princeps justitiæ est Abel. Neque in renovatione humanæ naturæ, ab omnium Domino facta, aliquid prius invenis, quam Dominicum corpus; neque in veteri hominum ordine justitiam invenis, quæ ante Abelem illuxerit. Ille princeps est veterum justorum : hic princeps et novorum justorum et sanctorum qui vere renovantur. Ideo Servator Abelis memoriam fixit ut omnis justitiæ principium.

Dicit enim Judæis : *Amen dico vobis, vindicabitur in hanc generationem omnis sanguis justus qui effusus est a constitutione mundi, a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ, quem occidistis inter templum et altare* (*Matth.* 23. 35). Initium fixit justitiæ insidiis impetitum ab hominibus, coronatum autem a Deo Abelem. Et vide rem mirabilem : quia primus Abel cum justitia certavit, primus pro pietate pati dignus fuit : factus est imago Christi pro veritate passi, et inventus est sanguis Abelis prope accedere ad sanguinem Christi, et multam propter fidem cum illo habere affinitatem. Verbi gratia, sanguis salutaris magisterium est totius orbis; nihil nos ad pietatem instituit, nisi sanguis Dominicus, qui veritate ut lingua utitur. Clamavit sanguis Abelis, clamat quoque sanguis Christi : sed ille clamat supplicans, hic clamat propitiationem mundo afferens. Quia enim sanguis Dominicus instar tubæ usque ad terminos orbis insonuit, et sanguis Abelis Deo supplicavit, apostolus hunc et illum sanguinem memoraus, comparatione facta celsiorem posuit sanguinem, qui vere superior erat : dicit enim, *Accessimus ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem Deum viventem, et spiritus justorum perfectorum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel* (*Hebr.* 12. 22-24). Ille namque loquitur supplicans pro peccatoribus, et propitiationem afferens mundo. Etenim sanguis Christi aspersio est mundi; sanguis Christi, redemptio hominum : melius, inquit, loquitur quam Abel : quatenus ille quidem supplicat, hic vero patrocinatur. Aliam quoque imaginem Dominici sanguinis offert sanguis Abelis hoc scilicet pacto. Adam per peccatum incidit in damnationem mortis : *Terra es, et in terram reverteris* (*Gen.* 3. 19). Accepit sententiam; Abel justus in peccata non lapsus, imo divini calculi testimonio celebratus, vitam probe duxit. Deinde sanguinarius Cain, portas mortis aperiens, malum morti transitum dedit; imo potius bonum. Vide namque Dei clementiam. Qui damnati erant Adam et Eva, nondum mortui erant : Abel, qui non peccaverat, primo[illegible]

IN SANCTA ET MAGNA PARASCEVE, ET IN SANCTAM PASSIONEM DOMINI (*a*).

Hesternæ promissionis volo hodie debitum persolvere, dilecti; quæro jam ubi finem dicendi fecimus. Dicebamus consilium cepisse Judæos contra Jesum, quomodo ipsum perderent. Et congregatis illis in unum, ecce Judas advenit, et dixit eis : *Quid vultis mihi dare, et ego vobis tradam eum* (*Matth.* 26. 15)? Illi vero surgentes, cum gladiis et fustibus sequuti sunt eum. *Et dedit illis signum dicens : Quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum* (*Ib. v.* 48. *et sqq.*). Et cum pervenissent ad locum, ubi erat Jesus cum discipulis suis, accedens Judas osculatus est eum dicens, *Ave, Rabbi.* Jesus autem ad illum, *Amice, ad quid venisti?* O osculum dolosum, plenum iniquitate et perditione! o osculum amarum, detrimentum animæ, concilians gehennam! Meretrix, quæ osculata est pedes Domini, animam suam ex cœno revocavit; et hic osculo suo ex libro vitæ deletus est. O mulieris philosophia! o discipuli insipientia! Illa osculante pedes Domini lætati sunt angeli, et coronam ipsi pararunt : hoc osculante, dæmones gavisi sunt, et laqueum strangulationis nexuerunt. *Ave, Rabbi.* Ille gaudet, sed tu luges, quia ex gaudio ejectus es. *Ave, Rabbi, et osculatus est eum.* Et apprehendentes eum, duxerunt ad Annam et Caipham pontifices. Falsum vero testimonium quærebant adversus eum, et non inveniebant. Tunc duxerunt, et statuerunt eum. Interrogavit autem eum Pilatus dicens : *Tu es rex Judæorum?* Dominus autem tacebat, ut scriptum est, *Et tamquam mutus non aperiens os suum* (*Isai.* 53. 7). Pilatus sedebat judicans, et qui judicaturus est vivos et mortuos, sol justitiæ stabat, et de se judicari patiebatur pro salute mundi. Pilatus autem ex rebus ipsis persuasus, ipsum per invidiam traditum esse, accepta aqua lavit manus suas dicens : *Innocens sum a sanguine justi hujus : vos videritis* (*Matth.* 27. 24). Judas autem videns quod condemnatus esset, reddidit argenteos summis sacerdotibus dicens : *Peccavi tradens sanguinem innocentem injuste. Et projectis argenteis in templum, abiens se suspendit.* Et impletum est illud quod scriptum est : *Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet* (*Psal.* 7. 17). Pilatus autem dixit Judæis : *Ego nullam invenio causam in illo* (*Luc.* 23. 4); et cum vellet solvere eum, dicit illis : Est consuetudo vobis in festo solvere unum ex sceleratis. Audite ergo, et solvam vobis unum, quia nullam invenio causam in illo. Illi vero petierunt homicidam dimitti, illum vero, qui justificat impios, cum clamore crucifigi petierunt. Tunc flagellatum illum Pilatus tradidit, ut crucifigeretur. Flagellatus est Dominus, ut nos ex diaboli vinculis et flagellis redimeret : coronam de spinis gestavit, ut solveret maledictum contra nos latum. Spinas et tribulos terra germinare nobis jussa est ob prævaricationem : in capite gestat spineam coronam, ut solvat maledictum contra nos latum : in ligno crucifixus est, ut solveret peccatum per lignum factum. Per lignum enim satanas Adamum ex paradiso expulit; et per lignum Dominus latronem paradisi civem exhibuit. Et quod mirum est, dilecti, sexta die Adamum formavit Dominus, et sexta die ille ex paradiso ejectus est[1]. Ideo Dominus sexta die paradisum aperuit, et latronem induxit. Vespere Adam ejectus est ex paradiso, transgressus præceptum Domini; vespere latro obsequutus voci Domini, inductus est in paradisum. Cum vidit ergo diabolus omnia per œconomiam fieri, et signa in cruce facta, solem obscuratum, terram motam, velum templi scissum, petras ruptas, et se illusum, fugit ad infernum, et ait illi : Væ mihi misero, illusus sum : adjuva humilitatem meam, claudamus ostia, ne hinc ingrediatur; firma vectes, et tota virtute obsistamus, ne huc recipiatur. Cucurrit ergo infernus, et clausit ostia vectesque ferreos firmavit. Et ecce Dominus venit in infernum, persequens diabolum, et Virtutes præcurrebant. Et ecce portæ clausæ erant : et vociferatæ sunt Virtutes dicentes : *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ* (*Psal.* 23. 9. 10). Aitque infernus intus respondens : *Quis est iste Rex gloriæ?* Tum Virtutes : *Dominus Virtutum ipse est Rex gloriæ*[2]. Reponit infernus : Quis est hic quem dicitis? et si talis est, quid hic quærit? cur reliquit cælum, et huc descendit? Et dicunt Virtutes : Quia Rex gloriæ est, eum qui ob rebellionem damnatus est venit ligaturus et traditurus tibi, et milites suos ex te educturus et evocaturus. Respondens infernus dicit diabolo : Triceps Beelzebut, ejecte ex angelis, risus sanctorum, infirme, a luce remote; nonne dixi tibi, Ne pugnes

(*a*) Hanc homiliam Eusebio Alexandrino adscribi. Thilo.

(1) In Georg. Syncell. Chronogr. p. 5. ed. Bonn. legitur : *Sanctus Joannes Chrysostomus, maximus inter doctores, dicit in suo commentario in Matthæum, Adamum, die sexta primæ hebdomadis, id est, ipsa die suæ creationis, fuisse ejectum e paradiso, cum Eva : cui nos assentimur.*

2 Additur in Vind.: *Ipse est qui in principio erat Verbum, ipse est qui sedet ad dexteram Patris, quem tremunt Angeli et laudant Cherubim; ipse est rex regnantium et Dominus dominantium, ipse est Rex gloriæ.*

eum eo? Ecce nunc quæ prædixi tibi adsunt. Quid facis, miser? cur non audisti verba mea[1]? Ecce venit te quæsiturus et ligaturus, et propter te captivus ero. Egredere, si potes, occurre et obsiste illi. Ego enim tibi opem ferre non valeo. Tum diabolus illi: Miserere mei interim, ne aperias: aliquando avertitur; interim pro me concerta, licet illusus sim. Quis enim non illuderetur ex hujusmodi verbis illius. Aliquando enim mortem timens dicebat, *Tristis est anima mea usque ad mortem*; aliquando supplicationem Patri offerebat, dicens, *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* 26. 38. 39). Hæc verba inescarunt me. Reponit ille: Hæc ego quoque miser suspicabar, ipsum mortem timentem dolore affici. Hæc illis dicentibus, Virtutes perseverabant dicentes, *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ*. Et prophetæ vocem Regis gloriæ audientes gaudebant et exsultabant. Joannes dicebat, Nonne dicebam vobis quod venturus esset nos educturus? Omnes lætabantur, et inferno dicebant: Aperi portas tuas ut ingrediatur Rex gloriæ. Infernus nolebat. Respondens David propheta dixit: Sinite illum: oportet enim impleri prophetiam meam. Cum enim essem in terra, prævidebam id quod factum est, nempe eum non sponte aperturum esse, et dicebam: *Dominus conterens bella, Dominus contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit* (*Psal.* 106. 16). Et statim accedens Dominus, portas contrivit, et vectes confregit, Virtutes inferni conculcavit, et dolores mortis solvit, stimulos inferni comminuit: et impletum est illud quod scriptum est: *Ubi est, inferne, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus* (1. *Cor.* 15. 55)? Occurrerunt illi prophetæ gaudentes, exsultantes, hymnos canentes et dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini: hosanna in excelsis* (*Matth.* 21. 9). Tunc accipiens diabolum Dominus ligavit illum vinculis insolubilibus, et deduxit illum ad infima loca inferni; et substravit ignem inexstinguibilem, vermes immortales: et illic inclusus est flens et gemens[2]. Dominus autem eductis ex inferno prophetis omnibus, dixit, Ite in paradisum. Illi vero gaudentes exsiluerunt ex inferno. Primus David citharam pulsans lætus dicebat: *Venite, exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro* (*Psal.* 94. 1): quia Rex noster pro nobis in bello vicit. Et omnes responderunt, Alleluia. Rursusque idem: *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exsultationis* (*Psal.* 46. 2): quia Rex noster pro nobis in bello vicit. Et sic exsultantes in paradisum currebant: illicque ingressi, invenerunt latronem, et stupefacti sunt; ipsique dicebant: Quis te huc induxit? quis tibi portas aperuit? quid operatus, prius quam nos huc ingressus es? an quæ hic sunt furaturus et expilaturus venisti? non satis tibi fuit terrena rapuisse, an etiam cælestia rapturus es? Dic nobis, quis te huc induxit? Non invidemus tibi quod ingressus sis, sed causam exquirimus. Respondit ille: Non propter opera mea dignus fui qui huc intrarem; sed clemens et misericors Dominus me huc induxit. Nihil boni penes me habui, quapropter me morti damnarunt Judæi cum immortali Rege: et cum vellent me occidere, me potius vivificarunt cum Christo crucifigentes. Vidi signa in cruce facta, et intelligens ipsum esse Filium Dei, clamavi voce magna dicens: *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum* (*Luc.* 23. 42. 43). Et statim ille supplicationem meam admittens dixit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*. Et dedit mihi signum crucis dicens: Hoc accipiens ito in paradisum, et si tibi ingressum prohibeat flammeus gladius, ostende illi regium signum, et portas tibi aperiet. Veni, et statim atque me vidit flammeus gladius, qui custodit paradisum, januas clausit. Ego vero dixi: Rex qui nunc crucifixus est me misit, et ostendi signum crucis, et statim aperuit mihi. Ingressus ego neminem inveni, menteque obstupui, et apud me dicebam: Ubi sunt Abraham, Isaac, et reliqua multitudo sanctorum prophetarum? Mirante me et hæc cogitante, ecce ad dexteram partem orientis apparuerunt duo viri antiqui dierum, forma mirabiles, et electi vultu. Et interrogarunt me: Quis es tu? Non es Abraham; illius enim habitus sacerdotalis erat. Non es Moyses; ille namque voce gracili, et tardus lingua erat, tua vero lingua expedita est. Quis es tu? videris esse latro: habitus quippe tuus latronem sapit. Et confessus sum me esse latronem, et Dominum paradisi me huc introduxisse, quia comes illi fui in morte, quam pro nobis subiit. Dixique illis: Vos quinam estis, quæso? Respondit mihi unus ex illis: Ego sum Elias Thesbites, et curru igneo huc advectus sum, necdum vidi mortem; hic qui mecum est Enoch, huc verbo Dei translatus est. Hæc audientes prophetæ, glorificarunt Deum ob tale donum peccatoribus concessum. Dominus vero, qui mortem spoliavit, infernum calcavit, et lignum ligno sanavit, qui confregit portas, et vectes contrivit, diabolumque ligavit, ac mundum liberavit, omnes in cælum adduxit, postquam hæc a mortuis resurrexisset. Itaque celebremus incarnatum, glorificemus crucifixum, gratias agamus resurgenti, ut etiam nos ex caligine peccatorum nostrorum eruat, et regni sui heredes faciat. Ipsum enim decet honor et adoratio cum Patre qui sine principio est, et sancto vivificoque Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Hic in Cod. Vind. additur: *Eadem pervicacia laborasti ab initio, et ideo cecidisti de cœlis sicut fulgur.*

[2] In Cod. Vind. additur: *Prophetæ autem eum deridentes dicebant: « Ego ponam supra nubes thronum meum, et similis ero Altissimo. » Et ad se invicem dicebant: « Venite, derideamus inimicum nostrum. » Et accedentes conculcabant caput ejus irridentes eum.*

IN PUBLICANUM ET PHARISÆUM.

Amor pecuniæ ad avaritiam tendit, sed per eleemosynam sanatur, si ad pœnitentiam currat. Fornicationis morbus ad peccatum inducit, sed hunc curat pœnitentiæ luctus, et sole puriorem animam exhibet, castitatis virtutibus fulgentem. Latrocinii inhumanitatem sanat, cum latro sanguinaria opera mutat, et Christo clamat: Ne prives me, Christe, regno tuo, et anima ejus intrat in paradisum. Idololatriæ quoque error suam habet medelam, cum Christum prædicatum fideliter suscipit, et iniquitatis errorem abdicat, pieque religionis gratiam in se complectitur, per baptisma quod terno Dei nomine sempiternam Trinitatem significat. Odii fraterni cœnum abluitur, quando evangelicum illud oraculum probe cum animo assumitur: *Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur* (*Matth.* 5. 9). Quis non gaudet, dum Dei et Patris vocatur filius? Quia Deus formavit hominem, ac benigno nutu mundum conservat, ejusque voluntati cedunt omnia: ex bonitatis excessu visibilia ex nihilo produxit, hominemque posuit creaturarum suarum œconomum, ut fidelis manens accipiat mercedem quinque talentorum, et imperet decem civitatibus, quæ in Evangeliis memorantur. Si quis vero piger inveniatur, cui unum talentum commissum sit; illudque absconderit, nec duplex pretium domino attulerit; id est cum sensibili spiritualem etiam hominem; et inceperit dicere: *Timui quia homo austerus es* (*Luc.* 19. 21), et reliqua verba ingrata et improba: tunc auferetur ab eo id quod habet, et ejicietur in caminum ignis. Hic enim mundus in

gymnasium datus est, qui modo hominibus dolorem, modo lætitiam præbet. Qui vero in ambobus cum gratiarum actione vivit, regnum cælorum accipiet. Sicut enim exundantes aquæ bullas efficiunt, quarum quædam statim dissipantur, quædam vero magis intumescentes, et ipsæ postea evanescunt : sic et mare hujusce vitæ ; alios post paulum temporis, alios diutius progressos, tandem absorbet. Hac de causa sermonem resumamus. Omne peccati genus in promptu habet remissionis gratiam, si præcurrentem habeat pœnitentiam. Superbiæ es deditus difficilis curatu morbus est, odii occasio, contumax lapsus, exaltatio contra seipsum, phantasia umbratilis, calamus a vento agitatus, fumus in aerem elatus, et ad nihilum redactus. Quid te putas, o arrogans, plus habere quam pauper ? Nihil. Num tu aliud vides cælum, " ille vero a solari radio comburitur ? Nam tu cum aer frigidus est, a sole foveris, ille vero frigore rigescit ? nonne similiter aerem spirat ? nonne in eadem graditur terra ? nonne idem corpus circumspicitur ? Annon magis Deo gratias agere debes qui tot tibi res concredidit, quarum particeps est indigus ? Dico tibi, frater, hoc te magis ad humilitatem concitare debet. Dives enim moderatus humanitatem exhibet ; nam pauper velit nolit humilis est. Tu ergo tunc magnus videberis, cum id quod ille ex necessitate, tu ex proposito exhibebis. Si his non obtemperes, audi Scripturam : *Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Prov.* 3. 34). Si hæc etiam despicias, despicieris a Deo. Tunc hæc stupida opinio tibi aliud sapere suadet, ut gravius te dejiciat. Quid enim sunt divitiæ ? Materia ab alio in alium transiliens : ingruente namque morte, hæ aufugiunt, mala autem ab illis parta numquam te relinquunt. Vide ne superbias, terra et cinis cum sis, et ne cadas in lapsum Pharisæi : nosce teipsum : illud enim Dominus suadet, per parabolam dicens : *Homines duo ascenderunt in templum orare, unus Pharisæus, et alter publicanus* (*Luc.* 18. 10). Duo homines ascenderunt, sed non duo homines descenderunt, eamdem sine errore viam perficientes : Pharisæus enim ab hac plane aberravit. In unum intrarunt locum ad orandum, et inde egressi non uno in loco reperti sunt. Pharisæus currebat fidens, publicanus ibat timens : et qui currebat retro mansit, et qui retro erat præcessit. Currebat Pharisæus, ut justitias suas enarraret ; festinabat et publicanus, ut peccata sua annuntiaret. Ascenderunt ad orandum ; et alter quidem inflatus, alter vero precans deprehensus est. Hæc enim sibi in legem ponebat Pharisæus dicens : Non sum debitor præceptis legis, non sum obnoxius iis quæ præceperunt prophetæ, non opus habeo doctrina Moysis ; nihil in his peccavi : sed ascendo oraturus, consuetudinis debitum persolvens, quod majores mei persolverunt. Quid ergo, o Pharisæe, majorum causa in templo adoras, nec precandi gratia templum respicis ? Majores tui fideliter gratiarum actionem reddiderunt ; tu vero triumphantis more gratias agis, ut sacrificium tuum ab hominibus celebretur ; et in te impletur Davidis dictum : *Fiat oratio ejus in peccatum, et episcopatum ejus accipiat alter* (*Psal.* 101. 7. 8), nempe publicanus. Quænam ergo sunt publicani gesta ? Abiit in templum seipsum damnaturus, seipsum oratione indignum dicens. Indignum se vocavit : ideo Christus propositum ejus acceptum habuit. Se dicebat peccato obnoxium ; sed illum justitia præditum Christus ostendit : peccatorum ipsi remissionem dedit in propositi mercedem, liberavit a peccato, ut justitiæ subjiceret. O servitus, qua malam servitutem fugimus, et confugimus ad libertatem Christi ! o servitus, quæ jugum leve præbet, et post hanc vitam æternam vitam reddit ! o servitus, quæ in hoc mundo servitus vocatur, in futuro autem regnum dat æternum ! Ad hanc servitutem curramus, fratres, ut libertatis animæ fructum accipiamus. Quando quis bonus est servus, tunc illum Dominus genuinum filium declarat ; tunc implet illud prophetæ de illo dictum : *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* 81. 6). Beati qui tali dignantur honore ! beati qui se liberare student a corruptione ! beati qui per hanc servitutem obtinent libertatem, et clamant cum ea libertate qua Christus nos redemit. Stamus habentes crucem quæ pro Christo nos sustentet. Clamemus Christo : Reputa nos, Pastor bone, ut unam ex ovibus quæ perierunt : quære nos in cogitationibus cordium nostrorum, et si nos invenias errantes et ab inimico capiendos, congrega nos gregem tuum. Reputa nos ut drachmam unam, et illam admotam igni divinitatis explora, illaque inventa gaude cum sanctis et angelis, qui cum intemerata tua divinitate habitant : nos exhibe ut publicanum, ut orantes humilitatem amplectamur, et superbiam aversemur, arrogantiamque peccati matrem exuamus, ac temperantiam pœnitentiæ matrem sectemur. Rejicianus veterem hominem cum operibus ejus, et induamus novum cum bonis actibus et gratia ejus : ingemiscamus ex intimo corde orantes, ut depellamus in profundum fornacis gehennæ ignis inimicum nostrum. Te namque gemente, ille percutitur, te pectus tundente, ille vulneratur, te plagas accipiente, ille jugulatur. Nam publicanus dum pectus tunderet, Pharisæum vicissim percutiebat, et cogitationem quæ in illo superbiæ tumorem operabatur, redarguebat. Nam *Pharisæus stans apud se orabat dicens : Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri ; vel sicut hic publicanus : jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo* (*Luc.* 18. 11. 12). O Pharisæe, mercedem tuam evacuasti per jactantiam ! ideo calculum damnationis accepisti. Dicis, *Non sum sicut cæteri hominum.* Homo quidem erat secundum naturam et Dei formationem, brutum vero animal secundum superbiæ opinionem : homo, ut ad imaginem factus ; fera, ut arrogantia plenus. Nam se extra humanam naturam posuerat, aliam creationem suo corpori constituerat, se terrenis rebus altiorem esse dicebat, se omni propheta et patriarcha majorem opinabatur. Annon recordabaris, o Pharisæe, jactantiæ Eliæ ; quæ non ex opinione sua, sed ex divino zelo proficiscebatur, cum diceret, *Domine, prophetas tuos occiderunt, et altaria tua diruerunt, et ego relictus sum solus* (3. *Reg* 19. 10) ? Et quid illi oraculum ? *Reliqui mihi septem mille viros, qui non genu flexerunt ante Baal.* Quid ergo ? omnibus inique agentibus, septem mille viri erant, qui divinum zelum haberent, et prophetæ exæquarentur, et tu clamas, *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri ?* an nemo sub cælo avaritiæ scelus effugit ? an nemo castitatem amplectitur, Pharisæe ? Teipsum damnas, qui ab omnibus damnaris ; te reprobas, qui a Deo reprobaris : te per jactantiam coronas, sed per damnationem coronam tuam amisisti ; te laudas ut sine peccato, sed peccato obnoxius deprehensus es ; te celebras ut qui legem impleveris, sed dum legem tangis, legislatorem contumelia afficis : recte facta tua coram omnibus cum clamore declarasti ; illa in peccata commutasti. Publicanus silentio clamans, Deum Verbum placavit, ipsumque tu clamans contra te irritasti. Non te puduit dicere. *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, aut sicut publicanus*, peccatis pollutus, lascivia sordidatus, qui sacrum locum ingressu suo inquinat, qui indigne mecum precatur, omnis iniquitatis operarius. Nomen sufficit ad declarandum ejus statum : nam publicanus est, publice opera iniqua perpetrans. Hæc etiamsi non ipsis verbis in intemeratis Evangeliis scripta sint ; at superbiæ scopus hunc servat modum. O Pharisæe, tu publicani gesta reprobasti, Christus vero in illo sibi complacuit ; tu in comparatione tui illum despexisti, Christus vero ipsum coram omnibus coronavit. Placuit Christo pœnitentia publicani, ubi vidit illum pudore affectum, gemitumque ex profundo cordis ad cælum emissum, lacrymasque manantes : placuit Christo, imo magis placuit quod publicanus pudore pudorem excuteret.

Pulchre sibi aptavit publicanus hoc sapientiæ dictum : *Est pudor inducens peccatum* (*Eccli.* 4. 25). Hunc admisit cum improbe viveret. *Et est pudor gloria et gratia;* hunc amplexus est ex pœnitentiæ modo, contrariis contraria per fidem sanans. Medicum imitatus emplastrum imponit corpori, quod carnem quidem rodat, sed quod ulcus purget, ut revelato vivo corpore, curationis modum cognoscat. Voluptatum canales, gemitu quasi cauterio ferro usus, obstruxit, et ulcus tumens lacrymis emolliens curavit; atque ulceris vulnus per manuum percussionem repressit, humoremque ex corpore in animam fluentem exsiccavit; illamque ex pœnitentia purgatam Conditori obtulit. At reliqua Pharisæi verba audiamus : *jejuno bis in sabbato.* Declarat tertiæ feriæ et parasceves abstinentiam. Sabbata vero requies sunt Hebræis. Abstineo a lautis cibis, non inquino labia mea impuro esu, totus temperantia circumdor, totus sanctitate induor : insuper eorum quæ possideo decimas Deo affero. O tumor insensibilitatem spirans! annon ita affectus est ac si alimenta sua Deo largiretur? *Jejuno bis in sabbato.* Domine, annon jejunium, inquit, præcepta legis apud Deum commendat? Et quod homines cum labore perficiunt, ego ex proposito facio. Quid ergo benignus Judex, liberalis agonotheta, qui pœnitentiæ cursum coronat? Et Pharisæum se jactantem toleravit, et publicano pœnitente delectatus est. Quia vero ille verbis, quasi vento vehementi animæ fructum excussit; hic vero seipsum conterens non exspectavit alium accusatorem, unicuique pro merito sua distribuit : publicanum enim sui accusatorem crimine et damnatione liberum dimisit; Pharisæum vero qui sua recte facta in medium protulerat, publicano pauperiorem declaravit. Utrique congruens modus erat : huic divitiæ causa paupertatis fuerunt, illi ex divitiis paupertas eliminata est. Quid enim ait Dominus : *Amen dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam magis quam ille* (*Luc.* 18. 14). O quam malus superbiæ morbus! Ascendit Pharisæus quasi comans floribus, recte factis coronatus : cum illo venit publicanus omni defensione nudus. Alius seipsum humilians facile exaltatus est; alius vero intempestive se in altum tollens, ridiculam subiit nuditatem. Annon melius fuisset demissis uti vocibus? annon melius fuisset audire propheticam vocem dicentem : *Humiliamini coram Domino, et exaltabit vos?* annon utilius fuisset retinere linguam et divitias servare, quas multo acquisierat labore? Nam quas virtutes cum tempore collegerat, voce dissipavit. Non audierat forta se Pharisæus illud quod scriptum est : *Impurus est in conspectu Domini omnis superbus* (*Prov.* 16. 5). non didicerat illud pulchre dictum : *Quod facit dextera tua, nesciat sinistra tua* (*Matth.* 6. 3). Fortasse vero utrumque sciebat; sed vana gloria superatus est. Nos itaque publicani humilitatem acquiramus, et peccatorum onus deponemus : superbiam autem odio habeamus, per quam Pharisæus virtutum divitias perdidit : *Nam superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Prov.* 3. 34). Ipsi gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

IN INGRESSUM SANCTORUM JEJUNIORUM.

Ortum est nobis hodie, dilecti, lætum ver sanctorum jejuniorum, nosque apparat ut alacriter curramus in hunc Deo dignum paradisum, ut temperantiæ fructus demetamus, et castitatis flores decerpentes, continentiæ coronam nectamus. Rursum nos vocat angelica vita ad priscam voluptatem, et ad divinum illum ac beatum usumfructum nobis portas aperit. Magnam apud Deum præbet fiduciam voluntarium jejunium, quod corpus quidem emundat per temperantiam, animam vero sanctificat per fiduciam erga Deum, et per oblivionem terrenarum omnium rerum quam inducit, et per cælestium amorem quem affert. Jejunium amatores suos in cælum ducit; id efficit, ut Christo adstemus, et cum sanctis consortium habeamus. Pater jejunii, dilecti, est lex Dei; mater ejus est temperantia, patientia, virtus; filiæ ejus exercitatio, castitas, continentia; filii, Moyses, Elias, Daniel, Joannes Baptista, et chorus sanctorum, eorum maxime qui in desertum secesserunt, et ascetarum; amicæ ejus sunt fides, spes, caritas; sociæ, pax, mansuetudo, concordia; ancillæ, Dei glorificatio, psalmodia perpetua, oratio pura; contubernalis, timor Dei; fructus assidue jejunantium sunt sanctitas, incorruptio, fiducia erga Deum, regnum cælorum, vita æterna. Quapropter, dilecti, jejunii amatores legem Dei habentes in corde suo, sincere jejunant; iniqui vero non jejunant. Et justi quidem jejunant semper pie agentes, ac legem Dei meditantes atque implentes, castitatem diligentes, et continentiam amplectentes, qua liberi redditi Christo adhærent. Iniqui vero non modo non jejunant, sed etiam omni nequitia et satanica operatione pleni sunt. Omnis lascivia, impietas et iniquitas apud illos exercetur : apud illos sermones obscœni, risus immoderatus, diabolici modi et habitus; apud illos gula, ebrietas, ordinis perturbatio erunt. Mala quippe utique multa ex ebrietate oriuntur. Qui enim vino sunt ebrii, animo sunt obscurati, ut insani et mente capti, qui huc illuc circumferuntur : ex pariete in parietem impingunt, indecenter in occurrentes pelluntur, et turpiter in terram ruunt. Quapropter, dilecti, hanc turpitudinem fugiamus, et alacriter jejunemus cum timore Dei, fide firmati, lege fulti, temperantia ornati, castitate decorati, oculos temperantes, mentem sanctificantes, cum patientia multa et puro corde precantes, temporanea deponentes, et æterna adipiscentes. Si quis enim sincere jejunat, is Christum imitatur; in terra versans angelis similis est, prophetas æmulatur, apostolorum consors est : et omnino natura mutatus per jejunium fit justus ex injusto, bonus ex malo, ex impio pius, et sic Christum in hereditatem accipit et thesaurum vitæ : quam nos omnes adipisci contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium una cum Patre principio carente et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

IN SANCTAM ASSUMPTIONEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Adhuc mihi animo recensenti lucrum ex cruce hominibus partum, et æqua mentis lance utilitatem resurrectionis ponderanti, ingruunt inexhaustæ divinæ Assumptionis divitiæ; videoque Dominum et Deum meum in cælos ascendentem, ubi erat prius; ut me, qui lutum sum, in throno intemerati Patris collocans, Pauli verba re et opere obsignaret : *Conresuscitavit et consedere fecit nos in cœlestibus* (*Ephes.* 2. 6). Quotquot igitur primi Adami et vestem et mentem deposuimus, et secundum Adamum, qui est Christus,

gestare per gratiam dignati sumus, canticum opportunum referamus victori, quod olim propheta alacriter clamans dicebat : *Deus, quis similis erit tibi* (*Psal.* 82. 2)? Tu enim solus, ut nosti, ad carnem sumendam te humilians, immutabilem, invariabilem, impassibilem divinitatis substantiam servasti. Unde propheta non dubitans, sed admirans ; non comparans, sed incomparabilem ostendens dicebat : *Deus, quis similis erit tibi?* Omnia enim ex te et per te facta sunt : quæ verò facta sunt, factore semper minora demonstrantur, ut majorem, quam domus, habet honorem is qui illam struxit. Quis ergo similis erit tibi ? an sol per lucem ? sed quotidie illum exstinctum video ; hunc enim ordinem sortitus est, ut ad vesperam nox illi succedat. An luna propter decorem ? sed singulis annis moritur, et quodam modo gignitur. An stellæ quia lucent? sed illucescente die lucem negant. An mare ob immensum pelagus? sed parvo ligno secatur, et remo flagellatur : a te namque jussum est humanis usibus inservire. An terra ob firmitatem? at te volente nutu tuo commovetur (*Psal.* 17. 8) ; pulverem namque tibi obtulit hominem creanti, quando animam insufflans lutum coexisti. An cælum simile tibi erit? Quomodo ? te quippe jubente, nubem tibi præbet in altum currentem, ut et aliquando stellam in Bethlehem, divinos tuos natales Magis nuntiantem. Num angelus vel archangelus similis erit tibi? Quo pacto ? sunt enim administratorii Spiritus, tua cum timore præcepta implentes. Verum angelos memoranti subit in mentem ille angelus, qui supra lapidem vivifici sepulcri sedebat. Scio enim illum non indignaturum esse, quod sit minister ejus qui Thomæ suasit, ut se pie tangeret, et diligenter exploraret, honoraretque divinum illud mysterium. Dic mihi igitur, o angele (aliquando enim unum te, aliquando cum socio conjunctum divina describunt Evangelia ; sed una gratia, unum ministerium rem constituit) : dic mihi, cur relictis cælis sepulcro assides, et qui cum supernis Virtutibus versari soles, nunc in terra cum mulieribus loqueris? Cherubinos reliquisti, et monumento assides? tremendum illud cæleste ministerium demisisti, et in terra cum gaudio Mariam certiorem facis? terræ motu milites custodes quasi mortuos reddidisti, et mulieres apostoli more docuisti? Venit Petrus, sed te ut incorporeus occultasti : successit Joannes, sed hic quoque præsentiam tuam ignoravit. Ambo quidem symbola resurrectionis mortui non furto sublati, et Dei qui resurrexerat, linteamina nempe, viderunt; sed solis mulieribus appares, et illis solis præcipis ne timeant, etiamsi commune omnibus sit resurrectionis lucrum. Num solas mulieres nec viros Dominus ex mortuis suscitavit? an ut Evam tantum et non Adamum servaret Verbum incarnatum advenit? Cur ergo pedes ante caput ponis, et ordinem invertis, mulieres ordinans in apostolos ? Negavit Petrus? Sed Petri negatio est utilis : amare enim lacrymatus, docuit quomodo remissio obtineatur. Apostoli omnes ipsum reliquerunt (*Joan.* 19. 27) ; Sed Joanni Theologo et virgini suam secundum carnem matrem commendavit. Non sine causa jussum est tibi illa facere quæ nunc videmus, sed doce Ecclesiam ex gentibus, quæ tutiore desiderio rem mandatam suscipit. Etiam, inquit, Paulum præverto, et ejus vocem præoccupo : *Non est enim personarum acceptio apud Deum* (*Rom.* 2. 11) : non est Judæus, neque Græcus, non est servus vel liber, mas aut femina : omnes enim vos estis in Christo Jesu. Ideo brevem accipe, o fidelis, quæstioni et desiderio tuo responsionem. Mulierem honoro propter eum qui ex muliere est, et sexus infirmitatem veneror propter eum qui ex illa prodiit, ut ipse natus dispensavit. Servus namque sum, et præcepta Domini servo. Condijor elegit mulierem ut voluit : hanc ego alloquor. Non habuit patrem in terra ; sed habet in cælo. Sicut ergo sine patre est in terra, sine matre est in cælo. Accepit ex hominibus matrem : necesse enim erat propter nos ex muliere nasci generis Creatorem. Qui ergo angelos suos spiritus fecit, et ministros suos flammam ignis, in mysterii principio non ad Josephum, sed ad Mariam Gabrielem misit, et sexui patrocinans ut Dominus, et blasphemorum ora frenans, ut qui prævideret. Illum enim qui per mulierem deceptus est, jure per mulierem vult convertere. Peperit Eva mortem ; ipsa vero rursum vitam nobis peperit per Mariam. Loquuta est aliquando cum diabolo per serpentem ; nunc angeli illam alloquuntur. Ligno quippe Christus lignum oppugnavit, et pro gustu gustum vobis dedit ; ut videntes eum, qui vos secundum imaginem fecit, sponte pro vobis sese humiliantem, confiteremini ejus demissionem, et gloriam referretis in eum qui ita voluit, dicentes et propter hoc et propter alia omnia : *Deus, quis similis erit tibi?* Largiris, nec te doni pœnitet ; irasceris, et te pœnitet iræ : solvis tua, ut nostra constituas. Dixisti Adamo, *In sudore vultus tui comedes panem tuum* (*Gen.* 3. 19) ; et rursus sententiam solvisti, cum panis vitæ factus es, et te sine sudore comedimus. Dixisti prius, *Terra es, et in terram reverteris* (*Ibid.*) ; sed nunc eum qui est in terra, et in terram resolvitur, humeris assumptum in throno cælesti constituis, cum per Mariam id quod futurum erat discipulis tuis declarasti : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* 20. 17). Dixisti Evæ, *In dolore paries filios* (*Gen.* 3. 16) ; sed natus ex muliere, temporalem maledictionem opportune obscurasti. Dixisti serpenti, *Ipse observabit caput tuum, et tu observabis ejus calcaneum* (*Gen.* 3. 15) ; sed lavisti pedes nostros in baptismate ; et non ultra ille accedit, manum Dominicam in pedibus servorum fulgentem metuens. O quam nullum relinquit diabolo fugæ locum, qui sursum, deorsum et ubique præsens est per gratiæ œconomiam ! Hic Deus noster in cælo et in terra omnia quæcumque voluit fecit. Sed quid novum est in præsenti solemnitate? quod et mente et lingua difficile dictu est. Repente namque cum discipulos doceret, et ad pugnam aceret, ut puella quædam intemeratis Christi vestigiis se subjiciens nubes, mare quod illum nuper sicco vestigio sustentaverat imitata, sine tremore et perturbatione Dominum suscepit, et eum qui olim descenderat sicut pluvia in vellus, throno magnitudinis manifeste restituit. Descensum enim ignoraverunt angeli, Potestates, Virtutes, Dominationes ; Assumptionem vero in carne celebrantes clamabant : *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ* (*Psal.* 23. 10). Hic est secundum Paulum secundus Adam. Sed ille quidem sine matre nascitur, hic vero sine patre secundum incarnationem apparet. Hic est generis formator, hinc massam nostram assumens, quod corruptum erat in se ut voluit renovavit : hic est qui Evam per Mariam a partus doloribus liberavit. Virginitas enim divinitati ministravit, et uterus proli, Verbo incarnato : Spiritus enim sanctus erat qui innuptæ præter naturam parienti obstetricabatur. Hic est qui passus est ut natus est, qui surrexit ut sepultus est, qui ascendit ad cælum, non ut inde descenderat, et sepulturæ insignia Judæis incredulis reliquit in opprobrium sempiternum : hic est qui a mulieribus planctus fuit ut mortuus, et mulieribus apparuit ut Deus : hic est qui sponte factus est id quod nos sumus, et nos fecit id quod ipse est : hic est Deus ; rursum *Ita veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum* (*Act.* 1. 11). Neque enim hic unquam a throno discessit, etiamsi Cherubinos latens propter me descenderit ut meorum consors factus, quæ supra naturam erant naturæ facile daret. Hic est immortalis mortuus. Deus qui comprehendi nequit, Filius coæternus Patri et ejus throni particeps : de quo clare propheta clamabat : *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* 109. 1). Præparemus ergo nos, quæso, ut Spiritus opera-

tione fruentes, et præsentem vitam sine dolore transeamus, et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, una cum Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

DE JEJUNIO. DOMINICA V JEJUNIORUM.

Venit tempus, fratres, ut per jejunium pœnitentiæ fructus decerpamus. Nam ad fructuum collectionem opportuna est æstas et autumnus; ad sementem autem hiems et vernum tempus; ad jejunium vero et orationem omne tempus commodum est. *Auferetur enim ab illis sponsus, et tunc jejunabunt* (*Matth* 9. 15). Si ergo cæteris diebus hoc opus nos effugit; sed ecce nunc tempus acceptabile, ut operemur hunc agrum. Agrum voco jejunium, quia nos omnes capit ad laborem et ad sementem: non mulierem rejicit, non senem, non juvenem, non puerulos: omnibus januas aperit, omnes excipit, ut omnes servet, velut Ninivitas. Bonum est jejunii semen, quia peccata nostra ut spinas evellit, et justitiam ut florem erigit, et illa germinat: bonus est jejunii labor, quia animæ levius reddit onus peccatorum, et pondus præceptorum Christi levius efficit. *Tollite jugum meum super vos: nam jugum meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* 11. 29. 30). Jugum est fides omnibus imposita; onus præceptorum opera humeris animæ gestata in operando, in cælis manifestata. Per jejunium legislator Moyses quadraginta diebus et noctibus jejunus manens, vidit Deum ad faciem sibi loquentem, nubem adumbrantem, et Deum sibi per eam utilia dicentem; columnam ignis splendentem, et noctu castra Israelis ducentem; portas cæli apertas, angelicum panem in terram descendentem, hominem manna Dei in cibum habentem; petram virga scissam et aquas proferentem; mare novum alimentum gignens, coturnicem populos alentem. Multa alia signa vidit Moyses, eo quod jejunium observaret. Jejunium mortis eversio est. Dixit Servator: *Hoc genus dæmoniorum in nullo egreditur, nisi in oratione et jejunio* (*Matth.* 17. 20). Dæmonibus deterius nihil: dæmon est terminus difficile transferendus: dæmon est omnium malorum et vulnerum gravissimum: in foro risus, in domibus humiliatio, in ecclesiis eversio, carnium consumptio, animæ infirmitas, quotidianus dolor, mentis obex, unum operum impedimentum. Multa est dæmonis molestia. Sed hæc omnia superant jejunium et oratio. Orans et precans David dæmona Saülis regis expulit: *Nam abscessit Spiritus Dei a Saüle, et suffocabatur spiritu dæmonii maligni* (*1. Reg.* 16. 14): et psallente Davide, respiravit rex. Quod autem rex David jejunaret, audi illum scribentem in Psalmis: *Genua mea infirmata sunt a jejunio, et caro mea immutata est propter oleum* (*Psal.* 108. 24) Si jejunasset Adam a ligno, paradisum non perdidisset: nisi manducasset Eva a serpente decepta, non induxisset mortem in mundum: si ad jejunium se dedisset Esaü, non primogenituram perdidisset: ob unam comestionem gloriam amisit, et servus factus est fratris sui. Vis discere vim jejunii? curre ad Ninivitas, qui illo bono opere communi usi sunt. Cum vellet enim Deus ob illorum peccata Niniven destruere, mittit Jonam prophetam et dixit illis: *Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur* (*Jon.* 3. 4). Erat hæc Dei clementia, quod ea quæ facturus erat, quasi tuba caneret, et iis qui peccato obnoxii erant, mortem prædicit, non ut ex urbe fugerent, sed ut pœnitentiam in urbe agerent, utque excitarentur studiosioresque essent hoc audito verbo. Non dixit, Jejunate, et servabo vos: non significavit, Pœnitentiam agite, et misericordiam consequemini; sed occultavit clementiam, et severitatem prædicavit; ne quis diceret: Coegit illos ut jejunarent, pœnitentiam agerent, et Deum colerent. Quod autem fit ex necessitate, non acceptum est: *Non ex tristitia aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus* (*1. Cor.* 9. 7). *Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur.* Brevis comminatio: tempus statutum sine judicii forma mox adventurum. Quid facturus venis? ex quo sinu nos jubes exsilire? an exercitum validum hæc dicenti opponam? quis est qui respondeat Deo? sine mendacio est is qui loquitur. Sed si Deus est qui minatur, dicunt illi in semetipsis, Quem fugiendi modum inveniemus? quomodo bellum agemus? quis pro animabus nostris pugnabit? quis Deum placabit ut iram deponat? quem mittemus ad Deum oratorem, qui pacem nobis conciliet? Nos omnes peccatores sumus; inimici cum simus Dei, non exaudiemur. Quid faciemus, quo fugiemus a facie Domini? Venite, curramus ad jejunium, o viri Ninivitæ, dicit rex, et cinerem sternamus: oves et boves ne pascant, nec bibant: et videamus num Deus miserebitur nostri. Hæc cogitantes Ninivitæ, ac jejunio ut acutissimo telo utentes, parati ac orationem, quasi ad thymiama boni odoris, lacrymas pœnitentiæ fluviorum instar fundentes, et revertentes singuli a via sua mala, Deum placarunt et ad pacem deduxerunt. Tres dies jejunii ascenderunt in cælum, ad Dominum accesserunt, et salutem impetrarunt. Omnibus vitam concessit, hominibus et jumentis: pœnitentia et jejunium resplenduerunt. Vide ne despicias hanc possessionem, sed accede, vigila, fac in illa fructum pietatis. Precemur ergo una omnes, ut et nos liberemur ab instante ira, et assequamur regnum cælorum, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

DE JEJUNIO.

Propitiationis tempus est, ne opportunitatem negligamus: tempus nos revocandi a peccatis, ne gratiam rejiciamus; sed jejunemus a cibis, et primo a peccatis: primum namque bonum est liberatio a malis. Malitia autem est virtuti opposita; invidia nempe, furtum, cædes, bellum, et quæcumque alia mala dicuntur et sunt. Qui vero in malis versatur, supplicium habet ipsum malum: ante gehennam enim cruciatus est ipsa præsens nequitia. Neque enim medici sectio malum est; sed ob præviam malitiam infertur supplicium. Primum malum est in nequitia vivere. Impius alienus est a Deo: etiamsi non inficiatur in gehennam, bonis privatur. Qui non temperans est, concupiscentiis labefactatur; invidus ex hoc morbo tabescit; fur veretur et timet; homicida non fidit vitæ suæ. Primum malum est malum esse. Etsi non secet medicus, infirmus ægrotat: licet non puniat Deus (patiens enim est), qui peccat ægrotat: *Nam qui facit peccatum*, inquit, *servus est peccati* (*Joan.* 8. 34). Itaque ante peccatum servus est peccator, et jam supplicium habet. Bonum est jejunii frenum iis qui diligunt utilitatem jejunii. Ne respicias laborem solum, sed etiam fructum. Nisi enim utilitatem prospiceret, non sereret is qui serit, ne videretur semina dissipare: spem intuens, ea quæ habet serit, ut ea quæ non habet metat. Dolens caro jejunat, sed anima spe bonorum lætatur.

Quid melius in nobis est, anima an corpus? quæ anima etiamsi ut non doleat sortita sit, alitur tamen egregie virtutum pulchritudine. Nos oportet versari in jejunio, quod corporis non corruptio est, sed medela et curatio. Qui jejunant a verbis corpus spectantibus abstinent, qui ascesin colunt, carnis superflua tabefaciunt, et quod in anima deficit fovent. Anima corporis semper curam habet, ipsum sibi nutrit, et sui sollicita est. Anima corporis modum dirigit, et sibi ipsi verbum parat. Nam si corpus curat, multo magis par est ut de se sollicita sit. Hinc a Deo statutus ordo est, ut anima corpori imperet : qui corpus ponunt ante animam, invertunt rectum ordinem. Non ipsa corpori servit; sed ab initio recta fuit, et semper corpus animæ subditum fuit. Si hoc non tibi persuadet, saltem solemnitates, quas anima contra corpus celebrat, hac de re te certiorem faciant, ipsam nempe sentire contra corpus. Corpus servatur cum animæ imperat, illa vero perit. Ne putemus parvum esse lucrum jejunium. Si a ligno uno abstinuisset Adam, et jejunasset, mors mortua esset, imo non mortua fuisset quæ non exstitisset. Viden' quod si hoc usus pharmaco fuisset Adam, genus nostrum mortale factum non fuisset? Quanta opus fuit gratia ut solveretur quod induxit Adam per intemperantiam? Cum videas quantum malum fecerit contrarium, nempe quod Adam ab uno ligno non abstineret, agnosce quantum bonum sit jejunium et abstinentia a licitis. Adam enim, tangens id quod non licebat, totum genus perdidit; jejunium vero a licitis etiam abstinens, delictum expiat. Si Esaü quoque jejunasset, primogenita non vendidisset; sed ab escæ cupidine superatus, naturæ prærogativam pro lentibus vendidit. Hæc remitto iis qui Scripturas didicerunt. Quid detulit Judæis ex monte Moyses? legem et jejunium quadraginta dierum. Sed priusquam lex deferretur, populus impie egisse deprehensus est. Primum præceptum est, *Dominus Deus unus est* : et qui hoc præceptum excepturi sunt, dicunt, *Hi sunt dii tui*. Magna infirmitas : imago vituli Deo viventi anteposita est. Quodnam ergo est tanti mali remedium? Rursum jejunat Moyses, qui non peccaverat, et conceditur peccantibus veteris legis radix. A jejunio incepit Novi Testamenti prædicatio, a jejunio exordium habuit Baptizatus enim pro nobis Servator, et in desertum profectus, primo jejunavit, et hinc signa edere cœpit : non quod ille jejunio egeret, sed ut nos doceret, ad vim jejunii recurrendum esse. Si itaque vetus Lex a jejunio incipit, et nova idem fundamentum ponit, ne putemus malum esse jejunium. Ægre ferunt quidam duram legem, nec vident quantum ex hac lege lucrum. Non vides leones etiam in lacu jejunare didicisse, nec Danielem tetigisse? Si leones jussui parent, et feritatis naturam deponunt, et ac si noti essent non invadunt ut alieni, ad jejunium nos jussi festinemus. Rursus scriptum est : cum Jeroboam rex Judæ impie egit, vitulum adorans ex paterna hereditate, adstitit propheta, et nihil vel regi vel populo dixit, gnarus inobsequentes esse et principem et subditos; sed missis hominibus nihil audientibus, dixit altari, sive aræ, ut ostenderet lapides magis audire, quam homines, dicit inquam : Veniet Josias, et ossa sacrificantium comburet super hanc aram (3. *Reg.* 13. 2. *sqq.*). Non tulit infamiam, et indignatus est is qui redarguebatur : cum potestate manum extendit, ut everteret beneficum prophetam : extendit quidem, sed non potuit reducere : peccatum enim manum ejus arefecit. Jubet is qui manum extenderat apprehendi prophetam; et dum clamat, manum sanat propheta : dicitque illi rex : Ascende in domum mecum, comede panem et bibe aquam, et sic abibis. Respondet propheta : Præceptum mihi est a Deo, ut ne in his locis, ubi impietas obtinet, aquam vel panem degustem. Recedit propheta. Observa finem. Alius propheta ut audivit, alium advenisse prophetam et talia dixisse, illum sequitur et attingit, rogatque ut ingrediatur et secum comedat; et ille morem gerit. Suasit autem illi dicens : Mihi quoque Dominus dixit ut hoc facerem. Ingressus est et comedit. Dum autem comederent, incidit Spiritus sanctus in prophetam illum qui invitaverat, et deinceps ille prophetat, non ex corde et animo suo, sed ex spiritu; et dixit ei qui ingressus comederat : Quia non audisti Dominum Deum tuum, et comedisti ubi jussus eras non comedere, hinc abibis, et devorabit te leo. Viden' quantum malum afferat neglectus præcepti jejunandi? Recedit propheta, nec profuit illi dignitas prophetiæ ob inobedientiam. Egressus est leo, non ut comederet, sed ut ostenderet se jussui obedire, et invadit eum qui non obedierat, et corpus aggreditur, ita ut occideret tantum; occiditque, ut inobsequentem puniret. Postquam occiderat leo, jejunio usus est, nec cibi delicias attigit ut ille qui non obedierat : jacebat mortuus propheta, stabat asina ejus vivens; non quod facilius esset occidere asinam, quam hominem; sed irrationabilis leo jussus discretione usus est, et non peccantem asinam non occidit neque tetigit; eum vero qui non obedierat, non ultra prophetam, utpote qui non obedisset, occidit. Et videre erat circa illum tria miracula : jacebat propheta inobedientiam indicans : assidebat leo, obedientiam significans : adstabat asina, leonis naturam non metuens neque recedens, nihil lædente leone; ut appareret non ex ventris appetitu leonem irruisse, sed quod jejunium non servasset is, qui jussus erat nihil gustare. Rursus assumptus est Elias quasi in cælum. Quod autem fuit signum assumptionis, nisi quadraginta dierum jejunium? Si Moyses jejunat, et Elias similiter, et Dominus jejunium obsignat, bona est imitatio. Quamvis non perdamus spatia interposita jejunio vacua : non enim quadraginta diebus jejunamus, sed spatia in medio relinquimus; numerum quidem jungimus, jejunium vero non stricte observamus. Magna sunt illa prisca, exigua nostra sunt : si vero ne illa parva quidem assequamur, plane alieni sumus jejunantibus. Nemo nostrum jejunat quadraginta diebus; nam per quadraginta interstitia quiescimus, sicut inter agentes, vespere diversantur, et rursus incipiunt. Si vero illi quadraginta diebus jejunarunt, nos autem nec cum interstitiis eamdem viam tenemus, ne nominare quidem audeamus eos quos nullo modo imitamur. Jejunium est angelorum imitatio, quatenus imitari possumus, despectus præsentium, orationis schola, deliciæ animæ, frenum corporis, concupiscentiæ mitigatio. Norunt jejunantes, jejunium mitigare voluptates, nec ignorant experti : emollit animum, comprimit iram, sedat naturales procellas, excitat mentem, lætam reddit animam, carnem reddit leviorem, pellit nocturnam turpem intemperantiam, ab ebrietate liberat, et a dolore capitis; lætum reddit et colorem et aspectum. Moderati sunt in jejunio motus, facilis lingua, non vitiata a vino, recta cogitatio : non enim effunduntur cupiditates. Choreas agit in temperantia, serenitatem obtinet : nam externus homo vacat, et eorum quæ in ebrietate patimur non recordamur, eorum vero a quibus in jejunis liberamur memoriam retinemus. Jejunium enim et se ipsum novit, et opposita sibi : ebrietas vero et se et bona jejunii ignorat. Cur, quæso, interfecti sunt filii Aaronis sacerdotes, nisi quod ministrantes vinum biberent? Quæ erat lex Nazaræorum? nonne ut a vino abstinerent et ab omnibus vinum sequentibus? Daniel et socii legumina comedebant, mensam tyrannicam Nabuchodonosoris despicientes. Tribus hebdomadis jejunavit Daniel vir desideriorum : cum a desideriis abstineret, hanc ultimam appellationem accepit. Jejunavit non uno die Judaico parvo, sed per tres hebdomades dierum, ecclesiasticum ritum præfigurans. *Panem*, inquit, *desideriorum non comedi* (*Dan.* 10. 3) : illi vero esuriunt in desideriis ad tempus : *vinum et carnes non intrarunt in os meum*, a quibus jejunat Ecclesia. Vide in veteri lege vitam Christianam. In infirmis namque figuræ erant, in prophetis autem veritatis vestigia. Jejunium sententiam Dei revocavit. Dixit enim Deus, *Subvertetur Ninive* (*Jon.* 3. 4), et non subversa est : jejunium

enim obtulerunt; et effugit Jonas jejunii opem metuens. Nam illum cete devoravit: devoravit autem jejunans. Cum devorasset enim, præda illa usum non est ad escam, sed condidit et servavit depositum Domino; eumque qui per se nolebat exire, duxit quo jussum erat. Audivit Ninive urbs magna prophetam unum nudum, qui exierat ex ceto, nec colorem hominis servarat ob metum: unus propheta isthuc ingressus est, et signum, quod fecit, tempus ostendit. Sed dixit, *Urbs subvertetur*: jam prius illos a fide avertere debebat. Illi vero unum prophetam audierunt, et prædicarunt pharmacum quod subversionem impediret, jejunium. Jonas contendebat, non ut subverteretur Ninive, sed ut probaretur comparando cum Israele, gentes prompte vel unum prophetam audire, Israelem vero tot prophetis non obsequi. Oblatum est jejunium, quod Dei sententiam solveret. Erat vero jejunium non simplex; sed abstinentia a cibis, et abstinentia a peccatis: qui enim propter peccatum jejunat, et in peccatis volutatur, quid facit? ut si quis a luto ablutus, se rursus in lutum volutet. Ab ipso peccato oportet primum abstinere. Quid juvat enim aliis diebus peccatum declarasse, ut rursus ipsum excogitemus, post exempla priora? annon infirmatur anima ob plagas priores? nonne a precantibus rationes repetuntur, quia peccavimus? Si de præteritis pœnitentiam agimus, secunda cur aggreganus? Scriptum est rursus, ipsos abstinuisse a cibis, abstinuerunt etiam a peccatis. Audivit Deus: potest jejunium exorare Dominum. Jonas ægre tulit quod propheta auditurus esset: Deus vero mutata sententia, non segnis fuit ad salutem dandam. Neque enim poterat mentiri Deus, sed verax est qui dixit: *Si repente dixero contra gentem et regnum, me eversurum et eradicaturum, et pœnitentiam agant de malitia, pœnitentiam agam et ego de iis quæ pronuntiavi* (*Jer.* 18. 7. 8). Non mentitus est Deus cum sententiam revocavit: neque enim miserat prophetam ut destrueretur Ninive; quæ necessitas fuisset id prædicere? sed quia subvertere nolebat, se subversurum minatus est, ut pœnitentiam agentes non subverterentur. Non ita Adam de ligno comedit, ut tunc Deus illum puniret, sed prædixit, Si comedas, morieris; ut non comederet. Non audivit dicentem, comedit, devoratus est. *** Non est accusandum, ubi propositum fuit? Sed non sciebat, inquies, illum comesturum esse? Forte hæreticus est qui hæc dicit et contra Scripturas agit: cui respondebitur: Si novit Servator proditurum esse Judam, cur illum elegit? Fortasse contra hæreticum nos tuebimur opponentes Judam Adamo. An hæc ergo solutio est, aut duplex est nodus? Oportet igitur nos ad defensionem ostendere, cur Judam talem hominem elegerit, et cur sciens Adamum esse peccaturum, in paradiso illum constituerit. Oportet autem magnas quæstiones movere in jejuniis, cum anima vigilat. Sciebat Servator (hinc enim incipiendum) Judam esse proditurum. Quid ergo, dicitis? Benignitatis magnitudinem declarans, quantum in me est, inquit, et discipulus es, apostolis te annumero: si vero te indignum ostendas, mea ingens benignitas elucet, tuaque ingens nequitia. Nam marsupium illi concredidit moderatum, non ignorans quod furaturus esset, sed ex voluntate, cum daret illi ejus potestatem hujus sedandi morbi. Prævidit ergo et prædixit: non modo prævidit, sed etiam sæpius prædixit, *Unus vestrum me tradet*. Cur ergo accusabitur? Ut scelestus per nequitiam suam bonam impleret œconomiam; nec coegit enim is qui elegerat. Si enim coegisset, certe non coegisset ut proditor, sed ut apostolus esset. sed neque apostolum cogit. Quod enim fit ex necessitate, id dicitur non fieri, qui enim temperans est ex necessitate, non est temperans, quia ex necessitate talis est. Non enim ex vinculis virtutes statuuntur, sed ex voluntatis proposito. Cur ergo Adamum reliquit in paradiso? Bonus erat Creator: liberum illum fecerat, et libero hoc præceptum imposuit. Sed sciebat ipsum esse comesturum. At per necessitatem non impedivit, neque voluntatem coegit: Adam pecavit. Propter lignum autem honorandus erat locus, in quo aliquid honorabile erat. Non enim malus creatus est, sed male non obsequutus est præcipienti. Si autem comestio etiam præceptum perdidit, jejunium cum præcepto revocatur, et salutem indit. Teipsum explora, o homo. Quæ enim utilitas lectionum? considera teipsum quis esses ante jejunium, et quis sis jejunans. Nam opera alia postremo fructum afferunt, alia in ipso opere pariunt fructum. Qui descendit in mare piscaturus, non cum descendit prædam obtinet: qui jejunat vero, statim fructum habet. Nonne tranquillitatem habes? nonne liber es a vini tempestatibus? nonne liber es a tempestate et hieme? annon audire desideras carnem esse frenatam, ac neque exsilire neque rubescere? annon tu scis nunc de temperantia sermones movere? nonne gaudes cum audiis quempiam jejunasse? Qui jejunatis ne putetis jejunium esse malum: qui enim malum putat jejunium, si jejunet, in malo est. Non sunt inter malos reputandi angeli, qui non egent, ut nos, ciborum deliciis. Non pro dignitate comedimus, sed pro necessitate implemur. Quæcumque mala apud nos fiunt, jejuniis delentur. Jejunium dico non modo abstinentiam a cibis, sed etiam illam quam sciebat Isaias: Jejuna ut audiaris. Et si dixeris Deo secundum Judaicum verbum: *Jejunavimus, et non vidisti: humiliavimus animas nostras, et nescivisti* (*Isai.* 58. 5): confortare, ne audias. *In jejuniis enim vestris inveniis voluntates vestras.* Si voluntatem Domini impleveris, jejunium fecisti. Non enim negotiatio est jejunium, ut lucremur non comedentes, sed ut quod comesturus eras pro te comedat pauper; et fit tibi duplex bonum, et quod tu jejunes, et quod alius non esuriat. Laboramus jejunantes; nondum crucifixi sumus jejunantes. Cur jejunium? Pro cruce: majora accepimus, minora reddimus. Crucifixus est propter te, et sitit, bibitque acetum cum felle. Ingratus cibus, magnum est jejunium. Nondum fel bibisti, et stas laborans? nondum in cruce suspensus es. Ne ingratus sis erga Jesum: ne fleas quod jejunes, sed fle potius quod non semper jejunes. A quibus privaris dum jejunas? a vino? Non a vino, sed a phlegmate, dolore capitis, laboriosa respiratione. Cogita igitur in quibus verseris, in quiete, mansuetudine, tranquillitate. Bonus in jejuniis color, conspectu mitis est et serenus: vini enim color ignis est inflammatio. Qui non una patitur cum Jesu, Jesum non novit: qui jejunium depellit, non novit crucem. Non tamquam ad malum quodpiam ad jejunium accedamus, ne tibi malum fiat quod malum suspicaris; neque ut turpis servus Deo ministrans inveniaris. Nemo gravatur in festis, nisi qui ignorat vim festorum. Cum festa sunt, tunc magis lætare. Tu vero contrarium potius facis: cum esses angelus, tunc ægre fers. Annon nosti quid interpositum sit? Cum natura nuptias expetit, non contrahis supra naturam. Reverere nuptias: si jejunia honores, diebus jejuniorum angelus esto. Non improbo nuptias, sed prælero jejunium. Quæ comedimus ante jejunium, non maneat nobiscum. Cur ergo versamur in iis quæ præsentia non sunt? tota ciborum voluptas est, donec deglutiamus; cum autem gustum transierint, sunt ac si non essent. Jejunium vero non tabescit, non continetur in ventre, nec per ventrem in stercus mutatur: immortalitatem enim conciliat, cum angelis vitam agit: quæ angelorum est, quantum fieri potest, imitatio. In fastidio es quia jejunas? quia alienis felicitatibus non oneraris? quia recta mens est, pura caro? quia floret animus? quia cum gaudio Scripturas audis? quia arcana taces, et non homo, sed prope angelus es? Festum est Domini qui vocavit nos ad nuptias spirituales, qui ingressus est ut videret discumbentes: ne quis cum alienis vestibus ingrediatur. Vestimenta oportet pura, immaculata et sancta ad nuptias afferre; sancta nempe ad sanctas et impollutas nuptias; foris læta, intus splendida. Quietæ sint etiam nuptiæ, et præceptum apostoli singuli pro admonitione habeant, ut concordi animo singuli jejuniis incumbant. Jejuniis

vero jungatur oratio : jejunium suadetur, oratio autem suum tempus habet : jejuna quia non peccasti, et quia peccasti jejuna ; rursumque ne pecces jejuna, et ut quæ accepisti maneant. Tot enim sunt jejunii species. Peccavit quis et jejunavit, ut supplicium effugeret? jejunemus ergo et nos, dilecti, ne insurgant contra nos cupiditates. Vides jejunium quod sequitur peccatum ; id est, quod post peccatum ut supplicium removeat suscipitur. Sed jejunium peccata præcedat, non ut tollat admissum peccatum, sed impediat futurum. Aliud jejunium est, ** ejus qui cupit legem accipere. Nam etiam qui quærit legem jejunat, ut Moyses jejunavit, et legem accepit. Rursus alius jejunat, ut ne perdat ea, quibus dignus habitus est. Ecclesia vero jejunat propter gratiam et œconomiam. Re Jesum agnoscit, cum crucifixo simul crucifixa, et una cum Domino patiens, ut conglorificetur, non ut Dominum lugeamus ; vivit enim viventis Filius ; sed ut œconomiæ gratiam confiteamur. Etiamsi lugeamus quia crucifixerunt eum Judæi, non propter illum lugemus, sed propter ausum Judæorum. Surrexit enim a mortuis, stat in gloria, in qua prius erat apud Patrem, coexistens cum Patre ex quo erat. Non est luctu digna Jesu victoria. Sed jejunemus nostrum curam habentes, ut ejus passionum participes simus : id pro dignitate habeamus, fratres. * Quis dignatus est esse particeps passionum Christi? Magnum mysterium. Festinemus ad bona, et ne declinemus ad mala. Jesus crucifixus est, Immortalis Filius : pependit in cruce corpus, non propter seipsum, sed propter te. Comedisti tu de ligno, ipse jejunat in ligno : accepisti de iis quæ non debebat tibi, addidit ille corpus pro iis quæ accepisti. A concupiscentia gravi victus es : bibit ille acetum pro voluptate. Ne alienus fias regni. Nosti illum crucifixum esse, nosti illum pro te mortuum esse, confitere quod vivat. Pro vivente confitere, testificare testificanti ; morere pro illo qui mortuus est. Si vero ita mortem requirit, ne resilias : exigua est mors jejunii. Non habes magna gesta opera? da ipsi minora : cum lætitia ad ipsum accurre in festis, cum gaudio accipe jejunium. Voluptas est spirituale jejunium. Sed fortasse frustra clamo. Tempus enim pene colores mutavit eorum qui festinant ad mensam. Hoc autem non est amantium jejunium in quo versantur. Non enim consequens erat ut gravaremur, quod avellamur a mensa Domini. Præter exspectationem hoc advenit spectaculum : ut advenit lucernæ splendor, deprehensa est latens conscientia, quod vi detineamur : neque fortasse stetissemus. Usquequo veritati illudimus? usquequo ea quæ Domini sunt in negotiationem vertimus? annon audisti psalmum dicentem, et simul ipsum respondentem: *Si veritatem loquimini, recta judicate* (*Psal.* 57. 2)? Si vera dicis de jejunio, gaude de jejunio ; si vero moleste fers, teipsum lædis ; si laboras, non lætaris ; si persequeris ut bonis privatus, bona non assequeris. Jesus pro te crucifixus est, nec moleste ferebat, imo potius festinabat ad passionem : tu vero ne modicum quidem fers jejunium pro salute tua? O homo, non tanto præditus sum robore, ut clamem quantum deberem. Jesus crucifixus est : vide, et pectus percute, lacrymas funde. Crucifixus est propter te : cum ipso et tu crucifigere, cum ipso glorificare, non ut moriaris, sed ut a morte libereris. Hæc est dies Parasceves : dies est in qua crux propter te fixa est : et tu cum ipso crucifigere, cum ipso morere. Pro Deo enim hic sermo est, Deo qui propter te factus est homo. Non reveremur dignitatem? non erubescimus passionem? Utrumque cogita o homo, quis esset et quid passus sit. Judicatus est Judex, et Vita morti traditur ; qui nutrit, esurit ; qui potum dat, sitit ; qui in gloria, est in ignominia ; Rex ad præsidem ducitur, et Deus ab hominibus damnatur : qui vere dixit : *Pater non judicat quemquam, omne autem judicium dedit Filio* (*Joan.* 5. 22). Qui omnia judicat a quonam judicatur. Hæc tibi sufficiunt, o homo, ad commonitionem jejunii. Oportet enim nosse primum in quibusnam simus, et tunc nostra discernere. Cum jejunium et cibos jejunii diligemus, et probe erga ipsum affecti erimus, quasi in festo choreas agentes, mensam Domini honorantes, mysteria jejunii apponemus servis Domini, gloriam ejus ante sæcula, œconomiam ejus in postremis temporibus. Quis fuerit, quid factus fuerit, unde venerit, in quem populum advenerit, et qua de causa ; ut lætantes et lætitiam afferentes, hoc jejunium semper servemus, Domino jejunii servientes, semper ipsi gratias agentes, et semper ipsum glorificantes, semper diligentes eum qui dilexit nos, et adorantes eum qui peccata suscepit, et morientes pro eo qui mortuus est, ac sperantes nos glorificandos esse cum eo qui inhonoratus est. Sanctissimo autem Patri, qui nos dignatus est hoc jejunio, et qui Filio suo non pepercit propter salutem nostram, per eum qui venit ei qui misit gloriam referamus, unaque vivifico Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

DE ORATIONE.

Venite omnes, fratres, agnoscamus eum qui fecit nos, Dominum nostrum Jesum Christum, bonum illum, clementem, misericordem, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat. Vigilate omnes et estote parati, quia nescitis qua hora Dominus noster venturus sit : venite, audite eum dicentem : *Pœnitentiam agite ; appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* 3. 2). Demum, fratres, quia judicium est in januis, multis lacrymis, multo gemitu, multis precibus est opus ; precibus, inquam, non hodie tantum vel crastina die emissis. Precatio namque est omnis boni thesaurus indeficiens, portus procellarum expers, tranquillitatis causa, animæ medela ; precatio est psalmodia, sanctificatio animæ et corporis ; et in summa, precatio portas cæli aperit, ad Deum adducit omnem hominem, parvum et magnum, divitem et pauperem, eumque qui quotidie toto animo precatur angelis majorem efficit. Sed quodnam est illud frigidum multorum dictum? Peccator sum, sine fiducia, pudore plenus, nec possum respicere altitudinem cœli ; quia multum peccavi verbis, operibus et animo, omnemque diem et horam in lascivia transegi in vita mea : quo vultu, qua fiducia intrabo in ecclesiam? quomodo malum impurumque os aperiam? quomodo labia movebo, aut orabo? pro quibus malis meis operibus primo Deum precabor? Siccine satanica verba profers? Disce quosnam vocet Christus veniens super terram, justos an peccatores : sic enim dicit : *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* (*Matth.* 9. 13). Peccator sum, inquit, et quomodo intrabo in ecclesiam, et justus fiam? Optime dicis : audio, et non observo ; ecqua mihi hinc utilitas? Et ego iterum dico tibi : Etsi observes, etsi non observes, tantum intra in ecclesiam, audi divinas Scripturas, audi lectionem. Vere scio, quod si intres in ecclesiam, et audias divina Evangelia, doctores apostolos et sanctos patres, etiamsi cor lapideum habeas, ferinumque animum sero tandem facileque compungeris. Peccator es? intra in ecclesiam, procumbe, plora, luge, ingemisce, lacrymare. Peccasti? confitere Deo peccata tua : dic tantum illud, Peccavi ; dic Deo, qui omnia novit antequam fiant ; dic Deo, qui scrutatur corda et renes ; hic dicito, ne illic coram millibus angelis et hominibus cum pudore redarguaris. Dic mihi, quid melius est, hic in ecclesia soli Deo confiteri et patri spiri-

tuali, aut illic ante tot millia publice redargui? Peccator es? id solum dicito, nihil aliud a te exigo : ingemisce tantum. Quæ necessitas tibi imponitur? quæ tribulatio? quis sumptus? quæ difficultas est tantum dicere, Peccavi? Sed dicis, Me pudet. Miser et miserabilis, cum peccatum faceres non te puduit, et cum pœnitentia agenda est ad salutem, te pudet? cum meretricem improbam complexus es, et malum opus fecisti, non te puduit, et nunc te pudet? cum peccabas, cum fornicabaris et adulterabas, non te puduit, et cum pœnitere et salutem consequi vis, tunc te pudet? cum rapiebas aliena, cum viduas opprimebas, et pauperes despiciebas, non te pudebat, et nunc te pudet? cum jurabas per nomen Dei tremendum, cum falsum testimonium dicebas, cum pejerabas, cum omne malum, et omnia prava opera quæ Deus odit, perpetrabas, non te pudebat, et nunc te pudet? O qualem, vir bone, Dominum habentes, negligimus, et non convertimur? Christus monet, Ne fureris, ne forniceris, ne adulteres, ne occidas, ne falsum testimonium dicas; honora patrem tuum et matrem tuam, dilige proximum tuum sicut teipsum; sis mitis, bonus, misericors, patiens, sis sine rixa; pacificus, ut dignus sis regno cœlorum; et nemo est qui intelligat, nemo qui obediat, nemo qui attendat. Contraria suadet diabolus dicens, Esto mœchus, occide, pejera, furare, esto inhumanus, blasphemus, immisericors, durus, corruptor; sis avarus, hominum osor, imo Dei osor; esto versipellis, injustus, divitiarum cupidus; esto rapax, maledicus, fabulator, conviciator, perjurus : et scimus quot sint qui hæc omnia faciant ipsi obediendo : quia sicut servi vincti manibus et pedibus, ita currimus et natura subjecti sumus. Ecce nos totam juventutem nostram cum dæmonibus insumpsimus : ecce senuimus, et peccatis sumus assueti. Bonum facere non possumus, ut regnum cœlorum consequamur : diabolus vero offert ignem et supplicium æternum, et nos ad illum currimus. Quid tibi faciemus, o homo? quid vis? quid desideras? an esse cum Christo, an esse cum dæmonibus? Vis esse cum Christo? tandem deliciis et voluptatibus finem impone, nec non fornicationi, furto, ebrietati : finem fac rapiendi aliena, finem fac irridendi, mentiendi, te exaltandi. Nemo te decipiat : nemo quippe ex iis, qui tales sunt, intrabit in regnum cœlorum. Si vero desideras esse cum dæmonibus, si cupis in gehennam ignis intrare, fac ut vis, quam cupis vitam ducas, nemo prohibebit : dilige tibi mundum, turpes ejus concupiscentias, fornicationem, adulterium, ebrietatem, intemperantiam, omnem diabolicam voluptatem, nemo impedit. Tibi enim evangelia non persuadent, lex non te reddit temperantiorem, prophetæ non erudiunt, apostoli tibi non pudorem indicunt, patrum monita non te juvant, fratrum consortium non avertit : impudens omnino factus es, facies meretricis facta est tibi. Demum accipe bona tua in vita tua : illic vero neque salutem, neque hereditatem in futura Christi die exspectes. Nam hora tibi deficit, quando nudus et desertus adstabis tribunali Christi, angelis et hominibus spectaculum factus. Illic apparebis qualis es : illic redarguetur omnis iniquitas tua : Deus non irridetur : et tunc audies tristem illam vocem : *Ligate ejus manus et pedes, et ejicite in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* 22. 13). Quis demum talem hominem non lugebit? quis non deplorabit eum, qui ob temporaneam voluptatem æternum torquebitur? Nolite errare, Deus non irridetur : scriptum est : *Neque meretrices, neque conviciatores, neque avari, neque ebriosi, neque iniqui, neque molles, neque masculorum concubitores, neque idololatræ, neque blasphemi, neque pecuniæ amantes,* neque quis similis *habet hereditatem in regno cœlorum* (1. *Cor.* 6. 9. 10). Hæc omnia cogitantes, fratres, a talibus malis actibus abstineamus, et ex toto animo pœnitentiam agere ne differamus, ut effugiamus a futura ira, et cœlestia æternaque bona obtineamus : quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria una cum Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

IGNEM VENI MITTERE IN TERRAM (*Luc.* 12. 49); ET, NON VENI PACEM MITTERE, SED GLADIUM (*Matth.* 10. 34).

Matres prolis amantes, donec infantes ad majorem ætatem perveniant, lactis fontes quos sugant illis aperiunt, ac perenni hoc alimento illos demulcent; cum autem ad majorem ætatem et sensum pervenerint, ita ut dentibus delicatiores cibos mandere possint, primo panem duriorem contritum, et instar medullæ tenerum in os eorum inducunt. Tales sunt Ecclesiæ doctores. Illis enim qui sensu quasi infantes sunt, difficiles sententias non apponunt, sed matrum instar, mammam intelligentiæ demittentes, simplicia verba, quæ sugant, proferunt; deinde cum majore intelligentia præditi sunt, majora ipsis sententiarum mysteria revelant. Hoc et Paulus faciebat : iis enim qui adhuc infantes erant, dicebat : *Lac vobis potum dedi, non escam* (1. *Cor.* 3. 2). Eodem quoque modo etiam hodie Dominus noster se gerit : nam secundum captum audientium evangelicos sensus temperans, præteritis diebus, ceu infantibus, teneram et captu facilem escam verbi nobis protulit; nunc vero sensu auctos videns, fortiore frui doctrina concedit. Quid enim dicit? *Ignem veni mittere in terram;* et, *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Sed qui mente infantes sunt, putant venisse Dominum, ut omnia igne consumat, et gladio omnes trucidet. Sed age et nos, qui eadem quæ infantes putavimus, ipsis Domini verbis cum Domino colloquamur, ut Domini dicta infantibus tradamus. *Ignem veni mittere in terram.* Ignem venisti mittere in terram, Domine, et non venisti pacem mittere, sed gladium? Peccatum nos oppugnavit, mors nobis dominata est, gehennam nobis comminatus es; scelestorum dæmonum exercitus nobis bellum inferebat, et te auxiliatorem a prophetis moniti exspectabamus; et postquam venisti, dicis, *Ignem veni mittere in terram*, et, *Non veni pacem mittere, sed gladium?* Tropæum nobis fidei non aderat, diaboli aciem depellere non valebamus; fidei namque telum non aderat nobis : thorace justitiæ nostræ diabolus Adamum in paradiso nudaverat; ideo singuli nostrum auxilio nudati ad te clamabant : *Judica, Domine, nocentes me, impugnantes me : apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi : effunde framcam, et conclude adversus eos qui persequuntur me : dic animæ meæ, Salus tua ego sum* (*Psal.* 34. 1-3); et in auxilium nostrum veniens dicis, *Non veni pacem mittere, sed gladium?* Et ubi est sanctorum supplicatio, pro pace ad te emissa : nempe, Domine Deus noster pacem da nobis? Omnia enim dedisti nobis. Pacem petiimus, tranquillitate opus habebamus, bellum nolebamus, horrebamus; et tu veniens dicis, *Non veni pacem mittere, sed gladium?* Gravem ille scelestorum dæmonum exercitum contra nos armavit; nos omnes peccati gladio ancipiti trucidans, in infernum dejiciebat. Ideo misericordiam a te postulamus, omnis sanctorum chorus te invocabat dicens : *Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph, qui sedes super Cherubim manifestare : excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos* (*Psal.* 79. 2. 3). Dicis, *Non veni pacem mittere, sed gladium?* et ubi tua promissio qua dicebas : *Ecce declinabo in illos quasi fluvium pacis, et quasi torrens,*

tiam? prophetiam? eventum? jussum, hominem exsuperans? ineffabilem benignitatem? verborum mansuetudinem? honorem erga Patrem? Omnia Dei esse reperio. Prædixit ut Deus : *Infirmitas hæc non est ad mortem ;* et brevi postea rem exsequutus est. Gloriam Deo retulit, ostendens unam esse Patris et Filii glorificationem : verbis consolatus est sorores, bonam spem ipsis dans, dicensque, *Infirmitas hæc non est ad mortem*, non morietur Lazarus. Nam si morti non tradatur, vivus manet. Sed traditur, et non traditur. Cum enim quis quod accepit reddit, vere non accepit. Hæc cum dixisset *Jesus*, inquit, *mansit in eodem loco duobus diebus*. Cur mansit? Tempus protraxit, ut mors Lazarum raperet, ut fluctus transiens scapham demergeret. Nam si præsens fuisset, febris aufugisset, et morbi naturæ res adscripta fuisset; etiamsi vero Jesu adscripta fuisset, minus tamen fuisset miraculum. Abripuit ergo illum mors hominibus communis, hunc incarceratum tenuit. Post hæc Jesus, qui et præsens non fuerat, qui non tetigerat nec viderat, rem nescientibus dicit : *Lazarus amicus noster dormit; sed vado ut a somno excitem eum* (*Joan.* 11. 11. *seqq.*). Multa hominibus consolatio : mors in somnum mutata est, obitus in salutem verbo translatus est. Nemo igitur de mortuis desperet : omnes enim Deo vivunt, cum vult dormientes, et cum vult surgentes. Dicunt illi discipuli, ænigma ignorantes : *Domine, si dormit, salvus erit :* ægris enim somnus secundum naturam medela est. *Tunc dixit illis manifeste, Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos.* Quis de mortuo gaudet? quis lætatur de amico defuncto? mœstos esse et dolere oporteret de amissis nostris. Sed *Gaudeo propter vos, quoniam non eram ibi.* Si enim adfuissem, verbo exstincta fuisset febris, et minus miraculum, aut consueta res visa fuisset : nunc vero mansi, ut lupus agnum omnino raperet : illum enim mors prævalens absorbuit, et rursus abstersit Deus omnem lacrymam a vultu omnium qui sunt in terra. Venerunt, festinarunt in Bethaniam, non ut rogum currentes exstinguerent, sed ut rogi cineres viderent : fortasse vero cum naufragii reliquias invenire poterant : jam enim fœtebat, quatriduanus cum esset. At in naufragiis reperiri potest carina, possunt quoque eo ligi tabulata antennæ et gubernacula, et ad alterius navis usum servari, ex multa quoque diligentia pars sarcinarum eripi : in Lazaro autem molesta omnia erant, jacens corpus, fœtor : vigebat fluctus, et cadaver sub lapide detinebatur. Multi quoque Judæorum, inquit, de civitate venerant, ut defuncti sorores consolarentur (*Ibid. v.* 19). Testes, inquit, habeo futuræ gratiæ, ne res gesta furtum putetur esse, sed conspicua veritas. Venit Jesus gubernator post naufragium, medicus post mortem. Et cur huc venisti, o Domine? an ut accusareris, ut qui amicum neglexisses, et pereuntem contempsisses, ut qui morituro non valedixisses? Audivit Martha, et luctus habitum parum curans, currendo iter egit; cœpitque luctuose Servatorem accusare : *Domine, si fuis ex hac, frater meus non fuisset mortuus* (*Ibid. v.* 21). Pastore namque præsente, quomodo pereat ovis? duce fugante, quomodo aperiantur portæ? sole ducente, quomodo aurum abripiatur? *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Hic sermo fide carentis et infirmæ est : figulo namque præsente, poterat vas ex lapsu fractum reformari. *Dixit illi Jesus, Resurget frater tuus. Respondit illa : Scio quia resurget in novissimo die. Dixit illi Jesus, Ego sum resurrectio.* Cur ergo quæris id quod habes? Paululum exspecta, et gratiam videbis. Audivit, credidit Martha, sororemque excitavit, et cursu feruntur omnes qui ad consolandum venerant. Rursus Jesus, ut in turbis et in nuptiis, sic in luctu, et ubique credentibus difficultates solvit. Ut vidit autem luctum et lacrymas, dixit Jesus : *Ubi posuistis eum* (*Ibid. v.* 34)? Cur interrogas, o Domine? absens sciebas mortem, et præsens non nosti locum, sed dicis, *Ubi posuistis eum?* Sistite mihi, inquit, eos qui sepelierunt, qui ligarunt, qui involverunt mortuum. Hi mihi testes futurorum adstantes, sua indicent; ut cum ab se sepultum viderint resurgentem, ne putent esse phantasiam. Venit ad monumentum, permisit ut res sibi indicaretur, qui omnia noverat : postea vero lacrymatus est. Cur ploras, si vere promisisti, si illum resuscitaturus es? Sed luget hominem, ostendens animi benignitatem : fortasseque propter ingratum Judæorum animum, quia post hoc miraculum in incredulitate mansuri erant. Quidam enim ex illis dicebant : *Non poterat hic qui aperuerat oculos cæci, facere ut hic non moreretur?* Poterat. Cur conviciari præoccupatis? exspectate et quid facturus sit videte. Dicit illis Jesus : *Tollite lapidem.* Inexspectatus sermo. Qui portas æreas everti, et mortis vectes ferreos contrivit, dicit, *Tollite lapidem?* cur verbo lapidem non removes, Domine? Tollite, inquit, vos sycophantæ, lapidem, incredituli, fraudulenti : tollite, tangite, certiores vos facite : ne rursus vobismetipsis non credatis, attente respicite. Non umbra, non phantasia exitura est : nam res hujusmodi, lapidibus etiam impositis, exire possunt. *Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus erat : Domine, jam fœtet; quatriduanus enim est* (*Joan.* 11. 39 *sqq.*). Oportebat enim illum, utpote servum, non Dominica frui prærogativa. Dominus enim, ut pollicitus erat, tertia die resurrexit; hic vero quatriduanus resurgit : aliud enim est servus, aliud Dominus. Dicunt ei : *Domine, quatriduanus est, jam fœtet.* Hæc apud Deum parva sunt. Nondum ossa sunt arida, nondum carnibus et nervis privata, ut olim apud Ezechielem mortuorum exercitus humi jacens, et omnibus privatus, anima, sensu, patrocinio, vivifico spiritu, stetit ad monumentum, jam futuræ resurrectionis clarum exemplum daturus. Siluit Martha, et lapis remotus est : omnes suspensi animo erant, mortui viventes, forteque ipse infernus attonitus, cum jam portæ mortis solutæ essent. Et primo Dominus Jesus a glorificatione incipit. Elevavit, inquit, oculos in cælum, descensus sui modum judicans, gratias pro nobis agens Patri ac dicens : *Pater, gratias ago tibi, quia audisti me.* Cum potestatem vitæ penes se haberet, hoc facit, quia Maria et Martha dixerant ipsi : *Scimus quoniam quæcumque petieris a Deo, dabit tibi.* Ideo infirmiorem illarum mentem videns dicit : Scitis utique quia quodcumque petiero a Patre dabit mihi : mente ergo accedite ad me et ad Patrem. Et deinde dicit, *Gratias tibi ago, Pater, quia audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter circumstantes dixi.* Viden' quomodo non egeat oratione, sed hoc faciat ob præsentium incredulitatem? Audisti me, inquit, semper. Ne quæras, quando : quantumcumque enim exploremus, non comprehendimus. Ut filius secundum naturam precaris : patrem vero memoravit honorem ipsi referens, ut Filii Patrisque concordiam ignorantibus exhiberet. Ut vero fidem firmavit, et audientium mentem certiorem fecit, demum ad opus venit. *Lazare, veni foras.* Non iteravit sermonem, ut unus solus resurgeret, et ne mortuorum populus incompositum cursum capesceret. Unum quæro mortuum, ne veniatis omnes : nondum enim tempus illud advenit, cum mortui audient vocem Filii hominis, et qui audierint, vivent. Unus tamen interim veniat : unus solvatur propter amicitiam cum Unigenito, uno egeo vincto. Nemo in inferis obsistat, non ostiarius invisibilis, non durus custos carceris non clavigeri infernales, qui semper capere meditantur. Disce meos primum dare. Tu vero, inferne, tace, obmutesce, nihil durum patiens, Domino obsequens, nihil aggrediens, homo jam a liminibus tuis aufugi. *Lazare, veni foras.* Meo jussu vince mortem, vince mortem exspoliato inferno. Adhuc vinctus cum jam illo invito coronatus, maneo, sim. Exiit Lazarus vinctus et ambulans; exiit omnino vinctus, et totus sese movens. Prorsus enim pedibus et manibus vinctus erat, secundum regionis consuetudinem. Nondum tamen prorsus erat extra mortem et sepulturam. Rursus novum dat Jesus mandatum, *Solvite illum, et sinite abire.* Cur non per se solvitur qui mortem effugit, qui infernam custodiam subvertit! Vos solvite qui nuper ligastis, ut vinculorum vestrorum signa agnoscatis. Ut autem hæc audierunt Pharisæi, novum concilium inierunt dicentes : *Quid facimus, quia hic homo talia signa facit* (*Joan.* 11. 47)? Magna crimina : mortuis suscitatis mors interimitur, et Lazarus surgit a mortuis : Judæi autem anima enecantur. Nec imperfectum ergo ineatis concilium, sed addite criminis rationem dicentes : Quid facimus, quia post paucos dies sol sursum obscurabitur, terraque deorsum tremet, res gestas non ferens, intra templum velum scindetur, mortuorum populus ad vitam revertetur? Rursum dicite : Quid facimus, quia templum solvitur, quia cultus cessat, quia urbs incenditur, quia nos ejicimur, et alii nostrum vice heredes constituuntur? Quid facimus, quia omnia transferuntur, prophetæ, apostoli, sacerdotium, jejunium, celebritas, cultus? et Deus hæc admittet. De his solliciti estote, de his concilium inite. Dicta enim inutilia sunt vobis : sententia manet : nam verbum quod profertis non manet in vobis. Semel igitur dedit Deus iis quibus libuit, ut semper festum, semper celebritatem agerent singulisque annis celebritas renovaretur in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN QUATRIDUANUM LAZARUM II.

Dilecti, quemadmodum mater prolis amans, mammam præbens infanti, delectatur, filio tenerum lactis alimentum sugente : ubi vero grumus lactis in caseum concretus, mammæ canales obstruit, tunc puerulus prolat, et mater cruciatur, alendi semper habens, alimentum propositum autem non procedere cernens : sic et nos pristina die meritis mammam vobis admoventes lætabamur, vobis lac verbi sugentibus; ubi vero nubes oblivionis in mentem subiens verbum præcidit, tunc et vos indignati estis, utpote privati evangelicorum dogmatum sententiis; et nos ægre tulimus,

dum studio dicendi, præditi, mentem vestram vidimus oblivione obrutam. Sed fortassis id accidit nobis, ut sciamus quod *Non volentis neque currentis, neque persequentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* 9. 16). Age ergo, quia dicentibus Deus dat gratiam, non ob loquentis dignitatem, sed ob necessitatem audientium, ipsum precati, ab evangelica modo vobis facta lectione, proviribus potum doctrinæ hauriamus. «Erat, inquit, quidam languens a Bethania, de castello Mariæ et Marthæ sororis ejus. Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, cujus frater Lazarus infirmabatur. Dixit autem Jesus : Infirmitas hæc non est ad mortem ; sed pro gloria Dei, ut glorificetur Deus per eam» (*Joan.* 11. 1. *sqq*). Resumens dico : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei : non est infirmitas, sed bonus nuntius ; non est infirmitas, sed securitas. O infirmitas, ægrorum medicina, fidei dux, morti adversaria, diaboli ultrix, salutis princeps ! o infirmitas, virtutis fundamentum, fidei magistra, pietatis dispensatrix, Ecclesiarum Dei ædificatrix ! o infirmitas, quæ febrim animæ fugat, et sudores baptismatis rore perfundit, et splendidas texit animæ vestes ! o infirmitas cælestem præbens panem, fidei lucerna optima, diaboli laqueus, et hominis signaculum ! *Ut audivit*, inquit, *Jesus, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus* (*Joan.* 11. 6). Quid necesse erat ut hoc audito ibi maneret Dominus, et cur non statim ad infirmum se contulit ? Sed omnino mortem Lazari exspectabat, ut in morte ejus majorem per miracula fidem spectantibus inderet. Post hæc vero dicit discipulis Jesus : *Lazarus amicus noster dormit ; sed vado, ut a somno excitem eum* (*ibid. v.* 11). Vere namque mors hominum, somnus a Domino reputatur. *Vado, ut a somno excitem eum.* Quid enim ? annon potes hic manens mortuum suscitare ? Sed non ita gratiam accipiunt Judæi me absente : fortasse enim ipso resurgente, putabunt ex accidente quopiam Lazarum revixisse. Ego igitur vadam, ut me præsente spectatores facti miraculorum meorum, et gratiam a me accipientes, fidem firmam obtineant. *Lazarus amicus noster dormit : sed vado ut a somno excitem eum.* Discipuli vero audientes dixerunt : *Domine, si dormit, salvus erit* (*ibid. v.* 12). Non tam pie, quam medice loculi sunt. Somnus enim nimius lethargicis nocet, febres vero magis solvit quam sudor. Quia igitur putabant discipuli Dominum de somno loqui, dixit manifeste : *Lazarus amicus noster mortuus est ; et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi : sed eamus ad eum* (*ibid. v.* 14. 15). Qui non vult mortem peccatoris, nunc gaudet de morte amici ? Gaudeo, non propter me, nec propter mortuum, sed propter vos : utor enim morte ad fidei vestræ fundamentum. O mors Christi exsultatio ! o mors vitæ plena ! o mors mortis solutio, salutis dux, lapsorum resurrectio, lassorum quies, infirmantium robur, justorum refrigerium ! o mors diaboli eversio, dæmonum destructio, primi hominis Adami renovatio ! o mors lætitiæ operatrix, incorruptionis nuntia, gaudii proma. Ut autem compendio dicam, venit Jesus in Bethaniam, occurrerunt ei sorores Lazari, procciderunt in genua coram Domino flentes ac dicentes, *Domine, si fuisses hic, frater noster non esset mortuus* (*ibid. v.* 21). Num ibi non erat ? Corpore quidem non erat ; divinitate vero non modo illic, sed etiam in cælis. Quomodo enim novisset Lazari mortem, nisi ibi fuisset, secundum invisibilem vim divinitatis ? Et dicebant : *Domine ; si fuisses hic, frater noster non esset mortuus.* Dixit illis Dominus : Credite, et videbitis gloriam Dei : docens fidem bonorum operum esse principium. Et videns eas plorantes, præsentesque Judæos, *Infremuit spiritu, et turbavit seipsum, dixitque, Ubi posuistis eum* (*ibid. v.* 33. 34) ? Quid sibi vult illud, *Infremuit spiritu ?* Exspecta, dilecte, et paulo post videbis quæstionis solutionem. *Turbavit seipsum ;* non ut nos a timore vel dolore turbamur ; sed ipse seipsum turbavit, et dixit : *Ubi posuistis eum ?* Num ignorabat ubi sepultus esset, qui novit quandonam mortuus sit ? Sed minuit humana verba in divinis ; rodigiis, ut ostendat se etiam hominem fuisse, ut dicit propheta. *Et homo est, et quis cognoscet eum ?* Hoc autem præmisit ut significaret se etiam aliud quidpiam esse, nempe Deum. *Ubi posuistis eum ?* Maria vero ait : *Veni, et vide, Domine. Et lacrymatus est Jesus* (*Joan.* 11. 35). Quorsum flere eum, quem paulo post suscitaturus erat ? Sed lacrymatus est Jesus, ut commiserationem et benignitatem erga contribules nobis ostenderet : lacrymatus est Jesus, ut magis re quam verbis doceret flendum esse cum flentibus : lacrymatus est Jesus, non luxit : nam sine lacrymis omnino esse ut inhumanum respuit, lugere vero ut ignavum rejicit ; ut modum commiserationi statuat, lacrymatur. Venit in speluncam, et videt lapidem impositum monumento. Jubet Judæos removere lapidem ab ostio monumenti. Qui dicis, *si fidem habeatis ut granum sinapis, dicetis huic monti, Tollere et mittere in mare, et fiet vobis* (*Matth.* 17. 19) : quomodo nunc non potes removere lapidem ? Sed non quod non possim, ita ago, inquit : sed ne putent rem esse phantasiam, præcipio ii, sis Judæis ut suis manibus lapidem removeant, maximum signum mihi reservans, ut ii si testes sint signorum a me patratorum. Deinde postquam revolutus fuit lapis, respiciens Jesus in cælum dixit : *Gratias tibi ago, Pater, quoniam audisti me* (*Joan.* 11. 41). Quandonam autem oravit ? Nunc accipe, dilecte, quam modo quærebas verbi solutionem : cum enim infremuit spiritu, tunc precatus est. Et *hæc cum dixisset, clamavit voce magna, Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis.* O vocis vim inferos dirumpentem, portas æreas conterentem, vectes ferreos confringentem, diabolum prosternentem, mortem de medio tollentem, mortuum suscitantem ! o vocis vim, quæ diducta membra in unum cogit et erigit, et ex non exstantibus ad esse producit ! o vocis vim, quæ quatriduanum mortuum quasi a somno excitat, et institis vinctum, quasi solutum et celerem cursorem, ex sepulcro educit ! Animum voci adhibe, dilecte, et invenies ipsum verbum in mundi creatione prolatum, *Fiat lux, et facta est lux ; Fiant luminaria in firmamento cæli* (*Gen.* 1. 3. 14), et facta sunt ; ipsum, inquam, dicens, *Lazare, veni foras.* Et sanies ex carnibus fluens cava iterum replebat ; et qui deciderant crines, suum ordinem agnoverunt, inque membris denuo plantabantur. *Lazare, veni foras.* Et mortuus resurrexit, et quatriduanus par erat ei qui nec mortuus fuisset. *Lazare, veni foras :* et anima ex inferis reducta est non contradicente diabolo, non repugnante inferno, et gaudens domicilium suum agnovit. Hoc miraculorum opus divinum contemplatus, dilecte, de resurrectione ne dubites. Sit tibi speculum Lazarus et in illo tei ipsum respiciens, resurrectionem crede. Eadem enim ipsa vox nos omnes suscitabit, ut Apostolus ait : *Tuba canet enim, et mortui resurgent incorrupti* (1 *Cor.* 15. 52), gratia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN QUATRIDUANUM LAZARUM III.

Solvit Lazarum lux ; sed vocatus ita festinavit, ut ligatus curreret, qui per quatriduum putrefactus in monumento, ex visceribus multa a vermibus corrosa habebat ; totaque corporis disjecta forma, et corruptionis testem ferebat sepulcri fœtorem. Sed bonus vitæ odor mortuum olfaciens, viscerum solutionem reformavit. Monumentum jacentis fuit uterus ; et quasi in utero satus, non in monumento, Lazarus recens formatus exsiliit. O novum miraculi genus ! hominem nobis in vitam emisit sepulcrum, institis sepulcralibus ut infantem involutum. Domini namque vox mortuo nota, cum fasciis ipsum ex monumento traxit. *Lazare,* inquit, *veni foras :* et cum verbo statim mortuus egressus est : membra in sepulcro ad ordinem suum currebant, oculus suum occupavit locum, nares itidem ; ad primam formam genæ statim redierunt, collum cum capite et humeris sese copulavit, manus ad mutuum motum paratæ sunt, articulorum harmonia coaluit, digitorum ordo restitutus est, nervorum mutua tensio colligabatur, ossium natura induebatur, extendebantur cum venis arteriæ, medulla reformabatur, membranæ texebantur, capilli suum recipiebant decorem. Longo sermone membrorum cursum apparo. Sicut calcare equus, sic Domini voce punctus mortuus exsiliit. *Lazare, veni foras.* Antequam dicat, Resurge, exire jubet ; adhuc jacentem urget ad cursum. Suscita illum prius, et tunc suscitatum currere jubebis. Cur, Domine, ante resurrectionem, jacenti exitum mandas ? Jacenti, inquit, præcipio ut currat, ne duo mandata dans mortuo, exitum retardem. Non dico illi, Surge, et veni foras ; ut velocius currat, et surgendi et currendi unum accipiens mandatum. Hinc quasi alatus Lazarus ex monumento prodiit, potius ut custos, quam ut mortuus, in sepulcro decumbens. Infernus vero, ut videtur, mortuum restituens ab imo clamabat : Quis est hic, qui voce sua mortuos ex sepulcris, quasi dormientes excitat ? quis est hic, qui leges mortuorum veteres solvit ? quis est hic, qui tantum resurgendi præceptum dat mortuis ad reditum ? quis est hic, qui sepultos assuefacit, ut ad vitam recurrant ? quis est hic, qui mortuos meos ita facile solvit ? quis est hic qui veteres mortuos meos jussu abstrahit ? Abscessit a me, ut video, sceptrum tyrannidis meæ in homines : effractus mihi est carcer mortis. Elias mortuum suscitavit in gratiam mulieris : rursus Elisæus raptor mortuorum secundus paratus est : nunc acerbior mortuorum adjutor me oppugnat, qui putridos mortuos suffuratur ; periculumque est ut ne in fœtidos quidem mortuos imperium obtineam. Raptus enim mihi est mortuus, quem ceperam : de me triumphat quatriduanum corpus, quod institis ligatum cum viventibus choreas agit : demum conculcabor cum institis a mortuo transfuga. Quis me postea timebit a fœtido victum mortuo, et mortuorum, quasi depositorum quorundam, custodem factum ? Depositum enim quoddam in sepulcro Lazarus erat, quasi aurum, cum sigillis redditum ; institis ligatus depositus est in sepulcro, et iisdem rursum ligatus vitæ redditus est. Incredulus enim erat Judæorum po-

pulus, deque miraculorum magnitudine dubitans. Dicebant fortasse de Lazaro nunc, ut olim de cæco sanato : Hic est, Non est hic (*Joan.* 9. 8). Quemadmodum ergo quispiam depositum reddere debens, et rei depositæ suspicionem inferendam prospiciens, depositi sigilla servat, ut sigilla rei depositæ fidem faciant : sic et Dominus noster Jesus Christus Lazarum ex mortuis reddens Judæis, quatriduanum in mortuis depositum, una cum illo institas quasi sigilla reducit; ut illis solutis viderint non alium esse, quam is qui depositus fuerat. Sed incredulitatis cæcitas corrigi nequit. Cum enim mortuum nossent, miraculo invidebant, et cæcum inibant consilium. *Cogitaverunt enim principes sacerdotum, ut et Lazarum interficerent, quem suscitaverat a mortuis : quia propter illum multi ex Judæis abibant, et credebant in eum* (*Joan.* 12. 10. 11); cui gloria in sæcula. Amen.

INDEX RERUM QUÆ IN HOC TOMO UNDECIMO CONTINENTUR.

PRÆFATIO ad Homilias S. Joannis Chrysostomi in Epistolam Pauli ad Ephesios. 5-10

COMMENTARIUS S. Joannis Chrysostomi in Epistolam ad Ephesios. 9-10

ARGUMENTUM in Epistolam ad Ephesios. *Ibid.*

HOMILIA I in Epist. ad Ephesios ex cap. I. — Sancti quinam vere sint. Gratia est a bonitate. 9-16

HOM. II ex eodem capite. — Evangelium salutis cur ita dictum. Peccata non fiunt ex necessitate. Virtus est secundum naturam, vitium contra naturam; juramentum est supervacaneum; contra avaritiam et rapiendi cupiditatem. 17-22

HOM. III ex eodem capite. — Quam alte Deus hominem extulerit. Regni cælorum amissio pejor gehenna. Christi corpus quomodo sumendum, quibus diebus ad id accedebatur. 23-30

HOM. IV ex cap. II. — Manichæi carpuntur. Sine eleemosyna non intratur in regnum cælorum. 31-38

HOM. V ex eodem capite. Prudentia carnis quid sit. 39-42

HOM. VI ex cap. II et III. — Pauli virtus. 43-50

HOM. VII ex cap. III. — Summa Pauli humilitas. Inimicos quomodo diligere oporteat. 49-56

HOM. VIII ex cap. IV. — Diadema imperatorum; vinctum esse pro Christo majus putatur quam sedere a dextris ejus. Propter Christum pati bonis omnibus majus est. De custode carceris, in quo Paulus erat vinctus. Cur Deus permiserit ut, qui Petrum custodiebant in carcere, occisi fuerint. Paulus in vinculis et malis gloriabatur. Contra avaros et plura habendi cupidos. De tribus pueris. 55-70

HOM. IX ex eodem capite. — Imperatorum et consulum cultus cum spirituali cultu Pauli e carcere exeuntis comparatus. Digne ambulare quid sit. De caritate; unde orta sint arcana et secreta. 69-76

HOM. X ex eodem capite. — Inanis gloria tyrannus. 75-80

HOM. XI. Ex eodem capite. — Cur in Ecclesia alius plus, alius minus habeat. Humilitas ad unitatem corporis Ecclesiæ necessaria. Chrysostomus doctrinæ verbi præfectus; Ecclesiam scindere non minus est malum quam incidere in hæresim. 79-88

HOM. XII ex eodem capite. — Pecuniæ vanæ, si consumantur ad delicias. Ignis adoratores redarguuntur. Contra fatum et metempsychosin. 87-94

HOM. XIII ex eodem capite. — Immunditia quid sit. Justus quisnam vere sit. De monachis et de Virginibus Christo dicatis. Mulierum virtutes et vitia. 95-100

HOM. XIV ex eodem capite. — Inimicitiarum mala; quomodo sint sedandæ. Lingua quomodo utendum. Contra maledicos. 99-106

HOM. XV ex eodem capite. 105-112

HOM. XVI ex eodem capite. — Virtus inserenda, vitia avellenda. Ultio vero, bona pro malis rependere. 111-116

HOM. XVII ex cap. IV et V. — Concupiscentia minus malum quam ira. 115-122

HOM. XVIII ex cap. V. — Avaritiam esse idololatriam probatur. De corrigendo proximo. 121-128

HOM. XIX ex eodem capite. — Dici malitia quid sit. Gratiæ Deo agendæ etiam in adversis. Rerum naturalium causas ignoramus; peccatum solum malum. Divina non adeo incuriose indaganda. 127-136

HOM. XX ex eodem capite. — Beati conjuges sibi invicem consentientes; amoris vis. In uxore quid quærendum. Uxoris optimæ dotes. Unio conjugum unionis nostræ cum Christo symbolum; in uxore quædam vitia ferenda. Quomodo se gerere debeat vir erga uxorem. Consilia ad conjugatos pauperes; domus et familia quomodo ornandæ. Puella quænam optima habenda est. Uxor quomodo erudienda. 135-150

HOM. XXI ex cap. VI. — Aulæ regiæ vitia. Juliani monachi laudes. Divitiæ quandonam lædant. 149-156

HOM. XXII ex eodem capite. — De servorum officiis. Ex peccato factum ut alii heri, alii servi essent. Mundus in Scriptura malos homines aliquando significat. Divitiæ et inanis gloria ansam dant diabolo. 155-164

HOM. XXIII ex eodem capite. — Qui thesaurizat, vermi immortali parat alimentum. 163-168

HOM. XXIV ex eodem capite. — De Anna matre Samuelis. 167-176

MONITUM ad Homilias S. Joannis Chrysostomi in Epistolam ad Philippenses. 175-178

COMMENTARIUS S. Joannis Chrysostomi in Epistolam ad Philippenses. 177-178

ARGUMENTUM in Epistolam ad Philippenses. Quomodo Paulus in Epistola sua procedat; Philippensium laudes. Bona opera commendantur. 177-182

HOMILIA I in Epist. ad Philippenses ex cap. I. — Nomina Episcopi, Presbyteri et Diaconi initio communia. In bonis operibus Deus agit, et nos cum Deo. Eleemosynæ faciendæ ratio. 181-196

HOM. II ex eodem capite. — Divitiarum onera. 189-198

HOM. III ex eodem capite. — Pauli caritas et constantia. Vitæ genera quædam. Pauli philosophia. Qui mortui sint lugendi. Exsequiarum modus; mortuorum memoria in mysteriis. 197-206

HOM. IV ex eodem capite. — Pauli laudes. Nihil æque Deum delectat ut misericordia et eleemosyna. 205-212

HOM. V ex cap. II. — Superbia quam aliena ab anima christiana. 215-218

HOM. VI ex eodem capite. — Errores Sabellii, Marcionis, Marcelli, Photini, Sophronii, Arii, exponuntur; confutantur Sabellius et Arius. 217-228

HOM. VII ex eodem capite. — Contra Marcionistas; contra Paulum Samosatenum. Christum non vere colimus nisi imitemur; humilitas christianis competit. 227-238

HOM. VIII ex eodem capite. — Contra murmurantes. 237-246

HOM. IX ex eodem capite. 245-258

HOM. X ex cap. III. — Amor pecuniæ exagitatur. Contra luxum; ædium ornatus. 257-264

HOM. XI ex eodem capite. 263-270

HOM. XII ex eodem capite. — Doctoris et discipuli officia. Virtus a nulla re superari potest. 269-276

HOM. XIII ex cap. III et IV. — Crucis signum in baptismo et in manuum impositione. 275-282

HOM. XIV ex cap. IV. — Injuriarum oblivio commendatur. 281-288

HOM. XV ex eodem capite. — Eleemosyna non accipientium, sed dantium causa inducta fuit. Pauli humilitas. Ærumnarum utilitas. Calamitates in aula Imperatoria. 287-298

MONITUM ad Homilias S. Joannis Chrysostomi in Epistolam ad Colossenses. 297-300

COMMENTARIUS S. Joannis Chrysostomi in Epistolam ad Colossenses. 299-300

HOMILIA I in Epist. ad Coloss. ex cap. I. — Amicitiarum varia genera. Mensa pauperum divitum mensæ anteponenda est. Luxuriosæ mensæ descriptio. Crapulæ malum et dedecus. 299-310

HOM. II ex eodem capite. — Ad regnum Filii Dei vocari quantum sit beneficium; vita præsens quasi nidus; terræ motus et urbium eversiones. Fati opinio rejicitur. 309-318

HOM. III ex eodem capite. — De Filii Dei natura, et quod non sit creatura. Paulus Samosatenus. 317-324

HOM. IV ex eodem capite. — Laus Moysis; cur Christus in mundum tardius venerit. 325-332

HOM. V ex cap. I et II. — Contra eos qui resurrectionem negabant. 331-338

HOM. VI ex eodem capite. — Observationes dierum. 337-344

HOM. VII ex cap. II et III. — Quomodo divitiæ vanæ sint et nos aliquando ignominia afficiant; Theodosii imperatoris in Antiochenos ira. Contra luxum vehementer invehitur; vasa immunda ex argento facta; barba aurea Persarum regis. 343-352

HOM. VIII ex cap. III. — Sine caritate nihil bonum. Gratias agere quando oporteat. Ligamina superstitiosa. Cur miracula non fiant; quarumdam superstitionum descriptio. 351-360

HOM. IX ex eodem capite. — Quomodo grati in Deum fieri possimus; Scripturæ sacræ legendæ. 359-366

HOM. X ex cap. III et IV. — Viri cujusdam sancti precatio. De Socrate. Vincula Pauli quam pretiosa. Contra nimium mulierum ornatum. 365-374

HOM. XI ex cap. IV. — Pauli modestia. Quomodo cum inimicis agendum. Invidia propulsanda. 373-380

HOM. XII ex eodem capite. — Paulus exemplum virtutum omnium. Meretrices in nuptiis admixtæ. Qualis sponsus quærendus virgini. 379-392

MONITUM ad homilias S. Joannis Chrysostomi in primam et secundam epistolas ad Thessalonicenses. 391-392

COMMENTARIUS S. Joannis Chrysostomi in Epist. I ad Thessalonicenses. *Ibid.*

HOMILIA I in Epist. I. ad Thessal. ex cap. I. — Vigilantia quam necessaria. 391-398
HOM. II ex cap. I et II. — De Alexandro Magno quædam. Quis sit verus amicus; christianæ amicitiæ exemplum. 399-406
HOM. III ex cap. II et III. — Incantationes et ligamina pro morbis curandis adhibita; divinatores. Pecunias contemnere suadet. 405-416
HOM. IV. ex cap. III. — Josephi castitas; contra injuriarum memoriam. 415-422
HOM. V ex cap. IV. — Juvenes cito connubio jungendi. Chrysostomi cautio, cum de rebus impudicis loquitur. 423-428
HOM. VI ex eodem capite.—Mortui non plangendi. 429-434
HOM. VII ex eodem capite. — Argumentum quorumdam qui resurrectionem non credebant; metempsychosis Græcorum. 429-440
HOM. VIII ex eodem capite.—De Sodomorum lacu. 439-446
HOM. IX ex cap. V. — Finis vitæ ignoratus ad utilitatem viventium. Omne vitium est ebrietas animæ. Deliciæ nihil prosunt. 445-454
HOM. X ex eodem capite. — Vera ultio quæ. Contra eos qui aliena rapiunt. 455-462
HOM. XI ex eodem capite. — Altercationis vitandæ modus. Historia cujusdam ancillæ. Mendicantium mos singularis. Patientia commendatur exemplis. 461-468
COMMENTARIUS S. Joannis Chrysostomi in Epistolam secundam ad Thessalonicenses. 467-468
ARGUMENTUM. Homilia I in Epist. II ad Thessalonicenses. — Resurrectionem jam factam esse dicebant quidam. Antichristi adventus signa. Humanæ res quasi somnia. 467-472
HOM. II ex cap. I. — De inimicorum supplicio non lætandum. Metus supplicii quantam vim habeat. Paulus gehennam despiciebat, quare. Divitiæ non bonæ; paupertas non mala. 471-480
HOM. III ex cap. I et II. — Antichristus. Scripturæ sacræ legendæ. 479-486
HOM. IV ex cap. II et III. — Nero typus Antichristi; cur Deus permissurus sit antiochristum venire. Traditio Ecclesiæ fide digna. Chrysostomus se clare dicit esse ducem seu Episcopum; ipsius humilitas. 485-492
HOM. V ex cap. III.—Eleemosyna quomodo danda. 491-450
PRÆFATIO in Epistolas I et II ad Timotheum. 499-500
COMMENTARIUS S. Joannis Chrysostomi in Epist. I ad Timotheum. 501-502
ARGUMENTUM in Epist. I ad Timotheum. — Cur Timotheo et Tito tantum scribat Paulus. 501-504
HOMILIA I in Epist. ad Timotheum ex cap. I.— Apostoli dignitas quanta. Fidei res quæstionibus opus non habent. Contra genesim et fatum. 503-510
HOM. II ex eodem capite. — Hæreses unde nata sint. Lege quomodo utendum. Vera gloria quænam. Vera voluptas quæ. 509-516
HOM. III ex eodem capite.— Paulus humilitati studebat. Bona pro malis reddenda. 515-520
HOM. IV ex eodem capite.— Pauli humilitas. Deus quomodo glorificandus. 519-526
HOM. V ex eodem capite. — Sacerdotes quinam eligendi. Contra eos qui aut indigne aut semel tantum in anno ad communionem accedebant. 525-530
HOM. VI ex cap. II.—Christianus omnibus superior esse debet. Adversus eos qui contra proximum precantur. Pro inimicis precandum. 529-534
HOM. VII ex eodem capite. — Tria bellorum genera. Eleemosyna commendatur; pecuniarum vilitas. 525-540
HOM. VIII ex eodem capite.—Orandum ubique; nimius ornatus. Virginum cultus vestium nimius. 539-544
HOM. IX ex eodem capite. — Mulierum in Ecclesiis colloquia improbantur. Filii quomodo instituendi. 543-548
HOM. X ex cap. III. — De episcopatu; qualis episcopus esse debeat. De bonis exemplis; cur Gentiles ad fidem non accedant; præstigiatorum genera quanta tempore Chrysostomi. 547-554
HOM. XI ex eodem capite.— Diaconum officia. Pecuniarum usus qualis esse debeat. 553-558
HOM. XII ex cap. IV.—Hæresis in hæsitatione perpetua fluctuat; Manichæi, Encratitæ, Marcionistæ. De idolothytis. Contra avaros. 557-564
HOM. XIII ex cap. IV et V. — Episcopi munia. Contra voluptates. 565-572
HOM. XIV ex cap. V.— De viduis. Monachorum vita mirabilis. 571-580
HOM. XV ex eodem capite.—Otiositas omnem malitiam docuit. Rerum humanarum fluxa conditio. 579-586
HOM. XVI ex cap. V et VI.—Moralis exhortatio. 585-590
HOM. XVII ex cap. VI.—Doctoris officium; superbia ex ignorantia nascitur. Avaritia radix malorum. 591-596
HOM. XVIII ex eodem capite.—Non humanæ scientiæ, sed fidei adhærendum; humanarum rerum fluxa conditio. 595-600
COMMENTARIUS S. Joannis Chrysostomi in Epist. II ad Timotheum. 599-600
HOM. I in Epist. II ad Timotheum ex cap. I.—Homo numquam curis vacuus est. 599-606
HOM. II ex eodem capite. Divina non humanis judicanda sunt ratiociniis. Dignitas sacrificii eucharistici non ab homine offerente pendet; Christus vere in Eucharistia est. 605-614
HOM. III ex eodem capite.—Judicia Dei timenda. 613-618
HOM. IV ex cap. II.—In terra nec veram gloriam nec vera bona reperire est; comparatio Pauli cum Nerone. 617-624
HOM. V ex eodem capite. — Malæ conscientiæ nulla quies; nemo est qui judicium non timeat; Deus improbos aliquando punit in hac vita. 625-630
HOM. VI ex eodem capite. — Dei servus a litibus abstineat oportet. Qui ex una parte diabolo subjicitur, omnino subjicitur; commendatur eleemosyna. 629-636
HOM. VII ex cap. III.—Jonathæ cum Davide amicitia. 635-642
HOM. VIII ex eodem capite. — Ingrati imago. Cur Deus modo puniat in hac vita, modo non puniat. 641-650
HOM. IX ex cap. III et IV. — Pauli labores et certamina. 649-656
HOM. X ex cap. IV. — Cur Apostoli non omnes a morbis curare potuerint. 655-662
MONITUM ad Homilias in Epistolam ad Titum. 661-662
COMMENTARIUS S. Joannis Chrysostomi in Epistolam ad Titum. 663-664
HOMILIA I in Epist. ad Titum ex cap. I. — Quo tempore scripta fuerit hæc Epistola. Veritatis agnitio secundum fidem quænam sit. Prædicatio cum fiducia est facienda. Episcopi munera et pericula; redarguuntur episcopatum appetentes. Ab episcopo quænam exigantur. 663-670
HOM. II ex eodem capite — Apostolum cura et opera; pastoris officium. Paulus plus potuit, quam Plato. Honoris contemptus quam difficilis. Honor et gloria hic non quærenda. 669-676
HOM. III ex cap. I et II. — Quare et cujus verbis usus talia Paulus dixerit. Paulus cur ex Græcis testimonia adferat. Magi cur per stellam ducti; arguendi et corrigendi modi. De mundis et immundis. Immundi quinam vere sint. 675-682
HOM. IV ex cap. II. — Senum vitia. Conjugum concordia quantum bonum. Boni famuli officia; de Josepho Jacobi filio multa. Mores probi quam amabiles omnibus. 681-688
HOM. V cap. II et III. — Gratia Dei quid efficiat; sæcularia desideria quæ. Pecuniarum cupiditas damnatur; contra eos qui Patre minorem Filium Dei dicunt. Conviciis non utendum. Audrogei et Minois historia. 687-696
HOM. VI ex cap. III. — Genealogiæ quid sint. Contra hæreticos non multum disputandum est. Pauperibus obviam eundum est; eleemosynam danti majus lucrum, quam accipienti. Augusta via quænam; divitiæ spinæ sunt. Ærumnæ patienter ferendæ; historia martyrum duorum. 695-700
MONITUM ad homilias in Epist. ad Philemonem. 701-702
COMMENTARIUS in Epistolam ad Philemonem. *Ibid.*
ARGUMENTUM in Epistolam ad Philemonem. 701-704
HOMILIA I in Epistolam ad Philemonem. 703-708
HOM. II. 707-714
HOM. III. 715-720
SPURIA. 719-720
MONITUM in spuria sequentia. *Ibid.*
DE sacrificiis Caini, de donis Abelis, etc. 719-722
IN sancta et magna Parasceve, etc. 721-724
IN Publicanum et Pharisæum. 725-728
IN ingressum sanctorum jejuniorum. 727-728
IN Sanctam Assumptionem Domini nostri Jesu Christi. 727-732
DE jejunio. Dominica V Jejuniorum. 731-732
DE jejunio. 731-738
DE oratione. 737-740
Ignem veni mittere in terram (*Luc.* 12. 49); et *non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* 10. 34). 739-742
ADMONITIONES spirituales. 741-744
IN principium jejuniorum, et de jejunio. 745-748
IN adorationem venerandæ crucis. 747-754
IN resurrectionem Domini nostri Jesu Christi. 755-756
IN paraboiam ejus qui incidit in latrones. 755-758
DE jejunio. 757-760
DE jejunio, de Davide, etc. 759-762
IN annuntiationem Deiparæ. 763-768
DE eleemosyna. 767-770
DE Charitate. 769-772
IN Lazarum I. 761-774
IN quatriduanum Lazarum II. 775-776
IN quatriduanum Lazarum III. 775-778

FINIS TOMI UNDECIMI.